Cap.4. v.1. & 2. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt a ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus a Patre.* 533. 1.

Cap.5. v.2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit.* 191. 2.

ỽ.17. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* 102. 1.

Cap.6. v.4. *Alter alterius onera portate.* 465. 2.

ỽ.12. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 109. 1.

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap.1. ỽ.5. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum.* 124. 1.

ỽ.9. *Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.* 143. 2.

ỽ.20. & 21. *Suſcitans illum à mortuis; & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* 77. 1.

ỽ.22. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* 75. 2. 76. 1.

Cap.2. v.3. *Eramus natura filij iræ.* 162. 1. 214. 1.

ỽ.7. *Vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* 463. 2.

Cap. 4. v. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ?* 480. 2.

ỽ. 10. *Qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* 255. 2. 476. 1.

ỽ.12. *Alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum.* 508. 1.

Cap.5. v.2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis.* 117 1.

ỽ.23. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* 75. 2.

ỽ.30. *Nos ſumus membra corporis Chriſti.* 75. 2.

ỽ.31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna.* 524. 2.

ỽ.32. *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* 145. 1. 325. 1.

Cap.6. v.4. *Vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* 217. 1.

ỽ.12. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, &c. ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.* 477. 1.

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap.1. ỽ.1. *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis.* 504. 1. 507. 2.

Cap.2. v.7. *In ſimilitudinem hominum factus.* 38. 2.

ỽ.8. & 9. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum.* 112. 2. 114. 1. 118. 1. 465. 1.

ỽ.10. & 11. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris* 112. 2. 127. 1. 129. 2.

Ex Epistola ad Colossenses.

Cap.1. ỽ.13. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* 11. 2.

ỽ.15. *Primogenitus omnis creaturæ.* 35. 2.

ỽ.18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* 75. 2. 76. 2.

ỽ.20. *Per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* 77. 2.

Ex Epistola 1. ad Timothevm.

Cap.1. ỽ.15. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum,* 34. 2.

Cap.2. v.5. *Vnus Deus, vnus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* 76. 2. 116. 1.

ỽ.11. *Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione.* 515. 2.

Cap. 3. ỽ. 16. *Magnum eſt pietatis ſacramentum.* 143. 2.

Cap.4. v.14. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij.* 229. 2. 503. 2. 504. 1.

Cap.5. ỽ.12. *Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere nolunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 547. 2.

ỽ.17. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo & doctrina.* 508. 1.

Ex Epistola 2. ad Timothevm.

Cap. 1. ỽ. 6. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* 503. 2. 506. 2.

Cap.2. v.3. & 4. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.* 505. 1.

Ex Epistola ad Titvm.

Cap.1. ℣ 7. & 8. Oportet Episcopum sine crimine esse, &c. hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem. 501. 1.

℣ 9. Vt possit, in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. 508. 1.

℣ 15. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. 32. 1. 389. 1.

Cap. 2. ℣ 14. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret. 12. 1.

Cap. 3. ℣ 5. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. 326. 1.

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. 1. v. 1. & 2. Multifariam multisque modis olim Deus loquens in Prophetis, nouissime locutus est nobis in filio. &c. per quem fecit & sæcula. 6. 2. & 120. 2.

℣ 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? 119. 2. 130. 2.

Cap. 2. ℣ 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. 85. 1.

℣ 9. Videmus Iesum propter passionem suam mortis, gloria & honore coronatum. 108. 2. 112. 2.

℣ 11. Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres eos vocare 78. 2.

℣ 16. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. 61. 1. 78. 2.

Cap. 4. v. 13. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. 85. 1.

Cap. 5. v.1. Omnis Pontifex ex hominibus assumpsus, pro hominibus constituitur in ea quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. 115. 2. 136. 2. 292. 2. 300. 1. 308. 1.

℣ 7. Offerens se cum clamore valido & lacrymis exaudietus est pro sua reuerentia. 465. 2.

Cap. 6. v. 4. & 6. Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam. 201. 1. 315. 1. 353. 1.

Cap. 7. v. 11. Translato Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. 190. 2. 362. 2.

℣ 23. & 24. Plures fuisse Sacerdotes, ideirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. 362. 2.

℣ 27. Accedens per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. 115. 1.

℣ 26. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. 362. 1.

Cap. 9. v. 8. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatum esse Sanctiorum viam. 380. 2.

℣ 14. Per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo 199. 1.

℣ 16. Nunc autem semel in consummatione sæculorum, &c. 18. 1.

Cap. 10. v. 1. Vmbram habens lex futurorum bonorum. 170. 1.

℣ 14. Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos. 116. 1. 117. 1. 301. 2. 302. 1. 303. 1. 305. 1. 465. 1.

℣ 26. Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. 186. 1. 201. 1. 202. 1. 368. 2.

Cap. 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo credentem oportet accedentem ad illum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 209. 2.

Ex Canonica Iacobi Apostoli.

Cap. 5. v. 14. & 15. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis fit, dimittentur ei. 156. 1. 494. 2. 495. 2. 499. 2. 501. 2.

℣. 16 Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. 404. 2.

Ex Epistola 1. D. Petri Apostoli.

Cap. 1. v. 18. & 19. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. 12. 1. 64. 2. 130. 2.

Cap. 2. v. 9. Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 186. 1. 300. 1.

℣ 11. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 85. 2. 466. 1.

℣ 19. Iis qui in carcere erant spiritibus venient prædicauit. 480. 2.

℣ 21. X. similis forma saluos facit baptisma. 158. 1.

Cap. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum. 164. 1.

℣ 10. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: sicut bonus dispensatores, multiformis gratiæ Dei. 314. 2.

Ex Epistola 2. D. Petri.

Cap. 1. v. 8. & 9. In vobis enim magistri mendaces, &c. & in auaritia fictis verbis de vobis mercabuntur. 430. 2.

℣ 19. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 12. 1.

Ex Epistola 1. Ioannis Apostoli.

Cap. 1. v 7. Sanguis Iesu filij eius emundat nos ab omni peccato. 161. 2.

℣ 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus. 149. 2.

℣ 9 Si confitemur peccata nostra: fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. & 2. 1. 163. 1.

Cap. 2. v. 1. & 2. Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. & ipse est propitiatio propeccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 12. 2. 20. 2. 113. 1. 369. 1. 465. 1.

℣ 17. Et mundus transit & concupiscentia eius, manet in vobis. 217. 1.

Cap. 1. v. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus: 118. 2.

Ex 2. Ioannis.

Cap. 1. v. 8 Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis. 287. 1.

℣ 10. & 11. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave communicat operibus eius malignis. 179. 2. 513. 1.

Locorum Scripturæ ſacræ.

Ex Apocalypsi D. Ioannis Apostoli.

Cap. 1. ℣. 5. *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* 161. 2.

Ibid. *Primogenitus mortuorum.* 121. 1.

℣. 20 *Sacramentum ſeptem ſtellarum.* 143. 2.

Cap. 3. v. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiet coronam tuam.* 387. 1.

℣. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* 399. 1.

Cap. 5. v. 3. *Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.* 481. 1.

℣. 9. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* 12. 1. 165. 1.

℣. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnũ & Sacerdotes.* 300. 2.

℣. 12 *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, &c.* 112. 2.

Cap. 14. v. 13. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* 387. 2. 465. 2. 468. 1. 479. 1.

Cap. 18. v. 7. *Quantùm glorificauit ſe, & in deliciis fuit: tantùm date illi tormentum & luctum.* 359. 2. 462. 1. 478. 1. 479. 1.

Cap. 19. v. 10. *Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.* 125. 1.

Cap. 20. v. 10. *Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris.* 479. 2.

Cap. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* 213. 2. 364. 1. 373. 2.

Cap. 22. v. 11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* 160. 1.

Finis Indicis locorum ſacræ Scripturæ, cuius authori Deo Opt. Max. ſit honor & gloria.

Digitized by Google

IN TERTIAM PARTEM
SANCTI THOMÆ AQVINATIS
DOCTORIS ANGELICI,

DVBITATIONES, ET BREVES AC DILVCIDÆ Concluſiones R. P. M. Ioannis Puteani Auguſtiniani.

QVÆSTIO PRIMA,
DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

PROOEMIVM.

EX tribus partibus quibus veluti artificioſa, & ingenioſa apis, mellis fauos, rerum Theologicarum materias, & argumenta complexus eſt ſcholaſticæ diſciplinæ Angelus D. Thomas, duabus prioribus accuratè, eruditè, & diſtinctè abſolutis: pergit in hac tertia & poſtrema operi ſuo felicem coronidem imponere, quæ ad ſacræ, & abſconditæ Dominicæ Incarnationis myſterium, ſeu ad Chriſtum Dominum totius generis humani munificentiſſimum Redemptorem; nec non ſacramentorum authorem & inſtitutorem ſpectare poſſunt; pro ſolita animi ſubtilitate, & doctrinæ grauitate, firmitate, proponens, examinans, & enodans: quam propterea bipartitam fecit: vnde in prima de ipſo Chriſto ſermonem inſtituit, ac etiam de myſterijs gratiæ ab eodem executioni demandatis; & quidem ab hac quæſt. ad 59. inclusiuè. In 2. quam morte præuentus abſoluere non potuit, diſſerit de ſacramentis tum in vniuerſum, tùm etiam in particulari, à quæſt. ſcilicet 60. ad vltimam vſque.

Non deſunt autem qui hoc loco dubitationes aliquas præmittant de dignitate, difficultate, ſubiecta materia, ordine tractationis huiuſce myſterij, à quibus tamen abſtinendum eſſe duximus; cùm illa ſatis innoteſcere poſſint ex his quæ S. Doctor in ſequentibus quæſtionibus habet, vel quæ ab Interpretibus tradi ſolent.

A

ARTICVLVS PRIMVS.

An conueniens fuerit Deum incarnari.

Concluſio affirmatiua, Circa quam ſit

DVBITATIO PRIMA.

Quibus nominibus appelletur myſterium hoc.

B RESPONDEO nuncupari interdum inhumanationem, incorporationē, œconomiam, Verbi mixturam admirabilē, apparitionem in carne: communiter verò incarnationē, & quidem magis accommodatè; ſcripturæ quippe ità loquuntur de hoc myſterio, Ioannis 1. *Et Verbum caro factũ eſt.* & Rom. 1. *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Accedit, nomine carnis ſignificari in ſacris litteris totum hominem, non autem alteram compoſiti humani partem. Matth. 16. *Beatus es Simõ Barjona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* (i. homo) ex communi Patrum interpretatione, *ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* & Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat* C *viam ſuam*: & Iſaiæ 4. *Omnis caro fœnum.* ii ergo nomine carnis ſignificatur totus homo, & diuinum Verbum totum hominem aſſumpſit, ſinè tamen propria perſonalitate, certè myſterium incarnationis conuenienter nuncupatur incarnatio. Fauent ſacra Concilia: Symbola ſiquidem Concilij Nicæni & Conſtantinopolitani ità de hoc myſterio loquuntur; *Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto.* Denique vtuntur hoc eodem nomine ſancti Patres ad explicandũ idem myſterium, vt conſtat ex Leone Magno, concione 3. de Natiuitate. *Verbi incarnatio*, inquit *hæc contulit facienda, quæ facta; & ſacramentum ſalutis humanæ in* D *nulla vnquam antiquitate ceſſauit.* & ex Athanaſio orat. de ſanctiſſima Deipara. *Secundum igitur creſcendi rationem diuinæ Verbi incarnatio progreſſus fecit* &c. & ſtatim. *Atque hinc eſt, quod Chriſti incarnatio ex Deo perſonam ſuam habeat, non*

Variè ſolet appellari myſterium hoc.

Ioann. 1. Roman. 1. Matth. 16. Geneſ. 6. Iſaiæ 4. Concil. Leo Magn. Athanaſ.

Digitized by Google

humanitàs ex homine. Et paulò poſt. *Hos igitur modo diuinum incarnationis myſterium depradicantes, hæreticorum blaſphemias repudiamus:* item infra poſt tres paginas ferè. *Incarnationis, & aſſumptæ humanitatis ſpeciem, ſub vna voce ſimul pradicamus, neque ſolùm incarnationem annunciamus ſed vnà cum incarnatione & aſſumptam humanitatem: ne videamur cum impijs hæreticis inanimatam, mentéque vacuam, & irrationalem incarnationem ſtatuere; ſed ex eo quòd dicimus incarnationem, & humanitatem ſimul aſſumptam, & carnem credimus, & animam rationalem, & mente pradiram ſignificamus.* Et ex Cyrillo Alexandrino contra Iudæos cap. 2. & Hieronymo ad hæc verba. *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius.* Et ex D. Thom. hoc loco, & Petro Lombardo lib. 3. Sententiarum.

Cyrillus. Hieronymus.

DVBITATIO SECVNDA.

An Incarnatio fuerit poſſibilis.

Error circa incarnationis poſſibilitatem.

FVERVNT plerique antiquitus Ethnici qui docuerunt incarnationem ex omni parte impoſſibilem, de qua re legendi ſunt D. Th. lib. 4. contra Gentiles, & Michaël Medina. Peccarunt & in eadem re nonnulli hæretici, contra quos diſputat Leo Magnus in Epiſtola ad Atticum, & Agapitus Papa contra eumdem Atticum, & Cyrillus Alexandrinus aliique nonnulli. Iſtorum autem impietas ſequentibus rationibus cõprobari videtur.

Quibuſdã ſuadetur rationibus.

Prima, ſi incarnatio Verbi eſſet poſſibilis, prout hæc aſſeritur facta à Catholicis & Chriſtianis, ſequeretur diuinum Verbum eſſe mutatum: non enim fieri poteſt vt aliquid ex non homine fiat homo; niſi in eo detur vera & realis mutatio; atqui diuinum Verbũ non poteſt mutari, cùm ſit ens puriſſimum, excludátque omnem imperfectionem & potentialitatem à ſe: ergo. Neque refert quod communiter reſpondent Chriſtiani homines: diuinum Verbum fuiſſe tantùm mutatum extrinſecè, non autem intrinſecè; tota quippe mutatio ſe tenet ex parte humanæ naturæ, non autem ex parte Verbi. Hæc inquam reſponſio non ſatisfacit argumento propoſito: nam eodem planè modo debuit Verbum diuinum mutari quo factum eſt homo; ſed Verbum verè, realiter, & propriè factum eſt homo, ergo verè quoque, proprie, & realiter mutatum eſt Verbum.

2. Secunda ratio, diuinum Verbum eſt ſimpliciter infinitum & ſupernaturale; natura verò humana eſt finita ſimpliciter & ordinis naturalis, ergo Verbum & natura humana nequeunt inter ſe coniungi: nam ea tantùm coniunguntur quæ habent debitam proportionem; inter finitum autem & infinitum nulla aſſignari poteſt proportio: ex documento Ariſtotelis, finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

3. Tertia ratio, ſi poſſibile eſſet Verbum diuinum vniri naturę humanę, ſequeretur ipſum poſſe habere rationem partis: omnis ſiquidem vnio ordinatur ad totum aliquod perficiendum; atqui fieri nequit vt Verbũ rationem habeat partis; includit quippe pars in ſuo conceptu formali imperfectionem, cùm quælibet pars ſit inferior ſuo toto, ſaltem ſi ſeorſim fuerit ſpectata, quælibet autem imperfectio à diuino Verbo releganda eſt, cùm hoc ſit idem realiter & formaliter cum Deo: Deus verò ità perfectus eſt, vt nullam admittat, neque admittere poſſit imperfectionem.

4. Quarta ratio, ſequeretur Verbum ſupplere defectum cauſæ formalis naturæ humanæ; ſubſiſtentia enim creata denominat intrinſecè naturam ſubſtantialem creatam formaliter ſubſiſtentem, omnium conſenſione: atqui axioma philoſophicum eſt, cauſam formaliter ſuppleri non poſſe, etiam per omnipotentiam Dei, ergo. Illatio maioris propoſitionis ex eo comprobatur; quòd fides Catholica doceat diuinum Verbum ſupplere defectum ſubſiſtentię creatę, in natura humana à ſe aſſumpta: ac proinde facere illud idem quod faceret ſubſiſtentia creata ſi adeſſet.

5. Poſtrema & vltima ratio, ſequeretur Chriſtũ eſſe ens per accidens, quidquid enim aduenit enti completo & perfecto cenſetur eſſe ens per accidens; atqui Chriſtus cenſetur eſſe ens per ſe, non autem per accidens, vt manifeſtè colligitur ex ſymbolo Athanaſij, ergo non poteſt Verbum vniri naturæ ad conficiendum vnum Chriſtum.

Incarnatiõẽ affirmare impoſsibilem impietas ſumma.

PRIMA CONCLVSIO. *Citra manifeſtam impietatem affirmari nequit incarnationem Verbi cum humana natura eſſe impoſſibilem.* Primùm, quia ſcripturæ ſacræ docent, Concilia, itémque Patres omnes affirmant, diuinum Verbum eſſe incarnatum. Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt.* Lucæ 2. *Annuncio vobis gaudium magnum; quia natus eſt vobis hodie ſaluator mundi.* Et Matth. 1. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus:* Symbola item Apoſtolorum, Concilij Nicæni, & Conſtantinopolitani, & Athanaſij nihil magis inculcant, quàm iſtam diuini Verbi incarnationem: Patres autem citabuntur à nobis Dubitatione 4. ad hunc articulum.

Ioann. 1. Luc. 2. Matth. 1. Nicæn. Conſtant.

Incarnatio nedum cum Verbo, ſed etiam cum Patre & Spiritu ſancto poſsibilis eſt.

SECVNDA CONCLVSIO. *Incarnatio Verbi cum humana natura nedum eſt poſſibilis cum diuino Verbo, ſed etiam cum perſonis Patris & Spiritus ſancti.*

Probatur hoc vnico argumento. Ratio ſuppoſitalitatis, perſonalitatis, & ſubſiſtentię, tam verè deprehenditur in perſonis Patris & Spiritus ſancti, quàm in perſona Verbi; quælibet enim ex iſtis perſonis, eſt æquè perfecta, cùm identificentur perfectiſſimè cum diuina eſſentia; atqui de fide eſt, diuinum Verbum fuiſſe incarnatum. Ergo Pater & Spiritus ſanctus poterunt incarnari.

Incarnationem poſſibilem aut impoſſibilẽ eſſe nulla euidenter naturalis ratio demonſtrat.

TERTIA CONCLVSIO. *Poſſibilitas incarnationis nequit demonſtrari euidenter vlla planè ratione naturali, neque item impoſsibilitas eiuſdem.*

Prima pars huius Concluſionis eſt Concilij Toletani XI. dicitur enim illic incarnationẽ Verbi nec exemplo comprobari, nec vlla plane ratione colligi poſſe: *quia partus Virginis, nec ratione colligitur, nec exemplo monſtratur; quia ſi ratione colligeretur non eſſet admirabilis, ſi exemplo, non eſſet ſingularis,* ità legitur cap. 1. quod eſt de confeſſione fidei, & in Concilio Toletano IV. dicitur enim illic nos credere in Symbolis noſtris quæ habentur in ſacris litteris quæ ſunt à patribus nobis propoſita credenda, ita cap. 1. Fauet & iſtis quod Cyrillus Alexandrinus aliquando dixerit, trutinæ iudicij humani nulla ratione ſubijciendum eſſe myſterium incarnationis, ſed ſumma veneratione à nobis eſſe acceptandum: imò non deſunt qui dicant de hoc myſterio eſſe miraculum miraculorum: ea verò quæ ſunt miracula ſecundum ſuam ſubſtantiam, & modum, nequeant vlla ratione intelligi, ità & hoc idem eſt dicendum de myſterio incarnationis: & Damaſcenus lib. 3. de fide ait de myſterio hoc, quod ſit nouũ nouorum omnium, *quodque,* inquit, *nouarum omnium rerum maximè nouum eſt: imò quod vnum ſub ſole nouum eſt,*

Incarnatio miraculum miraculorũ.

Digitized by Google

Nihil magnus, quam Deũ hominem fieri.

imò quid vnum ſub ſole nouum eſt, infinitámque potentiam Dei perſpicuè declarat; quid enim maius quàm Deum hominem fieri?

Poſtremò comprobatur hæc concluſio: Antequam fides Catholica doceret ſubſiſtentiam poſſe ſeparari à natura ſubſtantiali indiuidua & ſingulari, ratio naturalis nullum ſuppeditabat medium ad probãdum naturam ſubſtantialem indiuiduam & ſingularem poſſe ſeparari à propria perſonalitate: imò Peripatetici omnes conſtanter affirmabant ſubſiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione ſubſtantiæ ſingularis: Ariſtoteles quippe, capite de ſubſtantia, definit primam ſubſtantiam, id quod per ſe ſubſiſtit, nec alio indiget vt ſit. Ergo cùm ea tantùm cognoſcantur à nobis euidenter, quæ monſtrantur à nobis naturaliter, poſſibilitas incarnationis nulla ratione naturali demonſtrari poteſt. Ità communiter omnes hoc loco, & in 3. diſt 1.

Quid de ſubſiſtentia ante peractã incarnationẽ affirmarint Peripatetici.

Obijcitur.

Obijcies incumbere Theologo roborare articulos fidei noſtræ, itémque eos defendere nedum contra hæreticos, ſed etiam aduerſùs Ethnicos & infideles: ac proinde cùm authoritas Scripturæ & Patrũ nullum habeat robur apud Ethnicos, agendũ erit contra iſtos rationibus naturalibus. Ergo.

Reſpondetur.

Reſpondeo, pertinere ad Catholicum Doctorem confirmare articulos fidei noſtræ contra Ethnicos & infideles, non quidem oſtendendo veritatem eorundem, ſed tantùm probabilitatem, & quidem in communi, non autem in particulari; veritas quippe articulorum fidei noſtræ, non aliter nobis innoteſcit quàm per diuinam reuelationem, & per teſtificationem Eccleſiæ: probabilitas autem ſeu, quod idem eſt, credibilitas articulorum fidei noſtræ nobis innoteſcit per motiua, de quibus egimus in Tractatu de fide; vtimur ergo motiuis iſtis ad perſuadendos articulos fidei noſtræ contra quoſcumque infideles, & nonnullos hæreticos: motiua tamen iſta non demonſtrant euidenter veritatem articulorum fidei, ſed tantùm probabilitatem eorundem, & quidem in communi.

Quomodo Doctor Catholicus articulos fidei, cõtra Ethnicos & infideles confirmet, & per quid illorũ veritas nobis innoteſcat.

Inſtantia.

Inſtabis Catholicum Doctorem ſoluere euidenter omne argumentum factum ab Ethnicis contra articulos fidei catholicæ: ergo poterit euidenter eoſdem demonſtrare.

Satisfit.

Reſpondeo antecedens hoc eſſe verum reſpectu eorum tantum qui admittunt documenta fidei Catholicæ; minimè vero reſpectu eorum qui negant articulos fidei noſtræ: ac proinde ex antecedente dicto ſolùm colligitur articulos fidei noſtræ ſaltem aliquos, poſſe euidenter probari per principia euidentia homini Chriſtiano & Catholico, non autem Ethnico.

Secunda verò pars concluſionis probatur: Ea tantum demonſtrantur impoſſibilia naturaliter, quæ cognoſcuntur à nobis eſſe talia dependenter à lumine rectæ rationis: ſed nullus noſtrùm intelligit, nec intelligere poteſt incarnationem Verbi eſſe impoſſibilem. Ergo illius impoſſibilitas non poterit demonſtari.

Fides Catholica non inclinat ad falſum.

Deinde, fides catholica nec inclinat, nec inclinare poteſt ad falſum, vt probauimus in tractatione de fide: atqui fides dictat incarnationem eſſe poſſibilem, cum doceat Verbum eſſe verè incarnatum. Ergo.

Verum vero non aduerſatur.

Poſtremò verum vero aduerſari nulla ratione poteſt: atqui veriſſimũ eſt incarnationem Verbi eſſe poſſibilem; ergo nulla ratione naturali impoſſibilitas incarnationis demonſtrari poteſt.

A CONCLVSIO VLTIMA. *Etſi nequeas poſſibilitatẽ incarnationis demonſtrari euidenter vlla ratione naturali; poteſt tamen hæc probabiliter ſuaderi rationibus petitis à lumine naturali.* *Incarnationis poſſibilitas multis rationibus naturalibus poteſt probabiliter ſuaderi.*

Primùm, quia ratio naturalis dictat omne prius poſſe ſeparari à ſuo poſteriori, ſaltem diuina virtute: atqui ſubſtãtia indiuidua, & ſingularis eſſentia prior eſt, ſaltem naturâ, ſua ſubſiſtẽtia: ergo poterit hæc eadem natura ſubſtantialis exiſtere ſine propria perſonalitate: ergo poterit hæc eadem natura vniri alicui alteri ſubſiſtentiæ, præſertim increatę. Igitur poſſibilis erit incarnatio Verbi. 1.

Obijcit Scotus, propoſitionem maiorem eſſe ſimpliciter falſam, etiam in lumine rectæ rationis: B nam (inquit) eſſentia cuiuſlibet ſubſtantiæ creatæ eſt natura prior ſua exiſtentia, & tamen per nullam potentiam fieri poteſt vt ſubſtantia creata ſeparetur à propria exiſtentia. *Obijcit Scotus.*

Verùm obiectio iſta vel nihil, vel parum dicit; exiſtentia enim eſſentiæ ſubſtantialis ideò nequit ſeparari vlla potentia ab eſſentia cuius eſt exiſtentia, quia eſſentia ſubſtantialis conſtituitur in ratione entis per exiſtentiam, ità vt impoſſibile ſit aliquid eſſe ens poſitũ extra ſuas cauſas, niſi quoque habeat propriam exiſtẽtiam: eſt namque exiſtentia primus modus eſſendi cuiuſlibet rei: ſubſiſtentia autem ideò poteſt ſeparari à natura ſubſtantiali, quòd diſtinguatur ab ea diſtinctione reali C minori, vt loquuntur; & quòd non conſtituat ens in genere entis tranſcendentalis: ſed tantum complet vt vltimò, & terminet dependentiam naturæ ſubſtantialis: ità communiter reſpondent interpretes D. Thom. hoc loco. *Refellitur obiectio. Exiſtentia nequit ſeparari ab eſſẽtia ſubſtantiali, bene tamen ſubſiſtentia. Ratio diſcriminis.*

Secunda ratio. Omnis perfectio ſubſiſtentiæ creatæ continetur nobiliori modo in ſubſiſtentia increata, eſt enim infinita in ratione ſubſiſtendi. Ergo poterit ſubſiſtentia increata ſupplere defectum creatæ, ac proinde terminare & complere naturam ſubſtantialem creatam, quod contigit in myſterio incarnationis. 2. *Subſiſtentia increata vt pote infinita in ratione ſubſiſtendi poteſt ſupplere defectum ſubſiſtẽtiæ creatæ.*

Reſpondet Scotus negando conſequentiam: D negat enim eſſentiam increatam continere omnem omnino perfectionem ſubſtantiæ creatæ: & tamen eſſentia non poteſt ſupplere defectum eſſentiæ creatæ, vt concedunt communiter omnes, ergo neque ſubſiſtentia increata poterit ſupplere defectum creatæ. *Inſtat Scotus.*

Verùm reſponſio iſta non eneruat rationem à nobis adductam: nam ratio propter quam eſſentia increata nequit ſupplere defectum creatæ eſt: quia eſſentia creata, vt ſic, debet eſſe neceſſario producta, & poſtulat ex ſe & ſuâ naturâ, vt ab alio compleatur, & perficiatur, ac proinde ſecum trahit imperfectionem à qua per nullam potentiam ſeparari poteſt: imperfectio autem omnis relegãda eſt ab eſſentia increata, vnde hæc non poteſt ſupplere abſentiam eſſentiæ creatæ: ſubſiſtentia autem creata, vt ſic, quatenus ſcilicet ſubſiſtentia eſt, non includit imperfectionem, ac proinde poterit ſubſiſtentia increata ſupplere defectum illius. Confirmatur: ſubſiſtentia, vt ſic, terminat & complet naturam ſubſtantialem vltimò: ergo cum ſubſiſtentia increata contineat omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, & vt ſic nullam dicat imperfectionem, poterit hæc ſupplere defectum ſubſiſtentiæ creatæ. *Refellitur inſtãtia, & aſſignatur ratio propter quam eſſentia increata nequeat ſupplere defectum eſſentiæ creatæ, bene tamen ſubſiſtentia diuina vices creatæ. Subſiſtẽtia creata vt ſic, nõ includit imperfectionem.*

Addo, ratione iſta à nobis adducta non probari euidenter, ſeclusis documentis fidei Chriſtianæ, ſubſiſtentiam increatam

Digitized by Google

poſſe ſupplere abſentiam ſubſiſtentiæ creatæ.

3. Tertia ratio, quando dantur duo abſoluta inter ſe realiter diſtincta nihil repugnat quominus vnum reperiatur ſinè alio : atqui humana Chriſti natura, & diuinum Verbum ſunt entitates aliquæ abſolutæ realiter inter ſe diſtinctæ: & idem videtur dicendum de ſubſiſtentia creata debita naturæ humanæ ; diſtinguitur quippe hæc modaliter ab humana natura : ergo natura humana Chriſti poterit ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi diuini, atque ità ab eadem compleri.

Aliæ addũtur rationes.

Eſtius in 3. diſt. 1. §. 4. alias de hac eadem re adduxit rationes.

1. Prima eſt. Ratio naturalis dictat illud omne eſſe poſſibile, diuina virtute ſaltem, quod non implicat contradictionem: diuinum Verbum incarnari nullam dicit contradictionem, cùm de facto ſit incarnatum: ergo.

2. Secunda ratio. Tres ſubſiſtentiæ realiter inter ſe diſtinctæ coniunguntur in vna & eadem numero eſſentia, vt docet fides, ergo duæ etiam naturæ inter ſe realiter diſtinctæ poterunt vna & eadem numero ſubſiſtentia, increata præſertim ſubſiſtere.

3. Tertia ratio. Vnio eorum quæ ſunt ſibi ſimilia facilè celebrari poteſt: atqui natura humana eſt ſimilis diuinæ ex illo Geneſ. 2. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: ergo.

4. *Subſiſtentia creata poteſt diuinitùs ſeparari a ſubſtantia.*

Vltima, accidens per omnipotentiã Dei ſeparatur à ſuo modo, vt conſtat ex accidentibus ſanctiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ: ergo poterit etiam modus naturalis ſubſtantiæ creatæ à ſubſtantia creata, diuina virtute ſeparari, ergo & ſubſiſtentia : nam quemadmodum modus accidentis eſt inhærentia, ità & modus ſubſtantiæ creatæ eſt ſubſiſtentia.

Soluuntur rationes initiò adductæ in cõfirmationẽ erroris Paganorum & hæreticorum, circa incarnationis poſſibilitatẽ.

Ad rationes autem adductas in confirmationem erroris Paganorum & hæreticorum reſpondeo.

1. *Verbum diuinũ ex non homine potuit fieri homo ſine aliqua mutatione ſibi intrinſeca. Ex eo quod Verbum diuinũ verè & realiter factum ſit homo, non ſequitur inde fuiſſe mutatum.*

Ad primam. Diuinum Verbum ex non homine potuiſſe fieri hominem, ſine aliqua mutatione ſibi intrinſeca, per mutationem extrinſecam receptam intrinſecè in humana Chriſti natura, illo eodẽ modo, cæteris tamen paribus, quo fatẽtur cõmuniter philoſophi Deum in tẽpore ex non creatore factũ eſſe creatorem, non per mutationem receptam in Deo, ſed in creaturis; ità vt Deus dicatur creator, propter mutationem factã in creatura : ità diuinũ Verbum cẽſetur eſſe incarnatum, ſine vlla mutatione ſibi intrinſeca, per mutationẽ receptã in humana natura. Ad id verò, quod ſubiũgitur, eodem modo diuinũ Verbum eſſe mutatũ, quo factum eſt homo; Reſpondeo ex iſtis non poſſe colligi mutatum eſſe diuinũ Verbũ intrinſecè; nam propterea dicitur de diuino Verbo, quòd verè & realiter ſit homo; quia verè, realiter, & proprijſſimè terminet dependentiam humanę naturæ, & cõpleat eandem in ratione ſubſtãtię indiuiduę & ſingularis vltimò: hoc autẽ fieri poteſt per ſolã mutationem receptã in humana natura, illo eodem modo, quo fatentur aliqui, animam rationalem vniri corpori per vnionem receptam in corpore, non autem in anima.

2. *Inter Verbũ infinitũ & humanam Chriſti naturã datur proportio ordinis, non autẽ arithmetica.*

Ad 2. Reſpondeo diuinũ Verbo, eſto infinitum ſimpliciter, & humanã Chriſti naturã, eſto finitam & ordinis naturalis, potuiſſe vniri inter ſe : ſatis quippe eſt ad vnionem iſtã perficiendã proportio ordinis, quæ verè datur inter Verbũ & humanam naturam, poſita potentia obedientiali eiuſdem, ac proinde non deſideratur ad vnionem iſtam perficiendam proportio arithmetica.

Ad 3. Reſpõdent aliqui ex diuino Verbo & humana natura aſſumpta, non conſurgere cõpoſitum proprie dictum. Cæterùm reſpõſio iſta nullo modo defendi poteſt; Cõcilia enim & Patres docẽt de Chriſto quòd ſit vere cõpoſitus, quod probabitur etiam à nobis art. 4. q. proxime ſequentis D. Th.

Dico ergo. Chriſtum eſſe vere compoſitũ, non poſſe tamen ex eo colligi Verbũ diuinum habere rationẽ partis, in iſta compoſitione: totũ ſiquidem proprie dictũ conſurgit nedum ex partibus ſimul ſumptis, ſed etiã ex cõponibilibus aut partibus, vt probabitur loco proxime citato : diuinum autem Verbũ in hac cõpoſitione cẽſetur eſſe cõponibile, non autẽ pars: idque quod de ratione partis, vt ſic, ſit imperfectio, componibile verò nõ dicit imperfectionẽ, vnde de diuino Verbo enunciari poteſt.

Ad 4. Non propterea Verbum ſupplere cauſam formalem reſpectu ſui effectus, etiam ſi terminet hoc vltimò humanã Chriſti naturã, ſupplendo defectum propriæ ſubſiſtentiæ; nam ſubſiſtentia non cenſetur eſſe cauſa formalis cõplendo & terminãdo naturam ſubſtantialem, ſed tãtùm habet rationem cauſæ terminantis: quod enim habet rationẽ cauſæ formalis, debet eſſe idem realiter cũ eo cuius eſt cauſa formalis, vel certe debet in eo recipi ad modum formæ inhærentis : vt communiter fatentur omnes. Verbum autem diuinum neque eſt idem realiter cum humana natura, nec itẽ recipitur in ea tanquam in ſubjecto, ſed ſolùm terminat dependentiam ipſius & complet eandem in ratione ſubſtantiæ ſingularis.

Quid ad cauſam formalem requiratur.

Ad vltimam reſpondeo. Ex Verbo & humana natura non fieri ens per accidens: nã Verbum non aduenit naturæ humanæ perfectę & completę: diximus enim in reſponſione proxime antecedente, Verbum complere naturam humanam Chriſti, in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ & ſingularis per ſe ſubſiſtentis, adeò vt D. Athanaſius in ſuo ſymbolo dixerit: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ità Deus & homo vnus eſt Chriſtus* : ac proinde facit vnum per ſe, non autem per accidens.

Ex Verbo & humana natura non fit vnũ per accidens, & quare.

Rogabis an D. Th. de hac poſſibilitate aliquid tradiderit in hac 3. parte. Reſpondeo nihil expreſſe habere de hac re, cuius rei non vna & eadem conſignatur ratio ab interpretibus.

D. Th. nihil hoc loco, de poſſibilitate huius myſterij expreſſe habet.

Gabriel Vazquez ideò putat prætermiſſam fuiſſe difficultatem iſtam à D. Th. quòd poſſibilitas incarnationis computanda ſit inter articulos fidei: articuli autem fidei non probantur, ſed creduntur. Verum ratio iſta non ſatis rem declarat quam diſputamus: probat enim Paulus articulum reſurrectionis varijs argumentis ; & tamen certum eſt reſurrectionem quorumcumque mortaliũ, & item Chriſti numerari inter articulos fidei noſtræ.

Aſſignat rationem G. Vazquez, ſed non ſatis rem declarantem.

Impugnatur.

Deinde Chriſtus ſuam reſurrectionem Luc. 24. oſtendit multis argumentis: comeſtione ſiquidem & tactu proprij corporis, nititur oſtendere ſe vere ſurrexiſſe à mortuis : *Nunquid*, inquit, *habetis aliquid ad manducandum*, & ſubjungitur ibidem. *Et attulerunt ei partem piſcis, & fauum mellis:* & rurſus. *Palpate & videte quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Denique, licet articuli fidei noſtræ non demonſtrentur euidenter ſub ea ratione, qua ſunt veri; demonſtrantur tamen ſub ea ratione, qua ſunt credibiles: ac proinde potuit D. Thom. demonſtrare poſſibilitatis incarnationis credibilitatem.

Chriſtus ſuã, & Paulus communem omniũ, probarunt reſurrectionem.

Articuli fidei noſtræ non demonſtrãtur euidenter quatenus veri, bene tamen ſub ea ratione qua ſunt credibiles.

Cajetanus vero, Bartholomæus Medina & alij plerique Thomiſtæ, propterea volunt prætermiſſam fuiſſe difficultatem iſtam, quod nulla ſit ſcientia quæ demonſtret de ſuo ſubjecto quod ſit, & quod alibi in 3. ſentent. rem iſtam accuratiſſime pertractauerit.

3. *Ex Verbo & humana natura reſultat cõpoſitũ. Chriſtus eſt vere compoſitus; in qua cõpoſitione Verbum nõ habet rationem partis, ſed componibilis.*

Pars quæ talis dicit imperfectionem, ſecùs cõponibile.

4. *Subſiſtentia naturã cõplens nõ cẽſetur cauſa formalis, ſed terminans.*

Digitized by Google

Refutatur Medina & Caietani rationes.

Ceterum neque rationes iſtę dicunt aliquid: non quidem poſterior, quia debuiſſet quoque D. Th. abſtinere à multis alijs quæſtionibus, de quibus egit in 3. ſentent. neque ité prior: nam 1. p. q. 2. verbis expreſſis probat Deum eſſe: & tamen q. 1. docuerat ſubiectum Theologiæ eſſe Deum.

Deinde, licet non detur aliqua ſcientia, quæ de ſuo totali obiecto doceat communiter quod ſit, certum tamen eſt, de ſubiecto partiali demonſtrare pleraſque eius exiſtentiam, præſertim quando occurrunt graues de hac re difficultates.

Cur hæc difficultas fuerit à D. Th. neglecta, tres aſſignantur rationes.

Dico ego difficultatem iſtam ideò fuiſſe neglectã à D. Th. quod non fuerit ſimpliciter neceſſarij eam examinare: difficultates namque omnes quæ eam conſequuntur, explicantur ab eo in quæſtionibus proxime ſubſequentibus.

1. Deinde, qui differit de cõueniẽtia incarnationis, diſputat etiã conſequenter de cõuenientia eiuſdẽ.

2. Non deſunt qui putent Theologiã noſtram ſubalternari Theologiæ Dei & Beatorum; ac proinde cùm principia ſcientiæ ſubalternæ ſint concluſiones in ſcientia ſubalternante, non debuit D. Th. principia Theologiæ noſtræ confirmare, ſaltem neceſſario & expreſſe: ità plerique recentiores, interpretes D. Thomæ.

3.

DVBITATIO TERTIA.

An incarnatio fuerit conueniens, ſeu, quod idem eſt, an fuerit conueniens Verbum diuinum incarnari.

Incarnatio dupliciter conſideratur.

ADVERTE incarnationem ſpectari duobus modis: interdum ſignificat opus libere à Deo extra ſe productũ abſolute & ſimpliciter; interdũ vero ſignificat vnionẽ diuinæ naturæ cũ humana ſecũdũ ſubſiſtentiã Verbi. Priori modo cõuenientia incarnationis petitur à fine in quẽ ordinata eſt iſta incarnatio: poſteriori verò modo cõuenientia incarnationis petitur à terminis, qui connectũtur per vnionem iſtã, & præterea à fine in quem ordinata eſt iſta coniunctio Verbi cũ humana natura. Vnde quærit D. Th. in hoc articulo: an cõueniens fuerit Deum, ſeu Verbum diuinũ incarnari: item, an finis qui mouit Deum ad iſtam incarnationem ſciendam reddat incarnationem conuenientem.

Incarnationis cõueniẽtia duplex, intrinſeca vna, extrinſeca altera, vnde vtraq; petatur.

Aduerte 2. conuenientiã incarnationis aliã eſſe intrinſecam; aliam verò extrinſecam: hæc petitur à fine eiuſdem; illa verò nihil aliud eſt quam bonũ quod competit ei cui dicitur eſſe conueniens per ſe, & ſua natura, hac ratione dicimus conueniens eſſe homini poſſe diſcurrere.

1. *Conueniens intrinſecè fuit diuino Verbo, humanam naturam aſſumere.*

CONCLVSIO 1. *Conuenit diuino Verbo aſſumere naturam humanam conuenientia intrinſeca, ac proinde incarnatio conuenit Verbo intrinſecè:* primùm quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. in hoc articulo, & interpretum eiuſdem fere omnium.

2. *Probatur ſequentibus rationibus. Per incarnationem Verbi hæc inter cætera dignoſcũtur*

Deinde cõueniẽtiſſimũ eſt vt ſpiritualia cognoſcantur per ſenſibilia, ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta cõſpiciũtur, ſempiterna quoque eius virtus & item diuinitas.* Atqui per incarnationẽ Verbi cognoſcimus attributa diuina, maxime verò ſapientiã, omnipotẽtiã, iuſtitiã & denique infinitã bonitatem. Sapientia & omnipotentia ex eo cognoſcuntur, quod Deus elegerit lignum; quódque illi tantã cõtulerit vim, vt ſatis fuerit ad generis humani redemptionem: quemadmodũ & dæmõ ſelegerat fructũ arboris, vt mortales omnes perderet: Iuſtitia verò ideo dignoſcitur, quod quẽadmodũ culpa primi parentis fuit infinita, ità ſatisfactio Chriſti perfectiſſime reſpõdet demerito primi parẽtis: imo longè nobilior eſt quã fuerit ignobilis culpa cõmiſſa, vt probabitur art. 2. huius quæſt.

attributa diuinæ, ſapientia, omnipotentia, iuſtitia, & bonitas.

Denique in eo apparet, quod cum nulla daretur creatura, quæ poſſet culpã à primis parentibus cõmiſſam expiare, vel ex condignitate operis, vel ex æquitate iuſtitiæ, miſit Deus filiũ ſuum in mundũ, vt morte ſua culpã iſtã & ceteras omnes alias deleret: hac ratione vtitur D. Th. in argumento, ſed contra, huius art. 3. Conuenit bono vt ſic, ac proinde intrinſece cõmunicare ſeipſum; atqui Verbũ diuinũ eſt in ſe quã maxime bonũ cũ identificetur perfectiſſime cum eſſentia diuina quæ ex ſe, & ſua natura ſumme bona eſt. Confirmatur ſicut conuenit bono ſe communicare intrinſece; ita competit ſummo bono ſe ſumme communicare atqui diuinum Verbum per incarnationem ſummo modo ſe communicauit naturæ humanæ: fecit quippe hoc, vt natura humana eleuata fuerit ad ſubſiſtere diuinum ita vt hæc ſit verus Deus, & verus homo.

Cur filium ſuũ miſerit Deus in mundum.

Diuinum Verbũ per incarnationem ſummo modo ſeſe naturæ cõmunicauit humanæ.

Denique, cõuenientia intrinſeca cenſetur eſſe ea quę vẽdicat ſibi bonũ aliquod, & quidem ex ſe & ſua natura; atqui Verbũ vt identificatũ cum bonitate diuina, hoc ſibi arrogat, vt ſit ſummo modo communicatiuum, ergo.

Obiectio.

Obijcies, ſi ita res haberet ſequeretur vel diuino Verbo defuiſſe perfectionem aliquã ab ęterno, vel certe in tempore perfectionem aliquã fuiſſe ei additã; in tempore enim factum eſt Verbum homo.

Reſponſio.

Reſpõdeo, negando illationẽ propoſitionis maioris. Ad probationem autem, aſſumere de facto naturam humanam, vel non eſſe perfectionem, vel ſi perfectio ſit, non diſtingui ab ea qua potuit Verbũ diuinum ſe cõmunicare ab æterno: idem namque dicendum eſt de hac communicatione, cæteris tamen paribus, quod dicimus de creatione, reſpectu potentiæ creandi. Certũ eſt autem actualem creationem non tribuiſſe aliquam perfectionem Deo, ſed fuiſſe eandem cum potentia creandi, quæ datur in Deo.

Inſtantiæ.

Inſtabis, ſaltem colligi ex iſtis diuinum Verbum vileſcere ex aſſumptione humanæ naturæ, propter vilitatẽ eiuſdem. Reſpondeo, negando illationem:

Satisfit.

quemadmodum enim etſi Deus ſit in omnibus per eſſentiam, præſentiam & potentiã, non tamen propterea dicimus diuinã eſſentiam vileſcere aut inquinari à rebus iſtis ſenſibilibus, ita neque concedendum eſt de Verbo quod abiectum aut vile fiat ex coniunctione cum natura humana, etiamſi ſit hæc viliſſima.

Incarnationis cõuenientia intrinſeca paulò alter à quibuſdam explicatur.

Sunt qui paulo aliter conuenientiam incarnationis intrinſecam reſpectu diuini Verbi explicẽt: aiunt enim propterea incarnationem conuenientẽ eſſe Verbo, quod Verbũ ex ſe, & ſua natura poſſit illud idem præſtare quod faceret ſubſiſtentia creata ſi adeſſet. Probant. Conueniens, inquiunt, cenſetur eſſe illud quod poteſt ex ſe & ſua natura præſtare illud idem quod faceret aliud ſi adeſſet: propter hanc cauſam lumen ſolis dicitur eſſe conueniens rebus quibuſuis calidis, quia lumen ſolis poteſt præſtare illud idem, quod faceret calor cuiuſlibet rei calidæ; ſubſiſtentia autem diuini Verbi cum ſit ſimpliciter infinita, & contineat omnem omnino perfectionem, quæ datur in ſubſiſtentia creata, recte dicetur conueniens conuenientia intrinſeca reſpectu aſſumptionis humanæ naturæ. Addunt conuenientiã extrinſecã diuini Verbi reſpectu incarnationis eſſe poſitã in eo quod ſuppoſita ordinatione diuina de redimendis hominibus media incarnatione, non potuit alius modus magis accõmodatus ad finẽ iſtũ cõſequendũ excogitari.

Digitized by Google

Conueniens fuit naturæ naturæ aſſumi à Verbo diuino, conuenientiâ tamen humanæ aſſumi a Verbo.

CONCLVSIO 2. *Conueniens fuit humanæ naturæ aſſumi à Verbo diuino, conuenientiâ tamen entrinſeca*: primum quia hæc videtur eſſe mens D. Thomæ articulo proxime ſequenti, & interpretum eiuſdem.

Deinde, quia per incarnationem Verbi natura humana eſt ad tantam dignitatem eleuata, vt ad altiorem euehi nulla ratione poſſit: cenſetur enim eſſe vere Deus; idque quod ſubſiſtat ſubſiſtentia Verbi. Moneo tamen hæc intelligenda eſſe intenſiue, non autem extenſiue: cum enim hæc humanitas eadem Chriſti poſſit coniungi perſonæ Patris & Spiritus ſancti, non minus quàm de facto coniungatur Filio, ſi res iſta accideret, incarnatio humanæ naturæ Chriſti eſſet nobilior, non intenſiue, ſed tantum extenſiue: idem quippe terminus ſemper produceretur.

DVBITATIO QVARTA.

An Verbum de facto fuerit incarnatum, ſeu, quod idem eſt, an Meſſias de facto venerit.

Quid nomine Meſſiæ hoc loco intelligatur.

ADVERTE, nomine Meſſiæ ſignificari hoc loco hominem natione & origine Iudæum, à Prophetis prædictum, & à Deo mortalibus promiſſum, veluti Redemptorem & mediatorem eorumdem. Significat autem nomen, *Meſſias*, apud Hebræos, illud idem quod apud Græcos, ΧΡΙΣΤΟΣ, & apud Latinos, *Vnctus*: ac proinde fatentur omnes de Meſſia quòd Rex, & ſacerdos eſſe debuerit.

Meſſias, rex, ſacerdos, legiſlator, verus Deus & verus homo debuit. Ioan. Philip.

Aduerte 2. de Meſſia nedum credendum eſſe quòd fuerit rex & ſacerdos, itémque legiſlator: ſed etiam verus Deus, & verus homo. Humanitas eiuſdem comprobatur ex cap. 1. Ioan. *Et Verbum caro factum eſt.* Et ex cap. 8. eiuſdem. *Quæritis me interficere hominem; veram vobis loquutus ſum.* Et Ioan. 9. *Qui dicitur Ieſus, lutum fecit ex ſputo, & liniuit oculos meos, & vide.* Et Ioan. 11. *Expedit vt vnus homo moriatur pro hominibus:* & cap. 10. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: cùm enim ſis homo te Deum facis.* Et ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus, &c.* Non potuit autem mori, niſi in carne humana. Diuinitas verò eiuſdem oſtenditur ex cap. 1. Ioan. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Et Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vide de hac re innumera teſtimonia apud Suarem q. 3. prologi, & apud Medinam q. 3. ſub finem.

CONCLVSIO. *Verbum diuinum verè eſt incarnatum, ac proinde ſinè errore & ſinè manifeſta temeritate, ac denique ſine hæreſi negari nequit Meſſiam non aduentaſſe*: hæc Concluſio negatur à Iudæis, à paganis omnibus, & denique ab hæreticis nonnullis; non quidem eodem modo, quo ab Ethnicis & Iudæis: nam Iudei negant quidé Chriſtum veniſſe, cõcedunt tamen eum venturum; pagani verò negant Chriſtũ veniſſe, & prætereà minimè venturum eſſe, ſaltem cum illis conditionibus quibus dicitur veniſſe à Chriſtianis, & à Catholicis: hæretici verò aliqui licet cõcedant Chriſtum veniſſe, negant tamen eum extitiſſe verum Deum: ità Ebion, Cherintus, Sabellius, Paulus Samoſatenus, & alij plerique: maximè verò Alauſiani qui propterea docuerunt Euangelium Ioannis expungendum eſſe à numero librorum canonicorum ſacræ ſcripturæ, quòd ſub initium eiuſdem aſtruat Verbi diuini incarnationem, & conſequenter deitatem. Verùm ante iſtos omnes Simon Magus tradiderat diuinitatem Verbi in natiuitate Chriſti apparuiſſe, cæterùm non verè & realiter, ſed apparenter tãtùm: idem voluit de perſona Patris eſſe dicendum, quando dicitur hæc apparuiſſe in baptiſmate Chriſti: idem item de perſona Spiritus ſancti, quando dicitur deſcendiſſe ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes. Neſtorius vero licèt admittat diuinam & humanam naturam in Chriſto, non tamen concedit vnicam ſubſiſtentiam increatam in eo, cum Catholicis; ſed duas nẽpe, creatam cum increata. Valentinus admittit carnem Chriſti non de Virgine eſſe ſumptam, ſed de cœlo deſcendiſſe, & pertranſiſſe tantùm per vterum B. Virginis Mariæ, veluti per canalem quendam. Apollinaris denique affirmauit partem diuinitatis in partem humanitatis eſſe conuerſam, vt videre eſt apud Prateolum in libris de vitis, & ſectis hæreticorũ. Contra ergo iſtos omnes, ac primùm contra hæreticos, cõcluſio iſta roboratur. Primo ex cap. 1. Ioan. *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* & ibid. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrabit nobis.* & Luc 2. *Annũcio vobis gaudiũ magnũ, quia natus eſt hodie ſaluator mundi.* & Matth. 1. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*, ex cap. 3. Ioannis. Matth. item 3. & cap. 13. dicitur de Chriſto. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Hebr. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis nouiſſimè loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Et Ioan. 4. aſſerente Samaritana quòd Meſſias aduentaſſet, reſpondet Chriſtus; *Ego ſum qui loquor tecum*, & alibi ſæpe. Ex iſtis autem locis colligitur euidenter & natiuitas Chriſti, & deitas, & denique humanitas eiuſdem. Deinde, hæc eadem veritas comprobatur ex ſymbolis Apoſtolorum, Cõcilij Nicæni, & Conſtantinopolitani, & D. Athanaſij, & prætereà teſtimonio omnium plane Catholicorum qui hactenus fuerunt.

Simon Magus. *Neſtorius.* *Valentinus.* *Apollinaris.* *Peralias eſſe incarnationẽ docent Scripturæ, Cõciliæ & Patres.*

Probatur ſecundo loco Concluſio contra Iudæos, ex cap. 49. Geneſ. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Certum quippe eſt neminem extitiſſe ex Iudæis ante annos mille ſexcentos, qui Rempublicam Iudaïcam adminiſtrauerit vel tanquam rex, vel tanquam dux, vel tanquam gubernator legitimus: poteſtas namque iſta tranſijt ante tot annos ad exteros, nullâque ratione permanſit apud aliquem ex ſtirpe Iudæorum natum. Hoc argumento vſi ſunt ſancti Patres contra Iudæos; Iuſtinus Apologia 2. pro Chriſtianis, Irenæus lib. 4. contra hæreſes, cap. 23. Origenes Homil. 17. in Geneſin. Euſebius lib. de demonſtratione, Athanaſius de incarnatione Verbi, Theodoretus in quæſt. ſuper Geneſim, & Auguſt. lib. 22. contra Fauſtũ, & alij plerique recentiores. A ſcholaſticis autem Catholicis ità proponitur ratio iſta deſumpta ex loco proxime citato. Meſſias tunc tẽporis debuit venire quando nullus eſſet ex ſtirpe Iudæorum, qui præeſſet reipublicæ eorundem: atqui annis circiter 30. ante Chriſtum natũ Herodes conſtitutus fuit Rex Iudæorum authoritate Senatus Romani, vt author eſt Ioſephus lib. 14. ſuarum antiquitatum, Olympiade 114. ergo cùm hæc facta fuerint circa annum trigeſimũ ante Chriſti natiuitatẽ debuit Meſſias venille; vel certe falſa eſt prophetia Iacob. Iudæi autem nuſquam fatebuntur, neque faſſi ſunt vſpiam prophetiam prædictam eſſe falſam: ergo debuit Meſſias venille.

Elucidatur locus Geneſeos cap. 49.

Negari nequit Meſſiã aduentaſſe. *Paganorũ hæreticorũ & Iudæorũ ſomnia.*

Reſpondent aliqui recentiores Rabini, ex eo lo- *Ex loco Geneſeos cicato*

Digitized by Google

rrò & inhabitantes tantare: nam tempore captiuitatis Babyloniæ nul-
tantare Messiæ ad- lus extitit ex ibique Iudæorum qui quemadmodum tu-
uentus, ejú contra- dicunt populi; paruerunt quippe omnes omnino
rium fentiunt Rabini quã- Iudæi toto illo tempore regibus Assyriorú, & tamen
dam. certum est eo tépore non venisse Messiam. Respõ-
deo Iudæos ita paruisse regibus Assyriorum tem-
pore toto captiuitatis Babylonicæ, vt tamẽ semper
habuerint aliquos ex proprijs nationę, qui & in ne-
gotijs ciuilibus, & in reb' religionis eiídẽ imperas-
uerint, vt manifeste colligitur ex Esdra & ex Sigo-
nio in opere de Rep. Iudæorum cap. 1. quippe illę
omnes omnino reges, duces, gubernatores, iudi-
ces, & denique facerdotes qui fuerunt in Iudæa, à
Moyse ad Christum vsque.

Obiectus. Obiectum 1. Inhabuerit imperasse Iudæis per
multos annos, & tamen non fuerunt illi ex tribu
Iuda, led ex tribu Leui, aliter non fuiísent legitimi
facerdotes inter Iudæos; cùm ordinatione diuina
facerdotiú fit tantum dcfi tribu Leui. Respondeo
nomine Iudæ in propheticaloco nõ fignificari spe-
ciale tribú populi Iudaici, led tota cognatione po-
puli, ita vt voluerit Iacob, Messiam venturũ ante-
quam defecisset aliquis ex Iudæis præsẽte populo
Iudaico, vel tanquam rex, vel tanquam dux, vel
denique tanquam gubernator legitimus.

Obiectus. Obiectum 2. Cõclusio cõtra cofdẽ Iudæos: Messias
Messiam venisse *venit* tempore anni septuagesimi hebdomadis septua-
venisse pro- ginta, prædixit à Daniele propheta: atqui hebdo-
batur ex Daniele ex- mada illa non fuerunt cõsummatæ ante aduentũ
plicatus. Christi, ieo Messias Christus quippe natus est anno ab vrbe condita quatuor minus duodecim centenos nouagesimo nono: ab Vrbe condita anno 741. Olympiadæ 194. hebdomada sexagesima quinta Danielis, & imperij Octauiani Augusti anno 42. die 25. Decembris, circa punctum medię nocłis, vt tradit Chronologia ęquam communiter fequi-tur Ecclesia Catholica, & obseruat Baronius in suis notis ad martyrologium Romanum. Maior huius argumenti probatur ex cap. 9. Danielis: *Septuaginta hebdomadas abbreuiata sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum: scias ergo, & animaduertas ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septuaginta duæ erunt: & rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporum: & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est: & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.*

Per annum Vt autem ibi hæc Iudæis intelligatur obiec-
libet hebda- tandum est, quamlibet ex illis hebdomadis conti-
madis intel- nere numerum septem annorum, & annos ibi
ligitur nu- vel ellc solares, vel lunares: licet verior opinio
merus septem sit eos esse annos lunares, quia in eo distinguun-
annorũ, sine tur à solaribus, quòd constent illi trecentis quin-
tis sine fola- quaginta diebus; solares verò absolúantur trecen-
ribus, sed lu- tis sexaginta quinque diebus, cum quadrãte vnius
naribus. diei. Summitur autem hebdomadis illę ab anno vigesimo Regis Artaxerxis, & terminantur in baptismate Christi, ac proinde anno trigesimo ætatis Christi, ex verisq; Chronologi, qui tus est auté Domi-nũ anno vigesimo quinto Regis Iosiæ, circa Olympiadem vigesimam nonã, & cuius ab Vrbe cõdita nonagesimo quinto, ac proinde anno ante in 3. partem D. Th. A

A natiuitatem Christi ex eorum. de istis autem om-nibus confulẽdi sunt Interpretes capitis 9. Danielis.

Probatur vltimũ Conclúsio contra Iudæos ex cap. 3. Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem meam. & statim venies ad templum tuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis: qui venit dicit.* manifestè loquitur de aduentu Messiæ, nomine quippe Angeli fignificatur hoc loco D. Ioannes Baptista, quem constat fuisse angelum, seu præ-nuncium Christi, ex cap. 1. Ioannis. Messiam au-tem feu Christum venisse in templum Hierosoly-mitanum quadragesimo die post natiuitatem nostrũ fimum eſt ex cap. 2. Lucæ, quemadmo-dum & anno decimo octauo fuæ natiuitatis extitisse in medio Doctorum, & respondisse, interrogaſ-feque de documentis religionis Iudaicæ, explo-tatumque eſt etiam anno trigesimo fundi fuiſſe officio Doctoris & Legislatoris, & denique Re-demptoris; idque ex innumeris locis ſcripturæ facræ. Vide 22. rationes de hac eadem re contra Iudæos apud Medinam, & optimè tractati contra eoſdem apud noſtrum Iacobum de Valentia.

Contra Ethnicos verò; confirmatur hæc allertio rationibus. Prima. Experientia doces tantum aborsis, poſſe inſeri trunco alicuius arboris, & ex illis fieri tantæ vnam arboremmag-quid mirum ergo ſi fides Catholica docuit diu-tum Verbum luciſ increatum & infinitũ, vnitum eſſe humanæ naturæ Chriſti?

Secundo. Ratio ſumpta dictat ſubſtantiam creatam communicare ſuam ſubſiſtentiam acci-dentibus ſalteim aliquo rationis: nonnunt enim in-ter omnes accidẽtia non poſſe naturaliter exiſtere ſine ſubiecto, quod eſt de fundamento nullus ſalte-nus negauit, proximè ſalem, vel remotè: ergo non eſt incredibile humanam naturã Chriſti ſub-ſiſtere ſubſiſtentia filij minime propria.

Denique, ex ratione ſtatus Diuinæ poſſe plura, quàm mens humana expere poſſit, ergo licet alle-qui non poſſimus qua ratione myſterium incar-nationis fuerit celebratum, non tamen propterea hoc erit negandum.

Obiicunt Iudæi 1. Meſſiam in fuo aduentu de-bere donare libertatem Iudæis, & liberare eoſdem à iugo ſeruitutis, quod tamẽ hactenus non cõtigit.

Reſpondeo, aduentum Chriſti ſemino fit ob li-berationẽ ſeruitutis peccati, mortis, & æternæ damnationis: minime vero ſi loquamur de libe-ratione à ſeruitute principum: Chriſtum autem liberaſſe nedum Iudæos, ſed etiam quoſlibet ho-mines à iugo mortis æternæ, & peccati, conſtat euidenter ex Paulo ad Coloſſenſes cap. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ*, &c ex cap. 8. Ioann. *Vere liberi eritis, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Cæterùm à qua ſeruitute querit Chryſoſtomus, ad hunc locum: Reſpondet à ſeruitute peccatis manere tamen vnumquemque in poteſtate ſui ſu-periorũ ex præſcripto legis Euangelicæ docet Paulus cap. 13. Romanorum: *Omnis anima potestatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Primæ lu-dæorum obiectio ex Mala-chia.

Chriſtus om-nes liberauit ſilij mortis æternæ, & peccati, Coloſſen. cap. 1.

Obiicitur 2. Aduentum Meſſiæ futurum glo-riſum & magnificum, qualis tamen non fuit ad-nentus Chriſti: hic enim natus eſt in ſtabulo in medio duorum animalium. Baruch 3. *In medio duorum animalium cognoſceris.*

Reſpondeo aduentum Meſſiæ eſſe duplicem: primus ordinatus ad generis humani redemptio-nem; poſterior ad iudicandos quoſcunque mor-

Reſpondetur.

Digitized by Google

tales iuxta eorum bona, vel mala opera: primus aduentus fuit vere ſatis vilis & abiectus, idque quòd acceſſerit Chriſtus non iudicare, ſed iudicari: & quidem ita, vt voluerit mortem acerbiſſimam, & maxime ignominioſam, qualis eſt mors crucis, nomine quorumcunque mortalium ſuſtinere: poſterior tamen aduentus Chriſti futurus eſt quam maxime celebris, vt conſtat ex cap. 25. Matthæi, & ita explicanda eſt ſcriptura, quando loquitur de aduentu Chriſti.

Duplex eſt Meſſiæ aduentus: ad quid ex-que ordinati, quidue diſcriminis inter vtrũque.

3. Obijciunt Meſſiam futurum Moyſi ſimilem ex illo; *Prophetam de medio tui, ſimilem tibi ſuſcitabit Dominus.* Reſpondeo ſimilitudinem iſtam eſſe poſitam in eo, quod ſicut Moyſes fuit Legiſlator & ſaluator populi Iudaici, reſpectu captiuitatis Ægyptiacæ, & præterea rector ſeu gubernator Iudæorum; ita certiſſimum eſt Chriſtum fuiſſe legiſlatorem: dedit quippe hic legem gratiæ; mediatorem item ex cap. 2. 1. Timoth. *Vnus Deus & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Et denique rectorem cuiuſlibet hominis, ex illo. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Ex iſtis non licet colligere quòd nõ ſit Deus, quemadmodum id veriſſimum eſt de Moyſe: diximus enim in antecedentibus de fide eſſe Chriſtũ conſurgere ex natura diuina & humana ſimul.

3. obiectio.

Solutur.

Similitudo Meſſiæ & Moyſis in quo poſita.

Obijciunt extremo, Chriſtum nuncupari maledictum, ex illo 21. Deuteronomij. *Maledictus homo qui pendet in ligno.* Reſpondet Ambroſius, Chriſtum dici maledictum illa eadẽ ratione, qua dicitur peccatum: certum autem eſt vocari peccatum, vel quia obtulit ſacrificium pro peccato, vel quia pœnas peccatis debitas in proprio corpore ſuſtinuit, ita dicitur maledictus, quod maledicta noſtra fuerint ei imputata, ſuſtinendo ſcilicet pœnas maledictis noſtris debitas.

Vltima obiectio.

Soluitur.

Qua ratione Chriſtus, maledictus, & peccatum nuncupetur.

Obijciunt Hæretici, Chriſtum non fuiſſe natum 25. Decembris, ſed 25. Octobris, ac proinde minùs bene natale Chriſti celebrari ab Eccleſia Chriſtiana & Catholica: ita Scaliger & Cethus Caluiſius in ſua Chronologia. Reſp. temeritatem & inſolentiam iſtorum hominum ſatis improbari iudicio ſanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum: iſti enim omnes hactenus docuerunt Chriſtum fuiſſe incarnatum 25. Decembris: ita Clemens Romanus lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum, & D. P. Auguſtinus in Pſalmum 135. *Ioannes*, inquit, *natus eſt, ſicut tradit Eccleſia 8. calendas Iulij, quando incipiunt dies minui. Dominus autem 8. calendas Ianuarias, quando incipiunt iam dies creſcere*: & alibi. *Octauo*, inquit, *calendas Aprilis, conceptus creditur*, ſcilicet Chriſtus, *quo & paſſus: natus autem traditur 8. calendas Ianuarias.* Ex Græcis vero idem docet Anaſtaſius Niceenus Epiſcopus lib. 9. q. 99. & Chryſoſtomus Homilia de die natali Chriſti, Petro Pantino Preſbytero Teletano interprete, prope initium, inquit, *tres habeo ad probandum euidentes rationes, per quas omnino intelligemus hoc ipſum eſſe tempus quo Ieſus Chriſtus Dominus noſter, ac Dei Verbum in lucem eſt editus.* Loquitur autem de vtu celebrandi Natiuitatẽ Chriſti iuxta præſcriptum Eccleſiæ Græcæ, quæ feſtum hoc ſemper coluit die 25. Decembris, vt conſtat ex Menologio Græcorum.

Circa natalem Chriſti diem, hæreticorum obiectio. Patrũ tam Græcorum quàm Latinorum iudicio improbatur.

Deinde Martyrologium Roman. itemque Græcorum præſcripſit natiuitatem Chriſti celebrandam eſſe menſe Decembri, & quidem die 25. traditio autem hæc Eccleſiaſtica eſt infinitis partibus, maioris authoritatis, quam ſit vllius auctoris quiſquis ille ſit. De traditionibus autem Eccleſiaſticis, ita loquitur D.P. Auguſt. ad Ianuarium; *Quæ vniuerſalis* (inquit) *obſeruat Eccleſia, hæc vel ab Apoſtolis ipſis, vel a plenariis Conciliis conſtat eſſe inſtituta: hæc autem in dubium reuocare apertiſſime inſanire eſt*: inſaniunt ergo Hæretici iſti iudicio D. Auguſt. cum Eccleſia & Græca, & Latina natiuitatẽ Chriſti celebrauerit die prædicta Decembris, non autem Octobris vt illi volunt.

Quo menſe, & die Eccleſia Græca & Latina natiuitatem Chriſti celebrauerit.

DVBITATIO VLTIMA.

An myſterium Incarnationis fuerit notum Angelis, Dæmonibus, vel hominibus, poſtquam fuit conſummatum naturaliter.

Proponũtur rationes quibus probari videtur myſteriũ incarnationis naturaliter ab intellectu creato poſſe dignoſci.

RATIO dubitandi eſt, quia quilibet angelus poteſt naturaliter inueſtigare ea omnia, quæ continentur intra latitudinem obiecti adæquati intellectus angelici; atqui natura humana, & natura diuina, ex quibus conſurgit myſteriũ, continentur intra latitudinem obiecti adæquati intellectus angelici: de humana natura nullus eſt dubitandi locus, cum ſit eiuſdem plane rationis cum noſtra: de Diuina vero negari nequit, quin ſaltem reſpectu cognitionis abſtractiuæ contineatur intra latitudinem obiecti adæquati intellectus angelici: nam Thomiſtæ omnes fatẽtur communiter Deum intelligi ab angelis, & quidem naturaliter per cognitionem quam habent de propria natura & eſſentia: & Paulus cap. 1. Roman. ait. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* &c. ergo.

1.

Deinde, ſi ſubſiſtentia creata coniungeretur humanitati Chriſti, agnoſceretur hæc ab angelo naturaliter propter cauſam in ratione dubitandi proxime antecedenti explicatam: ergo cognoſcit quoque angelus naturaliter huius abſentiam.

2.

Tertia ratio dubitãdi, Lucæ cap. 4. & Marci 1. legitur dæmones expulſos à corporibus obſeſſorum excitaſſe querelas contra Chriſtum de hac re; quibus reſpondet Chriſtus non probare ſe eorum commendationem de ſeipſo; & paucis interiectis additur, *Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.*

3.

Quarta. Miracula non fuerunt à Chriſto ordinata in alium finem, niſi vt eius deitas, & humanitas agnoſcerentur, ex illo Ioannis 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et cap. 15. *Si non veniſſem, & eis loquutus non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*: atqui dæmones & angeli certiſſime cognouerunt miracula Chriſti fuiſſe in hunc finem tantùm celebrata per omnipotentiam Dei, vt cognoſcerentur deitas & humanitas Chriſti. Ergo.

4.

Ioann.

Vltima.

Denique non defuerunt ex Ethnicis, qui myſterium Incarnationis agnouerint, antequã fuerit opere conſummatum. D. enim Auguſt. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 23. ſcribit Sibyllam Erythræam compoſuiſſe certos verſus, quorum primæ litteræ, ſi fuerint inter ſe connexæ, abſoluunt voces iſtas IESVS. CHRISTVS. FILIVS DEI. SALVATOR. Addit miracula quæ referuntur ab Iſaia cap. 35. & à Matthæo cap. 11. *Ite, renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, ſurdi audiunt, muti loquuntur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*, fuiſſe cognita eidem Sibyllæ. Idem affirmat de miraculo multiplicationis panis, cuius meminit Ioann. cap. 5. ſui Euangelij. Si-

Digitized by Google

bylla item Cumæa peruenit ad cognitionem myſterij, eodem D. Auguſt. auctore epiſt. 155. Aiſ enim verſus iſtos Virgilianos deſumptos eſſe ex prædictionibus dictæ Sibyllæ.

Te duce ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolues formidine terras

Non deſunt etiam, qui affirment Auguſtum Imperatorem fuiſſe aſſequutum hoc myſterium; idque propter ea quę referuntur à Nicephoro lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 17. dicitur enim illic Octauium Auguſtum conſuluiſſe oraculum Delphicum, & quidem eo conſilio, vt ab eo ſciret quis futurus eſſet eius in imperio ſucceſſor, à quo tandem reſponſum hoc accepit,

Me puer Hebræus Diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, tristemque redire ſub Orcum.

Propoſita difficultas intelligitur de cognitione tam intuitiua, quàm abſtractiua, quid vtraque.

Aduerte, difficultatem iſtam intelligendam eſſe de cognitione tam intuitiua, quàm abſtractiua myſterij incarnationis, illa fit per propriam ſpeciem, vel certe per coniunctionem ipſius obiecti cum potentia intellectiua, ac proinde definitur cognitio rei præſentis, vt præſens eſt; hæc vero fit per ſpecies alienas: hac ratione cognoſcitur à nobis communiter Deus per res iſtas creatas ex doctrina Pauli cap. 1. *Inuiſibilia Dei*, &c. Quærimus igitur hoc loco an myſterium incarnationis potuerit eſſe notum angelis bonis, vel malis cognitione intuitiua, vel abſtractiua, nedum antequàm fieret, ſed etiam poſtquàm conſummatum eſt, de qua re ſit

Incarnationis myſterium nec vbi factum eſt, ac proinde neque antequàm extra vel vt poſſibile, vel vt extra ſuas cauſas poſitum, nequit naturaliter ab Angelo bono vel malo cognoſci.

CONCLVSIO ISTA *Myſterium incarnationis nec vbi factum eſt, ac proinde neque antequàm extra ſuas cauſas eſſet poſitum, potuit eſſe notum angelis, bonis vel malis naturaliter.* Primùm, quia cap. 2. prioris ad Corinth. dicitur; *Prædicamus Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſeculi intellexit*, & Epheſ. 3. dicitur de hoc myſterio, *quod fuerit ideo prædicatum vt innoteſceret principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*: nomine autem *Principis* non ſignificatur Rex, aut Princeps aliquis inter homines, ſed dæmones, vt explicant communiter Patres. Fauet iſtis quod in ſacris litteris nomen hoc vt plurimũ tribuatur dæmonibus. Ioann. 12.

probatur 1. ex ſcriptura

Nomine principis in ſcriptura intelligitur communiter dæmon.

Venit Princeps huius mundi, id eſt Diabolus, *& in me non habet quicquam*: & ibidem. *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Et in Epiſt. ad Epheſ. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem ſed aduerſus rectores & principes mundi huius.* Et Pſal. 118. *Principes perſequuti ſunt me gratis*: licet enim aliqui per *Principes* intelligant Iudæos, Scribas, & Phariſæos, ſunt tamen aliqui Patres, qui volunt ſignificari dæmones ipſos: iſti quippe excitarunt Iudæos ad occidendum Chriſtum, vt tradit Paulus cap. 2. prioris ad Corinth.

Incarnatio Verbi teſtificatione vnigeniti filij Dei, & reuelatione mortalibus innotuit.

Deinde ex cap. 1. Ioann. vbi enim Euangeliſta dixit, *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, ſubiungit, *Vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrabit nobis*, quod idem eſt, ac ſi diceret: incarnationem Verbi nobis innotuiſſe teſtificatione vnigeniti filij Dei, conſequenter media reuelatione diuinitus facta.

Tertiò hoc idem colligitur ex cap. 15. Iſaiæ; *Generationem eius quis enarrabit*: etſi teſtimonium hoc explicetur à multis Patribus, de æterna Diuini Verbi generatione, intelligitur tamen à plerisque de generatione temporali eiuſdem; ità Irenæus libro 3. contra hæreſes cap. 21. Iuſtinus, Tertullianus, aduerſus Iudæos cap. 13. & cap. 14. & lib. 3. contra Marcionem cap. 7. & Athanaſius de incarnatione Verbi, Chryſoſtomus homilia de Ioanne Baptiſta, Iſidorus de natiuitate Chriſti cap. 11.

Probatur 2. rationibus.

1.

Accedunt rationes aliquæ. Prima eſt: Quæ pendent à ſolo Deo in fieri, eſſe, & conſeruari, ab eodem quoque ſolo naturaliter cognoſcuntur, præſertim ſi fuerint hæc ordinis ſupernaturalis, ex ſe, & ſua natura: atqui incarnatio pendet à ſolo Deo in eſſe, fieri, & conſeruari, & eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam ordinis ſupernaturalis; cùm natura incarnationis conſiſtat in vnione humanæ naturæ cum ſubſiſtentia Verbi, ergo: minor nititur hoc principio, quod res ſupernaturales non debeantur rebus naturalibus, cùm ſint altioris ordinis rebus quibuſuis naturalibus.

2.

Myſterium Trinitatis quare naturaliter ignotum.

Secunda, myſterium Trinitatis ideò cenſetur eſſe incognitum naturaliter & hominibus & angelis, omnium conſenſione, quod ſit hoc ex ſe, & ſua natura ſupernaturale, ergo, &c.

3.

Incarnatio quia ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis eſt; ideo ignota.

Tertia & vltima, modus exiſtendi corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, ideò fugit animam Chriſti, relictam intra terminos propriæ naturæ, atque item quoſlibet angelos bonos, vel malos, quòd modus hic ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis; atqui incarnatio Verbi cum humana natura eſt ſimiliter ſupernaturalis ſecundum ſuam ſubſtantiam: ergo non. Ita communiter omnes hoc loco.

Nemo ex hominibus vel angelis naturaliter cognouit myſterii incarnationis etiã poſtquã factum eſt, cognitione intuitiua vel abſtractiua. Ad hoc enim vt aliquid cognoſcatur intuitiuè naturaliter, requiritur, vt detur in nobis aliqua ſpecies concreata vel emendicata ab obiecto cognito, per quam repręſentetur obiectum quod cognoſci debet, & quidem naturaliter: at nulla datur ſpecies in nobis debita naturaliter per quam repræſentetur myſterium incarnationis, hoc enim eſt ordinis ſupernaturalis, vnde nulli debetur naturaliter ex rebus ſaltem creatis: ergo.

Conclusio hæc intelligenda eſt de cognitione intuitiua, & abſtractiua naturali; ità vt velimus neminẽ ex hominibus, vel angelis naturaliter cognouiſſe myſterium incarnationis, etiã poſtquam factum eſt, cognitione intuitiua vel abſtractiua. Ad hoc enim vt aliquid cognoſcatur intuitiuè naturaliter, requiritur, vt detur in nobis aliqua ſpecies concreata vel emendicata ab obiecto cognito, per quam repręſentetur obiectum quod cognoſci debet, & quidem naturaliter: at nulla datur ſpecies in nobis debita naturaliter per quam repræſentetur myſterium incarnationis, hoc enim eſt ordinis ſupernaturalis, vnde nulli debetur naturaliter ex rebus ſaltem creatis: ergo.

Quid ad cognitionem intuitiuã requiratur.

Quid ad abſtractiuam.

Deinde, ad hoc vt aliquid cognoſcatur abſtractiuè, naturaliter, requiritur vt ex ſpeciebus alienis, ordinis item naturalis deprehendatur à nobis, ſecundum attributa ſibi eſſentialia: atqui ex nullis planè ſpeciebus ordinis naturalis poteſt angelus, aut homo inueſtigare attributa eſſentialia incarnationis, vt ſunt attributa eſſentialia incarnationis; hæc enim reſpiciunt vnionem diuinæ & humanæ naturæ, cum ſubſiſtentia diuini Verbi, ità vt ex iſta vnione conſurgat vnum per ſe, non autem per accidens: ergo non potuit naturaliter angelis innoteſcere hoc myſterium, etiam dum eſt exequutioni demandatum.

Quotquot incarnationis myſterium cognouerunt ad eam cognitionem ſpeciali Dei reuelatione ſibi vel alteri facta perueniſſe.

Ex hac concluſione colliges, eos omnes qui hactenus myſterium incarnationis ſunt aſſequuti, peruenisse ad iſtam cognitionem per ſpecialem Dei reuelationem ſibi, vel alicui alteri factam. Confirmatur res iſta ex cap. 3. prioris ad Timotheum, & manifeſtè inquit: *Magnum eſt pietatis ſacramentũ quod manifeſtatum eſt in carne iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, & aſſumptum eſt in gloria.*

Deinde ità docent verbis expreſſis ſancti Patres de dæmonibus; maximè vero Leo ſermone 9. de Paſſione Chriſti, capite 3. *Neque*, inquit, *ipſe Diabolus intellexit quòd ſeuiendo in Chriſtum, ſuum principatum deſtrueret, qui antiqua fraudis iura non perderet, ſi ſe à Domini Ieſu ſanguine contineret; ſed malitiæ nocendi auidus, dum irruit, ruit; dum capit, perit.*

Probatur ex ſcriptura & Patribus. Leo.

Digitized by Google

captus est; dum persequitur mortalem incidit in salvatorem: & de bonis Angelis idem affirmat. D. P. Augustin. lib. 5. contra Faustum cap. 19. Imo non desunt qui putent peccatum primum angelorum politum esse in appetentia vnionis hypostaticæ: Ita Ambrosius Catharinus, in opusculo de gloria bonorum angelorum. Iacobus de Valentia in Psalmum 82. Alensis 3. parte suæ summæ Theologiæ, & Gabriel Vazquez hanc eandem sententiam putat esse probabilem, disp. 233 cap. 2. ad tertiam partem D. Thomæ & ad q. 63. Credunt ergo isti auctores in primo instãti creationis angelorum, Deum reuelasse angelis incarnationem diuini Verbi cum humana natura, & istis proposuisse Verbum hoc incarnandum, adorandum, quod tamen præstare noluerunt mali, & quidem eo consilio ducti, quòd crediderint magis conuenire & decere dignitatem Verbi assumere naturam angelicam, quàm humanam.

Primum angelorum peccatii positum esse in appetentia vnionis hypostaticæ putant nonnulli.

De Mariæ virgine nullus est dubitandi locus; Lucæ quippe 1. dicitur ei ab angelo misso à Deo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur.* De Apostolis similiter est res indubitata. Ioann. enim 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrabit nobis.* & Matthæi 16. *Beatus es Simon Bariona, &c.* Loquitur autem de mysterio Incarnationis; Adamum verò cognouisse per reuelationem similiter mysterium hoc notissimum est ex cap. 3. Genesis, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, & rursus cap. 2. *hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea est*, verba enim ista indicant incarnationem diuini Verbi ex communi Patrum interpretatione, & subindicat Paulus cap. 5. ad Ephes. Idem certũ est de alijs innumeris, quos Scriptura docet mysterium incarnationis agnouisse.

Hoc mysterium Deiparæ Virgini nec non Apostolis fuit reuelatum.

Adam hoc cognouit mysterium & plerique alij per reuelationem. Paulus.

Rogabis, an data hac hypothesi, quòd proponeretur angelo, an mysterium incarnationis esset possibile; aut, quod assereretur factum, posset angelus naturaliter illud cognoscere? Resp. non posse certo & indubitanter mysterij huius cognitionem inuestigare; nam nec comprehendit angelus, nec comprehendere potest vim aut essentiam diuini Verbi; neque item capacitatem obedientialẽ humanæ naturæ; quæ tamen omnia suponit mysterij incarnationis certa & indubitata cognitio.

Quæritur.

Respõdetur.

Deinde incarnatio ità proposita angelo vere est ordinis supernaturalis, neque datur intra angelum vlla species concreata, per quã repræsentetur huiusmodi mysteriũ, saltem quæ debeatur angelo naturaliter; ergo cùm angelus cognoscat naturaliter illud omne quod intelligit per species cõcreatas, non assequeretur in data hypothesi mysterium incarnationis, certò; dixi certò, quia potuit probabiliter & dubiè de hoc mysterio opinari, videtur hoc comprobari ex cap. 4. Matthæi: ità enim illic alloquitur dæmon Christum; *Si Filius Dei es dic vt lapides isti panes fiant.* Ita docet Pesantius disp. 3. ad hunc articulum, & alij nonnulli recentiores.

Potuit angelus opinari de incarnatione faciendã.

Ad rationes vero dubitandi initio propositas respondeo, Ad primam, concessa maior, distinguendo minorem: humanitas, quippe Christi duobus modis spectatur. 1. secundum suam substantiam, & secundum omnem modum sibi debitum naturaliter; deinde secundum subsistentiam, quam de facto habet in Christo: priori modo indubitatum est naturam humanam Christi contineri intra latitudinem obiecti adequati intellectus

Dissoluuntur rationes in principio obiecta.

1. *Christi humanitas bifariam considerator.*

A angelici relicti intra terminos propriæ naturæ; ac proinde natura ista perfectissimè cognoscitur ab angelo naturaliter: posteriori vero modo nullus est qui asserere possit humanam Christi naturam contineri intra latitudinem obiecti naturalis intellectus angelici; subsistentia namque qua completur vltimo natura Christi humana, est simpliciter increata, cùm sit ea per quam constituitur diuinum Verbum, vt docet fides Catholica: vnde, vt sic, est ordinis supernaturalis; quæ autem sunt talia non continentur intra latitudinem obiecti naturalis.

Instabis, nedum angelum; sed etiam hominem B naturaliter inuestigare vnionem animæ rationalis cum corpore humano, ergo. Resp. ex istis nihil posse colligi; nam anima rationalis vnitur corpori humano tanquam forma perficiens, & constituens hominem intra certam aliquam speciem: subsistentia autem diuini Verbi non vnitur humanæ naturę per modum informationis, neque item constituit eandem intra propriã speciem; sed tantùm complet eam vltimo, in ratione substantiæ indiuiduæ & singularis, supplendo defectum subsistentiæ creatæ.

Instantia.

Satisfit.

Anima rationalis forma informans, non item diuinũ Verbum.

Ad secundam resp. Quidquid sit de antecedente, negando consequutionem, saltem si sermo sit de cognitione certa & indubitata absentię proprię subsistentiæ humanæ naturæ Christi; nam superest dubitãdum angelo in istis angustijs posito, an Deus conseruet humanam Christi naturã sine vlla plane subsistentia: quod posse præstare Deum notissimum est angelo: ex eo quod fides Catholica doceat accidentia sanctissimi Sacramẽti, conseruari sine vllo plane subiecto. C

Deinde, ratio naturalis dictat omne prius posse conseruari sine posteriori, quando prius hoc est absolutum quippiam, & non includit intrinsece & essentialiter posterius: atqui substantia quælibet creata est absoluta & non includit intrinsece & essentialiter suam subsistentiã, ergo cognoscet angelus, etiam naturaliter, vel saltem dependenter à fide, substantiam creatam posse separari à propria subsistentia, diuina virtute: rursus potuit angelus dubitare, an negaret illi Deus suũ cõcursum, qui tamẽ est simpliciter necessarius ad hoc vt exerceat nedũ operationes supernaturales, sed etiã naturales, ex illo axiomate Aristotelis. *Secũdæ causæ non possunt quidpiam operari, nisi concurrente prima.* Denique potuit subesse alius scrupulus angelo, hac in re, animaduertebat quippe in Christo actiones mere diuinas & alias simpliciter humanas: inter primas computatur suscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, & similes: inter secundas vero loquutio, ambulatio, accretio, & aliæ innumeræ. Cùm ergo actiones sint suppositorum, potuit angelus merito dubitare, an darentur in E Christo duo suppositа, quorum alterum esset diuinum, aliud vero humanum, atque ità non potuit certo scire mysterium incarnationis quod diximus cõsurgere ex positione diuinæ & humanæ naturę cũ vnica subsistẽtia diuini Verbi increata. D

Quãdo possit conseruari prius sine posteriori.

Potuit esse angelus dubius circa diuinitatem Christi.

Duo actionum genera in Christo animaduersa.

Ad tertiam resp. Probare tantum dæmones inuestigasse mysterium incarnationis dubiè, minime verò certò, & indubitanter: quod nos vltro concedimus cum Apostolo cap. 2. prioris ad Corinth. *Si*, inquit, *eum cognouissent*, (id est Christũ) *nusquam Dominum gloriæ crucifixissent*, idem asserit Leo sermone 9. de Passione Domini.

Ad quartam resp. Miracula ordinata esse à Deo in hunc finem, vt cognoscatur credibilitas, *in quem fi-*

Miracula

Digitized by Google

nam à Deo ordinata.

non autem veritas articulorum fidei noſtræ: ſunt enim miracula, omnium cõſenſione, motiua quędam, quibus mouemur ad fidei noſtræ acceptationem; non autẽ ad cognoſcẽda myſteria fidei euidenter, ſecundum ſuam veritatem; hoc autem intereſt inter euidenter credibile, & inter euidẽter verum: quod rebus euidenter veris, nõ poſſimus non aſſentire, perſpecta ſignificatione eorum nouminum & eorumdem debita connexione quibus ſignificantur: ea verò dicuntur euidenter credibilia, quibus diſſentire abſolutè poſſimus, nõ tamen ſinè aliqua temeritate & imprudentia, vt explicant Theologi cõmuniter, in tractatu de fide.

Quid interfit inter euidẽter credibile: & inter euidẽter verum.

Per reuelationem duntaxat: poteſt hoc myſterium dignoſci.

Ad vltimam reſp. iſtos omnes qui aſſequuti ſunt cognitionẽ myſterij incarnationis peruenisse ad cognitionem huiuſmodi per reuelationem diuinam ſibi, vel alteri factam. Neque refert quòd aliqui ex iſtis extiterunt infideles, & Pagani: reuelationes namque diuinæ nedum bonis & ſanctis hominibus, ſed etiam impiis communicantur interdum à Deo, vt cõſtat ex Caïpha: Ioan. 11. ità ſiquidẽ dicitur illic, *Hoc enim dixit non à ſemetipſo, ſed à Spiritu ſancto, quia erat Pontifex anni illius.* &

Ioann.

Matthæus.

Matthęi cap. 7. dicitur à malis, quibus negatur beatitudo æterna; *Domine in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus:* ſubiungitur autem ibidem, *quibus dicetur*, ſcilicet à Chriſto in die iudicij, *neſcio vos.* Marci item 9. & Lucæ 9. poteſtas faciendi miracula in nomine Chriſti data refertur homini minimè Chriſtiano & Catholico: ità enim illic alloquuntur Apoſtoli Chriſtum. *Domine inuenimus quendam eiicientem dæmonia in nomine tuo, quem prohibuimus, quia non ſequitur nos:* in iis ſcilicet quæ ſunt fidei noſtræ.

Lucas.
Marcus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An conueniens fuerit Deum incarnati ad generis humani redemptionem.

Diſputant hoc loco Theologi de ſatisfactione neceſſaria ad generis humani redemptionem de qua re ſit

DVBITATIO PRIMA.

Ad quid Verbum diuinum fuerit incarnatum.

Error quorunda circa incarnationis finem.

SACRAMENTARII, itémque Lutherani in eo ſunt errore vt credãt diuinum Verbum fuiſſe tantùm incarnatum ad generis humani redemptionem; minimè verò ad hoc vt Chriſtus fungeretur officio legiſlatoris pro eo tempore quo conuẽnit eſſe in hac vita mortali. Petrus verò Abailardus, referente Bernardo epiſtola 190. credidit Chriſtum veniſſe in hunc mundum, vt homines certis quibuſdam honeſtis documentis informaret, minimè verò vt eoſdem à ſeruitute dæmonis ſua morte liberaret, contra quos ſit,

Bernard.

Concluſ. 1. Vt Chriſtus doctoris & legiſlatoris fungeretur officio facta eſt incarnatio.

CONCLVSIO 1. *Verbi diuini incarnatio facta eſt, nedũ ad hoc vt Chriſtus fungeretur officio doctoris inter mortales; ſed etiam vt apud eoſdem officiũ legiſlatoris ſuſtineret:* hæc eſt de fide, definita expreſsè, quod attinet ad ſecundam partem, in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 21. *Si quis dixerit Ieſũ Chriſtum hominibus à Deo datum tanquam Redemptorem cui fidam, non tanquam legiſlatorem, cui obediãt Anathema ſit.* Deinde ità habet vaticiniũ Iſaiæ c. 33. *Dominus Deus noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus Deus noſter ipſe veniet, & ſaluabit nos.* Locus autem hic manifeſtè loquitur de Meſſia, ſeu, quod idem eſt, de Chriſto.

Iſaiæ 33.

Tertiò negari nequit, quin leges variæ fuerint à Chriſto promulgatæ, & ab eodem cõditæ: Matthæi quippe 18. ſtatuitur lex de emendandis fratribus malè operantibus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum:* & Matthęi 1. ſtatuitur etiam lex de diligendis inimicis. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Itémque Marci vltimò, conditur lex de prædicãdo Euãgelio in toto orbe terrarũ, & de baptizandis omnibus gẽtibus. *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, item: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Lex item de Euchariſtia perficienda ſancitur Lucę 22. *Hoc facite in meam cõmemorationẽ* & ſic de aliis multis. Ergo non ſolũ venit Chriſtus vt Redẽptor, ſed etiam vt legiſlator.

Matthæus. *Variæ leges fuerunt à Chriſto inſtitutæ & promulgatæ.*

Marcus.

Quartò, per peccatum primorum parentum lumen rectæ rationis fuit in poſteris Adæ, quá maximè debilitatum & obſcuratum, ac proinde debuerunt homines inſtitui & illuminari, nedũ in ordine ad ſupernaturalia, ſed etiam in ordine ad naturalia, medio aliquo doctore, & legiſlatore: Chriſtus autem opponitur primis parentibus ex illo Apoſtoli; *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Viuificationem autem iſtam nedum effecit Chriſtus, merito ſuæ paſſionis & mortis; ſed etiam condendo leges, quibus bene ordinatur vita noſtra, non ſolùm ad hoc, vt conformiter rectæ rationi viuamus; ſed etiam vt actiones ſupernaturales exerceamus, quatenus tandem vitam æternam conſequamur: ità docent plerique interpretes D. Th. hoc loco: maximè vero Suares, Greg. de Valent. Medina q. 2. ad hunc artic. ſancti Thom.

Rectæ rationis lumen in poſteris Adæ fuit maximè debilitatũ.

Paulus.

CONCLVSIO 2. *Per peccatum primorũ parentum quilibet noſtrum ſub poteſtate dæmonis, mortis, & peccati eſt conſtitutus, ita vt verè ſimus ſerui dæmonis, mortis, & peccati.* Hæc probatur ex Cõcil. Trid. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali c. 1. *Si quis*, inquit, *non confitetur primum hominem, ſcilicet Adã, incurriſſe* (per peccatum quod commiſit) *indignationem Dei, atque idèo mortem, & cum morte captiuitatem, ſub eius poteſtate qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt diaboli, Anathema ſit:* & ſeſſ. 6. c. 1. ait Concil. prædictum, præuaricatione primi parentis homines perdidiſſe innocentiam, & præterea cõſtitutos eſſe ſub poteſtate diaboli & mortis.

Generis humani ſeruitus propter Adæ peccatum.

Trident.

Deinde, ex omnibus illis locis Script. in quibus dicitur homines captiuos eſſe dæmonis; ità cap. 2. poſterioris ad Timotheum. *Vt* (inquit) *reſipiſcant à laqueis diaboli à quo captiui tenentur ad eius voluntatem:* & ad Col. 1. *Eripuit nos* ſcilicet Chriſtus, *de poteſtate tenebrarum*, id eſt, dæmonum qui nuncupantur in ſacris litteris communiter, Tenebræ.

Coloſ. 1.

Tertiò, idem docent Patres: maximè verò D. Auguſt. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 12. *Omnes*, inquit, *homines ab origine humani ſunt ſub poteſtate principis aëris:* & Bern. epiſt. 190. quo loco refert teſtimonium D. Pauli à nobis proximè citatum: *Paulus*, inquit, *eſt iſte qui homines à diabolo captiuos teneri aſſerit ad eius voluntatem: audis ad eius voluntatem* (ſcilicet diaboli) *& negas poteſtatem:* alloquitur

Auguſt. Bernard.

Digitized by Google

autem Bernardus Abailardum contrariam opinionem docentem.

Ratio. Denique, ille verè cenſetur eſſe ſub poteſtate alicuius, qui liberari nequit ab eius imperio, niſi interueniente ope aliena: atqui quilibet ex poſteris Adæ nequit liberari à ſeruitute dæmonis, ſinè auxilio mediatoris & redemptoris Chriſti. Ex illo D. Bernardi in Cantica. *Etſi datum eſt homini poſſe ſtare, ne caderet, non tamen poteſt hic reſurgere ſi ceciderit, ſinè ſpeciali Dei auxilio.* Confirmatur hoc ex cap. 3. poſterioris ad Corint. *Confirm. Paulus.* *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* & ex illo Ioann. *Sine me nihil poteſtis facere.*

Quod autem peccato & morti æternæ per trãſ- B greſſionem primi parentis ſubiiciamur, manifeſtè colligitur ex cap. 8. Ioan. *Ioannes.* *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati,* & ex cap. 2. 1. Petri. *Petrus.* *A quo ſuperatus eſt, eius quoque ſeruus eſt.* De morte verò æterna hoc idem colligitur ex eo, quod ſit debita cuilibet peccato mortali, veluti pœna, ex communi doctrina Theologorum: ſeparat quippe peccatum mortale hominem à gratia & charitate, & inducit reatum pœnæ æternę: at culpa primi parentis fuit talis, nedum ſibi, ſed etiam poſteris eiuſdem omnibus, ex cap. 5. ad Rom. *Paulus.* *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum; & per peccatum mors, & ſic pertranſiit in omnes:* ità docent communiter Thomiſtæ hoc loco: aliį verò q. 48. & 49. huius C partis.

In quo conſiſtat ſeruitus humani generis reſpectu dæmonis. Rogabis, *Quænam in re poſita ſit ſeruitus cuiuſlibet noſtrùm, reſpectu dæmonis.* Reſp. *Seruitutem iſtam poſitam eſſe in eo, quod quilibet noſtrùm ſubiiciatur dæmoni tanquam tortori & vindici iniquitatum noſtrarum, & præterea veluti impulſori ad qualibet peccata committenda:* In eo ergo quod quilibet noſtrùm cogatur ſuſtinere pœnas debitas peccatis noſtris, & præterea quòd alliciatur & inuitetur à dæmone ad quælibet peccata committenda, poſita eſt ſeruitus noſtra, reſpectu dæmonis: ità docent communiter Interpretes hoc loco, cum D. Tho. artic. 4. quæſt. 48. ad 2. huius partis.

S. Thom. Deinde, tanta datur procliuitas & inclinatio ad D peccata perpetranda à tempore tranſgreſſionis primi parentis, vt ſinè ſpeciali Dei auxilio procliuitas iſta nequeat à nobis ſuperari, vt docét communiter Theologi, in quæſt. de neceſſitate gratiæ; atqui procliuitas illa iuuatur adhuc tentationibus dæmonis, ex illo D. Petri. *Petrus.* *Circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.*

Concluſio vltima. Vt à poteſtate diaboli peccati, & mortis genus redimeretur humanũ, facta eſt incarnatio. CONCLVSIO VLTIMA. *Incarnatio Verbi nedum facta eſt ad hoc vt Chriſtus fungeretur officio Doctoris apud homines; ſed etiam vt eoſdem redimeret à poteſtate diaboli, peccati, & mortis æterna.* Hæc eſt de fide: Scripturę namque conceptis verbis docent hominem redemptũ fuiſſe per paſſionem & mortem Chriſti. Mat. 20. *Matthęus.* *Filius hominis venit miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* E Ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret.* 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis: ſed precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et Apocalypſis 5. *Petrus.* *Redemiſti nos in ſanguine tuo.* Et ex cap. 52. Iſaię. *Apocalyp- ſis.* *Gratis venundati eſtis, ſinè argento redimemini.* Ità etiam docét omnes omnino Patres, quos citabimus Dubit. 3. ad hunc *Iſaias.* artic.

Ratio 1. Accedit ratio, 1. Si Chriſtus veniſſet tantùm vt Doctor, minimè verò vt Redemptor generis humani, aduentus Chriſti inutilis planè extitiſſet, & Patribus legis naturalis, & illis etiam omnibus legis Moſaïcæ, qui eius incarnationẽ præceſſiſſent, & denique omnibus qui moriuntur ante ætatem adultam; non enim potuerunt iſti edoceri à Chriſto: atqui Scripturæ docent aduentũ Chriſti fuiſſe quàm maximè vtilem & proficuum omnibus omnino mortalibus, vt conſtat ex cap. 2. 1. Canonicę Ioannis. *Aduocatum habemus apud Patrem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi.* *D. Ioan.*

Denique, ille verè redimitur à peccato, morte æterna, & diabolo, qui ſoluto pretio & ſolutione vera liberatur à peccato, à morte æterna, & diabolo, vt docet D. Thom. art. 4. quæſt. 48. huius *S. Thom.* partis: at Chriſtus vitã propriam veluti pretium obtulit Deo Patri in Cruce, & quidem vt conciliaret nos Patri, ex cap. 9. ad Hebræos: ergo. Confirmatur. Mors æterna debetur nobis propter peccata mortalia commiſſa; atqui liberamur à peccatis per Chriſti mortem, vt docet D. Thom. q. 48. huius partis. Ergo verè nos redemit.

Obijcitur. Obiicies, nos docuiſſe rationem ſeruitutis poſitam eſſe in poteſtate quam habet dæmon ad nos impellendos ad malum, ſuggeſtione & tentationibus: at id etiã modò præſtat, ergo Chriſtus nos nõ liberauit ab illa ſeruitute. *Reſpõdetur.* Reſp. Diuerſimodè id facere dæmonem nunc, quàm ante aduentum Chriſti: tunc enim expedite & inimpedibiliter ad malum incitabat; iam verò impedibiliter: igitur Chriſtus morte ſua nobis quæ per peccatũ primi parentis amiſeramus, promeruit, ſanctam cogitationem, & auxilia quibus facile aduerſarium deuincamus, ob quod ab illius ſeruitute nos redemiſſe Chriſtum fatendum eſt.

DVBITATIO SECVNDA.

An incarnatio diuini Verbi ſit ſimpliciter neceſſaria abſolutè loquendo, vel etiam ad generis humani redemptionem, ſuppoſito decreto diuino, de redimendis hominibus media incarnatione.

Concluſio 1. Incarnatio quo pacto neceſſaria. CONCLVSIO 1. *Incarnatio Verbi nec eſt in eſſe ſimpliciter neceſſaria, nec ad reparationem generis humani, præſcindendo à decreto diuino de redimendis hominibus, & à condignitate perfectiſſimæ aperis reſpondentis indignitati culpæ commiſſæ contra Deũ à primis parentibus.* Prima pars Concluſionis ex eo innoteſcit, quòd ſolus Deus ſit in ſe ſimpliciter & abſolutè neceſſarius.

Deinde, omne opus Dei ad extra cenſetur eſſe contingens: pendet enim hoc in eſſe, fieri, & conſeruari à gratuita Dei voluntate: ità communiter omnes hoc loco, cum D. Tho. & cum Magiſtro lib. 3. ſentent. diſt. 2.

Obijcitur. Obiicies, Anſelmum lib. 1. & 2. *Cur Deus homo.* Richardum à ſancto Victore, & alios nonnullos Patres, quos citabimus in confirmationem poſterioris Cõcluſionis huius Dubit. affirmare incarnationem Verbi diuini cum humana natura non potuiſſe prætermitti. *Satisfit.* Reſp. Hæc intelligenda eſſe ex hypotheſi, reſpectu ſcilicet decreti diuini de incarnatione futura propter generis humani reparationem: abſolutè tamen potuit Deus prętermittere incarnationem, ſiue ſermo ſit de ea reſpectu pulchritudinis huius vniuerſi, ſiue reſpectu reparationis generis humani.

Secunda verò pars Cõcluſionis probatur: Potuit Deus humanum genus redimere innumeris aliis

Innumeris modis potuit redimi genus humanum.

alijs modis, diuerſis ab incarnatione diuini Verbi, vt docent Patres, maxime vero D. P. Auguſtin. de agone Chriſtiano. cap. 11. *Sunt* (inquit) *ſtulti, qui dicunt; Non poterat Dei ſapientia hominem liberare niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fœmina, & à peccatoribus tanta pateretur; quibus dicimus, poterat omnino; ſed ſi aliter faceret ſtultitia veſtra ſimiliter diſpliceret.* & 13. de Trinit. cap. 10. *Eos*, inquit, *qui dicunt ità; Nec defuit Deo modus alius quo liberaret homines à miſeria mortalitatis huius, vt vnigenitum ſuum filium hominem fieri vellet, mortalémque factum mortem perpeti: parum eſt ſic refellere vt iſtum modum ſic aſſeramus bonum, & diuina congruum dignitati: verùm etiam vt oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent.* Et cap. 13. & 14. idem probat. & Leo ſermone 2. de natiuitate, & ſermone 14. de paſſione Domini. *Omnipotentia filij Dei, qua per eandem eſſentiam æqualis eſt Patri, potuiſſet humanum genus à poteſtate Diaboli ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere.* Et Gregorius libro 20. moralium cap. 26. Cyrillus Alexandrinus libro 8. contra Iulianum ſub finem, & Bernardus epiſt. 190.

Leo. Gregorius Cyrillus Alexand. Bernard.

2. Probatio. Deinde quilibet noſtrùm poteſt relaxare iniuriam ſibi illatam, quoad pœnam & culpam, ſine vlla ſatisfactione oblata, ab eo qui nobis iniuriam intulit: ergo à fortiori illud idem poterit præſtare Deus.

3. Probatio. Tertiò, ſi Deus relaxaſſet culpam à primis parentibus commiſſam, ſinè vlla ſatisfactione, relaxatio ipſa non eſſet vitioſa & deordinata: quod enim fit ex motiuo alicuius virtutis, non poteſt eſſe turpe & vitioſum; nobilitantur quippe actiones noſtræ à virtutibus à quibus eliciuntur, vel certè imperantur, omnium conſenſione: atqui condonatio facta à Deo reſpectu culpæ commiſſæ à primis parentibus, ſinè vlla ſatisfactione ex parte eorundem, aut etiam alicuius alterius, fuiſſet ex motiuo miſericordiæ & bonitatis diuinæ: ergo non potuiſſet eſſe vitioſa condonatio iſta: ita docet D. Thom. hoc loco, & interpretes ibidem communiter omnes eiuſdem, & Magiſter diſtin. 20. lib. tertij.

Obiectio. Obijcies, Athanaſium lib. de Incarnat. Verbi ſub initium affirmare, non potuiſſe Deum, integra & illæſa manente ſua veritate ac iuſtitia, gratis ac liberaliter remittere pœnam & mortem hominibus.

Reſponſio. Reſp. primùm, hæc intelligenda eſſe non abſolute, & ſimpliciter; ſed tantùm ſuppoſito decreto diuino de redimendis hominibus, per Chriſti mortem & incarnationem.

2. Reſp. Reſp. 2. Locum hunc non de vera & propria iuſtitia eſſe intelligendum: inter Deum, namque & creaturam non datur ratio iuſtitiæ diſtributiuæ, aut commutatiuæ, vt docuimus in Tractatu de merito: deinde voluit Athanaſ. non potuiſſe Deum remittere gratuitò culpam à primis parentibus commiſſam, non retento aliquo modo iuſtitiæ, in eo caſu in quo condonatio culpæ fieri debuit ex motiuo iuſtitiæ propriè dictæ. Cum iſtis tamen recte cohæret, vt culpa à primis parentibus commiſſa remitti potuerit ſine vlla ſatisfactione, ex motiuo alicuius alterius virtutis; maxime verò miſericordiæ, & bonitatis diuinæ, quæ anteponitur ceteris omnibus alijs virtutibus quæ dantur in Deo, Pſalm. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Pſalm.

Inſtabis, peccatum mortale actuale non poſſe deleri in nobis, etiam de poteſtate Dei abſoluta, ſine aliquo dono actuali vel habituali: vt communiter docetur in tractatione de iuſtificatione, & ratio manifeſte conuincit: neque enim fieri poteſt, vt quis ex auerſo à Deo, tanquam ab vltimo fine, & conuerſo ad creaturam, auertatur à creatura, & conuertatur in Deum tanquam in vltimum finem, niſi ponatur in eo donum actuale, vel habituale, vel certe aliquid quod iſtis reſpondeat: deſideratur enim ad id vera & realis mutatio ex parte ipſius, qui agebat in peccato mortali: ergo non poterit etiam Deus ſupplere incarnationem per acceptationem: nam omne donum quod confertur nobis, & quod conducit ad ſalutem noſtram datur dependenter à merito incarnationis. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequutionem: Primùm, quia dona quæ conceduntur nobis à Deo de lege communi dantur tantùm dependenter ab incarnatione; de poteſtate tamen abſoluta Dei dona iſta potuerunt dari à Deo ex alio capite: nam ſi primus parens non peccaſſet, iuſtitia originalis fuiſſet tranſmiſſa ad poſteros omnes, ſine dependentia ab incarnatione, in opinione ſaltem eorum, qui putant Chriſtum non eſſe venturum Adamo non peccante. Deinde, eſt maximum diſcrimen inter incarnationem Verbi, & gratiam v. c. iuſtificantem; prouthæc duo ſunt cauſæ noſtræ ſalutis: nam incarnatio cauſat ſalutem noſtram, in ratione cauſæ efficientis, & meritoriè; gratia vero iuſtificans cauſat eandem in ratione cauſæ formalis: conuenit autem inter omnes Deum non poſſe ſupplere defectum cauſæ formalis, ac proinde neque poſſe præſtare vt aliquis iuſtificetur à mortali peccato commiſſo, niſi per gratiam iuſtificantem; vel certe per aliquid quod huic æquipolleat: poterit tamen Deus ſupplere incarnationem, quia quidquid poteſt Deus media cauſa aliqua ſecunda, in ratione cauſæ efficientis, poteſt illud idem media qualibet alia cauſa ſecunda, hoc etiam ſe ſolo: incarnatio autem eſt cauſa noſtræ ſalutis, & item omnium donorum quæ conducunt ad iſtam in ratione cauſæ efficientis, ac proinde potuit Deus ſupplere defectum incarnationis abſolute & ſimpliciter loquendo.

Inſtantia.

Occurritur.

Aliter incarnatio, aliter gratia iuſtificans noſtra cauſant ſalutē

CONCLVSIO VLTIMA. *Incarnatio Verbi eſt abſolutè neceſſaria ad generis humani redemptionem, ſtante decreto diuino de redimendis hominibus, media Chriſti morte, vel data hac alia hypotheſi, quod ſatisfactio pro culpa commiſſa à primis parentibus debeat eſſe æqualis perfectiſſimè culpæ commiſſæ contra Deum.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens ſanctorum Patrum: aiunt enim verbis expreſſis, incarnationem non potuiſſe prætermitti, ſed fuiſſe neceſſariam ad generis humani redemptionem. Ita docet Ambroſius ad cap. 9. Hebræorum: *Tantum* (inquit) *fuit peccatum noſtrum, vt ſaluari non poſſemus aliquando, niſi vnigenitus Dei filius moreretur pro nobis.* Et Leo epiſtola 81. *Quæ* (inquit) *reconciliatio eſſe poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator Dei, hominúmque ſuſciperet:* & Chryſoſtomus homil. 10. in Ioannem. *Cecidit natura noſtra eo modo, vt reſtitui nullo pacto poſſet à quocumque, niſi ab illa potentiſſima manu.* Loquitur autem de myſterio In-

Concluſio vltima. Quo pacto ſuppoſito decreto & ſatisfactionis æqualitate, ſit neceſſaria incarnatio.

Ambroſ.

Leo. Chryſoſt. Cyrillus.

Digitized by Google

carnationis & Cyrillus. lib. 5. Theſauri cap. 7. & nonnulli quos citat Suares.

Probat ratione.

Deinde; ſatisfactio pro culpa commiſſa contra Deum non potuit eſſe ſimpliciter æqualis offenſæ contra Deum commiſſæ, niſi tanta extiterit quanta eſt in ſe culpa: atqui ſine incarnatione Verbi non potuit ſatisfactio Chriſti eſſe tanta, quanta eſt culpa contra Deum commiſſa; hæc enim eſt infinita, vt pote contra Deum offenſum, qui verè infinitus eſt: ergo cùm per incarnationem Verbi cum humana natura, actiones humanæ Chriſti naturæ ſint à ſuppoſito ſimpliciter infinito, incarnatio fuit ſimpliciter neceſſaria in data hypotheſi.

Satisfactio incarnatione ſublata non potuit eſſe tanta quanta culpa cõmiſſa.

Denique, illud cenſetur eſſe abſolutè neceſſarium ad finem conſequendum aliquem, ſinè quo finis hic haberi nequit, vt docet D. Thom. in corpore huius artic. atqui redemptio generis humani haberi nequit ſine incarnatione, ſtante decreto diuino de redimendis hominibus per Chriſti mortem, & item in eo caſu in quo Chriſti ſatisfactio debet eſſe æqualis offenſæ diuinæ ſecundum condignitatem operis: ergò. Minor ex eo comprobatur, quia aliter decretum diuinum non ſortiretur ſuum effectum: ità D. Th. & Interpretes eiuſdem omnes hoc loco & in 3. diſt. 20. cum Magiſtro.

D. Thom.

Obiectio.

Obiicies, ſi incarnatio fuiſſet abſolute neceſſaria ad generis humani redemptionem, ſuppoſito decreto diuino, ſequeretur mortem Chriſti quoque neceſſariam fuiſſe abſolute ad hanc eandem reparationem efficiendam: ſtat enim decretum diuinum de morte ſubeunda reſpectu Chriſti, propter generis humani redemptionem; quemadmodum & de diuino Verbo incarnando propter hunc eundem finem ex illo: *Hic eſt agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi*: atqui mors Chriſti non potuit eſſe neceſſaria, alioquin non fuiſſet hæc meritoria noſtræ ſalutis, cuius tamen oppoſitum docent omnes: aiunt enim Chriſtum ſua morte reconciliaſſe nos Patri, & meruiſſe nobis vitam æternam, & quodlibet auxilium vtile vel neceſſarium ad illam conſequendam. Reſp. conceſſa mai. nego min. ad probationem autem, decretum diuinum de futura Chriſti morte, non deſtruere libertatem in Chriſto: inducit quippe hoc neceſſitatem tantùm hypotheticam, quæ non lædit in nobis, aut in Chriſto liberum arbitrium, vt manifeſtè colligitur ex illo Iſaiæ; *Oblatus eſt, quia ipſe volut*; loquitur autem de Chriſto ex communi Patrum interpretatione: & ex cap. 10. Ioannis; *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam*. Deinde decretum de morte Chriſti futura propter generis humani reparationem ſe habet extrinſece ad voluntatem Chriſti: vnde cum nihil ponat intrinſece in voluntate eiuſdem, nequit voluntatem Chriſti neceſſitare, ac proinde & libere mortuus eſt Chriſtus, & mors eiuſdem dicenda eſt ſolutio libera ac meritoria reſpectu vitæ æternæ quæ nobis datur.

Satisfit. Decretũ de morte Chriſti nõ aufert ab illo libertatem.

D. Ioann.

Mors Chriſti quia liter libera.

DVBITATIO TERTIA.

An ſatisfactio Chriſti fuerit ſimpliciter æqualis demeritis quorumcumque mortalium.

A ADVERTENDVM eſt ſatisfactionem verſari circa tria debita, rerum ſcilicet, famæ, & honoris, pro quibus diuerſa ratione ſatisfacere poſſumus; qui enim eſt debitor rerum, vel famæ ſatisfacit reſtitutione vera earum rerum, vel famæ; dando, ſcilicet opere res quas abſtulit; verbo autem famam quam læſit; qui verò eſt debitor honoris, pro iniuria illata ſatisfacit obſequio: hoc enim debitum, & æqualitas menſuratur aliâ menſurâ, qui enim vulnerauit aliquem v. c. vel percuſſit, non ſatisfacit ſolùm ſanando plagam, quam illi intulit; ſed præterea honorem ab eo ablatum ex hypotheſi reſtituere tenetur. Quamuis autem nomen ſatisfactionis ſit commune tribus iſtis, proprie tamen & communiter competit ei ſolutioni, quæ fit quandocunque redditur debitum honoris, vnde in hac quæſt. & ſequentibus vſurpabitur à nobis iuxta iſtam ſignificationem nomen ſatisfactionis.

Notatur 1. Satisfactio verſatur circa tria debita.

B

Quo pacto vſurpetur ſatisfactionis vocabulum.

Obſeruandum eſt ſecundo, ſatisfactionem ità ſumptam definiri; compenſationem ſpontaneam & liberam oblatam alicui propter iniuriam ei illatam. Dixi, compenſationem liberam, quia ſatisfactio de qua hoc loco diſputamus, debet eſſe actio honeſta, laudabilis & meritoria; proprietates autem iſtæ nequeunt competere actibus neceſſarijs, ſed ſolis liberis. Deinde, qui inuite ſatisfacit debito honoris, hic non tam ſatisfacere dicitur, quàm ſatis pati. Confirmatur. Animæ defunctorum agentes in purgatorio, dicuntur à nonnullis propter hanc cauſam potius illic ſatis pati, quàm ſatisfacere: abſolute quippe & ſimpliciter loquendo continentur in purgatorio contra propriam voluntatem, licet ex hypotheſi, quòd videlicet id poſtulet æquitas iuſtitiæ diuinæ, libere detineantur in eo loco. Dixi, oblatam alicui propter iniuriam eidem illatam, quia ſatisfactio debet eſſe ad alterum; imò ad illum eundem quem offendimus ità, vt conſurgat ſatisfactio ſemper inter

Notatur 2. Satisfactionis definitio proponitur & explicatur.

C

D duos; neque enim vnius & eiuſdem ad ſeipſum poteſt eſſe ſatisfactio, vt probabitur inferiùs. Hæc autem ſatisfactio poteſt contingere duobus modis, altero ſecundum condignitatem operis perfectiſſimam, altero ſecundum gratiam & liberalitatem acceptantis; priori modo ſatisfacimus quotieſcumque opus ex ſe & ſua natura æquale offerimus ei quem offendimus: poſteriori verò modo quotieſcumque reddimus creditori noſtro illud omne quod exigit à nobis pro opere ſatisfactorio. Quærimus ergo hoc loco, an ſatisfactio Chriſti fuerit æqualis demeritis quorumcumque mortalium, vel ſecundum condignitatem operis, vel ſecundum acceptationem Dei gratuitam & liberalem.

Satisfactio poteſt contingere duobus modis.

E

Aduerte tandem, dignitatem ſatisfactionis reſpectu debiti honoris, repetendam eſſe maximè ex dignitate perſonæ, quæ ſatisfacit; quemadmodum & vilitas ſatisfactionis ex indignitate perſonæ ſatisfacientis conſurgit: ſi enim rex aliquis, aut aliqua alia perſona in dignitate conſtituta offenderit plebeium, ſatisfaciet iſte qui eſt in dignitate conſtitutus, plebeio, pro offenſa eidem irrogata opere longè minori, quàm ſatisfaceret ruſticus ſi ſimilem iniuriam inuliſſet plebeio alteri, idque propter dignitatem quam in ſe habet, ac proinde cum ſatisfactio Chriſti ſit à

Notatur vltimò.

Digitized by Google

perſona infinita, quodlibet opus Chriſti ſatisfactorium cenſetur eſſe infinitum ſimpliciter, vt docebitur à nobis inferius. Moneo tamen ſatisfactionem in vniuerſum ſpectatam non poſtulare neceſſario, quod ſit à nobis liberè; qui enim v. c. abſtulit à proximo centum, veriſſimè, & perfectiſſimè eidem ſatisfacit reddendo centum, ſiue id præſtet liberè, ſiue inuitè, ſeu coactè; ſatisfactio tamen Chriſti debuit eſſe ſimpliciter libera, vt monuimus in antecedentibus: quemadmodum & de eadem ſatisfactione concedendum eſt, quòd ſit & ſolutiſſima, & præterea reconciliatiua: etiam ſi ſatisfactio in vniuerſum ſpectata non ſit reconciliatiua; qui enim v. c. centum prædicta, coactè ſoluit, non propterea redit neceſſariò in amicitiam illius à quo abſtulerat centum: ſatisfactio tamen Chriſti nedum pretium debitum Deo propter offenſam contra eundem commiſſam exſoluit; ſed etiam facit vt redeamus in Dei amicitiam, ex illo Pauli in Epiſtola ad Hebræos. *Vnica oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* & ex cap. 5. Roman. *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia.* & cap. 15. 1. ad Corinth. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* His ità conſtitutis, tres ſunt de hac re opiniones. Prima, contendit ſatisfactionem eſſe æqualem demeritis noſtris, non quidem ex ſe, & ſua natura, ſeu, quod idem eſt, ſecundum condignitatem operis, ſed tantùm dono, & beneficio Dei acceptantis ſatisfactionem iſtam propter peccata à nobis commiſſa. Probant. quia ſi aliter res ſe haberet, non potuiſſet Deus non acceptare ſatisfactionem Chriſti: neque enim fieri poteſt, vt creditor recuſet, ſaltem iuſte ſolutionem perfectiſſimè æqualem debito contracto quandocumque eidem offertur: atqui ſatisfactio Chriſti ex hypotheſi, ex ſe, & ſua natura eſt perfectiſſime æqualis demeritis quorumcumque mortalium: ergò non potuit eam non acceptare Deus: at illatio iſta defendi nequit, cùm Deus ſit quam maxime liber ad extrà, neque poſſit ab vllo alio præterquàm à ſeipſo neceſſitari.

Satisfactio generaliter ſpectata non poſtulat quod ſit liberè facta.

Vi meritorũ Chriſti redimus in amicitiam Dei.

Variæ hac de re opiniones. 1. Senten.

1. argumẽt.

2. argumẽt. Deinde, concedendum eſſet de ſatisfactione Chriſti, quod fuiſſet Deo æque grata, atque eſt eidem ingrata culpa contra eundem commiſſa, quod tamen falſum eſt, cùm culpa mortalis à nobis commiſſa, nedum ſit infinita obiectiue, ſed ex ſe, & ſua natura: ſatisfactio autem Chriſti etſi ſit infinita obiectiue, itémque reſpectu perſonæ infinitæ, non tamen ex ſe, & ſua natura poteſt eſſe intrinſece infinita; cum ſit aliquis actus honeſtus pertinens ad certam aliquam ſpeciem.

3. argumẽt. Tertio, Nulla daretur imperfectio in ſatisfactione Chriſti, cuius tamen oppoſitum docet Paulus cap. 1. ad Coloſſ. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in corpore meo propter Eccleſiam.*

Poſtremo, Satisfactio noſtra non eſſet neceſſaria ad ſalutem noſtram, cuius tamen oppoſitum docet fides Catholica.

Duo in omni peccato mortali reperiuntur.

In quo conſiſtat vtriq;

Denique, in omni peccato mortali reperitur ratio offenſæ, & reatus, vt docetur in tractatione de peccatis: ratio offenſæ lethalis in eo poſita eſt, quod ſi Deus poſſet deſtrui, vere annihilaretur per huiuſmodi offenſam lethalem; reatus vero poſitus eſt in eo quod cuilibet peccato mortali debeatur pœna æterna, ac proinde ſatisfactio Chriſti non potuit eſſe ad æqualitatem perfectiſſimam peccato commiſſo à primis parentibus, ex ſe, & ſua natura; niſi exercuerit Chriſtus aliquod opus ità præſtans & nobile, vt ſatis hoc eſſe poſſet ad reparandam Deitatem, ſi Deitas ipſa eſſet annihilata & deſtructa; debuit etiam experiri pœnas æternas in ſe, cum debeantur iſtæ cuilibet peccato mortali: at certum eſt Chriſtum nec ſuſtinuiſſe, nec potuiſſe ſuſtinere pœnas æternas peccatis debitas, cum vna ex iſtis ſit priuatio viſionis diuinæ eſſentiæ, & amoris eiuſdem, quæ tamen duo debentur ei qui Deus eſt, ex ſe: notiſſimum eſt etiam non potuiſſe Chriſtum producere opus ità præſtans, ità potens, & efficax, vt deſtructa ex hypotheſi diuina eſſentia, poſſet hæc per huiuſmodi opus à Chriſto reparari: neque enim fieri poteſt, vt id quod eſt tantum infinitum in vno genere, poſſit producere infinitum in omni plane genere, qua ratione Deus cenſetur eſſe infinitus, omnium Theologorum & Philoſophorum conſenſione: ergo non ſecundum dignitatem operis perfectiſſimam, ſeu, quod idem eſt, ex ſe, & ſua natura ſatisfactio Chriſti eſt æqualis demeritis primorum parentum: ſed tantum ſecundum acceptationem Patris: ità tradunt Scotus in 3. diſtin. 19. & 20. quæſt. 1. Durandus ibidem num. 6. & 7. Adrianus diſtin. 29. quæſt. 1. libri tertij ſentent. & Gabriel ibidem quæſt. 2. artic. 1. & in 4. diſt. 16. quæſt. 2. & denique Ioannes Medina in codice de pœnit. tract. 3. quæſt. 1.

2. Sentent. ſatisfactionem Chriſti eſſe æqualẽ ſecundum iuſtitiam.

Secunda ſententia eſt, eorum qui putant ſatisfactionem Chriſti eſſe perfectiſſime æqualem culpis commiſſis contra Deum, à quibuſuis mortalibus, ceterum ſecundum formam iuſtitiæ proprię dictę, & conſequenter ſecundum rationem iuſtitiæ commutatiuę, vel diſtributiuę: ità docent communiter Thomiſtę, Suares, locis proxime citandis, & alij nonnulli interpretes D. Thomę.

Probatio 1.

Probant primùm, quia ſancti Patres, itémque ſcripturę docent de ſatisfactione Chriſti, quod fuerit facta ſecundum rationem iuſtitię: ità D. P. Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 13. & 14. Auguſt. ait enim illic: dæmonem non potentia, ſed iuſtitia fuiſſe ſuperandum: & ex Paulo, Roman. 3. Paulus. idem comprobatur; ità enim loquitur de Chriſto, & eius ſatisfactione: *Quem propoſuit Deus propitiationem in ſanguine per fidem ipſius ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ in remiſſionem præcedentium delictorum.*

2. Deinde ſatisfactio ad perfectiſſimam condignitatem ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ conſurgit proprie ex eo quod ſit ex proprijs & indebitis creditori; quod ſit æqualis perfectiſſime debito; & denique quod oblata tali ſatisfactione non poſſit creditor iuſte eam non acceptare, ex communi doctrina; atqui ſatisfactio Chriſti ex bonis ſibi non proprijs fuit quippe hęc, actio quędam libera & meritoria, libertas autem & meritum iſtarum operationum pendent à ſola Chriſti voluntate non autem ab aliquo alio: ſatisfactionem item iſtam fuiſſe æqualem peccatis quorumcumque mortalium ex eo eſt notiſſimum, quod habuerit ortum ab humana natura vnita diuino Verbo hypoſtatice, ac proinde cenſetur hęc eſſe infinita; cum dignitas ſatisfactionis petatur à dignitate perſonæ ſatisfacientis.

3. Tertiò, non potuit Deus non acceptare iſtam ſatisfactionem ſibi oblatam à Chriſto cum fuerit perfectiſſimè æqualis; imo & magis grata Deo, quàm fuerit ei ingrata culpa quorumcumque mortalium.

Vltima. Denique, poſita Chriſti ſatisfactione non potuit aliquid aliud vltrà exigere Deus propter offenſam ſibi irrogatam, præſertim cùm ratio iuſtitiæ proprie dictæ conſurgat ex promiſſione & ex opere pœnali, iniuncto ab eo qui promiſſionem iſtam præſtitit, vt conſtat ex eo qui miſit agricolam ad excolendum ſuum agrum promiſſa remuneratione de hac vel illa pecunia danda: tenetur enim poſito labore iſtius agricolæ ad perſoluendam pecuniam promiſſam, ex æquitate iuſtitiæ propriè dictæ, vt fatentur communiter omnes: atqui Deus promiſit ſe remuneraturum ſatisfactionem Chriſti vt manifeſtè colligitur ex Dauide, Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam:* Ergo ſatisfactio illius fuit ex iuſtitiæ virtute. Pſal. 2.

Senten. 3. Satisfactionem fuiſſe perfectè condignam. Tertia ſententia eſt, eorum qui putant ſatisfactionem Chriſti eſſe perfectiſſimè condignam demeritis quorumcumque mortalium: ceterùm non ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ, ſed ſecundum condignitatem operis, ità vt ſatisfactio Chriſti ex ſe, & ſua natura ſit perfectiſſimè æqualis; imo longe nobilior, quàm fuerit ingrata & inuiſa culpa commiſſa Deo Opt. Max. ità docent plerique recentiores: maxime vero Vazquez tota diſput. 5. ad hanc partem D. Thomæ.

Concluſio 1. Chriſti ſatisfactio fuit ſimpliciter æqualis demeritis. CONCLVSIO 1. *Satisfactio Chriſti fuit ſimpliciter æqualis demeritis quorumcumque mortalium: hæc eſt ità certa, vt ſinè errore & temeritate à nullo negari queat.* Primùm, quia ita ſentiunt ſancti Patres, itémque Theologi ſcholaſtici omnes, locis in confirmationem concluſionis proximè ſequentis citandis.

2. probatio concluſionis. Deinde hoc item manifeſtè colligitur ex illis locis ſcripturæ in quibus dicitur de ſatisfactione Chriſti: *Quod ſit propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi.* 1. Ioann. 2. 1. Ioa. 2. cap. 2. & ex illis in quibus dicitur de hac eadem ſatisfactione quod ſit *copioſa redemptio*, Pſal. 129. & ex illis in quibus dicitur de Chriſto, quod ſit redemptor generis humani, 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti:* & Apocalyp. 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine*, & ex illis in quibus aſſeritur ibi gratiam ſuperabundaſſe, vbi delictum anteà locum habuerat. ad Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia.* Confir. ex illis locis ſcripturæ in quibus dicitur Chriſtũ glorioſè triumphaſſe de Diabolo. Ioann. 12. *Nunc princeps mundi ejicietur foras:* Loquitur autem Chriſtus illic de tempore ſuæ mortis. & alibi. *Cum exaltatus fuero, omnia trahàm ad meipſum.* & Matth. 12. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, & paucis interiectis: *ſi autem eo fortior ſuperuenerit auferet eius ſpolia.* Locus autem iſte rectè accommodatur merito paſſionis Chriſti, & incarnationis eiuſdem à pleriſque interpretibus, idque quod agatur illic de expulſione dæmonum à corporibus obſeſſis facta, virtute Chriſti, & quidem cum maxima poteſtate & facilitate. 1. Petr. 1. Apocal. 5. Rom. 5. Ioann. 12. Matth. 12.

2. Concln. Vndenà ſit repetenda CONCLVSIO 2. *Æqualitas ſatisfactionis Chriſti non eſt repetenda ex acceptatione diuina, ſed ex condignitate cuiuſlibet operis ſatisfactorij eiuſdem: ità vt non propterea dicatur æqualis demeritis quorumcumque mortalium; quia Deus ſatisfactionem iſtam acceptauit & voluit eam eſſe æqualem demeritis noſtris; ſed propterea, quia quodlibet opus ſatisfactorium Chriſti ex ſe, & ſua natura, eſt perfectiſſimè æquale peccatis contra Deum à nobis petitis.* *ſatisfactionis æqualitas.*

Probatur, primùm quia hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, maximè vero Athanaſij, in ſerm. de paſſione Chriſt. *Chriſtus*, inquit, *humana carne amictus & circumindutus, per ſe quæ noſtra erant patri obtulit, vt ipſe patiens hominem patientem illæſum redderet, & parua magnis compenſaret.* *1. probatio.* Athanaſ.

Vbi magnitudo ſatisfactionis Chriſti manifeſtè deducitur ex eo, quod Chriſtus fuerit Deus carne amictus, vel circumindutus, & lib. de Incarnat. Chriſti, paulò poſt initium. *Corpus*, inquit, *quod mori poſſet aſſumpſit, vt pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret:* non ergo ſatisfactio Chriſti fuit æqualis demeritis noſtris ex acceptatione diuina, ſed ex dignitate cuiuſlibet operis ſatisfactorij, & conſequenter ex ſe, & ſua natura: Idem docet Anſelmus toto libro 1. & 2. Cur Deus homo, & Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 13. & 14. ait enim illic, dæmonem non potentia, ſed iuſtitia fuiſſe ſuperandum. Si autem opera Chriſti ſunt tantùm æqualia demeritis noſtris ex acceptatione diuina, dæmon non fuit ſuperatus à Chriſto ex iuſtitia; ſed tantum potentia diuina, vbi enim datur condignitas operis ſatisfactorij cum culpa, ſeu offenſa commiſſa; illic interuenit acceptatio & liberalitas illius qui Ieſus eſt, ſi per huiuſmodi opus remittatur offenſa illata. Cyrillus item Alexand. in lib. de fide ad Reginaldum hanc eandem opinionem defendit, dum ait, propterea ſolum Chriſtum potuiſſe ſatisfacere pro peccatis quorumcumque mortalium, quod hic ſit verus Deus, & verus homo: & quod corpus ſuum de facto pro nobis obtulerit: & ibidem ait precium noſtræ redemptionis non futurum ſatis magnum, ſi Chriſtus extitiſſet tantum purus homo: & in Epiſt. ad Maximianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum; *Ingens*, inquit, *pro vita noſtra precium hoc eſt proprium ſanguinem impendit; vnus hic, (*loquitur autem de Chriſto*) vniuerſam creaturam dignitate multis partibus excellebat:* fundatur ergo dignitas Chriſti ſatisfactionis non in acceptatione diuina, ſed in propria & peculiari dignitate ſanguinis Chriſti oblati pro nobis. *Vnde magnitudo ſatisfactionis Chriſti deducatur.* Anſelmus. Auguſtin. Cyrillus Alex.

Secundò probatur, ſcripturæ ſacræ comparant ſacramenta & ſacrificia veteris legis, cum ſacrificio crucis Chriſti, ac conſequenter cùm ſacramentis & ſacrificijs nouæ legis, aſſerúntque de illis quod non fuerint ſatis ad peccata hominum delenda, vt videre eſt Hebræorum 10. *Sanguine*, inquit, *hircorum & taurorum impoſſibile eſt auferri peccata:* De ſacrificio vero crucis Chriſti dicitur ibidem: *Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*: & Hebræorum 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces & ſupplicationes offerens, cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Loquitur autem hic de Chriſto, & de eius ſacrificio in Cruce celebrato: atqui ſacramenta, itémque ſacrificia veteris legis potuerunt eſſe ſatis ex acceptatione diuina ad reparationem generis humani: ergo ſacrificium Crucis, non ex acceptatione diuina, ſed ex ſe, & ſua natura deleuit peccata quorum- *Probatio 2.* Hebr. Roman.

Digitized by Google

cumque mortalium.

Peccatum primorum parentum totum perdidit genus humanum.

Confirmatur. Sacramenta nouæ legis, cenſentur eſſe cauſæ nedum morales, ſed multò magis phyſicæ, gratiæ iuſtificantis, vt dicemus in tractatione de Sacramentis in genere: ergo non ex acceptatione diuina, ſed ex ſe, & ſua natura hæc operantur ſalutem noſtram: ergo & à fortiori Chriſti ſatisfactio; cùm tota vis quę datur in ſacramentis, repetenda ſit à dignitate ſatisfactionis Chriſti.

Tertiò. Ex ſacris litteris habemus peccatum primi parentis perdidiſſe quoſcunque mortales

Paulus. ſuo demerito; dicitur quippe ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ſic in omnes pertranſijt*, & ibidem; *Non ſicut delictum, ita & donum*, ex quibus locis manifeſtè colligitur culpam primi parentis ex ſe fuiſſe ſatis ad perdendos quoſcunque mortales: ergo de ſatisfactione Chriſti ſtatuendum erit, quod ex ſe, & ſua natura ſalutem quorumcumque mortalium fuerit operata: dicitur enim in hoc eodem cap. citato Pauli, de Chriſti ſatisfactione; *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia:* & rurſus; *ſi vnius delicto multi mortui ſunt*: id eſt, omnes (*multum* namque in ſacris litteris idem eſt atque *omne* ex communi Patrum ſententia) *multò magis gratia & donum vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.*

4. probatio. Quartò, dignitas ſatisfactionis repetenda eſt ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, vt ſuprà monuimus; atqui perſona quæ ſatisfacit pro culpis quorumcumque mortalium, eſt verè infinita, & quidem ex ſe, & ſua natura: ergo dignitatem quoque iſtam confert omnibus actionibus ſatisfactorijs, ab humana natura elicitis. In

D. Thom. Soto. Medina. Caietanus Suares. Vazquez. Paludanus Capreol. hac concluſione ſunt, D. Th. hoc in loco: & quæſt. 48. artic. 2. huius partis, & in 3. diſt. 20. quæſt. 1. a. 1. & lib 4. contra Gent. cap. 55. Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 60. & in 4. diſt. 19. quæſt. 1. a. 2. Medina, Caiet. Suares, Gabriel Vazquez: idem docuerunt Sententiarij in tertium diſtin. 2. Paludanus, Capreolus, & alij.

3. Conclu. Satisfactionis Chriſti condignitas nõ eſt repetenda ex forma iuſtitiæ propriè dictæ.

CONCLVSIO Tertia, *Æqualitas ſeu condignitas ſatisfactionis Chriſti, cum culpis quorumcumque mortalium, non eſt repetenda ex forma iuſtitiæ propriè dictæ, commutatiuæ ſcilicet, aut diſtributiuæ,* vt volunt multi Thomiſtæ, & Suares. Primùm quia ſatisfactio Chriſti non poteſt eſſe iuxta formam iuſtitiæ propriè dictæ, nili inter Deum & Chriſtum detur quoque iuſtitia propriè dicta: atqui inter Deum & Chriſtum, non poteſt conſurgere ratio iuſtitiæ proprie dictæ: hæc enim conſiſtit in datis, & acceptis; ità vt data deſinant eſſe dantis, & incipiant eſſe acceptantis, vt author eſt Ariſtoteles Ethic. lib. 6. & docent philoſophi morales ibidem; at certum eſt nihil eſſe, quod non ſit magis Dei, quàm vllius plane alterius: titulo quippe creationis, & conſeruationis omnia ſubijciuntur Deo: neque poteſt Deus ſpoliare ſe hoc dominio, quod habet in res omnes creatas cum pendeant intrinſece in eſſe, fieri, & conſeruari ab ipſo.

Ariſt.

Obijcitur. Obiicies, in actionibus Chriſti ſatisfactorijs dari libertatem, itémque vitalitatem, & denique meritum quæ ita pendent à voluntate Chriſti libera, vt pendeant ſecundum illa tria, à

Satisfit. ſola Chriſti humana natura: ergò, Reſp. tria hæc ſpectari duobus modis, vel ſecundum entitatem quam habent à parte rei, vel ſecundum formalitatem, quam dicunt, præciſe loquendo de formalitate iſta: Priori modo libertas, vitalitas, & meritum in actionibus Chriſti humanis, magis ſunt à Deo, quàm à voluntate Chriſti libera: idque propter cauſam proxime allatam: poſteriori tamen modo, fatemur vltrò, pendere hæc à Chriſti voluntate libere operante. Cæterùm, quia formalitates iſtæ non ſunt entitates aliquæ realiter diſtinctæ à ſatisfactione ſecundum ſuam entitatem realem ſpectata, ideò humana Chriſti natura non potuit aliquid offerre Deo, quod tranſiret de nouo in dominium Dei, ſaltem quod ſit diuerſum ab ipſa ſatisfactione.

Ex Ariſt. inter dominum & ſeruũ non datur iuſtitia propriè dicta.

Deinde inter patrem & filium, dominum, & ſeruum non datur iuſtitia proprie dicta, ex doctrina Ariſtotelis, lib. 5. Ethicorum ad Nicomachum, ex eo quod ea omnia quæ ſunt filij, ſint patris; & quæ ſunt ſerui, ſint domini: ergo neque inter Chriſtum & Deum; provt Chriſtus per actiones humanæ naturę ſatisfecit pro delictis quorumcumque mortalium; nam quælibet actio humana Chriſti eſt magis Dei, quàm ſit humanæ naturæ eiuſdem, propter creationem, & conſeruationem earumdem. In hac ſententia ſunt Scotus, in 4. diſt. 46. Durandus, & Paludanus quæſt. 1. ibidem. Bonauent. a. 2. quæſt. 1. ad 1. Alenſis 3. p. quæſt. 33. memb. 1. & Vazquez diſp. 3. ad hanc partem.

Scotus. Durandus Paludanus Bonauent. Alenſis. Vazquez.

Obiectio. Obiicies, punire eſſe actum iuſtitiæ proprie dictæ: iuſtitia quippe punitiua hoc habet vt exigat pœnas ab eo, qui peccauit, & quidem iuxta dignitatem culpæ commiſſæ: ergo & ſatisfacere pro peccatis erit actus iuſtitiæ proprie dictæ. *Reſpõſio.* Reſpon. conceſſo antecedente, negando conſequutionem; ſatisfacere ſiquidem nihil eſt aliud, quàm compenſare iniuriam, ſeu offenſam alicui illatam: hoc autem recte fieri poteſt, nedum ab eo qui iniuriam intulit; ſed etiam ab aliquo alio eius nomine, vt manifeſte colligitur ex eo, qui tenetur alicui ad centum ex hypotheſi; hic enim reddendo centum, ſiue ex ſibi proprijs, ſiue ex alienis, ſuo creditori pleniſſime ſatisfacit, ſiue ſolutionem iſtam per ſeipſum, ſiue per alium faciat; ità & hoc idem dicendum eſt de eo qui tenetur ad ſatisfactionem pro iniuria alicui illata.

Satisfactio fieri poteſt per alium.

Eſt autem aduertendum Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, non ex æquitate iuſtitiæ proprie dictæ, ità vt ſatisfactio illius nec ſit ex æquitate iuſtitiæ proprie dictæ, neque item pars ſubiectiua eiuſdem, ſed ad ſummum poteſtatiua, idque quod deficiat à ratione propriæ iuſtitiæ, & nihilominus retineat modum aliquem, qui vere depræhenditur, in iuſtitia proprie dicta: nam quemadmodum iuſtitia proprie dicta reddit æquale pro æquali, ita & æqualitas iſta depræhenditur inter ſatisfactionem Chriſti & inter iniuriam illatam Deo per peccatum primi parentis, & per culpas noſtras.

Satisfactio Chriſti eſt pars tantũ poteſtatiua iuſtitiæ.

Adde, ſatisfactionem iſtam Chriſti non eſſe proprie actum elicitum vel à virtute religionis, vel à virtute pœnitentiæ: quia per ſatisfactionem Chriſtus non intendebat colere Deum, vt ſic; ſeu quod idem eſt reddere Deo debitum cultum; ſed multo magis ſatisfacere eidem pro offenſa ſibi illata; religio autem vt ſic reſpicit cultum

Satisfactio Chriſti non eſt actus elicitus à virtute religionis, aut pœnitentiæ.

Digitized by Google

deferendum Deo. Deinde, pœnitentia ità reſpicit propria peccata, vt ſine culpa propria conſurgere nequeat, ex communi doctrina; indubitatum eſt autem Chriſtum, etiam vt hominem talem, nec peccaſſe, nec peccare potuiſſe; ac proinde ſatisfactio eiuſdem ad neutram ex duabus iſtis vir tutibus referri poteſt.

Satisfactio Chriſti excedens ſeu ſuperabundans probatio 1.

CONCLVSIO VLTIMA. *Satisfactio Chriſti nedum fuit æqualis demeritis quorumcunque mortalium, ſed etiam excedens, ſuperabundans, & redundans.* Primùm, quia in Extrauaganti Vnigeniti, de pœnitentijs, & remiſſionibus dicitur à Clemente VI. Pont. Max. *minimam guttulam ſanguinis Chriſti, fuiſſe ſatis ad ſatisfaciendum pro culpis quorumcumque mortalium*: certum autem eſt Chriſtum effudiſſe non vnam guttulam ſanguinis ſui, ſed omnem ſanguinem quem habuit.

Clemés. 6.

2. Athanaſ.

Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia Patrum, Athanaſij de paſſ. & cruce Chriſti; *Chriſtus*, inquit, *factus eſt pro nobis maledictum, atque ità, humana carne amictus, qua noſtra erant patri obtulit, vt ipſe patiens illæſum redderet hominem, & parua magnis compenſaret*, & Chryſoſtomi Homil. 11. ad caput 5. epiſtolæ ad Roman. *Multò plura*, inquit, *quàm debebamus Chriſtus pro nobis ſoluit*; tantoque plura, quantò guttulam aquæ exiguæ pelagus excedit immenſum.

Chryſoſt.

3. Rom. 5. Luc. 9.

Tertiò hoc idem colligitur ex Script. ad Roman. quippe 5. dicitur; *Vbi abundauit delictum, ſuperbundauit & gratia*, & Lucæ 9. *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem.* Locus quippe hic differit de exceſſu mortis & paſſionis Chriſti: & apud Dauidem, Pſal. 129. dicitur de hac eadem re, *Copioſa eſt apud eum redemptio.*

Quartò. Quælibet offenſa illata Deo cenſetur eſſe finita; habuit quippe ortum à perſona creata & finita: ergo ſatisfactio Chriſti ſuperexcedit quamcumque offenſam irrogatam Deo: nam diximus ſatisfactionem conſequi ſuam dignitatem à perſona ſatisfaciente; perſona autem Chriſti cenſetur eſſe infinita, & conſequenter dignitas ſatisfactionis eiuſdem.

Obiectio.

Dices, docuiſſe nos omnem offenſam irrogatam Deo, eſſe infinitam, nedum obiectiuè, ſed etiam ſubiectiuè: ergo. Reſp. quodlibet etiam opus ſatisfactorium Chriſti eſſe infinitum obiectiuè, & ſubiectiuè, tendit enim hoc in laudem & gloriam Dei, & præterea habet tantam vim, vt ſi Deus eſſet capax alicuius delectationis de nouo, magis delectaretur Deus de hoc opere ſatisfactorio Chriſti, quàm diſplicuerit eidē offenſa irrogata à primis parentibus, & à nobis contra eundem, idque propter dignitatem ſuppoſiti, à quo habet ordinem; vnde hoc opus ſatisfactorium excedit multis partibus omnes omnino iniurias illatas Deo.

Magis placet actus Chriſti, quàm peccata hominum diſpliceant Deo.

Aliquo modo intrinſecè competit dignitas infinita actionibus Chriſti.

Eſt autem obſeruandum dignitatem iſtam infinitam competere actionibus ſatisfactorijs Chriſti, non quidem intrinſecè formaliter; ſed extrinſecè quodam modo, hoc nomine ſcilicet, quòd ſubſiſtentia increata Verbi, ſuppleat defectum ſubſiſtentiæ creatæ, ac proinde faciat illud idem quod faceret ſubſiſtentia creata, ſi adeſſet, cæterùm nobiliori modo, idque propter infinitatem quam habet in ratione perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ.

Vlt.

Denique, qui peccat contra Deum non offendit Deum in ſeipſo, ſed tantùm in effectu qui producitur; at ſatisfactio Chriſti nedum in effectu qui producitur perficit, ſed etiam quodam modo ad intrà: nam Paulus cap. 5. poſterioris ad Corinth. ita loquitur de hac re; *Deus erat in Chriſto, mundum ſibi reconcilians*; ità docent auctores 2. ſent. ſupra citati, pluribus verò Suares diſp. 4. ſect. 3. concluſione 3. Greg. de Valent. diſputat. 1. quæſt. 1. puncto 1. Medina, ad hunc articulum D. Thomæ.

Satisfit argumentis contrarijs.

Ad rationes vero auctorum primæ ſent. Reſp. ad 1. Deum abſolutè loquendo potuiſſe reſpuere ſatisfactionem Chriſti, non quidem ex eo capite, quod in ea extiterit defectus aliquis, quem debuerit ille ſua benignitate ſupplere, ad hoc, vt cenſeretur hæc ſatisfactio ſimpliciter æqualis demeritis noſtris; ſed quia Deus eſt ſimpliciter liber in ſuis ſuis actionibus ad extra. Deinde quia nihil eſt extra Deum, quod poſſit voluntatem diuinam ſimpliciter neceſſitare: Ex hypotheſi tamen non potuit Deus non acceptare ſatisfactionem Chriſti, idque quod fuerit hæc ſimpliciter æqualis demeritis noſtris, & ſupponat hæc voluntatem Dei antecedenter de incarnatione futura pro liberandis quibuſuis mortalibus morte & paſſione Chriſti; neceſſitas autem iſta hypotheticè nec deſtruit libertatem in Deo, reſpectu acceptationis ſatisfactionis Chriſti, neque item reſpectu voluntatis humanæ Chriſti operantis ſatisfactionem iſtam, vt monuimus in antecedentibus. Sunt qui paulo aliter reſpondeant: aiunt enim ſatisfactionis Chriſti acceptationē ſpectari, & vt eſt nuda, ſimplexque complacentia, quam Deus habet de iſta ſatisfactione, & vt eſt ſolutio libere oblata pro liberandis quibuſuis mortalibus; priori modo, fatentur acceptationem iſtam eſſe neceſſariam reſpectu Dei, minime vero poſteriori modo. Cæterum reſponſio à nobis adducta eſt longe tutior; nam nuda iſta complacentia, quæ ex hypotheſi datur in Deo de acceptatione ſatisfactionis Chriſti, tam vere libera eſt quàm ſit hæc eadem acceptatio, vt offertur Deo veluti pretium liberationis generis humani; nam complacentia iſta eſt actus aliquis Dei qui terminatur ad rem extra Deum poſitam, ac proinde debet hic actus eſſe liber, non autem neceſſarius.

Ex hypotheſi non potuit non acceptare Patrem ſatisfactionem Chriſti.

Ex mente aliquorum ſatisfactio bifariam ſumitur.

Reijcitur ſoluio quædam.

Ad 2. reſpondeo. Satisfactionem oblatam à Chriſto pro peccatis noſtris fuiſſe magis gratam & acceptam Deo, quàm diſplicuerit eidem vlla planè offenſa, vel à primis parentibus, vel à nobis eidem illata, idque propter cauſam anteà à nobis explicatam; habet quippe ſatisfactio Chriſti ortum ab humana natura ſuppoſitata à Verbo increato, quod proinde confert infinitam dignitatem ſatisfactioni Chriſti. Moneo tamen non eſſe neceſſarium ad hoc vt ſatisfactio ſit de toto rigore condignitatis operis, quod ſatisfactio ipſa non poſſit non acceptari à creditore, vel ab eo quem offendimus; ſatis enim eſt vt opus ſatisfactorium ità ſit in ſe præſtans & nobile, vt creditor iuſte non poſſit pro ſatisfactione aliquid vlterius exigere; perfectio autem iſta datur in quolibet opere Chriſti ſatisfactorio.

2. argumēto ſatisfit.

Vt ſatisfactio ſit condigna non exigitur vt non poſſit non acceptari.

Ad 3. reſp. Paſſionem Chriſti ſpectari duobus modis. Primùm conſideratur paſſio hæc, vt in ipſomet Chriſto debuit habere effectum; deinde vt hæc in ſuis membris, ſeu, quod idem eſt, in quibuſuis martyribus, & alijs ſanctis hominibus adimpleri debuit: priori modo paſſio Chriſti nedum eſt perfecta, ſed etiam perfectiſſima, idque propter infinitam dignitatem Verbi, quod terminat remo-

3. *Chriſti paſſio duobus modis ſumitur.*

Digitized by Google

te quaſcumque actiones Chriſti ſatisfactorias: poſteriori vero modo, paſſio Chriſti quotidie completur in illis omnibus, qui patiuntur nomine Chriſti: paſſionem autem iſtam Chriſti ſpectati poſteriori modo, nedum primo conſtat ex cap. 9.

Actor. 9. Actuum: ità enim illic alloquitur Chriſtus Saulum; *Saule, Saule, cur me perſequeris?* & ibidem: *Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris:* certũ autẽ eſt Paulum ſeu Saulum non infeſtaſſe Chriſtum in ſeipſo eo tempore, ſed tantum in Chriſtianis & Catholicis, qui agebant Damaſci, vt conſtat ex capite proximè citato Actuum: locus ergo qui obijcitur nobis ex cap. 1. ad Coloſſ. venit intelligendus de paſſione Chriſti ſpectata poſteriori modo, non autem priori.

Inſtantia. Inſtabis oraſſe Chriſtum paulò ante mortem ſuam, vt dignaretur Deus eius paſſionem acceptare, vt conſtat ex cap. 17. Ioann. *Pater, relarifica filiũ tuum.* Argumento igitur eſt paſſionem Chriſti fuiſſe imperfectam, provt hæc debuit in ipſomet Chriſto conſummari.

Ioann.

Reſſonſio. Reſp. Chriſtum oraſſe Deũ Patrem vt acceptaret eius paſſionem, non quidem eo conſilio, quòd extaret aliquis defectus in ea qui ſupplendus eſſet à Deo per ſuam bonitatem & miſericordiam; diximus enim paſſionem iſtam hoc modo ſpectatam, eſſe perfectiſſimam; ſed quia vnum ex medijs ordinatis ad generis humani redemptionem exſtitit oratio Chriſti, vt manifeſtè colligitur ex illo Dauidis Pſalm. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

Pſalm.

4. *Voluit Chriſtus nos cooperari gratiæ, quia promeruit nobis.*

Ad 4. reſp. Præter ſatisfactionem Chriſti neceſſariam eſſe cuiuſlibet noſtrûm ſatisfactionem ad vitam æternam conſequendam, quia voluit Deus nos eſſe cooperatores noſtræ ſalutis; ità vt nedum Chriſtus meruerit nobis vitam æternam, & auxilia quælibet neceſſaria ad iſtam conſequẽdam, ſed etiã effecit ſua morte vt quilibet noſtrûm promereti poſſet ſuis actionibus hanc eandem vitam æternam: vnde quilibet noſtrûm debet per ſeipſum ſatisfacere dependenter tamen à meritis Chriſti. Doctrina hæc manifeſtè colligitur ex cap.

Luc. 9. Lucæ, ita enim loquitur illic Chriſtus. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã, & ſequatur me:* & ex Patribus, Greg. homil. 37.

Gregor. in Euangelia: *Non poteſt*, inquit, *ad magna præmia perueniri, niſi per magnos labores.* Proſpero Aquitanico in ſuis ſententijs: *Poculum*, inquit, *noſtræ ſalutis pro omnibus fuit oblatum, illis tamen ſolis conducit à quibus bibitur.*

Proſper. Fauent & Scholaſtici omnes: aiunt enim paſſionem Chriſti eſſe quidem ſufficientiſſimam ad redimenda quælibet peccata, efficaciter tamen nullum planè deleri peccatum in aliquo, niſi huiuſmodi paſſio fuerit à nobis acceptata, vel per ſuſceptionem alicuius ſacramenti, vel certè per actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, ſaltem ſi ſermo ſit de adultis: quod dico, quoniam paruulis per ſolam baptiſmatis ſuſceptionem remittuntur peccata omnium conſenſione.

Vltimo. Ad vltimam reſp. In quolibet peccato mortali dari & offenſam Dei & reatum, ſeu obligationem ad pœnam æternam, Chriſtúmque pleniſſime ſatisfeciſſe ſua morte pro iſtis duobus, vt euidentiſſime colligitur, ex illo 1. Ioann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum; ſed & totius mundi:* & ex illo Hebræorum. *Una oblatione facta (ſcilicet in ara Crucis) conſummauit in æternum ſanctificatos.* Non fuit autem neceſſe Chriſtum experiri in proprio corpore, aut in anima pœnas

1. Ioan. 2.

Hebr.

A Inferni, ad hoc vt ſatisfaceret pro peccatis noſtris, quemadmodum docuit impius Caluinus lib. 2. ſuæ Inſtit. cap. 16. ſect. 10. per totam: aduerſatur quippe hæc doctrina verbis Chriſti, Ioann. cap. 16. *Venit Princeps huius mundi & in me non habet quidquam*, pugnátque cum recta ratione; neque enim neceſſe eſt ad hoc vt quis conſtitutum in carcere donet libertate, quòd experiatur pœnas iſti incarcerato debitas; ſed ſatis eſt, quod nomine incarcerati perſoluat illud omne ad quod tenetur, qui ex hypotheſi agit in compedibus, vt eſt per ſe notum; certum autem eſt Chriſtum obtuliſſe Deo paſſionem ſuam quæ fuit illi longe magis grata, B quam diſplicuerit eidem culpa commiſſa à primis parentibus, vel à nobis.

Caluinus impius.

Ad rationes verò Thomiſtarum reſp. Ad 1. Probare tantùm in ſatisfactione Chriſti deprehendi modum aliquem iuſtitiæ proprie dictæ, minime verò iuſtitiam ipſam proprie dictam; modus autem hic in eo eſt poſitus, quòd quemadmodum in ſatisfactione ſecundum iuſtitiam proprie dictam redditur æquale pro æquali; ità Chriſtus ſua morte, & alijs actionibus ſatisfactorijs reddidit Deo offenſo compenſationem perfectiſſime æqualem.

Reſpondetur argumẽt. Thomiſt.

Ad 2. Sunt qui dicant quatuor conditiones eſſe ſimpliciter neceſſarias ad hoc vt conſurgat ſatisfactio ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ. C 1. eſt quod tantùm reddatur, quantùm debetur. 2. vt compenſatio iſta ſit ex indebitis, ſeu, quod idem eſt, ex bonis debitoris, ità vt hæc nulla ratione ſint creditoris, antequam ei offerantur à debitore. 3. quòd non poſſit hæc non acceptari vbi erit oblata à debitore. 4. & vltima quòd ſolutio iſta fiat ab illo eodem qui debitum contraxit: Ceterùm duæ poſteriores conditiones nulla ratione videntur eſſe neceſſariæ ad ſatisfactionem ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ; nam cùm quilibet noſtrûm ſit liber reſpectu cuiuſlibet obiecti finiti voluntatis noſtræ, propoſito quolibet obiecto ſatisfactorio, etiam ſi fuerit hoc perfectiſſime æquale debito contracto, poterimus huiuſ- D modi obiectum acceptare, vel nõ acceptare. Deinde ad hoc vt ſatisfactio prædicta conſurgat ſatis eſt, quòd oblata ſatisfactione non poſſit aliquid vlterius exigere, vt recte admonent Suares, & plerique alij Interpretes D. Th. hoc loco.

2. *4. conditiones neceſſariæ ad iuſtitiã propriè dictam.*

Vltima autem conditio ideò non eſt neceſſaria, quia quilibet noſtrûm poteſt ſatisfacere pro agente in carcere, etiam ad æqualitatem perfectiſſimam iuſtitiæ proprie dictæ, reddendo creditori totum illud quod illi debetur à conſtituto in carceribus: ità docet Peſantius diſp. 2. ad hunc art. D. Thom. & Suares diſp. 4. Conuenit autem inter omnes ad ſatisfactionem iſtam ſimpliciter deſiderari, quod ſit inter duos, ſeu, quod idem eſt, ad alterum: ex E iſtis tamen non poſſunt Thomiſtæ demonſtrare ſatisfactionem Chriſti extitiſſe ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ; nam non daretur repaſſio, (vt loquitur Ariſtoteles, & communiter philoſophi morales) cum Deo in ſatisfactione Chriſti, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſatisfactionem ſecundum formam iuſtitiæ proprie dictæ; repaſſio autem in eo poſita eſt, quod data deſinant eſſe dantis, & incipiant eſſe acceptantis: diximus vero actiones ſatisfactorias Chriſti ex ſe & ſua natura eſſe magis Dei, quàm ſint humanæ naturæ Chriſti, idque titulo creationis & conſeruationis.

Ariſt. *Repaſſio neceſſaria ad iuſtitiam propriè dictam.*

Ad vltimam, quę eſt fundamentum Suaris, & eorum qui defendũt opinionem iſtam reſp. Poſita

Vltim.

promiſſione de remunerandis operibus pœnalibus, & poſitis iſtis actionibus pœnalibus de facto extra ſuas cauſas, conſurgere obligationem iuſtitiæ propriè dictæ, inter eos tantùm, qui ſunt capaces iuſtitiæ propriè dictæ: humana autem natura Chriſti, & Deus, non ſunt capaces iuſtitiæ propriè dictæ, vt ſuprà probauimus: diximus enim ad iuſtitiam propriè dictam ſimpliciter requiri, quòd hæc ſit inter duos realiter diſtinctos, & quod data deſinant eſſe dantis, & incipiant eſſe acceptantis, quod non accidit in ſatisfactione Chriſti, nec accidere poteſt.

Inſtantia. Inſtabis Deum futurum iniuſtum, ſi non remuneraret operationes Chriſti ſatisfactorias, vt manifeſte colligitur ex cap. 6. Hebræorum. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliniſcatur operis veſtri*: & cap. 4. poſterioris ad Timotheum. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Reſp. Etiam ſi Deus nullo præmio compenſaret actiones Chriſti meritorias & ſatisfactorias, non tamen propterea Deum futurum iniuſtum, ſed tantùm infidelem; non enim præſtaret aliquid cõtrà æquitatẽ iuſtitiæ propriè dictæ, eò quòd inter Deum & creaturam non detur, nec dari poſſit iuſtitia huiuſmodi; diceretur tamen infidelis, quia violaret promiſſionem à ſe factam, de remunerandis bonis operationibus Chriſti: promiſſio autem hæc fuit à nobis configna-

Hebr.

Ad Tim.

Reſponſio. Non foret iniuſtus Deus, ſed infidelis ſi non compenſaret, &c.

Pſal. 2. ta in antecedentibus Pſal. ſcilicet 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam*: Teſtimonia vero Pauli adducta tantùm probant remunerationem bonorum operum fieri ſecundum iuſtitiam, non quidem propriè, & formaliter loquendo de iuſtitia propriè dicta, ſed tantùm impropriè reſpectu illius modi quem diximus deprehendi in ſatisfactione Chriſti: eſt enim ſatisfactio iſta ad æqualitatem perfectiſſimam, ità vt tanta ſit, & item maior quàm fuerit offenſa illata Deo.

DVBITATIO QVARTA.

An ſatisfactio Chriſti fuerit ad alterum, ſeu, quod idem eſt, inter duos realiter inter ſe diſtinctos.

Ratio dubitandi. RAtio dubitandi eſt: ſatisfactio non poteſt eſſe ad ſeipſum, quemadmodũ neque iuſtitia & iniuſtitia, at Chriſtus cẽſetur ſatisfacere per actiones humanæ naturæ Deo, cui illata eſt à primis parẽtibus, & à nobis iniuria: ergo cũ Chriſtus ſit verus Deus, ſatisfactio iſta non eſt ad alterum, Chriſtum autem eſſe Deum verum indubitatum eſt, ex cap. 3. Ioann. & 17. Matth. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*: & ex cap. 1. Ioann. *Et Verbum caro factum eſt.*

Ioann. Matth.

Satisfactio Chriſti eſt ad alterum. CONCLVSIO. *Satisfactio Chriſti eſt ad alterum, ac proinde inter ſe diſtinctos*: hæc eſt D. Thomæ hoc in loco, & interpretum eiuſdem ibidem, & Sententiariorum in 3. diſt. 20. Deinde idem docent Patres citati à nobis Dubit. 3. ad hunc articulum; aiunt enim ideò Verbum diuinum fuiſſe incarnatum, vt ſatisfactio Chriſti eſſet perfectiſſimè æqualis demeritis noſtris, & item primorum parentum: loquuntur autem Patres de morte & paſſione Chriſti, quam docent nedum fuiſſe æqualem demeritis noſtris; ſed etiam ſuperabundantem.

2. probatio.

3. Denique qui ſatisfacit pro peccatis noſtris eſt Chriſtus, per actiones tamen humanas honeſtas; fit autem ſatisfactio Deo, qui vere diſtinguitur realiter à Verbo diuino, ſub ea ratione, qua Verbum terminat & complet humanam Chriſti naturam, conferꝛque proinde dignitatem infinitam actionibus Chriſti ſatisfactorijs.

Variæ explicationes cõcluſionis. Licet autem hæc Concluſio ſit communis inter omnes Scholaſticos, variant tamen in ea explicanda. Suares quippe diſp. 4. ſect. 6. ad hanc partem D. Thom. ait aliquos propterea ſentire ſatisfactionem Chriſti eſſe inter duos realiter inter ſe diſtinctos, quod ſatisfactio iſta ſit à Verbo diuino & offeratur hæc Deo Patri, vt videtur colligi ex cap. 2. 1. canonicæ Ioann. *Aduocatum habemus apud Patrem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*: & ex cap. 4. ad Epheſ. *Per quem* (ſcilicet filium Dei) *acceſſum habemus ad Patrem.* Ergo cùm Verbum diuinum & Pater diſtinguantur inter ſe realiter, ſatisfactio Chriſti erit proprie ad alterum.

Ioann.

Epheſ. 4.

Refellitur 1. explicatio. Satisfactio eum debet reſpicere qui læſus eſt. Ceterùm ratio iſta docendi nullo modo defendi poteſt: ſatisfactio ſiquidem Chriſti debuit reſpicere eum qui læſus eſt peccato primorum parentum, & item culpis noſtris: diximus enim ſatisfactionem pro offenſa eſſe compenſationem oblatam libere ei cui illata eſt iniuria: at iniuria fuit illata nedum perſonæ Patris, ſed etiam perſonæ Filij & Spiritus ſancti, cùm identificentur perfectiſſime cum eſſentia diuina, licet diſtinguantur inter ſe realiter. Ergo.

Omnibus perſonis debuit fieri ſatisfactio. Confirmatur. Peccatum definitur dictum, factum, ſeu concupitum contra legem Dei æternam: ergo cùm filius ſit verus Deus & item Spiritus ſanctus, tam vere debuit fieri ſatisfactio Filio, & Spiritui ſancto, quàm Patri. Teſtimonia vero adducta in confirmationem opinionis iſtorum Doctorum, tantum probant filium Dei eſſe mediatorem & redemptorem noſtrum apud Patrem, prout Pater ſignificat nedum perſonam primam ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed multo magis prout dicit Deum, ſub ea ratione qua Deus eſt: habemus ergo acceſſum apud Deum per Filium incarnatum, mortuum, & paſſum pro nobis & conſequenter vt Filius, terminat actiones ſatisfactorias humanas Chriſti, qua ratione datur diſtinctio realis inter Deum & humanam naturam terminatam à Verbo.

2. probatio aliorum. Alij vero propterea volunt ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ad alterum proprie, quod hæc ſit ab humana natura, præciſa cogitatione noſtra à Verbo, & quod offeratur ità præciſa Deo.

Refellitur. Verùm opinio iſta eſt magis impertinens, quàm proximè confutata: fatentur enim omnes, actiones eſſe ſuppoſitorum; ſatisfactio autem Chriſti quælibet, rationem actionis, vel paſſionis habet.

Deinde illius eſt operari, cuius eſt eſſe: eſſe autem eſt totius compoſiti ſubſtantialis ex doctrina communi Ariſtotelis, compoſitum autem ſubſtantiale conſurgit, nedum ex partibus eſſentialibus, ſed etiam ex exiſtentia & ſubſiſtentia ſi fuerit hoc ſubſtantia completa & indiuidua. Denique natura ſubſtantialis tamdiu, quamdiu caret ſubſiſtentia propria vel aliena, nequit aliquid extra ſe operari. Ergo.

Vera probatio cõcluſionis. Bifariã ſumitur perſona Chriſti in genere entis & moris. Dico igitur, *eos eſſe ſequendos qui aiunt ſatisfactionem Chriſti ideò fuiſſe ad alterum, quòd licèt detur in ipſa vnica tantùm perſona, eáque increata diuini Verbi: hac tamen ſpectatur & in genere entis, & in genere moris*: priori modo perſona iſta nihil eſt aliud, quàm Verbum, ac proinde ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, quę licet diſtinguatur realiter à Patre & Spiritu ſancto, identificatur tamen perfectiſſime cum eſſentia diuina, ità vt nec reali-

Digitized by Google

ter, nec formaliter ab ea differat: poſteriori verò modo, nihil eſt aliud, quàm hæc eadem perſona ſub ea ratione qua terminat actiones humanas Chriſti, & confert dignitatem infinitam eiſdem in genere moris. Priori ergo modo perſona Verbi non ſatisfacit, ſed offertur ei ſatisfactio, non minùs quàm Patri, & Spiritui ſancto; bene tamen poſteriori modo: certum autem eſt hac ratione humanam naturam ità terminatam diſtingui realiter à Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vt ſunt vnus Deus, ac proinde recte de hac ſatisfactione dici, quod ſit ad alterum vere & proprie. Confirmatur res iſta: Ex duabus perſonis inter ſe realiter diſtinctis, conſurgit vna numero perſona in genere moris, vt conſtat ex filio in tenera ætate conſtituto, & ex patre; ex ſeruo & domino: ex fœtu & muliere grauida, quæ enim ſunt filij, cenſentur eſſe patris, & quæ ſerui domini: quid igitur mirum ſi ex vna & eadem numero perſona phyſicè ſpectata conſurgat veluti duplex alia perſona in genere moris? hoc autem accidit in perſona humanæ naturæ Chriſti, vt conſtat ex ante dictis.

Ex duabus perſonis realiter diſtinctis fit in genere moris vna perſona.

Soluitur ratio dubitandi.

Ad rationem vero dubitandi reſpondeo. Eiuſdem ad ſeipſum non eſſe ſatisfactionem, ſi fuerit hic vna tantum perſona, & phyſicè & moraliter loquendo: ſi autem fuerit duplex perſona in genere ſcilicet moris & entis, nihil repugnat quominus eiuſdem ad ſeipſum detur ſatisfactio; in re autem præſenti humana natura per actiones à ſe elicitas, & terminatas à diuino Verbo habet rationem perſonæ ſatisfacientis, vt vero perſona diuini Verbi eſt vna ex perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis abſolutè ſpectata, & identificata cum Deo, habet rationem perſonæ cui fit ſatisfactio.

DVBITATIO QVINTA.

An qualibet operatio Chriſti ſatisfactoria, ſit meriti, & valoris infiniti.

Scor. ſent. Durand. Nomin.

SCotus in 3. diſt. 29. Durand. ibidem, & Nominales aliqui putant nullam ex actionibus Chriſti ſatisfactorijs, habere rationem valoris infiniti ex ſe, & ſua natura, neque item ex lege & ordinatione diuina: addùt tamen aliqui ex Nominalibus operationes aliquas Chriſti eſſe infinitas, ceterùm ſola acceptatione diuina. Probant. Quia ſatisfactio Chriſti potuit eſſe æqualis demeritis quorumcumque hominum, ac proinde & iniurijs & offenſis contra Deum commiſſis, ſine vlla infinitate; æqualitas quippe inter opera ſatisfactoria Chriſti & iniurias Deo illatas, potuit conſurgere ſecluſa infinita dignitate, ab operibus ſatisfactorijs Chriſti: offenſæ ſiquidem Deo illatę, vel à nobis, vel à primis parentibus, fuerunt omnes finitæ: tum quia ſunt iſtæ omnes contra aliquas virtutes, quas finitas eſſe nullus eſt qui neſciat, tum etiam quia fuerunt contractæ per actionem aliquam verè finitam: ergo actione aliqua finita, honeſta, potuit Chriſtus ſatisfacere ad æqualitatem perfectiſſimam. Neque refert quod aliqui obijciunt offenſas Deo illatas à nobis & à primis parentibus, eſſe obiectiue infinitas, ac proinde poſtulare ſatisfactionem infinitam, quodlibet namque opus honeſtum à Chriſto executioni demandatum, fuit infinitum obiectiue, præſertim ſi habuit Deum pro obiecto proximo & immediato: ergo actio iſta ſaltem fuiſſet ad æqualitatem perfectiſſimam, eſto fuerit finita.

1. probatio.

Deinde ſi res aliter haberet omnes Chriſti actiones ſatisfactoriæ eſſent perfectiſſimè inter ſe æquales: Ariſtoteles quippe ait infinitum eſſe illud extra quod nihil ſupereſt accipiendum, ſequeretur præterea exhauſtam eſſe Dei potentiam; Ariſtoteles enim ait infinitum eſſe id cui nihil addi poteſt: at neutra ex iſtis illationibus defendi poteſt, non quidem 1. quia fatentur omnes, actiones Chriſti eſſe cæteris perfectiores, quæ verſantur circa præſtantiores virtutes, & quę fuerunt factæ cum pluribus & perfectioribus circumſtantijs. Non 2. quia data quacumque re creata, poteſt Deus producere perfectiorem in infinitum, & item poſita quacumque perfectione in re aliqua creata, poteſt Deus addere eidem aliquam aliam perfectionem. 2.

3. probatio pro Nominalibus.

Tertiò. Ratio perſonæ eſt impertinens ad maiorem vel minorem ſatisfactionem, neque enim ſolutio facta à rege erga debitorem cenſetur eſſe perfectior ea quæ fit à plebeio; ſi tamen plebeius v. c. reddat ſuo creditori centum, & rex ſimiliter totidem pro alio debito conferat: ergo cùm cetera omnia quæ ſunt in humana natura diuerſa à Verbo, ſint finita, ſatisfactio Chriſti non eſt infinita.

Vltim

Denique ex contraria ſententia, concedendum eſſet de meritis Chriſti quòd carerent præmio æquali ſibi; nam omnis gratia & gloria quæ hactenus fuit data, & quæ in poſterum dabitur, fuit vere finita.

2. ſentent.

Alij vero ſentiunt quodlibet opus Chriſti ſatisfactorium extitiſſe infiniti meriti & valoris: non conueniunt tamen iſti in hac re explicanda. Alij enim dicunt quamcumque operationem Chriſti ſatisfactoriam ideò eſſe infinitam ſimpliciter, quod hæc ſit partim diuina, partim humana. Alij quod quælibet ex iſtis operationibus ſit à Verbo diuino, veluti à cauſa efficiente, ità vt per veram efficientiam & cauſalitatem producatur à Verbo diuino. Alij, quòd producantur operationes iſtæ à Verbo diuino non quidem per veram efficientiam & cauſalitatem, ſed tantùm per moralem influxum.

D. Thom. Alenſ. Bonauent. Richard. Capreol. Paludan. Ferrariēſ. Soto,

Hæc opinio adſcribitur D. Thom. varijs in locis, præſertim q. 9. artic. 10. ad 2. huius partis & q. 46. art. 6. & q. 48. artic. 2. & 49. per totam: & lib. 4. contra gentes cap. 54. & quodlibeto 2. artic. 2. Alenſis 3. p. q. 17. memb. 5. artic. 2. Bonauent. & Richard. in 3. diſt. 3. Capreolo & Paludano in 3. diſt. 20. Ferrarienſi lib. proxime citato contrà gent. cap. 55. Soto in 4. diſt. 19. q. 2. artic. 2. & multis recentioribus.

Actiones Chriſti ſpectantur in genere entis & moris.

Aduerte, actiones ſatisfactorias Chriſti ſpectari, & in genere entis, & in genere moris: priori modo, nihil aliud ſunt quàm entitates aliquæ productę pertinentes ad cathegoriam qualitatis, ſi fuerint immanentes, vel ad cathegoriam actionis, ſi fuerint tranſeuntes: poſteriori vero cēſentur eſſe eædem entitates ceterùm affectæ perfectione aliqua morali ſuperaddita, ex eo quod huiuſmodi entitates reſpiciant obiectum aliquod, bonitate obiectiua morali bonum, vel certe quod tendant in obiectum lege & præcepto ſuperioris imperatum: præter iſtam moralitatem admittenda eſt aliqua alia in omni actione Chriſti ſatisfactoria, quę petitur à dignitate ſuppoſiti increati: diximus enim in antecedentibus præſtantiam ſatisfactionis pro offenſa alicui illata repetendam eſſe ex dignitate ſuppoſiti ſatisfacientis, ac proinde in ordine ad iſtam moralitatem, quæ datur in actionibus ſatisfactorijs Chriſti. Concedunt communiter Theo-

Præter moralitatē ex obiecto admittēda eſt moralitas ex dignitate ſuppoſiti.

BIBLIOTECA NACIONAL

Digitized by Google

logi quamcumque ſatisfactionem ipſius eſſe verè infinitam, illa verò moralitas petitur ab obiecto proximo & immediato cuiuslibet operis ſatisfactorij Chriſti, & à circumſtantijs omnibus cum quibus contigit huiuſmodi opus ſatisfactorium à Chriſto produci, aut etiam à nobis, ſi ſermo ſit de ſatisfactionibus noſtris. Dubitatio ergo iſta explicanda eſt de operibus Chriſti ſatisfactorijs, & in genere entis, & in genere moris conſideratis.

Actio Chriſti phyſicè ſpectata eſt finita.

Conclvsio 1. *Omnis actio Chriſti ſatisfactoria, ſpectata in genere entis tantùm, eſt verè finita.* Primùm, quidquid recipitur in ſubiecto finito & determinato, debet eſſe finitum, & determinatum; atqui quælibet ſatisfactio Chriſti recipitur in ſubjecto finito, nempe in humana Chriſti natura, ſaltem ſi ſermo ſit de actionibus ſatisfactorijs immanentibus, & ſi fuerit ſatisfactio actio tranſiens, recipitur etiam in aliquo ſubiecto finito: omnis enim actio tranſiens idem eſt realiter cum paſſione: paſſio autem omnis ſubiectum finitum arguit. Ergo & actiones illæ finitæ erunt.

Effugium Nominalium præcluditur.

Reſpondent Nominales aliqui, propoſitionem maiorem huius argumenti falſam eſſe: putant enim infinitum poſſe ſubiectari in re finita, modò roboretur res iſta finita virtute agentis alicuius ſimpliciter infiniti: ceterùm reſponſio iſta eſt impertinens planè, tanta quippe debet eſſe capacitas recipientis, quanta recepti, res autem recepta ex hypotheſi eſt infinita: ergo & recipiens quoque debet eſſe infinitum. Deinde, continens debet eſſe maius cõtẽto: ergo ſi res recepta fuerit infinita, non poterit hæc ſubiectari in re finita, quamuis roboretur res iſta finita, virtute agentis ſuperioris. Rurſus quod pertinet ad certam aliquam ſpeciem cathegoricam, non poteſt non eſſe finitum, contrahitur enim per propriam differentiam ad certam aliquam ſpeciem: at diximus omnem Chriſti ſatisfactionẽ pertinere, vel ad cathegoriam qualitatis, vel actionis. Ita communiter interpretes D. Thom. hoc loco.

Obiectio.

Obijcies, actiones eſſe ſuppoſitorum: ergo cùm ſatisfactiones Chriſti ſint actiones, erunt iſtæ infinitæ, propter infinitatem ſuppoſiti Chriſti, etiam in genere entis. Reſp. actiones iſtas ſatisfactorias eſſe à ſuppoſito increato, non tamen propterea eſſe infinitas in genere entis phyſici; ad hoc enim vt eſſent infinitæ in hoc genere, deſideraretur vt producerentur à ſuppoſito diuino in genere cauſæ efficientis phyſicæ, ac proinde per veram efficientiam & cauſalitatem, quod tamen dici non poteſt de actionibus iſtis comparatis cum ſuppoſito Chriſti: nam ſuppoſitum hoc nulla ratione eſt operatiuum, ſed tantummodo terminatiuum, & adhuc ſuppoſitum hoc non terminat proximè actiones ſatisfactorias Chriſti, ſed tantum remotè.

Reſponſio.

Verbi ſuppoſitum non producit efficiendo actiones ſed terminando naturam humanam.

Deinde, licèt daremus actiones iſtas ſatisfactorias eſſe à ſuppoſito Chriſti, in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, non tamen ſequeretur ſatisfactiones iſtas eſſe infinitas: creatio quippe eſt à Deo, veluti à ſua cauſa præcipua & principali, & tamen non eſt infinita.

Suppoſito diuino tribuũtur actiones Chriſti vt quod.

Denique, ſi res ità haberet ſequeretur actiones ſatisfactorias Chriſti non minus eſſe à Patre & Spiritu ſancto, quàm à Verbo; eſt enim axioma communiſſimum inter Theologos, opera ad extra ex æquo competere omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: tribuuntur ergo operationes iſtæ ſatisfactoriæ ſuppoſito diuino, veluti principio denominationis, ſeu, vt quod, vt philoſophi loquuntur: principium autem hoc vt ſic, præciſe ſpectatum non confert à parte rei vllum infinitatem actionibus ſatisfactorijs Chriſti, ſaltem ſpectatis in genere entis.

Actio Chriſti in genere moris eſt infinita.

Conclvsio 2. *Actio qualibet ſatisfactoria Chriſti, in genere moris ſpectata, eſt vere infinita:* docent verbis expreſſis, Chryſoſt. in epiſt ad Romanos, & Anſelmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 14.

2. probatio.

Deinde Patres Dubit. 3. huius artic. citati aiunt, ideò neceſſariam fuiſſe Verbi diuini incarnationem ad generis humani reparationem, quia aliter non potuit ſatisfactio eſſe æqualis culpæ & offenſæ illatæ Deo, vel à primis parentibus, vel à nobis.

3.

Tertiò, in Extrauaganti, Vnigenitus, de penitentijs & remiſſionibus, dicitur guttulam ſanguinis Chriſti ſatis fuiſſe ad delenda peccata quælibet, & Theologi communiter affirmant, in tractatione de Indulgentijs, theſaurum Eccleſiæ, nulla ratione poſſe exhauriri, idque quòd conſurgat hic ex meritis ſanctorum, & Chriſti quæ ſunt verè infinita.

4.

Quartò, dignitas ſuppoſiti Verbi, applicatur humanæ naturæ Chriſti & actionibus eiuſdem non finito & determinato modo, ſed infinito & illimitato, ſecundum totam latitudinem quam in ſe habet: ergo cùm dignitas iſta ſit infinita, valor quoque operum Chriſti erit infinitus; præſertim cum docuerimus dignitatem operum ſatisfactoriorum Chriſti repetendam eſſe ex præſtantia diuini Verbi: ità docent auctores citati pro 2. opinione: pluribus vero Vazquez diſp. 6. ad hanc partem D. Thom.

Satisfit argumentis Scoti.

Ad rationes vero contrarias. Ad primam reſp. quidquid ſit de maiore, negando min. ad probationem autem concludere tantùm, offenſam mortalem illatam Deo à nobis, vel à primis parentibus, eſſe finitam in genere entis, committitur ſiquidem hæc à nobis per actionem finitam, & contra virtutem aliquam limitatam: in genere tamen moris offenſæ iſtæ ſunt infinitæ: diximus enim quantitatem cuiuslibet offenſæ lethalis repetendam eſſe, ex dignitate perſonæ quæ læditur: vti & præſtantia ſatisfactionis pro offenſa petitur à dignitate perſonæ ſatisfacientis: perſona autem quæ offenditur à nobis, quando lethaliter peccamus, cenſetur eſſe Deus, ac proinde res aliqua ſimpliciter infinita. Ad id verò quod ſubiungitur in eodem argumento, peccatum mortale eſſe tantum obiectiuè infinitum, dico propoſitionem iſtam eſſe manifeſtè falſam, ſaltem ſi peccatum mortale ſpectetur in genere moris; nam diximus eam eſſe vim cuiuslibet culpæ mortalis, vt ſi diuina natura deſtrui poſſet, hæc vere annihilaretur per peccatum mortale. Deinde diximus quantitatem cuiuslibet culpę, ac proinde indignitatem eiuſdem repetendam eſſe ex dignitate perſonæ offenſæ: ergo cùm Deus ſit infinitus, & contra hunc, peccatum mortale admittatur, culpa mortalis quælibet erit infinita, moraliter loquendo.

Peccatum non ſolùm eſt obiectiuè infinitũ.

2. argumẽtum diſſoluitur.

Ad 2. Reſp. quaſlibet culpas lethales ſpectatas in genere moris eſſe æquales: ſunt enim omnes cõtra Deum, ex illo; Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, ac proinde etiam de quibuſuis actionibus ſatisfactorijs Chriſti, ſpectatis in genere moris, concedendum eſt quod ſint infinitæ, vnde & æquales; præſtantia quippe iſtarum omnium operationum in genere moris deſumenda eſt à dignitate ſuppoſiti diuini, vt probabitur inferius copioſe; in genere tamen entis, actiones ſatisfactoriæ Chriſti ſunt inæquales, iuxta inæqualitatem virtutum, & circumſtantiarum cum quibus executioni fuerunt

In genere entis actiones Chriſti ſunt inæquales.

Digitized by Google

demandatę à Chriſto, & hoc tantùm probatur hac ratione. Ad id vero quod dicitur in eodem argumento, infinitum eſſe id extra quod nihil ſupereſt accipiendum. Reſp. hoc eſſe intelligendum de infinito ſimpliciter in omni genere entis, in quo tamen genere actiones Chriſti ſatisfactorię non ſunt infinitę, cum docuerimus eſſe tantum infinitas in genere moris: hęc autem infinita recte multiplicari poſſunt; conuenit enim inter omnes quod ſi daretur linea aliqua infinita poſſet Deus innumeras alias lineas infinitas per ſuam omnipotentiã producere. Quòd verò obijcitur potentiam Dei eſſe exhauſtam, data hypotheſi quòd quælibet actio Chriſti ſatisfactoria ſit infinita. Reſp. hoc eſſe falſum, nam poteſt Deus addere cuilibet operi ſatisfactorio Chriſti, perfectionem aliquam in genere entis, illa eadem ratione, qua licet non poſſit Deus facere hominem eſſentialiter perfectiorem, poteſt tamen eundem perficere accidentaliter.

3 argumẽt. ſolnitur. Cur perſona creata non conferat ad valorem ſatisfactionis.

Ad 3. Reſp. perſonam creatam non conducere ad ſatisfactionem quæ ſit Deo pro offenſa eidem illata, idque quod perſona iſta ex ſe ſit ordinis naturalis perſona tamen increata conducit mirum in modum ad ſatisfactionem prædictam: eſt enim hæc intrinſece & eſſentialiter infinita, iuſta, & ſancta formaliter & intrinſece, ac proinde ſatisfactio quęlibet humana Chriſti, erit meritò infinita. Ad id vero quod dicitur de rege & de plebeio nõ promouere, neque etiam minuere dignitatem ſatisfactionis. Reſp. hoc eſſe verum de ea tantum ſatisfactione quæ ſit pro debito pecuniario, aut aliquo alio iſti ſimili; minime vero de ea ſatisfactione, quæ ſit pro iniuria alicui illata; nobilior quippe cenſetur eſſe ſatisfactio oblata à rege ei quem læſit inter homines, quàm ſit ea quæ offertur eidem à plebeio à quo paſſus eſt iniuriam.

Vltimi argum. ſolutio.

Ad vltimam reſp. Meritis Chriſti hactenus non eſſe conſtitutum præmium perfectiſſime æquale iiſdem; omnis enim gloria & gratia quæ data eſt, & quæ dabitur dependenter à meritis Chriſti vere finita eſt, vt fatentur omnes communiter, neque tamen propterea aliquid detractum eſt de dignitate meritorum Chriſti, neque vllà irrogata eſt iniuria Chriſto: ratio prioris eſt, quia magis ex eo commendantur merita Chriſti, cum ſint iſta longe nobiliora quàm præmium conſtitutum. Ratio vero poſterioris eſt, quia cum volenti nulla inferatur iniuria, & voluntas humana Chriſti ſit in omnibus quàm maximè conformis diuinæ, quemadmodum voluntas diuina nulla alia conſignauit præmia meritis Chriſti; ita & ordinatio iſta eſt quàm maxime grata voluntati humanæ Chriſti: poſſet tamen æquale præmium conſtitui meritis Chriſti, putà ſi perſona Patris, aut Spiritus ſancti incarnarentur; ex merito actionis alicuius humanæ naturæ Chriſti, haberet quippe actio iſta meritoria præmium vere infinitum, ſaltem reſpectu perſonæ incarnatæ, ac proinde tantum eſſet hoc præmium, quanta eſſet dignitas actionis meritoriæ Chriſti.

Poſſet æquale præmium conſtitui meritis Chriſti.

DVBITATIO SEXTA.

Vnde repetendus ſit valor infinitus, qui deprehenditur in actionibus Chriſti ſatisfactorijs.

Nõ ſumitur valer infinitus operũ Chriſti quod producatur à Verbo.

DICO 1. *Non eſſe repetendum ex eo quòd actiones iſtæ ſatisfactoriæ producantur à Verbo diuino in ratione cauſæ efficientis phyſicæ:* nam diximus Verbum diuinum non eſſe operatiuum, ſed tantùm terminatiuum, reſpectu actionum humanarum Chriſti.

Neque ex eo quòd actiones ſint partim diuinæ, partim humanæ.

DICO 2. *Non etiam ex eo quòd actiones ſatisfactoriæ Chriſti ſint partim diuinæ, partim humanæ:* quemadmodum aurumant aliqui Thomiſtæ propter authoritatem Dionyſij, Anſelmi lib. 3. de fide, Leonis I. epiſt. 10. qui aiunt actiones Chriſti ſatisfactorias eſſe Theandricas, id eſt, Dei-viriles. Primùm, quia Synodus Conſtantinopolitana 3. actione 4. & 17. definit actiones Chriſti alias eſſe ſimpliciter diuinas, alias ſimpliciter humanas. Ergo. Deinde eadem Synodus dicit anathema illis omnibus qui aiunt in Chriſto dari tantùm vnam operationem, quod tamen admittere videntur auctores contrariæ ſententiæ.

Probationis 1. 2.

Tertiò. Explicari nequit qua ratione actio elicita à diuina natura, vel à natura humana Chriſti ſit partim diuina, & partim humana, ſaltem ſi ſermo ſit de actionibus immanentibus elicitis vel à diuina natura, vel ab humana: fatentur enim omnes actionem immanentem ſubiectari tantum in eo à quo proxime & immediate producitur.

3.

Explicãtur SS. Patres.

Ad Patres autem qui citantur ab iſtis auctoribus. Reſp. propterea eos iſtam rationem loquendi vſurpaſſe, non quod crediderint actionem aliquam Chriſti ſatisfactoriam eſſe partim diuinam, & partim humanam, aut eſſe inter ſe permiſtas & confuſas actiones diuinas & humanas Chriſti, ſed quia in omni plane actione humana Chriſti datur vis humanitatis, & diuinitatis Chriſti; ità vt poteſtas naturæ diuinæ & humanę in iſtis verè appareat, vt manifeſte comprobatur ex ieiunio & ſuſcitatione Lazari factis à Chriſto; poteſtas quippe diuinitatis in eo eluceſcit, quod ieiunium Chriſti protractum fuerit ad quadrageſimum diem vſque, & quod Lazarus fuerit à mortuis reſuſcitatus: poteſtas vero humanitatis ex eo innoteſcit quod tranſacto quadrageſimo die cœperit Chriſtus laborare fame, & quòd vocibus iſtis Lazarum ſuſcitarit, *Lazare veni foras.* Ioann. 11.

Ioann. 11.

Nõ ſumitur valor infinitus ex eo quòd opera habeant id ſt obiectum.

DICO 3. *Infinitum valorem actionum ſatisfactoriarum Chriſti non eſſe deſumendum ex eo, quòd actiones iſtæ habeant Deum pro obiecto proximo vel remoto:* nam ſi ex alio capite actiones huiuſmodi non eſſent infinitę, ſatisfactio Chriſti non eſſet ad æqualitatem perfectiſſimam reſpectu demeritorum noſtrorum; hęc enim ſunt infinita propter infinitatem perſonæ quæ læſa eſt per huiuſmodi peccata, ac proinde deſideratur quoque perſona infinita quæ ſatisfaciat, ad hoc vt ſatisfactio iſta poſſit eſſe æqualis ſimpliciter demeritis noſtris.

2. probatio.

Deinde viſio & amor qui dantur in beatis reſpectu eſſentiæ diuinæ verſantur circa Deum vere infinitum; neque tamen propterea viſio & amor in ſeipſis cenſentur eſſe actus infiniti.

3.

Denique, vnitas indiuidua, & ſingularis cuiuſlibet actionis petitur ab vnitate ſubiecti in quo ſubiectatur, in ordine tamen ad ſuum obiectum: ergo quælibet actio ſatisfactoria Chriſti erit vna numero, quæ recipitur in humana Chriſti natura, eſto reſpiciat quodammodo Deum veluti ſuum obiectum, vnde erit etiam finita, quemadmodum & ſubiectum finitum in quo recipitur.

Valor hic petitur ab infinitate Verbi diuini.

DICO denique, *valorem iſtum ſumendum eſſe ex infinita dignitate Verbi incarnati, ita vt qualibet propterea actio Chriſti ſatisfactoria, ſit infinita in ſeipſa; quia procedit à natura humana terminata à diuino Verbo, ex cuius vnione prouenit ipſi humanitati ſanctiſ-*

Digitized by Google

tas intrinſeca, cuiuſcumque creaturæ ſanctitatem ſuperans abſque termino, quò etiam ſit vt excellentiorem gradum meriti, & ſatisfactionis conſequantur actus Chriſti præ omnibus creaturis & conſequenter etiam infinitum.

Probatio 1. Primùm, quia hæc videtur eſſe expreſſa mens D. Thom. artic. 10. q. 9. huius partis. Ait enim gratiam Chriſti habere infinitum effectum, & propter infinitatem gratiæ, & propter vnitatem perſonæ, & q. 46. & 49. huius partis, ait ſatisfactionem Chriſti fuiſſe æqualem demeritis noſtris, propter dignitatem ſuppoſiti humanæ naturæ: & q. 48. artic. 2. ad 3. docet carnem Chriſti ex perſona habuiſſe dignitatem infinitam: & lib. 4. contra Gent. cap. 54. & quodlib. 2.

D. Thom.

2. probatio. Secundò, ſancti Patres propter hanc cauſam docent incarnationem Verbi fuiſſe ſimpliciter neceſſariam ad humani generis reparationem, quorum teſtimonia Dubit. 3. ad hunc articulum citauimus.

Obiectio. Dices hypoſtaſim Verbi ſe habere extrinſece ad actiones ſatisfactorias Chriſti; valorem autem infinitum iſtarum ſatisfactionum debere eſſe illis intrinſecum. Reſp. valorem cuiuſlibet operis ſatisfactorij Chriſti alium eſſe eſſentialem, alium vero accidentalem; ille petitur ab obiecto proximo cuiuſlibet operis ſatisfactorij; hic vero à fine, ſeu remoto obiecto & à circumſtantiis eiuſdem: verùm hæc ſunt intelligenda de valore cuiuſlibet ſatisfactionis Chriſti ſpectatæ in genere entis: in genere vero moris quælibet ſatisfactio Chriſti in particulari ſpectata ſumit ſuum valorem à dignitate perſonæ Verbi, qui dicitur extrinſecus, comparatus cum valore intrinſeco eiuſdem ſatisfactionis ſpectatæ in genere entis; in genere tamen moris valor hic non eſt extrinſecus, ſed intrinſecus: coniungitur enim dignitas Verbi cum quolibet opere ſatisfactorio Chriſti intrinſece, prout exigit ratio entis moralis, vt morale eſt.

Reſponſio.

Duplex valor in actionibus Chriſti, eſſentialis & accidentalis.

Eſt autem obſeruandum, moralitatem iſtam cuiuſlibet operis ſatisfactorij Chriſti conſurgere ex perfectione quę aduenit cuilibet tali operi ſpectato in genere entis, prout opus hoc ſatisfactorium eſt conforme legi, ſeu præcepto ſuperioris, & vt elicitur ab humana natura terminata à Verbo diuino. Ità docent communiter interpretes ſancti Thomæ ex hoc loco; pluribus verò Gabriel Vazquez diſp. 6. Vt autem quæ hactenus dicta ſunt de Chriſti ſatisfactione pleniùs intelligantur, obſeruandum eſt, non eſſe concedendum de valore infinito operum Chriſti, quòd ſit ens rationis: hoc enim tamdiu eſt, quamdiu conſideratur; valor autem operum Chriſti, etiam ſi nullus ſit qui de eo cogitet, vere exiſtit; prout tamen poſtulat eius natura & eſſentia. Neque item fatendum eſt de hoc valore, quod ſit relatio prædicamentalis: ratio quippe virtutis cenſetur eſſe abſoluta ex communi doctrina: valor autem hic pertinet ad rationem virtutis moralis. Neque præterea admittendum eſt de hoc valore, quod ſit denominatio nuda extrinſeca: nam valor hic pertinet ad naturam & eſſentiam cuiuſlibet operis ſatisfactorij Chriſti, ſpectati in genere moris, ac proinde debet competere operibus iſtis Chriſti intrinſece. Dandum eſt igitur de hoc valore, quòd ſit perfectio aliqua abſoluta, moralis tamen, quæ competat cuilibet operi ſatisfactorio Chriſti, ex eo quòd opera iſta ſatisfactoria terminentur à ſuppoſito diuino in genere moris; nam omnes omnino actiones honeſtæ & liberæ enunciantur de ſuppoſito omnium conſenſione, & manifeſte colligitur ex axiomate illo Ariſtotelis; actiones ſunt ſuppoſitorum: deinde idem dicendum eſt de valore operum ſatisfactoriorum Chriſti, quod de dignitate cuiuſlibet operis facti ab homine, vel angelo in ſtatu vię conſtitutis, cæteris tamen paribus; atqui dignitas cuiuslibet operis honeſti facti ab homine vel angelo in ſtatu viæ, petitur à ſuppoſito & à circumſtantijs cum quibus contigit huiuſmodi opus fieri; ergo idem quoque erit dicendum de valore operum Chriſti. Tandem monui in antecedentibus, præſtantiam ſatisfactionis pro offenſa alicui illata repetendam eſſe ex dignitate perſonę ſatisfacientis: ergo hoc idem dicendum eſt de dignitate ſatisfactionis Chriſti.

Valor operum Chriſti non eſt ens rationis.

Nec eſt relatio prædicamentalis. Non eſt ità de nominatio nuda.

Aduerte 2. non eſſe concedendum de Chriſto, quod ſatisfecerit pro nobis ad æqualitatem perfectiſſimam ex eo tantum capite, quod ſit Deus: nam ſatisfactio reſpicit ſuperiorem læſum; Deus autem caret omni ſuperiore. Neque item dici poteſt quod Chriſtus, quatenus homo tantum, ſatisfecerit: ità enim ſatisfactio iſta non eſſet tanta, quanta fuit perſona offenſa. Eſt tamen dicendum Chriſtum, quatenus Deus & homo eſt ſimul, ſatisfeciſſe ad æqualitatem perfectiſſimam pro nobis: diximus enim nobilitatem operationum Chriſti ſatisfactoriarum repetendam eſſe ex dignitate ſuppoſiti Chriſti, cùm tamen certum ſit principium formale productiuum huiuſmodi actionum ſatisfactoriarum eſſe humanam Chriſti naturam; vnde Chriſtus, vt Deus homo ſatisfecit, aut vt alij loquuntur, vt hic homo; particula enim iſta, *(vt hic homo)* includit & humanam naturam, & ſubſiſtentiam increatam diuini Verbi.

Nõ ſatisfecit tantum quia Deus, aut quia homo, ſed quatenus Deus & homo eſt Chriſtus.

DVBTATIO SEPTIMA.

An pura creatura potuerit ſatisfacere pro peccatis mortalibus proprijs vel alienis ad æqualitatem perfectiſſimam, ſeu, quod idem eſt, de toto rigore condignitatis operis ſatisfactorij.

Pura creatura dicitur quæ non eſt Deus.

ADVERTE nomine puræ creaturæ ſignificari hoc loco eam quæ non eſt Deus, ac proinde, quæ non ſubſiſtit ſubſiſtentia aliqua increata: propter hanc cauſam de humana Chriſti natura negant ſacra Concilia quòd ſit pura creatura; licèt enim de facto ſit creata, quia tamen non ſubſiſtit per ſubſiſtentiam ſibi connaturalem, ſed per ſubſiſtentiam diuini Verbi, ideò à numero cuiuſlibet creaturæ puræ ſeparatur.

Aduerte 2. Dubitationem iſtam explicandam eſſe de pura creatura reſpectu nedum earum operationum, quas exercere poteſt dependenter à gratia actuali, vel habituali; ſed etiam reſpectu earum actionum, quas iſta creatura pura potuit exequi, ſi in ſtatu puræ naturæ operaretur, & conſequenter ſine peccato, & gratia ordinis ſupernaturalis.

Satisfactio hîc excludit liberalitatẽ & fauorẽ illius qui ſatisfit pro offenſa eſt.

Aduerte 3. ſatisfactionem de toto rigore condignitatis, ſeu ad æqualitatem perfectiſſimam excludere omnem liberalitatem, gratiam, fauorem, & acceptationem perſonæ offenſæ; & præterea ſatisfactionem iſtam de qua agimus hoc loco, cum ſit pro offenſa illata Deo per peccatum, debere neceſſario habere ortum ab eo qui eſt Deo gratus & acceptus.

Pura creatura nequit ad æqualitatem ſatisfacere.

CONCLVSIO 1. *Pura creatura nequit ad æqualitatem perfectiſſimam, ſeu de toto rigore condignitatis ſatisfacere Deo pro peccatis mortalibus in ſtatu*

ad æqualitatem.

libus propriis, vel alienis etiam ſi ſupponamus huiuſmodi creaturam peccaſſe in ſtatu naturæ puræ, id eſt, extra ſtatum gratiæ & peccati contra Deum, vt eſt author naturæ tantum.

Probatio 1. Probatur 1. Quia ſcripturę ſacræ docent neminem poſſe quidpiam operari, quod ſit Deo gratum & acceptum, ſinè ſpeciali Dei auxilio, ac proinde ſine aliquo adiumento ordinis ſupernaturalis, 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* & Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & omnes egent gratia Dei:* & Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere*, & rurſus. *Niſi palmes manſeris in vite non poteſt fructum ferre:* & Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſraël eſt, ſalus autem tua ex me eſt:* & Iob 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es:* Idem docent Concilia ſacra, Mileuitanum, Arauſicanum, & Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 4.

2. Cor. 3. Rom. 3. Ioan. 15. Oſeæ 13. Iob. 14. Concil. Mileu. Arauſic. Trident.

Ratio concluſionis. Accedit ratio: quęlibet actio hominis conſtituti in ſtatu puræ creaturæ cenſetur eſſe ordinis naturalis: ergo nequit vllus planè hominum ſatisfacere ad æqualitatem perfectiſſimam pro culpis commiſſis contra Deum, in eo ſtatu vt Deus eſt auctor naturę; dixímus enim nomine ſatisfactionis ad æqualitatem, ſignificari hoc loco compenſationem iniuriæ illatæ Deo, quæ & ſit ab homine grato Deo, & quæ excludat omnem omnino acceptationem perſonæ offenſæ, quorum tamen neutrum dici poteſt de ſatisfactione oblata ab homine agente in puris naturalibus. Ità docent communiter omnes hoc loco.

Obiectio. Obiicies, nihil repugnare quominùs conſtitutus in puris naturalibus exerceat actum dilectionis Dei ſuper omnia, prout Deus eſt author naturæ, ac proinde vt etiam offerat hunc actum Deo pro peccato mortali commiſſo ab alio contra Deum, qui tamen actus eſſet æqualis peccato mortali, cùm tanta ſit bonitas iſtius actus dilectionis Dei, quanta extitit malitia in actu peccati mortalis commiſſo ex hypotheſi ab alio.

Reſponſio. Reſpondeo. Quidquid ſit de antecedente negando conſequutionem, ad ſatisfactionem ſiquidem ſimpliciter æqualem, & de toto rigore condignitatis deſideratur, vt tanta ſit perſona quæ ſatisfacit, quanta eſt ea quæ fuit à nobis offenſa, vt poſtea probabitur: pura autem creatura quæ ex hypotheſi exerceat actum dilectionis Dei ſuper omnia, non eſt tanta quantus eſt Deus offenſus, vt eſt per ſe notum: vnde eius ſatisfactio nuſquam eſſet ad æqualitatem.

Pura creatura nō poteſt operans ex auxilio ſupernaturali ſatisfacere cōdignè pro peccatis. Confirmatur 2°. *Pura creatura nequit ſatisfacere ad æqualitatem perfectiſſimam, pro peccato mortali proprio, vel alieno, etiam ſi ſupponamus illam habituali ordinis ſupernaturalis gratia exercere operationes ſatisfactorias, ac auxilio actuali ordinis ſupernaturalis operari.* Probatur. Coram Patribus Ambroſio ad caput 9. Hebræorum *Ignoramus*, inquit, *fuit peccatum noſtrum, quod ſaluari non poſſumus aliquando, niſi deſcenſum ſuum Deus miſereretur pro nobis.* Leone magno epiſt. 89. *Quo*, inquit, *reconciliatio eſſe poterat ſi qua humano generi propitiaretur Deus, niſi vnicum cauſam mediator Dei & hominum ſuſtineret*: loquitur autem verbis expreſſis de Chriſto. D. Patre Auguſtino in Enchiridio ad Laurentium capite 13. *Neque per ipſum liberaremur mediatorem hominem Chriſtum; niſi ipſe Deus eſſet.* Anſelmo lib. 1. Cur Deus homo, capite 5. & lib. 2. capite 3. 15. & 16. Chryſoſtomo homilia 10. in Ioannem. Athanaſio in oratione de diuinitate Chriſti ad Maximianum. Vigilio lib. 5. contra Eutychetem. Conſentiunt Theologi ſcholaſtici concepris verbis. D. Thom. in hoc articulo ad 2. & 4. contra Gent. capite 54. Abulenſis in prologo in Matthęum quæſt. 10. & ad caput 34. quæſt. 7. Alenſis 3. part. quæſt. 5. memb. 1. artic. 2. Bonauent. & Richard. in 3. diſt. 20. & recentiores plerique. Non tamen conuenit inter Theologos ſcholaſticos, in reddenda ratione huius concluſionis. Aliqui enim putant propterea puram creaturam, etiam in gratia conſtitutam, non poſſe ad æqualitatem perfectiſſimam ſatisfacere pro peccato mortali proprio, vel alieno, quia nequit aliter ſatisfacere pro ſeipſa, vel alia, niſi impetrando auxilia per quæ reſurgat à peccato mortali, & per quæ tandem gratiam iuſtificantem conſequatur: Chriſtus quippe hac ſola ratione ſatisfecit pro nobis: atqui nulla pura creatura poteſt vel ſibi, vel alicui alij impetrare primam gratiam, aut etiam formam iuſtificantem; nam de fide eſt primam gratiam dari gratis: deinde ſatisfactio ad æqualitatem perfectiſſimam pro peccato mortali proprio, vel alieno nequit conſurgere, niſi fuerit à perſona grata, ſancta, & accepta Deo, vt ſupra docuimus: ergo nullus erit planè qui poſſit ſatisfacere ad æqualitatem iſtam, pro peccato mortali proprio, vel alieno: quia difficilius eſt alteri quàm ſibi gratiam primam aut ſecundam promereri. Confirmatur. Gratia eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſatisfactionem, & tamen hæc excluditur ab eo in quo datur peccatum mortale, ſaltem de lege communi, idque quòd ſint contraria.

Probatio 1. Ambroſ. Leo. Auguſt. *Diſſentiunt Theologi in aſſignanda vera ratione impoſſibilitatis ſatisfactionis pura creatura.* 1. *ratio aliquorum.*

Enervatur ratio precedens. Verùm ratio hæc concluſionem noſtram minimè demonſtrat; fatium quippe eſt Chriſtum ex eo præciſe ſatisfeciſſe pro nobis, quod impetrauerit nobis auxilia per quę poſſumus reſurgere à peccatis noſtris, & per quæ tandem iuſtificamur formaliter: nam ratio ſatisfactionis diſtinguitur formaliter à ratione meriti: meritum quippe definitur opus liberum & honeſtum, in via, & gratia factum, cui debetur merces aliqua: ſatisfactio verò cenſetur eſſe compenſatio oblata libere Deo propter offenſam eidem illatam per peccatum commiſſum: duo autem iſta ſunt inter ſe omninò diſtincta, vnde verum eſſe nequit Chriſtum ideò ſatisfeciſſe pro nobis, quia impetrauit nobis auxilia neceſſaria, vt reſurgamus à peccatis; & vt tandem iuſtificemur formaliter; meruit enim hac ratione potius quàm ſatisfecerit pro nobis.

Meritum quid. *Satisfactio quid.*

Ratio Medinæ. Medina verò ad hunc articulum, ideò vult puram creaturam non potuiſſe ſatisfacere ad æqualitatem perfectiſſimam, quia talis ſatisfactio debet eſſe ex propriis & indebitis; tanta item quanta fuit offenſa illata, & denique nequit hæc recuſari à creditore vbi ſemel eſt poſita: atqui ſatisfactio puræ creaturæ, etiam ſanctiſſimæ plus eſt Dei quàm creaturæ; vendicat quippe Deus ſibi ſatisfactionem iſtam titulo creationis & conſeruationis: poteſt præterea iſtam ſatisfactionem oblatà à creatura pura etiá iuſtiſſima non acceptare

Digitized by Google

cum ſit quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra.

Refellitur Medina. Verùm ratio iſta nulla ratione concluſionem noſtram euincit ; probat enim ad ſummum ſatisfactionem puræ creaturæ oblatam Deo pro peccatis noſtris , non eſſe ad æqualitatem perfectiſſimam ex æquitate iuſtitiæ : conditiones ſiquidem aſſignatæ ab iſto authore in hac ratione, ex eius opinione ſunt neceſſariæ ad ſatisfactionem ex æqualitate iuſtitiæ : nos autem anteà diximus inter Deum & creaturam non poſſe conſurgere rationem iuſtitiæ propriè dictæ. Accedit, falſum eſſe ad æqualitatem perfectiſſimam ſatisfactionis neceſſarium eſſe, vt perſona offenſa non poſſit ſatisfactionem iſtam non reſpuere : ſufficit enim vt hæc ſit tanta quòd non poſſit aliquid vlterius exigi ab eo qui offenſus eſt à nobis , & cui ex hypotheſi ad æqualitatem ſatisfecimus.

3. Ratio aliorum. Alij verò ità probant : Ad ſatisfactionem ſimpliciter æqualem deſideratur vt is qui ſatisfacit ſit cauſa præcipua & principalis operis ſatisfactorij : atqui nulla pura creatura etiam ſanctiſſima poteſt eſſe cauſa præcipua, & principalis operis ſatisfactorij , reſpectu ſatisfactionis , quæ ſit Deo pro offenſa eidem irrogata ; nam ſatisfactio iſta debet eſſe ordinis ſupernaturalis , ſicut Deus offenſus eſt ordinis ſupernaturalis. Minorem iſtam comprobant : pura creatura , intra terminos propriæ naturæ relicta, cenſetur eſſe ordinis naturalis , vnde quando operatur ſupernaturaliter , non per propriam virtutem agit , ſed emendicatam ab auxilio ſupernaturali , ac proinde habet rationem cauſæ inſtrumentalis reſpectu operis ſupernaturalis quod producit. Ità Ferrarienſis ad cap. 54. libro quarto contra Gent. D. Thomæ.

Impugnatur Ferrarienſis. Ceterùm ratio iſta concluſionem noſtram minimè comprobat : falſum quippe eſt, puram creaturam quæ ſatisfacit Deo pro offenſa eidem irrogata , medijs actibus v. c. contritionis , ſeu dilectionis Dei ſuper omnia eſſe cauſam inſtrumentalem reſpectu iſtius ſatisfactionis ; nam cùm actus iſti ſint vitales & vitalitatem tantùm conſequantur à creatura quæ ſatisfacit , certe non poſſunt eſſe ab eo qui ſatisfacit veluti à cauſa inſtrumentali ; inſtrumentalis namque cauſa cenſetur eſſe ea , quæ agit non per virtutem ſibi innatam & connaturalem ; ſed per virtutem ab alio tantùm emendicatam ; ità vt extenus tantum operetur , quatenus ab alio mouetur , & ad agendum applicatur. Deinde idem eſt dicendum de iſtis actibus ſatisfactorijs , quod de viſione producta à beatis in cœlis , circa Deum clare viſum , ceteris tamen paribus : atqui viſio iſta non eſt à beatis , veluti à cauſa inſtrumentali , etiam ſi ſit hæc ex ſe & ſua natura ſupernaturalis : ergo neque item actus dilectionis Dei ſuper omnia & contritionis erunt à pura creatura in gratia conſtituta , veluti à cauſa inſtrumentali. Ad id vero quod dicitur , dilectionem & contritionem eſſe actus ordinis ſupernaturalis , & puram creaturam , vt ſic , nullam habere vim connaturalem ad actus ſupernaturales producendos.

Actus contritionis nõ ſunt à creatura vt à cauſa inſtrumẽtali.

Datur vis inchoata in nobis ad actus ſupernaturales exercendos. Reſpondeo ſecundam partem iſtius propoſitionis eſſe falſam ; datur enim in pura creatura vis aliqua ſibi innata & connaturalis , non quidem completa & proxima , ſed remota & inchoata ad huiuſmodi actus dilectionis , & contritionis ſupernaturales exercendos : ità vt voluntas creata ſit cauſa partialis iſtorum actuum : vnde ex auxilio ſupernaturali communicato voluntati creatæ , & ex voluntate creata conſurgit vna cauſa totalis , & adæquata , productiua actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia , quibus creatura rationalis poteſt ſatisfacere Deo pro offenſa, non quidem ad æqualitatem perfectiſſimam ; ſed aliqua ratione vt probabitur inferius.

4. alij probant. Alij verò communiter ex eo concluſionem noſtram demonſtrare conantur, quòd putent peccatum mortale contra Deum commiſſum eſſe abſolute & ſimpliciter infinitum : tum quia eſt contra Deum , qui eſt vere & ſimpliciter infinitus , tum quia priuat nos Deo , ſummo bono ; ſummum autem bonum debet eſſe neceſſario infinitum , tum etiam quia peccatum mortale eſt ex ſe deſtructiuum deitatis , ità vt ſi Deitas deſtrui poſſet , per peccatum mortale deſtrueretur : tum denique quia dantur in Deo infinitæ propemodum rationes bene operandi , à quibus tamen per peccatum mortale recedimus : atqui pura creatura , etiam iuſtiſſima nihil in ſe habet quod ſit ſimpliciter infinitum : ergo neque poterit ſatisfacere ad æqualitatem perfectiſſimam pro peccato mortali commiſſo contra Deum ; cùm tanta debeat eſſe ſatisfactio , quantum eſt peccatum.

Improbatur 4. modus declarandi infinitatem peccati mortalis. Verùm neque hæc ratio plenè concluſionem noſtram demonſtrat , neque enim ſuſtineri poteſt peccatum mortale contra Deum commiſſum , eſſe abſolute & ſimpliciter infinitum : nam vel hoc eſſet ideo quia tota eius entitas eſt infinita, vel quia ratio formalis conſtitutiua eiuſdem eſſet ſimpliciter infinita , vel quia intenſio eiuſdem ſimiliter vendicaret ſibi infinitatem iſtam , vel certè duratio eiuſdem, vel denique quia peccatum verſatur circa obiectum ſimpliciter infinitum ; at nullum ex iſtis dici poteſt : non quidem primum, quia quodlibet peccatum mortale commiſſum à nobis contra certam aliquam virtutem committitur , quæ verè finita eſt , ac proinde & peccatum hoc : deinde peccatum iſtud recipitur in voluntate noſtra tanquam in ſubiecto , & præterea admittitur à nobis per actionem aliquam finitam : ergo. Neque item ſecundum dici poteſt , quia ratio formalis conſtitutiua cuiuſlibet peccati actualis aut conſiſtit in quadam poſitiua contrarietate , vt multi cenſent , vel in priuatione aliqua , vtroque modo ſequitur deformitatem peccati eſſe finitam ſimpliciter : nam ſi primum dicas , neceſſariò debet habere pro contrario formam aliquam creatam : neque enim poteſt habere pro contrario ſubſtantiam Dei , quæ eſt extra omne genus : at omnis forma creata , cui peccatum opponitur contrarie , finita eſt : ergo & ipſa offenſa peccati manebit ſimpliciter finita : contraria namque conſtituuntur ſub eodem genere. Quòd ſi malitia peccati in priuatione poſita ſit rectitudinis debitæ actui , vel voluntati , erit etiam finita; quoniam rectitudo iſta debita actui , vel voluntati creatæ , non eſt ſimpliciter infinita, ſed limitata & terminata , cùm voluntas noſtra

ſit terminata, & item quilibet actus à nobis productus aut etiam producibilis. Neque item tertium, quia nullus datur actus vitioſus ità intenſus quin potuerit produci intenſior, interueniente ſcilicet, maiore conatu operantis, & item concurrentibus pluribus circunſtantijs: neque item quartum; eadem quippe facilitate qua quilibet noſtrùm liberè applicat ſe ad operandum, poteſt etiam liberè intermittere ſuam operationem; neque denique vltimum, quia viſio qua beati v. c. Deum vident, prout in ſe eſt verſatur circa obiectum ſimpliciter infinitum, & tamen nullus eſt, qui propterea dicat viſionem iſtam eſſe ſimpliciter infinitam: ergo, neque & peccatum mortale dicetur ſimpliciter infinitum ex eo quod verſetur circa Deum, veluti circa ſuum obiectum.

Diſſoluũtur argumenta allata pro infinitate 1. peccati.

Ad rationes vero, quibus authores iſti conantur probare peccatum mortale contra Deum commiſſum eſſe ſimpliciter infinitum reſpondeo. Ad 1. ex ea tantum colligi peccatum mortale contra Deum commiſſum, eſſe in altiori gradu & ordine, quàm eſſet ſi non eſſet contra Deum, aliter enim non diceretur offenſa contra perſonam infinitam commiſſa, ſicut dicitur ex eo quod ſit peccatum hoc contra Deum: non eſt tamen concedendum propterea quod ſit ſimpliciter infinita ob rationes adductas in confutatione rationis iſtorum auctorum.

Qui peccat mort. priuat ſe ſummo bono.

Ad ſecundam, eum qui peccat mortaliter contra Deum priuare ſe ſummo bono abſolutè & ſimpliciter infinito, ſaltem reatu & obligatione ceterùm finito modo: nam peccatum hoc, quodcumque ſit, pertinet ad certam ſpeciem categoricam, ac proinde ſecundum ſuam eſſentiam eſt verè finitum.

Ad tertiam, peccatum mortale etiam grauiſſimum; de facto non poſſe deitatem annihilare, etiam ſi ſupponamus opponi deitati, vt ſic; eſt enim Deus ens abſolutè neceſſarium, & excludit omnem omnino potentialitatem à ſe, omnium planè conſenſione. Deinde licèt fateamur eam eſſe vim peccati mortalis oppoſiti deitati, vt poſſit diuinam naturam deſtruere; non tamen poteſt hoc præſtare effectu, ſed affectu illius qui peccatum hoc committit; ac proinde, nequit peccatum hoc dici ſimpliciter infinitum: nam non eſt tantum, quantum eſſet ſi de facto Deum annihilaret, ſaltem loquendo de extenſione infinita iſtius peccati.

Affectu deſtruitur Deꝰ per peccatũ mortale.

Peccatum mortale in Deũ cõmiſſum creſcit in infinitũ, nõ tamẽ eſt intrinſecè infinitum.

Ad vltimam reſpondeo, ex eo quod peccatum mortale ſit contra Deum, veluti circa ſuum obiectum colligi poſſe peccatum hoc eſſe tantum obiectiuè infinitum, non autem intrinſece, & eſſentialiter, ſeu, quod idem eſt, in ſua entitate; idem quippe dicendum eſt de peccato ità ſpectato, quod de viſione producta à beatis in cœlis; viſio autem iſta, eſto habeat Deum pro obiecto, non tamen propterea in ſe infinita eſt; ſed finita, vt monuimus in antecedentibus: ergo neque etiam peccatum mortale, etſi ſit commiſſum contra Deum, erit infinitum in ſe, ſed tantùm obiectiue; infinitas autem iſta obiectiua, non poteſt impedire quominus pura creatura ſatisfaciat ad æqualitatem pro peccato mortali, quia poſſet exercere actum ordinis ſupernaturalis, qui haberet Deum pro obiecto proximo & immediato, ac proinde actus hic ex hoc ſaltem capite tantus eſſet, quantum fuit peccatum mortale contra Deum commiſſum.

Germana ratio authoris.

Probatur ergo concluſio noſtra, fundamento quorumdam Recentiorum, quod videtur colligi ex D. Thom. hoc artic. ad 2. & 2. 2. quæſt. 61. artic. 4. & 68. artic. 4. ad 2. Nam licet offenſa mortalis contra Deum commiſſa non ſit ſimpliciter infinita, vt oſtenſum eſt, negari tamen nequit, quin ex infinitate perſonæ quæ offenditur creſcat aliqua proportione; ratio enim iniuriæ, quemadmodum & ſatisfactionis, perpenditur ex morali hominum æſtimatione iuxta quam plena æqualitas inter ſatisfactionem & iniuriam exigit, non tantùm æqualitatem inter actiones, ſed etiam vel maxime debitam perſonarum rationem, vt iam magis patebit: hæc vero perſonarum proportio & ratio debita non eſt inter Deum & creaturam puram, ergo pura creatura non poteſt ſatisfacere Deo ad æqualitatem.

Grauitas iniuriæ creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ.

Ad hoc argumentum explicandum notare oportet illud conſtare tribus moralibus principijs: Primum eſt, grauitatem iniuriæ creſcere ex dignitate perſonæ, quæ offenditur, ità vt quo dignior fuerit perſona offenſa, & vilior offendens, eo grauior ſit iniuria, nimirum ex hac perſonarum diſproportione.

Probatur hoc, primò ex doctrina Ariſtotelis 5. Ethic. cap. 5. dum docet quod ſi is qui magiſtratum gerit alium percutit, non eſt repercutiendus; at ſi quiſpiam percuſſerit magiſtratum non ſolum repercutiendus, verum etiam ſupplicio afficiendus eſt. Accedit hoc eſſe commune hominum prudentum iudicium, quod oſtenditur ratione naturali: quia quo dignior eſt perſona eo maior illi honor debetur, ac proinde illo honore detracto grauior irrogatur iniuria. Confirmatur: quia & ius nobilius violatur, quod ſcilicet habet nobilior illa perſona, & præterea res geritur contra maiorem obligationem operantis.

Decreſcit honor exhibitus ex vilitate perſonæ operatis.

Secundum principium eſt, decreſcere eò magis honorem & ſatisfactionẽ, quò perſona ſatisfaciens fuerit vilior; & hoc totum etiam ſumitur ex morali conſtitutione, iuxta quam hæc antitheſis in perſona ſatisfaciente veriſſima eſt, vt ſcilicet ſicut ex eius dignitate creſcit valor obſequij quod iam dicam; ità iuxta vilem ſatisfacientis conditionem decreſcat valor eiuſdem obſequij, & hoc vel maximè, quando obſequium vilis perſonæ offertur perſonæ nobiliſſimæ, quod iuxta moralem æſtimationem pro nihilo ferè habetur, vt ſi abiectiſſimus aliquis ex plebe, potentiſſimo & ſummo regi honorem deferat.

Obiectio. Reſponſio, Actus ex obiecto in bonitate moralinobilior: non autem in ratione obſequij & ſatisfactionis.

Dices, cur non potius æſtimatur valor huius actus ex præſtantia nobilioris obiecti. Reſpondeo, actum quidem ex obiecto eſſe nobiliorem in bonitate morali, non tamen in ratione obſequij & ſatisfactionis; ſed hoc ſecundum expendi debere ex alijs principijs, ſcilicet ex morali æſtimatione, vt dictum eſt; & certe ſi tantùm obiectum expenditur, maioris æſtimationis fuiſſet Chriſtum honorari à Iuda, quàm Iudam à Chriſto quod nemo prudens concedit.

Tertium principium quod iam inſinuaui, eſt, maiorem æſtimari honorem, & digniorem ſatisfactionem, quo maior & dignior fuerit perſona à qua exhibetur, cùm honor ſit in honorante 1. Ethic. cap. 3. & eſt communis conſenſus Patrum loquentium de dignitate operum Chriſti.

Digitized by Google

Ex quibus principijs 1. euidenter colligitur nullum purum hominem posse Deo ad æqualitatem satisfacere pro culpa mortali condigne; quia ex primo principio offensa hæc, summa est inter offensas, vt ratio personæ offensę docet: & ex 2. principio, persona puri hominis est vilis respectu personæ Dei: ergo nulla est, nec esse potest æqualitas in ratione satisfactionis, vt patet ex distantia infinita dignitatis, quæ est inter has personas, & præsertim cum in hac comparatione decrescat dignitas personæ creatæ, vt ostensum est. Imò ex ijs principijs colligitur offensam contra Deum non solum esse summam inter offensas; sed esse altioris ordinis in ratione offensæ, quàm quæ possit attingi ab vlla satisfactione creata; quare quantumuis & creata dona augeantur dignitásque personæ creatæ, nunquam eliciet actum satisfactorium qui possit attingere superiorem illum ordinem.

Colligitur efficax probatio cõclusionis.

Secundò infertur Christum Dominum potuisse satisfacere perfectè, vt constat ex 3. principio, quia habebat personam infinite dignam & diuini ordinis.

Ex posita doctrina infertur potuisse Christum satisfacere perfectè.

Tertiò infertur pro solutione argumentorum ad perfectam æqualitatem in ratione satisfactionis, non tantùm expendendum esse illum actum constitutionis ex parte subiecti, vt obiecti, seu in bonitate morali; sed multò magis vt habet valorem à persona satisfaciente.

Obiectio. Dices, ex hac ratione manifestè colligi omnia peccata contra Deum commissa esse inter se æqualia: diximus enim grauitatem offensæ repetendam ex dignitate personæ læsæ; Deus autem læditur ex hypothesi à peccatis istis commissis.

Responsio. Resp. peccata ista contra Deum commissa esse inter se æqualia, si spectentur hæc in genere offensæ, neque hoc mirum; ratio quippe generis alicuius ex æquo deprehenditur in suis speciebus, peccata tamen ista spectata secundum suas species, & in individuo sunt inæqualia: pertinent enim hæc ad diuersas virtutes, contra quas committuntur à nobis: & præterea habent adiunctas varias & diuersas circumstantias in ordine ad quas peccata ista debent inter se esse inæqualia, quamuis sint æqualia sub ea ratione, qua sunt contra personam infinitam.

Instantia. Instabis, omnem offensam illatam Deo per peccatum mortale contra eundem proxime commissum esse finitam, secundum suam entitatem, & quodammodo tamen infinitam, ex eo scilicet quòd sit contra infinitam personam: ergo pura creatura iusta, & sancta poterit ad æqualitatem satisfacere pro huiusmodi offensa per actionem aliquam finitam; modò tamen actio ista finita respiciat Deum veluti suum proximum, & immediatum obiectum.

Responsio. Respondeo, concesso antecedente, negando consequutionem: offensa enim illata Deo per peccatum mortale commissum proxime & immediate contra eundem, est in ordine & gradu infinitatis altiore & nobiliore quàm sit actus ex gratia factus à creatura, etiam sanctissima: quia hic actus qui habet Deum pro obiecto, proximo & immediato, quique fit à pura creatura dependenter à gratia sanctificante censetur esse infinitus ex eo quòd participet naturam & essentiam deitatis sub ea ratione, qua deitas est supernaturalis; ac proinde excludit actus hic quascumque creaturas ordinis naturalis, non autem ordinis supernaturalis: negari quippe nequit,

Cur actus contritionis nõ æqualeat peccati mortalis grauitati in satisfaciendo.

A quin actus hic retineat debitam proportionem cum augmento gratiæ & gloriæ, vt est per se notum, & cum plerisque alijs rebus creatis ordinis supernaturalis: offensa verò illata Deo per peccatum mortale contra eundem proxime commissum, est infinita propter infinitatem quàm consequitur ab infinitate personę lęsæ, qualis est persona diuina; grauitas autem istius infinitatis omnem aliam superiorem infinitatem in ratione offensę excludit, ac proinde datur inæqualitas inter actum productum à pura creatura sanctissima, etiam si hic actus ex hypothesi versetur circa Deum, veluti circa suum obiectum proximum, & inter offensam lethalem contra Deum commissam.

B

Est autem obseruandum illud omne quod est extra ordinem naturalem esse quodammodo infinitum, idque quòd participet naturam & essentiam diuinitatis, quæ verè infinita est.

Obijciunt Scotus & alij qui versantur in contraria sententia. Primùm, per vnum hominem collapsam esse totam humanam naturam, quando peccauit hic, ex illo Pauli ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes pertransijt.* Ergo per actum etiam honestum ex gratia factum ab vno homine poterit tota natura humana reparari perfectissime. Resp. concesso antecedente, negando consequutionem: quælibet enim res longè faciliùs destruitur, quàm construatur. Deinde diximus ad reparationem offensæ commissæ contra Deum ad æqualitatem perfectissimam, esse simpliciter necessarium, vt tanta sit persona quæ reparat offensam, quanta est persona offensa; hoc autem non accidit in pura creatura quæ exercet ex hypothesi actum aliquem in Dei gloriam; & honorem, quisquis ille sit, aut fingi possit: erit enim semper à persona finita, & offensa erit contra personam infinitam.

Obiectio. Rom. 5.

Responsio.

C

Secundò obijciunt, qui offert æquale pro æquali, ille satisfacit ad æqualitatem perfectissimam: atqui pura creatura in gratia iustificante constituta tantum potest reddere Deo, quantum illi debetur pro offensa eidem illata; nam quemadmodum peccatum mortale, quo offenditur Deus censetur esse auersio à Deo tanquam ab vltimo fine, & conuersio ad creaturam tanquam ad vltimum finem: ità actus dilectionis Dei super omnia elicitus à pura creatura, est auersio à creatura, tanquam ab vltimo fine, & conuersio in Deum tanquam in vltimum finem: ergo actus isti sunt inter se perfectissimè æquales: igitur

2. Obiectio Scoti.

D

Responsio. Respondeo concessa maiori, negando minor. Ad probationem autem tantum concludere auersionem & conuersionem, quæ dantur in peccato mortali, & in actu dilectionis Dei super omnia esse inter se perfectissimè æquales, ceterùm materialiter tantum spectatas, non autem formaliter, id est, si spectentur istæ, vt sunt nudæ auersiones & conuersiones: formaliter tamen inter se sunt inæquales: nam auersio quæ datur in peccato mortali, & conuersio quæ in eodem deprehenditur, mutuantur infinitatem aliquam ab infinitate personę quæ lęditur; conuersio autem & auersio quæ dantur in actu dilectionis Dei super omnia, non consequuntur infinitam dignitatem à persona, quæ elicit huiusmodi auersionem & conuersionem, sed tribuit tantùm dignitatem aliquam finitam, propter gratiam similiter finitam, quam habet, quæque etiá dici potest infinita, eò quòd sit

Auersio & cõuersio sint æquales materialiter tantùm, non item formaliter.

E

Digitized by Google

participatio diuinæ eſſentiæ ex cludendo res quaſlibet naturales creatas. Vnde nuſquam dabitur æqualitas perfectiſſima inter actum dilectionis Dei ſuper omnia productum à creatura, & inter offenſam illatam Deo per peccatum mortale.

DVBITATIO OCTAVA.

An pura creatura poſſit ſatisfacere de condigno, vel de congruo pro culpa mortali in qua agit.

Ratio dubitandi 1. RATIO dubitandi ea eſt, conſtitutus in ſtatu peccati mortalis poteſt exercere actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia: atqui actus iſti videntur eſſe ſatisfactorij culpæ mortalis: ſunt enim meritorij primæ gloriæ, etſi non ſint meritorij primæ gratiæ ex multorum Theologorum ſententia.

2. Deinde D. Ioannes in ſua 1. Canonica cap. 1. ait: *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt Deus & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* Atqui confeſſio iſta cẽſetur eſſe ſatisfactoria pro peccatis de quibus nos accuſamus apud Deum & apud Sacerdotem, habentem poteſtatem abſoluendi: ergo poterit creatura æqualem impendere ſatisfactionem pro culpa mortali in qua verſatur.

Conſtitutus in peccato mortali, impotens eſt ad ſatisfaciẽdum pro culpa mortali. CONCLVSIO 1. *Conſtitutus in ſtatu peccati mortalis, nequit ſatisfacere pro culpa mortali in qua agit, ſaltem de condigno*: probant aliqui, ex Patribus citatis ſuprà; aiunt enim nullum alium ab eo qui Deus eſt potuiſſe ſatisfacere pro peccatis noſtris. Ceterùm ex iſtis locis non poteſt ſuaderi concluſio noſtra: cauſam enim propter quam ſancti Patres docent eum qui non Deus eſt, non poſſe ſatisfacere pro peccatis noſtris, volunt eſſe iſtam; quia ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris, deſideratur æqualitas inter perſonam quæ ſatisfacit, & inter perſonam cui fit ſatisfactio, ac proinde loquuntur de ſatisfactione ad æqualitatem perfectiſſimam, ſeu de toto rigore condignitatis: concluſio autem noſtra loquitur de ſatisfactione condigna pro peccato mortali proprio. Deinde Patres iſti docent propter hanc cauſam, vnionem hypoſtaticam fuiſſe neceſſariam ad generis humani reparationem.

Probatur concluſio. Probatur ergo à nobis. Creatura pura conſtituta in ſtatu peccati mortalis non poteſt aliter ſatisfacere pro illo, quàm per actus dilectionis Dei ſuper omnia & contritionis, aut per actus aliquos iſtis æquiualentes: ſed actus iſti non poſſunt eſſe ſatisfactorij de condigno pro culpa mortali, in qua agimus; nam ad ſatisfactionem de condigno, ſimpliciter requiritur gratia iuſtificans, cùm ſatisfactio iſta cenſeatur eſſe actus amici Dei, omnium planè conſenſione; gratia autem iuſtificans non datur in eo qui agit in peccato mortali, cum peccatum mortale, & gratia iuſtificans opponantur inter ſe de lege communi: ergo non poterit &c.

Aduerſariorum reſponſio infirmatur. Reſpondent auctores contrariæ ſententiæ actum dilectionis Dei ſuper omnia & contritionis facere hominem gratum & iuſtum formaliter; non minùs quàm faciat gratia iuſtificans: pertinent enim actus illi ad illam eandem ſpeciem, ad quam pertinent gratia, & contritio: ergo.

Verùm, hæc reſponſio defendi nullo modo poteſt, actus quippe dilectionis Dei ſuper omnia, & contritionis, ab homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis eliciti, ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem infallibiliter obtinendam: ergo non opponuntur formaliter; ſed tantum cauſaliter, & diſpoſitiuè. Deinde, Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. ait cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ, & ſanctificationis eſſe gratiam, & charitatem, quæ diffunditur in nobis, per Spiritum ſanctum qui datur in nobis quæque inhæret; atqui actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, non infunduntur nobis, ſed potius eliciuntur à nobis, & tandiù ſunt in nobis, quandiu exercentur à nobis, vnde non inhærent permanenter in nobis, quod tamen facit gratia ſanctificans. 3. gratia licèt apertè non dicatur qualitas permanens in Concilio Tridentino loco citato: Catechiſmus tamen authoritate eiuſdem Tridentini editus verbis expreſſis habet gratiam iuſtificantem eſſe qualitatem habitualem, ac proinde permanentem in nobis, nedum quando actus charitatis exercemus, ſed etiam tranſactis huiuſmodi actibus.

Refellitur aliorum ſolutio. Reſpondent alij, actus dilectionis, & contritionis habere ortum à gratia gratum faciente in homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis, non quidem ſub ea ratione, qua eſt gratia iuſtificans & ſanctificans, ſed ſub ea conſideratione, qua eſt qualitas aliqua ordinis ſupernaturalis.

Ceterùm neque hæc reſponſio defendi poteſt: nam ſi actus iſti ſunt à gratia iuſtificante, non ſub ea ratione qua iuſtificat; ſed ſub ea, qua tantum eſt qualitas ordinis ſupernaturalis, actus iſti non poſſunt eſſe ſatisfactorij de condigno pro culpa mortali propria commiſſa, & in qua conſtituti ſumus: nam actus iſti non ſunt actus amici Dei, quod eſt tamen ſimpliciter neceſſarium ad ſatisfactionem de condigno. Ad id verò quod dicitur actus dilectionis, & contritionis eſſe eiuſdem ſpeciei, cum gratia iuſtificante & contritione. Reſp. hoc eſſe verum, conuenit enim inter omnes vnitatem ſpecificam cuiuſlibet actus aut habitus repetendam eſſe ab obiecto, vel à modo tendendi in illud: actus autem charitatis, & charitas ipſa habent Deum pro ſuo obiecto, vt Deus eſt ſummè amabilis, propter ſemetipſum. Ex iſtis tamen non licet colligere actum dilectionis opponi formaliter peccato, ſicut opponitur eidem charitas, ſeu gratia: nam viſio eſſentiæ diuinæ, prout in ſe eſt, quæ data fuit in Moyſe, & Paulo, pro eo tempore, quo fuerunt in hac vita mortali ex doctrina D. Thom. & D. Auguſtini, eſt eiuſdem ſpeciei cum ea viſione qua videtur Deus ab ijſdem in cœlis, & tamen viſio iſta quę fuit in hac vita de Deo in Paulo & Moyſe, non fecit iſtos beatos; idque quòd fuerit per modum tranſeuntis, non autem permanentis, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad beatitudinem: vnde nec dantur ab huiuſmodi viſionibus ijdem planè effectus formales: ſimiliter licèt actus charitatis & habitus ſint eiuſdem ſpeciei, non producunt tamen eoſdem effectus formales in nobis.

Obiectum charitas eſt Deus ſummè amabilis propter ſemetipſum. Actus charitatis & habitus licèt eiuſdem ſpeciei non producunt eoſdem formales effectus.

Pura creatura poteſt de congruo ſatisfacere. CONCLVSIO 2. *Pura creatura poteſt ſatisfacere de congruo & impropriè pro culpa mort. propria in qua agit ex hypotheſi.* Primùm, quia conſtitutus in ſtatu peccati mortalis, poteſt mereri remiſſionem ſui peccati: ergo poterit etiam pro eodem peccato mort. ſatisfacere de congruo. Nam eadem ratione poteſt eſſe ſatisfactorius aliquis actus, qua eſt meritorius; non enim plura deſiderantur ad vnum, quàm ad aliud. Confirmatur. Idem numero actus ex gratia & charitate

Digitized by Google

habituali elicitus, eſt meritorius de condigno, & item ſatisfactorius omnium plane Theologorum conſenſione, reſpectu hominis agentis in hac vita: antecedens vero eſt commune ſanctis Patribus, maximè vero D. Auguſt. epiſt. 105. *Hæc*, inquit, *remiſſio peccatorum ſinè aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neque enim vllum eſt meritum fidei:* & Ambroſ. lib 10. in Lucam: *Lauant*, inquit, *lacryma delictum quod voce pudet eſt confiteri, lacryma non veniam poſtulant, ſed merentur.* Et lib. 2. de pœnitentia cap. 3. & Hieronymo lib. 2. contra Pelagianos, & Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, & Cypriano in expoſitione orationis Dominicæ: & Gregorio ad cap. 3. libri tertij Regum.

D. Auguſt. Ambroſ. Hiero. Tertul. Cypr. Gregor.

2. probatio. Deinde, actus charitatis vel contritionis elicitus ab homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis ex gratia tantum actuali diuina, eſt ſatisfactorius & item meritorius remiſſionis peccati mortalis, in quo conſtituitur, non quidem de condigno, quia caret hic gratia habituali, ſed de congruo: non enim dantur plura merita, neque item plures modi ſatisfaciendi, retinent ſiquidem actus dilectionis Dei ſuper omnia & contritionis, eliciti ab eo qui agit in ſtatu peccati mortalis dependenter à gratia actuali in hac vita, ſufficientem aliquam proportionem cum remiſſione iſtius peccati mortalis, quia ſunt diſpoſitiones ad quas infallibiliter ſubſequitur infuſio gratiæ iuſtificantis: ergo: hæc videtur eſſe mens expreſſa D. Thom. quæſt. 85. huius partis & in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. a. 2. & 1. par. quæſt. 21. artic. 4. ad 1. ait enim in iuſtificatione hominis impij interuenire aliquam iuſtitiam, ceterùm imperfectam, qua ratione loquendi ſignificatur haud dubiè meritum de congruo, reſpectu remiſſionis culpæ mortalis, & iuſtificationis noſtræ.

D. Thom.

Infuſio primæ gratiæ non eſt pretium actus contritionis. Moneo tamen non eſſe concedendum abſolute & ſimpliciter remiſſionem culpæ mortalis, aut infuſionem primæ gratiæ iuſtificantis eſſe pretium, ſeu præmium actus contritionis, vel dilectionis Dei, qui ex hypotheſi ſunt eliciti ab agente in ſtatu peccati mortalis: primùm, quia ſcripturæ docent nos iuſtificari à peccato mortali, non ex operibus noſtris; ſed ex bonitate, & miſericordia diuina, ad Titum 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum magnam ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*: & Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Deinde Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. ait. *Vnumquemque noſtrùm debere credere nos eſſe iuſtificatos per Dei bonitatem & miſericordiam*: fauent etiam ſancti Patres, Chryſoſt. homilia 26. in Geneſim. *Ex Domini*, inquit, *clementia ne tua confidas pœnitentiæ* (ſaluaberis ſcilicet) *tua namque pœnitentia nequit tanta peccata delere: ſi ſola foret pœnitentia verè timeres, ſed poſtquam cum pœnitentia commiſcetur Dei miſericordia, confide.* Et Ambroſius lib. 1. de pœnitentia cap. 4. & D. P. Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. & Fulgentius. *Sicut Deus per iuſtitiam damnat auerſum; ita per miſericordiam ſanat conuerſum.* Denique pretium, ſeu præmium, abſolute loquendo, dicit aliquid æquale perfectiſſime merito; ità vt hæc duo æque late pateant: at remiſſio peccati mortalis, & infuſio gratiæ habitualis eſt aliquid longe latiùs patens, quàm actus contritionis & dilectionis Dei, ab homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis eliciti: non enim ſunt actus iſti amici Dei: gratia autem iuſtificans, & item remiſſio peccati mort. ſunt à diuina bonitate, & miſericordia effectiuè, & quidem ad hoc vt homo conſtituatur formaliter amicus Dei omnium conſenſione: ego huiuſmodi remiſſio peccati & infuſio non debet dici præmium reſpectu actus contritionis à peccatore producti.

Tit. 3. Rom. 3. Trident. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. Fulgent.

Obiectio. Obijcies, docuiſſe nos actum contritionis, & dilectionis Dei eſſe meritorios de congruo culpæ mort. remiſſionis. Reſp. hæc ita eſſe intelligenda non quidem quòd velimus remiſſionem culpæ mort. eſſe propriè pretium, vel præmium actus contritionis, vel dilectionis, in eo qui agit in ſtatu peccati mortalis; ſed tantùm quod Deus ſua benignitate, & miſericordia acceptat eos actus tanquam diſpoſitiones infallibiles, ad quas ſubſequitur gratia iuſtificans, ac proinde & remiſſio peccati mortalis.

Reſponſio.

Rationes dubitandi diſſoluuntur. Ad rationes verò dubitandi in initio propoſitas reſpondeo. Ad 1. actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, non eſſe ſatisfactorios, neque item meritorios de condigno, in illis qui agunt in ſtatu peccati mortalis, quia ad meritum de condigno, abſolutè deſideratur gratia iuſtificans, vt docent omnes in tractatione de merito; hæc autem non eſt in homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis, cùm opponantur inter ſe de lege communi. Deinde, quia licèt actus iſti ſint meritorij primæ gloriæ, non tamen primæ gratiæ; fides enim docet primam gratiam non cadere ſub meritum de condigno, reſpectu illius cuius eſt prima gratia.

Ad 2. Ad 2. Confeſſionem iſtam eſſe meritoriam tantùm de congruo, ac proinde ex vi promiſſionis diuinæ, interueniente confeſſione peccati, peccatum hoc dimitti ei qui peccauit; particula autem *(iuſtus)* in hoc teſtimonio Ioannis non vſurpatur proprie, ſed improprie, prout nempe ſignificat effectum quemlibet coniunctum ſcilicet cum promiſſione diuina, & fidelitate eiuſdem.

DVBITATIO NONA.

An purę creatura in gratia ſanctificante conſtituta poſſit de condigno ſatisfacere pro peccato mortali alieno, ſatisfactione reconciliatiua, vel ſolutiua.

Quid ſit ſatisfactio reconciliatiua. ADVERTE, nomine ſatisfactionis reconciliatiuæ nihil aliud ſignificari hoc loco, quàm compenſationem factam Deo propter offenſam eidem illatam per peccatum, exercendo aliquem actum, quo redimus in gratiam Dei, & amicitiam eiuſdem, à qua tamen excideramus: nomine verò ſatisfactionis ſolutiuæ ſignificatur compenſatio pro pœna temporali debita peccato mortali, vbi peccatum mortale remiſſum eſt.

Quid ſolutiua.

Non poteſt pura creatura ſatisfacere de condigno pro culpa mort. ſatisfactione reconciliatiua. CONCLVSIO 1. *Pura creatura in gratia conſtituta nequit ſatisfacere de condigno pro culpa mortali aliena, ſatisfactione reconciliatiua.* Primùm, quia deſideratur ad id gratia capitis, quæ tamen non datur in pura creatura, etiam ſi fuerit ſanctiſſima, ſed in ſolo Chriſto, hic enim conſtitutus eſt caput hominum, & angelorum. Deinde omnis gratia quæ datur in vnoquoque noſtrùm ordinatur ad proprium commodum, & vtilitatem priuatam; ità vt vltra condignum, ac proinde & cumulatiſſime remunerentur in cœlis omnes omnino operationes noſtræ, ex gratia factæ, & quidem in illis ipſis, à quibus habuerunt ortum, vt colligitur mani-

2. probatio.

Digitized by Google

2.Cor.5. feſtè ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Vnuſquiſque recipiet in corpore ſuo prout geſſerit in eo ſiue bonum, ſiue malum.* & ex cap. 4. prioris ad Corinth. *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 2. item Corinthiorum 9. vocatur gratia, ſemen gloriæ, *Multiplicabit*, inquit, *ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*; ex quo colligitur non poſſe gratiam opus producere, niſi reſpectu gloriæ, quemadmodum arboris ſemen non habet vim influendi naturalem, niſi in fructum propriæ ſpeciei. Idipſum volebat oſtendere Chriſtus dum Ioannis 4. vocauit gratiam; fontem ſalientis aquę in vitam æternam, quaſi diceret ad hanc producendam condignè ordinatam eſſe gratiam, & non ad aliud: quod ſi homo ex hac gratia alia conſequatur, vt ſunt auxilia, & iuſtificationes in alijs, aut aliqua ſimilia, hæc tantùm de congruo conſequitur: Cuius rei indicium certum eſt, quod nullus vnquam ſiue Apoſtolus, ſiue etiam ſanctiſſima Virgo alijs promeruerit, vel iuſtificationes, vel auxilia aliqua de condigno; vnde Leo Papa ſerm. 1. de natiuit. recte dicit; *Quamuis in conſpectu Domini, multorum ſanctorum mors pretioſa fuerit, nullius tamen inſontis occiſio, redemptio fuit mundi; ſingulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit.*

1.Cor.4.

Ioann.4.

Leo.

Obiectio. Obijcies 1. Negari non poſſe quin plerique fuerint iuſtificati à peccato mortali propter merita aliena: D. enim P. Auguſt. ſerm. 2. de D. Steph. ait; *Si Stephanus non orajſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Reſp. Hæc intelligenda eſſe de congruo, non autem de condigno; ità vt velit D. Auguſt. Stephanum impetraſſe ſuis precibus à Deo auxilia per quæ Paulus poſteà fuit conuerſus, ceterùm non ex condignitate orationis Stephani, cum iuſtificatione Pauli, ſed ex decentia diuinæ bonitatis & miſericordię.

D.Auguſt.

Reſponſio.

Obiectio 2. Obijcies 2. Conſtitutum in gratia gratum facientę mereri ſibi augmentum gratiæ & gloriæ de condigno: ergo poterit etiam hic mereri alteri de condigno remiſſionem culpę mortalis; remiſſio quippe peccati mortalis minor eſt quàm ſit collatio gratiæ, & item quàm ſit meritum iſtorum duorum.

Reſponſio. Reſp. Conceſſo antecedente negando conſequutionem, & item probationem eiuſdem; nam ad promerendam remiſſionem peccati mortalis, vel ſibi vel alteri deſideratur gratia capitis, quę non eſt neceſſaria ad hoc, vt mereatur ſibi augmentum gratiæ & gloriæ, etiam de condigno, cum ſatis ſit ad hoc gratia gratum faciens, libertas, ſtatus viæ.

Inſtantia. Inſtabis, actiones factas à conſtituto in gratia, & charitate, habere ortum à Spiritu ſancto, ac proinde eſſe quodammodo infinitas, poſſéque prodeſſe nedum operanti, ſed etiam alteri; vt conſtat ex actionibus humanæ naturæ Chriſti honeſtis. *Reſp.* Reſp. Ex iſtis nihil poſſe colligi; licet enim in homine iuſto actiones honeſtę habeant ortum à Spiritu ſancto, qui infinitus eſt, non tamen propterea ſunt infiniti valoris; definiuntur enim & determinantur à creatura in quibus proinde datur valor tantùm finitus, qui valor remuneratur in illis tantùm à quibus producuntur operationes iſtæ, ſaltem vt habent rationem meriti de condigno.

Poteſt pura creatura virtute diuina ſatisfacere.

CONCLVSIO 2. *De poteſtate Dei abſoluta fieri poteſt, vt pura creatura in gratia conſtituta ſatisfaciat de condigno pro peccato mortali alieno; ſatisfactione reconciliatiua, aliquo modo.*

ſatisfact. reconciliatiua pro alieno peccato.

Primum: quia fatentur communiter interpretes D. Thom. ad quæſt. 8. huius partis, gratiam capitis poſſe communicari alicui puræ creaturę.

Dices, gratiam capitis poſitam eſſe in vnione hypoſtatica. Reſp. Hoc eſſe verum de lege communi: ſolus enim Chriſtus eſt caput hominum & Angelorum, & quidem ex eo capite quod ex ſe & ſua natura influit in membra gratiam, & alia auxilia ordinis ſupernaturalis, quodque retinet poteſtatem inſtituendi ſacramenta, & denique quod poteſt vitam æternam quibus vult conferre; minimé verò ex eo capite quod ordinatione diuina conſtitui poteſt de poteſtate ſua abſoluta.

2. Ratio. Deinde, non eſt magis abſurdum gratiam deriuari in omnes omnino mortales dependenter à pura creatura, de poteſtate Dei abſoluta, quàm iuſtitiam originalem tranſmitti ad poſteros omnes Adę per actum generationis naturalis. Neque oppoſitum colligere licet ex eo quod diximus, omnes operationes factas à nobis remunerari cumulatiſſimè in cœlis, in illis ipſis à quibus habuerunt ortum, vel ex eo quod dixerimus gratiam, quę datur in nobis ordinari ad propriam ſalutem: hæc quippe ſunt intelligenda de lege communi; per potentiam tamen Dei abſolutam ordinari poſſunt ad alienam ſalutem, ſtante hypotheſi, quod pura creatura ſit caput cęterorum hominum ex ordinatione diuina.

CONCLVSIO VLTIMA. *Pura creatura in gratia iuſtificante conſtituta, poteſt ſatisfacere de condigno pro culpa mortali propria vel aliena; modo tamen faciat hoc in gratia, ſatisfactione ſolutiua.* Primum, quia hoc videtur colligi ex cap. 1. ad Coloſſ. ità enim loquitur Paulus de ſeipſo: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo, propter Eccleſiam.* Coloſſ. 1.

Puracreatura poteſt ſatisfacere ſolutiuè pro aliis.

Coloſſ. 2.

Deinde, ieiunium, oratio, & eleemoſyna, ſunt operationes ſatisfactoriæ; at operationes iſtæ, nedum nobis, ſed etiam proximo conducere poſſunt, præſertim ſi proximus fuerit in gratia conſtitutus. 3. Theſaurus Eccleſię conſurgit ex Chriſti ſatisfactionibus & ſanctorum qui plura paſſi ſunt in hac vita, quàm demeruerint eorum peccata, inter iſtos computatur Diua Virgo, D. Ioann. Baptiſta, Apoſtoli, & plerique Martyres primitiuę Eccleſię: atqui ſatisfactiones iſtæ, Chriſti & ſanctorum applicantur nobis per indulgentias: ergo. Ita communiter omnes hoc loco.

Obiectio. Obijcies, ſatisfactiones in omnibus iuſtis cumulatiſſimè fuerunt in cœlis remuneratę; ergo falſum eſt ſatisfactiones iſtas & applicari per indulgentias nobis, & eſſe ſatisfactorias pro alijs. *Reſponſio.* Reſp. Quodlibet opus honeſtum hominis iuſti eſſe & meritorium, & ſatisfactorium, vt monuimus in antecedentibus; vt meritorium perfectiſſimè in cœlis remuneratum, in eo tantum ſancto, à quo habuit ortum; vt tamen ſatisfactorium, non eſt remuneratũ, in eo ſancto in quo non fuit culpa, cui poſſet applicari, vt conſtat de Diua Virgine, quę nuſquam peccauit; ac proinde cum ſatisfactio reſpondeat pœnę debitæ peccatis, ſaltem, ſatisfactione ſolutiua, de qua hìc agimus, non potuit opus factum à Diua Virgine ſub ea ratione qua eſt ſatisfactorium in ipſa remunerari: vnde rectè applicatur per indulgentias alijs, & potuit Diua Virgo in hac vita conſtituta iſtam ſatisfactionem, proximo in gratia conſtituto applicare: idem eſt dicendum de ceteris omnibus alijs iſtis conſtitutis in hac vita.

Opus iuſti vt meritoriũ remuneratũ in cœlo, vt ſatisfactorium non item.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An pura creatura ſatisfacere poſſit pro propria vel aliena culpa veniali, & quidem ad æqualitatem perfectiſſimam.

Abſq; gratia nõ poteſt pura creatura ſatisfacere pro culpa veniali.

DICO 1. ***Puram creaturam gratia deſtitutam non poſſe ſatisfacere pro propria culpa veniali.*** Primùm, quia ſatisfactio pro culpa debet eſſe actus amici Dei: quod tamen dici non poteſt, de eo qui caret gratia gratum faciente.

2. Deinde, remiſſio cuiuſlibet culpæ eſt effectus formalis gratiæ iuſtificantis. 3. Peccatum veniale non tollitur vſpiam, ſine infuſione gratiæ, vt communiter fatentur omnes.

Obiectio. Obijciunt, qui contrariam ſequuntur opinionem; conſtitutũ in peccato veniali, poſſe exercere actum bonum moraliter, quem Deus habeat magis gratum, quam diſpliceat ei peccatum veniale, quod eſt in iſta creatura, poſſe prætereà ſuſtinere omnem pœnam debitam iſti peccato veniali. *Reſponſio.* Reſp. falſam eſſe primam partem huius obiectionis; Deus enim magis habet ingratam culpam venialem commiſſam contra ſe, quam habeat gratum bonum opus morale factum ab eo qui caret gratia gratum faciente, vt videtur colligi ex cap. 1. 1. ad Timoth. *Coïnquinatis, & immundis nihil eſt mundum*; certum eſt etiam pœnam debitam peccato veniali non remitti tamdiu, quamdiu manet peccatum veniale in nobis: manet autem donec acceſſerit gratia gratum faciens, ac proinde non poteſt conſtitutus extra gratiam ſatisfacere pro pœna debita veniali peccato in quo agit. Timot.

Poteſt pura creatura ſatisfacere in gratia pro propria culpa veniali.

Dico vltimò, ***Puram creaturam in gratia conſtitutam poſſe ſatisfacere de condigno pro culpa veniali in qua agit.*** Primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. quæſt. 87. artic. 3. ad 3. huius partis; ait enim peccatum veniale eſſe reparabile per virtutem intrinſecam, id eſt per gratiam quę datur in nobis, exercendo ſcilicet aliquem actum contrarium iſti peccato veniali: & 1. 2. quæſt. 72. 2. 5. docet peccatum veniale reparari poſſe. Idem tenet Suares verbis expreſſis diſp. 4. ſect. 9. & Vazquez diſp. 3. alijque multi recentiores.

2. Probatio. Deinde, actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, eliciti ab hoſtine conſtituto in gratia, & in charitate habituali ſunt meritorij de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ vt fatentur omnes: ergo, poterunt etiam actus iſti eſſe meritorij remiſſionis culpæ venialis, in illis qui exercebunt iſtos actus; nam magis difficile eſt mereri gratiam, & gloriam de condigno, ſibi, aut alteri; quàm mereri ſibi ipſi remiſſionem culpæ venialis; hæc enim non tollit gratiam à nobis, nec prætereà ſoluit Dei amicitiam, vt conuenit inter omnes. Confirmatur. Conſtitutus in gratia, & in charitate habituali poteſt remouere à ſe illud omne quod impedit adeptionem vitæ æternæ, & quidem de condigno; gratia quippe, & charitas poſſunt iſta omnia impedimenta deſtruere, ex illo Pauli; *Omnia poſſum in eo qui me confortat, homo Chriſtus Ieſus:* at peccatum veniale quod datur in nobis impedit adeptionem vitæ æternæ, ex illo Apocalypſis 21. *Nihil coïnquinatum intrabit in cælum.* Peccata autem venialia coïnquinant hominem, cùm ſint verè peccata: ergo, is qui eſt Deo gratus poterit expellere à ſe omne peccatum veniale. Apocalyp.

Obiectio. Obijcies, Deum poſſe non acceptare actum contritionis & dilectionis elicitum ab homine conſtituto in gratia pro ſatisfactione peccati venialis, in quo agit; ergo poterit etiam iuſtè Deus negare remiſſionem iſtius culpæ venialis: ac proinde tempore infinito punire hominem iſtum propter culpam venialem quam habet. *Reſponſio.* Reſp. Antecedens eſſe verum, ſi ſpectetur Deus, vt eſt dominus abſolutus eorum omnium quæ ſunt, & quæ erunt, ſeu, quod idem eſt, reſpectu poteſtatis abſolutę quam habet: eſt enim hic liber in ſuis actionibus omnibus ad extra; imò nihil eſt extra Deum quod poſſit eum neceſſitare: ſi tamen ſpectetur Deus, vt eſt verax, & fidelis in adimplendis ſuis promiſſis, antecedens eſt manifeſtè falſum: promiſit namque ſe acceptaturum pœnitentiam cuiuſlibet noſtrùm, quotieſcunque contigerit nos reſipiſcere à peccatis: ex illo Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam; & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum & miſerebitur*, & alibi. *Si egerit impius pœnitentiam de malo ſuo, agam & ego pœnitentiam de malo quod cogitaui, vt facerem ei.* Ezechielis 18. Cùm ergo ſupponamus hominem conſtitutum in gratia, & in charitate agere pœnitentiam de peccato veniali in quo agit, actus hic pœnitentiæ erit meritorius remiſſionis culpæ venialis propriè, modò tamen actus hic pœnitentiæ fuerit ordinatus ab operante ad deletionem iſtius peccati venialis; neque enim aliter ſine iſta ordinatione actus pœnitentiæ opponitur peccato veniali: vt communiter docent omnes in tractatione de pœnitentia. Ad conſequentiam verò conſtanter eſt dicendum, falſam eſſe: neque enim peccato veniali per ſe debetur pœna æterna: ſed tantum per accidens, quatenus ſcilicet coniungitur peccatum veniale cum mortali. Iſaias. Ezechiel. *Vt opus hominis iuſti ſit ſatisfactorium pro peccato veniali, debet ab ipſo ordinari ad hũc finem.*

Quæſtio mouetur. Dices, quid ſi daretur hæc hypotheſis, Deum reſpuere pœnitentiam, agentis in gratia pro peccato veniali oblatam, an poſſet hic puniri in æternum propter huiuſmodi peccatum veniale iuſtè?

Satisfit quæſtio. Reſp. negatiuè, diximus enim pœnam æternam non deberi peccato veniali, ſed tantummodò temporalem; in data tamen hypotheſi, creatura iſta priuaretur adeptione vitæ æternę, & quidem tamdiu quamdiu maneret culpa venialis in eo; idque quod beatitudo ſit incompoſſibilis cũ vlla plane culpa propriè dicta; ex illo Apocalypſis citato; *Nihil coïnquinatum intrabit in regnum cœlorum.*

ARTICVLVS TERTIVS.

An Adamo non peccante futura eſſet Verbi diuini incarnatio.

1. Sentent. SVNT de hac re duæ extremę ſententię, altera contendit Verbi diuini incarnationem fore nulla præexiſtente culpa, aut etiam futura in hominibus. Ità Scotus in 3. diſt. 7. q. 3. §. ſed hîc ſunt: & diſt. 19. §. in iſta q. & in reportatis in 3. diſt. 7. q. 4. & diſt. 19. q. 1. §. ſciendum eſt, & ſequaces eiuſdem ibidem. Franciſcus Carthagena in opere de prædeſt. hominum, & Angelorum diſcurſu 11. & Ambroſius Catharinus in opuſculo de eximia Chriſti prædeſt. & Suares diſp. 5. ſect. 2. & 4. huius partis D. Th. alijq; innumeri tum veteres, Scotus. Carthag. Cathar. Suares.

Digitized by Google

tum recentiores Scholaſtici. Sunt tamen aliqui ex iſtis, qui addant incarnationem diuini Verbi futuram eſſe ex vi illius decreti diuini propter quod facta. Ita Suares loco proximè citato. Qui vt ſuam mentem explicet, ait, in myſterio incarnationis de facto celebrato, attendendum eſſe duplicem ordinem, intentionis, ſcilicet, & executionis diuinæ; in priori ordine docet finem incarnationis extitiſſe, præſtantiam & dignitatem ipſius incarnationis, in poſteriori verò, præuiſionem peccati: ita vt incarnatio Verbi ſubſecuta ſit in tempore ex vi illius intentionis, quam Deus habuit de incarnatione futura propter dignitatem ipſius, & propter præuiſionem peccati, licet ex vi intentionis futura eſſet incarnatio, Adamo minimè peccante: poſſe autem rem ordinatam in finem aliquem, ordinari ruſſus in aliquem alium, probat exemplo illius, qui ex hypotheſi ſtatuiſſet ſe profecturum Romam ob negotia aliqua tractanda, hic enim poſita iſta intentione, ſi audiuerit Romæ extare vel amicum, vel parentem in neceſſitate conſtitutum poterit ordinare profectionem in ciuitatem Romanam ad ſubleuandam neceſſitatem amici vel parentis degentis Romæ; ità, licet Deus ex omni æternitate decreuiſſet Verbum incarnandum, propter perfectionem incarnationis, potuit etiam ordinare eandem, ex vi iſtius decreti, reſpectu ſaltem executionis in reparationem peccatorum; præſertim cùm in ſecundo inſtanti rationis præuiderit Deus homines peccaturos, quod inſtans ſecundum concipitur à nobis, in decreto de incarnatione futura propter præſtantiam incarnationis tantum. Argumenta autem huius ſententiæ ſunt iſta.

Doctrina Suaris.

1. Argumẽtum 1. Sent.

Primum, prædeſtinatio incarnationis Chriſti præceſſit in mente diuina prædeſtinationẽ cuiuſlibet hominis, vt colligitur ex cap. 8. Prouerbiorum; *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Locus enim hic explicatur à plerisque Patribus de incarnatione Verbi, quos citat Vazquez diſp. 10. & Suares diſp. 5. ad hanc partem D. Thomæ: & ex cap. ad Coloſſ. dicitur enim illic de Chriſto, *quod ſit primogenitus omnis creaturæ*, & ex cap. 8. Roman. *Quos præſcius & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*: ergo incarnatio Verbi futura erat Adamo minimè peccante: ordinata quippe fuit qualibet creatura rationalis ad viam æternam ex omni æternitate: ex cap. 2. prioris ad Timoth. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.*

Coloſſ. 1.

Rom. 8.

1. Tim. 2.

2. Argumẽtum.

Deinde, ſi incarnatio non eſſet futura nulla intercedente culpa, non potuiſſet Deus incarnationem intendere, niſi quoque intendiſſet culpam: quando enim dantur duo ità inter ſe connexa, vt vnum ſit prius, & aliud poſterius, poſterius nequit intendi, niſi intendatur prius, ſaltem quando prius pendet abſolute à poſteriori: atqui incarnatio ex hypotheſi pendet abſolute à peccato futuro: ergo non potuit Deus velle incarnationem, quin voluerit etiam peccatum; at illatio iſta poſtrema nequit defendi ſine impietate, cùm peccatum non poſſit à Deo eſſe volitum; ergo neque &c.

3.

Tertiò, qui vult ordinate, prius vult finem quam media; & inter media ea quæ magis conducunt ad finem obtinendum: at Deus operatur omnia propter ſuam gloriam, ex illo Prouerbiorum 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Altiſſimus*; ergo cum incarnatio maxime pertineat ad

Prouerb. 16.

A gloriam Dei, iſtam prius voluit, quàm præuiderit vllam plane culpam.

4.

Quartò, abſurdum eſt tantum bonum, quantum eſt incarnatio pendere à peccato; & item prædeſtinationem Chriſti à ſalute noſtra.

5.

Quintò, in ſtatu innocentiæ fuiſſet Eccleſia non minus quàm iam ſit, & tamen in eo ſtatu nulla fuiſſet culpa, ergo fuiſſet etiam Chriſtus; hic enim ſolus eſt caput hominum, & Angelorũ.

Vltimum.

Denique, hæc videtur eſſe mens ſanctorum Patrum: maxime vero Cyrilli lib. 5. de Theſauro & D. P. Auguſtini lib. 1. de nuptijs cap. 21. ait enim illic, *matrimonium in ſtatu innocentiæ conſtitutum deſignaſſe myſterium incarnationis Chriſti.*

Cyrillus. Auguſt.

2. Sent.

B Secunda ſententia eſt eorum, qui putant incarnationem Verbi nulla ratione eſſe futuram Adamo non peccante. Ità D. Th. hoc loco & lib. 4. contra Gent. cap. 25. Caietanus, Medina, hoc loco. Cabrera, diſp. 1. §. 10. & 11. ad hunc articulum. Vazquez diſp. 10. ad hanc partem per multa capita. Gregorius de Valentia diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. Peſantius diſp. 1. ad hunc articulum. Bonauent. & Richardus in 3. diſt. 1. Gabriel diſt. 2. & omnes omnino Thomiſtæ hoc loco & in 3. diſt. 1. Abulenſis ad cap. 20. Matthei quæſt. 44. & alij innumeri.

D. Thom. Caietanus. Medina. Cabrera. Vazquez. Valentia. Peſantius. Bonauent. Richardus Gabriel. Abulenſis.

Cauſa motiua incarnationis fuit præuiſio peccati.

Vt autem mens D. Thomæ intelligatur: Obſeruandum eſt ex eius doctrina cauſam motiuam extitiſſe præuiſionem peccati primi parentis: non C quidem hoc ſenſu, quod ratio productiua incarnationis fuerit in peccato primi parentis: hæc enim extitit ſola bonitas, & miſericordia Dei, quæ intra Deum datur, vt eſt per ſe notum: ſed quia ſi peccatum primi parentis non fuiſſet à Deo præuiſum, & præcognitum, nuſquàm definiuiſſet ſe Deus ad productionem incarnationis diuini Verbi: ità vt motiuum incarnationis fuerit reſpectu voluntatis diuinæ, præuiſio iſtius peccati: ac proinde peccatum cenſetur eſſe cauſa incarnationis motiua, & occaſionalis (vt loquuntur): cauſa autem finalis ex eodem D. Thoma, cenſetur eſſe remedium peccati, & generis humani reparatio: ac proinde duæ iſtæ cauſæ cenſentur eſſe priores in D mente diuina, ſecundum noſtrum modum concipiendi, quàm fuerit decretum de incarnatione futura: cauſa enim debet in ratione ſaltem cauſæ, eſſe prior eo, quod producitur dependenter à tali cauſa. Fines verò alij qui in incarnatione deprehẽduntur quales ſunt dignitas incarnationis, ſanctificatio eiuſdẽ, & gloria Dei, non fuerunt intenti à Deo primò, & immediatè: ſed tantum mediatè, quatenus ſcilicet conſequuntur incarnationem volitam à Deo, & intentam tanquam remedium peccati, & vt eſt reparatio humanæ naturæ.

Finalis cauſa incarn. fuit remedium peccati.

Fines incarnationis at dignitas illius, & alij, mediate tãtum fuerunt intenti à Deo.

Conclvsio 1. *Incarnatio potuit fieri à Deo ſine vlla dependentia à præuiſione peccati futuri, ex vi alicuius alterius decreti ab eo, propter quod facta eſt.* Primum, quia Deus eſt quàm maxime liber E in ſuis operationibus ad extrà: nullam autem implicat contradictionem, incarnationem produci ſine dependentia à peccato futuro. Confirmatur. De facto voluit Deus incarnationem cum dependentia à peccato, ergo poterit etiam ſine dependentia à peccato: abſolute, & ſimpliciter loquendo, ità communiter omnes.

Potuit fieri à Deo incarnatio abſque præuiſione peccati.

Conclvsio 2. *Stante opinione D. Thomæ vix ſuſtineri poteſt incarnationem Verbi futuram primo parente neutiquàm peccante, virtute ſaltem illius decreti propter quod de facto celebrata eſt.*

Non foret incarnatio iuxta D. Thom. ſi nõ peccaſſet homo.

Primùm, quia D. Thomas contendit finem

Digitized by Google

proximum & immediatum incarnationis eſſe ſolam generis humani reparationem.

Deinde, putat ſanctus Doctor prædeſtinationem Chriſti fuiſſe celebratam poſt præuiſionem peccati primorum parentum; non autem anteà.

Tertiò, fieri nequit vt aliquis velit medium, ſub ea ratione, qua medium eſt ordinatum ad finem certum conſequendũ, niſi etiam velit finem: atqui incarnatio Verbi eſt medium ordinatum ad reparationem generis humani, vt probabitur concluſione proximè ſequente: ergo non potuit illam velle, niſi volita reparatione generis humani.

Reſpondent Suares, alijque recentiores cum illo, rationes iſtas probare incarnationem non potuiſſe intendi à Deo fine dependentia à peccato, ſi ſpectetur incarnatio ſecundum ordinem executionis; minimè vero ſi ſpectetur hæc ſecundum ordinem intentionis; hic enim ordo admittit vt incarnatio fuerit per ſe intenta à Deo propter ſemetipſam, licet poſteà fuerit ordinata ad generis humani reparationem.

Refellitur reſponſio Suaris.

Ceterùm, reſponſio iſta non ſatisfacit. Primùm, quia Patres, ſcripturæ, & ſacra Concilia cauſam incarnationis, eámque quàm maximè ſufficientem, nullam aliam agnoſcunt, quàm remedium peccati, & generis humani reſtaurationem. Deinde, comparatio iſta ordinis intentionis gratis videtur excogitata; certum enim eſt, Deum nulla ratione poſſe intendere peccatum.

Tertiò, falſum eſt voluntatem noſtram poſſe moueri à duplici fine totali, vt docent auctores iſti; vel enim in vtroque coniunctim accepto, eſt tota ratio mouendi voluntatem; ſeu quæ mouet actu, vel in quocumque diuiſim: ſi primum, ergo vterque finis partialis eſt; quia diſſoluto illo coniuncto, & ceſſante altero fine non manet tota ratio mouendi; ſi eſt ſecundum, ſequitur neutrum finem eſſe totalem, quia ex Ariſt. 3. phyſic. textu 63. totum eſt, extra quod nihil eſt: ergo inquirenti in quo ſit tota ratio quæ mouet voluntatem, aſſignare debemus, extra quod nulla maneat ratio mouendi; at in nullo fine illorum hoc aſſignauimus: ergo neuter ex illis totalis eſt.

Obiectio. Obijcit Suares primò, Samuelẽ 1. Regum 16. Bethel veniſſe ob duplicem finem totalem: nempe ad vngendum in Regem Dauid ex præcepto Domini, & ad immolandum eidem Domino. *Reſp.* Neutrum ex illis motiuis fuiſſe totale, ſed tantùm partiale, vt notat D. Gregorius lib. 6. expoſitionum in 1. Regum cap. 3. quodque clare conſtat ex ipſo textu; ex neutro enim profectus fuiſſet Samuel; videlicet, nec præciſe ad vngendum, vnde recuſauit, dicens; *Audiet enim Saül & interficiet me:* nec etiam ad immolandum Domino, cùm nihil ſit de ſacrificio cogitatum, donec Samuel aperuit periculum mortis inferendę à Saule.

Obiectio. Obijcit 2. Poſſet quis ieiunare, & ob finem virtutis temperantiæ, & ad ſatisfaciendum pro peccatis: item elargiri eleemoſynam pauperi ex motiuo miſericordiæ, & amicitiæ, quia videlicet amicus eſt: ergo ex duplici fine totali moueri poteſt voluntas. *Reſp.* Negando conſequentiam: *Reſponſio.* nam vel illę virtutes partialiter tantum ſe habent, vel ex motiuo vnius ſimpliciter mouetur ad operandũ, & alia tantum impellit, & accelerat actiones: ſicut contingit in exemplo allato in principio diſputationis, illius qui ſtatuiſſet ire Romam ſimpliciter; & deinde ad videndum amicum, vel parentem: ab illo enim abſolutè tantum mouetur; etſi viſitatio amici eum impellat, ad alacrius iter ſuſcipiendum; etenim motiuus finis eſt qui mouet voluntatem, vt fiat opus, & eſt cauſa ſimpliciter faciendi: impulſiuus qui voluntatem primo motam ex alio fine, vrget & accelerat ad operandum, & non eſt cauſa ſimpliciter opus, ſed faciendi celerius, vel alacrius.

CONCLVSIO VLTIMA. *Incarnatio Verbi nulla ratione futura erat, Adamo non peccante.* Primum, quia vt rectè diſcurrit S. Th. in corpore huius artic. de ijs quæ pendent à ſola voluntate diuina, non aliter licet opinari, quàm tradant ſcripturæ, & doceant ſancti Patres; itémque ſacra Concilia; non enim aliter conſtat nobis de diuina voluntate quid hæc præſtiterit aliquando: atqui ſcripturę, Patres, & Concilia docent incarnationem eſſe factam propter humani generis reparationem, vt conſtat ex cap. 19. Lucæ. *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* & Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum, vt eos qui ſub lege erant redimeret.* & 1. Timothæi 1. *Venit Ieſus ſaluos facere peccatores, quorum primus ego ſum.* & Marci 8. *Venit filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Subſcribunt Concilia; Nicænum & Conſtantinopolitanum, in Symbolo. *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Epheſinum. Chalcedonenſe primum, Toletanum VI. & XI. in Confeſſione fidei. Accedunt Patres, Cyrillus lib. 9. in Ioannem. cap. 47. & lib. 8. contra Iulianum; ait enim, *propter ſolum peccatum veniſſe Chriſtum.* & lib. 1. de fide ad Reginas. *Credimus,* inquit, *incarnationem ad humana natura reſtaurationem eſſe factam.* & Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos. *Neceſſitas,* inquit, *indigentiaque hominum anterior eſt quàm illius (ſcilicet Chriſti) natiuitas, qua ſublata carnem non induiſſet.* & D. P. Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis. cap. 26. & ſerm. 8. de verbis Apoſtoli: *Si homo non peccaſſet, filius hominis non veniſſet.* & alibi, referente D. Th. in corpore huius articuli. *Nulla alia fuit cauſa Chriſto Domino veniendi in hunc mundum, quàm peccatores ſaluos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit opus medicina.* Vide de hac re innumera teſtimonia apud Vazquem diſp. 10. ad hanc partem D. Th.

Adamo non peccante nõ fores incarnatio. 1. Probatio.

Lucę 19. Ioann. 3. Galat. 4. 1. Tim. 1. Marci 8. Concil. Niceṇ. Conſtant. Epheſ. Chalced. Tolet. 6. & 11. Cyrill. Athanaſ. Auguſt.

Reſpondent Scotiſtę teſtimonijs iſtis ſcripturę, Patrum, & Conc. probari, Adamo non peccante incarnationem Verbi nulla ratione eſſe futuram, in carne paſſibili; minimè vero in carne impaſſibili: Verum reſponſio hæc defendi non poteſt; qui enim dicit ſimpliciter & abſolutè incarnationem non eſſe futuram Adamo non peccante, hic etiam affirmat non eſſe futuram in carne impaſſibili; impaſſibilitas quippe iſta eſt circumſtantia tantùm incarnationis: at Patres abſolute dicunt incarnationem Verbi non eſſe futuram Adamo non peccante, vt conſtat ex locis ſuprà citatis D. P. Auguſtin. & ex Leone Magno. ſerm. 3. in Pentecoſte. *Si,* inquit, *homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus, in honore ſua natura mansiſſet, nec diabolica fraude deceptus, à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet; creator mundi, creatura non fieret, nec formam ſerui & ſimilitudinem, carnem peccatis aſſumeret.* Idem colligitur ex hymno qui cantatur in honorem D. Virginis ab Eccleſia.

Effugium Scotiſtarum infirmatur.

Leo.

Peccatores non abhorres
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.

Digitized by Google

Aliquorũ ſolutio reijcitur.

Alij verò reſpondent ex iſtis locis ſcript. & Patrum probari incarnationem eſſe factam propter generis humani reparationem; ſed non tantùm: ex alijs quippe locis ſcripturę indubitatum eſt, Verbum fuiſſe incarnatum, ad hoc vt Chriſtus fungeretur officio doctoris, paſtoris, & glorificatoris; ac proinde Adamo non peccante, futura erat incarnatio, vt Chriſtus officia iſta inter mortales exerceret.

Ceterùm, reſponſio hæc non minuit rationem D. Thom. licet enim Chriſtus officium paſtoris, & item doctoris exercuerit, ordinauit tamen hæc munera in humanæ naturæ reparationem, vt manifeſtè colligitur ex cap. 15. Matthæi; ità enim loquitur Chriſtus de ſeipſo; *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël*; ac proinde munera iſta ſubijciuntur incarnationi, prout hæc ordinata eſt, ad generis humani reparationem. Matth. 15.

Vltima probatio præcipua concluſionis.

Denique probatur concluſio; Chriſtus non aliter potuit venire ex vi decreti propter quod venit, niſi eo modo quo continebatur in decreto: at in decreto habuit carnem paſſibilem, vt eſt per ſe notum, & manifeſtè ex eo colligitur quòd ſatisfecerit pro nobis morte, & paſſione ſua: ergo.

Satisfit rationibus 1. ſentent.

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ reſpondeo. Ad. 1. falſum eſſe Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante præuiſionem peccati primorum parentum, vt autem res iſta manifeſtè innoteſcat.

In cognitione diuina aſſignatur quidã ordo.

Obſeruandum eſt ex doctrina Thomiſtarum, in cognitione diuina dari ordinem aliquem ſecundum noſtrum modum concipiendi, ac proinde in primo inſtanti rationis intellexit Deus ſuã eſſentiam perfectiſſimè, & eandem amauit. In 2. vidit extare intra ſuam eſſentiam infinitas perfectiones, quas potuit creaturis communicare, & quidem modis propemodum infinitis. In 3. voluiſſe condere mundũ, cum omnibus ſpeciebus in eo contentis, & præterea ordinaſſe hominem in vitam æternam veluti in ſuum finem vltimum, ceterùm ordinatione, ſeu prædeſtinatione inefficaci, aut, vt alij loquuntur antecedente. In 4. vidit Deus hominem deficere ab huiuſmodi ordinatione per peccatum ab eo commiſſum, vel committendum, ac proinde voluiſſe eidem dare redemptorem, nempe Chriſtum Dominum. In 5. ex omnibus hominibus conſtitutis in maſſa perditionis per peccatum primorum parentum ordinaſſe & elegiſſe aliquos ad vitam æternam: ceterùm dependenter à meritis Chriſti redemptoris, ità vt voluerit dare auxilia efficacia per quæ tandem beatitudinem æternam conſequerentur: alijs verò in eadem maſſa conſtitutis, decreuit etiam dare auxilia quàm maximè ſufficientia, & quidem dependenter à meritis Chriſti, quo tandem ſuam ſalutem operarentur, ſi vellent. Ex iſtis ergo Chriſtum conſtat fuiſſe prædeſtinatum poſt præuiſionem peccati primorum peccatum.

Scripturæ teſtimonia 1. ſent. explicantur.

Ad teſtimonia ſcript. quibus probare contendunt authores primæ ſententiæ. Reſp. Locum Prouerbiorum intelligendum eſſe ex multorum Patrum ſententia de humana Chriſti natura, quæ dicitur illic facta, ſeu creata ante omnem creaturam, non quidem ordine cauſalitatis, ſed dignitatis, & præſtantiæ; ità vt (ab initio, ſeu initium connotet perfectionem illam ſummam, quæ datur in humana Chriſti natura, ſupra ceteras omnes creaturas: hæc autem poſita eſt in eo quod ſubſiſtat ſubſiſtentia increata: fauet iſtis locus Iſaiæ cap. 40. dicitur enim illic de Behemoth, quòd ſit principium viarum Domini, id eſt, quod principatum teneat ſuper omnes vias Domini, id eſt, creaturas alias, mole tamen & quantitate corporis. & item illud Iacobi 1. *Voluntariè*, inquit, *genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*, id eſt, vt ceteras creaturas viſibiles & ſenſibiles nobilitate ſuperemus: propter hanc eandem cauſam dicitur Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, ad Coloſſ. 1. antecellit enim dignitate, & honore, ceteris omnibus creaturis. Poſterior denique locus ex cap. 8. Roman. deſumptus, tantum probat Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante ceteros homines, prædeſtinatione conſequenti, & efficaci, non autem inefficaci & antecedente, ac proinde non erat futura incarnatio Verbi Adamo non peccante. Iacob. 1. Coloſſ. 1. *Chriſtus primus prædeſtinatorũ prædeſtinatione efficaci.*

Ad 2. Reſp. negando maiorem. Ad probationem autem, eum qui vult prius, velle etiam poſterius ſi vtrumque poſſit eſſe obiectum voluntatis; certum autem eſt peccatum non poſſe eſſe volitum, neque intentum à Deo. 2. Reſpondeo eum qui vult poſterius, velle etiam prius, ſi poſterius, ordinetur ad prius, veluti in ſuum finem conſequendum; incarnatio autem non ordinatur in peccatum veluti in ſuum finem conſequendum ſed potius reparandum: ex peccato ſiquidem, irrogata eſt Deo ſumma iniuria, ad quam reparandam ordinata eſt incarnatio à Deo. Reſp. 3. ex eo quod aliquis velit poſterius non poſſe colligi velle etiã prius, ſi poſterius pendeat à priore veluti à motiuo, & à ſola occaſione; vt patet ex eo qui ægrotat; hic enim propterea vult medicinam, quod laboret morbo, ſi enim morbus non vrgeret nulla ratione medicinam exoptaret: ex quo non licet colligere ægrotum iſtum velle ęgritudinem, quia vult medicinam; ità neque poteſt aliquis recte colligere Deum velle peccatum, aut intendere quod velit & intendat incarnationem; pendet enim incarnatio à peccato veluti à motiuo, & occaſione tantum. *2. Argumẽtum diſſoluitur tripliciter reſpondendo.* 2. 3.

Ad 3. Reſp. Propoſitionem iſtam; qui ordinate vult, prius vult finem, quàm media, habere locum in Angelis, & hominibus; idque quod pendeant à rebus iſtis ad agendum: in Deo verò minimè; hic enim operatur vt vult, & eo modo quo vult: ac proinde ex fine medium, ex medio finem facere poteſt iuxta ſuam voluntatem. 2. Reſp. ad minorem, præſtantiam incarnationis, ſanctificationem eiuſdem, & gloriam Dei, non eſſe fines proxime, & primario intentos à Deo, quando cogitauit de incarnatione facienda: diximus enim finem proximum & immediatum incarnationis, reſpectu Dei, eſſe remedium peccati, & reſtaurationem humanæ naturæ: præſtantiam vero incarnationis, ſanctificationem eiuſdem & gloriã Dei, eſſe fines contentos in ipſa incarnatione, ac proinde intentos fuiſſe tantum mediate à Deo: ſeu, quod idem eſt, coniunguntur cũ ipſa incarnatione ordinata ad reparationem generis humani. Ex iſtis autem non licet colligere incarnationem futuram eſſe, Adamo non peccante, cum incarnatio ſimpliciter præſupponat peccatum primorum parentum, & pendeat à peccato occaſionaliter. *Ad 3.* *2. Reſp.*

Ad 4. non eſſe abſurdum prædeſtinationem Chriſti, & incarnationem Verbi pendere à peccato occaſionaliter; hoc enim concedunt Patres ſcripturæ, & ſacra Concilia, vt conſtat ex dictis in confirmatione concluſionis 2. Vt autem hoc melius intelligatur, aduerte; bonum aliquod poſſe dici occaſionatum dupliciter 1. ex ſe, & *Ad 4.* *Bifariam ſumitur bonum occaſionatum.*

Iſaiæ 40.

ſua natura, vt eſt pœnitentia, & vindicta de peccatis quæ Deus nullo modo vellet, niſi ex ſuppoſitione peccatorum. 2. accidentaliter vt matrimonium v.g. quod fieret inter Principes duorum regnorum inter ſe dimicantium, ad pacem ineundam, id eſſet bonum occaſionatum. Incarnatio igitur, eſt tale bonum occaſionatum non 1. ſed 2. modo, quia licet ex ſe poſſit intendi à Deo, nõ tamen ex vi decreti quod habuit eam voluiſſet, detracta occaſione peccati; quemadmodum licet inter illos Principes poſſet ſimpliciter contingere matrimonium, non foret nihilominus niſi conſtitutio pacis, qua tarent, occaſionem præbuiſſet.

Quæ ratione dicatur bonum occaſionatum incarnatio.

Ad 4. Ad 5. In ſtatu innocentiæ Eccleſiam eſſe futuram, eius tamen caput non exticiſſet Chriſtus, ſed ſolus Deus: propter hanc cauſam fatentur communiter Theologi, Angelis in 1. inſtanti ſuæ creationis, & item hominibus in ſtatu innocentię gratiam iuſtificantem fuiſſe conceſſam, non dependenter à meritis Chriſti, ſed à ſola Dei gratuita liberalitate.

In ſtatu innocentiæ fuiſſet Eccleſia, caput non exticiſſet Deus nõ Chriſtus.

Replica. Dices, in ſtatu innocentię primus parens habuit fidem Chriſti venturi; ergo illa fuit ex meritis ipſius, ac proinde venturus eſſet; etſi nullum foret peccatum. Reſp. neg. conſequentiam, non enim potuit habere aliquid ex meritis illius, qui nondũ erat præuiſus; fuit ergo illa fides in primo parente collata ipſi à Deo, ex ſpeciali prouidentia diuina, ſicut & quæcunque alia ſalona ſupernaturalia.

Reſponſio.

Inſtantia. Inſtabis, ſuppoſita hac fide Chriſti in primo parente, in ſtatu innocentiæ, alterum ex iſtis ſequitur, vel futurum abſolutè Chriſtum, ſecluſo peccato, vel certe primum parentem fuiſſe præſcium caſus, & ruinę ipſius; quod non concedit D. Th. hoc art. ad 5. quia id tuiſſet occaſio anxietatis & triſtitię in Adam, dum ſciret ſe amiſſurum gratiam, quod ſtatui innocentiæ repugnat. Reſp. Neutrum ſequi; potuit enim illi reuelari à Deo aduentus Chriſti, vt eſſet caput ipſius, & totius poſteritatis, & occultari circumſtantia redemptionis, quæ præſupponebat ipſius peccatum: exemplum eſt in Ioſepho, Geneſ. 37. Cui facta eſt reuelatio exaltationis ſuę & celata venditio fratrum & incarceratio: licet poſtea ad ampliſſimam Ægypti dignitatem peruenerit, ſimiliter &c. Conſtituenda igitur ſunt tria inſtantia. 1. Deus decreuit permittere peccatum Adæ. 2. in remedium peccati iam viſi decreuit mittere mediatorem. 3. cùm iam futurus eſſet mediator ex occaſione prę-uiſi peccati ſtatuit reuelare mediatorem primo parenti, antequàm peccaret, at non ſub ratione mediatoris ob rationem aſſignatam in inſtantia adducta.

Geneſ.

Tria inſtantia conſiderantur in mente diuina.

Vltimum argumentũ ſoluitur. Ad vltimum, neminem extare inter Patres, qui doceat incarnationem eſſe futuram Adamo non peccante; ex locis autem qui adducuntur ab auctoribus contrariæ ſententię, ſolùm licet colligere eſſe circumſtantias aliquas in incarnatione, & fines aliquos qui non pendent à peccato proximè & immediatè, cuius generis eſt, quod Chriſtus gloria & honore ab Angelis & hominibus coronetur, quod natura humana Chriſti antecellat dignitate Angelis & hominibus: & alij nonnulli fines, mediatè tamen omnes iſti, & item circumſtantię pendent à peccato occaſionaliter: non enim eſſent futuri, niſi præceſſiſſet culpa primi parentis: ſpecialiter verò ad D. P. Auguſt. tantùm

Explicantur ſancti Patres, qui videntur ſentire.

Chriſti cum Eccleſia, ex quo nihil ſequitur contra ſententiam D. Thom. quam amplexi ſumus.

ARTICVLVS QVARTVS.

An incarnatio Chriſti principalius fuerit ordinata ad delendum peccatum originale, quàm quodlibet actuale.

TRIA ſunt hoc loco obſeruanda: alterum eſt incarnationem Verbi ordinatam fuiſſe ad delendum nedum peccatum originale, ſed etiam quęlibet actualia, quę dantur in nobis. Documentum hoc, eſt de fide; habetur enim expreſſum in ſacris litteris. 1. Ioannis 2. *Aduocatum habemus apud Patrem & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi:* & ex cap. 1. 1. Timothęi. *Qui dedit ſemetipſum, in redemptionem pro omnibus.* Loquitur autem de Chriſto. & Matthęi 1. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* & Iſaię 53. *Vulneratus eſt propter peccata noſtra, attritus eſt propter iniquitates noſtras*: teſtimonium hoc loquitur de Meſſia.

Incarnatio ordinata eſt ad delendaomnia peccata.

1. Ioann. 2.

1. Tim. 1.

Matth. 1.

Iſaię 53.

Deinde, idem docent Patres, Leo ſerm. 1. de natiuit. *Chriſtus Ieſus peccati, mortisque noſtræ deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum inuenit: ita pro liberandis hominibus venit.* Idem docet Concil. Toletanum. VI. cap. 1. ait enim, *Ex tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis ſolum filium fuiſſe incarnatum*, quia ità conſtitutum fuit à Patre vt homines liberarentur, tam à peccato originali, quàm à quolibet alio actuali commiſſo.

2. Probatio ex Patr. Leo. Tolet. 6.

Tertio, finis proximus incarnationis cenſetur eſſe remedium peccati, & reparatio humanæ naturæ, ex doctrina D. Thomæ toties inculcata: atqui peccata alia ſunt actualia, alia vero originalia, & deſtructio humanæ naturæ, non aliunde repetenda eſt, quàm ab iſtis, omnium planè confeſſione, & manifeſte colligitur ex cap. 5. Rom. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ſic in omnes pertranſijt.*

3. Probatio.

Rom. 5.

Denique, ſacramenta baptiſmatis, & pœnitentiæ; quælibet peccata delere poſſunt: opponuntur quippe hæc quibuſuis peccatis cauſaliter: atqui ſacramenta iſta omnem vim quam habent mutuantur à Verbi incarnatione: ità D. Thomas hoc loco, & omnes interpretes eiuſdem.

4.

Cùm autem diximus incarnationem Verbi ordinatam eſſe ad deletionem cuiuſlibet peccati actualis, & originalis, hæc intelligenda ſunt, ſufficienter; non autem efficaciter: de facto quippe peccata non fuerunt deleta in quolibet indiuiduo humanæ naturæ: Matthæi enim 25. dicitur, quod in die iudicij Chriſtus dicturus ſit ijs qui erunt à ſiniſtris; *Ite maledicti in ignem æternum*, ignis autem æternus debetur tantùm ijs qui commaculantur peccato mortali, ex communi doctrina: negari autem nequit, quin diues epulo pœnas inferni ſuſtinuerit, vt dicitur Lucæ 16. ſufficienter tamen omne peccatum in omnibus & ſingulis indiuiduis humanæ naturę per incarnationem Verbi fuit ſublatum, vt manifeſte colligitur ex Paulo ad Romanos cap. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: id eſt meritum Chriſti tam

Incarnatio ordinatur ad deletionem peccati originalis & actualiũ ſufficienter, non verò efficaciter.

Matth. 25.

Rom. 5.

Digitized by Google

præſtans

præſtans & nobile eſt, vt ex ſe & ſua natura pluſquàm ſufficiens ſit ad delenda quælibet peccata; ac proinde magis ex ſe conducere poteſt mortalibus, quàm obtuerit eiſdem culpa commiſſa à primis parentibus, aut etiam à ſeipſis.

Obiectio. Obijcies, Chriſtum affirmare ſe veniſſe tantum propter Iudæos: Matthæi 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Reſp. hæc non eſſe ſimpliciter intelligenda, nam Marci, & *Reſpõſio.* Matthæi vltimo, præcipit Chriſtus ſuis Apoſtolis, Matth. vlt. vt doceant omnes & ſingulos in quibuſuis partibus vniuerſi exiſtentes; & quidem eo conſilio vt ſalutem conſequantur. *Ite*, inquit, *in vniuerſum* Marci vlt. *mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Locus ergo citatus ex cap. 15. Matthæi, venit intelligendus de certis quibuſdam motiuis, quibus Chriſtus venit in hunc mundum; putà de prædicatione præſtanda per ſeipſum, de miraculis item faciendis, & de promiſſionibus factis adimplendis; hæc enim tria debuit Chriſtus præſtare per ſeipſum apud Iudæos ſolos; mortem tamen nomine quorumcumq; mortalium ſuſtinuit; ac proinde & peccata eorundem deleuit ſufficienter, (vt diximus) efficaciter verò in illis tantùm peccata fuerunt ſublata, quibus paſſio Chriſti fuit de facto applicata.

Locus obiectus rectè explicatur.

2. Documentum. Incarnatio potius ad delendum peccatum originale, quàm actuale. Secundum documentum eſt, incarnationem Verbi fuiſſe potius factam ad delendum peccatum originale, quàm actuale: ità D. Th. & interpretes eiuſdem omnes hoc loco.

Deinde, ſcripturæ nihil magis inculcant, quàm Chriſtum opponi Adamo, ac proinde quemadmodum Adamus ſuo peccato totam poſteritatem infecit; ità & Chriſtus debuit eandem à maculis iſtis purgare: macula autem iſta contracta dependenter à peccato Adæ, cenſetur eſſe peccatum originale: ergo. 3. Licet peccatum mortale actuale ſit grauius peccato originali; idque quod ſit magis liberum, committitur enim per propriam libertatē, debetúrq; eidem pœna damni, & ſenſus ſimul: peccatum tamen originale extenſiue ſpectatum cenſetur eſſe maius; hoc enim in omnibus indiuiduis humanę naturæ locum habet excepto Chriſto, qui cum ſit Deus non potuit eo commaculari, & Diua Virgine quæ ex ſpeciali priuilegio ab iſta macula fuit exempta: imò nullus eſt, qui poſſit culpam iſtam vitare in ſemetipſo; contrahitur namque per actum generationis naturalis: ergo propter peccatum hoc, magis quàm propter actuale, celebrata fuit incarnatio: peccatum quippe actuale ex ſe & ſua natura nocet ei tantum, à quo admittitur, originale verò omnibus inuiduis humanæ naturæ ità obeſt, vt vnumquemque noſtrum excludat à gratia & à gloria: propter hanc ſiquidem cauſam nuncupatur peccatum humanæ naturæ.

3. Peccatum actuale plus habet de libertate quàm originale, non de vniuerſalitate.

Peccatum originale vocatur peccatum naturæ humanæ.

3. Documentum. Si nullum foret peccatum originale non fieret incarnatio. Probatio documẽt. 3. Tertium documentum eſt, poſito peccato originali, ſecluſis quibuſcunque actualibus ex vi decreti, quod Deus de facto habuit, Chriſtum incarnandum; ſecùs ſi forent peccata actualia, non autem originale: ratio aperta eſt ex dictis in præcedenti Dubitatione, in qua oſtenſum eſt, vnicum motiuum incarnationis faciendæ fuiſſe ſolum peccatum originale: ergo eo contracto ab hominibus fuiſſet executioni demandata incarnatio; etiamſi nullum aliud exiſteret peccatum, & è contrà ſi peccatum illud non eſſet futurum, alijs quibuſcumque poſitis Chriſtus non veniret. Patet: quoniam firmitas & perſeuerantia decreti dependet ex totali motiuo, tanquam ex cauſa adæquata; ergo cum remedium peccati primi parentis, fuerit vnicum motiuum ex quo decreta eſt incarnatio, ex illo remedio dependet vnicè aduentus mediatoris; ità vt illa occaſione ceſſante propter nullam aliam veniret, ex vi decreti præſentis.

Obiectio. Obijcies, his obſtare hiſtoriam D. Petri, quam refert D. Ambroſ. lib. 3. Epiſtola 34. cùm enim Petrus Roma fugeret, Chriſtus dixit illi obuiam factus. Vado Romam iterum crucifigi; quaſi timiditatem ipſius exprobraret, & ſe paratum diceret ad ſubeundam mortem, vel ſolius Petri cauſa: item Dionyſius Areopagita epiſt. ad Demophilum, refert reuelationem factam Carpo viro ſanctiſſimo in qua Chriſtus ipſi reuelauit ſe paratum eſſe iterum pro hominibus ſaluandis pati. Reſp. *Reſpõſio ad 1.* circa 1. ea dixiſſe Chriſtum Petro declinare cupienti iram Neronis, ac proinde diſcedenti: vt intelligeret tempus aduenille ſui martyrij, atque adeo redeundū ſibi eſſe Romam, vt ibi glorioſum agonem conſummaret; quod ità factum eſt: nam Petrus intelligens illa verba Chriſti pro ſe dicta, ad locum ipſum priſtinum eſt conuerſus. Circa *Reſpõſio ad 2.* 2. autem, Chriſtum non dixiſſe Carpo, iterum ſibi eſſe moriendum; ſed paratum eſſe iterum mori, quo ſignificauit promptitudinem & alacritatem animi, ſi Pater ità diſpoſuiſſet, non vero prædixit quid aliàs in caſu quo non eſſet peccatum originis, pro alijs peccatis facturus eſſet.

ARTICVLVS QVINTVS.

An conueniens fuerit Deum incarnari ab initio.

DE hac re vnum conſtat quod ſi incarnatio Chriſti ſpectetur abſolutè & in ordine ad potentiam Dei extraordinariam, certum eſt hanc longè antequàm facta ſit, imo & ab initio mundi fieri potuiſſe; neque enim hoc repugnat aut ex parte Dei, aut ex parte incarnationis; ſi autem ſermo ſit de incarnatione Chriſti iuxta diuinæ prouidentiæ ordinationem, non eſt dubium hanc non potuiſſe antequàm facta ſit fieri; recte ſiquidem dicitur ad Galatas 4. *Vbi venit plenitudo* Galat. 4. *temporis miſit Deus filium ſuum.* In aſſignandis autem cauſis propter quas citiùs non venerit, non conuenit inter omnes: Patres enim varias huius rei aſſignant. Chryſoſt. in epiſt. ad Coloſſenſes, D. P. Auguſt. epiſt. 29. quam tamen retractat libro de prædeſt. ſanctorum cap. 9. propter Tyrios, & Sidonios: alias tradit lib. 83. qq. quæſt. 44. Theodoretus lib. de curatione Græcarum affectionum, Nazianzenus oratione de natiuitate Chriſti, Nyſſenus oratione de natiuitate Chriſti. D. Thom. duas aſſignat hoc loco, 1. quia promotio boni fit ab imperfecto ad perfectum, 2. ne nimia dilatione incarnationis affectus fidei, & charitatis minueretur.

Abſolutè potuit fieri incarnatio à principio mundi.

Variæ aſſignantur rationes à ſanctis Pp. Auguſt. Theodor. Nazianz. Nyſſen. D. Thom. duas rationes affert.

ARTICVLVS SEXTVS.

An incarnatio differri debuerit vsque ad finem mundi.

Non debuit differri vsq; ad finem mundi incarnatio.

DOCET D.Th. incarnationem non debuisse differri vsq; ad finem mundi, & probat 1. quia Christi incarnatio facta fuit ad perficiendam naturam humanam, idque beneficio gratiæ, & gloriæ; at gloria saltem consummata debuit conferri in fine mundi; ergo debuit status gratiæ antecedere.

Rationes D. Thom. tantùm congruentes.

Deinde, si ad finem vsque mundi distulisset Deus Verbi incarnationẽ, periisset omninò notitia Dei, nam vicijs hominum natura magis ac magis obscuratur. 3. quia decuit pluribus modis homines saluari, & per fidem Christi futuri & præsentis, & præteriti: istæ tamen rationes non sunt demonstratiuæ; sed probabiles tantum & congruentes, quod voluit D. Thom. Hoc autem tempus in quo Christus humanam naturam assumpsit, vocatur à quibusdam Patribus senectus mundi. August.

Ità Augustin. lib. 1. Retractationum, quod verum est, si spectetur tempus ipsum in quo Christus est incarnatus. Ab alijs verò dicitur esse factum in iuuentute mundi, quod item verum est, si spectetur feruor fidei. In sacris vero litteris dicitur hanc incarnationem factam fuisse in nouissimis diebus, Micheæ 4. Isaiæ 2. Hebr. 9. *Christus passus est in consummatione seculorũ*; & item, *in medio annorum*. Habacuc. 3. quod non est intelligendum mathematicè; ità enim cognosceretur finis mundi & dies iudicij, scimus siquidem quanto tempore durauerit mundus ab initio suæ creationis ad nostra vsque secula: Matth. autem 13. dicitur; *De die autem illo, vel hora nemo scit nisi Pater, & cui Pater voluerit reuelare*: Intelligitur ergo moraliter & cum quadam latitudine, vt medium tempus dicatur illud, quod multum distat & à principio, & à fine mundi; ità vt tempus diuidatur in tres partes. An vero tempus incarnationis magis accedat ad finem, quàm ad principiũ mundi, non satis cõuenit inter authores: vnde etiam neque aliquid certi de hac re statui potest.

Variè appellatur tempus in quo facta incarnatio.

Dicitur tamen à quibusdam propiùs accessisse ad principium mundi, idque quoniam Christus venit, vt pluribus opem ferret. Neque aduersatur huic opinioni, quod in sacris litteris hic aduentus Christi appelletur, *Nouissima hora, finis seculorum, dies nouissimus*; nam hæc sunt intelligenda, illo eodem modo, quo Christus dicitur venisse in 6. mundi ætate: quemadmodum ergo hæc dicuntur de aduentu Christi in ordine ad hominem, comparando totam durationem mundi cum hominis duratione, ità si tota illa duratio sumatur quasi vnus dies, vel vnus annus, hoc tempus Christi est vltimus dies, vltima hora: vti autem vltima ætas hominis, nõ habet certos & definitos durationis terminos: ità neque hic dies Christi habet certum & determinatum durationis tempus, saltem quod sit nobis notum; post siquidem legem Christi nulla alia futura est, sed eam sequitur mundi finis.

QVÆSTIO SECVNDA.

De modo vnionis Verbi incarnati.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vnio Verbi incarnati facta sit in natura.

POSTVLAT hic articulus explicationẽ illius difficultatis; an in Christo sint duæ naturæ; humana scilicet, & diuina impermixtè, & inconfusè; an vero vna tertia quædã essentia ex istis duabus naturis consurgat.

Error Apollinaris.

De hac re ergo fuerunt antiquitus varij errores. Apollinaris enim docuit diuinitatem totam, vel certè aliquã eius partem fuisse conuersam in humanitatem; vt referunt August. hæresi 56. & 57. & Epiph. Epiph. hæresi 76. & Ambr. lib. de incarnat. cap. 6.

Eutychetis error.

Alij vero crediderunt duas naturas esse inter se permixtas in Christo, ità Eutyches, Dioscorus, vt referunt Theodoretus lib. 4. hæretic. fabularum c. 18. Aug. hæresi. 11. & Irenæus lib. 3. c. 4. aduersus hæreses: non tamen satis constat an Eutyches crediderit humanam & diuinam Christi naturam fuisse inter se commixtas, vel illa eadẽ ratione, qua multi lapides commiscentur in cumulo aliquo, vel ea ratione, qua elementa miscentur in mixto, vel deniq; eo modo, quo partes alicuius totius compositi physici, & naturalis inter se commiscentur; licet probabilius sit credidisse altero ex duobus modis proximè explicatis, duas naturas esse inter se commixtas in Christo. Irenæus.

Aliorum deliria.

Alij deniq; crediderunt humanitatem esse conuersam in Deitatẽ; ac proinde existimarunt Christum non habere naturam nostram, sed similem. Imo fuerunt alij qui putarunt animam rationalem nullam fuisse in Christo, sed diuinum Verbum functum fuisse officio animæ, respectu carnis Christi, & præstitisse illud omne, quod præstaret anima rationalis, si adesset.

Hæreticorũ fundamẽta.

Probant primùm, quia Cyrillus referente D. Thom. in argumento 1. huius articuli, docuit in hoc mysterio incarnationis non esse requirendas duas naturas, sed vnam tantum; imo hoc ipsum aperte habetur in Concilio Chalcedon. actione 5. 1.

Deinde, Christus dicitur ad similitudinem nostram homo, ad Philippen. 2. *Ad similitudinem hominum factus*: ergo. 3. dicitur Christus homo cœlestis, & de cœlo. 1. Corinth. c. 15. contrà vero Adam dicitur terrenus, de terra factus, ibid. 2. Philipp. 2. 3.

4. Ioan. 1. dicitur de diuino Verbo, quod factũ sit caro: at locutio hæc significat mutationem Verbi in carnem, ex c. 2. Ioan. *Cum*, inquit, *gustasset architriclinus aquam vinum factam*, certum autẽ est aquã istã fuisse vere conuersam in substantiã vini. 4.

Vlt.

Deniq; tota ratio cur quilibet nostrùm habeat in se carnem passibilem, repetenda est ex culpa commissa vel à nobis, vel à primis parentibus; fatentur enim omnes, quod si status innocentiæ permansisset, nullus futurus erat dolor in nobis, nulla tristitia; imò neque vlla pœna: at humanitas Christi nullum habuit, neque habere potuit peccatum, cùm hæc subsistat subsistentia increata: ergo neque veram assumpsit carnẽ humanam.

CONCLVSIO 1. *In Christo sunt necessariò con-*

Digitized by Google

In Chriſto duæ naturæ impermixtæ diuina & humana. Ioann. 1. Matth. 17. Matth. 16. Athanaſ.

cedenda duæ naturæ, diuina, ſcilicet, & humana; impermixtè tamen & inconfuſè. De diuina natura nullus ſupereſt dubitandi locus: dicitur enim Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt.* & cap. 5. & Matth. 17. dicitur de Chriſto: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* & Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui;* & in Symb. Athanaſij. *Perfectus Deus.* idem conſtat de humanitate ex illo Athan. *perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.* & Matth. 16. de eodem dicitur. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Ioan. 9. *Hic homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit ex ſputo, & linuit oculos meos.* & Ioan. 8. *Hominem qui vera dixit vultis lapidare?* & alibi ſæpè.

Ioann.

Concil. Epheſ. Chalcedo. Athanaſ. Lateran. Florent. Tolet. Hiſpal. Leo. Athanaſ. Greg. Nazian.

Quod verò naturæ iſtæ ſint inter ſe inconfuſæ & impermixtæ definitum fuit in Concilijs, Epheſ. Chalcedonenſi, actione 5. & in 5. Synodo actione 8. & ih 6. actione 11. 13. & 18. & in Symbolo Athanaſij. *Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ*, in Concil. Lateranenſi ſub Martino I. Can. 7. ſub Innoc. 3. vt refertur in cap. Firmiter, ● ſumma Trinitate & fide Catholica. in Florentino, in vnione Armenorum, Toletano 4. Hiſpalenſi 4. Can. 13: idem docent Patres, Leo epiſt. 10. & 47. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, & ceteri qui de incarnatione aliquid poſteritati tradiderunt.

Ratione demonſtratur concluſio.

Denique, ſi Chriſtus non retineret naturas diuinam & humanam impermixtas, concedendum eſſet, vel naturam diuinam in humanam eſſe conuerſam, vel contrà, humanam in diuinam: vel denique tertiam aliquam ex iſtis duabus conſurrexiſſe: duo priora defendi nullo modo poſſunt: cùm diuinum Verbum ſit omnino immutabile, & incapax potentialitatis; neque etiam tertium, quia dici nequit quænam ſit tertia iſta eſſentia, quæ conſurgit ex mixtione humanæ & diuinæ naturæ. Deinde, quia de fide eſt, Chriſtum per actiones humanæ naturę genus humanum redemiſſe 1. Petri 2. at id dici nō poteſt, ſi ex diuina & humana natura, tertia aliqua eſſentia cōſurgat.

Vnio non eſt facta in diuina eſſentia.

Conclvsio 2. *Vnio non eſt facta, cum diuina eſſentia; hoc ſenſu, quaſi diuina eſſentia vt ſic, terminet dependentiam humanæ naturæ:* Primùm, quia dicemus artic. proximè ſequenti humanam naturam vnitam fuiſſe perſonæ diuinæ: ita vt humana natura in Chriſto ſubſiſtat ſubſiſtentia ſolius Verbi diuini. Deinde, quia ſi aliter res ſe haberet, vnio hæc non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis; quod enim accidit enti completo & perfecto facit ens per accidens, non autem per ſe vnum: at eſſentia diuina, vt ſic, perfectiſſima eſt: ergo ſi humana natura illi vniretur, quod conſurgeret ex iſtis, eſſet ens per accidens, non autem per ſe vnum. Denique, ſacra Concilia, itémque Patres & Scholaſtici fatentur vnionē iſtam factam fuiſſe in hypoſtaſi diuini Verbi, vt conſtabit, ex locis proximè ſequenti artic. citandis.

Satisfit obiect. haretic. primò quidē triplici reſponſ.

Ad rationes verò contrarias, reſp. 1. ad locum, ex D. Cyrillo, illam propoſitionem: *non oportet intelligere duas naturas, ſed vnam naturam Verbi incarnatam*, non extare apud Cyrillum ſed longè diuerſam: nam lib. 1. ad Reginas, non longè à principio refert ex Athanaſio, lib. de incarnatione, hanc propoſitionem; *Non duas naturas, vnum filium, vnam, quā adoratur, & alteram, quæ non adoratur: ſed vnam naturam Verbi incarnatam*: vbi obſeruandum eſt propoſitionem illam, quæ ab Eutychianis tribuebatur Cyrillo, duas continere: altera erat. *Non oportet intelligere duas naturas, &* hæc mendaciter erat confiſta: altera erat, *oportet intelligere vnam naturam Verbi incarnatam*, & hæc erat Cyrilli, ſed ab ipſis male intelligebatur. De priori propoſitione conſtat falſo eſſe confictam, quia Cyrillus & Athanaſius nunquam dixerunt; *Non oportet aſſerere duas naturas*, ſed cum ſubiuncta modificatione: ſcilicet, *alteram quæ adoretur*, ſupple adoratione latrię: *alteram quæ non adoretur*, nempe eadem adoratione: diſputabant enim cum Neſtorio docente duas naturas Chriſti ſubſiſtere in duabus perſonis: ac proinde alteram naturam adorandam eſſe latriâ, alteram non item: contra hunc errorem aſſerunt Cyrillus & Athanaſius, non eſſe dicendum in Chriſto duas illas naturas adorabilem, & non adorabilem, quia mediante vnione hypoſtatica humanitas Chriſti fuit deificata: ac proinde eſt adoranda latrię cultu. De poſteriori verò propoſitione conſtat ab ipſis malè intellectam eſſe: nam ex eo quod Cyrillus & Athanaſius dixerunt, vnam naturam Verbi incarnatam eſſe, affirmarunt expreſſe duas naturas: Deitas namque nequit dici incarnata, niſi quia erat carni, hoc eſt humanitati vnita, & ità docuit expreſſe Cyrillus in epiſt. 2. ad Succeſſum.

Doctrina Cyrilli diluciditur.

Reſp. 2. Dato quod illa propoſitio haberetur apud iſtos Patres, ſupereſſet tamen adhuc quod reſponderemus cum D. Thoma, in reſponſione ad 1. hoc loco, non extare in hoc myſterio duas naturas, id eſt, ſubſiſtentias: ſumitur enim interdum nomen eſſentię, pro ſubſiſtentia apud primos Patres Eccleſię: vt conſtat ex epiſt. D. Hieron. ad Damaſum Papam. Vel certè poſſemus reſpondere, non dari in Chriſto duas naturas ſubſiſtentes, per ſe, per propriam ſubſiſtentiam; certum enim eſt ſolam diuinā eſſentiam ſubſiſtere ſubſiſtentia ſibi propria humanā vero naturam, alienā.

Reſponſio. ad 2.

Ad 2. Reſp. Chriſtum factum fuiſſe ad ſimilitudinem hominis, quia licet habeat eandem plane eſſentiam cum homine, non tamen contraxit imperfectiones, quę conſequuntur rationem culpę, cuius generis ſunt ignorantia, morbi, & alia huius generis: propter hanc ergo cauſam, ait, Apoſtolus Chriſtum in ſimilitudinem hominis factum, non autem ſimpliciter, & abſolute factum ſimilem ceteris hominibus; quia in ceteris hominibus datur peccatum, ignorantia, morbi, & innumeri alij defectus. Hęc reſponſio manifeſte colligitur ex alio teſtimon. Pauli: *Valuit*, inquit, *per omnia fratrib⁹ aſſimilari pro ſimilitudine abſq; peccato.*

Quid dicatur Chriſtus factus ad ſimilitudinē hominum.

Ad 3. humanam Chriſti naturam nuncupari cęleſtē: nō quod ſit nō ciuſdē rationis, & eſſentiæ cum natura ceterorum hominum, ſed vel quod producta fuerit hęc à Spiritu ſancto, nō autem ab homine, vel quod conſtitutus in hac vita cęleſtem potius tenuerit rationem viuendi, quàm mortalis alicuius hominis: vel denique quod habeat ſubſiſtentiam diuinā & cęleſtē, qua ratione explicatur à nonnullis Patribus locus ille Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cœlū, niſi filius hominis qui deſcendit de cælo.*

Quare dicitur Chriſtus cæleſtis.

Ad 4. particulam iſtā. *Verbum caro factum eſt*, non poſſe eo in loco ſignificare mutationē & cōuerſionē Verbi, in carnem Chriſti; eſt enim Verbū diuinū vt ſic, vnū cū diuina natura & eſſentia; ac proinde ens ſimpliciter neceſſarium, & expers omnis potentialitatis; cùm de eo ſit concedendum quod habeat rationem actus puriſſimi: non ergo potuit mutari aut conuerti in carnem Chriſti: ſignificat ergo ratio illa loquendi Verbum diuinum aſſumpſiſſe humanam naturam terminando eandem ſupplendoque proindę vicem ſubſiſtentiæ creatæ.

Verbum nō potuit mutari.

Digitized by Google

Ad vltimũ argumentũ.

Ad vltimam. Paſſibilitatem in Chriſto non eſſe pœnam peccati, ſed proprietatem ſenſus tactus, qui fuit in Chriſto perfectiſſimus: ità Durandus, diſt. 5. lib. 3. Cæterùm rectius D. Th. q. 14 huius partis, artic. 3. ait, paſſibilitatem & alios defectus connaturales humanæ naturæ, fuiſſe à Chriſto aſſumptos liberè, ad hoc vt illis medijs redimeret genus humanum: propter hanc cauſam, Anſel. lib. 1. Cur Deus homo. cap. 18. & Damaſcen. lib. 3. de fide, negant paſſibilitatem in Chriſto fuiſſe naturę humanę connaturalem; quia licet omne corpus viuum & animatum anima ſenſibili, hoc ipſo ſit patibile, & doloris capax: quia tamen Chriſtus, quatenus hic homo, à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, ideò fuerunt ei debitę corporis glorificati dotes, inter quas impaſſibilitas computatur.

Paſſibilitas & alij aſſumpti libere a Chriſto ad nos adimendos illis medijs.

A

B

ARTICVLVS SECVNDVS.

Verum vnio Verbi incarnati facta ſit in perſona.

ARTICVLVS TERTIVS.

An vnio facta ſit in hypoſtaſi diuina.

Hypoſtaſis varie accepta à Patribus.

AD iſtorum articulorum faciliorem explicationem, quædam pręmittenda ſunt. Primum eſt, nomen hypoſtaſis ex prima ſua ſignificatione deſignare naturã ſeu ſubſtantiam: propter hanc enim cauſam Patres primitiuę Eccleſię inter diſputandum cum Arrio, & ſequacibus eiuſdem, noluerunt admittere tres dari in Deo hypoſtaſes: ne tres viderentur admittere ſubſtantias, ſeu eſſentias intra Deum: poſteà tamen factum eſt, vt nomen hoc, ſuppoſitum, vel perſonam ſignificaret tantùm: vt conſtat ex Euſebio. lib. 6. hiſtorię Eccleſiaſticę, & ex Hilario in lib. de Synodis. Apud Theologos verò ſcholaſticos hypoſtaſis, perſona, & ſuppoſitũ pro vno & eodem vſurpantur, cum hoc tamen diſcrimine, quod nomen perſonę de ſola ſubſtantia indiuidua, & ſingulari rationali enuncietur: definitur quippe perſona rationalis, indiuidua naturę ſubſtantię.

C

Hypoſtaſis, ſuppoſitum, perſona, idẽ ſunt.

D

Suppoſitalitas quid.

Suppoſitalitas autem, ſeu ſubſiſtentia, eſt ratio formalis conſtitutiua ſuppoſiti, vt ſuppoſitum eſt: ità vt quemadmodum rationalitas conſtituit rationale, aut albedo album; ità ſuppoſitalitas conſtituat ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti. Conditiones autem neceſſariæ ad ſuppoſitum conſtituendum ſunt iſtæ. 1. quod ſit ſubſtantia indiuidua, & ſingularis, 2. quod ſit integra & completa, & denique quod per ſe ſubſiſtat. οὐσία autem ſeu natiua eſſentia, & ſubſtantia, cenſetur eſſe id quod per definitionem explicatur, huic autem aduenit ſubſiſtentia per quam completur in ratione ſubſtantiæ, & terminatur; ità communiter omnes & Theologi, & Philoſophi Chriſtiani.

Conditiones ſuppoſiti.

οὐσία quid.

E

Quod ſuppoſitum ſit realis entitas.

Obſeruandum eſt 2. ex probabiliori opinione ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentiam creatam eſſe entitatem aliquam veram realem, & poſitiuam, non tamen diſtinctam realiter à ſubſtantia, quam complet & terminat vltimo: ſed tantùm modaliter & formaliter. 1. pars huius annotati ex eo innoteſcit, quod ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia increata ſit vera & realis aliqua entitas; perſonæ quippe diuinę, ſeu ſuppoſita, & hypoſtaſes diuinæ, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, qui identificantur perfectiſſimè cum eſſentia diuina, cenſenturq; eſſe vnus Deus, & conſequenter identicè ſaltem ſunt infinitæ perfectiones, & entitates proinde verę & reales. Deinde, ſuppoſitum creatum perficit intrinſece ſubſtantiam indiuiduã & ſingularẽ, quam complet & terminat vltimò: ergo eſt vera & realis entitas. Tertio, ſuppoſitum hoc, vel eſt aliquid reale, vel nihil, 2. dici non poteſt, quia nihil non ſuppletur nihilo, & tamen de fide eſt ſuppoſitum creatum ſuppleri in humana Chriſti natura per ſuppoſitum increatum: igitur eſt aliquid.

Suppoſitum non diſtinguitur à natura realiter, vt res à re.

Secunda vero pars comprobatur ex eo, quod fateantur communiter Philoſophi modũ rei non diſtingui realiter à re cuius eſt modus; ſuppoſitũ autem quodlibet creatum, eſt modus illius ſubſtantiæ quam complet: ergo ab illa modaliter diſtingnetur.

Deinde, ſi ſuppoſitum diſtingueretur realiter diſtinctione reali maiori, (de hac quippe loquimur hoc in loco, non de diſtinctione reali minori) ſequeretur ſuppoſitum hoc extare poſſe ſine ſubſtantia quam complet; quæ enim diſtinguuntur realiter, ab inuicem ſeparata exiſtunt; vel ſaltem exiſtere poſſunt; vt habet cõmune axioma philoſoph horũ omnium: atqui ſuppoſitum creatum, ſeu ſubſiſtentia creata, nequit exiſtere etiam per omnipotentiam Dei ſeparatum à ſubſtantia quam complet: ergo non ſecernitur ab illa realiter, & tanquam res à re.

Suppoſitum non eſt idem omnibus modis cum ſubſtantia ſed eſt quid diuerſum modaliter.

Tertia deniq; pars ex eo innoteſcit, quod ſuppoſitum creatum non ſit idem omnibus modis cum ſubſtantia quam complet, & terminat vltimo in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ & ſingularis: ergo diſtinguitur ab iſta ſubſtantia ad minus formaliter, & præterea modaliter: habet enim definitionem omnino variam à ſubſtantia præciſe ſpectata in ratione ſubſtantiæ; & cùm ſit modus eiuſdem, debet modaliter quoque ab ea diſtingui; ità communiter Thomiſtæ contra Scotum & alios nonnullos Nominales.

Obiectio.

Obijcies, humanitatem Chriſti ſubſiſtere per ſubſiſtentiam à ſe realiter diſtinctam, omniũ conſentione: erg. Reſp. conceſſo antecedente, negando cõſequutionẽ; propterea enim humanitas Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam à ſe realiter diſtinctam; quia ſubſiſtentia iſta non eſt modus, nec in ſe, nec vt eſt intra diuinam eſſentiam, ſed conſequitur tantum rationem ſubſiſtentiæ, & quidem infinitæ, ac proinde vindicat ſibi omnẽ perfectionẽ, quę datur, aut dari poteſt in ſubſiſtentia creata: quid igitur mirum, ſi hæc ſuppleat defectum ſubſiſtentiæ creatæ, præſtetque illud idem in humana Chriſti natura quod faceret ſubſiſtentia creata, ſi adeſſet: præſcindendo tamẽ ab imperfectione quę datur in ſubſiſtentia creata.

Reſponſio.

Subſiſtentia Verbi nõ eſt modus.

Inſtabis, quotieſcunque contingit rem aliquam formaliter denominari talẽ, à modo ſibi intrinſeco; non poſſe denominationem iſtam ab vllo alio modo diſtincto à ſe realiter conſequi; neque enim fieri poteſt, vt aliquis dicatur formaliter ſtans, aut etiam ſedens, à ſtatione & ſeſſione exiſtente in alio, vt eſt per ſe notũ: ergo cum ſubſtantia creata dicatur formaliter ſubſiſtens & cõpleta, per modum ſibi intrinſecum, non poterit denominationẽ iſtã conſequi à ſubſiſtentia increata: hęc quippe diſtinguitur realiter à natura Chriſti humana. Reſp. conceſſo antecedente negando, conſequu-

Inſtantia.

Digitized by Google

tionem; diximus enim in reſponſione ad obiectionem proxime antecedentē, ſubſiſtentiam increatam non eſſe modum naturæ humanæ Chriſti, & terminare dependentiam humanæ naturę Chriſti, complereque eandem vltimò in ratione ſubſiſtentię indiuiduę, & ſingularis, ſub ea tantùm ratione qua eſt ſubſiſtentia infinita, ac proinde altioris ordinis à quacumque ſubſiſtentia creata.

Reſponſio.

Suppoſita diuina ſiue perſona ab eſſentia ſola ratione diſtinguũtur.

Aduerte vltimo hypoſtaſes, ſeu, quod idem eſt, ſuppoſita diuina, ſeu perſonas, non diſtingui ab eſſentia diuina realiter, neq; formaliter; ſed tantùm ſola ratione ratiocinata; nã in diuinis omnia ſunt vnum & idem perfectiſſimè; niſi vbi interuenit oppoſitio relationis: certũ enim eſt inter eſſentiã diuinam, & perſonas diuinas, ſuppoſita, ſeu hypoſtaſes, nullam planè dari oppoſitionẽ. Deinde vbi datur ſumma, & perfectiſſima identitas, illic nulla datur diſtinctio realis, neque formalis, inter autem perſonas diuinas, & eſſentiam diuinam, datur ſumma & perfectiſſima identitas, omnium plane conſenſione: ergo, Concedendum tamen eſt perſonas iſtas diuinas, hypoſtaſes, ſeu ſuppoſita inter ſe diſtingui realiter, & quidem ex eo capite, quod opponantur inter ſe relatiue; ſed de his plura ad primam partem.

Perſonæ diuinæ realiter inter ſe ſecernũtur.

Error antiquorum.

His præmonitis, circa articulum propoſitum fuit vetuſtiſſimus error: Carpocratæ enim anno Chriſti 96, non autem 129. vt vult Prateolus, docuit in Chriſto dari duas perſonas, humanam & diuinam, quemadmodum dantur in eodem duæ naturæ; vt author eſt Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum, cap. 48. Epiph. Tarſi 27. & Irenæus lib. 1. contra hæreſes, cap. 24. & Euſebius lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 7. Subſcripſit huic errori poſtea Theodorus Byzantius, Paulus Samoſatenus, & ante illos Gnoſtici, ſeu, quod idem eſt, Scientes, vt authores ſunt Euſebius, & Epiph. locis proxime citatis, & Nicephorus lib. 4. hiſt. Eccleſiaſticæ, cap. 2. & 4. Tribuitur tamen communiter hic error Neſtorio, qui fuit poſterior hæreticis omnibus proxime commemoratis; idq; quod temporibus iſtis alias inirum in modum egerit radices hæc hæreſis, vt conſtat ex Auguſt. de hæreſibus, hæreſi 39. Socrate lib. 2. hiſt. tripartitæ, cap. 32. Theodoreto lib. 2 hæreticarum fabularum cap. poſtremo. Docuit ergo hic in Chriſto extare duas perſonas, diuinam, & humanam; ac proinde negauit Diuam Virginem eſſe dicendam Θεοτοκον, id eſt, matrem Dei, ſed Χριστοτοκον. Adiecit tamen perſonas iſtas inter ſe vniri in Chriſto, non quidẽ ſimpliciter, & abſolute; ita vt vna tantum daretur perſona in Chriſto, ſed tantùm accidentaliter. Voluit ergo Chriſtum habere rationem vnius perſonæ non ſimpliciter, & abſolute ſed ſolo affectu, dignitate, & honore, putà quod diuinum Verbum elegiſſet perſonam iſtam creatam ad hoc, vt in ea inhinita bona ordinis ſupernaturalis collocaret, & in ea veluti in tẽplo habitaret: diceretúrq; proinde Deus; quemadmodum ex dæmone poſſidente aliquem hominem conſurgit vnus numero dæmoniacus, ſeu arreptitius; vel quod diuinum Verbum elegerit humanam Chriſti naturam, ad hoc vt eâ media miras, & ſingulares aliquas actiones exerceret: ac proinde ſicut ex inſtrumento, & cauſa præcipua conſurgit vnum totale agens, ità ex perſona humana, & diuina conſurgit vnus numero Chriſtus; vel denique propter conformitatẽ ſummam voluntatum naturæ humanæ & diuinæ.

Neſtorij error.

CONCLVSIO. *Humana Chriſti natura vnitur proximè & immediatè perſonæ, ſeu hypoſtaſi diuini Verbi; ſtà vt perſona iſta terminet dependentiam humanæ naturæ, & complcat eandem vltimo in ratione ſubſiſtentiæ indiuiduæ, & ſingularis*: hæc eſt de fide, definita in Concilijs Epheſino 1. can. 1. 2. 3. & 4. Chalcedone 5. Conſtantinopolitano 2. actio. 4. & à Leone 1. epiſt. 10. & 11. Conſentiunt Patres; maxime verò D. P. Auguſt. epiſt. 112. & 102. & in Enchiridio ad Laurentium. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium. Caſſianus in libro aduerſus Neſtorium, & Cyrillus Alexandrinus in libris contra Neſtorium & D. Th. in iſtis duobus articulis: & omnes interpretes eiuſdem.

Natura humana vnitur proximè perſonæ diuinæ. Concil. Epheſ. Chalced. Conſtant. D. Aug. Hieron. Caſſian. Cyrill.

Deniq; accedunt rationes. 1. Ex humana Chriſti natura debuit conſurgere vnum per ſe & ex re cui vnita eſt proxime, vt conſtat ex ſymbolo Athanaſij. *Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homa vnus eſt Chriſtus*; ergo humana natura fuit vnita proximè, hypoſtaſi, ſeu perſonæ diuini Verbi: nam ſi vnita fuiſſet proximè eſſentiæ diuinæ, Chriſtus non eſſet vnus per ſe, ſed per accidens; aduenſſet enim humana natura eſſentiæ diuinæ, quæ perfectiſſimè completa eſt, ac proinde ex humana natura non vnum per ſe, ſed per accidens reſultaſſet, vt obſeruat D. Th. huius quæſt. artic. 1.

Probatio 1.

2. Ratio eſt: Attributa naturæ humanę, dicuntur de diuina, & econtra in ſacris litteris; atqui dici non poſſet, ſi darentur in Chriſto duę perſonę; neque enim attributa Socratis v. g. dicuntur de Paulo propter diuerſitatem perſonarum: ergo.

2.

Cõfirmatur. Tota ratio, cur Deus dicatur mortuus vere, & item cur hic homo in Chriſto dicatur omnipotens, repetenda eſt ex communicatione idiomatum; ſeu, quod idem eſt, ex eo quod vna & eadem numero perſona diuina ſubſiſtat & in eſſentia diuina, & in humana natura Chriſti: ergo non dantur duæ perſonæ.

3. Deniq; accedit ratio. Natura indiuidua, ſubſtãtialis, & ſingularis, nequit vniri vnione ſaltẽ ſubſtantiali, niſi vniatur perſonæ, ſeu ſuppoſito: ergo humana natura vnitur ſoli perſonæ Verbi diuini.

3.

Dices, ſi humana natura eſſet vnita proximè hypoſtaſi diuinę, ſequeretur hypoſtaſim diuinã eſſe cauſam formalem: denominaret quippe naturam humanam ſuppoſitatam formaliter; imò faceret iſtam Deum: at concedunt omnes Deum non poſſe ſupplere rationem cauſæ formalis. Reſp. aliud eſſe effectum ſuum formalem communicare, & aliud eſſe cauſam formalem: nam materia confert ſuum effectum formalem omnibus planè entibus phyſicis, & naturalibus; de quolibet enim ex iſtis dicimus, quòd ſit formaliter & intrinſece materiale, & tamen materia non eſt cauſa formalis alicuius entis phyſici, & naturalis. Punctum item denominat lineam terminatam formaliter, & tamen punctum non eſt cauſa formalis lineę: formalis autem cauſa definitur ea quę dat eſſe rei, definiendo rem cuius eſt forma ad certam aliquam ſpeciem, ac proinde intrinſecè hęc reſpicit ſubiectum, cui debet aduenire, & quod debet perficere ſuo modo.

Obiectio.

Reſponſio.

Aliud eſt tribuere effectum formalẽ, aliud verò eſſe formam.

Dico ergo, ſubſiſtentiam ſeu perſonam Verbi conferre quidem ſuum effectum formalem humanę naturę Chriſti: denominatur quippe hęc à ſubſiſtentia increata Verbi ſuppoſitata formaliter & itẽ Deus, nõ tamẽ propterea eſt cauſa formalis humanæ naturæ Chriſti, idque quod cauſa formalis, vt ſic, dicat imperfectionem; reſpicit enim intrinſecè ſubiectum cui aduenire debet; imo de lege communi, nequit eſſe ſine ſuo ſubiecto, ſi ta-

Perſona Verbi confert ſuum effectũ formalem humanæ naturæ, non eſt tamẽ cauſa formalis.

Digitized by Google

Ad vltimũ argumentũ.

Ad vltimam. Paſſibilitatem in Chriſto non eſſe pœnam peccati, ſed proprietatem ſenſus tactus, qui fuit in Chriſto perfectiſſimus: ità Durandus, diſt. 5. lib. 3. Ceterum rectius D. Th. q. 14 huius partis, artic. 3. ait, paſſibilitatem & alios defectus connaturales humanæ naturæ, fuiſſe à Chriſto aſſumptos liberè, ad hoc vt illis medijs redimeret genus humanum: propter hanc cauſam, Anſel. lib. 1. Cur Deus homo. cap. 18. & Damaſcen. lib. 3. de fide, negant paſſibilitatem in Chriſto fuiſſe naturę humanę connaturalem; quia licet omne corpus viuum & animatum anima ſenſibili, hoc ipſo ſit patibile, & doloris capax: quia tamen Chriſtus, quatenus hic homo, à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, ideò fuerunt ei debitę corporis glorificati dotes, inter quas impaſſibilitas computatur.

Paſſibilitas & alij aſſumpti liberè a Chriſto ad nos admendos illis medijs.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta ſit in perſona.

ARTICVLVS TERTIVS.

An vnio facta ſit in hypoſtaſi diuina.

A D iſtorum articulorum faciliorem explicationem, quædam prę̃mittenda ſunt. Primum eſt, nomen hypoſtaſis ex prima ſua ſignificatione deſignare naturã ſeu ſubſtantiam: propter hanc enim cauſam Patres primitiuę Eccleſię inter diſputandum cum Arrio, & ſequacibus eiuſdem, noluerunt admittere tres dari in Deo hypoſtaſes: ne tres viderentur admittere ſubſtantias, ſeu eſſentias intra Deum: poſteà tamen factum eſt, vt nomen hoc, ſuppoſitum, vel perſonam ſignificaret tantùm: vt conſtat ex Euſebio. lib. 6. hiſtorię Eccleſiaſticę, & ex Hilario in lib. de Synodis. Apud Theologos verò ſcholaſticos hypoſtaſis, perſona, & ſuppoſitũ pro vno & eodem vſurpantur, cum hoc tamen diſcrimine, quod nomen perſonę de ſola ſubſtantia indiuidua, & ſingulari rationali enuncietur: definitur quippe perſona rationalis, indiuidua naturæ ſubſtantię.

Hypoſtaſis varię acceptæ à Patribus.

Hypoſtaſis, ſuppoſitum, perſona, idẽ ſunt.

Suppoſitalitas autem, ſeu ſubſiſtentia, eſt ratio formalis conſtitutiua ſuppoſiti, vt ſuppoſitum eſt: ità vt quemadmodum rationalitas conſtituit rationale, aut albedo album; ità ſuppoſitalitas conſtituat ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti. Conditiones autem neceſſariæ ad ſuppoſitum conſtituendum ſunt iſtæ. 1. quod ſit ſubſtantia indiuidua, & ſingularis, 2. quod ſit integra & completa, & denique quod per ſe ſubſiſtat. οὐσία autem ſeu natiua eſſentia, & ſubſtantia, cenſetur eſſe id quod per definitionem explicatur, huic autem aduenit ſubſiſtentia per quam completur in ratione ſubſtantiæ, & terminatur; ità communiter omnes & Theologi, & Philoſophi Chriſtiani.

Suppoſitalitas quid.

Conditiones ſuppoſiti.

οὐσία quid.

Obſeruandum eſt 2. ex probabiliori opinione ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentiam creatam eſſe entitatem aliquam veram realem, & poſitiuam, non tamen diſtinctam realiter à ſubſtantia, quam complet & terminat vltimo: ſed tantùm modaliter & formaliter. 1. pars huius annotati ex eo innoteſcit, quod ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia increata ſit A vera & realis aliqua entitas; perſonæ quippe diuinę, ſeu ſuppoſita, & hypoſtaſes diuinæ, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, qui identificantur perfectiſſimè cum eſſentia diuina, cenſentúrq; eſſe vnus Deus, & conſequenter identicè ſaltem ſunt infinitæ perfectiones, & entitates proinde verę & reales. Deinde, ſuppoſitum creatum perficit intrinſece ſubſtantiam indiuiduã & ſingularẽ, quam complet & terminat vltimò: ergo eſt vera & realis entitas. Tertio, ſuppoſitum hoc, vel eſt aliquid reale, vel nihil, 2. dici non poteſt, quia nihil non ſuppletur nihilo, & tamen de fide eſt ſuppoſitum creatum ſuppleri in humana Chriſti natura per ſuppoſitum increatum: igitur eſt aliquid.

Quod ſuppoſitum ſit realis entitas.

B Secunda vero pars comprobatur ex eo, quod fateantur communiter Philoſophi modũ rei non diſtingui realiter à re cuius eſt modus; ſuppoſitũ autem quodlibet creatum, eſt modus illius ſubſtantiæ quam complet: ergo ab illa modaliter diſtingueretur.

Suppoſitum non diſtinguitur à natura realiter, vt res à re.

Deinde, ſi ſuppoſitum diſtingueretur realiter diſtinctione reali maiori, (de hac quippe loquimur hoc in loco, non de diſtinctione reali minori) ſequeretur ſuppoſitum hoc extare poſſe ſine ſubſtantia quam complet; quæ enim diſtinguuntur realiter, ab inuicem ſeparata exiſtunt; vel ſaltem exiſtere poſſunt; vt habet cõmune axioma philoſophorũ omnium: atqui ſuppoſitum creatum, ſeu C ſubſiſtentia creata, nequit exiſtere etiam per omnipotentiam Dei ſeparatum à ſubſtantia quam complet: ergo non ſecernitur ab illa realiter, & tanquam res à re.

Tertia deniq; pars ex eo innoteſcit, quod ſuppoſitum creatum non ſit idem omnibus modis cum ſubſtantia quam complet, & terminat vltimo in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ & ſingularis: ergo diſtinguitur ab iſta ſubſtantia ad minus formaliter, & præterea modaliter: habet enim definitionem omnino variam à ſubſtantia præcisè ſpectata in ratione ſubſtantiæ; & cùm ſit modus eiuſdem, debet modaliter quoque ab ea diſtingui; ità communiter Thomiſtæ contra Scotum & alios D nonnullos Nominales.

Suppoſitum non eſt idem omnibus modis cum ſubſtantia ſed eſt quid diuerſum modaliter.

Obijcies, humanitatem Chriſti ſubſiſtere per ſubſiſtentiam à ſe realiter diſtinctam, omniũ conſenſione: erg. Reſp. conceſſo antecedente, negando cõſequutionẽ; propterea enim humanitas Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam à ſe realiter diſtinctam; quia ſubſiſtentia iſta non eſt modus, nec in ſe, nec vt eſt intra diuinam eſſentiam, ſed conſequitur tantum rationem ſubſiſtentiæ, & quidem infinitæ, ac proinde vindicat ſibi omnẽ perfectionẽ, quę datur, aut dari poteſt in ſubſiſtentia creata: quid igitur mirum, ſi hæc ſuppleat defectum ſubſiſtentiæ creatæ, præſtèrque illud idem in humana Chriſti natura quod faceret ſubſiſtentia creata, ſi E adeſſet præſcindendo tamẽ ab imperfectione quę datur in ſubſiſtentia creata.

Obiectio.

Reſpõſio.

Subſiſtentia Verbi nõ eſt modus.

Inſtabis, quotieſcunque contingit rem aliquam formaliter denominari talẽ, à modo ſibi intrinſeco; non poſſe denominationem iſtam ab vllo alio modo diſtincto à ſe realiter conſequi; atque enim fieri poteſt, vt aliquis dicatur formaliter ſtans, aut etiam ſedens, à ſtatione & ſeſſione exiſtente in alio, vt eſt per ſe notũ: ergo cum ſubſtantia creata dicatur formaliter ſubſiſtens & cõpleta, per modum ſibi intrinſecum, non poterit denominationẽ iſtã conſequi à ſubſiſtentia increata: hęc quippe diſtinguitur realiter à natura Chriſti humana. Reſp. conceſſo antecedente negando, conſequu-

Inſtantia.

Digitized by Google

tionem; diximus enim in responsione ad obiectionem proximè antecedentè, subsistentiam increatam non esse modum naturæ humanæ Christi, & terminare dependentiam humanæ naturæ Christi, complereque eandem vltimò in ratione subsistentiæ indiuiduę, & singularis, sub ea tantum ratione qua est subsistentia infinita, ac proinde altioris ordinis à quacumque subsistentia creata.

Responsio.

Aduerte vltimo hypostates, seu, quod idem est, suppositа diuina, seu personas, non distingui ab essentia diuina realiter, neq; formaliter; sed tantùm sola ratione ratiocinata; nã in diuinis omnia sunt vnum & idem perfectissimè; nisi vbi interuenit oppositio relationis: certũ enim est inter essentiã diuinam, & personas diuinas, suppositа, seu hypostases, nullam planè dari oppositionẽ. Deinde vbi datur summa, & perfectissima identitas, illic nulla datur distinctio realis, neque formalis, inter autem personas diuinas, & essentiam diuinam, datur summa & perfectissima identitas, omnium planè consensione: ergo, Concedendum tamen est personas istas diuinas, hypostates, seu suppositа inter se distingui realiter, & quidem ex eo capite, quod opponantur inter se relatiuè; sed de his plura ad primam partem.

Suppositа diuina siue personæ ab essentia sola ratione distinguũtur.

Personæ diuinæ realiter inter se separantur.

His præmissis, circa articulum proposium fuit vetustissimus error: Carpocrat. enim anno Christi 96, non autem 129. vt vult Prateolus, docuit in Christo dari duas personas, humanam & diuinam, quemadmodum dantur in eodem duæ naturæ; vt author est Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum, cap. 48. Epiph. hæresi 27. & Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 24. & Eusebius lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. Subscripsit huic errori postea Theodorus Byzantius, Paulus Samosatenus, & ante illos Gnostici, seu, quod idem est, Scientes, vt authores sunt Eusebius, & Epiph. locis proximè citatis, & Nicephorus lib. 4. hist. Ecclesiasticæ, cap. 2. & 4. Tenuntur tamen communiter hic error, Nestorio, qui fuit posterior hæreticis omnibus proximè commemoratis; idq; quod temporibus istis altas mirum in modum egerit radices hæc hæresis, vt constat ex August. de hæresibus, hæresi 39. Socrate lib. 2. hist. tripartitæ, cap. 32. Theodoreto lib. 2 hæreticarum fabularum cap. postremo. Docuit ergo hic in Christo extare duas personas, diuinam, & humanam; ac proinde negauit Diuam Virginem esse dicendam Θεοτοκον, id est, matrem Dei, sed Χριστοτοκον. Adiecit tamen personas istas inter se vniri in Christo, non quidẽ simpliciter, & absolute; ità vt vna tantum daretur persona in Christo, sed tantùm accidentaliter. Voluit ergo Christum habere rationem vnius personæ non simpliciter, & absolute sed solo affectu, dignitate, & honore, putà quod diuinum Verbum elegisset personam istam creatam ad hoc, vt in ea infinita bona ordinis supernaturalis collocaret, & in ea veluti in templo habitaret: diceretur; proinde Deus; quemadmodum ex dæmone possidente aliquem hominem consurgit vnus numero dæmoniacus, seu arreptitius; vel quod diuinum Verbum elegerit humanam Christi naturam, ad hoc vt eâ mediâ miras, & singulares aliquas actiones exerceret: ac proinde sicut ex instrumento, & causa principua consurgit vnum totale agens, ità ex persona humana, & diuina consurgit vnus numero Christus; vel denique propter conformitatẽ summam voluntatum naturæ humanæ & diuinæ.

Error antiquorum Carpocrat.

Nestorij error.

•CONCLVSIO. *Humana Christi natura vnitur proximè & immediatè personæ, seu hypostasi diuinæ Ver-*

bi; ità vt persona ista terminet dependentiam humanæ naturæ; & compleat eandem vltimo in ratione subsistentiæ indiuiduæ, & singularis: hæc est de fide, definita in Concilijs Ephesino 1. can. 1. 2. 3. & 4. Chalced. actione 5. Constantinopolitano 2. actio. 4. & à Leone 1. epist. 10. & 11. Consentiunt Patres; maxime verò D. P. August. epist. 112. & 102. & in Enchiridio ad Laurentium. Hieronymus in epist. ad Eustochium. Cassianus in libro aduersus Nestorium, & Cyrillus Alexandrinus in libris contra Nestorium & D. Th. in istis duobus articulis: & omnes interpretes eiusdem.

Natura humana vnitur proximè personæ diuinæ.

Concil. Ephes. Chalced. Constant. D. Aug. Hieron. Cassian. Cyrill.

Deniq; accedunt rationes, 1. Ex humana Christi natura debuit consurgere vnum per se & ex re cui vnita est proximè, vt constat ex symbolo Athanasij. *Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*; ergo humana natura fuit vnita proximè, hypostasi, seu personæ diuinæ Verbi: nam si vnita fuisset proximè essentiæ diuinæ, Christus non esset vnus per se, sed per accidens; aduenisset enim humana natura essentiæ diuinæ, quæ perfectissimè completa est, ac proinde ex humana natura non vnum per se, sed per accidens resultasset, vt obseruat D. Th. huius quæst. artic. 1.

Probatio 1.

2. Ratio est: Attributa naturæ humanæ, dicuntur de diuina, & econtra in sacris litteris; atqui dici non posset, si darentur in Christo duæ personæ; neque enim attributa Sortis vnquam dicuntur de Paulo propter diuersitatem personarum: ergo.

2.

Confirmatur. Tota ratio, cur Deus dicatur mortuus vere, & item cur hic homo in Christo dicatur omnipotens, repetenda est ex communicatione idiomatum; seu, quod idem est, ex eo quod vna & eadem numero persona diuina subsistat & in essentia diuina, & in humana natura Christi: ergo non dantur duæ personæ.

3. Deniq; accedit ratio. Natura indiuidua, substantialis, & singularis, nequit vniri vnione saltẽ substantiali, nisi vniatur personæ, seu supposito: ergo humana natura vnitur soli personæ Verbi diuini.

3.

Obiectio.

Dices, si humana natura esset vnita proximè hypostasi diuinę, sequeretur hypostasim diuinã esse causam formalem: denominaret quippe naturam humanam suppositatam formaliter; imò faceret istam Deum: at concedunt omnes Deum non posse supplere rationem causæ formalis. Resp. aliud esse effectum, suum formalem communicare, & aliud esse causam formalem: nam materia confert suum effectum formalem omnibus planè entibus physicis, & naturalibus; de quolibet enim ex istis dicimus, quòd sit formaliter & intrinsecè materiale, & tamen materia non est causa formalis alicuius entis physici, & naturalis. Punctum item denominat lineam terminatam formaliter, & tamen punctum non est causa formalis lineę: formalis autem causa definitur ea quę dat esse rei, definiendo rem cuius est forma ad certam aliquam speciem, ac proinde intrinsecè hęc respicit subiectum, cui debet aduenire, & quod debet perficere suo modo.

Responsio.

Aliud est tribuere effectum formalẽ, aliud verò esse formam.

Dico ergo, subsistentiam seu personam Verbi conferre quidem suum effectum formalem humanę naturę Christi: denominatur quippe hęc à subsistentia increata Verbi suppositata formaliter & itẽ Deus, nõ tamẽ propterea est causa formalis humanæ naturæ Christi, idque quod causa formalis, vt sic, dicat imperfectionem; respicit enim intrinsecè subiectum cui aduenire debet; imo de lege communi, nequit esse sine suo subiecto, si ta-

Persona Verbi confert suum effectũ formalem humanæ naturæ, non est tamẽ causa formalis.

Digitized by Google

men sermo sit de forma sensibili, subsistentia antè increata nullam admittit, nec admittere potest imperfectionem, ac proinde de hac negamus quòd sit causa formalis.

Obiectio. Dices, vendicare sibi personam Verbi rationem subsistentiæ ergo poterit etiam sibi vendicare rationem causæ formalis. *Respon.* Resp. negando consequutionem: disparitatis ratio est, quia subsistentia, vt sic, nullam dicit imperfectionem, bene tamen causa formalis, vt sic.

Instantia. Instabis, humanam Christi naturam pendere à subsistentia diuini Verbi: omnis autem dependentia reuocatur ad causam, vel formalem, vel materialem, vel finalem, vel denique efficientem. *Respon.* Resp. humanam Christi naturam respectu suæ terminationis, & complementi in ratione subsistentiæ induiduę, & singularis nō pendere à subsistentia diuini Verbi in nullo plane genere causæ efficientis materialis, finalis, aut formalis: sed tantùm in ratione causę terminantis; hoc quippe genus causę præter proximè commemorata, est admittendum, quemadmodum admittitur ab omnibus scholasticis Doctoribus hoc loco.

Subsistentia Verbi in nullo genere causæ terminat, sed tantum in ratione terminantis.

Alia obiectio. Dices, saltem concedendum esse violentari naturam humanam Christi, si compleatur ista vltimò per subsistentiam diuini Verbi; expetit quippe hęc ex se & sua natura propriam suam subsistentiam, quæ tamen ei negatur, ex eo quod subsistat subsistentia increata. *Respon.* Resp. negando illationem antecedentis: ad hoc enim vt aliquid violentetur, simpliciter, & absolutè requiritur vt exerceat aliquem actum propensioni & inclinationi naturali contrarium; humana autem natura Christi, etiam si subsistat subsistentia increata diuini Verbi, non autem sibi propria, non tamen propterea vllum exequitur actum suę inclinationi naturali contrarium; sed maximè sibi conuenientem; quęlibet enim natura substantialis induidua, & singularis, nihil magis connaturaliter expetit, quàm subsistere: cùm ergo humana natura subsistat, subsistentiâ increatâ, nihil facit contra propensionem & inclinationem naturalem. Deinde subsistit per subsistentiam increatam longè perfectiorem quàm sit propria. Denique humana natura censetur esse in potentia obedientiali ad hoc vt compleatur vltimò in ratione subsistentiæ, induiduæ, & singularis per subsistentiam increatam, non ergo violentiam patitur, quando subsistit per istam subsistentiam.

Nō violentatur humana Christi natura.

ARTICVLVS QVARTVS.

Verum persona, vel hypostasis post incarnationem sit composita.

Non quæritur hic an humana natura sit composita. ADVERTE D. Thomā non quærere hoc loco; an humana Christi natura sit composita, de hac quippe re nullus est qui possit dubitare, cùm constet anima rationali, & corpore humano, non minùs quàm faciat natura specifica cuiuslibet nostrùm, ac proinde cum natura ista sit propriè composita, certissimum est etiam humanam Christi naturam esse propriè compositam: tota ergo dubitatio est de persona Christi, seu de hoc homine connotando Christum.

Ratio dubitandi. Ratio dubitandi est, quia quod componitur debet consurgere ex partibus sese mutuò actuantibus, hoc autem dici non potest de Verbo diuino cùm sit expers omnis potencialitatis, habeátque rationem actus purissimi omnium consensu. 2. Deinde totum censetur esse perfectius qualibet parte seorsim sumpta: ergo non potest dici de Christo, quod sit totum aliquod compositum: nam falsum est, totum hoc compositum, Christus, præstantius esse qualibet parte seorsim sumpta; non enim Christus est præstantior Verbo diuino seorsim sumpto: hoc enim est verè Deus, quo nihil potest esse præstantius.

Persona Christi est verè composita. CONCLVSIO. *Persona Christi, seu Christus; vel hic homo, significando Christum, est verè & propriè compositus compositione propriè dicta.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex innumeris illis locis in quibus dicitur de Verbo, vel quod factum fuerit caro. Ioan. 1. vel quod fuerit factum homo, in Symbolo Apostolorum, & ad Philippenses 2. vel ex illis in quibus dicitur de Christo, quod sit filius Dei. Ioan. 5. Matth. 3. & 17. & alibi sæpe; fieri quippe Verbum carnem aut hominem, videtur manifestè arguere compositionem propriè dictam.

Videtur de fide cōclusio. Deinde conclusio ista videtur expressè definita in 5. Synodo generali, actione 4. *Sancta Dei Eccle-* 5. Synod. *sia vnionem Verbi Dei ad carnem secundum compos-* 1. Synod. *tionem confitetur*; & actione 7. *Christus duas habet* Ephes. *naturas, diuinam, & humanam scilicet*; & in 1. Sy- Chalcedo. nodo Ephesina, & Chalcedonensi actione 1. & Lateranensi sub Martino I. actione vltima, si- Lateran. mile quid dicitur: imò loco proximè citato adijcitur personam Christi esse propriè compositam. Moneo tamen non deesse ex scholasticis Doctoribus, qui fateantur particulam propriè, non sumi eo in loco in sua natiua significatione; sed idem esse, atq; vere & realiter, opponique proinde metaphorico; atque ità contendunt authores isti personam Christi esse quidem compositam vere & realiter ex decretis Conciliorum, non tamen esse propriè compositam, idque quod existiment compositionem propriè dictam, includere in suo conceptu formali imperfectionem, quę proinde locum habere nequit in eo qui Deus est.

vō propriè sumi metaph. aliquandō.

Refellitur explicatio quorūdam Theolog. Cęterum, responsio ista quamuis sit multorum Theologorum, Scholasticorumq; quos citat Suares, disp. 1. sect. 4. ad hanc part. D. Th. non eludit authoritatem Conciliorū adductam; nam falsum est primum, compositionem propriè dictam includere in suo conceptu formali imperfectionem; hoc enim tantum locum habet in ea compositione, quę fit ex partibus sese mutuo actuantibus & perficientibus, non autem in ea compositione, quę resultat ex cōponentibus, seu componibilibus cuius generis est compositio Christi facta ex Verbo diuino & humana natura. Deinde, Concilia non adiecisse particulam istam, *propriè*, si voluissent tantum Christi personam esse compositam improprie. 3. D. Th. hoc loco, & communiter interpretes eiusdem, absolute pronunciant personam Christi esse compositam.

Probatio 3. Probatur conclusio, ex Patribus, Dionysio c. 1. de diuinis nominibus, Iustino Martyre in expositione symboli, Chrysost. homilia 10. Damasc. l. 6. de fide. Cyril. in epist. ad Nestorium. D. P. Aug. 4 de Trinit. cap. 14. & lib. 13. & tractatu 18. in Ioannem, & Tertulliano lib. de carne Christi, & denique Leone I. epist. 11.

Dionys. Iustin. Chrysost. Damasc. Cyrill. August. Tertull. Leo.

Tandem illud vere & proprie componitur quod confurgit ex multis entitatibus inter se realiter distinctis, interueniente actione aliqua, per quam multa ista dicuntur inter se formaliter 4.

Digitized by Google

coniuncta, vt conſtat ex anima rationali & corpore ſimul iunctis per actionem generationis; atqui Verbum & humana natura Chriſti indiuidua, & ſingularis vniuntur inter ſe per actionem vnitiuam realem, vt probabitur artic. 7. & 8. huius quæſt. ità vt ex Verbo & humana natura conſurgat vnus numero Chriſtus: ergo de Chriſto concedendum eſt, quòd ſit propriè compoſitus. Confirmatur: hic homo, connotando Chriſtum, eſt magis compoſitus, quàm ſit hæc humanitas: particula quippe, *hic homo*, præter humanitatem Chriſti dicit ſuppoſitum increatum Verbi, quod ſubſiſtit in humana Chriſti natura: atqui humanitas Chriſti eſt verè compoſita omnium conſenſione: ergo hoc ipſum erit dicendum de Chriſto, ſeu de hoc homine.

Obiectio. Obijcies, perſonam Verbi non componere cum eſſentia diuina: ergo neque cum natura humana Chriſti. *Reſp.* conceſſo antecedente, negando conſequutionem: ratio namque quare Verbum diuinum non componit cum eſſentia diuina eſt, quia omnis compoſitio conſurgit ex rebus inter ſe diſtinctis vel realiter, vel formaliter. Certum autem eſt perſonam Verbi, nec realiter, nec formaliter diſtingui ab eſſentia diuina; ſed identificari perfectiſſimè cum eadem: Verbum autem diuinum diſtinguitur realiter ab humana Chriſti natura, ac proinde cum hac rectè componit Chriſtum, ſeu, quod idem eſt, hunc hominem.

Diſſoluuntur rationes dubitandi. Ad rationes vero dubitandi reſpondeo, probare tantum perſonam Chriſti non eſſe compoſitam ea compoſitione qua aliquid componitur ex partibus, vel in qua reſultat totum, quod eſt præſtantius qualibet parte ſeorſim ſumpta, quod nos vltro concedimus: non autem ea compoſitione, qua aliquid componitur ex componentibus, ſeu componibilibus, qua ratione totum ſubſtantiale & ſuppoſitum cenſentur componere quodlibet indiuiduum ſubſtantiale completum in ratione indiuiduę ſubſtantiæ: linea item & puncta cenſentur hoc eodem modo componere totum aliquod quantum; neque enim dici poteſt de eſſentia v. g. Petri, vel Socratis, & de ſubſiſtentia eiuſdem, quòd ſint partes huius compoſiti Petri, vel Socratis: hac ergo ratione perſona Chriſti cenſetur eſſe compoſita ex humana natura, & ex perſona diuina. Ità interpretes D. Thom. communiter.

Sunt qui hoc loco quærant, an propoſitiones iſtæ ſint concedendæ: *Chriſtus eſt duæ naturæ*, intelligendo naturam humanam & diuinam, & item, *Chriſtus eſt humanitas & diuinitas*. Ceterùm ex principijs Logicis & Theologicis quid de hac re ſentiendum ſit, ſatis omnibus innoteſcit; ſunt quippe veræ propoſitiones illæ in ſenſu identico, non autem in ſenſu formali, qua de re vide multa apud Gabrielem Vazquez diſp. 16. cap. 5.

Articulo 5. docet D. Thom. animam vniri corpori Chriſti, etiam ſi nulla præexiſtat in iſtis hypoſtaſis: ſatis enim eſt ad hoc, vt ſubſequatur iſta proximè & immediatè.

ARTICVLVS SEXTVS.

An natura humana vnita ſit Verbo Dei accidentaliter.

Ratio dubitandi. RATIO dubitandi eſt 1. Quia quidquid adueniò enti conſtituto, & perfectè completo in ſuo eſſe, aduenit accidentaliter, vt eſt communis ſenſus philoſophorum: propterea enim forma adueniens materiæ non aduenit accidentaliter, quia materia eſt pura potentia cum qua proinde facit vnum per ſe: at humana Chriſti natura aduenit Verbo perfectiſſimo, vt ex ſe patet: ergo accidentaliter aduenit.

Secundò, quidquid accidit alteri coniungitur accidentaliter; at humanitas accidit Verbo: ergo & accidentaliter vnietur, propter hæc Durand. in 3. diſt. 6. q. 4. docuit affirmatiuam partem, videlicet humanam Chriſti naturam eſſe vnitam accidentaliter Verbo. 2.

Contrarium tamen eſt indubitatum; nempe vnionem hanc eſſe ſubſtantialem. Primò, quia ità D. Thom. hîc, quem ſequuntur omnes ſcholaſtici iuxta modum ſanctorum Patrum, & Concilium, Epheſ. can. 2. & 3. Synodi 5. act. 4. Lateranenſis ſub Martino I. conſultatione 5. can. 6. Alexand. in epiſt. 10. Cyrilli anathematiſmo 2. quibus in locis dicitur humanitas vnita ſubſtantialiter. Probat D. Thom. in argumento, Sed contra, ex Alexand. III. cap. Cum Chriſtus, de hæreticis, deſumpto ex epiſt. eiuſdem Pontificis ad Rhemenſem Archiepiſcopũ, & habetur altera parte 3. tom. Cõcil. in Concil. Lateran. parte 49. c. 20. p. mihi 1429. vbi prohibet nequis dicat Chriſtum, ſecundum quod homo non eſſe aliquid: nam vt idem D. Tho. docet, ſi humanitas Chriſti eſſet, vnita accidẽtaliter Verbo, Chriſtus quatenus homo diceretur, non quid; ſed qualis & quantus, vel ad aliquid: cõſtat enim ad quęſtionem factam per, quid eſt Petrus, inepte reſponderi eſſe calceatum, vel veſtitum, ſed reſpondetur per ipſam quidditatem & ſubſtantiam Petri. *Vnio Verbi cum humana natura non eſt accidentalis.* Concil. Epheſ. Lateran. Cyrill. Alex. III. *Probatio D. Tho. ex cap. cũ Chriſtus vbi dicitur Chriſtum eſſe aliquid.*

Gabriel Vazquez d. 17. cap. vltimo, ſequens Franciſcum de la Pena contendit illa Decretali, non intendere Alexandrum III. quod vult D. Th. ſed damnare hæreſim Manichæi aſſerentis Chriſtum habuiſſe apparentem humanitatem, quæ de nouo erat exſuſcitata in Gallia à quibuſdam hæreticis Albigenſibus, qui vel fuerunt ijdem cum Catharis, vel ab ipſis originem ſumpſerunt: quod autem prædictam hæreſim de apparentia carnis Chriſti voluerit condemnare, probatur maximè ex eo quòd addit Pontifex: quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ità eſt verus homo; certè vt opponat eum hominem phantaſtico. *Improbat Vazquez probat. D. Thom.*

Ceterùm hæc non videntur rectè dicta; quod vt apparent referenda ſunt verba illius Epiſtolæ Alexandri citati, quæ ſic habent. *Cum Chriſtus perfectus ſit Deus, & perfectus homo, mirum eſt, qua temeritate quisquam dicere præſumat: quod Chriſtus non ſit aliquid ſecundum quod homo, ne autem tanta in Eccleſia Dei poſſit nequitia ſuboriri, vel error induci fraternitati tuæ, &c. quatenus conuocatis Magiſtris Scholarum Pariſienſium & Rhemenſ. & aliarum ciuitatum authoritate noſtra interdicas ſub anathemate, nequis de cetero audeat dicere Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod homo; quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ità verus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.* *Defenditur D. Thom.*

Ex iſtis autem verbis non poteſt colligi damnari hæreſim aliquam, ſed tantùm modum loquendi; quem quidam Theologi vſurpant; id clare conſtat 1. ex illis verbis, *Mirum eſt, qua temeritate dicere quis præſumat*, agitur ergo de modo loquendi: item ex immediate ſequentibus: *Ne autem in Eccleſia Dei tanta poſſit nequitia ſuboriri*: nondum igitur excitata. Denique ex illis, *nequis de* *In canone illo non dãnatur hæreſis Manich. ſed modus loquẽdi aliquorũ Dectorum.*

Digitized by Google

cetero audiat dicere: quibus innuitur vsque ad illud tempus absque vlla pœna toleratum fuisse prædictum modum loquendi: est autem omninò improbabile in Gallia nostra, regno alioquin maximè Catholico, toleratam fuisse tam crassam hæresim Manichæorum impunè. Deinde non damnari hæresim mihi persuadeo, tum ex eo quòd nulla mentio fiat in illo capite damnationis antiqui erroris Manichæi factæ ab Ecclesia, quemadmodum solent summi Pontifices in similibus: tùm etiam quia Cathari, siue Albigenses aut Patriarchæ, seu Publicani in Vasconia, & Albigesio exorti, damnantur à principio statim in eodem Lateranensi c. 27. at prædictum caput ponitur fere in fine eiusdem Concilij: ergo ad aliquid distinctum ab illo primo. Verba autem illa vltima Alexandri, *Verus Deus, & verus homo*: allata sunt ad ostendendum in Christo esse veram quidditatem humanam, quam quidam Theologi refugiebant concedere, vnde dicebant Christum, *quale quid*, non vero *aliquid*, sicut est in ipso vera quidditas diuina.

Cathari, seu Albigenses.

Satisfit rationibus dubitandi.

Ad rationes vero dubitandi respondeo. Ad 1. propositionem maiorem esse falsam in ijs, quæ adueniunt & coniunguntur medio vinculo substantiali, vt patet in manu abscissa, & deinde vnita corpori, quæ substantialiter constetur vniri: hic autem natura humana vnitur medio aliquo substantiali, diuino Verbo, subsistitque subsistantialiter per subsistentiam Verbi: qua ratione etiam dissoluetur 2. ratio dubitandi allata.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An vnio humanæ naturæ cum diuina, sit aliquid creatum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An vnio Verbi sit idem quod assumptio.

DVBITATIO PRIMA.

An actio per quam humana natura vnitur Verbo, sit realis & vera actio; dicitur autem hæc communiter vnitio, seu incarnatio.

Actio vnitiua est vera actio. Probatio 1.

RESPONDETVR affirmatiue. Primùm, quia hæc videtur esse mens Patrum & Cõciliorum locis cit. articulo 4. huius quæst. Deinde, vbicumque datur agens & actum, proprie & formaliter loquendo, illic etiam datur vera & realis aliqua actio; sunt enim hæc tria relata secundum esse; atqui in Christo, vel potius in vnione humanæ naturæ cum Verbo, datur agens & actu proprie loquendo de agente & acto: nam agens constetur esse omnes personæ sanctissimæ Trinitatis; istæ quippe producunt de facto incarnationem; actum verò constetur esse humana Christi natura coniuncta Verbo, seu, quod idem est, Christus, aut hic homo. TERTIO, vbicumque datur de nouo vera & realis compositio, illic etiam admittenda est actio vera & realis: atqui ex vnione humanæ naturæ cum Verbo consurgit vera & realis compositio

2.

3.

A vt probatum fuit articulo 4. huius quæst. ergo. Denique fieri nequit vt ex non vnito aliquid sit formaliter vnitum; nisi intercueniente actione aliqua, & mutatione vera & reali in altero saltem extremo ex his quæ vniuntur de nouo; at humana Christi natura ex non vnita constetur esse verè vnita, intercueniente actione vnitiua: ergo illic dabitur mutatio, & realis aliqua actio. Ità communiter docent Sententiarij in 3. dist. 5. & interpretes D. Thom. artic. 7. huius q. 4.

Obiectio. Obiicies, actionem veram & realem consurgere non posse, quin detur hæc in subiecto aliquo vero & reali; non potest autem assignari subiectum actionis vnitiuæ humanæ naturæ cum Verbo: nam si actio hæc fuerit tantùm recepta in humana Christi natura, Verbum non poterit dici formaliter vnitum humanæ naturæ, non enim ei aliquid accidit de nouo a quo dicatur formaliter vnitum. *Resp.* concesso maior. nego min. subiectum quippe actionis vnitiuæ constetur esse sola humana natura Christi, neque tamen propterea desinet Verbum diuinum esse vnitum formaliter humanæ Christi naturæ: nam quemadmodum ex opinione quorundam philosophorum, anima rationalis vnitur proprio corpori, per modum alicuius recepti in proprio corpore, ità etiam & diuinum Verbum constetur esse vnitum formaliter humanæ naturæ Christi per modum aliquem receptum in humana Christi natura tantùm. Accedit, hoc esse quàm maximè singulare & admirandum (ex aliorum opinione, qui admittunt in anima rationali modum aliquem peculiarem, quo vnitur formaliter proprio corpori) Verbum diuinum vniri formaliter, & denominari formaliter vnitum humanæ naturæ, etsi nullus detur in eo modus à quo petatur ista denominatio formalis.

Vnitur Verbũ humanæ naturæ per modum aliquã recepti in ipsa.

Resp.

Instantia. Instabis, saltem ex concessione istius actionis vnitiuæ, admittendum esse humanam Christi naturam extitisse in aliquo instanti temporis, antequàm fuerit à diuino Verbo assumpta & eidem vnita; nam omne quod assumitur per actionem aliquam veram & realem, prius esse debet, quàm de facto assumatur. *Resp.* neg. illationem propositionis maioris; in 6. quippe Synodo actione 11. & in epist. 11. Leonis I. prohibetur strictissimè, nequis credat humanam Christi naturam prius extitisse quàm fuerit vnita diuino Verbo.

Resp.

Nõ præexistit humanitas Christi vnioni eiusdem. Deinde, si res aliter haberet concedendum esset de humana Christi natura quòd fuisset aliquando pura creatura, & item quòd retinuisset propriam subsistentiam: hæc enim consurgit necessariò ad positionem cuiuslibet naturæ substantialis, individuæ & singularis, nisi fuerit præuenta à subsistentia aliqua increata.

Denique dicendum esset naturam humanam Christi non semper extitisse beatam: nam ratio cur Theologi fateantur, animam Christi in primo instanti suæ informationis respectu proprij corporis fuisse beatam, hæc redditur ab illis; quod fuerit coniuncta Verbo in primo instanti suæ creationis, beatitudo autem debetur ei qui Deus est.

Non omnis actio præsupponit suũ subiectũ, vt patet in creatione. Ad id vero quod subiungitur, omnem actionem præsupponere suum subiectum, & trahere secum mutationem. *Resp.* absolute esse falsum: nam creatio constetur esse vera, & realis actio, & tamen hæc non præsupponit rem creatam: cùm res creata producatur per creationem omnium consensu; creatio vero identificatur perfectissime cum re creata. Deinde, propositio prædicta vera esse potest ad summùm de actionibus physicis & natura-

libus loquēdo propriſſime quales ſunt calefactio, ambulatio : huius autem generis non eſt actio vnitiua humanæ naturæ, cum Verbo diuino: mutatio verò omnis quæ conſequitur vnionem hypoſtaticam tota ſe tenet ex parte humanæ naturæ, non autem cum Verbo diuino, quod eſt abſolutè immutabile.

Obiectio. Obijcies, actionem veram & realem non poſſe conſurgere ſine agente; nequit autem dici quod ſit illud agens, quod producit actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo. Reſp. negando min. in capite quippe, *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, definitur perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe cauſas effectiuas vnionis hypoſtaticæ. Deinde cauſa principalis cuiuſlibet operis miraculoſi cenſetur eſſe ſolus Deus, ex illo, *Tu es Deus qui facis mirabilia*: imò miraculum proprie dictum definitur communiter à Theologis : *Opus rarum, & inſolitum, a ſolo Deo factum, capacitatem naturæ tranſcendens* : atqui incarnatio cenſetur eſſe opus miraculoſum, & quidem ità, vt propter hanc cauſam vulgo dicatur miraculum miraculorum, imò D. Thom. in hac quæſt. docet incarnationem ità eſſe præſtantem, & nobilem, vt non poſſit Deus opus aliquod aliud ità nobile producere.

Reſpõſio. Perſonæ Trinitatis ſunt cauſa efficiens iſtius myſterij. *Miraculum quid.* *Incarnatio miraculum miraculorũ.*

Obiectio. Matth. 1. Luc 1. Dices, incarnationem iſtam aſcribi Spiritui ſancto, Matth. 1. *Quod in ea natũ eſt de Spiritu ſancto eſt:* & Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Reſp. non dici in iſtis locis ſolum Spiritum ſanctum eſſe cauſam effectiuam incarnationis Chriſti ; ſed tantùm, Spiritum ſanctum producere iſtam incarnationem; eſt autem axioma cõmuniſſimum inter Theologos, actiones ad extra ex æquo communes eſſe omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, incarnatio autē eſt actio ad extra, vt eſt per ſe notũ.

Reſpõſio & explicatio locorum ſcripſ.

2. Reſpõſio. Reſp. 2. incarnationem appropriari Spiritui ſancto in ſacris litteris, illo eodem modo, quo ſapientia Filio, & omnipotentia Patri ; non licet autem propterea colligere incarnationem produci tantum à Spiritu ſancto, cùm non liceat ſapientiam ſoli Filio tribuere, neque item omnipotentiam ſoli Patri.

DVBITATIO SECVNDA.

An actio vnitiua realiter, vel formaliter diſtinguatur ab ea actione, per quam producta eſt humana Chriſti natura.

Actio vnitionis eſt eadē cũ actione productionis humanitatis realiter. Dico Primò, *Actionem productionis & vnitionis humanæ naturæ cum Verbo, non diſtingui inter ſe realiter.* Primùm, quia non fuerunt iſtæ vſpiam ab inuicem ſeparatæ, neque item ſeparari potuerunt, ſtante hac hypotheſi, quod natura iſta humana fuerit & debuerit eſſe vnita hypoſtaſi diuinæ. Deinde Leo I. epiſt. 11. ait humanam Chriſti naturam fuiſſe creatam per aſſumptionem factam, ſcilicet à Verbo diuino. Ità communiter Sententiarij in 3. diſt. 5.

Actio productionis & vnitionis formaliter diſtincta. Dico 2. *Actionem per quam producta eſt humana Chriſti natura eſſe diſtinctam formaliter, ab ea qua vnitur hæc natura humana Verbo diuino.* Primum, quia actiones illæ diſtinguuntur inter ſe formaliter, quarum termini ſeparantur ab inuicem formaliter: eſt enim propoſitio indubitata apud omnes, vnitatem ſpecificam ; ac proinde diſtinctionem formalem cuiuſlibet actus, aut habitus, repetendam eſſe ab obiecto, vel à modo tendendi in obiectum, vel certe à termino producto : atqui terminus productus per actionem productiuam humanæ naturę Chriſti, diſtinguitur formaliter à termino producto per actionem vnitiuam ; actio quippe productiua habet pro termino proximo humanam Chriſti naturam ; actio vero vnitiua habet pro termino proximo modum ſubſtantialem in humana natura receptum, à quo denominatur hæc formaliter vnita Verbo, vt probabitur Dubitatione 4. Ergo.

2. Probatio. Deinde, actio naturalis diſtinguitur ad minus formaliter ab actione ſupernaturali : atqui actio productiua humanitatis Chriſti eſt tota naturalis, ſaltem præſcindendo ab vnione eiuſdem cum ſuppoſito diuino : ità quippe conſiderata nihil habet, quod non detur in natura cuiuſlibet noſtrùm humana ; actio autem per quam vnitur hypoſtaſi diuinę tota ſupernaturalis eſt: ergo diſtinguuntur.

Obiectio. Obijcies, productionem humanæ naturæ Chriſti eſſe ineffabilem, & inenarrabilem; de hac ſiquidem explicatur illud Iſaiæ à Patribus, *Generationem eius quis enarrabit?* ergo dabitur hîc tantummodo vna actio. *Reſpõſio.* Reſp. in humana Chriſti natura eſſe duo conſideranda ; alterum eſt ipſamet natura humana, præſcindendo à ſuppoſito, quod in ea ſubſiſtit & item à modo ; alterum eſt vnio per quam vnitur ſuppoſito diuino: priori modo generatio, ſeu productio humanæ naturæ Chriſti non dicitur à Patribus ineffabilis ; ſed tantùm poſteriori modo, ac proinde ratione illius actionis, per quam vnitur humana natura Verbo diuino.

Qua ratione dicatur ineffabilis productio humanitatis.

3. Tertiò probatur concluſio : Generatio diſtinguitur ad minus formaliter ab ea actione, per quā materia vnitur ſuæ formæ, ex vetioti opinione philoſophorum, natura autem humana Chriſti producitur per generationem, vnitur autem hæc eadem per actionem vnitiuam hypoſtaſi diuinæ: ergo formaliter diſtinguuntur.

4. Denique idem videtur dicendum, de productione humanitatis Chriſti, & de vnione eiuſdem cum Verbo, quod de actionibus creationis animę rationalis & vnionis eiuſdem cum proprio corpore, ceteris tamen paribus; at dantur hoc in loco duę actiones, alia per quam creatur anima; alia per quam coniungitur proprio corpori : ergo & in humana Chriſti natura duæ admittendę erunt actiones, diſtinctæ inter ſe ad minus formaliter. Ità docent plerique recentiores.

Obiectio. Obijcies, D. Leonem epiſt. 11. affirmare humanam Chriſti naturam fuiſſe creatam per aſſumptionem eiuſdem factam à Verbo : ergo. *Reſpõſio.* Reſp. hęc ideò dici à Leone, non quod crediderit per illam eandem numero actionem, qua producta eſt humanitas Chriſti, loquendo de ea formaliter, aſſumptam fuiſſe, & vnitam vt ſic, diuino Verbo: de hac quippe re nulla ratione cogitauit : ſed tantum quia voluit affirmare, humanam Chriſti naturam in nullo plane inſtanti temporis fuiſſe antequàm vniretur Verbo, idque quod illi res eſſet cum hæreticis illius ętatis, qui fatebantur humanam Chriſti naturam priùs extitiſſe, quàm fuerit hæc à Verbo aſſumpta.

Obiectio 2. Obijcies 2. illic dari tantùm vnicam numero actionem, vbi datur tantum vnica exiſtentia, & eſſentia producta: atqui in Chriſto datur vnica tãtum exiſtentia, ex doctrina D. Thom. q. 17. a. 2. huius partis, & ex Damaſceno lib. 3. cap. 11. de fide. Reſp. in humana Chriſti natura dari vnicam tantum exiſtentiam totalem & adæquatam, & ità intelligendum eſſe D. Thom. loco cit. itémque

Digitized by Google

Vnica existentia totalis admittitur, & plures partiales.

Damascenum: libro quippe 1. contra Gent. cap. 26. agnoscit D. Thom. plures existentias partiales, in humana Christi natura, quæ opinio videtur confirmari ex eo quod negari nequeat, quin anima rationalis habeat existentiam omninò distinctam ab ea quæ datur in proprio corpore; est enim de fide, animam extare sine corpore: cùm ergo humana Christi natura consurgat ex anima rationali & corpore humano, admittendæ erunt duæ partiales existentiæ; & item vna totalis, quæ conuenit animæ, & corpori simul sumptis. Moneo tamen esse qui respondeant D. Thomam & Damascenum voluisse in humana Christi natura dari tantùm vnam existentiam: id est subsistentiam: contendunt enim interdum existentiam pro subsistentia vsurpari, de qua re lege D. Thomam, & & interpretes eiusdem ad articulum 2. quæst. 17. huius partis.

Alij aliter soluunt & explicant D. Thom.

DVBITATIO TERTIA.

An per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo producatur aliquid diuersum ab ipsa, & à Verbo simul sumptis, seu, quod idem est, à persona Christi composita, vel ab hoc homine.

Per actionē vnitiuam producitur aliquid diuersum ab humana natura.

DIco *per actionem istam produci aliquid diuersum ab humana natura & Verbo, simul iunctis.* Primum, quia ita sentiunt plerique recentiores: ex veteribus verò idem affirmat Gabriel in 1. dist. 100. art. 2. & in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. idem sentire videtur sanctus Thomas hoc loco.

2. Probatio.

Deinde ex non vnito nequit aliquid fieri vnitum, nisi contingat aliquid de nouo, vel in vtroque extremo, vel certè in altero: atqui humana Christi natura ex non vnita Verbo, fit vnita de nouo, & hoc idem dicendum est de Verbo: ergo aliquid fuit productum, per actionem istam vnitiuam, cùm in Verbo nihil potuerit produci. Confirmatur. Ab vno contradictorio ad aliud non fit transitus, nisi dependenter à mutatione & à consecutione alicuius entitatis de nouo; atqui ex non Deo facta est natura humana Christi, Deus, & quidem formaliter & intrinsecè: ergo debuit ei aduenire aliquid de nouo.

Aliquorum soluio refellitur.

Respondent aliqui, sufficere mutationem factam in tempore, ad hoc vt contradictoria verificentur de aliquo. Sed contrà, quia in quouis tempore potuit natura humana dici vnita, & non vnita Verbo, & quantum est de se eodem modo comparatur ad Verbum hodie & cras; ergo vt dicatur esse vnita impertinens est mutatio temporis. Confirmatur. Quoniam tempus ex seipso est indifferens, vt in ipso humanitas vniatur, vel nō vniatur: ergo vt in hoc instanti incipiat esse vnita, quæ antea non erat vnita, præter temporis mutationem aliquam aliam in humanitate ipsa fieri oportet.

Improbatur etiam aliorum responsum.

Respondent alij 2. aliquid aduenire contrarium humanę naturæ Christi: vbi vnitur diuino Verbo, non tamen diuersum ab humana Christi natura, & Verbo simul iunctis. Quod vt explicent, docent humanam Christi naturam antequam assumeretur à Verbo fuisse in potentia obediendiali, vt ab eo assumeretur, posita verò debita approximatione eiusdem ad Verbum transisse ab actu 1. ad actum 2. & quidem per vim diffundendi, & communicandi, quam in se habet. Ex quibus colligunt illi, quod aduenit humanæ Christi naturæ, per vnionē hypostaticam, non esse aliquid diuersum à Verbo, & ab humana natura Christi simul sumptis. Ceterùm responsio hæc non soluit rationem à nobis positam: nam de humana natura posita vnione cum Verbo dicimus, quòd sit formaliter & intrinsecè Deus, quod tamen anteà nulla ratione dicebatur de eadem: de Verbo item posita vnione, dicimus quòd sit verè & realiter homo: ergo debuit aliquid aduenire humanę saltem Christi naturæ, varium & diuersum à Verbo, & humana natura, per vnionem istam hypostaticam; neque enim fieri potest, vt aliquid denominetur formaliter & intrinsecè, nisi ponatur in eo aliqua perfectio de nouo: ergo.

Probatio 3. conclusionis.

Tertiò probatur, vbicumque datur realis & vera aliqua actio de nouo, illic quoque debet dari terminus verus & realis, productus de nouo: atqui in incarnatione diuini Verbi contigit vera & realis aliqua actio, vt probatum est Dubitatione 1. ad istos duos articulos: ergo & terminus quoque productus erit necessariò admittendus: hic autem ex nostra saltem opinione est modus substantialis, in humana natura Christi productus per actionem vnitiuam à quo denominatur formaliter & intrinsecè vnita Verbo diuino.

Terminus productus per actionem est modus receptus in humana natura.

Respondent authores contrariæ sententiæ, terminum productum per actionem vnitiuam esse solum Christum, seu, quod idem est, hunc hominem, vel denique personam Christi compositam.

Responsio aliquorum.

Verùm responsio hæc non satisfacit argumēto. Primū, quia in omni actione propriè dicta præter vltimum terminum, datur etiam terminus proximus, seu formalis eiusdē: vt patet ex calefactione; hęc enim habet pro termino vltimo calidum, pro termino verò immediato & formali, calorem: atqui actio vnitiua humanæ naturæ cum Verbo, est actio propriè dicta; est enim transiens, vt est per se notum: ergo cum Christus sit terminus vltimus, assignandus erit eidem terminus proximus & immediatus, seu formalis, à quo denominabitur humana natura formaliter vnita Verbo: & contrà.

Reijcitur.

Solus Christus nequit esse terminus productus formaliter.

Deinde si solus Christus, vel persona Christi composita esset terminus productus per actionem vnitiuam concedendum esset nihil dari in Christo, aut in persona Christi composita quod non esset productum, ab operatione ista vnitiua; nam de ratione termini producti est, vt pendeat secundum illud omne quod in se habet ab actione à qua producitur: at Verbum diuinum nec producitur, nec produci potest ab actione productiua, neque item pendere ab ea vllo modo potest, cum sit hoc verè Deus.

2. impugnatio contrarij responsi.

Denique, Verbum diuinum, & humana natura, vt sunt vnum, non est idem, atque Verbum diuinum & humana natura, vt sunt simul in eodem loco, tempore, situ & similibus; nam Verbum, per suam immensitatem potest esse præsentissimum humanitati vbicumque sit sine dependentia ab vlla planè actione: ergo ad hoc vt Verbum dicatur vnitum hypostaticè humanæ naturæ desideratur actio aliqua propriè dicta per quam producatur aliquid in humana natura diuersum ab eadē, & à Verbo diuino, non enim aliter fieri posset vt diceretur hæc formaliter vnita Verbo.

3. impugnatio.

Denique sancti Patres, & sacra Concilia docent humanam Christi naturam componi proprie: imo personam Christi esse proprie compositam, quod tamen verum esse nequit, nisi fuerit aliquid productum per actionem incarnationis diuersum ab humana natura, & Verbo simul sumptis.

4.

Obijcies, si ita res haberet, concedendum esset

Obiectio.

Digitized by Google

de rẽ aliqua creata quod eſſet cauſa præcipua & principalis operis nobiliſſimi à Deo producti; incarnatio quippe cenſetur eſſe miraculum miraculorum: atqui res creata non poteſt eſſe cauſa principalis operis miraculoſi: definitur enim miraculum, opus rarum & inſolitum, à Deo ſolo factum, capacitatem naturæ tranſcendens. Reſp. cauſas operis miraculoſi, alias eſſe efficientes, alias verò formales: inter efficientes ſolus Deus eſt computandus, loquimur enim de cauſa præcipua & principali efficiente: inter formales verò, nullum poteſt habere locum Deus; non enim poteſt hic ſupplere defectum cauſæ formalis omnium conſenſione: cauſa ergo formalis miraculi incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticæ, eſt modus ille ſubſtantialis productus in humana Chriſti natura per actionem vnitiuam cum Verbo; ità vt ab iſto modo humana natura denominetur formaliter vnita, & idem dicendum eſt de Verbo, non eſt tamen concedendum de eo, quòd modus ille recipiatur in Verbo.

Reſponſio.

Opus miraculoſum habet & cauſam efficientem qualis eſt Deus, & formalem qualis eſt hic modus ſubſtantialis.

Obiciunt.

Obiciunt vltimò authores contrariæ ſententiæ, formam ſubſtantialem vniri ſuæ materiæ, ſine vlla actione media vnitiua, per vim communicandi ſeipſam poſita tamen debita approximatione ad ipſum: ergo hoc ipſum præſtabit Verbum circa humanam naturam Chriſti. Reſp. neg. antecedens. D. P. Auguſt. quippe in epiſt. ad Paſſentium Artianum ait, animam rationalem proprio corpori vniri, per connexionem vinculi naturalis, ac proinde actionem vnitiuam animæ cum corpore, appellat vinculum naturale. Deinde licèt daremus formam vniri ſuæ materiæ ſine vlla actione intermedia vnitiua, non tamen propterea hoc idem concedendum eſſet de Verbo & humana natura Chriſti; diximus enim implicare ex non vnito aliquid poſſe eſſe formaliter vnitum, niſi contingat mutatio aliqua realis in altero extremo, vel certe in ambobus; fides autem docet, itémque recta ratio, Verbum diuinum non fuiſſe in ſe mutatum in incarnatione, nec potuiſſe mutari: vnde mutatio debet ſe tenere ex parte humanæ naturæ aſſumptæ.

Reſponſio. Ex D. Auguſtino anima rationalis vnitur corpori medio vinculo.

A

B

C

D

DVBITATIO QVARTA.

Quis ſit terminus formalis, ſeu proximus & immediatus, productus per actionem vnitiuam, reſpectu diuini Verbi, & humanæ naturæ.

Terminus proximus actionis non eſt relatio, aut dependentia.

DICO 1. *Terminum proximum & immediatum, ac proinde formalem actionis vnitiuæ humanæ naturæ cum Verbo, non eſſe relationem aliquam categoricam, neque item dependentiam eiuſdem naturæ à Verbo*, vt voluit Scotus & ſequaces eiuſdem: putat autem hic auctor dependentiam humanæ naturæ à Verbo eſſe relationem, non quidem quæ conſequatur ſuum fundamentum, vel terminos; ſed relationem quæ aduenit dependenter à mutatione aliqua in altero extremo tantùm.

1. *probatio.*

Probatur primùm, quia in 5. Synodo definitur vnionem incarnationis non eſſe factam ad aliquid, ſed eſſe aliquid; quod idem eſt ac ſi diceret Synodus, vnionem incarnationis non eſſe ad relationem, ſed eſſe aliquid verè ſubſtantiale. Deinde ſacra Concilia, itémque Patres docent de actione vnitiua Verbi, & humanæ naturæ quòd ſit ſubſtantialis, non autem accidentalis, vt pluribus

2.

3.

documimus ad a. 6 huius q. Tertiò omnis depéden-

E

tia, quæ datur in humana natura reſpectu ſolius Verbi, vt ſic, pendet à Verbo, in ratione cauſæ terminantis, ſupplet enim Verbum diuinum abſentiam ſubſiſtentiæ creatæ reſpectu humanæ naturę; at res iſta non poteſt dici relatio, nec categorica, nec tranſcendentalis; terminare quippe idem eſt atque complere ſubſtantiam individuam & ſingularem in ratione ſubſtantiæ completæ, & conſequenter entis per ſe ſubſiſtentis.

Obijcies D. Thomam artic. 6. huius quæſt. affirmare, incarnationem eſſe relationem. Reſp. hoc ideò dici à D. Thom. non quod exiſtimauerit actionem vnitiuam Verbi, & humanæ naturæ eſſe relationem; ſed quia actio iſta producit in humana Chriſti natura modum ſubſtantialem, qui connectit humanam naturam cùm Verbo: vnde conſequitur relatio aliqua actionem iſtam vnitiuam: verum quippe eſt dicere, Verbum eſſe formaliter vnitum humanæ naturæ, & contrà, humanam naturam Verbo: in ordine ergo ad iſtam relationem quę conſequitur actionem vnitiuam, actio vnitiua nuncupatur relatio eo modo loquendi, quo nomen effectus de ſua cauſa enunciatur.

Obiectio.

Reſponſio, & explicatio D. Tho.

Dico 2. *terminum productum per actionem vnitiuam proximum non eſſe qualitatem aliquam abſolutam, quæ nuncupatur à nonnullis gratia vnionis.* Primùm, quia 6. Synodus verbis expreſſis habet, vnionem incarnationis non eſſe factam ad gratiam: deinde quia ſequuntur ex hac opinione illa eadem incommoda, quæ ex proximè antecedente refutata: concedendum ſiquidem eſſet vnionem iſtam non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem: gratia quippe omnis cenſetur eſſe qualitas actualis, vel habitualis.

Terminus productus per actionẽ non eſt qualitas abſoluta, ſeu gratia vnionis.

Dices, parteſtorius compoſiti naturalis, & integri copulari inter ſe media quantitate, ac proinde medio aliquo accidente, & tamen terminus productus cenſetur eſſe ſubſtantialis, nempe compoſitum naturale integrum: ergo idem quoque accidere potuit in myſterio incarnationis. Reſp. quidquid ſit de antecedente, nego conſequutionem; Chriſtus quippe, ſeu quod idem eſt, hæc perſona Chriſti compoſita, vel hic homo, nedum eſt realiter res aliqua ſubſtantialis, ſed etiam ex vi vnionis humanæ naturæ cum Verbo, ac proinde vnio iſta debet eſſe neceſſariò res aliqua ſubſtantialis: cùm habeat pro termino rem quæ verè ſubſtantia eſt, aut certe modus aliquis ſubſtantialis: compoſitum autem naturale, ſub ea ratione qua integrum eſt, non eſt, vt ſic, ex quorumdam opinione res ſubſtantialis, ſed tantum realiter.

Obiectio.

Reſponſio.

Diſcrimen inter cõpoſitum hoc, hanc perſona Chriſti, & compoſitum ſubſtantiale naturale.

Dico 3. *terminum productum per actionem vnitiuam incarnationis eſſe modum ſubſtantialem, productum in humana tantùm natura: & ab iſto modo nuncupatur Verbum diuinum vnitum formaliter humanæ naturæ, & contrà, hæc dicitur vnita Verbo formaliter.*

Terminus productus eſt modus ſubſtantialis in humana natura receptus.

Probatur primò, quia terminus formalis, ſeu proximus actionis vnitiuæ humanæ naturæ cum Verbo, debet eſſe neceſſario vel accidens, vel modus accidentis, vel ſubſtantia, vel modus ſubſtantiæ: atqui terminus hic non eſt accidens, neque modus accidentis; diximus enim ſacra Concilia & item Patres affirmare de actione iſta, quod non ſit accidentalis, ſed ſubſtantialis: non eſt item ſubſtantia, quia omnis ſubſtantia quæ datur in Chriſto vel eſt Verbum, vel eſſentia diuina, vel humana Chriſti natura, vel denique compoſitum hoc (*Chriſtus*): atqui nullum ex iſtis eſt terminus productus per actionem iſtam ſaltem proximus &

Probatio 1. ab enumeratione.

Digitized by Google

formalis; nam eſſentia diuina, nec producit, neque producitur: diuinum item Verbum producitur tantum per intellectionem Patris, & præſupponitur ad vnionem illam perficiendam, vt eſt per ſe notum: humana item Chriſti natura producitur non per actionem vnitiuam, ſed per generationem: imò præſupponitur hæc conſtituta extra ſuas cauſas, antequam vniatur Verbo, non quidem tempore, ſed naturâ: neque denique terminus hic, eſt Chriſtus: quia terminus reſultans, ſeu vltimus cuiuſlibet actionis proprie dictæ, eſt diuerſus à termino formali, ſeu proximo: Chriſtus autem, ſeu hæc perſona Chriſti compoſita, eſt terminus reſultans, ſeu vltimus actionis vnitiuæ, vt probabitur infrà: reſtat igitur vt terminus formalis ſit modus ille ſubſtantialis, quem diximus.

Quorundã Thomiſtarũ reſponſio.

Reijcitur.

Reſpondent Thomiſtæ aliqui, Verbum diuinum non eſſe terminum formalem actionis vnitiuæ ſpectatum purè & nudè; ſecus verò ſpectatum vt communicatum. Verùm reſponſio iſta non ſatisfacit, particula quippe *(communicatum)* vel addit aliquid Verbo diuino, vel nihil; ſi 2. nulla poteſt aſſignari ratio, cur Verbum communicatum ſit terminus actionis vnitiuę, non autem Verbum præcisè ſpectatum; idem quippe manens idem, facit idem. Deinde ad hoc vt Verbum communicatum ſit terminus formalis actionis vnitiuæ, debet produci per actionem vnitiuam; at Verbum communicatum non producitur, cùm communicatum nihil addat ſupra Verbum: ſi autem dicatur primum, certum eſt etiam Verbum communicatum non poſſe eſſe terminum actionis vnitiuæ; quoniam ſupereſt explicandum quid ſit illud quod addit communicatum ſupra Verbum. Adde quod Verbum cenſetur eſſe expers omnis potentialitatis, ac proinde, communicatum, nequit aliquid addere Verbo: ergo Verbum communicatum non eſt terminus productus per actionem vnitiuam.

Probatio 2.

Secundo probatur Concluſio. Terminus productus per actionem tranſubſtantiationis, proximus, cenſetur eſſe modus aliquis qui corpori Chriſti aduenit ex eo, quòd ſit ſub ſpeciebus conſecratis, vt aſſeritur à multis Theologis: terminus item productus per actionem reſurrectionis cenſetur eſſe modus ſubſtantialis, qui aduenit corporibus ſuſcitatis, ex vi huiuſmodi actionis, à quo denominantur formaliter corpora iſta ſuſcitata: ergo idem quoque erit dicendum de actione vnitiua humanę naturæ cum Verbo; ita vt terminus productus proximè ab iſta actione ſit modus aliquis ſubſtantialis à quo denominatur natura humana formaliter vnita Verbo, & contrà, Verbum naturæ. Ità docent plerique recentiores.

Obiectio 1.

Dices modum iſtum ſubſtantialem productum per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo, non recipi in Verbo diuino, ſed tantum in natura humana: ergo non poteſt denominari diuinum Verbum formaliter vnitum. Reſpondeo, cõceſſo antecedente, nego conſequutionem: diximus enim hoc eſſe admirandum & ſingulare, quòd Verbum dicatur formaliter vnitum humanæ naturæ, etiam ſi nihil in ſe recipiat; & quidem ex eo capite quòd diuinum Verbũ terminet, vere & realiter humanam Chriſti naturam, idque in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis completæ. Confirmatur. Humana Chriſti natura dicitur formaliter Deus, & item ſubſiſtens per ſubſiſtentiam increatam, & tamen deitas nõ eſt de intrinſeca ratione humanę naturæ, neque aduenit eidem per modum inhæſionis, & informationis, diximus enim Deum non poſſe ſupplere defectum cauſæ formalis; ſed tantùm ex eo quòd humana natura compleatur in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis per hypoſtaſim diuini Verbi, quod eſt etiam ſingulare in hoc myſterio incarnationis.

Diuinum Verbũ dicitur formaliter vnitum per modum recepti in humanitate.

Obiectio 2.

Obijcies, ſi hypoſtaſis diuini Verbi non potuit vniri hypoſtaticè humanæ naturę, niſi per modum ſubſtantialem in humana natura receptum, & productum per actionem vnitiuam, concedendum erit ſubſiſtentiam creatam non poſſe vniri propriæ naturæ niſi dependenter ab aliquo alio modo ſubſtantiali.

Reſponſio 1.

Reſpondeo, negando illationem antecedentis; propterea enim Verbum, non potuit vniri humanæ naturæ, niſi medio aliquo ſubſtantiali producto per actionem vnitiuam, quia Verbum diſtinguitur realiter ab humana natura Chriſti, & nequit hoc vllam plane in ſe admittere mutationem: non potuit autem ex non vnito fieri vnitum, niſi per mutationem ſui, vel alterius extremi, cum quo vnitur; ſubſiſtentia autem creata eſt idem realiter cum ſua ſubſtantia quam complet, & terminat, vnde nec indiget alio modo quo naturæ vniatur.

2. Reſpõſio.

2. Reſp. propterea ſubſiſtentiam creatam non egere aliquo alio modo à ſe diuerſo, ad hoc vt vniatur ſubſtantiæ propriæ quam complet, quia aliter admittendus eſſet progreſſus in infinitum, à quo tamen natura abhorret.

Prima diſpoſitio eſt ratio recipiendi ſe, & alias à ſe.

Deinde, quia ſicut prima diſpoſitio cenſetur eſſe ratio recipiendi ſe & alias à ſe: ità ſubſiſtentia creata ſeipſam communicat, per vim diffundendi quam habet, ſuppoſita tamen actione vnitiua per quam producitur. Denique vltimę differentiæ ex ſeipſis conſtituuntur & præterea ſeparantur ab alijs omnibus, & ſubſiſtentia iſta creata per ſeipſam ſolam complet ſubſtantiam indiuiduam.

Obiectio 3.

Obijcies, ſi modus ſubſtantialis productus per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo, non reciperetur in illo, ſed tantùm in humana natura Chriſti concedendum eſſet, Patrem, & Spiritum ſanctum, æquè bene dici incarnatos, ac Verbum. Reſp. negando illationem antecedentis: nam vnitas numerica actionis vnitiuæ, pendet ſecundum ſuam indiuiduam ſubſtantiam ab extremis quæ connectit, nempe à Verbo, & ab humana Chriſti natura, illa eadem ratione, cæteris tamen paribus, qua vnitas actionis vnitiuæ animę rationalis cum corpore, pendet ab anima & corpore: à Patre autem, & à Spiritu S. pendet actio vnitiua incarnationis, in ratione tantum cauſæ efficientis.

Reſponſio.

Solus Filius dicitur vnitus humanitati, non autẽ Pater aut Spiritus ſanctus.

Aduerte tandem, modum hunc productum per actionem vnitiuam non eſſe varium, ſed vnicum tantùm, qui tamen præſupponit duas partiales actiones, quarum altera animam rationalem Chriſti, altera verò corpus eiuſdem reſpicit, & ex iſtis duabus partialibus conſurgit vna totalis & integra quæ modum iſtum ſubſtantialem attingit, & de facto producit, à quo denominatur formaliter Verbum vnitum, & contrà, humana natura vnita Verbo.

DVBITATIO QVINTA.

Quis ſit terminus à quo, actionis vnitiuæ, & item terminus reſultans, ſeu vltimus productus per actionem vnitiuam.

Terminus à quo actionis

DICO 1. *Terminum à quo actionis vnitiuæ humana natura cum Verbo, non eſſe naturam humanam*

vnitiua non eſt natura humana.

nam, quòd docuit Caietanus. Primùm, quia ſubiectum alicuius actionis, nequit eſſe terminus à quo eiuſdem; humana autem Chriſti natura eſt ſubiectum modi ſubſtantialis producti per actionem vnitiuam, vt docuimus Dubit. proximè antecedente. A

Deinde, terminus à quo non ſtat cũ termino ad quẽ: at humana Chriſti natura ſtat cũ termino producto, per actionem vnitiuam, vt eſt per ſe notum ex dictis: ergo nequit eſſe terminus à quo.

Terminus à quo actionis vnitiuæ non eſt perſonalitas humanitatis.

DICO 2. *Terminum à quo actionis vnitiuæ non eſſe perſonalitatem humanæ naturæ Chriſti, neque item carentiam eiuſdem*: ratio prioris eſt, quia nulla res vera & realis, quæ tamen nuſquam fuit, poteſt eſſe terminus à quo actionis de facto exiſtentis, vel præteritæ; quis enim dicet lignum, quod eſt tantùm poſſibile, eſſe terminum à quo combuſtionis factæ hodierno die? at perſonalitas humanæ naturæ Chriſti, nec fuit, nec futura eſt aliquando, ſed eſt tantùm poſſibilis. Ratio verò poſterioris ſit iſta: terminus à quo nuſquam ſimul eſt cum termino ad quem; atqui negatio propriè perſonalitatis humanæ naturæ Chriſti ſtat ſimul per actionem vnitiuam; nam perſonalitas iſta nulla ratione deprehenditur in Chriſto, ſed tantùm ſola diuina: ergo huiuſmodi perſonalitas non poteſt eſſe terminus à quo actionis vnitiuæ. B

Terminus à quo eſt nõ eſſe hominis reſpectu Verbi, & negatio perſonalitatis Verbi reſpectu humanitatis.

DICO 3. *Terminum a quo iſtius actionis vnitiuæ reſpectu diuini Verbi eſſe, non eſſe hominis*: tranſit quippe diuinum Verbum, per actionem vnitiuam a non eſſe hominis, ad eſſe hominis: *Reſpectu verò humanæ naturæ terminũ a quo iſtius actionis vnitiuæ, eſſe negationem vnionis & perſonalitatis diuini Verbi*: tranſit enim humana Chriſti natura per actionem vnitiuam à non eſſe vnita, ad eſſe vnitam, & à non ſubſiſtente ſubſiſtentia increatâ, fit ſubſiſtens ſubſiſtentia increata diuini Verbi: & ratio eſt manifeſta, quia hæ negationes excluduntur per incompoſſibilitatem termini ad quem: ideclarari poteſt exemplo animę rationalis, quæ ex non vnita, fit vnita, & ex non habente materiam, fit habens materiam. C

Terminus reſultans totalis & vltimus actionis vnitiuæ eſt Chriſtus, ſiue hic homo.

DICO VLTIMO. *Terminum reſultantem, ſeu vltimum actionis vnitiuæ humanæ naturæ cum Verbo, eſſe Chriſtum, ſeu, quod idem eſt, perſonam Chriſti compoſitam; aut denique hunc hominem*: ità docent communiter interpretes D. Thom. hoc loco, & Sententiarij in 3. diſt. 2. D

Deinde, hoc idem colligitur ex iſtis locis: *Et Verbum caro factum eſt.* Ioann. 1. *Et homo factus*: in Symbolo Apoſtolorum, & in Symbolo Athanaſij. *Sicut anima rationalis, & caro, vnus eſt homo; ità Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.*

Ioann. 1. Athanaſ.

Tertiò, hoc idem colligitur ex eo quòd ſacra Cõcilia dicant, perſonam Verbi compoſitã ſecundum carnem anima rationali informatam, ità Synodus 5. actione 8. can. 3. & 4.

Probatur ratione.

Denique, terminus reſultans cenſetur eſſe is qui conſequitur neceſſariò ad productionem termini formalis, propter hanc quippe cauſam nuncupatur reſultans: atqui Chriſtus, ſeu hæc perſona Chriſti compoſita, vel hic homo, conſurgit neceſſariò ex productione modi ſubſtantialis, per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo producti: ergo Chriſtus, ſiue hic homo, eſt terminus reſultans & vltimus illius actionis vnitiuæ. E

DVBITATIO VLTIMA.

Qualis ſit actio vnitiua humanæ naturæ cum Verbo, ſupernaturaliſne, aut naturalis; creata, aut increata.

Ratio dubit.

RATIO dubitandi eſt, quia ſancti Patres contendunt actionem iſtam eſſe naturalem. Ità Alexandrinus Cyrillus, in expoſitione vndecim capitum, quæ extat tomo 2. operum eiuſdem, anathematiſmo 4. & Sophronius, in 6. Synodo actione 11. Alexand. Cyril. Sophron.

2. Deinde, ſubſiſtentia increata Verbi diuini, facit illud idem in humana natura, quod præſtaret propria ſubſiſtentia ſi adeſſet: vt ſupra docuimus; atqui ſubſiſtentia propria ſi adeſſet, faceret ens naturale: ergo.

3. Denique creatio terminatur ad ens per ſe ſubſiſtens; at terminus reſultans ex actione vnitiua humanæ naturæ cum Verbo, eſt res per ſe ſubſiſtens, nempe perſona Chriſti compoſita: ergo.

Actio vnitiua eſt ſupernaturalis.

CONCLVSIO 1. *Actio vnitiua humanæ naturæ cum Verbo eſt ordinis ſupernaturalis, non autem naturalis.* Primùm, quia hæc eſt opinio communis Theologorum omnium in 3. diſt. 2. alij 5. & interpretum D. Thom. ad hanc quæſtionem.

2. probatio.

Deinde, vnio iſta non debetur ex ſe, & ſua natura humanæ naturæ. Tertiò, vnio hæc nequit fieri ab vllo agente creato, relicto intrà terminos propriæ naturæ; ſed pendet ſimpliciter ab omnipotentia Dei extraordinaria. Confirmatur. Terminus productus per actionem iſtam vnitiuam cenſetur eſſe miraculum miraculorum: miracula autem arguunt omnipotentiã Dei extraordinariã: ergo huiuſmodi actio cẽſeri debet omnino ſupernaturalis. 3.

4. Denique, vnio hæc cenſetur eſſe fundamentum omnium planè donorum ordinis ſupernaturalis: igitur non naturalis, ſed ſupernaturalis.

Vnio hæc vocatur hypoſtatica.

CONCLVSIO 2. *Actio iſta vnitiua nuncupatur communiter vnio hypoſtatica, idque quòd terminetur ad hypoſtaſim Verbi*: ità appellatur in Concilio Chalcedon. I. in 5. Synodo actione 11. & apud Cyrillum, in explicatione vndecim capitum, anathematiſmo 2. Deinde, illa actio rectè vocitatur hypoſtatica quæ fit ad hypoſtaſim, actio vnitiua humanæ naturæ cum Verbo, fit ad hypoſtaſim; reſultat quippe ex iſta vnione vnum per ſe, nempe (Chriſtus) ſeu, quod idem eſt, perſona Chriſti compoſita, ſeu hic homo: ergo rectè hypoſtatica nuncupatur. Concil. Chalced. Cyrill.

Actio vnitiua non eſt propriè creatio.

CONCLVSIO VLTIMA. *Actio iſta vnitiua non eſt, propriè loquendo, creatio.* Primùm, quia hæc eſt communis opinio Theologorum ad artic. 8. huius quæſt. Deinde, creatio eſt productio totius entis ex nihilo: at per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo, non producitur aliquid ex nihilo, ſed producitur tantum modus ſubſtantialis, qui in ſola humana natura recipitur, quique cenſetur eſſe vinculum, quo connectuntur humana natura & Verbum: ergo actio iſta non eſt propriè creatio.

Diſſoluũtur rationes dubitandi.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. ſanctos Patres nuncupaſſe actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo naturalem, non quòd crediderint actionem iſtam eſſe ordinis naturalis, cum verbis expreſſis habeant vnionem hanc fieri ad hoc, vt humana natura Chriſti ſit verè Deus, ſed quia terminus reſultans ex vnione *Quo ſenſu ſancti PP. appellent vnionem hãc naturalem.*

Digitized by Google

ista est vera, & realis aliqua substantia per se subsistens, quæ substantia ideo dicta est naturalis quod constet anima rationali, & corpore humano; & quia hæc humana natura subsistit subsistentia diuini Verbi, ac proinde habet rationem substantiæ indiuiduæ, & singularis completæ, dependenter tamen à Verbo: fauet istis quòd Patres locis supra citatis, retineant voces istas οὐσία & φύσις quæ significant naturam, & essentiam.

2. Ad 2. rationem dubitandi resp. Subsistentiam increatam præstare illud idem quod faceret subsistentia creata si adesset, non tamen eodem modo: nam subsistentia creata, si adesset, esset modus naturæ humanæ, & esset idem realiter B cum humana natura; subsistentia verò increata terminando naturam humanam, & complendo eandem in ratione substantiæ singularis, neque est modus eiusdem, nec identificatur cum ea realiter: terminat enim tantùm dependentiam humanitatis, in ratione tantùm causæ terminantis, vt autem solutio hæc sit paulò explicatior,

Cõplere naturã humanã, & eam terminare actu, nõ dicit perfectionem in Verbo.

Obseruandum est; terminare & complere humanam naturam actu, in ratione substantiæ indiuiduæ & singularis, nullam dicere perfectionem in subsistentia increata diuini Verbi: sed tantùm supponere perfectionem summam in eadem: idem quippe dicendum est de hac re quod C de actu creationis, quo Deus res omnes ad extra produxit, ceteris tamen paribus: conuenit autem inter omnes actum quo Deus in tempore omnia produxit, nullam in eo ponere perfectionem, sed tantùm supponere omnino potẽtiam eiusdem, intra diuinam essentiam; ità subsistere in humana Christi natura, non ponit aliquam perfectionem actualem in Verbo, sed tantùm supponit perfectionem subsistendi, quam habet intrà diuinam essentiam; subsistere tamen & posse subsistere, intra Deum, arguit perfectionem in Verbo diuino. Ità communiter omnes.

Ad vltimam.

Ad vltimam resp. Actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo, non esse propriè creD ationem; neque enim satis est ad creationem, quòd terminus productus sit res aliqua per se subsistens, sed præterea desideratur vt terminus productus transeat de non esse simpliciter ad esse, quod non accidit in Christo, aut in persona Christi composita: humana quippe natura & Verbum præsupponuntur in aliquo instanti prioritatis naturæ, antequàm vniantur inter se per actionem vnitiuam.

Actio vnitiua triplicẽ dicit respectũ realẽ in humanitate.

Vt autem quæ hactenus dicta sunt de actione vnitiua humanæ naturę cum Verbo facilius intelligantur, aduertendum est actionem vnitiuam trahere secum tres relationes 1. est ea per quam humana natura respicit diuinum Verbum, vt hoc habet rationem causæ terminantis, & comE plentis in ratione substantiæ, indiuiduæ & singularis. 2. est ea per quam humana natura dicitur vnita Verbo, & contrà, Verbum humanæ naturæ. 3. & vltima ea est, per quam humana natura censetur esse effectus productus ab omnibus personis sanctissimæ Trinitatis: relationes autem istæ tres sunt reales, ex parte naturę humanæ; habent enim conditiones necessarias ad essentiam relationis realis constituendam: ex parte verò diuini Verbi, seu Dei, relationes istæ sunt tantum rationis; non enim Deus, vel Verbum pendet vlla ratione ab humana natura, neque aliquid adA nit Verbo, aut Deo ex istis relationibus saltem realiter, sed tantum sola denominatione extrinseca.

ARTICVLVS IX.

Virum vnio duarum naturarum sit maxima omnium vnionum.

DVo sunt hoc loco breuiter explicanda, alterum est, *Vnionem humanæ naturæ cum Verbo esse omnium maximam, si spectetur hæc ex parte illius in quo fit vnio, minimè verò si spectetur in ordine ad extrema quæ connectuntur per istam vnionem.*

Primùm, quia hæc videtur esse expressa mens D. Thom. in corpore articuli, & in responsione ad 2. idem etiam docet verbis expressis Vazquez disp. 20. c. 2. & 3. & nonnulli alij recent. itémque veteres, maximè verò Alensis 3. p. q. 7. memb. 2. a. 3.

Ratio conclusionis.

Accedit ratio in fauorem 1. partis huius documenti: illa vnio censetur esse omnium maxima, respectu illius in quo fit, cuius nexus existimatur esse simplicior; atqui nexus humanæ naturæ fit in personalitate diuini Verbi, quæ est in se simplicissima, cum sit hæc vere Deus, excludens omnem omnino compositionem. Confirmatur. Persona diuini Verbi censetur esse vinculum connectens humanam & diuinam naturam, sub ea ratione qua concipitur à nobis nondum composita: atqui hoc modo spectata in se est simplicissima: ergo & vnio erit omnium planè vnionum maxima.

Obiectio.

Dices, ex hac ratione manifestè colligi vnionem accidentium humanæ naturæ esse similiter perfectissimam: nam accidentia ista vniuntur cum persona Christi. Resp. nego illationem antecedentis: accidentia quippe ista proximè recipiuntur in humana natura, non autem in persona Verbi; nexus quippe communis quorumcumque accidentium censetur esse subiectum in quo recipiuntur, vnio autem diuinæ & humanæ naturæ Christi proxime & immediate fit in persona diuini Verbi.

Responsio.

Alia obiectio.

Obijcies, vnionem humanæ naturæ cum Verbo esse saltem æqualem vnioni essentiæ diuinæ cum personis diuinis; nexus namque huius vnionis est essentia diuina quæ in se simplicissima est. Resp. nego illationem antecedentis. Ad probationem autem, essentiam diuinam esse quidem simplicissimam, & nexum personarum sanctissimæ Trinitatis, cum eadem; vnitas tamẽ hęc maior est, quàm sit ea quæ datur inter humanam Christi naturam, & Verbum diuinum; nam essentia diuina, & personæ identificantur inter se perfectissime; diuinum autem Verbum, etiam si sit illud in quo fit vnio humanæ naturæ cum eo, non tamen hoc identificatur vlla ratione cum ea, ac proinde vnio hæc censetur esse minor.

Vnitas essentiæ diuinæ cum personis, maior est quàm vnio hypostatica.

2. pars documẽti, minorem esse vnionem si spectẽtur in ordine ad extrema.

Secunda verò pars documenti probatur: Quò aliqua magis inter se distãt & coniunguntur inter se, eò quoque eorum vnio censetur esse minor, vt videtur colligi ex D. Th. in corpore huius art. & in resp. ad 2. atqui humana Christi natura, & Verbum distant inter se toto cœlo; Verbum quippe est increatum, infinitum, & ordinis supernaturalis; humana verò natura creata, finita & ordinis naturalis.

Deinde, maior vnio respectu extremorum quæ

Digitized by Google

connectuntur, habet ortum ex maiori conuenientia quæ datur inter extrema, quę ex hypotheſi connectuntur & quidem ex ſe & ſua natura: ſatqui nulla datur naturalis aptitudo & conuenientia in humana natura, ad hoc vt vniatur cum Verbo diuino: ergo minor erit vnio vtriuſque.

Obiectio. Dices ex Bernardo, lib. de conſideratione 5. ad Eugenium, vnionem hypoſtaticam eſſe omnium maximam, excepta ea quæ deprehenditur inter eſſentiam diuinam, & perſonas relatiuas.

Reſponſio. Reſp. propoſitionem iſtam eſſe tantùm veram reſpectu alicuius proprietatis, quæ reperitur in vnione Verbi cum humana natura, nempe ratione indiſſolubilitatis, quæ datur inter humanam naturam, & Verbum diuinum.

Obiectio. Obijcies, Cyrillum verbis expreſſis affirmare vnionem hypoſtaticam eſſe maiorem vnione animæ rationalis cum corpore.

Reſponſio. Reſp. Cyrillum nihil aliud velle eo in loco, quàm vnionem hypoſtaticam cum humana natura eſſe magis ſingularem & admirabilem, quàm ſit vnio, quæ datur inter animam rationalem & corpus: non cogitauit autem Cyrillus de præſtantia vnionis hypoſtaticæ, vt eſt vnio maior, vel minor reſpectu vnionis animæ cum corpore.

Ratione totalis termini producti poteſt dici vnio hypoſtatica omnium maxima.

Eſt autem obſeruandum, poſſe concedi vnionem iſtam reſpectu termini producti, & reſultantis eſſe omnium maximam; terminus quippe conſtetur eſſe Chriſtus, qui non poteſt non eſſe quam maximè præſtans, cùm habeat humanam & diuinam naturam coniunctam.

Omnia dona creata excedit vnio hypoſtatica. Auguſt.

Secundò obſeruandum hoc loco eſt: *Inter omnia dona quæ hactenus creatura rationali fuerunt communicata ſupremum, & præcipuum eſt, vnio hypoſtatica.* Primùm quia hæc videtur eſſe mens D. Auguſtini tractatu 2. in Ioannem ad hæc verba. *Et Verbum caro factum eſt*: & lib. 13. de Trinitate cap. 9. ait enim illic, maius donum eſſe Deum fieri carnem, quàm homines omnes fieri filios Dei, & de prædeſt. ſanctorum cap. 15. appellat enim illic vnionem hypoſtaticam, excellentiſſimam omnium gratiarum, & item tantam humanæ naturæ conceſſiſſe, vt quò altiùs attolleretur

Chryſoſt. Bernard. non haberet. Chryſoſt. homilia 12. in Ioannem, & Bernardus loco proximè citato, D. Thom. hoc loco & omnes interpretes ibidem. Deinde bonum quod aduenit naturæ humanæ, per vnionem hypoſtaticam Verbi, eſt bonum increatum, quod nedum ſanctificat humanam naturam Chriſti, ſed etiam deificat, vt docet fides Catholica & Chriſtiana: ergo cùm nullum aliud donum, ſimile quid præſtet in creatura rationali, hoc erit cæteris omnibus præſtantius & maius. Confirmatur. Ex vi vnionis hypoſtaticæ cultus latriæ debetur, & exhibetur humanæ naturæ Chriſti. Denique, ſummum bonum cuiuslibet noſtrùm pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, cenſetur eſſe gratia & charitas, quę dantur in nobis: faciunt quippe hæc nos iuſtos & ſanctos formaliter, & conferunt ius ad vitam æternam obtinendam: ergo vnio hypoſtatica, erit ſummum & præcipuum donum, inter ea quæ hactenus data ſunt, aut dari poſſunt; nam per vnionem hypoſtaticam, humana Chriſti natura nedum formaliter eſt ſancta, ſed etiam eſt verè Deus, quod per nullam aliam conceſſionem alicuius alterius doni accidere poteſt: ergo.

Obiectio. Obijcies, plus eſſe Deum mente, quàm ventre concipere, vt author eſt D. Pater Auguſt. epiſt. 38. & tractatu 10. in Ioannem: ergo vnio adoptionis erit maius donum, quàm ſit vnio hypoſtatica. Reſp. conceſſo antecedente negando conſequentiam; propterea enim maius Dei donum eſt concipere Deum mente, quàm ventre; quia qui concipit Deum mente, exercet actum ex ſuo obiecto, nedum honeſtum, ſed etiam coniunctum cum gratia & charitate; qui verò ventre Deum tantùm concipit, hic non propterea agit in gratia, aut in charitate; potuit enim Chriſtus naſci ex femina in ſtatu peccati mortalis conſtituta. *Reſponſio.*

Alia obiectio. Obijcies, vnionem hypoſtaticam poſſe communicari creaturæ irrationali, minimè verò viſionem Dei, amorem eiuſdem, neque item gratiam & charitatem. Reſp. ex iſtis nihil poſſe colligi; nam ſi vnio hypoſtatica communicaretur creaturę irrationali, non propterea vnio iſta haberet rationem doni; dona quippe ex doctrina multorum Patrum, & Scholaſticorum omnium ordinantur ad beatitudinem æternam obtinendam; creaturæ autem irrationales ſunt incapaces beatitudinis æternæ, & item cuiuslibet actionis vitalis. *Reſponſio.*

Obijcies. Denique, ſi vnio hypoſtatica eſſet ſupremum donum Dei, expeteretur ab omnibus. Reſp. negò illationem; non enim ſuprema dona expetuntur à nobis; ſed multò magis ea quæ nobiſcum dicunt maiorem conuenientiam, & quę magis ſenſus noſtros afficiunt. *Reſponſio.*

ARTICVLVS X.

An vnio duarum naturarum in Chriſto facta fuerit per gratiam.

Qua ratione dicatur vnio facta per gratiã. RESPONDETVR affirmatiuè: moneo tamen nomine gratiæ, hoc loco non ſignificari gratiam actualem, vel habitualem, ſed tantùm voluntatem, ſeu miſericordiam Dei; ità vt velit ſanctus Thom. incarnationem eſſe factam per gratiam, id eſt per bonitatem & miſericordiam Dei.

ARTICVLVS XI.

Virum per vnionem Verbi incarnati præceſſerint aliqua merita.

DVBITATIO PRIMA.

An Chriſtus meruerit ſuam prædeſtinationem, vel vnionem, vel denique aſſumptionem humanæ naturæ cum Verbo, de condigno.

1. Ratio dubitandi. RATIO dubitandi eſt, quia Apocalypſis cap. 5. dicitur. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, & virtutem, & honorem.* Apocal. 5.

Deinde, ſi Chriſtus nec prædeſtinationem ſuam, nec vnionem, ſeu incarnationem, nec denique aſſumptionem humanæ naturæ cum Verbo promeruerit, concedendum eſt merita Chriſti eſſe fine

Digitized by Google

præmio sibi æquali.

3. Origenes, lib. 2. Peri archon, cap. 6. existimauit animam Christi prius fuisse creatam quàm corpori vniretur, atque in illo priori temporis, suis meritis obtinuisse, vt coniungeretur Verbo in persona; hoc probant ex illo Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ*: quod testimonium Paulus ad Hebræos 1. intelligit de Christo, & per oleum lætitiæ, intelligunt antiqui Patres vnionem hypostaticam: videtur autem apertè docere, particula ista hoc oleum, datum esse Christo, quia dilexerat iustitiam, & odio habuerat iniquitatem.

4. Denique, potuit Deus dare humanæ naturæ Christi vnionem hypostaticam eo fine, vt hanc eamdem promereretur per actiones subsequentes eamdem.

Quatuor conditiones requiruntur ad meritum de cõdigno.

Aduerte ad meritum de condigno desiderari quatuor conditiones, libertatem scilicet, statum viæ, gratiam gratum facientem, & denique promissionem diuinam de remunerandis bonis istis operibus præmio vitæ æternę, vel certè aliquo alio præmio æquali; ac proinde fatentur omnes perfectissimam æqualitatem debere comprehendi inter opus de condigno meritorium, & inter præmium eiusdem. Ità communiter omnes in tractatione de merito, cum sancto Thom. 1. 2. q. vltima.

Christus nõ meruit suã prædestinationem, nec vnionem &c.

Conclvsio 1. *Christus nec suam prædestinationem, nec vnionem, seu incarnationem, nec de nullo humana natura assumptionem de condigno meruit.* Prima pars probatur, quia prædestinatio cæterorum hominum est sine vlla dependentia à meritis eorumdem, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 23. & communiter interpretes eiusdem: ergo idem dicẽdum erit de prædestinatione Christi, hæc enim habet pro termino vnionem hypostaticam in humana natura.

Deinde, prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædest. ex illo. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Ephes. 1.

Probatio 2. partis.

Secunda verò pars, & 3. probatur. Primùm quia incarnatio, & humanæ naturæ assumptio, tribuitur in sacris litteris bonitati & misericordiæ diuinæ, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: & Luc 1. *Per viscera misericordiæ visitauit nos oriens ex alto*: ad Titum 2. & 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam magnam misericordiam saluos nos fecit*: & Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cùm essemus mortui viuificauit nos Christo.* Ioan. 3. Luc 1. Tit. 2. 3. Ephes. 2.

D. Aug.

Idem docent Patres, maximè verò D. Augustinus, *Sicut*, inquit, *gratia datur hominibus, sine vllis meritis: ità humanitatem fuisse vnitam Verbo, sine vllis illius meritis*: & cap. 15. de prædestinatione sanctorum. *Quisquis in capite nostro* [illegible] *Christo præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat*: docet autem hîc baptismum applicari nobis non dependenter à meritis nostris, sed à sola gratuita Dei liberalitate, & lib. 13. de Trinit. cap. 14. idem affirmat, & tract. 105. in Ioann. D. Thom. hoc loco.

Accedit ratio 1. principium & radix meriti de condigno, non cadit sub meritum; meritum quippe omne præsupponit intrinsecè radicem cuiuslibet meriti in vniuersum sumpti: at qui vnio hypostatica, seu incarnatio est principium meriti cuiuslibet de condigno, vt docet D. Thom. in hac parte quæst. 19. & manifestè colligitur ex illo Ioannis 1. *Vidimus eam plenum gratia & veritatis*: & ex illo, *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Vnio hypostatica est principium cuiuslibet meriti de condigno.

Denique, licèt meritum non debeat intrinsecè & essentialiter posterius esse præmio, vel contrà; radix tamen meriti in vniuersum sumpta, debet necessariò antecedere præmium, vt auctor est D. Pater Augustinus in Enchiridio, ad Laurent. cap. 36. ergo cum incarnatio, seu vnio Verbi diuini sit radix meriti, non potuit Christus mereri vnionem istam de condigno. Ioan. 1. D. August.

Obiectio.

Obijcies, contra hanc conclusionem, Deum potuisse ex omni æternitate præuidere, si humanam naturam acciperet, futura in huiusmodi natura, infinita propemodum bona opera: ergo potuit etiam dare vnionem istam hypostaticam, propter huiusmodi bona opera futura.

Responsio.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam; præuisio quippe ista meritorum futurorum satis esse potest, ad rationem causæ finalis constituendam, non autem ad constituendam causam meritoriam respectu cuiuslibet operis meritorij, vt obseruat S. Thom. quæst. 19. articulo 6. Deinde diximus implicare, præmium præcedere radicem & fundamentum cuiuslibet meriti in vniuersum, incarnatio autem supponitur à nobis radix cuiuslibet meriti. S. Thom.

Christus incarnationẽ & prædestinationẽ suã non meruit de cõdigno.

Conclvsio 2. *Christus nedum non meruit incarnationem, aut prædestinationem suam, sed neque etiam mereri potuit, stante tamen hypothesi quod incarnatio sit radix meriti cuiuslibet de condigno.* Primum, quia ità docent plerique interpretes D. Thomæ hoc loco, maximè verò Pesantius disput. 2. & 3. Deinde implicat vnum & idem esse simul principium & finem, causam & effectum, & denique prius & posterius: atqui si Christus promeruerit suam incarnationem, concedendum est de ista, quòd sit causa, & effectus; nam supponimus incarnationem esse radicem & principium cuiuslibet meriti de condigno; ac proinde debet esse causa operis meritorij: erit etiam effectus si habuerit hæc rationem meriti, respectu Christi promerentis incarnationem istam. S. Thom. Pesantius.

Tota ratio cur gratia non cadat sub meritũ.

Tertiò. Tota ratio cur prima gratia non cadat sub meritum, hæc redditur à Paulo cap. 11. ad Romanos. *Quæ gratis datur*, inquit, *gratia, iam non ex operibus*: at vnio hypostatica, seu incarnatio datur gratuitò & liberaliter à Deo; imo supponitur hæc à nobis radix & principium meriti: ergo nequit cadere sub meritum. Rom. 11.

Dixi, ita vt supponamus incarnationem esse principium & radicem meriti; nam si dicamus incarnationem respectu primi illius instantis, in quo facta est, non esse principium, & radicem merendi; sed tantùm ratione instantium, quæ posteà consequuntur; indubitatum videtur Christum potuisse mereri suam incarnationem de condigno, per opera subsequentia primùm instans incarnationis Christi: diximus enim quatuor esse simpliciter necessaria ad meritum de condigno; libertas, status viæ, gratia gratum faciens, & promissio diuina: at hæc omnia deprehenderentur in actionibus Christi, quas ille præstaret post primum instans suæ incarnationis.

Quatuor simpliciter necessaria ad meritum de cõdigno.

Deinde daretur perfectissima æqualitas

inter præmium & meritum: nam ſicut vnio hypoſtatica eſt ſimpliciter infinita, ità & merita Chriſti eſſent ſimpliciter infinita propter infinitatem perſonæ, quæ producit has actiones meritorias in humana Chriſti natura: ità videtur ſentire Suarez diſp. 10. ſect. 4.

Suarez.

Continuatio incarnationis potuit abſolutè de condigno à Chriſto mereri.

CONCLVSIO 3. *Licèt Chriſtus de facto non meruerit ſuam incarnationem, neque item continuationem eiuſdem, potuit tamen abſolutè loquendo continuationem iſtius incarnationis mereri de condigno.*

Prima pars concluſionis probatur, ex eo quod continuatio incarnationis nihil ponat diſtinctum realiter ab incarnatione ipſa in humana Chriſti natura; diximus autem Chriſtum non meruiſſe ſuam incarnationem: ergo.

Dona Dei immutabilia.

Deinde, dona Dei ſunt immutabilia, ac proinde & perpetua, donec ponatur obſtaculum aliquod à creatura rationali, cui collata ſunt: atqui humana Chriſti natura, poſita vnione hypoſtatica, non potuit vllum plane impedimentum apponere, quod deſtrueret vnionem iſtam hypoſtaticam, peccatum quippe mortale cenſetur eſſe ſolum impedimentum, quod tamen non potuit habere locum in Chriſto, implicat enim eum qui Deus eſt peccare: vt oſtendetur ad quæſt. 15.

Secunda verò pars concluſionis probatur, quia licèt continuatio incarnationis nihil addat realiter diſtinctum ab incarnatione; ſeparantur tamen hæc duo ab inuicem formaliter.

Denique nihil repugnat quominùs concipiamus vnionem hypoſtaticam dari gratis, reſpectu illius primi inſtantis, in quo fuit peracta: reſpectu verò inſtantium ſubſequentium poſſumus concipere incarnationem iſtam dari ex merito: ergo potuit hæc continuatio cadere ſub meritum de condigno: ità plerique recentiores.

Chriſtus ſuã de condigno meruit reſurrectionẽ.

CONCLVSIO VLTIMA. *Chriſtus meruit ſuam reſurrectionem de condigno.* Primùm, quia de hac re conuenit inter omnes. Deinde meruit Chriſtus ſua morte reſurrectionem ſuam. Tertiò omnia neceſſaria ad meritum de condigno, deprehenduntur in Chriſto reſpectu ſuæ reſurrectionis. Denique non minùs ordinauit Chriſtus ſuam reſurrectionem ad generis humani reparationem, quàm ſuam mortem, aut aſcenſionem & quidem eo tempore quo fuit in hac vita mortali: ergo tam bene meruit reſurrectionem, quàm aſcenſionem.

Satisfit rationibus in oppoſitum adductis.

Ad rationes verò dubitandi initiò propoſitas reſpondeo: Ad 1. locum illum intelligendum eſſe de manifeſtatione diuinitatis Chriſti, quæ fieri debuit poſt eius mortem, reſurrectionem, & in cœlos aſcenſionem; non autem de manifeſtatione diuinitatis Chriſti, abſolutè loquendo, poſt aſcenſionem quippe Chriſti fuerunt Apoſtoli miſſi in omnes partes huius mundi in quibus Euangelium prædicauerunt, Marci vltimo. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.*

Marci vltimo.

Chriſti meritis nõ fuit cõſignatum æquale præmium.

Ad 2. non eſſe abſurdum fateri de Chriſto, quod non fuerit conſignatum præmium æquale meritis eiuſdem.

Elucidatur locus Pſalmiſta.

Ad 3. locum illum Pſal. ex mente Patrum diuerſum ſenſum habere: nam *ro* propterèa, denotat quidem cauſalitatem, non efficientem, ſed finalem ità vt ſenſus ſit: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea &c.* à Patre ſanctificatus es oleo deitatis, non quia dilexerat iuſtitiam, & odio habuerat iniquitatem, ſed vt diligeret & odio haberet.

Ad vltimam, non eſſe abſurdum aliquod præmium præcedere meritum aliquod in particulari; aliter tamen eſt dicendum de præmio comparato cum radice & fundamento cuiuſlibet meriti de condigno: fundamentum namque hoc præſupponitur & præintelligitur antequàm poſſit præmium ſubſiſtere, aut etiam intelligi, cùm hæc duo ſcilicet meritum & præmium, inter ſe relata ſint.

DVBITATIO SECVNDA.

An Patres veteris Teſtamenti, qui præceſſerunt incarnationem Chriſti, meruerint incarnationem iſtam vel de condigno, vel de congruo.

Patres antiqui legis incarnationem Chriſti non meruerunt de cõdigno.

CONCLVSIO 1. *Patres veteris Teſtamenti, qui præceſſerunt aduentum Chriſti, non meruerunt incarnationem iſtam de condigno.* Primùm, quia diximus cum D. Thom. principium meriti, non cadere ſub meritum de condigno.

Deinde merita cuiuſlibet ſancti de condigno, fuerunt cumulatiſſimè remunerata in cœlis: ex illo Romanorum 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* 3. Si res aliter haberet, plus meruiſſent Patres veteris teſtamenti, quàm fecerit Chriſtus: diximus enim Chriſtum non meruiſſe ſuam incarnationem, nec potuiſſe mereri de condigno.

Rom. 8.

Denique, nulla pura creatura poteſt ſatisfacere de condigno, pro culpa propria mortali vel aliena: ergo minùs poterit mereri incarnationem Chriſti; hoc enim difficilius quàm illud.

Incarnatio nõ potuit de condigno à dictis patribus promereri.

CONCLVSIO 2. *Patres veteris Teſtamenti, nedum non meruerunt incarnationem Chriſti de condigno, ſed nec mereri potuerunt.* Primùm, quia incarnatio eſt infinitis partibus maior, & dignior, quàm ſint merita omnia quorumcumque iuſtorum: eſt quippe hæc ſimpliciter infinita propter infinitatem Verbi terminantis dependentiam humanæ naturæ Chriſti; merita autem cuiuſlibet iuſti de condigno ſunt in ſeipſis finita, nec cedémque tantùm finitam ex ſe poſtulant, quamuis obiectum felicitatis cuiuſlibet iuſti ſit infinitum; nam non videtur ab iſtis iuſtis obiectum hoc infinito modo; ſed tantum finito.

Deinde, merita ſanctorum omnia pendent à meritis incarnationis, veluti à ſua radice & fundamento: diximus autem radicem meriti, non cadere ſub meritum de condigno, neque cadere potuiſſe.

Eam tamẽ quoad executionem & aliquas circumſtantias de congruo promerentur.

CONCLVSIO 3. *Etſi Patres veteris Teſtamenti non meruerint incarnationem, neque mereri potuerint de condigno, concedendum tamen eſt, iſtos meruiſſe executionem eiuſdem, & aliquas alias eius circumſtantias, non tamen omnes, non quidem de condigno, ſed de congruo.* Pars poſterior huius concluſionis probatur: quia videtur eſſe ſancti Thom. hoc loco.

S. Thom.

Deinde, certum eſt ex ſacris litteris Patres veteris Teſtamenti expoſtulaſſe incarnationem Chriſti à Deo, & multa bona opera in hunc finem ordinaſſe. Geneſis 22. dicitur à Deo Abrahæ; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, quia obediſti voci meæ.* Vbi propter obedientiam promittitur Abrahæ Chriſtus, & Lucæ 2. dicitur de ſancto Simeone, quòd non ſit moriturus, antequàm contingat eum videre Chriſtum: & Pſal. 78. *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine*: & Iſaiæ 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum:* & alibi ſæpe: quibus in locis efflagitatur incar-

Geneſ. 22. *Propter obedientiam promittitur Abrahæ Chriſtus.* Luc 2. Pſal. 78. Iſai. 45.

Digitized by Google

natio Chriſti à Patribus veteris teſtamenti. Hæc videtur eſſe mens Patrum, Fulgentij lib. de incarnatione cap. 7. Hieronymi dialogo 1. contra Pelagianos, & D. P. Auguſtini de prædeſtinatione cap. 15. ait enim illic; Incarnationem tam gratuitò & liberaliter fuiſſe factam à Deo, quàm gratia prima detur vnicuique noſtrûm gratis, & liberè à Deo.

Fulgentius. Hieron. Auguſtin.

Accedit ratio, meritum de congruo eſt idem cum impetratorio; at certum eſt Patres veteris teſtamenti poſtulaſſe à Deo incarnationem, & Deum remuneraſſe iſtos Patres, propter opera eorundem; neque enim veriſimile eſt Deum neglexiſſe ſuffragia iſta ſanctorum, & prætermiſiſſe ſine vlla remuneratione, cùm eſſent omnes iſti amici Dei.

Meritũ de congruo idẽ eſt cum impetratorio.

Prima verò pars concluſionis, ex eo innoteſcit quod idem videatur dicendum de circumſtantijs omnibus incarnationis, quod de incarnatione ipſa: nam ſicut Deus ex omni æternitate, & ante præuiſionem alicuius meriti, voluit incarnationem Chriſti; ità quoque certam aliquam circumſtantiam incarnationis definiuit dependenter à ſua voluntate, vt colligitur ex cap. 4. ad Galatas, de inſtanti incarnationis primo: *At vbi venit plenitudo temporis miſit Deus*: atqui diximus incarnationem iſtam non cadere ſub meritum de condigno: ergo neque iſta circumſtantia.

Ante cuiuſlibet meriti præuiſionem fuit à Deo volita incarnatio Chriſti.

Dices, poſitis meritis ſanctorum Patrum infallibiliter ſubſequutam fuiſſe incarnationem Verbi: ergo promeruerunt incarnationem iſtam de condigno. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſequentiam: infallibilitas quippe incarnationis non eſt repetenda à meritis ſanctorum, ſed à decreto diuinæ voluntatis, & à promiſſione eiuſdem de incarnatione futura in tali inſtanti temporis: à meritis verò ſanctorum infallibilitas pendet tantùm per accidens, ſeu velut à motiuo aliquo externo.

DVBITATIO VLTIMA.

An Diua Virgo meruerit dignitatem matris Chriſti.

Diua Virgo maternitatẽ Chriſti promeruit.

CONVENIT inter omnes de hac re diuam Virginem meruiſſe maternitatem Chriſti; ità docet S. Thom. hoc loco in reſponſione ad 3. & interpretes communiter. Deinde hoc ipſum colligitur ex innumeris ſanctorum Patrum locis in quibus affirmant diuam Virginem, fuiſſe dignam matrem, imò digniſſimam.

S. Thom.

Tota difficultas eſt in eo poſita, an diua Virgo meruerit de condigno dignitatem matris Chriſti, de qua re ſic.

Diua Virgo digna mater Chriſti, maternitatis diſpoſitionem de condigno promerens.

CONCLVSIO 1. *Diua Virgo fuit digna mater Chriſti, ac proinde meruit de condigno diſpoſitionem maternitatis Chriſti, ſeu, quod idem eſt, diua Virgo meruit de condigno eã diſpoſitionem propter quam nuncupatur digna mater Chriſti.* Primùm, quia ità videntur ſentire Patres, maximè vero Ambroſius lib. 2. de Virginibus; *Quid in ſingulis*, inquit, *memor, qua digna fuit ex qua filius Dei naſceretur?* Baſilius homilia de Chriſti generatione. *Digna*, inquit, *vnigeniti diuinitati coniungi fuit*: & Epiph. hæreſi. 78. *Quomodo audent impetere, impollutam Virginem, qua digna facta eſt habitaculum filij Dei, & electa ex multis millibus, quò vas & habitaculum dignum eſſet?* Origenes homilia 1. ex decem varijs. *Huius vnigeniti dicetur hac mater Virgo Maria, digna digni &c.* Damaſcenus lib. 4. de fide. Bernardus ſerm. 1. de aſſumptione diuæ Virginis.

Ambroſ. Baſilius. Epiph. Origenes. Damaſc. Bernard.

Deinde, diua Virgo à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit plena gratia, & exercuit innumeras propemodum actiones honeſtas cum gratia & charitate, quibus ſe diſponeret ad hoc, vt poſſet eſſe digna mater Chriſti, vt videtur colligi ex cap. 1. Lucæ. *Quia*, inquit, *reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ*: ergo per iſta opera meruit de condigno diſpoſitionem neceſſariam ad hoc, vt eſſet mater Chriſti digna, ita docent Sententiarij, & interpretes D. Thom. hoc loco; imò ſunt qui dicant concluſionem iſtam à nullo poſſe negari ſine nimia temeritate, ità Suares diſputatio 10. ſect. 7.

Luc 1.

Maternitatem Chriſti meruit diua Virgo ſed tantum de congruo.

CONCLVSIO 2. *Maternitatem Chriſti non meruit diua Virgo de condigno: ſed tantum de congruo.* Prima pars concluſionis probatur. Eſſe matrem Chriſti, Deum concipi, & Deum incarnari ſunt vnum & idem realiter, vt fatentur communiter omnes, & manifeſtè ex eo colligitur, quod hæc tria ab inuicem ſeparata exiſtere nequeant, ſed ſe mutuò conſequuntur neceſſario, ſpectata ſecundum ſuam vnitatem indiuiduam & ſingularem: atqui diua Virgo non meruit de condigno incarnationem iſtam indiuiduam & ſingularem, vt ſupra docuimus: ergo neque maternitatem.

Reſpondent quidam.

Reſpondent qui contrariam ſequuntur opinionem, tria proximè commemorata non diſtingui inter ſe realiter, bene tamen formaliter; ac proinde poſſe nos rectè concedere diuam Virginem non meruiſſe hanc incarnationem bene tamen maternitatem Chriſti; diſtinctio quippe formalis ſatis eſt ad hoc, vt negetur vnum de aliquo & affirmetur de alio, vt conſtat ex iuſtitia & miſericordia diuina: de hac namque dicimus, quòd Deus peccata non puniat per miſericordiam, ſed tantùm quòd miſereatur; de illa vero quod puniat media iuſtitia, non autem quòd miſereatur per eandem.

Refutatur illorum reſponſio.

Ceterùm reſponſio hæc nulla ratione ſatisfacit argumento poſito, nam licèt tria hæc, eſſe matrem Chriſti, Deum concipi, & Deum incarnari, diſtinguantur inter ſe formaliter; non tamen dici poteſt de maternitate quod diua Virgo eam meruerit de condigno, niſi quoque fateamur de eadem quod meruerit de condigno hanc incarnationem, nam hæc maternitas, & hęc incarnatio ſunt vna entitas realis indiuidua, ac proinde ſi meruit D. Virgo hanc maternitatem condignè, debuit etiam mereri hanc incarnationem, cuius tamen oppoſitum fatentur authores contrariæ ſententiæ, idque quòd ratio meriti nequeat cadere ſub radicem meriti.

Apud D. Thom.

2. probatur Concluſio. Ad meritũ de condigno nedum deſideratur ſtatus vię, libertas, gratia gratum faciens: ſed etiam diuina promiſſio de remunerandis bonis operibus hoc vel illo præmio, vt ſuppono tanquam certiſſimum ex doctrina de merito apud D. Th. 1. 2. q. vltima: at non poteſt aſſignari locus vllus ſcripturæ ſacrę in quo Deus promiſerit ſe remuneraturum actiones Virginis, dignitate matris Chriſti.

Quorundã reſponſio.

Reſpondent promiſſionem iſtã colligi ex cap. 1. Luc. citato proximè; dicitur quippe illic Deũ reſpexiſſe ad humilitaté D. Virginis & præterea nuncupatur ibid. D. Virgo plena gratia, vnde plenitudo iſtius gratiæ videtur ordinata ad hoc vt Virgo mereretur de condigno maternitatem Chriſti.

Digitized by Google

Sed hæc reſponſio nequaquam ſoluit argumentum. 1. quia vni & eidem operi meritorio de condigno nequit reſpondere duplex totale, & perfectiſſimè adæquatum præmium, monui quippe dubit. 1. huius articuli inter præmium, & meritum de condigno dari perfectiſſimam æqualitatem: ità vt vnum non ſuperet aliud: atqui cuilibet actioni meritoriæ Virginis, reſpondet beatitudo æterna, veluti præmium perfectiſſimè æquale, vt docet D. Thom. in corpore huius articuli. Loquitur tamen non in particulari de Virgine, ſed de quolibet beato & de meritis eiuſdem.

Deinde tam bene legitur Apoſtolos fuiſſe plenos gratia & Spiritu ſancto, ac dicatur de Virgine, vt conſtat ex 6. Actuũ Apoſtolorum & ex cap. Actor. 6. 3. poſter. ad Corinth. 2. Cor. 3. ait enim Apoſtolus de iſtis Apoſtolis, *idoneos nos fecit miniſtros*; atqui nullus eſt qui propterea dicat Apoſtolos meruiſſe dignitatem Apoſtolatus de condigno: ergo, neque B. Virgo maternitatem.

3. probatur concluſio. Ex tanta multitudine S S. veteris Teſt. à quibus Chriſtus traxit originem ſecundũ carnẽ, nullus plane extitit qui de ſe cenſũ iſtũ de cõdigno meruerit; vt probauimus dubit. proxime antecedente: ergo neque etiam potuit Diua Virgo diuina virtute de condigno mereri maternitatem Chriſti; cum maternitas iſta individua, & ſingularis, à parte rei, nihil ſit aliud, quàm hæc incarnatio.

Ambroſ. Baſilius. Hieron. Auguſt. Chryſol. Gregorius Magn. Bernard.

Secunda verò pars concluſionis probatur ex Patribus, maximè verò Ambroſ. epiſt. 28. Baſilio de humana Chriſti generat. Hieronymo in epiſt. ad Euſtochium. Auguſtino de natura & gratia cap. 36. & lib. de ſancta virginitate cap. 4. & ſermone 14. de tempore. Chryſologo, ſermone 143. Gregorio Magno lib. 1. Regiſtri cap. 1. Bernardo, ſermone de natiuitate Diuæ Virginis; & denique ex Venantio Fortunato in libro de gaudijs æternis.

Virginitas felix quæ partu eſt digna Tonantis.
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.

In officio B. Virginis.

Idem probatur ex iſtis rationibus loquendi, quas Eccleſia retinet inter perficiendas orationes ſolemnes. *Regina cœli lætare, quia quem meruiſti portare*, & rurſus, *dignum filij tui habitaculum præparaſti*, & iterum, *quæ ſola digna fuit portare Regem cœlorum, & Dominum.* Denique omne meritum vel eſt de congruo, vel de condigno: atqui Diua Virgo, non meruit de condigno maternitatem Chriſti vt probatum eſt; ergo meruit iſtam maternitatem de congruo: omnes enim fatentur meruiſſe maternitatem iſtam aliqua ratione.

Obijcitur. Obijcies, meruiſſe Diuam Virginem de condigno diſpoſitionem neceſſariam ad maternitatem dignam: ergo. *Reſpondetur.* Reſp. conceſſo antecedente, nego conſequentiam; diximus enim maternitatem hanc in individuo ſpectatam, eſſe idem planè realiter cum hac incarnatione; incarnationem autem iſtam individuam, & ſingularem non poſſe cadere ſub meritum de condigno, nedum reſpectu noſtri, ſed neque etiam reſpectu ipſiuſmet Chriſti, ac proinde idem erit dicendum de hac maternitate.

Obiectio. Obiciunt 1. authores contrariæ ſententiæ, Virginem nuncupari à Patribus dignam, imo dignißimam matrem Chriſti. Reſp. aliud eſſe Diuam Virginem eſſe dignam matrem Chriſti, & aliud D. Virginem meruiſſe de condigno maternitatem Chriſti: ad primum quippe ſatis eſt, quod in Diua Virgine omnis perfectio neceſſaria ad dignitatem matris præcellerit in ea actualem Verbi incarnationem: ſicut ad hoc vt quis dicatur dignus

miniſterio Apoſtolatus, ſatis eſt quod in ſe habeat omnes perfectiones requiſitas, vt quis fungatur debite officio Apoſtolatus.

Ad 2. vero: præter ſtatum viæ, libertatem, gratiam gratum facientem, deſideratur vlterius promiſſio diuina de remunerando bono opere meritorio de condigno, mercede hac priuata & particulari; vt fatetur communis opinio in tractatu de merito: certum autem eſt Deum nuſquam promiſiſſe ſe remuneraturum actiones meritorias, D. Virginis præmio maternitatis Chriſti, ſed tantum gloria æterna.

Obiectio 2. Obijciunt 2. qui meretur maius de condigno, meretur etiam minus: atqui Diua Virgo meruit vitam æternam de condigno: ergo & maternitatem: minùs quippe eſt mereri maternitatem Chriſti, quàm donari beatitudine æterna. Reſp. propoſitionem maiorem eſſe veram, ſi merita iſta ſint inter ſe ſubordinata, & quidem cum tanta coordinatione, vt impoſſibile ſit mereri vnum, quin etiam mereamur aliud; maternitas autem Chriſti, & præmium vitæ æternæ, nullam dicunt inter ſe connexionem nec ex ſe, nec ex ſua natura, neque item ex ordinatione diuina: igitur. *Solutio.*

D. Thom. Articulo vltimo docet D. Thom. gratiam vnionis hypoſtaticæ non fuiſſe naturalem homini huic, ſcilicet Chriſto, quę res à nobis fuit explicata art. 7. & 8. huius quæſtionis.

QVESTIO TERTIA.

De modo vnionis ex parte perſonæ aſſumentis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An perſona diuina conueniat aſſumere naturam creatam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An diuina natura conueniat aſſumere.

DVBITATIO PRIMA.

An ſubſiſtentia creata poſſit terminare dependentiam alicuius alterius naturæ ſubſtantialis, ac proinde diuerſa à propria.

Subſiſtentia creata non poteſt terminare naturaliter vllã aliam ſubſtantiam à propria.

Dico primùm, *ſubſiſtentiam creatam non poſſe terminare naturaliter vllam aliam ſubſtantiam à propria*; Primùm, quia ſubſtantia creata eſt modus naturæ ſeu ſubſiſtentię quam terminat; ac proinde non poteſt ab ea ſeparari.

Deinde, omnem effectum quem producere poteſt ſubſiſtentia creata, exequitur in propria natura ſubſtantiali; tantum ſiquidem hæc agit, quantum poteſt.

Denique, hæc eſt expreſſa ſententia ſancti Th. art. 1. huius quæſt. ad 2. ait enim terminare dependentiam alicuius naturę ſubſtantialis diuerſæ à propria, competere ſolis perſonis diuinis, propter infinitatem quę datur in illis.

Google

Per omnipotentiam Dei fieri nõ poteſt, vt ſubſiſtentia creata terminet dependentiam alicuius naturæ ſubſtantialis varie à propria.

Dico 2. *per omnipotentiam Dei fieri non poſſe vt ſubſiſtentia creata terminet dependentiam alicuius naturæ ſubſtantialis, varie à propria.* Primùm, quia hęc videtur eſſe mens S. Th. loco proximè citato, Durandi in 3. diſt. 1. quęſt. 5. Paludani ibidem, quęſt. 1. art. 2. & Recentiorum.

S. Thom. Durand. Paludan.

Deinde, quia ſi ſubſiſtentia creata poſſet terminare dependentiam alicuius alterius naturę ſubſtantialis per omnipotentiam Dei, admittendus eſſet progreſſus in infinitum, à quo tamen natura abhorret: nam eadem facilitate qua poſſet ſubſiſtentia iſta terminare aliquam aliam naturam ſubſtantialem diuerſam à propria, poſſet etiam terminare plures & plures in infinitum.

1. Ratio diſti aliquorum.

Ceterum, ratio iſta concluſionem nullam ratione conuincit, non enim propterea ſequeretur ſubſiſtentiam iſtam creatam poſſe terminare infinitas ſubſtantias creatas: conuenit enim inter omnes, ſacerdotē poſſe conſecrare omnes omnino hoſtias, in quibuſuis partibus ſpatij collocatas, modo tamē fuerit præſens ſacerdos hoſtijs iſtis, neque tamen propterea licet colligere Sacerdotem poſſe collocare corpus Chriſti vbique, aut etiam ſpecies conſecratas: deſideratur enim ad hoc vt aliquid ſit vbique, vt ſit immenſum; immenſitas autem eſt ità propria eſſentię diuinę, vt nulli alteri competere queat: ergo ex eo quod poſſit terminare vnius, aut alterius naturę ſubſtantialis dependentiam, non licet colligere ſubſiſtentiam iſtam poſſe terminare dependentiam naturarum ſubſtantialium infinitarum.

Superior ratio concluſionem nulla ratione cõuincit. Sacerdos nõ poteſt collocare corpus Chriſti vbique.

2. Thomiſtarũ ratio.

Thomiſtæ verò ità probant concluſionem noſtram: Terminare dependentiam alicuius alterius naturæ ſubſtantialis, ſolis ſubſiſtentijs increatis competit propter earum infinitatem, vt docet S. Thomas in reſponſione ad 2. huius quæſt. art. 1. nulla autem ſubſiſtentia creata eſt infinita; imò neque eſſe poteſt diuina virtute: ergo.

S. Thom.

Concluſionē nõ ſatis demonſtrat.

Verùm, ratio hæc non demonſtrat concluſionem noſtram: nam non eſt ſatis compertum, an ſubſiſtentia creata poſſit eſſe infinita. Deinde capacitas infinita non videtur ſimpliciter neceſſaria in ſubſiſtentia aliqua, vt terminet dependentiam alicuius alterius naturæ ſubſtantialis; ſatis quippe eſſe poteſt ad hunc effectum producendum, vt detur tanta actiuitas, & perfectio in ſubſiſtentia creata, quanta eſt quæ datur in natura creata ſubſtantiali, vt dicatur perfectiſſimè vnum ens per ſe, ſeu quod idem eſt, per ſe ſubſiſtere; capacitas autem iſta naturę ſubſtantialis, ad hoc vt compleatur in ratione per ſe ſubſiſtendi, eſt verè finita, cùm perficiatur in vnoquoq; noſtrùm per ſubſiſtentiam propriam quæ verè finita eſt.

3. Ratio Suarii.

Suarez diſp. 13. ſect. 4. ideo vult ſubſiſtentiam creatam non poſſe terminare naturam alienam, etiam per omnipotentiam Dei, quia ſubſiſtentia creata eſt modus ſubſtantiæ, ac proinde idem realiter cum ſubſtantia creata; ſi autem ſubſiſtentia iſta communicaretur alicui alteri naturæ ſubſtantiali, & ſepararetur à natura propria ſubſtantiali, & conſequenter diſtingueretur ab eadem realiter, ſequeretur idem à ſe ipſo diſtingui realiter, implicat autem vnum & idem eſſe realiter idem cum propria ſubſtantia, & non eſſe idem cum eadem.

Eneruatur præcedens ratio.

Ceterùm neque hæc ratio planè ſatisfacit; nam poſſet quis reſpondere ſubſiſtentiam creatam non propterea ſeparari à propria ſubſtantia; etiamſi terminaret dependentiam alterius naturæ ſubſtantialis; afficeret enim intrinſecè propriam naturam ſubſtantialem, & extrinſece alienam; nempe illo eodem modo quo ſubſiſtentia Verbi diuini afficit intrinſece deitatem, & extrinſece humanam naturam; vnde non recte colligit Suarez, ſubſiſtentiam iſtam creatam in hac hypotheſi eſſe idem realiter cum natura, & diſtingui ab eadem realiter.

Inſtat Suarez.

Sed inſtat Suarez, implicare idem ſubſiſtere per ſe, & per alium, ſeu in alio: at ſi dicatur ſubſiſtentiam creatam terminare dependentiam naturæ propriæ; & item alicuius alterius ſubſtantię, concedendum erit de vna & eadem numero natura ſubſtantiali, quod ſubſiſtat & per ſe, & per alium, ſeu in alio; per ſe quidem in propria ſubſiſtentia, & per alium in aliena.

Occurritur inſtantiæ.

Sed contrà, nam contradictoria ſunt ad idē, ſecūdū idē & eodē modo; natura autem ſubſtantialis dicitur ſubſiſtere per ſe, reſpectu proprię ſubſiſtētię; in alio vero, vel per aliud ratione ſubſiſtentiæ alienæ, & conſequenter reſpectu diuerſorum; non ergo hæc ſunt contradictoria ſubſiſtere per ſe, & per aliud, ſeu in alio.

4. Aliorum ratio concluſionis.

Alij vero volunt, propterea ſubſiſtentiam creatam non poſſe terminare dependentiam alterius naturę ſubſtantialis; quia ſi res aliter habere, virtus iſta, vel eſſet ei connaturalis, vel certe aduentitia extrinſece: at primum dici non poteſt, quia concedendum eſſet, ſubſiſtentiam creatam poſſe naturaliter terminare dependentiam alterius naturæ ſubſtantialis, cuius oppoſitum docuimus concluſione 1. huius articuli: neque item 2. nam virtus iſta extrinſeca, quæ, ex hypotheſi, aduenit ſubſiſtentię creatę, vel eſt ſola Dei motio & aſſiſtentia, vel ſubſiſtentia aliqua ſuperaddita ſubſiſtentiæ iſti, vel denique aliquod accidens: ex nullo autem horum capitum colligere licet, ſubſiſtentiam creatam poſſe terminare dependentiam alterius naturę creatę; nam motio diuina, & aſſiſtentia impertinens eſt ad conferendam vim, hoc enim competit ſoli ſubſiſtentię, vt ſic. Deinde falſum eſt ſubſiſtentiam poſſe addi ſubſiſtentię, eſt enim de ratione ſubſiſtentię, quod ſit incommunicabilis alteri ſubſiſtentię.

Subſiſtere ſoli competit ſubſtantiæ.

Denique, accidens omne infirmum eſt ad conferendam vim ſubſiſtendi; ſubſiſtere quippe competit ſolis ſubſtantijs, ac proinde per modum aliquem conuenientem ex ſe, & ſua natura ſubſtantijs creatis; quod dico, quia ſubſiſtentię increatę non ſunt modi ſubſtantiales, reſpectu diuinę naturę, quam complent & terminant in ratione ſubſtantię ſingularis: vnde propter hanc rationem, ſubſiſtentiam creatam terminare alienam naturam implicabit.

Neque prædicta ratio concluſionē demonſtrat.

At neque iſta ratio concluſionem demonſtrat: diximus enim 1. p. q. 12. D. Thomæ, dari in nobis inchoatam vim, & potentiam ad eliciendos actus amoris & viſionis diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt; & tamen actus iſti nuſquam poſſunt habere locum in nobis, niſi dependenter ab auxilio aliquo ordinis ſupernaturalis nobis dato gratuitò & liberaliter à Deo: ergo &c. Deinde nihil eſt magis connaturale accidentibus quibuſuis, quàm tribuere ſuum effectum formalem ſubiecto, cui inſunt: at certum eſt accidens non poſſe effectum hunc producere in diuerſis ſubiectis, niſi poſita actione aliqua per omnipotentiam Dei, per quam accidentia iſta ponantur in pluribus ſubiectis: ergo etiam illa poſita effectum ſuum formalem ſubiecti his tribuerent, media tamen ſubſiſtentia creata.

Digitized by Google

Prædicta concluſio defenditur, quia docetur a SS. Patribus & D. Thoma.

Dico ergo, propterea nos concluſionem iſtam defendere, quod ſit D. Thom. art. 1. huius quæſt. & interpretum eiuſdem. Deinde, quod hæc eadem aſſeratur à Patribus: iſti namque inter diſputandum antiquitus contra Neſtorium, & alios admittentes plures perſonas in Chriſto, ità fuerunt argumentati; Humana Chriſti natura ſubſiſtit ſubſiſtentia diuini Verbi: ergo abeſt creata, ergo putarunt Patres iſti ſubſtantiam creatam, eſſe incompoſſibilem cum ſubſiſtentia increata, ac proinde & ſubſiſtentiam creatam inſufficientem eſſe ad alienam naturam ſubſtantialem terminandam: ità arguebant Cyrillus in epiſt. ad Eulogium preſbyterum & in libris contra Neſtorium Romę de nouo impreſſis Græce & Latine. Cyrillus Hieroſolymitanus catechęſi 4. & 11. & Auguſt. tractatu 27. in Ioannem cap. 17. & lib. 15. de Trinitate cap. 13. Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibium, quæſt. 9.

Cyrillus. Auguſtin. Hieron.

Obiicium Okam. Gabriel. Scotus. Maior. Peſantius.

Obijciunt, qui contrariam ſequuntur opinionem, quales ſunt Okam in 3. quæſt. 1. dubio vltimo, Gabriel ibidem. Scotus q. 4. diſtinctione 1. Maior quæſt. 5. & Peſantius diſp. vnica ad 1. articulum huius quæſt. D. Thomę, Abraham, Iſaac, Iacob, extitiſſe tres Angelos incarnatos, vt docet Origenes in Ioannem: ſimile quid tradunt aliqui alij de Malachia, Aggæo, & Ioanne Baptiſta, apud Hieronymum in proœmio Malachiæ, & ad caput 1. Aggæi, & item apud Sixtum Senenſem in ſua Bibliotheca ſancta l. 5. annot. 262. Tertull. item in libro de carne Chriſti, docet dæmones antiquitus appetiiſſe in corporibus aſſumptis, & vnitis hypoſtaticè ſibi: Antichriſtus item futurus eſt dæmon incarnatus, vt referunt aliqui apud Ambroſium ad cap. 2. poſterioris ad Theſſalonicenſes, & docet verbis expreſſis Hippolytus Martyr in oratione de Antichriſto. Reſp. non eſſe Patres iſtos audiendos hac in re. Primùm quia temporibus iſtorum Patrum, quæſtio illa non fuerat pertractata, & examinata. Deinde non eſt mirum Origenem, & Tertullianum hac in re fuiſſe lapſos; de illo quippe dicitur, vbi bene, nemo melius; vbi male, nemo peius: de hoc verò poſteriori notiſſimum eſt declinaſſe ad partes hæreticorum, & in hæreſi vitam cum morte commutaſſe. Ad Hippolytum autem reſp. eum tantum voluiſſe Antichriſtum futurum dæmonem incarnatum, non quidem vere & proprie loquendo, ſed ratione tantùm extremæ malitiæ; quæ dabitur in illo: hæc enim ſuperabit quodam modo malitiam & peruerſitatem multorum dæmonum.

Obijciunt Tertull.

Abraham, Iſaac, & Iacob, tres fuiſſe Angelos incarnatos docuit Origenes.

Prædicti Patres hac in re minimè audiẽdi.

Antichriſtum futurũ dæmonem incarnatum ex Hippolyto quo pacto ſit intelligendum.

Obiectio.

Obijciunt deinde, poſſe Deum producere ſubſiſtentiam multis partibus perfectiorem, quàm ſit ſubſiſtentia vlla creata: ergo ſubſiſtentia iſta creata ſuperior ad omnes alias ſubſiſtentias, creatas poſſet terminare dependentiam alterius naturæ ſubſtantialis. Reſp. quicquid ſit de antecedente nego conſecutionem; omnes quippe ſubſiſtentiæ creatæ, ſunt inter ſe perfectiſſimè æquales, in ratione ſubſiſtentiæ; ac proinde vna non poteſt ſupplere defectum alterius: ſubſiſtentia autem increata continet virtute, imo formaliter illud omne, quod habet rationem perfectionis in ſubſiſtentia creata; vnde rectè ſubſiſtentia Verbi ſupplet defectum ſubſiſtentiæ humanæ naturæ Chriſti creatæ.

Soluitur.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit illud quod terminat dependentiam humanæ naturæ in Chriſto, proximè & immediatè.

Nominalium opinio.

SVNT qui dicant, eſſe totam perſonam Verbi ſpectatam reduplicatiuè, ac proinde ſecundum illud omne, quod in ſe habet, ità Nominales fere omnes.

Duplex ex quorundam ſententia, in humana Chriſti natura dependentia, vna reſpectu exiſtentiæ, altera ſubſiſtentiæ.

Alij vero diſtinguunt duplicem dependentiam in humana natura Chriſti: alteram reſpectu ſuæ exiſtentiæ, alteram reſpectu ſuæ ſubſiſtentiæ: primam volunt eſſe repetendam proximè, & immediatè ab eſſentia diuina, & conſequenter docent nullam aliam dari exiſtentiam in humana Chriſti natura, præter exiſtentiam diuinæ eſſentiæ; poſtremam verò contendunt à ſola proprietate Verbi eſſe deſumendam; qua in re conueniunt iſti cum opinione communi, aſſerente ſolam filiationem, quæ eſt proprietas conſtitutiua filij, terminare proximè & immediatè humanam naturam Chriſti.

Durandus verò in 3. ſentit id quod habet rationem abſoluti in Verbo diuino terminare immediatè humanam Chriſti naturam, & complere eamdem in ratione indiuiduæ, & ſingularis.

Humana Chriſti natura proximè & immediatè, nõ terminatur aut completur in ratione ſubſtantiæ individuæ & ſingularis per perſonam Verbi ſecũdum ſe totã & reduplicatiue ſpectatam.

CONCLVSIO 1. *Humana Chriſti natura non terminatur proximè & immediatè: vnde neque completur in ratione ſubſtantiæ individuæ & ſingularis, immediatè per perſonam Verbi, ſpectatam ſecundum ſe totam reduplicatiuè.* Primùm, quia certum eſt perſonam iſtam intrinſecè includere diuinam eſſentiam: at eſſentia diuina non terminat proximè, & immediatè per ſeipſam, vt eſſentia diuina eſt, dependentiam humanæ naturæ; alioquin eſſentia iſta eſſet incarnata: quod enim terminat proximè humanam naturam in ratione ſubſtantiæ individuæ & ſingularis, hoc etiam incarnatum eſt proximè, vt communiter fatentur omnes: at certum eſt eſſentiam diuinam non poſſe dici proximè incarnatam; ſed ſolum diuinum Verbum, ex illo Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt.*

Humana Chriſti natura non exiſtit per exiſtentiam diuinæ eſſentiæ, ſed per exiſtentiam creatam ſibi propriam.

CONCLVSIO 2. *Humana Chriſti natura non exigit per exiſtentiam diuinæ eſſentiæ, ſed per exiſtentiam creatam, ſibi propriam & peculiarem.* Primùm, quia exiſtentia in omni plane re creata cenſetur eſſe primus modus cuiuſlibet naturę, quo natura iſta creditur extra ſuas cauſas poſita: atqui exiſtentia diuina nec eſt modus, neque poteſt eſſe vllius plane naturę ſubſtantialis, aut accidentalis; modus namque eſt idem realiter cum re modificata, & recipitur in eadem, quod tamen de exiſtentia diuina nulla ratione dici poteſt, comparata cum naturis creatis. Deinde exiſtentia cuiuſlibet rei eſt idem cum duratione propria, & intrinſeca eiuſdem; ex communi doctrina metaphyſicorum: atqui duratio eſſentię diuinę non eſt eadem cum duratione humanæ naturæ Chriſti; hæc ſiquidem eſt non æterna abſolutè, & ſimpliciter loquendo, ſed finita à parte anteriori, & infinita à parte poſteriori, ſeu, quod idem eſt, æuiterna.

Ioann. 1. *Humana Chriſti natura non exiſtit per exiſtentiam diuinæ eſſentiæ: ſed per creatam ſibi propriã.*

Proprietas relatiua ſeu filiatio ſola, eſt id quod in Verbo diuino proximè & im-

CONCLVSIO 3. *Quod terminat proximè & immediatè dependentiam humanæ naturæ in Verbo diuino, eſt proprietas relatiua Verbi, ſeu quod idem eſt, filiatio ſola.* Primùm, quia res hęc videtur expreſſe definita in Conſilijs Toletano 6. *Solus*, inquit, *filius aſſumpſit humanitatem in eo, quod eſt proprium filij, non quod eſt commune Trinitati*; & Toletano 11.

Digitized by Google

mediate terminat dependentiam naturæ humanæ.

& in 6. Synodo, actione 8. *Pater* (inquiunt) *& Spiritus sanctus nihil in incarnatione habent commune præter benignissimam voluntatem.* Deinde ex Patribus Dionysio cap. 2. de diuinis nominibus, Damasceno 3. de fide cap. 6. Anselmo de incarnatione Verbi cap. 4. & alijs nonnullis.

Concil. Toletanũ. 6. Synod. Dionys. Anselmus. Damasc.

Tertiò, illud terminat dependentiam humanæ naturæ in Christo, proximè & immediatè, per quod diuinum Verbum opponitur Patri, & Spiritui sancto: est enim de fide solum filium, seu Verbum diuinum esse incarnatum, non autem Patrem & Spiritum sanctum: atqui filius opponitur Patri, ratione filiationis tantùm, & Spiritui sancto, ratione eiusdem filiationis, saltem radicaliter; quod dico, quia opponitur formaliter Spiritui sancto, non per filiationem, sed per spirationem actiuam, vt docent communiter omnes in tractatione de Trinitate.

De fide est solum filium seu Verbum diuinũ esse incarnatũ.

Denique, quod per se subsistit in filio solo, hoc etiam terminat proximè dependentiam humanæ naturæ in Christo; supplet enim hoc defectum subsistentiæ creatæ humanæ naturæ: atqui sola proprietas relatiua filij subsistit in eo per se; relationes quippe sunt proprietates constitutiuæ diuinarum personarum ex veriori opinione: ergo faciunt etiam vt personæ istæ sint per se subsistentes.

Obiectio Durandi.

Obijcit Durandus, nullam relationem, vt sic, posse terminare dependentiam humanæ naturæ: ità enim concedendum esset de relatione, quod conferret rationem substantiæ, vel certe modi substantialis naturæ substantiali, quod tamen nulla ratione fieri potest; cùm ratio relationis posita sit in comparatione ad aliud.

Propositio Durandi vera in relationibus categoricis, secus in relationibus increatis.

Resp. propositionem Durandi verissimam esse esse in relationibus categoricis, secus tamen dicendum de relationibus increatis: istæ enim nedũ habent rationes referendi vnum extremum ad aliud; sed præterea intrinsecè & formaliter sunt substantiæ, vt docent omnes in tractatione de Trinitate, habentque proinde omnem perfectionem quæ deprehenditur in subsistentijs quibusuis, sub ea ratione qua sunt subsistentiæ, vnde poterit proprietas relatiua constitutiua filij terminare dependentiam humanæ naturæ Christi proximè, est enim hæc intrinsecè & formaliter vera subsistentia.

Instantia.

Instant, subsistentiam increatam Verbi diuini, non continere virtute, aut formaliter rationem subsistentiæ creatæ; ac proinde non posse supplere defectum subsistentiæ connaturalis humanæ Christi naturæ.

Negatur.

Resp. neg. antecedens, nam subsistentiæ increatæ sunt simpliciter infinitæ in ratione subsistentiæ, & consequenter quælibet ex illis debet etiam, si non formaliter, saltem virtute & eminenter continere omnem omnino perfectionem, quæ datur in subsistentijs creatis; quæ enim sunt dispersa in inferioribus & creatis, sunt quàm maxime vnita in superioribus, & à fortiori in Deo, qui est omnium planè rerum causa; subsistentiæ tamen creatæ sunt ex æquo inter se perfectæ, vnde vna non continet aliam formaliter, seu quælibet ex illis æqualem sortitur effectum in naturis substantialibus, quas complent & terminant in ratione substantiæ individuæ, & singularis.

Altera Durandi & sequacium obiectio.

Damasc.

Obijciunt 2. Durandus, & sequaces huius opinionis, sanctos Patres affirmare essentiam diuinam esse incarnatam: ità author lib. de fide ad Petrum cap. 2. Damascenus 3. de fide cap. 6. Athanasius & Cyrillus contra Nestorium.

Athanas. Cyrillus.

Resp. hęc ideo dici à Patribus istis, quod vnum extremum incarnationis sit essentia diuina, alterum verò humana natura; non autem quod crediderint essentiam diuinam proximè & immediatè per seipsam esse incarnatam: sed tantum remotè & mediatè, ratione scilicet subsistentiæ diuini Verbi; hęc quippe est nexus, qui connectit humanam & diuinam naturam; ità vt Verbum diuinum subsistat per se & in diuina, & humana natura Christi.

Soluitur obiectio & explicatur mens dictorum Patrũ.

Obijciunt tandem, Augustinus lib. 5. de Trinitate, affirmare de subsistentijs increatis, quod nulla ex istis sit relatio, licet nequeant intelligi sine relatione.

Obijcitur ex Augustino.

Resp. ex his non posse quidpiam colligi, nam relationes diuinę spectantur duobus modis. 1. vt dicunt (*in*). Deinde, vt dicunt (*ad*). Priori modo sunt constitutiuę diuinarum personarum, vt communiter docent Thomistæ in tractatione de Trinit: posteriori vero modo nihil aliud sunt, quàm rationes referendi vnũ extremum ad aliud filiatio quippe v. g. est ratio referendi ad Patrem, quemadmodum paternitas, est ratio referendi Patrem ad filium: priori ergo modo ait D. P. Augustin. eo in loco subsistentias increatas non esse relationes, id est, non esse rationes referendi vt sic, sed esse formas aliquas constitutiuas personarum diuinarum.

Satisfit.

Relationes diuinæ duo dicunt (in) & (ad).

Rogabis, *An concedendum sit de personis Patris & Spiritus sancti quod terminent dependentiam humanæ naturæ:* nam conuenit inter omnes Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, identificari perfectissimè cum essentia diuina, & cum eadem absoluere rem simplicissimam: fieri autem nequit vt simplicissimum hoc terminet dependentiam humanę naturę, quinetiã illud omne quod est idem cum hoc simplicissimo, terminet illud idem quod terminat vnum ex isto simplicissimo.

Quæritur.

Resp. nequaquam concedendum esse de personis Patris & Spiritus sancti, quod terminent dependentiam humanę naturę; est enim de fide Catholica solum filium esse incarnatum, ac proinde & solum terminare dependentiam illius.

Respondet. De personis Patris & Spiritus sancti, nullatenus cõcedendum quod humanæ naturæ terminent dependẽtiã.

Deinde, licet Pater, Filius, & Spiritus sanctus identificentur perfectissimè cum essentia diuina, & sint cum ea vna & eadem res simplicissima, excludens omnem omnino compositionem; certum tamen est, personas Patris, Filij, & Spiritus sancti distingui inter se realiter per proprietates personales, inter se oppositas, quę proprietates, sunt subsistentię proprie dictę: vnde poterit vna terminare dependentiam humanę naturę, licet ceterę nullo modo id pręstent 3. Distinctio virtualis satis est, vt aliquid affirmetur de vno & negetur de alio, vt Pater ex iustitia, & misericordia, quę sunt in Deo vna res simplicissima, & tamen quia distinguuntur hęc duo inter se virtute, aut vt alij dicunt, ratione ratiocinata, de iustitia fatemur, quod puniat, negamus autem illud de misericordia: & de misericordia concedimus, quod misereatur, de iustitia vero illud omnino negamus: 4. Quamuis omnis actio ad extrà communis sit omnibus personis sanctissimę Trinitatis, ex eo tamen non licet colligere personas Patris, & Spiritus sancti terminare dependentiam humanę naturę Christi, licèt id pręstet persona filij: monuimus enim aliàs, terminare non esse agere.

Per quid personæ diuinæ inter se realiter distinguũtur. Distinctio virtualis satis est vt aliquid affirmetur de vno, & negetur de alio. Omnis actio ad extra totiti Trinitati communis. Terminare nõ est agere.

Denique, ex eo quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sint cum essentia diuina vna res simpli-

ciſſima, & ex eo, quod filius terminet dependentiam naturæ humanæ, ſolum inferre licet, in humanitate Chriſti reperiri nedum perſonam filij ex vi incarnationis, & per ſe, ſed etiam perſonas Patris & Spiritus ſancti, idque per concomitantiam, vt videtur colligi ex illo Ioannis 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum:* & rurſus, *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum abſtracta perſonalitate per intellectum, natura diuina poſſit aſſumere naturam ſubſtantialem.

SOLENT Theologi hoc loco quærere, *an præciſis, cogitatione noſtra, proprietatibus relatiuis ab eſſentia diuina, poſſit hæc terminare dependentiã humana natura Chriſti, aut alicuius alterius rei ſubſtantialis.* Sũt qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam, idq; quod abſtractis ab eſſentia diuina proprietatibus perſonalibus, per actum intellectus, eſſentia diuina maneat in ſe, & omnipotens, & ſimpliciter infinita; ac proinde contineat omnem omnino perfectionem, tàm ſimpliciter ſimplicem quàm ſecundum quid; vt obſeruat D. Thom. in argumento, ſed contra, huius articuli, reſpectu omnipotentiæ diuinæ: ergo cùm ratio operandi Dei ad extra, ſit eius omnipotentia, vt colligitur ex cap. 1. Lucæ; *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*: eſſentia diuina poterit terminare dependentiam humanæ naturæ per ſeipſam proximè.

Opinio 1.

1. Argum.

D. Thom.

Luce 1.

Deinde, in Deo admittenda eſt ſubſiſtentia abſoluta præter tres relatiuas: D. enim P. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. ait, Deum ſubſiſtere ad ſe, non autem ad aliud: *Nam*, inquit, *omnis ſubſtantia ad ſeipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus*: ceteræ autem ſubſtantiæ creatæ ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam abſolutam. Agatho item Pontifex Maximus in ſua Decretali quę extat in 6. Syodo, actione 4. idem plane dicit: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum, non tres Deos, ſed vnum, non trium nominum ſubſiſtentiam: ſed trium ſubſiſtentiarũ, ſeu perſonarum*, vt habent aliqui codices, *vnam ſubſiſtentiam*; particula autem iſta, (vnam ſubſiſtentiam) nihil aliud ſignificare poteſt, quàm ſubſiſtentiam abſolutam diuinæ eſſentiæ. In hac ſententia ſunt Scotus, in 3. diſt. 1. q. 2. §. ad quæſtionem igitur; Capreolus q. 1. art. 3. ad argumentum Durandi, Thomas Argentinas, ibidem. Albertus 1. p. ſuæ ſummæ, tractatu 10. q. 43. Cabrera ad hunc articulum D. Thom. & Suarez diſp. 13. ſect. 1. concluſ. 2. & communiter Thomiſtæ omnes.

2. Argum.

Agatho Pon. Max. in ſexta Synodo act. 4.

Admittunt ſubſiſtentiã abſolutã in Deo,

Scotus.
Capreol.
Argẽtinas.
Albertus.
Cabrera.
Suarez.

CONCLVSIO 1. *Præciſis proprietatibus relatiuis ab eſſentia diuina, cogitatione noſtra, nequit hæc terminare dependentiam humanæ naturæ.* Primùm, quia terminare dependentiam illius, aut alicuius alterius ſubſtantiæ indiuiduæ competit ſoli ſubſiſtentiæ; quemadmodum enim effectus formalis eſt à ſola cauſa formali, ità terminatio naturę ſubſtantialis in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis completę, eſt à ſola cauſa terminante: ità vt quemadmodum cauſa formalis ſuppleri nequit, ità neque & cauſa terminans: atqui præciſis proprietatibus relatiuis, ab eſſentia diuina, nulla datur in Deo ſubſiſtentia: ergo. Confirmatur minor iſta. Sacra Concilia definiunt in Deo dari tantum tres ſubſiſtentias relatiuas, ità Concilium Chalcedonenſe, actione 5. in 2. fidei confeſſione, Concilium Alexandrinum, & Epheſinum in ſuis anathematiſmis, qui leguntur apud Cyrillum Alexandrinum ep. 10. Concilium Conſtantinopolitanũ. Can. 5. & 8. Synodus 6. actione 4. & actione 11. & actione 18. in confeſſione fidei: atqui relationes iſtæ ſunt præciſæ ex hypotheſi ab eſſentia diuina, cogitatione noſtra: ergo cùm relationes, & ſubſiſtentiæ in diuinis ſint vnum & idem, ſaltem reſpectu earum relationum, quę ſunt proprietates perſonales, eſſentia diuina non poterit terminare dependentiam humanæ naturę.

Cauſa terminãs, ſicut & formalis ſuppleri nequit.

Concil. Chalced. Alexãdri. Epheſinũ. Sexta Synodus generalis.

Deinde, omnis vnio ſubſtantialis fit vel in eſſentia, vel in ſuppoſito, ſeu perſona ex communi doctrina: ſed vnio diuinę naturę cum humana præciſis proprietatibus relatiuis ab eſſentia, nequit fieri, vel cum eſſentia, quia hæc caret ſubſiſtentia, vt ſupponimus; neque cum perſona, ſeu ſuppoſito, quia ſuppoſitum & perſona non poſſunt habere locum in eſſentia diuina, niſi dependenter à proprietatibus relatiuis, quę tamen præſupponuntur abſtractę ab eſſentia diuina: ergo nullo modo poterit.

2.

Tertiò, ſi quid eſſet quod poſſet terminare dependentiam humanę naturæ in eſſentia diuina, præciſis ab ea proprietatibus relatiuis, hoc eſſet concretum iſtud (Deus) certum enim eſt, de eſſentia diuina, abſtractis ab eadem, cogitatione noſtra, proprietatibus relatiuis, quod dicatur verè & propriè Deus: at concretum hoc, eſt inſufficiens ad terminandam naturam ſubſtantialem, præciſis, cogitatione, proprietatibus relatiuis ab eſſentia diuina; nam hoc concretum (Deus) formaliter ſignificat deitatem, quę, quia, vt ſic, ſupponitur ſeparata à ſubſiſtentijs relatiuis, nequit terminare dependentiam humanæ naturę: ſola ſiquidem ſubſiſtentia terminationem iſtam attingere poteſt, materialiter verò, ſeu connotatiuè concretum (Deus) ſignificat perſonam, etiam ex mente Thomiſtarũ: ceterùm, vagã, indefinitam & indeterminatam, non autem certam & definitam; quod autem incertum eſt & indefinitum, nequit certum & definitũ effectum producere: ergo neque iſtam terminationem in particulari attingere poteſt concretum (Deus).

3.

Denique, nomine ſubſiſtentiæ abſolutę, quę admittitur ab authoribus contrariæ ſententię intra diuinam eſſentiam, nihil aliud ſignificatur quàm eſſentia diuina exiſtens; philoſophi namque hactenus docuerunt in omni planè ſubſtantia deprehendi eſſentiam, quę explicatur per definitionem; exiſtentiam, quę eſt ipſamet eſſentia extra ſuas cauſas poſita, & ſubſiſtentiam, quæ in omni ſubſtantia creata, eſt modus ſubſtantialis complens naturam ſubſtantialem in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis: in Deo verò ſubſiſtentia terminat eſſentiam diuinam, & complet eandem in ratione ſubſtantiæ ſingularis, & indiuiduæ: atqui ſupponimus præciſas eſſe ab eſſentia diuina ſubſiſtentias relatiuas, & nullam aliam dari ſubſiſtentiam in Deo: ergo abſque illis ſola eſſentia diuina non poterit alienam naturam terminare.

4. Probatio.

Præciſis proprietatibus relatiuis nequit diuina eſſentia terminare dependentiã naturæ humanæ.

Probatio 1.

CONCLVSIO VLTIMA. *Etiam ſi ſupponamus in Deo dari ſubſiſtentiam abſolutam præter tres relatiuas, non tamen propterea eſſentia diuina, poſſet terminare dependentiam humanæ naturæ, præciſis proprie-*

Etiã admiſſa in Deo abſoluta ſubſiſtentia

Digitized by Google

ſeclúſis proprietatib. relatiuis nondum poſſet diuina eſſentia terminare dependentiã nãturæ humanæ.

tatibus relatiuis. Primùm, quia ſi res aliter haberet, ſubſiſtentia iſta abſoluta conſtitueret rationem perſonæ, cum humana natura cui eſſet vnita; definitur quippe perſona, rationalis naturæ indiuidua eſſentia.

Deinde diximus, ſubſiſtentiam eſſe vltimum complementum naturæ ſubſtantialis; perſona autem addit ſupra ſuppoſitum quod hæc deprehendatur tantum in natura ſpirituali & rationali: atqui natura humana vnita ex hypotheſi eſſentiæ diuinæ, per ſubſiſtentiam abſolutam, non poteſt hæc dici perſona, quia concedendum eſſet in Deo dari quatuor perſonas, tres relatiuas, & vnam abſolutam; nam ſi ſubſiſtentia abſoluta conſtituit perſonam in humana natura, cui vnitur ex hypotheſi, conſtituit etiam intrà Deum: non enim poteſt aſſignari vlla ratio, cur potius conſtituat iſta ſubſiſtentia abſoluta perſonam, quando coniungitur humanæ naturæ, quàm quando coniungitur eſſentiæ diuinæ.

Probatio 1. 2.

Vt. probatio.

Denique, de ratione ſubſiſtentiæ eſt, vt faciat naturam ſubſtantialem incommunicabilem ex communi doctrina metaphyſicorum; at ſubſiſtentia iſta abſoluta, quæ ex hypotheſi admittitur intrà diuinam eſſentiam, nec facit, nec facere poteſt, vt eſſentia diuina ſit incommunicabilis: ergo neque hoc idem præſtare poſſet cum humana natura: igitur non poſſet terminare dependentiam illius. Ita ſentiunt Alenſis 3. p. q. 7. membro 1. & 3. Bonauent. in 3. diſt. 1. art. 1. q. 3. Capreolus ibidem. Vazquez diſp. 27. cap. 2. ad hanc partem D. Thom.

Alenſis. Bonauent. Capreolus Vazquez.

Soluuntur rationes cõtrariæ.

Ad rationes verò contrarias. Ad 1. reſp. præciſis cogitatione noſtra proprietatibus relatiuis ab eſſentia diuina, hanc manere omnipotentem, infinitam, & præterea vendicare ſibi omnem omninò perfectionem eſſentialem: omnipotentia quippe & infinitas computantur inter attributa debita eſſentiæ diuinæ vt ſic; non tamen propterea poteſt hæc eſſentia diuina terminare dependentiam humanæ naturæ, quia terminare dependentiam cuiuſlibet naturæ ſubſtantialis indiuiduæ, & ſingularis competit ſolis ſubſiſtentijs, vt ſic: ſupponimus autem ſubſiſtentias iſtas eſſe præciſas ab eſſentia diuina; ac proinde non poterit hæc terminare naturam ſubſtantialem indiuiduam, & ſingularem per ſe ipſam. Neque refert quod obijciunt authores iſti, ſubſiſtere eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem: nam hoc veriſſimum eſt ſumendo (ſubſiſtere) in vniuerſum, prout abſtrahit hoc à ſubſiſtentia abſoluta, & relatiua: contendimus autem nullam dari ſubſiſtẽtiam in Deo abſolutam; ſed tantùm tres relatiuas; non ergo poterit eſſentia diuina terminare dependentiam humanæ naturæ, præciſis ab ea proprietatibus relatiuis.

Quare affirmet Aug. Deum ſubſiſtere ad ſe, non autem ad aliud.

Ad 2. Reſp. D. P. Auguſt. ideò affirmare Deum ſubſiſtere ad ſe, non autem ad aliud, quia nondum erat compoſita controuerſia de ſignificatione nominis hypoſtaſis: Arriani quippe vt ſuam celarent hæreſin tres fatebantur in Deo dari hypoſtaſes; & tamen nomine hypoſtaſis intelligebant eſſentiam, non autem ſubſiſtentiam: ne ergo D. Auguſt. faueret iſtorum opinioni, docuit Deum ſubſiſtere ad ſeipſum, id eſt, vnam habere tantum eſſentiam abſolutam, non autem ſubſiſtere ad aliud: id eſt, eſſentiam iſtam eſſe verè & propriè abſoluram, tres tamen admiſit D. Auguſt. in eſſentia diuina ſubſiſtentias relatiuas tantum.

Ad locum Agathonis Pontificis Maximi reſp. vitioſam eſſe lectionem, quæ nobis obijcitur: codices namque Conciliorum recenter typis mandati Coloniæ Agrippinæ, cum annotationibus Binnij legunt, *trium ſubſiſtentiarum, vnicam tantum eſſe ſubſtantiam*, non autem, *ſubſiſtentiam*, vt habet lectio quę obijcitur; ſubſtantia autem, & eſſentia pro vno & eodem vſurpantur illic: vox quippe Græca οὐσία. vtrumque ſignificat, quę tamen habetur in huiuſmodi Concilio Græco.

Corrupta lectio Decretalis Agathonis Pontificis, & quomodo legendum ſit.

ARTICVLO 4. Docet S. Thom. vnam perſonam poſſe incarnari ſine alia, de qua re nulla poteſt eſſe difficultas, diximus enim de fide eſſe ſolam perſonam filij eſſe incarnatam.

ARTICVLO 5. Docet quamlibet perſonam diuinam potuiſſe aſſumere ſibi naturam humanam.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum plures perſonæ diuinæ poſſint aſſumere vnam & eandem numero naturam humanam.

Plures perſonæ diuinæ potuerũt aſſumere vnã & eamdem numero naturam humanam. 1. Probatio. 2. Athanaſ.

RESPONDETVR affirmatiuè; natura enim humana Chriſti, eſt tã vere in potentia obediẽtiali, vt aſſumatur à Patre & Spiritu ſancto, ſicut fuit in potentia obedientiali, vt aſſumeretur à Verbo diuino.

Deinde ſubſiſtentię diuinę relatiuæ, ſunt perfectiſſime inter ſe ęquales, ex illo Athanaſij. *In hac Trinitate nihil maius aut minus, ſed tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

Obijcitur ex Anſelm. Reſpondetur & explicatur Anſelmus.

Obijcies, D. Anſelmum lib. 2. cur Deus homo. cap. 9. affirmare plures perſonas diuinas: ideo non potuiſſe aſſumere naturam humanam; quia aſſumptio iſta debuit fieri tantum in vna perſona. Reſp. Anſelmum non de poteſtate Dei abſoluta, ſed de lege ordinaria eſſe loquutum.

Inſtantia. Occurritur inſtantiæ.

Inſtabis, proprium eſſe ſoli Deo ſubſiſtere triplici ſubſiſtentia: ergo. Reſp. ſubſiſtere triplici ſubſiſtentia relatiua intrinſece & connaturaliter ſoli Deo competere, cum iſtis tamen coheret, vt extrinſece & per omnipotentiam Dei res aliqua creata ſubſiſtere poſſit triplici ſubſiſtentia.

Obiectio.

Obijcies, ſaltem concedendum eſſe vnum, & eumdem numero effectum pendere à pluribus cauſis totalibus, & adęquatis: nam poſita vnica ſubſiſtentia increata in humana natura, hęc completur perfectiſſime in ratione ſubſtantię indiuiduę & ſingularis: nos autem ſupponimus aduenire duas alias ſubſiſtentias increatas, quę complebunt ſimiliter ſubſtantiam ſingularem, in ratione ſubſtantię ſingularis. Reſp. negando illationem maioris: tres quippe in data hypotheſi admittendę eſſent terminationes, numero diſtinctę in humana iſta natura, quarum altera ad Patrem, altera ad Filium, alia denique ad Spiritum ſanctum referretur, & quęlibet ex iſtis perſonis ſuam terminationem abſolueret.

Reſponſio.

Vnus & idẽ numero effectus, poteſt pendere à pluribus cauſis totalibus & adæquatis in genere cauſæ efficientis inſtrumentariæ.

Aduerte tamen, non eſſe abſurdũ fateri vnum, & eumdem numero effectum pendere à pluribus cauſis totalibus, & adęquatis, in genere cauſæ efficientis inſtrumentarię, & minùs principalis, vt colligitur manifeſtè ex pluribus Sacerdotibus, ſimul & ſemel verba ſacramentalia proferentibus, per quę conficitur Euchariſtia: fatentur enim omnes quod ſi Sacerdotes iſti ſimul & ſemel verba con-

Digitized by Google

ba conſecrationis proferant, & abſoluant, conuertere ſubſtantiam panis in verum corpus Chriſti, & tamen quilibet ex illis ſeorſim ſumptus, cenſetur eſſe cauſa totalis & adæquata productionis corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis.

Inſtantia. Vrgent, ſequi ſaltem ex noſtra opinione Patrem futurum Filium, & item Spiritum ſanctum, vt conſtat ex hoc ſyllogiſmo; hæc natura humana eſt Filius, & Spiritus ſanctus, ſtante hac hypotheſi quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, humanam hanc naturam aſſumpſerint; ergo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt idem, ex regula ſyllogiſmi expoſitorij.

Reſpõdetur. Reſp. negando illationẽ maioris neq; enim ſyllogiſmus propoſitus, eſt expoſitorius: hic enim debet neceſſario conſurgere inter terminos, & res perfectiſſimè æquales & conuertibiles, vt communiter docẽt Theologi in tract. de Trin. Ita enim reſpondent argumento huic; eſſentia diuina eſt Pater, eſſentia diuina eſt Filius; ergo, Filius eſt Pater, negant iſtam conſequutionem; idque quod eſſentia diuina pateat latius, quàm Pater: nam hæc eſt Spiritus ſanctus, & tamen Pater non eſt Spiritus ſanctus; licet Pater ſit idem realiter cum eſſentia diuina: Ità etiam ſyllogiſmus, qui nobis obijcitur ab authoribus contrariæ ſententiæ, non eſt expoſitorius; ſed cõficitur ex propoſitionib⁹ merè particularibus, ex quibus in nulla planè figurâ aliquid certò colligitur; niſi forte adſit quod antea monuimus, nempe perfectiſſima æqualitas & conuertibilitas inter terminos iſtos particulares. Adde fraudem iſtius ſyllogiſmi facile deprehendi ex propoſitione maiore: ſi enim proponatur vniuerſaliter, manifeſtè erit falſa, putà, ſi quis ità proponeret: Quidquid eſt ex eſſentia humana eſt Pater; ità enim falſa eſſet: ſenſus enim illius eſſet, eſſentiam humanam ſubſiſtere tantum ſubſiſtentia Patris; cum tamen ſubſiſteret de facto ſubſiſtentijs Filij, & Spiritus ſancti.

Syllogiſmus expoſitorius

Obijcitur ex Patribus. Obijcies denique, Patres inter diſputandum contra Neſtorium, & Eutychetem ità concluſiſſe: adeſt perſona increata in humana Chriſti natura: ergo abeſt creata: ergo ex eo quod adſit, licebit colligere abeſſe ceteras alias increatas.

Soluitur obiectio. Reſpondeo, nego illationem iſtam poſteriorem: Patres enim tantùm reijciunt perſonam creatã à natura humana Chriſti, poſita ſubſiſtentia increata Verbi, non autem vllam aliam increatam.

Quæritur. Rogabis, an ſtante hypotheſi quod plures perſonæ terminent dependentiam alicuius naturæ humanæ, dicendæ eſſent perſonæ iſtæ vnus homo, an verò plures.

Reſpõdetur. Si plures perſonæ terminarẽs dependentiam alicuius naturæ humanæ dicendæ eſſent vnus homo & non plures. Reſp. nuncupandas eſſe vnum hominem tantùm, quia licet eſſentia diuina ponatur in tribus ſubſiſtentijs relatiuis, non tamen propterea licet colligere tres eſſe Deos: ſed vnum tantum.

Deinde, vna numero vis ſpiratiua admittitur in Patre, & Filio, ab omnibus Theologis in tractatione de Trinit. neque tamen propterea licet affirmare duos extare ſpiratores, ſed vnum tantum poſſe dici ſpiratorem.

Ad multiplicationem nominis ſubſtantiui quid deſideretur. Cabrera. Medina. 3. Ad multiplicationem nominis ſubſtantiui, non eſt ſatis multiplicatio ſuppoſitorum, ſed deſideratur vlteriùs mutliplicatio formarum, vt docent communiter Theologi ad 1. partem D. Th. q. 39. alij 34. at in data hypotheſi non multiplicatur forma ſignificata per concretum hoc, homo, ſed tantũ ſuppoſitata: ergo. Ita docent recent. plerique hoc loco, maximè verò Cabrera, & Medina.

ARTICVLO 7. docet S. Th. vnam, & eandem

A numero perſonam diuinam poſſe terminare dependentiam duarum perſonarum eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei; ac proinde duos homines ſimul, & item hominem, & Angelum. Primum, quia nulla poteſt adduci hac in re contradictio. Deinde, quia Verbum aſſumpſit humanam naturam, & tamen de fide eſt, hoc idem eſſe vnam ex perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis.

Vna perſona diuina poteſt diuerſarum perſonarum ſupplere defectum.

Tantùm dubitant, an in hac hypotheſi concedendum ſit, quod perſona iſta dicenda ſit, vel vnus, vel plures homines, aut Angeli. Verior tamen opinio videtur, quæ aſſerit perſonam iſtam dicendam eſſe vnam, abſolutè, & ſimpliciter loquendo: nam attributio iſta magis conuenit cum vnitate perſonæ, quæ terminat diuerſas iſtas ſubſtantias. Deinde, in Chriſto dantur duæ naturæ, humana & diuina; non tamen propterea dicimus de Chriſto, quod ſit plures, ſed vnus tantum ex Symbolo Athanaſij: *Sicut anima rationalis, & caro, vnus eſt homo; ità Deus & homo vnus eſt Chriſtus.*

B

Perſona diuina terminans dependentiam diuerſarũ perſonarum, eſt vna non plures. Athanaſ.

Tertiò, ad multiplicitatem nominis ſubſtantiui, nedum deſideratur multiplicitas ſuppoſitorum, ſed etiã formarũ: atqui in data hypotheſi, licet naturæ multiplicentur, non tamen ſuppoſita: ſupponimus quippe, vnam & eandem numero perſonam aſſumpſiſſe vel duos homines ſingulares, vel hominem & Angelum priuatum & particularem.

Ex iſtis tamen colligitur ſatis euidenter, attributa C tius naturæ aſſumptæ enunciari de alia natura aſſumpta, illo eodem modo, quo attributa diuinæ eſſentiæ enunciantur de humana natura in Chriſto; & contrà, attributa naturæ humanæ de diuina. Deinde tota ratio, cur attributa diuinæ naturæ enuncientur de humana in Chriſto, & cõtrà, eſt, quia idem eſt numero ſuppoſitum in diuina & humana Chriſti natura; at idem accideret in data hypotheſi. Concedendum tamen eſſet, ſi perſona iſta diuina aſſumpſiſſet duos homines v. g. perſonam hanc conſpiciendam eſſe, veluti duas res inter ſe diſtinctas realiter: nam viſio & apparitio huius perſonæ, dependet ſimpliciter à naturis in quibus ſubſiſtit, naturæ autem aſſumptæ diD ſtinguuntur inter ſe vt ſupponimus: ergo, duplex quoque perſona appareret, non quod eſset in ſe dupler, ſed quia naturæ quæ terminantur ab ea perſona, ſint vere duplices, & ab inuicem diſtinctæ realiter.

Corollariũ.

ARTICVLO VLTIMO, docet decuiſſe magis filium incarnari, quàm vllam aliam ex perſonis diuinis. Ceterùm res hæc fuit à nobis explicata quæſt. 1. huius partis D. Thom.

QVÆSTIO QVARTA.

E

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

ARTICVLO 1. docet nullam extitiſſe potentiam naturalem in humana Chriſti natura, media qua aſſumeretur à Verbo; congruum tamen fuiſſe vt hæc humana natura aſſumeretur à Verbo, tum quia natura hæc eſt capax gratiæ, & gloriæ ad quę ordinatur incarnatio, tũ quia tota humana natura in primo parente perierat, neq; aliter priſtinę libertati reſtitui potuit, quã per incarnationẽ.

Digitized by Google

ARTICVLO 2. docet Verbum diuinum, non aſsumpſiſse perſonam humanæ naturæ creatam, & merito: perſona quippe iſta nec fuit, nec eſt, nec vlpiam futura eſt.

ARTICVLO 3. Verbum diuinum non aſsumpſiſse hominem; nomine quippe hominis ſignificatur natura humana cum propria perſona: diximus art. proxime antecedente Verbum non aſsumpſiſse perſonam humanam.

ARTICVLO 4. Tradit Verbum non aſsumpſiſse naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis eiuſdem: notiſſimum quippe eſt naturam humanam ità conſideratam, ſola cogitatione exiſtere, quemadmodum & re ipſa nihil eſt aliud quàm indiuidua humanæ naturæ.

ARTICVLO 5. Oſtendit Verbum diuinum aſsumpſiſse naturam humanam ſingularem in vtero D. Virginis, formatâ cooperatione Spiritus ſancti, quæ res ſatis comprobata fuit in antecedentibus.

ARTICVLO VLTIMO docet, decuiſſe vt Verbũ aſſumeret naturã humanam ſingularẽ ex ſtirpe Dauidis: de qua re nulla poteſt etiam eſſe dubitatio inter Chriſtianos homines, cum Scripturę, Patres, & Cõcilia nihil magis repetãt, quàm Chriſtũ natum eſſe ſecundũ carnem ex ſtirpe Dauidis.

Circa prædicta quæſtiones duæ.

Circa iſtos articulos duo ſunt explicanda: alterum, an diuinum Verbum potuerit aſſumere quamcunque naturam ſubſtantialem indiuiduam. Alterum, an diuinum Verbum potuerit aſſumere naturam humanã terminatam propria ſubſiſtentia: ità vt ſubſiſtentia propria, & diuini Verbi ſimul in vna & eadẽ numero natura ſubſtantiali cohæreãt.

DVBITATIO PRIMA.

An diuinum Verbum potuerit aſſumere quamcumque naturam creatam.

Notatur. OBſeruandum eſt naturas ſubſtantiales creatas, aut eſſe rationales aut irrationales & ex iſtis alias eſſe ſenſiles, alias verò inſenſiles; de iſtis ergo omnibus difficultas iſta venit intelligenda.

Opinio 1. Sunt igitur qui putent diuinum Verbum non potuiſſe ſibi aſſumere vllam planè ſubſtantiam indiuiduam, & ſingularem irrationalem; niſi dixerit hæc ordinem ad ſubſtantiam ſingularem rationalem: fundamenta iſtius opinionis præcipua ſunt iſta. Vnio hypoſtatica ordinatur ad gratiam & gloriam, vt docet S. Th. art. 1. huius quæſt. & præterea ad meritum; gratia quippe ideo confertur alicui in hac vita, vt ſit ſanctus & iuſtus: eſt enim hæc cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ, vt docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. ac proinde vt etiam honeſtis actionibus promereamur vitam æternam: atqui meritum vllum nequit eſſe in creatura irrationali, niſi dixerit hæc ordinem ad rationalem: igitur incapax eſt vt aſſumatur.

Quibuſd. nititur fund. 1.

Secundo, diuinum Verbum conſequitur rationem perſonę; ſubſiſtit enim in perſona diuina, quę eſt intellectiua, & rationalis: atqui ſubſtantia ſingularis, irrationalis nequit eſſe perſona: ergo, neq; poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi.

2.

Potuit diuinum Verbum æquè facilè naturam aſſumere Angelicam, ſicut humanam. Hebr. 2.

CONCLVSIO 1. *Potuit diuinum Verbum æquè facilè aſſumere naturam Angelicam, atq; aſſumpſit naturam humanam.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex Paulo ad Hebræos cap. 2. *Nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ſcilicet Verbum.

Probatio 2. Deinde, aſſumptio humanæ naturæ ideo facta eſt, quia hæc capax eſt gratiæ & gloriæ, vt aſſerit, D. Th. art. 1. huius q. atqui natura Angelica non minus capax eſt gratiæ & gloriæ, quàm humana: fatentur enim omnes in tractatione de Angelis, Angelos in primo inſtanti ſuæ creationis exornatos fuiſſe gratia gratum faciente; imò qui de facto conſequuti ſunt viam æternam, eam promeruerunt de condigno ex communi doctrina.

Denique aliud omne poteſt diuino Verbo vniri, quod eſt capax ſubſiſtentiæ: ordinatur ſiquidem vnio hypoſtatica ad hypoſtaſim, vel, ad ſuppoſitum perficiendum; natura autem Angelica eſt capax ſubſiſtentię; eſt enim ſubſtantia ſingularis completa, comparata cum quolibet Angelo in particulari: ergo, poteſt terminari ab aliqua perſona diuina ad ſubſiſtendum in ipſa.

Potuit denique naturam ſubſtantialem rationalem ſibi aſſumere, ſed non Verbũ eam rationalem, quamuis hæc nullum dicat ordinem quamcumq; ad naturam ſubſtantialem. Hæc tradunt à Patribus, maximè verò à Tertull. lib. de carne Chriſti, c. 4. *Indignum eſſe rationalẽ de ſilio Dei aſſumere quod fuerit natum ex femina, ſi inquit, retrorſa de lupa, aut ſue, aut vacca prodire valuiſſet, & fera, aut pecoris corpore induiſſe, regnum cælorum prædicaret, tua opinor iũ cenſura præſcriberet, utpe hoc Deo, & indignum hoc Dei ſilio: & ſtultum propterea, quia credat, ſit planè ſtultum, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum, ſed circumſpice Marcion, ſtultã mundi elegit Deus, vt confundat ſapientiam, & rurſus. Quid, inquit, indignius Deo? quid magis erubeſcendum naſci; an mori? carnem geſtare, an crucem? circumcidi, an ſuffigi? educari, an ſepeliri? in præſepe deponi, an in monumentum recondi?* quæ tamen omnia de Deo propter aſſumptionem humanę naturę dicuntur, & Greg. Nyſſenus orat. catechiſtica. *Ille*, inquit, *idem præſtat omnibus rebus (ſcilicet Deus) quamobrem ſi terreſtrem naturã exiſtimas indignã, qua cũ Deo conciliatur, nulla inuenietur digna.* & D. P. Aug. de vera Relig. c. 16.

Probatio 1. *Potuit diuinum Verbum* — *aſſumere.* — Tertull. — *Probatio 1.* — Greg. Nyſſenus. — Auguſt. 2.

Deinde, de fide eſt, diuinum Verbum in triduo vnitum fuiſſe hypoſtaticè, & corpori Chriſti & animę eiuſdem: eſt enim axioma communiſſimum apud omnes Theologos deſumptũ ex Damaſceno: *quod Chriſtus ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſit*: atqui corpus pro eo tempore fuit res aliqua irrationalis, & inſenſilis, vtpote ab anima rationali ſeparatum. Damaſc.

Reſponſio authorum 1. ſententiæ. Reſpondent authores, 1. ſententię diuinũ Verbum fuiſſe vnitum eo tempori corpore Chriſti, quod diceret hoc corpus Chriſti ordinem ad animam rationalem eiuſdem, cui intra breuiſſimum tempus debuit coniungi; tertio quippe die facta eſt reſurrectio, vt docet fides Catholica.

Planè impertinens. Cęterum reſponſio hæc eſt planè impertinens; nam nullus eſt, qui poſſit affirmare corpus Chriſti, in triduo mortis dixiſſe ordinẽ ad animam rationalem, ad hoc ſcilicet vt ei coniungeretur; eſt enim propoſitio notiſſima Ariſtotelis, a priuatione ad habitum non dari regreſſum per potentiam naturalem. Deinde partes eſſentiales cuiuſlibet compoſiti naturalis & phyſici vendicãt ſibi partiales exiſtentias, & item ſubſiſtentias, vt communiter fatentur philoſophi: ergo, cùm vnio hypoſtatica ordinetur ad ſubſiſtentiam, tam verè potuit diuinum Verbum aſſumere ſibi naturam irrationalem, aut inſenſilem, quàm rationalem & ſenſilem ſimul. Poſtremò, nulla hactenus configurata eſt contradictio in hac re, neque aſſignari poteſt.

Axioma Ariſtot.

Obiectio. Dices, pias aures ruſſicitę non poſſe Deum nominari arborem, plantam, brutum, & alia quæ admittenda eſſent, ſi Verbum aſſumeret quamcumq; naturam ſubſtantialem irrationalem. *Reſponſio.* Reſp. rebus poſitis vt ſunt, pias aures ruſticitę non pe-

Digitized by Google

ſe Deum denominari arborem plantam, idque quod vnio celebrata ſit, tantum cũ humana natura Chriſti: ſi tamen Verbum aſſumpſiſſet naturam aliquam irrationalem, quæ nullum diceret ordinem ad rationalem ſubſtantiam, piæ aures non offenderentur, ex eo quod Verbum diceretur vel lapis, vel brutum: innoteſceret quippe reuelatione diuina & teſtificatione Eccleſiæ Verbum vnitum eſſe hypoſtaticè vel lapidi, vel alicui alteri ſubſtantiæ irrationali, quemadmodum neque offendimur audiendo iam Deum eſſe natum ex femina, conceptum in vtero Virginis, paſſum, mortuum, & crucifixum: idque quod fides iſta omnia doceat celebrata fuiſſe in humana Chriſti natura, & per communicationem idiomatum enunciari de diuina, propter ſuppoſitum Verbi, quod & ſubſiſtit in eſſentia diuina, & in humana Chriſti natura; ità docent S. Th. in 3. diſt. 2, q. 1. art. 1. Scotus, Paludanus, Durand. Okam, ibidem; interpretes verò D. Thom. hoc loco. Caiet. & alij.

Si Verbum naturam irrationalem aſſumpſiſſet non inde propterea pię aures offenderẽtur.

D. Thom. Scotus. Paludan. Durand. Okam.

Conclvsio 3. *Licèt poſſit Deus aſſumere quamcumque naturam ſubſtantialem & irrationalem; non tamen damnatam, aut in peccato mort. conſtitutam.* Primùm, quia implicat vnum & idem eſſe ſimul & beatum, & ſummè miſerum, ſeu damnatum; at ſi natura ſubſtantialis aſſumeretur à diuino Verbo, quæ de facto damnata eſt, hæc eſſet & ſummè miſera, & præterea ſummè beata; de ratione quippe damnationis eſt, omnibus planè malis torqueri, & de ratione illius, qui Deus eſt, quod ſit beatus: vnum quippe ex attributis eſſentialibus deitatis, eſt beatitas, omnium plane Theologorum conſenſu: propter hanc cauſam fatentur de anima Chriſti, quod in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuerit beata, ac proinde beatitudinem iſtam ſibi non promeruerit: quia erat ei debita ex vi vnionis hypoſtaticæ: ergo.

Non potuit natura damnata aut in peccato mortali conſtituta, à Verbo aſſumi. Probatio 1.

2. Deinde, implicat vnum & eundem plane hominem eſſe gratum, & ingratum; ſanctum, & non ſanctum: at ſi Deus aſſumeret naturam ſubſtantialem conſtitutam in peccato mortali, hæc eſſet ſancta, & non ſancta, grata & ingrata; nam de ratione peccati mortalis eſt, reddere hominem non ſanctum, ſed iniuſtum; ac proinde ingratum Deo: de ratione vero vnionis hypoſtaticæ, vt reddat naturam, cui vnitur diuinum Verbum formaliter ſanctam, gratam & acceptam Deo, Optimo, Maximo; ſanctificatur ſiquidem hæc natura aſſumpta à Verbo ex omnium planè Theologorum ſententia: ita communiter omnes, paucis tantùm exceptis.

Natura aſſumpta ſanctificatur à Verbo.

Aperitur ſenſus in quo defenditur concluſio.

Vt autem hæc faciliùs defendantur, obſeruandum eſt, concluſionem iſtam eſſe intelligendam de natura damnata, remanente ſtatu peccati mortalis, aut damnationis in eadem natura: nam ſi ſtatus peccati mortalis, aut damnationis non remaneat in natura rationali, quæ aſſumitur, poterit Verbum hanc aſſumere: eſt enim hæc capax ſubſiſtentiæ ex ſe, & ſua natura, & poſita vnione hypoſtatica, attributa naturæ diuinæ dicerentur de natura rationali aſſumpta; & contrà, attributa rationalis naturę aſſumptę, de diuina, quę duo ſufficiũt ad hoc vt natura aliqua poſſit aſſumi à Verbo.

Nullũ accidens poteſt hypoſtaticè aſſumi. Probatio 1.

Conclvsio vltima. *Diuinum Verbum non poteſt aſſumere vllum planè accidens.* Primùm, quia aſſumptio iſta fieret ad hoc vt accidens, vel exiſteret per exiſtentiam diuini Verbi, vel certe per propriam, in Verbo tamen diuino receptam: neutrum ex iſtis dici poteſt, non 1. quia exiſtentia alicuius rei nihil eſt aliud quàm ipſamet res, prout tamen eſt extra ſuas cauſas poſita: implicat autem accidens aliquod eſſe idem realiter cum Verbo, aut Deo. Neque item 2. Verbum quippe nequit aliquid recipere de nouo in ſe, cum ſit actus puriſſimus, careátque omni potentialitate.

Deinde, poſita vnione hypoſtatica, admittenda eſt neceſſario communicatio idiomatum; ac proinde attributa naturæ aſſumptæ dicuntur de perſona aſſumente, & è contrà: ſed accidens non poteſt enunciari de Verbo, nihil enim eſt, quod dicatur de alio, niſi fuerit in eo tanquã in ſubiecto, vel de eius eſſentia, vel deniq; terminus complens naturam ſubſtantialem in ratione ſubſtantię indiuiduæ: at certum eſt nullum accidens recipi in Verbo, tanquam in ſubiecto, nec eſſe de eſſentia Verbi, vel Dei: notiſſimũ eſt etiam diuinum Verbum non eſſe terminũ complentem naturam accidentis in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, neque item eſſe poſſe, quia terminus hic ſolis ſubſtantijs debetur, ſicut & inhærentia competit ſolis accidentibus: igitur nulla ratione poterit naturam ipſius terminare.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. de lege communi incarnationem ordinatam eſſe ad gratiam, & gloriam, abſolute tamen loquendo non eſt neceſſe, quod ordinetur ad iſta, vel ad meritum; ſed tantum ad ſubſiſtere diuinum, & ad hoc vt attributa naturæ aſſumptæ dicantur de Verbo aſſumente, & item de natura, & contrà. *Oppoſita fundamẽta ſoluuntur.*

Ad 2. Verbum diuinũ eſſe perſonam, reſpectu eſſentiæ diuinæ in qua ſubſiſtit, ratio quippe perſonę conuenit ſuppoſito exiſtenti in natura tantũ rationali; non conuenire tamen Verbo rationem perſonæ, ſi diuinum Verbum ſubſiſteret in ſubſtantia aliqua indiuidua irrationali, quæ nullum diceret ordinem ad ſubſtantiam rationalem, ſed haberet tantum rationem ſuppoſiti.

DVBITATIO SECVNDA.

An diuinum Verbum potuerit aſſumere naturam humanam terminatam propria ſubſiſtentia.

Svnt qui dicant, naturam ſubſtantialem creatam, terminatã propriã ſubſiſtentiã, remanente hac eadem in natura iſta creata poſſe terminari ac proinde, & aſſumi à perſona aliqua increata, idquequod eſſentia diuina perfectiſſime ſubſiſtat in perſona Patris, & tamen eſſentia diuina communicatur Filio, itémque Spiritui ſancto: humana etiam Chriſti natura aſſumpta eſt à Verbo, & tamen ex communi opinione poteſt hæc aſſumi à Patre, & à Spiritu ſancto: Vnum item numero accidens, aut corpus, poteſt in pluribus ſubiectis, aut locis diſtinctis realiter collocari: vna denique numero linea poteſt terminari duobus punctis, ab vno intrinſece, ab alio vero extrinſece: ergo vna & eadem numero ſubſtantia creata poterit ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia, propria ſcilicet, & aliena.

Fundamentum partis affirmantis.

Conclvsio. *Subſtantia ſingularis creata nequit terminari ſimul & ſemel propria, & aliena ſubſiſtentia, etiam increata:* ità docent communiter hoc loco omnes: diſcrepant tamen in reddenda ratione.

Subſtantia ſingularis creata nequit terminari ſimul & ſemel propria & aliena ſubſiſtentia.

Caietanus quippe propterea vult ſubſiſtentiam alienam non poſſe ſubſiſtere cum propria creata, quia de ratione ſubſiſtentiæ eſt, reddere naturam ſubſtantialem incommunicabilem. Ceterùm ratio hæc nihil dicit, certum enim eſt ſubſiſtentiam non reddere naturam incommunicabilem ſimpliciter, ſed tantum reſpectu ſimilis ſubſiſtentiæ,

Digitized by Google

diximus ſiquidem humanam Chriſti naturam terminatam ſubſiſtentia Verbi poſſe aſſumi à ſubſiſtentia Patris & Spiritus ſancti.

Ratio Suarii & quorundá aliorum non ſatis concluſionem demonſtrat.

Alij verò, & item Caiet. propterea volunt non poſſe aſſumi ſubſtantiam creatam propria perſonalitate, ſeu ſubſiſtentia; quia natura iſta eſſet idem & non idem. Suarez vero diſp. 14. quia implicat aliquid exiſtere per ſe, & non exiſtere per ſe, ſeu in ſe.

Alij vero, quia abſurdum eſt aliud exiſtere per ſe, & non in alio; & aliquid non exiſtere per ſe, ſed in alio, aut non per ſe, quæ tamen admittenda eſſent, ſi natura creata ſubſtantialis ſubſiſteret per propriam, vel per alienam ſubſiſtentiam.

Sed neque rationes iſtæ concluſionem noſtram demonſtrant: nam contradictoria debent eſſe ad idem, ſecundum idem, & eodem modo ex communi doctrina Ariſtotelis; hæc autem quæ dicuntur ab iſtis non eſſent ad idem, eodem modo, ſed diuerſo; ſubſiſteret quippe per ſe iſta natura ſubſtantialis, reſpectu propriæ perſonalitatis, ſeu ſubſiſtentiæ; ſubſiſteret verò non in ſe, ſed in alio per ſubſiſtentiam alienam, quod poſſe fieri indubitatum eſt, ex humana natura Chriſti, quæ ſubſiſtit per ſubſiſtentiam increatam Verbi.

Germana ratio concluſionis.

Dico igitur, propterea concluſionem iſtam affirmari à nobis, quod ſancti Patres inter diſputandum contra Neſtorium, & alios admittentes duas in Chriſto perſonas, ità intulerunt: adeſt in humana Chriſti natura ſubſiſtentia increata Verbi: ergo abeſt propria ſubſiſtentia; quæ ratio colligendi eſſet ineptiſſima, ſi ſubſiſtentia propria creata poſſet conſiſtere ſimul & ſemel cum ſubſiſtentia increata. Recentiores ad hunc locum legendi ſunt de hac re.

Satisfit rationibus in contrarium adductis.

Ad rationes vero contrarias, reſpondeo; probare tantùm hactenus nullam aſſignatam eſſe contradictionem, à lumine naturali petitam, propter quam innoteſcat nobis naturaliter, ſubſiſtentiam propriam naturæ ſubſtantialis creatæ, non poſſe ſubſiſtere cum ſubſiſtentia increata, quod nos vltrò admittimus: contendimus autem authoritate ſanctorum Patrum, nobis innoteſcere ſubſiſtentias prædictas non poſſe ſimul in vna & eadem ſubſtantia creata ſubſiſtere.

QVÆSTIO QVINTA.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

ARTICVLO 1. docet S. Thom. filium Dei aſſumpſiſſe verum corpus humanum, anima rationali informatum.

ARTICVLO 2. Aſſumpſiſſe corpus terreſtre, carnem, ſcilicet, & ſanguinem, non autem cœleſte. Reſponſiones iſtæ ambæ ſunt de fide.

ARTICVLO 3. docet, quod ſicut Chriſtus aſſumpſit verum corpus; ità & veram animam.

ARTICVLO VLTIMO, ait, Filium Dei aſſumpſiſſe humanam naturam, ac proinde mente & anima exornatam.

DVBITATIO PRIMA.

An Filius Dei proximè vnierit ſibi corpus & animam rationalem.

CONCLVSIO. *Verbum aſſumpſit ſibi proximè, & immediatè partes eſſentiales humanæ naturæ Chriſti; animam ſcilicet, & corpus, & omnes partes integrantes eiuſdem humanæ naturæ.* Prima pars eſt de fide, habetur enim expreſſa, & in ſacris litteris, & in Symbolis Apoſtolorum, Concilij Nicæni & Athanaſij: Ioannis quippe 1. dicitur. *Et Verbum caro factum eſt*, & in Symbolis. *Et homo factus eſt.* Deinde ſacra Concilia definiunt contra Baſilidem, & alios nonnullos hæreticos, Verbum aſſumpſiſſe veram carnem humanam, non autem phantaſticam, aut aëream: ità Concilium Epheſinum 1. Chalcedonenſe 1. Conſtantinopolitanum, & Lateranenſe, & refertur in capite de ſumma Trinit. & Florentinum ſeſſ. 1. & Toletanum 1. in confeſſione fidei, & Braccarenſe 1. cap. 4. Subſcribunt Patres, D. P. Auguſt. de hæreſibus, hæreſi 46. Irenæus contra hæreſes, Epiphanius hæreſi 23. Tertullianus, contra Marcionem: & denique Athanaſius in ſuo Symbolo, D. Thom. & interpretes eiuſdem omnes, hoc loco.

Quid aſſumpſerit ſibi Verbum proximè & immediatè ex humana natura.

Symbol. Nicæn. Athanaſ. Concilia Epheſinũ. Chalced. Conſtan. Lateran. Florent. Tolet. Braccar. Auguſt. Irenæus. Epiphan. Tertull. Athanaſ. S. Thom.

Secunda vero pars probatur. Primùm, quia aſſeritur nedum à ſancto Thoma, hoc loco; ſed etiam à ceteris Scholaſticis communiter. Deinde, Verbum aſſumpſit proximè illud omne quod animatur & informatur anima rationali; atqui partes integrantes humanę Chriſti naturę informantur anima rationali: eſt enim axioma communiſſimũ animá rationalem eſſe totam, in toto corpore humano, & in qualibet parte eiuſdem.

Denique, omnes partes integrantes humanæ Chriſti naturæ adorantur latriâ, omniũ planè Catholicorum conſenſione; imo nulla poteſt aſſignari ratio, cur vna ex iſtis partibus adoretur latriâ, ceteræ vero minimè: at adoratio iſta ideo debetur partibus integrantibus humanæ naturæ Chriſti, quia vniuntur hypoſtaticè Verbo: igitur, &c.

DVBITATIO SECVNDA.

An Verbum vnierit ſibi proximè quatuor humores, ſanguinem ſcilicet, pituitam, atram bilem, & flauam, ſpiritus vitales, & animales, dentes, vngues, capillos, vrinas, ſalinam, & ſudores humanæ Chriſti naturæ: itémque lacrymas.

CONCLVSIO 1. *Verbum diuinum aſſumpſit proximè, & immediatè ſanguinem humanæ naturæ Chriſti.* Primùm, quia expiatio peccati, & redemptio hominis tribuitur in ſacris litteris ſanguini Chriſti, 1. Petri 1. *Non corruptibilibus, auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti* & Matth. 26. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, & alibi ſæpe.

Probat. 1. Sanguis humanæ Chriſti naturæ, fuit proximè & immediatè à Verbo aſſumptus. 1. Petri. 1. Matth. 26.

Deinde, quę dicuntur de corpore Chriſti, enunciantur de ſanguine eiuſdem, Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* & rurſus; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* & 1. Corinth. 11. *Quotieſcunq; manducabitis panem hunc, mortẽ Domini annunciabi-* 1. Cor. 11.

Digitized by Google

tè: at hæc verè dici non poſſent, niſi Verbum ſibi aſſumpſiſſet proximè ſanguinẽ, quemadmodũ proximè ſibi vnitit corpus humanæ naturæ Chriſti.

3. Auguſt. Leo Mag. Tertiò, hæc videtur eſſe ſententia D. P. Auguſtini, in Pſalmum 18. 34. & 47. & lib. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 6. & lib. 13. de Trinit. cap. 15. *Sanguis*, inquit, *ille quoniam eius erat qui nullum omnino habuit peccatum, ad remiſſionem peccatorum noſtrorum fuſus eſt.* Leo. epiſt. 10. & in ſermonibus de paſſio. & Bernard. ſermone de Circumciſione. Confirmatur. Redemptio non poteſt competere ſanguini Chriſti, niſi ſanguis hic fuerit infinitæ dignitatis; dicitur enim de redemptione, quod ſit apud eum copioſa; infinitas autem meriti, ex dignitate quæ datur in hypoſtaſi diuina eſt repetenda, vt docuimus quæſt. 1. tractationis huius D. Thomæ.

Bernard. *Confirmatur.*

4. 4. Hoc idem comprobatur ex Extrauaganti, Vnigenitus, de pœnitentijs, & remiſſionibus: Clemens quippe VI. ait illic, minimam guttulam ſanguinis Chriſti potuiſſe eſſe ſatis ad redimenda quælibet peccata: extat & alia huius Pontificis Conſtitutio, quæ refertur à pleriſque interprenbus D. Thom. & ab Authore Directorij Inquiſitorum, quæſt. 1. in qua dicitur Pontificem iſtum declaraſſe, opinionem eam eſſe erroneam, & hæreticam; quæ ait, ſanguinem Chriſti non fuiſſe vnitum hypoſtaticè Verbo, quam docuerat aliquis Concionator apud Barcinonenſes: idem docet Pius II. in Conſtitutione citata à Siluestro in ſua Roſa aurea, & à pleriſque interpretibus D. Thomæ, hoc loco.

Conſtit. Pij II.

Vlt. prob. Poſtremò, vi & efficacia iſtorum verborum; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ponitur ſub ſpecie vini ſanguis Chriſti: per concomitantiam vero Verbum; minimè vero Pater, & Filius; cuius rei nulla alia poteſt aſſignari ratio, niſi quia Verbum vnitum eſt hypoſtaticè ſanguini, non autem Pater, & Spiritus ſanctus: ergo.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, Verbum non poni ſub ſpecie vini conſecrata, per concomitantiam proximè, ſed tantum medio corpore, cui vnitum eſt proximè. Ceterum reſponſio iſta defendi nequit; ſi enim aliquis ex Apoſtolis in triduo mortis Chriſti conſecraſſet, ſicut poterat, cum eſſent inſtituti Sacerdotes, ex definitione Trident. ſeſſ. 13. corpus Chriſti non fuiſſet in data hypotheſi poſitum ſub ſpecie vini conſecrata: nam ex doctrina communi D. Thomæ, eodem modo ſe habent partes Chriſti in ſacramento, quemadmodum & in actuali exiſtentia, ſeu, quod idem eſt, in ipſomet Chriſto: certum autem eſt in triduo mortis Chriſti ſanguinem non fuiſſe vnitum corpori; bene tamen ſanguis fuit vnitus Verbo: ergo. In hac ſententia ſunt D. Thom. hoc loco, & quæſt. 54. huius partis. art. 2. ad 3. & alij ad hanc quæſtionem.

D. Thom.

Etſi ſanguis non ſit animatus, non ſequitur nõ vnitus Verbo. Dices, ſanguinem Chriſti non eſſe animatum. Reſp. ex iſtis nihil poſſe colligi; primùm, quia non deſunt qui putent animari, anima rationali, ſub ea ratione qua eſt anima vegetans: ita Medina, & alij nonnulli Thomiſtæ hic. Deinde, licet fateremur ſanguinem Chriſti non eſſe animatum, ſicut probabilior opinio ſuſtinet, non tamen ſequeretur non vniri Verbo proximè: non enim neceſſe eſt ad vnionem iſtam perficiendam animari anima rationali; diximus namque in antecedentibus, ſubſtantias inſenſiles creatas poſſe aſſumi à Verbo hypoſtaticè. Denique, ad hoc vt aliquid vniatur Verbo proximè & immediate, ſatis eſt quod ſit res aliqua ſimpliciter neceſſaria ad perfectionem humanæ naturæ eiuſdem: ſanguis autem Chriſti eſt ità neceſſarius ad corporis animalis viuentis compoſitionem, vt ſine ſanguine nequeat corpus hoc dici viuens.

Obijcies, ſi ſanguis Chriſti vniretur proximè Verbo, Verbum nuſquam deſeruiſſet huiuſmodi ſanguinem, ex illo axiomate D. Damaſceni; *Quod Deus ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſit.* Damaſc. axioma.

Reſp. primùm. Non deeſſe qui putent nullum extare ſanguinem Chriſti ſeparatum à corpore eiuſdem: contendunt enim Chriſtum in die reſurrectionis aſſumpſiſſe omnem quem effuderat in ara crucis: ità D. Thom. art. 2. quæſt. 54. huius partis ad 3. Ceterum opinio contraria eſt magis tuta: Pius quippe II. declarauit certa in aliqua Conſtitutione, quam referunt Vazquez & Siluester in ſua Roſa aurea, quæſt. 30. ſine vlla ſuſpicione hæreſis, aut erroris ſuſtineri poſſe extare in terris aliquas partes illius ſanguinis, quem fudit Chriſtus in ara crucis. Nicecephorus item lib. 1. cap. 3. ſcribit Diuam Virginem & Ioann. Euangeliſtam collegiſſe notabilem aliquam quantitatem aquæ & ſanguinis decurrentis ex latere Chriſti, & ſibi aſeruaſſe. Platina etiam in vita Leonis III. narrat Pontificem iſtum veniſſe Mantuam; & quidem eo conſilio, vt videret clareſcere miraculis in iſta ciuitate ſanguinem Chriſti in vaſe aliquo contentum. Item Hieronymus de la Rua in controuerſia ſcholaſtica de hac re, refert Adrianum IV. Pontificem conceſſiſſe indulgentias Rauennati Eccleſiæ, propterea quod extaret in hac Eccleſia vaſculum aliquid vitreum continens aliquas partes ſanguinis Chriſti. Legendus eſt de eadem re Laurentius Surius in vita D. Magdalenæ ſub initium, vbi ſcribit apud ſanctum Maximinum conſpici partes aliquas terræ commaculatas ſanguine Chriſti, quæ in die Paraſceues ſeparantur à terra, & dicitur ſanguis iſte feruêre intrà vas in quo continetur terra illa: ſtante ergo hac opinione, Reſp. non eſſe abſurdum fateri aliquid fuiſſe aſsumptum à Verbo, quod tamen fuit ab eodem aliquando derelictum; ſanguis quippe hic non vnitur hypoſtatice Verbo, ſi aliquando fuerit eidem vnitus. Ad axioma autem reſp. intelligendum eſſe de partibus præcipuis naturæ humanæ Chriſti, non autem de eo omni, quod aſsumptum fuit aliquando à Verbo; nam in corpore Chriſti conſtituto in hac vita, actione caloris naturalis deperditæ fuerunt aliquę partes ſubſtantiales, quæ quando erant in corpore vniebantur Verbo; nunc vero minime, vt eſt per ſe notum: ergo.

Suſtineri poteſt extare in terris aliquas partes ſanguinis Chriſti in ara crucis effuſi. Niceph. Platina. Hieron. Surius.

Non eſt abſurdum fateri aliquid fuiſſe aſſumptum à Verbo, quod tamen fuit ab eodem aliquando derelictum.

Axioma Damaſceni quomodo intelligẽdũ. Inſtantia.

Inſtabis, ſanguinem iſtum adorari latriâ, quæ tamen debetur ſoli Deo: ergo. Reſp. ſanguinem iſtum adorari latriâ, non quod vniatur Verbo de facto hypoſtatice; ſed quia vel vnitus fuit Verbo, vel quia aſsumptus eſt ab Eccleſia ad repreſentandum myſterium paſſionis Chriſti: ac proinde iuxta hanc ſecundam conſiderationem, & item primam, adoratur latriâ tantùm relatiua, non autem abſoluta; illo eodem modo, quo adorantur imagines Dei. Ita communiter omnes, hoc loco, & in tractatione de adoratione imaginum Chriſti, & Deo.

Quâ latriâ adoretur ſanguis in terris relictus.

Queritur. Rogabis, an omnis ſanguis qui deprehenditur: iſtis in terris cenſeatur eſſe ſanguis ipſiuſmet Chriſti. Reſp. negatiuè: ex Athan. namq; in lib. de paſſ. imaginis certiſſimum eſt in ciuitate Beryti: percuſſam fuiſſe imaginem crucis Chriſti à maleuolis quibuſdam Iudæis in odium Chriſti, & fidei Catholicę, & ex iſta percuſſione maximam quantitatem ſanguinis manaſſe, ſanguinémq; hunc ab Epiſcopo illius ciuitatis fuiſſe tranſmiſſum, ad Eccleſias Aſianas, Aphricanas, & Europæas. Deinde extant de hac eadem re apud probatos hiſtoriographos ſimilia quædam exempla: ſanguis autem hic non è corpore Chriſti fluxit, ſed fuit de nouo procreatus à Deo, ad miraculum iſtud efficiendum; vnde neque fuit vnitus hypoſtaticè Verbo; colitur tamen cultu latriæ reſpectiuæ: quia fuit aſſumptus ab Eccleſia, tanquam ſignum repræſentans Chriſti mortem, & paſſionem. Vide plura de hac eadem re apud Hieronymum dela Rua, loco proximè citato.

Reſpõdetur. Non omnis ſanguis qui deprehenditur in terris, eſt ſanguis ipſiuſmet Chriſti.

Verbum aſſumpſit ſibi hypoſtaticè pituitam, bilem flauam, & atram. Innocẽt. 3.

Conclvsio 2. *Verbum aſſumpſit ſibi hypoſtaticè pituitam, bilem flauam, & atram.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens Innocentij III. in cap. In quadam, de celebratione miſſarum, vbi ait ex latere Chriſti pendentis in cruce, fluxiſſe ſanguinem & aquam, vt omnibus innoteſceret corpus hoc conſtare quatuor elementis, & item quatuor humoribus; ſicut corpus quodlibet ſenſibile componitur ex elementis quatuor, & ex prædictis humoribus, vnà cum ſanguine. Deinde humores iſti tam verè ſunt neceſſarij ad conſtitutionem corporis humani viuentis, quàm ſit ſanguis. Tertiò, pituita admiſcetur ſanguini medicorum iudicio: igitur fuit aſſumpta.

Obiectio. Obijcies, atram bilem, & pituitam computari ab Ariſt. inter excrementa corporis humani, lib. 1. de partibus animalium. *Reſponſio.* Reſp. hæc eſſe intelligenda cauſaliter, non formaliter; ità vt propterea velit Ariſt. atram bilem & pituitam dici excrementa, non quod ſint vere excrementa, ſed quia quando plus quàm par eſt abundant duo iſti humores in nobis, detur diuerſitas & multitudo excrementorum ex nimia horum redundantia.

Filium Dei aſſumpſit ſibi hypoſtaticè ſpiritus animales & vitales.

Conclvsio 3. *Filius Dei aſſumpſit ſibi hypoſtaticè ſpiritus animales & vitales:* ratio eſt quoniam futuri ſunt in corporibus glorioſis, quemadmodum dantur in nobis pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, cum hoc tamen diſcrimine; quod iam corrumpantur, & alij de nouo producantur, propter actionem & reactionem eorumdem: in corporibus verò glorioſis, ſpiritus iſti futuri ſunt incorruptibiles.

Verbum aſſumpſit ſibi hypoſtaticè capillos, dentes, & vngues.

Qvarta conclvsio. *Verbum aſſumpſit ſibi hypoſtaticè capillos, dentes, & vngues:* probatur primo, eadem ratione, qua præcedens; videlicet, quia hęc omnia futura ſunt in corporibus glorioſis, vt author eſt D. P. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 89. & lib. 22. de ciuitate, cap. 19.

Secundò, dentes computantur inter partes ſpermaticas, medicorum & philoſophorum conſenſione. Denique adorantur hæc omnia latriâ; ex doctrina D. Thom. in hac parte, dentes, vngues, & capilli, pertinent ad perfectionem humanæ naturæ; non quidem primam, ſed ſecundam.

Neque refert, quod hæc tria poſſint à corpore ſeparari abſque notabili deformitate, neque item quod non creſcant per principium aliquod ſibi intrinſecum; nam aliquæ partes fuerunt abſumptæ, actione caloris naturalis ex partibus integrantibus humanæ naturæ Chriſti pro eo tempore, quo fuit in hac vita mortali; & tamen aſſerimus de iſtis partibus quod fuerint vnitę Verbo, pro eo tempore, quo coniunctæ erant corpori Chriſti.

Verbum nõ aſſumpſit ſibi hypoſtaticè, vrinas, ſudores, & lacrymas.

Conclvsio vltima. *Verbum non aſſumpſit ſibi hypoſtaticè vrinas, ſudores, ſaliuam, & lacrymas.* Primum, quia hæc omnia computantur inter excrementa corporis humani. Deinde, nulla ex iſtis futura ſunt in corporibus glorioſis.

QVÆSTIO SEXTA.

De modo aſſumptionis, quantum ad ordinem.

Ordine intentionis anima fuit medium ſeu ratio aſſumendi corpus & mentem.

Ordine executionis anima eſt medium aſſumendi corpus; & mens medium aſſumendi animam.

Articvlo 1. docet, Filium Dei aſſumpſiſſe carnem mediante anima.

Articvlo 2. Filium Dei aſſumpſiſſe animam mediante ſpiritu, ſine mente.

Circa iſtos articulos aduerte 1. ordine intentionis animam fuiſſe medium aſſumendi corpus; & mentem, ſeu intellectum, medium aſſumendi animam: medium quippe, hoc loco, nihil eſt aliud quàm ratio aſſumendi ex communi ſententia Interpretum ſancti Thomæ, hoc loco. Deinde, ratio cur Verbum voluerit aſſumere corpus humanum, fuit redemptio generis humani, quæ non aliter potuit accidere, quàm dependenter ab actionibus honeſtis & liberis. Ordine verò executionis, anima eſt medium aſſumendi corpus, & mens medium aſſumendi animam: quia ratio aſſumendi carnem eſt anima; & ratio aſſumendi animam, eſt mens: nam caro non aſſumeretur à Verbo, niſi dependenter ab ordine quem dicit ad animam; hæc eſt ſententia D. Th. art. 1. huius q.

Ordine intentionis anima fuit medium aſſumendi corpus & mentem.

Aduerte 2. ordine intentionis prius Verbum aſſumpſiſſe humanam naturam, quàm partes eiuſdem: finis ſiquidem cenſetur eſſe primus in intentione, cum ſit is quo mouetur agens ad operandum: ordine verò executionis, prius aſſumpſit Verbum partes humanæ naturæ, quàm ipſam humanam naturam: prioritas tamen iſta non eſt dicenda prioritas temporis, ſed tantum rationis, aut ordinis naturæ.

Articvlo 3. Tradit animam prius ordine naturæ fuiſſe aſſumptam, quàm corpus; tempore tamen non prius fuit anima creata, nec aſſumpta, quàm caro quæ eſt de Virgine concepta.

Articvlo 4. Non prius fuiſſe naturam humanam, quàm hæc fuerit aſſumpta à Verbo diuino.

Articvlo 5. Ait filium Dei aſſumpſiſſe partes humanæ naturæ mediante toto.

Articvlo 6. et vltimo, docet humanam naturam non fuiſſe aſſumptam mediante gratiâ, ſi nomine gratiæ ſignificetur gratia actualis, vel habitualis; bene tamen ſi nomine gratię ſignificetur gratuita Dei voluntas. Circa iſtos articulos duę occurrunt dubitationes explicandę.

Digitized by Google

DVBITATIO PRIMA.

An omnes humanitatis partes aſſumptæ fuerint ſinè prioritate temporis.

Varij errores circa ordinem quo humanitatis partes fuerunt à Verbo aſſumptæ.

HIc obſeruandum eſt, varios fuiſſe circa hunc ordinem errores: nam Origenes, 2. Peri archon cap. 6. & lib. 1. cap. 7. docuit animam Chriſti cum alijs animabus omnibus fuiſſe creatam initio mundi, cùm tamen fides doceat animam Chriſti, non priùs tempore fuiſſe creatam, quàm fuerit vnita corpori, vt definitur in 5. Synodo, cuius canones licèt non exſtent; tamen hanc Synodi definitionem & canonem refert Nicephorus lib. 17. cap. 18. & rem probat prolixè Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 9. & ijſdem teſtimonijs habetur animam Chriſti non priùs tempore fuiſſe vnitam carni quàm Verbo.

5. Synod. Nicephor. Cyrill.

2. Error Neſtor. & Cerinth.

Secundus error fuit, carnem Chriſti fuiſſe priùs tempore conceptam, quàm aſſumptam; ità antiquiores aliquot hæretici, qui dixerunt Chriſtum priùs tempore extitiſſe purum hominem, & poſteà ſuis meritis conſequutum fuiſſe vnionem incarnationis; quam conſequenter accidentalem, & non veram admittebant: tales fuiſſe Neſtorianos refert Caſſianus lib. 1. & 2. de incarnatione, & Cerinth. refert Irenæus lib. 1. cap. 25. verùm in hac re ſimiliter de fide eſt, non priùs tempore extitiſſe Chriſti humanitatem, quàm vniretur Verbo: nec vnquam Chriſtum fuiſſe purum hominem, vt definitur in Concilio 1. Epheſino, can. 13. & habetur in 6. Synodo actione 11. in epiſt. Sophronij: & ratio eſt, quia ſi priùs tempore poneretur facta humanitas, quàm vnita Verbo, beata Virgo non concepiſſet hominem Deum, ſed purum hominem, & conceptio terminata fuiſſet ad perſonam creatam, & ex his euidenter ſequitur vnionem animæ & corporis non priùs fuiſſe tempore factam, quàm tota humanitas vniretur Verbo.

Caſſian. Irenæus.

Non priùs tempore fuit humanitas Chriſti, quàm vnita Verbo.

Concil. Epheſin. 6. Synod.

3. error.

Tertius error hîc eſſe poteſt, carnem priùs tempore fuiſſe aſſumptam à Verbo, quàm vnitam animæ, qui error eorum eſſe potuit, qui in Chriſto negabant animam rationalem: Certum tamen eſt Chriſti corpus ſimul tempore fuiſſe conceptum, aſſumptum & vnitum; & hoc eſt definitum in 5. Synodo, & apud Nicephorum loco citato: per corpus autem, vel carnem non intelligitur hoc loco præiacens materia ex qua formatum eſt corpus; nam ea præfuit, ſed intelligitur corpus, vt conſtitutum in vltima diſpoſitione ad animam, poſita formatione perfecta in organis & membris: & ratio etiam eſt, quia vltima diſpoſitio in nullius compoſiti phyſici productione præcedit tempore introductionem formę: ergo ſinè cauſa fingeretur hîc talis mora temporis, repugnante natura.

Corpus Chriſti ſimul tempore fuit conceptum aſſumptum & vnitum.

DVBITATIO TAMEN SECVNDA MOVETVR,

An etiam tota conceptio corporis perfecta fuerit ſimul tempore, & inſtanti vnico.

IN tribus maximè conſiſtit hæc difficultas 1. in ſanguinis congregatione, quę corporis formationem anteceſſit. 2. in ipſa formatione corporis, organorum & membrorum diſtinctione. 3. de formæ corporis augmento. Circa ſanguinis & materiæ congregationem, quidquid ſit de poſſibili, longè eſt probabilius de facto illam mutationem localem, & congregationem factam eſſe in tempore: nam ſine vllo fundamento, & neceſſitate poneretur miraculum huius inſtantaneę congregationis de loco in locum; fuit ergo hæc congregatio vnionem hypoſtaticam antecedente naturali facultate beatæ Virginis, vim etiam ſuam adhibente ad congregandum ſanguinem: quare probabile eſt, cum primùm B. Virgo cœpit præſtare conſenſum in verbo illo, *Ecce ancilla*, ſtatim cœpiſſe hanc congregationem, Spiritu mouente, & obumbrante Altiſſimi virtute, ad diſtinctum effectum.

Sanguinis congregatio in vtero Virgineo facta eſt in tempore.

Circa verò ipſam formationem, quantum ea ſpectat ad intrinſecam rationem conceptionis, peracta eſt in inſtanti, ſicut & tota Chriſti conceptio formalis, & oppoſitum fortaſſis eſſet erroneum. Vide Damaſcenum, de fide, cap. 2. & conſtat ex authoritate Patrum & admiſſo mitaculo, quod neceſſariò hîc interuenit facilè ſoluuntur difficultates: nam 1. ſi paruitas ſanguinis & materiæ obiiciatur, videmus ex vna coſta formatam Euam. 2. ſi obiiciatur mora in vtero, per nouem menſes poſt perfectam formationem corporis, reſpondendum eſt magnitudinem perfecti corporis in vtero habere magnam latitudinem, & poſſe eſſe minorem, ac minorem; potuit ergo corpus Chriſti in minima naturali quantitate formatum iuſtis inſtrumentis peruenire ad ſtatum conuenientem partium, toto decurſu nouem menſium.

Tota Chriſti conceptio formalis fuit in inſtanti peracta. Damaſcenus.

Si denique 3. obijciatur inſtantaneæ conceptioni obſtare intrinſecam formationem organorum in diſtinctione, figura, & diſpoſitionibus, quæ non poſſunt eſſe ſine motu locali: reſponderi poteſt, vt ſuprà, mutationem ſcilicet localem priùs factam, aut certè admittendo partes ſanguinis mutaſſe in inſtanti ſua loca, ſinè tranſitu per medium: niſi quis velit dicere factam organizationem in breuiſſimo tempore, quod tamen videretur non parum derogare inſtantaneæ formationi corporis & conceptioni.

Circa 3. membrum dicendum eſt, Verbum aſſumendo corpus aſſumpſiſſe omnes partes integrales corporis humani formales, non autem materiales: cum enim dicitur, à Verbo aſſumptum eſſe totum corpus perfectum & organizatum conſtans omnibus ſuis partibus & membris, hoc intelligi debet iuxta ſtatum illum humanitatis tunc aſſumptæ: nam certum eſt quaſdam partes poſteà acquiri, vt ſunt dentes, & ſimiles, quas in ipſa conceptione habere, non eſt naturale, & has non aſſumpſit tunc Verbum; ſed poſteà ſuo tempore: item partes tunc aſſumptæ non erant in tota quantitate futura, ſed progreſſu temporis auctæ ſunt, acceſſione ſcilicet partium, quas materiales nominant iuxta Ariſt. qui 1. de generatione cap. 5. partes diſtinguit in materiales, & formales. Atque hęc de prioritate & conditione temporis.

Verbum cū corpore omnes partes integrales corporis humani formales aſſumpſit, non autem materiales. Ariſt.

De ordine naturę & rationis ſeruato in aſſumptione partium humanitatis à Verbo, oportet fateri aliquem ordinem eſſe ſeruatum: item aliquid prius, & aliquid medium, vt docet Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum, & lib. de agone Chriſtiano, cap. 18. certum autem eſt hunc ordinem non fuiſſe ex parte aſſumentis; fuit enim Verbum incapax prioris & poſterioris: fuit ergo ex parte rei aſſumptę: at oſtenſum eſt, hunc ordinem partium

Ordo naturę & rationis ſeruatur in aſſumptione humanitatis à Verbo. Auguſt.

Digitized by Google

aſſumptarum non fuiſſe temporis, niſi modo iam explicato: duplicem verò alium ordinem hic expendere oportet, ſcilicet rationis,& naturę.

Duplex natura,& rationis prioritas explicatur.

Circa priorem, ſcilicet rationis, obſeruandum eſt, rationem primò ſignificare conceptionem, & ſic dicitur prius alio ratione, quod poteſt terminare rationem, ſeu mentis conceptionem, independenter ab illo. 2. ſignificare id quod eſt cauſa, vel quaſi cauſa, origóque alterius, ſub quo membro continetur etiam prioritas naturæ, vt inferiùs explicatur; vnde apparet prioritatem rationis ſub generica quaſi acceptione, ad vtrumque membrum ſeſe extendere; tamen diſtinctionis cauſa prius membrum ſpecificè dici poteſt conceptionis; alterum verò naturæ, & de vtroque dicendum eſt aliquid.

Circa prioritatẽ rationis quædam ſcitu digna notantur.

Notandum ergo 2. eſt, illud dici conceptione prius alio, quod natura ſua aptum eſt terminare conceptionem independenter ab illo, quod tamen ab hoc dependens eſt; illud autem dicitur poſterius conceptione, quod non poteſt terminare conceptionem, niſi dependenter ab alio, quod tamen ab hoc dependens non eſt. Denique ſimul conceptione ſunt, quorum neutrum poteſt terminare conceptionem, niſi ſub mutua dependentia: patet hoc totum tum ratione, tum exemplo: ratio eſt, quia quando mutuò dependent in ſuo eſſe, aut non dependent, ità etiam concipiuntur: & ſicut vnum non poteſt eſſe ſine alio; ità nec concipi debet niſi dependenter ab illo: quod etiam explicari poteſt ex more loquendi Ariſtotelis: illa enim ſunt ſimul conceptione, quæ ſunt ſimul conſequentia; & ideò mutuam connexionem habent, & ex connexione illationem: illa item prius conceptione, à quibus non valet conſequentia; illa poſterius à quibus valet: exempla ſunt huiuſmodi: vnum, & duo habent ſe vt prius & poſterius conceptione: at verò duo correlatiua vt ſimul conceptione.

Circa naturæ ordinem tria notabilia.

Circa alterum ordinem, qui naturæ dicitur, notandum 1. eſt, cauſalitatem hîc conſiderari, ac proinde id quod eſt, vel verè cauſa, aut quaſi cauſa & origo alterius, eſt prius natura: ſic eſſentia eſt prior paſſionibus in ratione cauſæ: ſic in diuinis in ratione originis, Pater eſt prior Filio; quò etiam reduci poteſt illud in diuinis attributis, cùm immutabilitas dicitur eſſe ratio æternitatis, quia æternitas demõſtratur per immutabilitatem; quamuis ibi propriè, nec cauſa ſit, nec origo; ſed aliquid inſtar cauſæ: & hæc conformia etiam ſunt Ariſt. qui in poſtprædicamentis cap. de priori, ſic loquitur: *Quomodocumque aliquid eſt cauſa cur alterum ſit, prius natura non incommodè dici poteſt.*

Ariſt.

Eorum quæ ſunt ſimul conceptione, vnum poteſt eſſe prius vel poſterius altero naturâ.

Notandum 2. eſt, in illis quæ ſunt ſimul conceptione poſſe vnum eſſe prius, vel poſterius natura, vt patet in agente, prout actu agens eſt; nam tunc eſt ſimul conceptione cum actione; & tamen eſt prius natura, quia eſt cauſa actionis: ſic in diuinis Pater, & Filius ſunt ſimul conceptione, cùm ſint correlatiua, & tamen Pater eſt prior origine Filio.

Diſcrimen inter vtrũque naturæ & rationis ordinem.

Notandum 3. in hoc etiam differre ordinem naturæ, ab ordine conceptionis quòd in ordine naturæ, quando duæ res ſunt ſibi inuicem cauſæ, & mutuò dependent, ſunt quidem ſimul conceptione, non tamen natura, ſed quodlibet eſt prius alio in ſuo genere cauſæ, vt dicunt philoſophi de materia & forma corporali: vt ergo duo ſint ſimul natura, præter connexionem conceptionis, neutrum debet eſſe cauſa, vel ratio alterius: vnde Ariſt. de modis ſimul: docet illa eſſe ſimul natura, quæ & in eſſendi conſequentia conuertuntur, & neutrum eſt alteri cauſa, vt ſic.

Ariſt. de modis ſimul.

His poſitis, facilis eſt ſolutio difficultatum pertinentium ad ordinem aſſumptionis partium, ſiue primo modo fiat comparatio partium inter ſe, quę prius fuerit vnita Verbo v. g. an caro prius vnita Verbo, quàm anima rationalis; aut contrà, an caro ſit aſſumpta mediante anima, & anima mediante ſpiritu; ſiue 2. fiat comparatio totius humanitatis cum ſuis partibus; vt, an tota humanitas ſit prius aſſumpta, quàm partes eius; & conſequenter, an ſit aſſumpta mediantibus illis, vel contrà. Hęc inquam omnia facilè ex dictis diſſolui poſſunt; nam ex illis comparationibus aliquæ admittunt conceptionis ordinem, aliquæ verò cauſalitatis cuiuſdam & naturæ. Itaque 1. loquendo de ordine conceptionis, illa res eſt prius conceptione aſſumpta, quæ aſſumitur independenter ab alia vt anima Chriſti independenter à corpore, & ab vnione ſua cum illo; quia anima rationalis nec in ſuo eſſe pendet à corpore, nec in aſſumptione pendet ab vnione cum illo: illa verò poſterius conceptione pars eſt, quæ aſſumitur dependenter ab alia; ſic caro, ſeu corpus aſſumitur dependenter ab anima, & ab vnione cum illa, quatenus caro aſſumpta eſt propter habitudinem ad animam & ratione illius; quo ſenſu in 6. Synodo act. 28. in confeſſione fidei Conſtantini, dicitur caro aſſumpta per animam, ſeu mediante anima; & Patres paſſim loquuntur: illa denique ſimul conceptione ſunt, ſi quæ reperiantur mutuâ dependentiâ in aſſumptione.

Inter partes humanitatis à Verbo aſſumptas, quæda prius conceptione, quæda prius natura fuere aſſumptæ.

Anima Chriſti prius conceptione aſſumpta, quam corpus.

6. Synod.

Loquendo autem de ordine naturæ. Richardus in 3. diſt. 2. q. 2. videtur dicere nullum eſſe ordinem naturæ inter aſſumptionem partium, ſed breuiter diſtinguendum eſt, inter ordinem intentionis & executionis: ac ordine intentionis anima prius natura aſſumpta eſt, quàm caro; & humanitas prius natura, quàm vel anima, vel corpus. Patet, quia primaria intentio aſſumptionis fuit ad humanitatem, quæ proinde habebat rationem finis, & cauſalitatis: & rurſus, comparando duas partes inter ſe, corpus aſſumptum eſt in intentione propter animam, quæ principalior eſt, & quaſi finis eius. Iam 2. quoad executionem illa cenſentur prius natura ordine aſſumptionis, quæ aliquo modo requirunt vt aſsumantur alia, & ſic conſtat primùm animam & carnem ſecundum ſe, vt partes ſunt, eſſe prius natura aſsumptas, quàm fuerit tota humanitas; quia natura in executione progreditur ab imperfectioribus & prærequirit partes: ità D. Thom. q. 6. artic. 3. ad 1.

Opinio Richard.

Ordo intentionis & executionis qui differant.

Et tandem comparando has partes inter ſe, rectè dici poſſe, hoc modo, nec priorem fuiſſe vnionem animæ cum Verbo, quàm cum carne, neque poſteriorem, & hoc eſt quod voluiſſe videtur Richardus citatus, & colligitur ſatis ex dictis.

Et hæc de incarnationis myſterio.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De gratia Chriſti, prout eſt ſingularis quidam homo.

DISPVTAVIT hactenus D. Thom. de vnionis, & incarnationis natura, cauſis, principijs, & denique de modo eiuſdem; deinceps verò differit de perfectionibus cõſequentibus naturam aſſumptam à Verbo: ac proinde in hac q. agit de gratia Chriſti, vt eſt ſingularis quidam homo.

ARTICVLO 1. Docet in anima Chriſti admittendam eſſe aliquam gratiam habitualem.

ARTICVLO 9. In Chriſto fuiſſe plenitudinem gratiæ.

ARTICVLO 10. Plenitudinem iſtam gratiæ tantam fuiſſe, vt hæc de lege communi intendi nequeat.

ARTICVLO 11. Gratiam vnionis in Chriſto fuiſſe infinitam, gratiam verò habitualem finitam, licèt poſſit dici hæc infinita, quòd ſit tanta, vt de lege communi intendi non poſſit, & quòd ſit cauſa omnis gratiæ quæ dabitur, aut datur creaturis.

ARTICVLO 12. Plenitudinem gratiæ extitiſſe in Chriſto, etiam ſi fuerit hic comprehenſor & viator, ità vt gratia iſta non potuerit in eo intendi.

DVBITATIO PRIMA.

An anima Chriſti fuerit formaliter ſanctificata ex vi vnionis hypoſtaticæ.

Anima Chriſti formaliter ſanctificata ex vi vnionis hypoſtaticæ.
Nazian. Cyrill. Alexand. Damaſc. Nicetas. Auguſtin. 2. Pſal. 44. Iſaïas. Lucas. Act. Apoſt Origen. Tertul. Ambroſ. Athanaſ. Gregor. Bernard. Auguſtin. Hieronym 3.

RESPONDEO affirmatiuè. Primùm, quia propter hanc cauſam docent ſancti Patres diuinitatem extitiſſe vnctionẽ humanitatis Chriſti; ità docent Nazianzenus orat. 36. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem, & lib. de fide propè finem. Damaſcenus lib. 1. de imaginibus, & alibi ſæpe. Nicetas lib. 3. theſauri cap. 3. *Ipſe*, inquit, *ſe ipſum vnxit, diuinitas enim humanitatis vnctio eſt*: loquitur autem de Chriſto, & D. P. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 26.

Deinde, hoc idem colligunt aliqui ex illis locis ſcripturæ. Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ*: & ex cap. 4. Iſaïæ, & Lucæ 4. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod Deus vnxit me*: & ex cap. 4. Actuum. *Vnxit eum Spiritu ſancto & virtute*: teſtimonia quippe iſta, de Chriſto explicantur communiter à Patribus, ex eo quòd natura humana Chriſti fuerit ſanctificata ex vi vnionis hypoſtaticæ: ità Origenes lib. 2. Peri archon. cap. 6. & lib. 1. contra Celſum. Tertullianus contra Praxeam cap. 13. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 2. Athanaſ. tract. 2. contra Arrianos. Greg. lib. 9. epiſt. epiſtola 69. Bernard. ſerm. in Cantica. D. P. Auguſt. & Hieronym. ad locum Dauidis proximè citatum.

Aliter Chriſtus, aliter nos ſanctificati.
Hilarius. Chryſoſt.

Tertiò, ſancti Patres aſſerunt aliter fuiſſe nos ſanctificatos, alio verò modo Chriſtum; ità docent Hilarius 7. de Trinit. & Chryſoſt. homilia 76. in Ioannem: atqui de fide eſt vnumquemque noſtrùm ſanctificari formaliter per gratiam, & charitatem quæ infunditur in nobis, ex cap. 7. ſeſſ. 6. Concilij Tridentini. Trident. 4.

Quarto, vbicumque ponitur ſummum & maximum Dei bonum, illic etiam ponitur ſumma & maxima ſanctitas: bonitas quippe cenſetur eſſe cauſa ſanctitatis omnium conſenſione; atqui in humana Chriſti natura ex vi vnionis Verbi cum eadem ponitur ſummum & maximum Dei bonum: diximus enim non poſſe Deum producere aliquod aliud opus maius aut præſtantius, ſaltem intenſiuè, quàm ſit opus incarnationis: igitur per illud ſanctificatur. Confirmatur. Sanctitas iſta quæ aduenit humanę naturæ Chriſti ex vi vnionis hypoſtaticæ, cenſetur eſſe ſanctitas perſonalis, ſeu ſubſtantialis diuina: at non poteſt dari maior ſanctitas, ſanctitate diuina perſonali, hæc enim eſt eadem formaliter & realiter cum ſanctitate eſſentiæ diuinæ, non tamen adæquatè & conuertibiliter.

Quintò, ex vi vnionis hypoſtaticæ humana Chriſti natura facta eſt impeccabilis, & præterea infinite grata, & accepta Deo; imo & beata, & quidem in primo inſtanti ſuę conceptionis: ergo debet quoque hæc eſſe quàm maximè ſancta: ità D. Thom. artic. 1. huius quæſt. & Sententiarij in 3. diſt. 13. Suarez diſp. 18. ſeſſ. 1. Vazquez diſp. 41, cap. 4. Peſantius ad articulum 1. huius quæſt. & communiter interpretes D. Thom. 5. D. Thom. Suarez. Vazquez. Peſantius.

Obijcitur.
Obijcies, de fide eſſe hominem ſanctificari formaliter per gratiam, & charitatem, ex loco proximè citato Concilij Tridentini: humana autem Chriſti natura cenſetur eſſe vnum individuum humanæ naturæ.

Reſpõdetur. Gratia & charitas, nõ ſunt cauſa totalis & adæquata ſanctitatis cuiuſlibet. Per quid Deus ſanctificetur.
Reſp. cauſam adæquatam & totalem ſanctitatis cuiuſlibet, non eſſe gratiam & charitatem: Deus enim ſanctificatur formaliter & intrinſece, non tamen per gratiam, & charitatem, prout ſunt hæc duo qualitates aliquæ habituales, ſed per propriam eſſentiam, ſub ea ratione qua infinite bona & ſancta eſt: & item per ſubſiſtentias, quas in ſe habet relatiuas, ac proinde cùm vna ex iſtis ſubſiſtentijs terminet dependentiam humanæ naturæ Chriſti, concedendum eſt, de hac humana natura quod ſit ſubſtantialiter, & perſonaliter ſancta, ſanctitate formali, ſeu, quod idem eſt, formaliter loquendo.

Explicatur locus adductus Tridẽt.
Ad Concilium autem Tridentinum reſp. differere de ſanctitate noſtra formali, quæ eſt ſanctitas non ſubſtantialis, aut perſonalis, ſed accidentalis, vt communiter docent omnes in tractatione de gratia. Eſt autem obſeruandum ſanctitatem iſtam perſonalem, ſeu ſubſtantialem denominare formaliter ſanctam & iuſtam humanam Chriſti naturam, non quòd ſit de eſſentia humanæ naturæ Chriſti, aut quod recipiatur in eadem tanquam in ſubiecto, ſed quia terminat dependentiam illius naturæ, & complet eandem in ratione ſubſtantiæ, indiuiduæ, & ſingularis, eámque euehit ad altius ſanctitatis genus, quàm ſit quæcũque alia natura, communicando nempe illi ſanctitatem per eſſentiam.

Obiectio.
Obijcies, impoſſibile eſt humanæ naturæ communicari huiuſmodi ſanctitatem per eſſentiam, aliàs dicendum eſſet communicaſſe etiam vitam Dei, non enim maior ratio eſt vnius, quàm alterius.

Reſponſio quorumdam improbatur tripliciter.
Reſpondent aliqui, deitatem reſpectu humanæ naturæ eſſe formam tantùm extrinſecam ex cuius reſpectu deriuatur in humanitatem effectus, non phyſicus, ſed moralis, ſicut dicitur de valore,

Digitized by Google

& dignitate operum Christi.

1. Cetèrùm isti primo non afferunt discrimen intentum in argumento ; quare humanitas non dicatur viuens vita Dei , sicut sancta sanctitate per

2. essentiam. Deinde ex illa solutione sequeretur ex vnione non posse reddi sanctam humanitatem, sicut nullus dicitur talis à sanctitate extrinseca alterius , vnde nec nos denominamur sancti & iusti à iustitia, qua Deus sanctus est, vt loquitur Tri-

3. dentinum sess. 6. c. 7. de iustificatione. 3. Falsum est effectum sanctitatis in humanitate esse moralem & non physicum , quia non posset abesse ab illa absque intrinseca mutatione humanitatis : is enim comitatur vnionem hypostaticam , quę nequit recedere sine physica mutatione humanitatis : at omnis effectus moralis potest non esse absque tali mutatione. Neque exemplum valoris operum Christi est ad rem , nam hic pendet à circumstantijs loci , temporis, personę, legis, quæ genus moris constituunt; secùs autem sanctitas humanitatis Christi , quæ immobiliter in ipsa perseuerat , quæque proinde non potest recedere , nisi mutetur physicè.

Vera solutio. Resp. igitur deitatem esse veluti formam intrinsecam humanitati, etsi non inhęreat illi, debet tamen esse in ipsa per vinculum vnionis ineffabiliter, vnde propter hanc causam dixit D. Paulus

D. Paulus. cap. 2. ad Colossenses. *In Christo inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter* : quia illi homini iam deitas facta est propria per vnionem, quandoquidem homo ille, est idem cum Deo; quamuis

Christi humanitati potuit æquè communicari vita & immortalitas, ac sanctitas per essentiam. autem potuisset Deus æquè communicare humanitati vitam & immortalitatem ac sanctitatem per essentiam : ex suppositione tamen qua decreuerat redimere genus humanum per mortem & passionem Christi , impediti fuerunt illi effectus quasi formaliter, ne producerentur in humanitate, & ità non fuit immortalis.

Obijcitur. Respondetur. Si dicas , effectum formæ esse inseparabilem ab illa, adeo vt vbicúque fuerit forma , ibi debeat esse omnis effectus formalis. Resp. hoc esse verum, quando effectus exit ab illa , vt à causa formali propriè , non vero quando procedit ab illa, quæ non est propriè forma, sed explicatur per modum formæ.

DVBITATIO SECVNDA.

An præter sanctitatem proximè explicatam , admittenda sit aliqua alia sanctitas formalis accidentalis in humana Christi natura.

SVNT qui putent partem negantem esse certissimam. Primùm, quia si gratia habitualis existeret in anima Christi, concedendum esset de eo, quòd sit filius Dei adoptiuus ; gratia quippe ha-

Duplici suadetur ratione. bitualis facit , vt is in quo datur sit filius Dei, ex communi doctrina Theologorum omnium: atqui de Christo concedendum est quod sit filius Dei naturalis, non autem adoptiuus : ergo. Denique gratia ista fuisset otiosa, & inutilis in anima Christi; fuit quippe hæc infinite grata & accepta Deo ex vi vnionis hypostaticæ: ergo.

In anima Christi gratia habitualis admit. CONCLVSIO 1. *In anima Christi admittenda est gratia habitualis.* Primùm , quia dicitur Ioannis cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis:* & ad Colos. 2. *In eo sunt omnes thesauri sapiętiæ, & scientiæ Dei abscõditi:* & c. 1. eiusdē epist. *In quo habitat omnis plenitudo gratiæ.* Deinde hoc idē colli-

Ioann. 1. Colos. 2.

A gũt aliqui ex illo Isaiæ 11. *Et requiescet super eũ spiritus Domini :* putant enim Spiritum Domini requiescere in aliquo ex eo capite, quod contulerit alicui gratiam habitualem. Tertiò, gratia habitualis facit nos consortes diuinę naturę, tribuit ius ad vitam æternam obtinendam, & constituit nos formaliter gratos, & acceptos Deo : at hæc omnia habuerunt locum in humana Christi natura. Matthęi 3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus:* hæc videtur esse mens SS. Patrum, Tertulliani contra Marcionem lib. 4. D. P. Augustini in Ioann. & 15. de Trinit. cap. 26. Greg. 13. Moralium, cap. 33. & Bernardi serm. 27. in Cantica: & denique Sententiar. cum D. Thom. art. 10. huius quæst.

2. probatio. Isaiæ 11.

3. probatur.

Matth. 3.

4. authoritate PP. Tertull: Augustin. Gregor. Bernard. & Sententiar. cum D. Thom.

B CONCLVSIO 2. *Non est euidenter de fide Catholica gratiam habitualẽ extitisse in Christo ; est tamen temerarium & erroneum aliter sentire.* 1. pars probatur ex eo quòd ea sint expressè de fide Catholica , quæ habentur expressa in sacris litteris, vel quæ sunt definita à sacris Concilijs, vt docuimus in tract. de fide: atqui res ista non est expressa in sacris litteris, nec item definita ab Ecclesia : ergo.

Gratiã habitualẽ extitisse in Christo non est de fide.

2. verò pars probatur. Quod asseritur contra omnes omnino Theologos Scholasticos, illud cẽsetur esse erroneũ & temerarium: at omnes Scholastici qui subsequuti sunt Concilium Viennense,

Concil. Viennens.

C docent hominem sanctificari formaliter per gratiam habitualem , & admittunt gratiam istam in Christo: ergo.

Deinde , licet Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. & can. 11. non dicat causam formalem nostræ sanctitatis esse gratiam habitualem; certum tamen est Concil. affirmare de hac gratia, quod infundatur nobis , & præterea quod permaneat in nobis: hoc autem videtur competere qualitatibus habitualibus ; imo Catechismus authoritate Concilij Trident. editus, adiecit hominem iustificari formaliter per gratiam, quæ est qualitas.

Obijcit Suarez ex Trident. Obijcit Suarez, Concilium Trident. definire loco proxime citato gratiam, qua iustificamur, infundi & permanere in nobis; item eodem modo

D loqui Concilium de iustificatione formali adultorum & paruulorum : certum autem est paruulos non posse iustificari , nisi media aliqua qualitate habituali. Denique Concil. Trident. sess. 6. can. 14. & sess. 14. can. 1. & 4. ait gratiam datam per baptismum, & amissam per peccatum mort. posse recuperari: argumento igitur est, de fide hominem iustificari media aliqua qualitate habituali.

Respondetur, & eximitur Trident. Resp. primùm, Concil. Trident. illis in locis diserere de causa formali nostræ sanctitatis, non autem de causa formali sanctitatis Christi: sunt enim inter Thomistas qui putent gratiam , qua nos iustificamur formaliter, distingui specie ab ea qua Christus sanctificatur. Nihilominus nos ve-

Gratia qua Christi anima sanctificatur eiusdē speciei cum ea qua reliqui homines sanctificantur. E riorem existimamus eorum opinionem, qui putant gratiam, qua Christi sanctificatur anima formaliter & intrinsece, esse eiusdem rationis, & speciei cum ea qua sanctificantur animæ nostræ. Ita enim sentiunt Richard. in 3. dist. 31. a. 1. q. 2. Caiet. Suarez loco proxime citato, & plerique alij Recent. Ideò

Richard. Caiet. Suarez.

Resp. 2. ex istis omnibus locis Tridentini solùm posse colligi , accedere magis ad veritatem fidei Catholicę sustinere hominem sanctificari formaliter per gratiam , quæ sit qualitas aliqua permanens, quàm per donum aliquod aliud assistens: non tamen potest ex istis locis colligi euidenter, ità vt nihil supersit quod respondeti possit ad hu-

Digitized by Google

iuſmodi teſtimonia: nam poſſunt hæc omnia loca intelligi de gratia actuali quæ diffundipur, & manet in nobis, & præterea facit nos gratos & iuſtos, vt manifeſte colligitur ex actibus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam habitualem obtinendam; ab iſtis enim ex quorumdam Theologorum Scholaſticorum ſententia iuſtificamur formaliter, & tamen in eorum opinione non ſunt actus iſti à gratia habituali, ſed ab actuali tantùm.

Gratia habitualis quando collata animæ Chriſti.

CONCLVSIO 3. *Gratia iſta habitualis fuit in anima Chriſti in illo eodem puncto, in quo fuit hæc vnita corpori, & diuino Verbo.* Primùm quia hoc videtur colligi ex illo Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te:* & ex illo Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Deinde, primis parentibus, itémque Angelis data fuit gratia iſta habitualis, in 1. inſtanti creationis eorum: dè: ergo & à fortiori Chriſto qui fuit etiam pleniſſime beatus in 1. inſtanti ſuæ conceptionis.

Gratia habitualis finita & infinita diuerſo reſpectu. Ratio quorundam cur dicta gratia debeat eſſe finita, non placet.

CONCLVSIO 4. *Gratia iſta habitualis eſt finita ſecundum ſuam entitatem, & infinita ſecundum quid.* Rationem primæ partis aliqui deſumunt quòd exiſtiment non poſſe dari infinitam in actu gratiam, aliàs exhauſta maneret omnipotentia Dei, cùm nihil aliud gratiæ producere poſſit, ſed hoc non placet: tùm quia multi admittunt poſſe infinitum in actu produci; tum quia data productione gratiæ infinitæ intenſe poſſet Deus & eandem deſtruere, vel ſimiliter producere in alijs.

Probabilis ſatis aliorũ ratio.

Satis probabilis eſt ea quam reddunt alij: quæ recipiuntur in ſubiectis finitis debent eſſe finita; at eſſentia animæ Chriſti in qua proxime recipitur gratia iſta, eſt finita: ergo.

Efficacior Vazquez ratio.

Efficacior videtur illa qua Vazquez diſp. 46. cap. 2. vtitur: in quacunque intentione conferatur gratia habitualis, ei fieri poteſt intenſio: cum enim coniungamur ea mediante Deo per affectum & amorem, quo maior fuerit gratia, eo poterimus elicere perfectiorem operationem; ac proinde magis ac magis ſemper Deo vniemur: vbi vero datur maior, & maior vnio cum Deo, datur maior gratia: ergo hæc non poterit eſſe infinita, quia de ratione infiniti eſt, vt nulla fiat ei additio.

Probatio 2. partis.

2. vero pars probatur: gratia iſta habuit omnem perfectionem, quam habere potuit de lege communi ex doctrina D. Thom. in hac quæſt.

Deinde, fuit hæc coniuncta cum gratia vnionis hypoſtaticæ, & cum gratijs gratis datis, & quidem modo perfectiſſimo. Denique data fuit hæc Chriſto veluti principio generaliſſimo ſanctificationis in humana natura; ità vt omnis gratia quæ datur in qualibet pura creatura, vel quæ dari poteſt, pendeat à gratia iſta data à Deo.

Diuerſimodè enunciatur gratia plenitudo de Chriſto, de Virgine, Apoſtolis & alijs.

Ex quo colliges plenitudinem gratiæ longè aliter enunciari de Chriſto, quàm de Diua Virgine, Apoſtolis, & alijs quibuſuis; nam Diua Virgo ideò dicitur plena gratia, quia habuit tantam gratiam, quanta deſiderabatur ad hoc, vt cenſeretur eſſe digna mater Chriſti, ac proinde ad certum aliquem effectum producendum: idem dicendum eſt de Apoſtolis, Ioanne Baptiſta, Stephano, & alijs nonnullis. De Chriſto verò hæc plenitudo gratiæ enunciatur, quia habuit omnem perfectionem debitam gratiæ, in ratione gratiæ ſanctificantis, & præterea habuit omnem omninò perfectionem debitam in ratione gratiæ vnionis. Vide de hac re interpretes articuli 11. huius q. D. Th.

Rogabis, ad quid data fuerit hæc gratia Chriſto? Dico non fuiſſe datam ad expellendum vllum plane peccatum, neque item data eſt ad Deum videndum; quia hæc inutilis eſt ad viſionem producendam, neque item ad merendum: nam merita Chriſti ſumunt ſuam dignitatem & valorem ab vnione hypoſtatica: conceſſa ergo fuit iſta gratia animæ Chriſti ad hoc, vt ſanctificaretur formaliter, & intrinſecè, accidentaliter tamen per iſtam gratiam; & præterea vt poſſet actus ordinis ſupernaturalis exercere; conuenit enim inter omnes actus ordinis ſupernaturalis, non poſſe ab vlla re naturali intra terminos propriæ naturæ relicta, produci: ſed egere ſpeciali Dei auxilio actuali, vel habituali: vnio autem hypoſtatica, vt ſic, non confert humanæ Chriſti naturæ vim ad operandum, diximus namque in antecedentibus ſupponi ſuum non eſſe operatiuum, ſed tantùm terminatiuum.

Gratia habitualis ad quod data fuerit Chriſto.

Soluuntur rationes oppoſitæ. Gratia habitualis quomodo cõſtituat aliquem filium Dei adoptiuum.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. non propterea Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum; quod in eo fuerit gratia habitualis in primo inſtanti ſuæ conceptionis, gratia quippe habitualis non conſtituit aliquem formaliter filium Dei adoptiuum, ſed tantum radicaliter, & quando hæc recipitur in ſubiecto apto ad hoc vt ſit filius Dei adoptiuus: Chriſtus autem cum ex ſe ſit filius Dei naturalis, repugnat illi adoptiua filiatio, vt probabitur inferiùs.

Ad 2. reſpondeo, gratiam habitualem non propterea extitiſſe vanam, & inutilem in anima Chriſti, quod hæc fuerit infinitè digna, & grata Deo ex vi vnionis hypoſtaticæ; nam vnio hypoſtatica ſanctificauit animam Chriſti ſubſtantialiter, & perſonaliter; gratia autem habitualis accidentaliter, vtraq; tamen formaliter cum hoc diſcrimine, quòd ſanctitas gratiæ habitualis dicatur intrinſecè & inhæſiuè; ſanctitas vero hypoſtatica enunciatur terminatiue, intrinſece, & non inhæſiue.

Hæc gratia de lege cõmuni nequit intẽdi, bene tamẽ de potentia Dei abſoluta.

Eſt autem obſeruandum gratiam iſtam habitualem, ità eſſe in anima Chriſti infinitam ſecundum quid, vt de lege communi intendi non poſſit, de poteſtate tamen Dei abſoluta poteſt hæc augeri; imo poteſt dari maior aliqua gratia in pura creatura, quàm ſit ea quæ datur in Chriſto, vt communiter fatentur omnes hoc loco; & colligitur ex eo, quòd qualitates ſuſcipiant magis & minus, poſſintque in infinitum intendi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in Chriſto fuerint virtutes omnes.

Virtutum alię infuſę, alię acquiſitę.

VIRTVTVM alię infuſę, alię acquiſitæ; infuſæ ſunt quæ à ſolo Deo dantur, creatura nõ cooperante ad illarũ infuſionem; acquiſitæ, quæ propriis actibus comparantur. Rurſus infuſarum aliæ ſunt per ſe infuſæ, quæ aliter haberi non poſſunt, cuiuſmodi ſunt tres quas Theologales vocant, ſic dictę, quia circa Deum proxime verſantur: aliæ per accidens infuſæ, quę quamuis labore, & frequentatione actuũ haberi poſſint, infunduntur tamen à Deo gratis, abſque vlla operatione noſtra, vt prudentia, temperantia, iuſtitia, fortitudo, & aliq morales, continentia, magnificentia, &c.

Infuſa in duplici ſunt differentia per ſe & per accidens.

CONCLVSIO 1. *Virtutes omnes per ſe in-*

Digitized by Google

Quæ virtutes fuerint in anima Chriſti, quæ verò non.

fuſa, & per ſe acquiſita, & per accidens infuſa fuerunt in anima Chriſti, exceptis tamen illis, quæ ſunt incompoſſibiles vel cum vnione hypoſtatica, vel cum beatitudine æterna: de virtutibus per ſe infuſis probatur concluſio, ex illo Ioann. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Deinde charitas eſt ità coniuncta cum gratia habituali: vt nuſquam ab inuicem ſeparentur, atqui Dubitatione proximè antecedente docuimus gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti: ergo & charitatem.

Ioann.

De virtutibus verò per ſe acquiſitis & per accidens infuſis, probatur ex 11. Matthæi. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Deinde virtutes, & per ſe infuſæ, & per ſe acquiſitæ, & per accidens infuſæ, dantur cuilibet iuſtificato in inſtanti iuſtificationis, vt docent omnes in tractatione de iuſtificat. atqui anima Chriſti fuit iuſtificata in illo eodem inſtanti temporis, in quo fuit vnita corpori proprio, vt colligitur ex dictis. Propterea autem dixi, exceptis illis, quæ pugnant cum felicitate æterna, vel cum vnione hypoſtatica; quia neque continentia habuit locum in Chriſto, vt docet D. Thom. articulo 1. huius quæſt. ad 3. hæc enim coniuncta eſt cum perturbationibus, & difficultatibus operandi; res autem illæ ſunt incompoſſibiles cum vnione hypoſtatica: Penitentia item nullum habuit locum in Chriſto, quia hæc eſt dolor de peccatis propriis commiſſis contra Deum: peccatum autem, nullum habere potuit locum in Chriſto, propter vnionem hypoſtaticam. De fide, & ſpe, dicetur articulo ſequenti.

Matth. 11.

Continentia an fuerit in Chriſto.

An etiam penitentia.

Magnificētia virtus Chriſto propria.

Sunt qui dicant magnificentiam non extitiſſe in Chriſto, quod caruerit opibus: ceterum cōtraria opinio verior eſt, potuit enim exercere actum iſtius virtutis intrinſecum, ſicut de facto contempſit diuitias. Deinde eadem facilitate qua ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſuſtentauit infinitam hominum multitudinem: ità quoque potuit expendere, & profundere, retento tamen dictamine rectæ orationis, copioſam diuitiarum multitudinem.

Virtutes ſupernaturales in Chriſto admiſſa, non tamen vt abſolutè neceſſaria.

CONCLVSIO 2. *Virtutes ſupernaturales ideò admittuntur in Chriſto, quia debuit exercere actus aliquos ordinis ſupernaturalis, & modo ſibi connaturali operari, abſolutè tamen & ſimpliciter qualitates iſtæ habituales non fuerunt neceſſariæ: potuit enim medio aliquo auxilio actuali ordinis ſupernaturalis actus huiuſmodi ſupernaturales exercere.*

Prob. Concluſ. 1. 2.

Deinde, quod aliquis præſtat medio habitu, poteſt etiam præſtare medio aliquo auxilio actuali, quidquid enim poteſt Deus media vna re creata, poteſt & media aliqua alia: atqui media gratia habituali poteſt quilibet actus exercere ſupernaturales: ergo & media gratia actuali.

Obiectio. Reſponſio.

Dices, animam Chriſti ſubſiſtere per perſonam Verbi. Reſpondeo ex iſtis nihil poſſe colligi; Verbum quippe, vt ſic, non eſt operatiuum, ſed tantùm terminatiuum; ac proinde non eſt hoc ſatis cum humana natura, vt hæc actus ordinis ſupernaturalis exerceat: ſed deſideratur auxilium actuale, vel habitus ordinis ſupernaturalis, ad hoc vt operetur ſupernaturaliter.

Virtutum Chriſti ſedes in voluntate, excepta prudentia, quæ in intellectu.

CONCLVSIO VLTIMA. *Virtutes iſtæ fuerunt in anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & quidem proximè in voluntate, excepta prudentia quæ in intellectu ſedem habet*: ità communiter omnes. Deinde præſidium operandi debet illic collocari, vbi eſt difficultas agendi; certum autem eſt difficultatem operandi conformiter legi ſuperiori eſſe in voluntate; ità docent interpretes D. Thomæ hoc loco.

Quæres, an gratia Chriſti & virtutes ſuſceperint augmentum. Reſp. nec gratiam, nec habitus virtutum factos fuiſſe intenſiores, progreſſu temporis: conſequuti enim ſunt iſti in primo inſtanti cōceptionis Chriſti, omnem perfectionem, quam potuerunt ſibi vendicare naturaliter, reſpectu illius ſubiecti, in quo fuerunt recepti: huius rei hæc redditur ratio, contra recentiores aliquos Thomiſtas: opera Dei ſunt inter ſe perfectiſſima, præſertim reſpectu illius qui eſt & verus Deus, & à primo inſtanti ſuæ conceptionis beatus; atqui humana Chriſti natura & eſt formaliter Deus, & beata à primo inſtanti ſuæ conceptionis: ergo cum de ratione beatitudinis ſit, vt hæc ſit inuariata, & immutabilis, & virtutes tam naturales, quàm ſupernaturales de quibus hîc agimus, ſint diſpoſitiones aliquę ad gloriam obtinendam, fuerunt iſtæ perfectiſſimæ ſtatim in primo inſtanti conceptionis Chriſti; præſertim cùm intendantur huiuſmodi virtutes ſupernaturales actibus meritorijs, & Chriſtus nihil ſibi promeruerit præter corporis glorificationem, & nominis exaltationem.

Gratia & virtutes in Chriſto ſine augmento.

Ratio aſſertionis.

Obijcies, dici apud Lucam 2. *Ieſus proficiebat ætate, ſapientia, & gratia, apud Deum & homines.* Reſp. Patres hunc locum interpretari de oſtenſione, & manifeſtatione gratiæ, non autem de incremento eiuſdem.

Obiectio. Luc 2. Reſponſio.

Dices, oſtenſionem gratiæ non potuiſſe fieri Deo, ſed hominibus, & tamen dicitur profeciſſe Chriſtum apud Deum, & homines. Reſp. profeciſſe Chriſtum apud Deum, hoc ſolo nomine, quòd decurſu temporis alia poſt alia, non autem in eodem inſtanti bona opera exercuerit quæ habuerunt ortum à gratia habituali.

2. obiectio.

Quomodo Chriſtus dicatur proficere apud Deum.

ARTICVLVS TERTIVS.

An in Chriſto fuerit fides.

In Chriſto non fuit fides actu.

DOCET D. Th. in Chriſto nō fuiſſe actu fidem; & quidem meritò; dicitur enim cap. 13. prioris ad Corinth. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Id eſt cùm viſio diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, dabitur in nobis, euacuabitur fides in nobis, & ibidem. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Deinde fatentur omnes in beatis, fidem nullum habere locum: ità Scholaſtici in 3. diſt. 23. 26. & 31. & D. Thom. 1. 2. q. 67. & 2. 2. q. 1. artic. 4. at Chriſtus fuit beatus à primo inſtanti ſuæ conceptionis. 3. repugnat vnum & idem ſimul, & ſemel eſſe clarum, & non clarum, euidens & non euidens, obſcurum & non obſcurum: at quæ fide creduntur ſunt obſcura, ineuidentia, & minimè clara, quę verò videntur à beatis, ſunt clariſſima, euidentiſſima, & manifeſtiſſima: ergo cum Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuerit beatus, actum planè exercuit clarum & euidentē: ità communiter omnes interpretes D. Thom. hoc loco.

1. Cor. 3.

Probatio 1.

2.

3.

Durand. ponit in intellectu Chriſti habitum fidei tribus rationib.

Dubitatur autem, an ſaltem habitus fidei infuſę locum habuerit in anima Chriſti. Durand. diſt. 24. lib. 3. q. 4. & diſt. 31. putat habitum fidei de facto fuiſſe in intellectu Chriſti: tum quia potuit

habitus

habitus hic perficere intellectum Chriſti, non minùs quàm cæteri habitus per ſe infuſi, aut per accidens de facto perficiunt voluntatem, & intellectum eiuſdem: tum quia habitus fidei, non contrariatur actui viſionis diuinæ eſſentiæ; tum denique, quia habitus fidei ponitur in quibuſuis viatoribus iuſtis.

Fidē habitualem nec fuiſſe, nec dari in Chriſto, Probat. 1. 2.

CONCLVSIO. *Fides habitualis non datur in Chriſto, neque aliquando data fuit.* Primùm, quia habitus ſunt propter actus, ex cōmuni doctrina; diximus autē actus fidei nullos extitiſſe in Chriſto.

Deinde, quando dantur duo habitus, quorum vnus eſt perfectiſſimus, alius verò non ità perfectus, & ille inclinat ad actus omnino contrarios habitui non ità perfecto, imperfectus hic habitus tandem deſtruitur à perfectiſſimo illo: atqui habitus fidei, comparatus cum viſione diuinæ eſſentiæ animæ Chriſti, eſt admodum imperfectus: ergo cum viſio diuinæ eſſentiæ manifeſtet intellectui Chriſti, illud omne quod nos credimus fide diuina, idque euidentiſſime, & manifeſtiſſime, ſi daretur hic habitus fidei in Chriſto, deſtrueretur per viſionem diuinæ eſſentiæ.

Habitus perfectior deſtruit minus perfectum.

3.

3. Licet verum ſit, habitum viſionis & fidei non opponi inter ſe ſimpliciter loquendo, certum tamen eſt in ordine ad ſuos actus opponi aliqua ratione inter ſe, oppoſita autem nequeunt eſſe ſimul, ſaltem de lege communi in gradibus intenſis: ità communiter Scholaſtici hoc loco, & Sententiarij locis proximè citatis, vnico Durādo excepto.

Refelluntur 1. ratio Durandi.

Ad cuius rationes reſpondeo. Ad 1. intellectū Chriſti, poſſe quidem perfici medio habitu fidei; non tamen poſito in eodem habitu viſionis diuinæ eſſentiæ; nam maiorem perfectionem confert viſio diuinæ eſſentiæ intellectui Chriſti, quàm conferret habitus fidei ſi daretur in eodem; continetur enim hic virtute, & eminenter in habitu viſionis diuinæ eſſentiæ.

Ad 2. reſp. Fides habitualis de poteſt. Dei abſoluta in beatis admitti poteſt.

Ad 2. reſpondeo, fidem, & viſionē diuinę eſſentię in ratione habitus non opponi inter ſe, abſolute, & ſimpliciter loquendo; in ordine tamen ad ſuos actus de lege communi opponuntur, ac proinde non ſunt iſti in Chriſto admittendi, neque item in beatis, licet de poteſtate Dei abſoluta ſecùs contingere poſſit, vt docuimus in tractatione de fide.

3. rationis Durandi ſolutio.

Ad 3. fidem poni in omnibus viatoribus iuſtis, ea lege, quòd ſint puri viatores: Chriſtus autem nedum fuit viator, ſed etiam comprehenſor, idque à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vnde caruit fide habituali.

Obiectio. Iſaiæ 21. Reſponſio.

Dices, Iſaiæ cap. 11. dici de Chriſto, *Erit fides cinctorium renum eius.* Reſp. nomine fidei illic ſignificari non fidem infuſam, ſed fidelitatem, & veracitatem, vt manifeſte colligitur ex lectione Septuaginta: legūt enim iſti non πίστις, ſed ἀλήθεια: πίστις autem ſignificat fidem ἀλήθεια autem fidelitatem vel veracitatem.

ARTICVLVS QVARTVS.

An in Chriſto fuerit ſpes.

Actus ſpei quomodo admitt. in Chriſto. Rom. 8. 1. Cor. 13.

DOCET D. Tho. in Chriſto non fuiſſe actum ſpei, reſpectu præcipui, & principalis obiecti: bene tamen reſpectu ſecundarij, quod eſt corporis glorificatio: de primo conſtat euidenter ex c. 8. Rom. *Quod videt quis, quid ſperat?* & ex c. 13. prioris ad Corinth.

A eadem quippe ratione loqui videtur de ſpe, ac de fide in beatis: ac proinde quemadmodum nulla fides datur in iſtis, ità neque ſpes. 2. obiectum præcipuum ſpei eſt ſummum bonum futurum, & ex conſequenti non obtentum, Chriſtus autem à primo inſtanti ſuæ conceptionis diuinam eſſentiam perfectiſſime conſpexit: ergo in ordine ad aſſecutionem illius non habuit ſpem. *2. Ratio.*

Dices, potuiſſe Chriſtum ſperare perſeuerantiam propriæ beatitudinis. Reſp. negando antecedens: menſuratur enim beatitudo æuo ſeu æternitate participata, ac proinde debet eſſe tota ſimul neceſſariò: deinde de ratione beatitudinis eſt, quòd ſit inamiſſibilis: ergo. *Obiectio. Reſponſio.*

B Secundum autem ex eo innoteſcit, quod fides doceat Chriſtum vere fuiſſe mortalem, ac proinde potuit hic ſperare de facto corporis reſurrectionē.

Sunt autem qui dubitent, an habitus ſpei fuerit in Chriſto: negant plerique, non tamen conuenit inter ipſos, quæ ſit ratio huius negationis. *Rationes varię cur habitus ſpei non fuerit in Chriſto.*

Aliqui enim volunt propterea habitum ſpei non fuiſſe in Chriſto, quoniam facile fuit ei deſiderare corporis glorificationem. Cęterùm hæc ratio, ſi aliquid diceret, concluderet nullam plane virtutem fuiſſe in Chriſto; hic enim nedum facile, ſed facillime, & ſumma cum delectatione actus cuiuſlibet virtutis exercuit, ratione partis ſuperioris. *1. Ratio refellitur.*

C Alij verò, propterea docent habitū ſpei non fuiſſe in Chriſto, quia remoto actu, qui verſatur circa prȩcipuum & primarium obiectum alicuius virtutis ab aliquo, remouetur quoque ab eo huiuſmodi habitus: actus autem ſpei qui verſatur circa obiectum primarium eiuſdem, remouetur à Chriſto, hic enim de facto vidit eſſentiam diuinam à primo inſtanti conceptionis, vnde ſperare iſtam minimè potuit, ex loco citato Pauli, *Quod videt quis, quid ſperat?* *2. Ratio.*

Cęterùm ratio hæc nihil plane dicit, tum quia habitus fortitudinis, & temperantiæ admittuntur ab omnibus in beatis; & tamen actus huiuſmodi virtutum nulli futuri ſunt in cœlis, tum D quia pœnitentia perſeuerabit in omnibus beatis, & tamen hæc non eliciet actum, qui verſatur circa primum, & prȩcipuum ſuum obiectum, qualis eſt dolere de peccatis, hoc nomine quòd peccata ſunt contra Deum: dabitur tamen actus ſecundus eiuſdem pœnitentiæ, qui eſt agere gratias Deo pro peccatis remiſſis, aut deteſtari peccata commiſſa, ſine vllo tamen dolore. *Reiicitur.*

Caiet. verò putat Chriſtum ſperaſſe corporis glorificationem dependenter tantum à viſione beatifica: Sed opinio iſta eſt manifeſtè falſa, ſperare ſiquidem eſt actus voluntatis: viſio autem diuinæ eſſentiæ eſt actus intellectus. *3. Ratio Caietani improbatur.*

E Alij denique ſentiunt, propterea ſpem non fuiſſe in Chriſto, quia ipſe Chriſtus ſperauit corporis glorificationem, tanquam rem aliquam ſibi debitam, ex vi beatitudinis eſſentialis: At ratio hæc eſt etiam impertinens, nam cuilibet adulto prædeſtinato, debetur vita æterna, ex meritis in hac vita factis, & tamen conuenit inter omnes prædeſtinatum in hac vita conſtitutū, ſperare per habitum ſpei beatitudinem ęternam. *4. Ratio. Refutatur.*

Spei habitus quomodo admittendus in Chriſto.

Dico igitur, *veriorem eſſe eorum opinionem, qui ſpei habitum admittunt in Chriſto, reſpectu actus ſecundi, qui eſt ſperare corporis glorificationem & hominum ſalutem*: ità D. Thom. artic. 5. huius quæſt. ad 1. ait enim in Chriſto extitiſſe illud omne quod D. Thom.

Digitized by Google

in ſpe rationem habuit perfectionis: Alenſis 3. p. quæſt. 22. memb. 3. ad 1. Suarez in commentario ad hunc articulum. Vazquez diſp. 43. ſaltem ad diem vſque reſurrectionis Chriſti. Deinde admittitur actus ſpei glorificationis corporis Chriſti: ergo cum habitus ſpei, concurrat vnà cum voluntate intrinſecè, ad actus ſuos exercendos, verè fuit in Chriſto.

Alenſis. Suarez. Vazquez.

Obiectio. Actus ſpei, cur potius admittitur in Chriſto, quàm actus fidei.

Dices, ergo dabitur etiam in Chriſto habitus fidei. Reſp. negando illationem, fides enim dicit imperfectionem reſpectu cuiuſlibet ſui actus, contrariam viſioni diuinæ eſſentiæ: quilibet enim actus fidei eſt ineuidens & obſcurus; habitus autem ſpei non aduerſatur quoad omnes ſuos actus viſioni diuinæ eſſentiæ; ſed tantum quoad primum ſuum actum, quare in ordine ad alios actus, hęc rectè admittitur in Chriſto, & item in beatis. B

ARTICVLO 5. docet D. Thom. in Chriſto fuiſſe ſeptem dona Spiritus ſancti, de qua re nullus eſt qui dubitet; ſunt enim hæc inſtituta ab auctore naturæ, vt quilibet ſequatur modum, & impulſum Spiritus ſancti, faciliori negotio: animam autem Chriſti obſequutam fuiſſe in omnibus & ſingulis promptiſſimè Spiritui ſancto nullus eſt, qui dubitare queat.

Quis timor fuerit in Chriſto.

ARTICVLO 6. tradit D. Thom. extitiſſe donum timoris non quidem culpæ, aut pœnæ, ſed filialis, & quidem meritò; fuit quippe in anima Chriſti ſummus affectus erga Deum, ad hoc vt ſumma veneratione coleretur ab omnibus, & ſingulis creaturis rationalibus. C

Donũ linguarũ fuit in Chriſto.

ARTICVLO 7. docet gratias gratis datas fuiſſe in Chriſto; in reſponſione tamen ad 3. excipit donum linguarum. Contraria tamen opinio videtur verior, tum quia temporibus Chriſti lingua Chaldaïca, Syriaca, & Latina fuerunt in vſu Hieroſolymis, tum apud Euſebium lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticę cap. 13. extat epiſt. Abagari principis Edeſſenorum ad Chriſtum, & reſponſio ſimiliter Chriſti ad eumdem, quæ creditur ſermonè Syriaco, fuiſſe ſcripta; tùm quia indubitatum videtur pleroſque ex Ethnicis, & infidelibus Chriſtum fuiſſe alloquutos, ac proinde calluiſſe Chriſtum nedum linguam Hebræam, ſed etiam & peregrinas quaſlibet alias. D

Euſebius.

Prophetia fuit in Chriſto.

ARTICVLO 8. quærit D. Thom. an prophetia fuerit in Chriſto. Reſp. affirmatiuè, probatúrque ex cap. 18. De uteron. *Prophetam de medio tui ſimilem tibi dabit Dominus*: Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in nobis*: Ioann. 6. *Verè Propheta eſt iſte*, quæ teſtimonia de Chriſto manifeſtiſſimè loquuntur.

Deuter. 18 Luc. 7. Ioan. 6.

Deinde, ad hoc vt aliquis dicatur propheta, ſatis eſt vt prædicat futura abſcondita, verè & certiſſimè; hæc autem præſtitit Chriſtus, vt eſt euidenter notum ex innumeris locis noui Teſtaméti.

Obiectio.

Dices, D. Paulum cap. 13. prioris ad Corinth. affirmare in beatis non dari prophetiã. *Siue*, inquit, *prophetiæ euacuabuntur*: Chriſtus autem fuit beatus a primo inſtanti ſuæ conceptionis. E

Reſponſio.

Reſp. prophetiam extare non poſſe cum eo qui tantum beatus eſt, bene tamen cum eo qui eſt beatus, & viator ſimul, vt docet D. Th. hoc loco, ſatis enim eſt ad hoc vt prophetia perſeueret quod ſit viator, & quod abſit loco, vel tempore à rebus quas prædicit: Chriſtus autem ratione corporis fuit ſeiunctus, & ſeparatus à multis rebus; quas verè prædixit, fuit etiam viator omnium conſenſione. Vide de natura prophetiæ D. Thom 2. 2. A q. 172. 173. & 174.

ARTICVLO VLTIMO docet vnionem hypoſtaticam præceſſiſſe, non quidem tempore, ſed naturâ infuſionem gratiæ habitualis.

DVBITATIO VNICA.

An collata ſit gratia habitualis Chriſti humanitati, antecedenter ad vnionem per modum cauſæ diſpoſitiuæ.

CERTVM eſt apud omnes neque gratiam habitualem, neque qualitatem aliquam eſſe poſſe diſpoſitionem ex natura rei neceſſariam ad vnionem hypoſtaticam: ità vt illa poſita ex natura rei ſequatur vnio. Idque quòd nullum accidens dari poſſit quod habeat cum prædicta vnione huiuſmodi connexionem, ac proinde quod cogat Verbum ad illam aſſumendam. *Nulla qualitas potuit eſſe diſpoſitio ad vnionẽ.*

Sed dubium procedit, an gratia habitualis præceſſerit in natura humana tanquam diſpoſitio ad vnionem, ità vt ſine illa fieri non potuerit, vel ſaltem fuerit requiſita ex quadam decentia, & vt cõgruum ornamentum naturæ vniendæ; etenim primum probabile autumant Alexand. 3. p. q. 7. mẽb. 2. & Gabriel in 3. diſt. 2. q. vnica, a. 2. poſterius verò docent Bonauẽt. in 3. diſt. 2. a. 3. q. 3. Marcil. q. 10. & D. Th. eadem diſt. 2. in 3. q. 2. artic. 2.

CONCLVSIO tamen eſt, *Neutro modo gratiam habitualem collatam fuiſſe Chriſti humanitati antecedenter ad vnionem cum Verbo*: ità D. Th. a. 10. q. 2. & q. 6. a. 6. & q. 7. a. 13. vbi, vt obſeruat Caietanus, retractauit quod docuerat in 3. cit. Vazquez diſp. 40. cap. 2. Suarez.

Probant aliqui, quia ſi gratia habitualis præceſſiſſet tanquam diſpoſitio, fieret vnionem Verbi cum natura humana accidentalem fuiſſe, non verò ſubſtantialem: ſequẽla patet, quia fuiſſet facta medio accidente, videlicet habitu. *Quorumdã probatio inefficax.*

Sed hæc ratio infirma eſt, quia vnio animę cum corpore ſubſtantialis eſt, & tamen fit mediis diſpoſitionibus accidentariis, ſimiliter &c. Ratio verò quare neutra ſit accidentalis eſt, quia habenda eſt ratio nexus, & vinculi, quod cum ſit ſubſtantiale ſequitur, &c.

Alij probant, quia humanitas non potuit habere accidẽs illud, quin prius natura extiterit in rerum natura; prius enim eſt eſſe, & exiſtere, quã vel agere, vel recipere; at natura humana non prius extitit, quàm Verbo vniretur, cùm per exiſtentiam Verbi exiſtat: ergo. *Aliorum probatio improbatur.*

Ceterùm hæc ratio nititur falſo fundamento; etenim cum natura humana Chriſti ex ſe fuerit vera, & actualis entitas habuit etiam verã & propriam ex ſe exiſtentiam; is enim eſt conceptus formalis exiſtentiæ efficere vt res ſit actu, & extra ſuas cauſas.

Aliunde oſtendit Suarez ſuprà citatus gratiam habitualem non fuiſſe diſpoſitionẽ antecedentem ad vnionem. Nullum accidens exiſtit in ſubiecto prius quàm habeat ſubſiſtentiam, cum accidentalia preſupponant ſubſtantialia: at de fide eſt humanitatem Chriſti non habuiſſe propriam ſed diuinam: ergo prius fuit illi vniri, quàm habere gratiam habitualem.

Sed hoc eneruat Vazquez, quia certiſſimum eſt animam prius natura habuiſſe mentem & voluntatem, quæ ſunt accidentia, quàm fuerit vnita Verbo; & corpus ſimiliter quantitatem, qualitatem, & alia accidentia: atque in *Suarii probatio infirmatur.*

Digitized by Google

vniuerſum dicendum eſt quòd quamuis requiratur ex parte principij ad agendum ſubſiſtentia in natura tanquam conditio prærequiſita, id nequaquam eſt neceſſarium, ſi natura ſe habeat merè paſſiuè, & recipiat.

Vazquez concluſionẽ non comminiſcit.

Ipſe Vazquez hanc affert: non potuit dari gratia habitualis humanitati Chriſti ante vnionem, niſi vt affectu & amore coniungeretur Deo, ac proinde ex intentione adoptandi ipſam in filiam, ſed non potuit eſſe filla adoptiua Dei, quia in illa fuit filiatio Dei naturalis quæ excludit omnem filiationem adoptiuam: ergo gratia habitualis non potuit conferri tanquam diſpoſitio antecedens.

Verùm neque hæc ratio eſt efficax; quia quamuis gratia habitualis data fuiſſet prius natura humanitati, quàm fuiſſet vnita Verbo, dummodo in eodem inſtanti temporis fieret vnio, non inde ſequeretur datam eſſe affectu adoptandi aut conſtituere filiam adoptiuam; quia vt hoc fieret neceſſaria eſſet in eodem inſtanti temporis negatio filiationis naturalis, quam neceſſariò requirit filiatio adoptiua; hoc autem eſt impoſſibile, quia adueniente filiatione naturali in ſecundo inſtanti rationis, excluderetur neceſſariò filiatio adoptiua; quemadmodum in eodem inſtanti temporis in quo eſt vltima diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, non eſt priuatio formę ad quam diſponit; etſi in aliquo priori naturæ, & rationis non intelligamus formam cùm intelligimus vltimam diſpoſitionem; vnde ſicut non eſt verum dicere in eodem inſtanti temporis in quo eſt vltima diſpoſitio ad formam, natura eſt priuata formâ, eò quòd ſit in eodem inſtanti temporis; ità non eſſet verum dicere naturam humanam prius naturâ affectam gratia habituali habere priuationem filiationis naturalis, ſi in eodem inſtanti temporis vniretur Verbo: ergo ex hoc capite non repugnat gratiam habitualem naturâ præcedere ipſam vnionem.

Optima ratio communis doctrinæ.

Vera ergo ratio, quare gratia habitualis non ſit diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam eſt, quia cùm talis vnio ſit ſupernaturalis, & maxima omnium gratiarum, & natura ipſa, quæ vnitur ſe habeat merè paſſiuè reſpectu illius, ſufficienter erat idonea natura humana ex ſuis principijs naturalibus, vt per ſe ipſam ratione naturalis capacitatis vniretur Verbo in perſona abſque alia diſpoſitione ſuperaddita, quemadmodum quæcumque natura rationalis per ſeipſam immediatè apta eſt, vt valeat recipere quodcumque donum ſupernaturale nulla præcedẽte diſpoſitione eiuſdẽ ordinis.

Duo obijci poſſunt. Primùm, vt intellectus Beati videat diuinam eſſentiam indiget lumine gloriæ, quo eleuetur ad viſionem Dei: ergo ſimiliter vt humanitas vniatur ſubſtantialiter Verbo, indiget gratia habituali, qua diſponatur; intimiùs enim & perfectiùs coniungitur Deus humanitati per vnionem hypoſtaticam, quàm intellectus Beatorum per viſionem claram, cùm hæc coniunctio ſit accidentalis, illa verò ſubſtantialis.

Secundum à paritate, quia ex parte corporis, præcedit per modum diſpoſitionis congruæ ad vnionem hypoſtaticam optima illius formatio, ſumma pulchritudo, & debitum humorum temperamentum: quidni ex parte animæ præcedere debuit tanquam congrua diſpoſitio, pulchritudo ſpecialis illius quæ ſit per gratiam habitualem.

Ad 1. Reſp. intellectui Beatorum dari lumen gloriæ, vt adiuuet ipſum ad viſionem eliciẽdam ad quam concurrit efficienter, non verò ad recipiendam viſionem.

Ad 2. ſimiliter nego accidentia illa corporis relata, fuiſſe diſpoſitiones ad vnionem hypoſtaticam illius, cùm eſſent ordinis naturæ, & conſequenter improportionata, ſolũ igitur præpararunt corpus ad vnionem ipſius cum anima Chriſti.

QVÆSTIO VIII.

De gratia Chriſti prout eſt caput Eccleſiæ.

ARTICVLO 1. docet Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ.

ARTICVLO 2. Chriſtum eſſe caput Eccleſię, nedùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus.

ARTICVLO 3. Chriſtum eſſe caput omnium hominum.

ARTICVLO 4. Eſſe caput Angelorum.

ARTICVLO 5. Gratiam capitis, eſſe idem cum gratia Chriſti habituali.

ARTICVLO 6. Dæmonem eſſe caput malorum, non quidem influẽdo intrinſecè malitiam, ſed tantùm ſuadendo, aut inuitando ad eandem.

ARTICVLO VLTIMO. Antichriſtum poſſe dici caput malorum hominum, non quidem ratione gubernationis, ſed tantùm reſpectu extremæ malitiæ, quę in eo dabitur.

Hæc quæſtio explicatur à nobis tribus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

An Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.

VT hæc definiatur, obſeruandum eſt Eccleſiam nuncupari corpus aliquod, non quidem naturale, ſed myſticum, vt videre eſt apud Paulum, cap. 12. epiſt. ad Rom. & 12. prioris ad Corinth. idque propter affinitatem, & conuenientiam aliquam, quę datur inter Eccleſiam, & corpus humanum; ac proinde concedendum eſt de Eccleſia, quod admittat caput aliquod myſticum, quod influat in omnes partes, & membra Eccleſię, & præterea quod ſit ſupremum membrum reſpectu omnium partium eiuſdem; quódque regat & gubernet omnes Eccleſiæ partes: de hoc ergo capite myſtico quærimus hoc loco, an ſit Chriſtus reſpectu Eccleſię.

Eccleſia corpus vocatur.

CONCLVSIO 1. *Concluſio eſt caput Eccleſiæ myſticum:* 1. ex cap. 6. prioris ad Corinth. *An neſcitis quoniam corpora veſtra membra corporis ſunt:* & Epheſ. 5. *Ipſum,* ſcilicet Chriſtum, *dedit caput ſuper omnem Eccleſiam:* & cap. 5. *Vir eſt caput mulieris ſicut Chriſtus Eccleſiæ:* & ibidem. *Nos ſumus mẽbra corporis Chriſti:* & ad Col. 1. *Ipſe eſt caput Eccleſiæ.*

Chriſtus caput Eccleſ. myſtic. 1. Cor. 6. Epheſ. 5. *Probatio 1.* Coloſ. 1. 2.

Deinde in omni corpore myſtico admittendum eſt caput aliquod quod influat, & ordinet cæteras partes corporis in finem earumdem, reſpondet enim caput myſticum capiti naturali ex communi doctrina; at certum eſt Chriſtum influere in omnes omnino partes Eccleſię, & ordinare eaſdem ad vitam æternam, veluti in finem earum ſupernaturalem ex innumeris Scripturæ ſacræ locis: ergo conſtituitur reſpectu illius caput.

Tertiò, Duæ conditiones ſunt neceſſariæ, 3.

ad hoc vt aliquid dicatur caput, maximè in corpore humano; altera quod influat in omnia membra, altera quod ſit ſuprema pars in corpore: atqui duæ iſtæ conditiones deprehenduntur in Chriſto reſpectu Eccleſiæ; dicitur enim in Actis Apoſtolis, cap. 10. quod ſit hic conſtitutus iudex viuorum, & mortuorum, & Ioann. 1. quod de plenitudine eius nos omnes acceperimus gratiam pro gratia.

4. Hilar. Auguſt. Baſil. Thom.

Denique, hæc eſt doctrina Patrum Hilarij 8. de Trinitate, & in Pſal. 132. & 139. ad hæc verba, *Sicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*: D. P. Auguſtini epiſt 57. & de catechizandis rudibus, & de agone Chriſtiano, & Baſilij in libris de Spiritu ſancto, & demum D. Thom. artic. 1. huius quæſt. cum Sententiarijs diſt. 13.

Chriſtus vt homo eſt caput Eccleſiæ. Probatio 1.

Conclvsio 2. *Chriſtus, nedum vt Deus, ſed etiam vt homo, eſt caput myſticum Eccleſiæ.* Primùm, quia id videtur colligi euidenter ex cap. 1. ad Epheſ. dicitur enim illic de Chriſto, quod dederit eum caput omnis Eccleſiæ, & ſubiungit de eodem, quod Deus ſuſcitauerit eum à mortuis; hoc autem non poteſt eſſe verum de Chriſto quatenus Deus, bene tamen quatenus homo eſt: & ex cap. 10. ad Coloſſenſ. vbi ait, quod Chriſtus ſit caput omnis Eccleſiæ, & ibidem ſubiungitur, quod ſit primogenitus ex mortuis: attributum autem hoc nequit enunciari de Chriſto quatenus Deus eſt, ſecus autem ſub ea ratione quà homo eſt.

2. Auguſt. Gregor. Damaſc. Ambroſ.

Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia Patrum, D. P. Auguſtini epiſt. 50. & lib. 1. de Trinitate cap. 12. Gregorij Nazianzeni orat. 43. Athanaſij de incarnatione ad Antiochum, Damaſceni 4. de fide, cap. vltimo, & Ambroſij epiſt. 22. libri ſecundi, & interpretum omnium D. Thomæ.

3.

Accedit ratio, Chriſtus nedum meruit nobis vitam æternam per actiones dependentes à Verbo tantùm, ſed etiam ab anima & corpore eiuſdem; ac proinde merita Chriſti ſunt attendenda penes humanam naturam eiuſdem, licet concedendum ſit mutuari dignitatem ſuam à Verbi ſuppoſito, vt ſuprà docuimus: ergo Chriſtus influit in omnia membra Eccleſiæ, nedum vt Deus eſt, ſed etiam vt homo; ac proinde nedum dicendus eſt caput Eccleſiæ vt Deus, ſed etiam vt homo.

4.

Denique, propter hanc cauſam fatentur plerique Scholaſtici, Chriſtum, vt hominem, eſſe caput Eccleſiæ, non ſolùm militantis, ſed etiam triumphantis; quorum doctrina videtur comprobari ex cap. 1. ad Epheſ. dicitur enim illic, quod Deus dederit ipſum, ſcilicet Chriſtum caput ſuper omnem Eccleſiam.

Non poteſt Chriſtus dici caput cuiuſlibet rei naturalis. Probatio 1.

Conclvsio 3. *Licèt Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, non tamen poteſt dici de eo, quòd ſit propriè loquendo caput cuiuſlibet rei naturalis.* Primum, quia Chriſtus, vt homo, non influit phyſice, & naturaliter in res quaſlibet creatas ordinis naturalis. Deinde, quia eodem modo pendent res iſtæ naturales à Chriſto poſt eius incarnationem, atque anteà: at certum eſt ante incarnationem, humanam Chriſti naturam non potuiſſe influere in res iſtas naturales phyſice, ſeu naturaliter; eſt enim quàm maxime probabile, quod non eſt, nec fuit, non influere etiam vere, & phyſice.

2.

3.

Denique, licet poſſit Deus vti humana Chriſti natura veluti inſtrumento phyſico ad producendas res naturales; non tamen conſtat ità ſe geſſiſſe, aut gerere Chriſtum in rebus huiuſmodi producendis ex Scripturis, patribus, aut Conciliis: ergo non debet concedi ipſum influere in illas, nec conſequenter earumdem eſſe caput.

Obiectio.

Dices, Apoſtolum affirmare omnia eſſe à Deo per Chriſtum diſpoſita, & condita, ad Coloſſ. 1. & cap. 8. prioris ad Corinth. 11.

Reſponſio 1.

Reſpondeo hæc intelligenda eſſe de Chriſto, vt Deus eſt, non autem vt homo ex Patribus Theodoreto, Theophylacto, & Anſelmo, ad hæc teſtimonia. Deinde, attributio iſta enunciatur à Paulo de humana Chriſti natura per communicationem idiomatum, non autem proprie & formaliter.

2. Reſponſ.

Secundo reſpondeo, nihil repugnare quominus ex iſtis locis probare poſſimus Chriſtum, etiam vt hominem, eſſe caput omnium rerum naturalium, non quidem eo modo, quo eſt caput hominum, & Angelorum; ſed quia, poſita Chriſti incarnatione, omnes omnino res naturales fuerunt ſubditæ poteſtati Chriſti: propter hanc cauſam dicitur apud Dauidem; *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.*

Pſal. 8.

Chriſtus vt homo omnium hominum caput.

Conclvsio vltima. *Chriſtus quatenus hic homo, eſt caput quorumcumque hominum in quacumque temporis differentia conſtitutorum: ac proinde eorum omnium qui ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt.* Primùm, quia hæc eſt communis opinio Doctorum ad articulum 1. huius quæſt. D. Thom. & in 3. diſt. 23.

Probatio 2.

Deinde, idem colligitur ex innumeris locis Scripturæ, in quibus Chriſtus dicitur mediator, & redemptor hominum; 1. Timothei 2. *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*: & 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem.*

1. Timoth. 2. 1. Ioan. 2.

3.

Tertiò, meritum paſſionis Chriſti, nedum vni, aut alteri prouinciæ, aut regno fuit ſignificandum, ſed etiam toti orbi, vt conſtat ex cap. vltimo Matthæi. *Ite, docete omnes gentes*: & Marci vltimo. *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Matth. & Marc. vlt.

4. Rom. 5.

Quartò, Chriſtus opponitur primo parenti, ex illo Apoſtoli. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur*: atqui primus parens cenſetur eſſe caput omnium mortalium, modo tamen per naturalem generationem à primo parente deriuentur: hæc eſt ſententia Patrum locis adductis in cõfirmationẽ primæ cõcluſionis.

Obiectio.

Obiicies, Chriſtum non poſſe eſſe caput eorum hominum in quos nulla plane influit auxilia ordinis ſupernaturalis; de ratione namque diximus capitis eſſe, quod influat in membra: at certum eſt Chriſtum non conferre vlla auxilia ſupernaturalia hominibus damnatis, neque item pueris qui moriuntur in vteris maternis: imo cùm baptiſmus ſit ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, & nequeat hic applicari dictis paruulis, videtur etiam ſtatuendum Chriſtum non eſſe caput iſtorum paruulorum, nedum actu, ſed neque etiam poteſtate.

Reſponſio.

Reſp. de ratione capitis non eſſe quod actu influat, ſed ſatis eſt quod poſſit influere: Chriſtus autem, vt hic homo, etiamſi nulla det auxilia ſupernaturalia damnatis, dedit tamen pro eo tempore, quo fuerunt in hac vita mortali, aut certe dare potuit, & ſi non fuerunt iſta auxilia data, defectus hic non eſt refundendus

Digitized by Google

in Chriſtum, ſed in damnatos iſtos qui noluerunt aſſentiri inſpirationibus Dei.

Reſponſio 2. Secundò reſp. Chriſtum eſſe caput puerorum qui moriuntur in vteris maternis, non quidem actu, ſed poteſtate quamprimùm enim contigit aliquem viuere, poteſt Deus conferre iſti auxilia ſupernaturalia, etiamſi detineatur in vtero materno. Dª quippe Ioannes Baptiſta, Hieremias, D. Virgo omnium Catholicorum conſenſione, fuerunt iuſtificati intrà vterum maternum. Deinde per accidens eſt, quòd qui moriuntur ante baptiſmatis ſuſceptionem in vteris maternis, ſi non iuſtificentur: abſolutè quippe iuſtificari poſſunt per baptiſmatis ſuſceptionem.

Alia obiect. Objicies, ſi Chriſtus eſſet caput quorumcumque hominum, eſſet etiam membrum corporis myſtici Eccleſiæ; tum quia quælibet pars corporis naturalis humani conſentit cæteris membrum eiuſdem: tum etiam quia 1. Corinth. 14. dicitur; *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*: at Chriſtus nequit eſſe membrum corporis myſtici Eccleſiæ; neque enim poteſt Chriſtus, vt hic homo, aliqua mutuò recipere à cæteris partibus Eccleſiæ.

1. Cor. 14.

Reſponſio. Reſp. Chriſtum poſſe dici membrum Eccleſiæ: locutionem quippe iſtam vſurpauit D. Thom. Deinde, certiſſimum eſt caput corporis naturalis, rectè vocari membrum eiuſdem. Ad id verò quod dicitur membra à ſe inuicem pendere in corpore naturali, & Chriſtum non poſſe pendere à partibus Eccleſiæ Catholicæ, reſpondeo propoſitionem illam habere tantùm locum in membris corporis naturalis; non autem in membris corporis myſtici, quale eſt Eccleſia Chriſti: omnes ergo qui hactenus fuerunt, ſunt, & futuri ſunt, inter homines gratiam omnem, quam habent, conſequuntur dependenter à Chriſto vt eſt hic homo; ac proinde tanquam à capite myſtico: Chriſtus tamen nulla accipit ab illis, neque item accipere poteſt, vt videtur colligi ex illo Ioann. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

Explicationes variæ & bonæ loci D. Pauli. Ad teſtimonium verò D. Pauli, reſpondeo tripliciter poſſe exponi 1. *Vos eſtis membra de membro*: id eſt adinuicem eiuſdem corporis eſtis membra, ac propterea deberis vos ipſos diuerſis officiis adiuuare; hortabatur enim ibi Paulus Corinthios ad pacem, & vnitatem ſeruandam, eò quòd eſſent eiuſdem corporis membra, quæ diuerſis officijs ſibi ſubſeruiunt. 2. *Vos eſtis membra de membro*: ſ. ex parte, vt legunt quidam Patres Græci; vt ſit ſenſus, Non eſtis vos omnia membra Eccleſiæ, ſed ſolùm ex parte, id eſt Eccleſiæ Corinthiorum, quæ pars eſt totius corporis Eccleſiæ. 3. poteſt ſic exponi. *Vos eſtis membra de membro*: ſ. de me, qui etiam ſum membrum Eccleſiæ, quo medio coniuncti iſtis, & vniti Chriſto: nam per Euangelium ego vos genui, vnde ex illo loco nihil licet inferre contra dicta.

Vltima obiectio. Objicies, Pontificem maximum eſſe caput Eccleſiæ. Reſp. eſſe tantùm miniſteriale: Chriſtus autem eſt caput præcipuum, & principale Eccleſiæ. Eſt autem obſeruandum in corpore myſtico, ac proinde & in Eccleſia Chriſtiana, dari plura capita inter ſe tamen ſubordinata; Deus ergo cenſetur eſſe præcipuum, & nobiliſſimum caput Eccleſiæ, ab eo quippe pendent magis quàm ab vllo alio omnia dona ſupernaturalia, quæ deprehenduntur in hominibus iuſtis. Secundum caput cenſetur eſſe Chriſtus, vt hic homo, meruit namque nobis gratiam, gloriam, & omnia auxilia quæ conducere poſſunt ad vitam æternam, ſua morte & paſſione, imò eſt quàm maximè probabile Chriſtum concurrere ad productionem donorum, quæ dantur in nobis, nedum in ratione cauſæ meritoriæ; ſed etiam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ. Tertium & vltimum caput Eccleſiæ eſt Pontifex maximus, non quidem hoc ſenſu, quòd hoc influat dona ſupernaturalia in Eccleſiam per ſeipſum proximè & immediate; ſed quia ſacramenta nobis adminiſtret, indulgentias conferat, & denique res de fide proponat credendas.

Plura capita in Eccleſia ſubordinata.

DVBITATIO SECVNDA.

An Chriſtus ſit caput Angelorum.

Chriſtus caput Angelorum. DOCET D. Thom. artic. 4. huius quæſt. Chriſtum eſſe caput Angelorum, idem fatentur interpretes omnes eiuſdem, Suarez, Vazquez, Pelantius, & Sententiarij; non tamen conuenit inter iſtos authores in comprobandi huc communi ſententia.

Quorundã probatio. Sunt enim qui eam confirment ex cap. 1. ad Epheſios. *Suſcitans eum*, ſcilicet Chriſtum, *a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, virtutem, dominationem, & poteſtatem*: & item ex cap. 2. ad Coloſſ. dicitur enim illic de Chriſto, quod ſit caput omnis principatus, & poteſtatis.

Enervatur. Cæterùm minùs rectè, vt obſeruant nonnulli recentiores: ex loco quippe primùm adducto, tantum colligitur humanę Chriſti naturæ datam eſſe copioſiorem gratiam, & gloriam, quàm data fuerit vlli planè creaturæ; non autem conſtitutam fuiſſe humanam Chriſti naturam caput naturæ angelicæ; ex poſteriore vero ſolum colligi poteſt Chriſtum, quatenus Deus eſt, eſſe caput cuiuſlibet principatus, non autem ſub ea ratione quà homo eſt, vt explicant Patres, Chryſoſt. Theodoretus, Anſelmus, & alij nonnulli ad hunc locum.

Aliorum probatio. Probatur ergo ab alijs ex communi ſententia Patrum, maximè vero D. P. Auguſtini ſerm. 3. in Pſal. 36. *Caput*, inquit, *noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus, nunquid ſolì nos & non etiam illi qui fuerunt ante nos? omnes qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt illa vna ciuitas fiat ſub vno rege, & vna prouincia, ſub vno imperatore.* Idem docet Dionyſ. cap. 7. libri cœleſtis Hierarchiæ ad hęc verba Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Origenes in Ioann. Chryſoſt. ad cap. 1. Epheſ. & denique Hieronym. ad cap. 3. Epheſ. Auguſt. Dionyſ. Origen. Chryſoſt. Hieronym

Ratio communis doctrinæ. Accedit ratio: Ad hoc vt aliquis cenſeatur eſſe caput corporis myſtici non eſt neceſſe quod ſit eiuſdem rationis & naturæ cum membris: Deus quippe eſt caput myſticum eorum omnium quæ ſunt, fuerunt, aut futura ſunt: & tamen certum eſt Deum non eſſe eiuſdem rationis cum iſtis omnib. rebus creatis; ſed ſatis eſt, quod influat, vel influere poſſit in omnia membra iſtius corporis myſtici, & quod ordinet illa in fines ſibi conuenientes: atqui *Chriſtus promeruit Angelis quædam auxilia.* Chriſtus quatenus hic homo, meruit Angelis illuſtrationes aliquas de rebus ordinis ſupernaturalis, & item beatitudinem aliquam accidentalem, vt videtur colligi ex cap. 1. Coloſſ. dicitur enim illic Chriſtum pacificaſſe ſuo ſanguine, & inſtauraſſe ea quæ in terris, & in cœlis ſunt,

Imò non deſunt ex Scholaſticis qui putent Chriſtum meruiſſe Angelis gratiam,& gloriam.

Obiectio. Objicies, caput debere eſſe dignius & ſuperius, quàm ſint membra alia corporis myſtici Apoſtolus autem cap. 1. ad Hebræos, ait humanam Chriſti naturam eſſe inferiorem natura angelica, quod probat ex illo Dauidis,Pſalmo 8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*

Hebræ. 1.

Reſpõſio. Reſp. Chriſti naturam humanam,vt ſeparatam à ſuppoſito diuino,inferiorem eſſe natura Angelica, & hoc velle tantùm Apoſtolum eo in loco; non autem humanam Chriſti naturam vnitam Verbo diuino,qua ratione contendimus Chriſtum eſſe caput hominum, & Angelorum.

Mouetur dubium. DVBITATVR autem inter Theologos Scholaſticos, *an Chriſtus ideò ſit caput hominum & Angelorum, quod ſicut Chriſtus meruit hominibus gratiam & gloriam, & omne auxilium quod cõducit ,vel conducere poteſt ad vitam æternam,ità etiam meruerit Angelis gratiam,& gloriam.*

Aliquorum opinio & fundamentum. Ephes.1. Coloſſ.1. Apocal. 12

Sunt qui partem affirmatiuam eſſe indubitatam affirment,idque quòd Epheſ. 1. dicatur, Chriſtum inſtauraſſe omnia quæ in cœlis,& in terra ſunt:& ad Coloſſ. 1. pacificaſſe quæ in cœlis, & in terris ſunt per ſanguinem Crucis. Deinde in ſacra Apocalypſi cap. 12.dicitur,factum fuiſſe prælium magnum in cœlo, & Michaëlem viciſſe draconem in ſanguine Agni, id eſt Chriſti:apud Ioann. etiam ſcribitur ; *Sine me nihil poteſtis facere :* ſunt autem hæc verba Chriſti. Denique Patres docent Chriſtum eſſe redemptorem hominum & Angelorum: ità Bernard.ſerm.22. in Cantica ,Fulgentius,& alij nonnulli qui citantur à Vazquezio diſp.49.c.1.

Chriſtus cur caput Angelorum. CONCLVSIO. *Chriſtus non ideò eſt caput Angelorum, quòd iſtis meruerit gratiam,aut gloriam eſſentialem;ſed quia meruit eis illuſtrationes varias de rebus ordinis ſupernaturalis , & beatitudinem aliquam accidentariam.* Aduerte concluſionem iſtam intelligendam eſſe de Chriſto homine ; nam Chriſtum extitiſſe caput Angelorum reſpectu gratię,& gloriæ,vt eſt Deus,indubitatum eſt apud omnes.

Probatio 1. Probatur autem primùm. Illis ſolis meruit Chriſtus gratiam , & gloriam pro quibus paſſus eſt, & mortuus; merita quippè Chriſti omnia reſpiciunt eius paſſionem,& mortem,vt videtur colligi ex cap. 2. prioris D. Petri. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis :* & ex cap.24.Lucæ. *Oportebat Chriſtum pati , & ità intrare in gloriam ſuam :* non quidem reſpectu beatitudinis eſſentialis ; hanc enim habuit in primo inſtanti ſuæ concepționis , ſed tantùm reſpectu beatitudinis corporis : atqui certum eſt Chriſtum non eſſe paſſum & mortuum pro Angelis ; ſed tantùm pro hominibus , vt docent Patres,Auguſt. cap. 65. Enchiridij , Beda ad cap. 1. Epheſiorum, Theodoretus,Theophylactus , ad cap. 2. Hebræorum, Gregorius lib. 28. Moralium , & alij multi ; imò hoc videtur colligi ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Vnus,* ſcilicet Chriſtus, *pro omnibus mortuus eſt* ergo.

1. Petr. 2. Lucæ 24.

Auguſt. Beda. Theodoret Theoph.

2.

Deinde, illis ſolis meruit Chriſtus gratiam , & gloriam qui ſanctificantur in eo , quique cenſentur eſſe propterea fratres eiuſdem,vt colligitur ex cap. 2. ad Hebræos. *Qui ſanctificat , & ſanctificantur ex vno omnes, non propterea confunditur vocare eos fratres :* atqui certum eſt Angelos non nominari fratres Chriſti ; ſed ſolos homines ; idque quòd conſequantur gratiam , & gloriam, & auxilia quælibet ſupernaturalia dependenter à Chriſto,prout eſt hic homo.

A Tertiò, hoc idem colligitur ex parabola paſtoris Lucæ 15. ad quam videtur alludere Apoſtolus Hebræorum 2. *Nonenim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ :* idem enim eſt ac ſi diceret Angelos non eſt proſequutus Chriſtus ſtudio , & affectu quàm maximo, bene tamen homines ; quia à Deo defecerant per peccatum: dicitur autem autem apprehendiſſe ſemen Abrahę, quòd mortem in humana natura quam aſſumpterat propter homines ſuſtinere voluerit , vndè & promeruerit iſtis auxilia quælibet neceſſaria ad vitam æternam obtinendam.

3. Luc. 15. Hebr. 2.

Obiectio. Obiicies , Angelos in ſtatu viæ credidiſſe in Chriſtum,& item prædeſtinatos fuiſſe dependenter à meritis Chriſti.

Reſpõſio. Reſp. primam propoſitionem eſſe certiſſimam, non tamen habuerunt Angeli fidem Chriſti dependenter à meritis eiuſdem; ſed tantùm per ſpecialem Dei largitionem. Deinde non eſt abſurdum fateri Angelos credidiſſe in Chriſtum pro eo tempore , quo fuerunt in via impheitè, non autem explicite. Tertiò ſunt ex Theologis multi qui docent Iudæos iudicandos eſſe in die iudicij, non ſecundum præmium eſſentiale eorumdem; ſed tantùm ſecundum præmium accidentale , & idem docent de gratia quæ habuit locum in Angelis: ità D. Thom.in 4. diſt. 47. & multi Thomiſtæ ad quæſtionem 56.huius partis.

C Secundò reſpõdeo,propoſitionem iſtam, Angeli fuerunt prædeſtinati dependenter à prędeſtinatione Chriſti , eſſe falſam ; quæſtione quippe 1. huius partis ſancti Thom. artic. 3. docuimus prædeſtinationem Chriſti præſupponere præuiſionem peccati primi parentis ; ante præuiſionem autem peccati primorum parentum natura angelica fuit ordinata ad vitam æternam obtinendam; imò hoc idem diximus de primis parentibus reſpectu ſtatus innocentię,quare gratia & gloria data Angelis in primo ſtatu creationis & innocentiæ adſcribitur meritis Chriſti.

2.*Reſpõſio.*

Probatio 2. partis. Secunda verò pars probatur. Patres omnes, itémque Scholaſtici conſtanter affirmant Chriſtum,quatenus homo eſt,eſſe caput hominum , & D Angelorum ; at non eſt caput Angelorum ex eo quod influat gratiam & gloriam iſtis eſſentialem:ergo debet eſſe caput Angelorum ex eo quod influat illis gratiam & gloriam accidentalem.

Satisfit fundamẽto aduerſarior. explicando loca ſcript. Ad rationes vero cõtrarias reſp.Chriſtum pacificaſſe quæ in cœlis, & in terris ſunt,hoc nomine quod naturam angelicam , & humanam inter ſe diſſidentes ſua morte conciliauerit ; non autem quod meruerit Angelis gratiam,& gloriam eſſentialem , aut certè gratiam , & gloriam accidentalem. Dicitur præterèà de Chriſto quod reſtauauerit, quę in cœlis ſunt, quia ſua morte effecit, vt ſedes deſertæ ab Angelis , fuerint reſtauratę per homines prędeſtinatos, dependenter à ſua morte. E

Michaël vincit dæmonem magis hominibus quibus aſſiſtit. Ad illud vero Apocalypſis dico, Michaëlem viciſſe in ſanguine Agni, non quidem proximè & immediate in ſua perſona, ſed in hominibus,quibus adſunt Angeli , & quos inſpirant ad bene operandum ,*contra quod alliciuntur à dęmonibus ad peccandum : ità vt prælium hoc non fuerit immediatè factum inter dæmonem , & Michaëlem,ſed inter dæmonem , & inter homines & præterea Angelos cuſtodientes homines , victoriáque iſta proinde adſcribitur meritis Chriſti. Ad teſtimonium vero Ioannis,dico intelligendum eſſe de ſolis hominibus,non autem de Angelis.

Digitized by Google

Explicatur ſancti Patres.

Ad vltimam reſp. ſanctos Patres ideo dixiſſe Chriſtum eſſe redemptorem Angelorum, quod gratia, & gloria quæ datur in Angelis, ſit in iſtis dependenter à Deo: de fide autem eſt Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem; dicitur tamen ab ijſdem redemptor hominum, nedum, quod omnis gratia, & gloria quæ datur in hominibus ſit à Deo, veluti à cauſa principali; ſed etiam quod pendeat hæc à meritis Chriſti.

DVBITATIO VLTIMA.

Quæ ſit gratia capitis in Chriſto.

Gratia capitis in Chriſto eſt gratia habitualis. Probat. 1.

DICO 1. *gratiam capitis eſſe in Chriſto, gratiam habitualem*, quam diximus quæſtione proximè antecedente extitiſſe in eo, præter gratiam vnionis hypoſtaticæ. Primùm, quia ità docet D. Thom. art. 5. huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem.

2. Deinde, gratia capitis debet eſſe poſita in eo, quod eſt principium meriti cuiuſlibet Chriſti, & præterea quod facit, vt merita Chriſti tranſmittantur ad omnia membra Eccleſiæ, vt communiter fatentur Scholaſtici locis citatis; atqui principium proximum cuiuſlibet meriti in Chriſto, eſt gratia habitualis eiuſdem, & præterea facit hæc gratia habitualis vt merita Chriſti nobis applicentur per ſacramenta: ergo illa erit gratia capitis.

Gratia vnionis etiã pertinet ad gratiam capitis.

DICO 2. *Gratiam capitis repetendam eſſe, nedum ex gratia habituali, ſed etiam ex gratia vnionis hypoſtatica: ità vt ex iſtis duabus conſurgat vna totalis gratia capitis in Chriſto.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. art. 6. huius quæſtionis & plurium Recentiorum.

Probat. 2.

Secundò, de ratione gratię capitis eſt, vt influat in membra; atqui vnio hypoſtatica facit, vt merita Chriſti nobis applicẽtur; indubitatũ quippe eſt dignitatem meritorum Chriſti præcipuam repetendam eſſe à dignitate vnionis hypoſtaticæ; imo merita Chriſti non aliter cenſentur eſſe infinitæ dignitatis, niſi quia pendent ab vnione hypoſtatica.

Obiectio.

DICES, ſanctum Thomam art. 5. huius q. negare, de gratia vnionis, quod pertineat ad dignitatem gratiæ capitis Chriſti; quia hæc, inquit, non eſt operatiua, ſed eleuat tantum humanam naturam ad ſubſiſtere, ſeu eſſe diuinum.

Reſponſio.

Reſp. D. Thom. negare tantum hoc in loco gratiam vnionis hypoſtaticæ non pertinere ad gratiam capitis proximè, & immediatè; hac quippe ratione gratia capitis repetenda eſt, à ſola gratia habituali quę fuit in Chriſto, in primo inſtanti ſuę conceptionis; remotè tamen præcipuè, & principaliter gratia capitis deſumenda eſt ab vnione hypoſtatica, & hoc negare nunquã venit in mentem D. Thomæ, neque potuit venire, cum dignitas meritorum Chriſti, & ratio tranſmittendi iſta ad omnes mortales ex vnione hypoſtatica ortum habeat.

Gratia capitis potuit communicari abſolutè puræ creaturæ. Probatio 1.

QVAERES. *An gratia iſta capitis potuerit communicari per omnipotentiam Dei, alicui puræ creaturæ. Reſp. affirmatiuè, non tamen ità perfectè ſicut datur in Chriſto.* Prima pars huius reſponſionis comprobatur ex eo quod non implicet omnem gratiam quæ datur, aut dari poteſt in quibuſuis mortalibus dari in iſtis dependenter ab aliqua pura creatura.

2. Deinde, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, primus parens habuiſſet rationem capitis reſpectu tranſmiſſionis iuſtitiæ originalis in poſteros, hęc enim tranſmiſſa fuiſſet per actum generationis in omnes mortales, omnium conſenſione, ſicut peccatum originale tranſfunditur ad quoſlibet.

Nulla pura creatura potuit participare gratiam capitis ita perfectè.

Secunda vero pars reſponſionis probatur. Per omnipotentiam Dei fieri non poteſt, vt gratia ſit alicui puræ creaturæ connaturalis, quod tamen contigit in Chriſto vi vnionis hypoſtaticæ; quemadmodum enim beatitudo æterna debetur animę Chriſti, ex vi vnionis hypoſtaticæ, ità hęc eadem vnio poſtulat, vt omnis gratia habitualis debeatur eidem animę Chriſti.

Deinde, per omnipotentiam Dei nequit fieri, vt pura creatura ſit ex ſe, & ſua natura author alicuius ſacramenti, producentis, vt ſic, efficaciter gratiam: pertinet quippe inſtituere ſacramenta efficacia productionis gratiæ, ad illum tantum, qui eſt author gratię; ſolus autem Deus ex ſe, eſt author gratiæ: ergo cum ſacramenta ſint inſtrumenta quędam, per quę merita Chriſti nobis applicantur, pura creatura nequit ità perfectè, ſicut Chriſtus eſſe caput Eccleſię: quocirca gratia capitis nuſquam ità perfectè poterit tribui creaturę, ſicut Chriſto, etiam de poteſtate Dei abſoluta.

QVÆSTIO NONA.

De ſcientia Chriſti in communi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam præter diuinam.

Error Monothelitarũ, & aliorum circa cognitionẽ animæ Chriſti.

MONOTHELITAE, Apollinaris, & alij nonnulli recentiores hæretici docuerunt in Chriſto nullam extitiſſe cognitionem, ſeu ſcientiam, præter diuinam increatam. Peccarũt hac in eadẽ re Hugo à ſancto Victore, Ioannes de Ripa, & alij nonnulli Scholaſtici, quos citat Medina ad hunc articulum D. Thomę: crediderunt quippe iſti intellectum Chriſti humanum intellexiſſe illud omne quod cognouit & cognoſcit de facto per intellectionem diuinã. Contra hęc ſit,

In Chriſto eſt admittẽda aliqua cognitio creata. Probatio 1.

CONCLVSIO 1. *Cognitio aliqua creata actualis, eſt neceſſariò in anima Chriſti admittenda:* hęc eſt de fide, definita in 6. Synodo, actione 4. & 11. vt obſeruant Vazquez ad hunc articulum D. Thom. Suarez & Medina.

2. Ioann. 8.

Deinde, videtur expreſſa in ſacris litteris: Ioannis ſiquidem 8. dicitur; *Ego ſcio eum*, & rurſus. *Et voluntatem eius ſeruo*, & cap. 13. *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem*, & cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit nobis.* & Matthęi 22. *Cognita autem Ieſus malitia eorum.*

Ioann. 1. Matth. 22.

3. Tertio, hęc eſt expreſſa ſententia Patrum, Damaſceni 3. de fide cap. 6. Ambroſij, de incarnatione, cap. 7. D. P. Auguſtini, in Enchiridio ad Laurentium, & multorum aliorum, ad hęc verba

Hebræorum 5. *Didicit, ex his quæ paſſus eſt obedientiam.*

4. Philipp. 2. Quartò, negari nequit Chriſtum meruiſſe; dicitur quippe ad Philippenſes cap. 2. de eo, *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* & præterea oraſſe. Matth. 26. 26. *Tranſeat à me calix iſte* & apud Lucam, dicitur de eodem; *Erat pernoctans in oratione Dei,* & ab Apoſtolo, Hebræorum 5. *Offerens cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia:* atqui non potuit Chriſtus mereri, aut orare, niſi dependenter ab aliqua cognitione creata: igitur ea eſt in illo admittenda.

3. B Denique, ratione D. Thomæ in hoc articulo: potentia quælibet ordinatur ad operandum; atqui in Chriſto datur intellectus humanus non minus, quàm anima rationalis: ergo cum operatio propria intellectus ſit cognitio, hæc neceſſario in Chriſto concedi debet.

Nulla potuit anima Chriſti cognoſcere per ſcientiam diuinam. Probatur ex Patribus.

Conclvsio 2. *Anima Chriſti nulla cognouit, nec cognoſcere potuit per illam eandem numero cognitionem, qua Deus ſeipſum, & alia à ſe intelligit:* ità D. Thom. in hoc articulo, & in 3. diſt. 14. & de veritate, quæſt. 20. art. 1. & communiter Interpretes eiuſdem.

Auguſt. Deinde, idem docent Patres; maximè vero D. P. Auguſt. libro de duabus animabus contra Manichæos, cap. 1. Ambroſius 2. de fide cap. 4. *Vbi* C *eſt,* inquit, *ſubſtantia diuerſa: nequit eſſe operatio vna.*

Agathon. ſimile quid legitur in epiſt. Synodali Agathonis Papæ, quæ extat in 6. Synodo, actione 4. dicitur enim illic, in Chriſto non poſſe dari vnam tantum operationem naturæ humanæ, & diuinæ conuenientem. *Quia,* inquit, *operatio vnius naturæ, non poteſt eſſe operatio alterius naturæ.* & Damaſc. 3. de

Damaſc. fide cap. 13. & 14. & Leo epiſt. 10. & 96.

2. Deinde, actus vitalis nequit ſeparari ab ea potentia à qua producitur; pendet enim in eſſe, fieri, & conſeruari à potentia iſta vitali vitaliter operante, & cum ſit actus immanens, debet neceſſariò reperiri in potentia à qua producitur; atqui cognitio qua Deus intelligit, producitur ab intel- D lectu diuino: ergo, intellectus humanus Chriſti nequit intelligere per huiuſmodi cognitionem increatam.

Obiectio. Dices, ſubſiſtentiam increatam Verbi communicari humanæ naturæ Chriſti, & naturam iſtam ſubſiſtere per ſolam Verbi ſubſiſtentiam; ergo.

Reſponſio. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequutionem; propterea enim ſubſiſtentia Verbi communicatur humanę naturę Chriſti, quod adueniat ei terminando tantùm & eamdem complendo in ratione ſubſtantiæ completæ; non autem quod recipiatur in humana natura, tanquàm in ſubiecto: quemadmodum cognitio increata deberet recipi in intellectu eiuſdem humanæ naturæ Chriſti, E ad hoc vt intelligeret per cognitionem increatam. Deinde, concedendum eſſet de intellectione increata, quod produceretur ab intellectu humano, quod tamen nulla ratione defendi poteſt, cùm ſit hæc idem cum Deo realiter & formaliter, ac proinde improducta, quemadmodum Deus.

Inſtantia. Inſtabis, cognitionem increatam, qua Deus intelligit, eſſe ſubſtantialem, non minùs quàm ſit ſubſiſtentia increata Verbi: ergo.

Satisfit. Reſp. ex iſtis nihil poſſe colligi; implicat quippe intellectum creatum cognoſcere quidpiam per intellectionem ſubſtantialem; poſtulat enim vt intelligat illud omne quod intelligit per intellectionem accidentalem.

Conclvsio vltima. *Cognitio iſta qua admittitur à nobis in Chriſto vt homo eſt, veriſſima eſt, certiſſima, & euidentiſſima,* Primùm, quia hæc eſt communis opinio Interpretum D. Thom. hoc loco: & Sententiariorum in 3. diſt. 14. *Cognitio Chriſti veriſſima, & certiſſima.*

Probatio 1. Deinde, Chriſtus etiam vt hic homo, nec potuit falli, nec quempiam fallere. Confirmatur. Inſtabilitas fidei noſtræ, Pontificis Maximi, & Eccleſiæ legitimè congregatæ in decernendis, vel bonis moribus, vel rebus pertinentibus ad fidem Catholicam, repetenda eſt ex infallibilitate Chriſti, vt colligitur ex cap. 22. Lucę; *Ego rogaui pro te* Luc. 22. *Petre, vt non deficiat fides tua.* 2.

Tertio. In Chriſto nullus planè fuit actus fidei, aut opinionis humanæ, vt obſeruant interpretes D. Thom. hoc loco, & Sententiarij diſt. 14. lib. 3, ergo cognitio eiuſdem fuit certa & euidens. 3.

Obiectio. Dices, Chriſtum credidiſſe hominibus ſibi aliqua narrantibus, & rationes eorumdem probabiles, quibus confirmabant iſta, intellexiſſe.

Reſponſio. Reſpondeo, Chriſtum non credidiſſe rebus iſtis propter authoritatem eorum à quibus referebantur, neque item propter rationes probabiles, quibus confirmabant; ſed propter euidentiam tantum, quæ erat in eo de huiuſmodi rebus, reſpectu veritatis, quam continebant: rationes item probabiles vſurpauit ad probabilitatem eorum quæ dicebantur intelligendam; non autem ad veritatem eorumdem aſſequendam.

Aduerſantur hæretici varij. Hæc concluſio eſt contra Themiſtianos hæreticos, Gnoſticos, Agnoïtas, & Caluinum. ad cap. 2. Lucæ. & 26. Matth. ad hæc verba: *Si poſſibile eſt &c.* ait enim illic, Chriſtum ignoraſſe multa ex his, quæ continentur in hoc vniuerſo, & item ex his quæ pertinent ad ſuum ſtatum; error autem hic comprobatur ſequentibus argumentis.

Fundamentum hæreticorum 1. Primum, ex illis locis in quibus dicitur de Chriſto, quod neſciat aliqua, & quod profecerit in ſapientia, quemadmodum & ætate: ità dicitur Lucæ 2. Matthæi 13. imo Damaſcenus lib. 3. de fide, ait, Verbum diuinum aſſumpſiſſe humanam naturam ignorantem.

2. Secundum, ſumitur ex illis locis, in quibus admiratio tribuitur humanę Chriſti naturę.

3. Tertium & vltimum, ſumitur ex eo, quod certiſſimum ſit humanam Chriſti naturam non comprehendiſſe eſſentiam diuinam: verum, facile eſt reſpondere iſtis.

Diſſoluitur primũ arg. Ad 1. quidem humanam Chriſti naturam aſſumptam fuiſſe ignorantem, ſi ſpectetur prout eſt à Verbo ſeparata: dicitur prętereà de hac quod aliqua ignoret; putà, diem iudicij, non quidem ſimpliciter, ſed tantũ quia non vult alijs reuelare: dicitur prętereà profeciſſe in ſapientia reſpectu oſtenſionis, & manifeſtationis ſcientię, quam habuit, non autem quod aliqua de nouo didicerit.

2. Ad 2. admirationem non ſemper habere cauſam ignorantiam, ſed etiam nouum modum cognoſcendi aliqua, vt conſtat ex eo qui certiſſimè nouit Eclipſim ſolis; hic enim licèt ſciat Eclipſim iſtam fieri per interpoſitionem terrę inter aſpectum noſtrum & corpus ſolare, ſi tamen nunquam aliàs Eclipſim ſolis de facto conſpexerit, incipit admirari quamprimum ſenſibus externis deprehendit Eclipſim iſtam.

3. Ad 3. Reſp. nihil plane probare; non enim creatura aliqua ideo dicitur ignara, quod neſciat illa omnia quæ Deus intelligit, modo tamen

Digitized by Google

noſcat illud omne quod pertinet ad ſuum officium, & item ſtatum, & denique ad dignitatem ſuæ perſonæ: Chriſtus autem vt homo iutellexit perfectiſſimè ea omnia quæ pertinent ad ſuum ſtatum, vt dicetur inferius.

Aliter alij ſatisfaciũt.

Reſpondent alij, dari triplicem ignorantiam; prauæ, ſcilicet, affectionis, quę continet aliquem errorẽ, contrarium ſcientiæ: priuatiuã, quæ poſita eſt in negatione cognitionis earum rerũ, quas quis ſecundum ſuum ſtatum vel officium debet intelligere: & denique negatiuam, quæ poſita eſt in eo, quod quis neſciat ea, quæ nullo modo pertinent ad ſuum ſtatum, officium, aut dignitatem perſonæ: duæ illæ priores ignorantiæ nullum habent, neque habere potuerunt locum in anima Chriſti, bene tamen vltima, quæ nullam ponit in eo imperfectionem; non enim debuit iſta ſecundum ſuum officium, ſtatum, & dignitatem perſonæ intelligere.

Quãnã ratione ignorantia locũ habeat in Chriſto.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Chriſtus habuerit beatitudinem, quam habent Beati, vel comprehenſores.

CONVENIT inter omnes animã Chriſti poſt reſurrectionẽ eiuſdẽ, eſſentiam diuinam, prout in ſe eſt, conſpexiſſe; ac proinde fuiſſe beatã eſſentialiter; beatitudo quippe poſita eſt in viſione, & amore diuinæ eſſentiæ; nec immerito dicitur quippe Lucę 22. latroni bono à Chriſto; *Hodie mecum eris in paradiſo*, id eſt, diuinam eſſentiam contpicies, quemadmodum, & ego video in paradiſo. Deinde, de fide eſt quadrageſimo die à reſurrectione Chriſtum conſcendiſſe cœlum, vt dicitur in Actis Apoſtolicis cap. 1.

Dubitatur tamen an anima Chriſti in primo inſtanti conceptionis eiuſdem eſſentiam diuinam conſpexerit, prout hæc in ſe eſt, & eamdem ſic viſam amauerit.

Propenuntiatio rationis contrariæ 1.

Ratio dubitandi eſſe poteſt. Prima, de fide eſt Chriſtum meruiſſe ſibi, & nobis; ſtatus autem viæ eſt ſimpliciter neceſſarius ad meritum, & videtur repugnare vnum & eumdem eſſe ſimul viatorem, & comprehenſorem.

2. Deinde, Scriptura verbis expreſſis aſſerit Chriſtum debuiſſe pati, & mori vt beatitudinem conſequeretur, Ioannis 7. *Spiritus ſanctus nondum erat datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus*, & expreſſius, Lucæ 24. *Oportebat Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam.*

Ioann. 7.

Luc. 24.

3. Denique, ſi anima Chriſti in primo inſtanti ſuę conceptionis fuit beata; & pro toto tempore quo fuit vnita corpori eiuſdem, concedendum eſt transfigurationem Chriſti non fuiſſe miraculoſam; D. enim Auguſt. ait, gloriam corporis conſurgere neceſſariò ex gloria animæ: at illatio eſt contra documenta ſanctorum Patrum; aiunt ſiquidem tranſigurationem Chriſti fuiſſe miraculoſam; fuit enim hæc effectus omnipotentiæ diuinæ, & à nulla alia cauſa produci potuit.

Anima Chriſti in primo inſtanti conceptionis habuit beatitudinem. Probat. 1. Ioann. 1.

CONCLVSIO PRIMA. *Anima Chriſti fuit æquè beata in primo inſtanti ſuæ conceptionis, quemadmodum de facto iam exiſtit.* Primùm quia dicitur Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit nobis*, & Ioan. 3. *Quod vidimus teſtamur, & quod ſcimus loquimur, nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo*: Certum autem eſt filium hominis deſcendiſſe de cœlo, non per motum localem, cùm ſit hic vbique; ſed per aſſumptionem humanæ naturæ, vt explicant Patres: humana item Chriſti natura non aſcendit eo tempore in cœlum per motum etiam localem: hoc enim contigit tantum poſt reſurrectionem, ſed per viſionem eſſentiæ diuinæ, prout in ſe eſt, vt obſeruârunt Caietanus, Benedictus Pererius, & alij multi ad hunc locum: & ex cap. 8. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum eſt; quia ſcio vnde venio, & quò vado: & ſi dixero, quia neſcio eum* (ſcilicet Deum) *ero vobis ſimilis mendax; ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Ex quibus ità colligimus: fieri nequit vt aliquis certum, & indubitatum teſtimonium ferat de re aliqua, qui rem iſtam non nouerit, prout in ſe eſt: atqui Chriſtus teſtimonium reddidit de Deo, prout in ſe eſt pro eo tempore quo fuit in hac vita mortali: ergo Deum prout in ſe eſt vidiſſe certum eſt.

Ioann. 3. Ioann. 8.

Deinde, ex capit. 12. Ioannis. *Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus*, & cap. 14. *Accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, ibi & vos ſitis.* Alloquitur autem iſtis in locis Chriſtus in priore Deum, in ſecundo Apoſtolos, atqui non promittit iſtis eumdẽ ſitum, quem habuit reſpectu proprij corporis, vt conuenit inter omnes: ergo debuit polliceri ſitum quem habuit reſpectu felicitatis æternæ.

2. Ioan. 12. & 14.

Tertiò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, Baſilij, & D. P. Auguſtini ad hæc verba pſal. 46. *Beatus vir quem elegiſti.* Gregorij Nazianzeni, & Athanaſij, de incarnatione, & aduentu Chriſti, Euthymij ad hæc verba pſalmi 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Damaſceni 3. de fide cap. 22. D. Thom. in hoc articulo, & q. 15. art. 10. & expreſſius q. 34. art. 4. huius partis, Caiani, 12. de locis, & aliorum.

3.

Accedunt rationes. Prima: Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit filius Dei naturalis, Matthæi 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*: ergo fuit etiam heres, ac proinde beatus in primo inſtanti ſuæ conceptionis, vt colligitur ex Paulo ad Hebræos c. 1. *Nouiſſimè autem loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Confirmatur. Beatitudo debetur ei, qui Deus eſt, ex ſe, & ſua natura, omnium conſenſione: atqui humana Chriſti natura fuit verè Deus in primo inſtanti ſuæ conceptionis ex loco proximè citato Matthæi: ergo etiam fuit verè beata.

4. Matth. 17. Hebr. 1.

Secunda, Ex D. Thom. in hoc articulo, Chriſtus habuit gratiam omnem in primo inſtanti ſuæ conceptionis, quam habere potuit, extitítque caput hominum, & Angelorum: ergo debuit etiam habere omnem gloriam; quam habere potuit reſpectu iſtius primi inſtantis, in quo fuit extra ſuas cauſas poſitus.

5.

Satisfit rationibus contrarijs.

Ad rationes vero dubitandi, reſp. Ad primam, Meritũ non pugnare cum eo qui beatus eſt, modò fuerit hic etiam idem viator; ità enim non quieſcit in fine, & tendit in eumdẽ, eadem ratione, ſed diſpari, vt obſeruat D. Thom. art. 10. quæſt. 15. huius partis: certum autem eſt Chriſtum fuiſſe beatum in primo inſtanti ſuæ conceptionis reſpectu beatitudinis eſſentialis debitę animę Chriſti; non fuit autem Chriſtus beatus reſpectu beati-

tatis debitę corpori, ac proinde potuit ſibi mereri corporis glorificationem, & nominis exaltationem, vt vult Apoſtolus, cap. ſupra citato, ad Philippenſes: nobis verò meruit & beatitudinem eſſentialem, & omnem gratiam quæ conduçit aut conducere poteſt ad vitam æternam obtinendam.

2. Ad 2. Chriſtum ſuſtinuiſſe mortem, ad hoc vt peruenirет ad gloriam corporis proprij, & hoc velle tantum Lucam, in eo loco, non autem ad hoc vt aſſequeretur gloriam animæ.

3. Ad vltimam. Transfigurationem Chriſti computari merito inter miracula: ſplendor quippe ille, cuius meminit Matth. cap. 17. extitit in humana Chriſti natura adhuc mortali, & paſſibili, & quidem non fuit per modum permanentis, ſed per modum tranſeuntis, & præterea ſine alijs dotibus corporis glorificati. Ad teſtimonium autem D. Auguſtini reſp. probare tantùm gloriam corporis conſurgere ex gloria animæ, in eo caſu, in quo coniuncta eſt anima corpori ſuſcitato à mortuis, non autem reſpectu animæ coniunctæ cuilibet corpori mortali, & paſſibili, quale tamen fuit corpus Chriſti pro toto illo tempore quo fuit in hac vita mortali.

Concluſio propoſita nõ eſt de fide.

Eſt autem obſeruandum, non eſſe de fide Catholica concluſionem à nobis poſitam: idque quod nec ſit expreſſa in ſacris litteris, verbis manifeſtis, nec item definita in vllo planè Concilio; nec deniq; hęc propoſita fuit aliquando credenda quibuſuis mortalibus, aut etiam ceteris quorum intereſt reliquos Catholicos docere: ſine tamen errore manifeſto, & ſumma temeritate à nullo negari poteſt, cum aſſeratur ab omnibus omninò Patribus, & à quibuſuis Doctoribus Scholaſticis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Chriſtus habuerit ſcientiam inditam, vel infuſam.

Rationes dubit.

RATIO dubitandi eſſe poteſt, quia diximus articulo proximè antecedente, in Chriſto extitiſſe beatitatem, & quidem in primo inſtanti ſuæ conceptionis, per quam cognouit omne quod eſt, fuit, aut futurum eſt, in certa temporis differentia; & præterea aliqua ex poſſibilibus nuſquam futuris: ergo fruſtra ponitur iſta ſcientia in anima Chriſti infuſa.

Quid nomine ſcientiæ infuſæ intelligatur.

Aduerte, nomine ſcientiæ infuſæ nihil aliud ſignificari hoc loco, quàm habitum aliquem ex ſe, & ſua natura à Deo productum, & datum creaturæ rationali, ſine vlla dependentia à ſpeciebus acceptis, & emendicatis à rebus intellectis, ſiue res iſtæ ſint ſupernaturales, ſiue naturales: diſtinguitur autem hæc ſcientia ab ea quæ fuit in primis parentibus in primo inſtanti creationis eorumdem; fuit quippe ſcientia in primis parentibus rerum maximè naturalium infuſa, non quidem ex ſe, & ſua natura, ſed tantum per accidens & dicitur proinde per ſe acquiſita, & per accidens infuſa: ſcientia autem Chriſti, de qua hoc loco diſputatur, cenſetur eſſe per ſe, & ex ſua natura infuſa.

Scientia Chriſti infuſa diſtincta ab illa quæ fuit in Adam.

CONCLVSIO. *Admittenda eſt in anima Chriſti*

A *ſcientia aliqua per ſe infuſa, & quidem in primo inſtanti conceptionis eiuſdem, præſtantior, quàm fuerit, aut eſſe potuerit in vlla planè pura creatura:* Primùm, quia dicitur ad Coloſſ. cap. 1. de humana natura Chriſti: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei reconditi,* & Iſaïæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & ſcientiæ*: Locus iſte, nedum de donis Spiritus ſancti, ſed etiam de qualibet ſcientia venit intelligendus; vt obſeruarunt Medina ad hunc articulum, & alij nonnulli recentiores interpretes D. Thomę: & ex cap. 1. Ioannis. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.*

Scientia infuſa admittẽda in anima Chriſti. Probatio 1. Coloſſ. 1. Iſaïę 11. Ioann. 1.

Deinde, ex cap. 7. Iſaïæ. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* & B cap. 11. *Non enim ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium audiet.* Senſus quippe iſtorum verborum eſt ex ſententia D. Hieronymi, Chriſtum in tenera ætate conſtitutum, iudicaturum inter aſperum, & dulce; de rebus item agendis, & vitandis ſine vlla dependentia à ſenſibus externis; ac proinde per ſcientiam aliquam non acquiſitam, ſed infuſam: puerilis quippe ætas impertinens eſt ad iudicium hoc ferendum, debitè ſaltem, & vt oportet. Et ex cap. 2. Lucæ, legitur enim illic, Chriſtum anno duodecimo ſuæ ætatis extitiſſe in medio Doctorum, & ità accuratè de rebus quibuſuis interrogaſſe, & reſpondiſſe, vt nullus eſſet ex Iudæis qui eius eruditionem ſingularem non ſuſpiceret, & admiraretur; ſcientia autem iſta non potuit eſſe acquiſita, cum hæc ætas incapax ſit ad tantam ſcientiam comparandam, vt eſt per ſe notum, & item ad vſum eiuſdem.

2. 2. Luçę 2

3. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomę, hoc loco, & interpretum eiuſdem. 3.

4. In primo inſtanti conceptionis Chriſtus fuit plenus gratia, & gloria qualibet; ergo idem quoque dicendum eſt de omni ſcientia. 4.

5. Meruit & ſibi, & nobis in primo inſtanti ſuæ conceptionis, omnium conſenſione; at non potuit mereri per ſcientiam acquiſitam, quia vſus iſtius ſcientiæ non potuit eſſe in eo pro eo tempore; neque per ſcientiam beatam, quia hæc eſt ſimpliciter neceſſaria: ergo meruit per ſcientiam per ſe infuſam. 5.

Ad rationem vero dubitandi, reſp. licèt admittatur ſcientia beata in anima Chriſti, pro primo inſtanti ſuæ conceptionis, & cognoſcantur ab ea omnia intrà diuinam eſſentiam quæ cognoſci poſſunt, per aliquam aliam ſcientiam, non tamen propterea ſcientia per ſe infuſa futura eſt otioſa in eodem: certum enim eſt vnum & idem poſſe à nobis intelligi per diuerſas ſcientias; eadem quippe munero propoſitio cognoſcitur à nobis, & per fidem, & per demonſtrationem, & denique per opinionem; quid igitur mirum ſi Chriſtus per ſcientiam infuſam intelligat illa eadem, quæ intelligit per ſcientiam beatam, etiam in eodem inſtanti? Deinde, ſcientia infuſa intrà intellectum addit perfectionem aliquam omninò diuerſam ab ea, quam conſequitur, ſub ea ratione qua beatus eſt, vt eſt per ſe notum; diſtinguuntur namque iſtę duę ſcientię inter ſe ſpecie, propter diuerſum modum tendendi in vnum, & idem planè obiectum materiale: igitur hæc non eſt illi deneganda.

Licèt ſit beata anima Chriſti, non tamen eſt otioſa in ſcientia infuſa.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam acquiſitam.

Thomiſtarum opinio.

DVAE ſunt de hac re extremæ ſententiæ, prima D. Th. hoc loco, & Thomiſtarum qui putant nullum habitum per ſe aquiſitum ſcientię extitiſſe in anima Chriſti, in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ſed cum tempore habitus iſtos ſibi comparaſſe, & quidem cum tanta perfectione, vt in nullo alio ità fuerint hæ ſcientiæ acquiſitæ perfectę, ſicut fuerunt in Chriſto: ſunt autem aliqui inter iſtos qui putant vltimam perfectionem Chriſtum fuiſſe aſſequutum ſcientiæ acquiſitæ anno duodecimo ſuæ ætatis.

Fundamentum 1.

Probant: quia vnio hypoſtatica non ordinatur ad deſtructionem humanæ naturæ, ſed ad perfectionem eiuſdem: atqui humana natura ex ſe, habet vt ſibi poſſit acquirere ſcientias media actione intellectus agentis, emendicando ſpecies à rebus intellectis: ergo illam ſibi acquiſiuit.

2. Deinde, præſtantius eſt mouere ſeipſum in finem aliquem, quàm ab alio moueri; & item nobilius eſt, aliquid à ſe ipſo quàm ab alio accipere.

3. Tertiò, inutilis alioquin extitiſſet in Chriſto intellectus agens, cum nihil fuiſſet operatus, quod tamen videtur derogare perfectioni animæ Chriſti: igitur &c.

4. Fundamentum. Vazquez.

Vazquez, qui eandem defendit opinionem diſp. 55. cap. 2. probat ex multis locis ſcripturæ, & ſanctorum Patrum, in quibus dicitur Chriſtum comparaſſe ſibi ſcientiam experimentalem, ex cap. 5. ad Hebræos; *Didicit ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam.* & ex cap. 6. Iſaiæ; *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Cyrillus item lib. 2. ad Reginas, de recta fide cap. 3. Ambroſius de ſacramento Dominicę incarnationis cap. 7. Fulgentius, ad Thraſimundum cap. 7. docent ſcientiam experimentalem acquiſitam fuiſſe à Chriſto cum tempore.

Hebr. 5. Iſaiæ 7.

Cyrillus. Ambroſ. Fulgent.

Biſariam ſumitur ſcientia experimẽtalis.

Aduerte, ſcientiam experimentalem vſurpari duobus modis, vt obſeruat Suarez, & Medina ad hunc articulum D. Thom. interdum enim ſignificat habitum, qui ex ſe & ſua natura poſtulat vt producatur actione luminis intellectus agentis, medijs ſpeciebus emendicatis ab obiectis, & iuxta hanc ſignificationem nomen ſcientiæ tribuitur iſti cognitioni proprie: interdum verò ſignificat iudicium quod quis format de iſtis; vel certe de illis rebus in particulari, medijs ſpeciebus emendicatis ab obiectis, opera ſenſuum internorum, & externorum; ſecundum autem iſtam ſignificationem, nomen ſcientiæ non enunciatur propriè de ſcientia experimentali, ſed tantum impropriè; verſatur enim iudicium hoc circa ſingularia euidenter cognita, ceterùm in particulari; ſcientia autem cenſetur eſſe propriè de rebus vniuerſis, ex communi doctrina Ariſtotelis.

Omnes habitus ſcientifici naturales fuerũt in anima Chriſti.

CONCLVSIO. *Omnes habitus cuiuſlibet ſcientiæ ordinis naturalis fuerunt in anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis & quidem cum maiori perfectione quàm fuerint, aut eſſe potuerint in vlla planè pura*

Probatio 1.

A *creatura.* Primùm quia ità docuit D. Thom. q. 20. de veritate, art. 2. & in 3. diſt. 14. articulo 3. quæſtiuncula 3. Paludanus, Bonauentura, Gabriel, Scotus, & Durandus ibidem, & ex Recentioribus. Suarez ad hanc quæſt.

Deinde, hæc videtur eſſe mens eorum Patrum, qui affirmant Chriſtum profeciſſe in ſapientia cum tempore ſecundum oſtenſionem, & manifeſtationem ſcientiæ experimentalis tantùm, minimè verò ſecundum ipſammet ſcientiam experimentalem; ità ſentit Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 22. & lib. quomodo ad Dei imaginem factus eſt, & Bernardus, homilia 2. in Euangelium *Miſſus eſt*, & Beda homilia Dominicæ primæ poſt Epiphaniam, & alij multi ad caput 2. Lucæ ad hæc verba; *Proficiebat ætate.* B 2.

Tertio, habitus iſti non minus fuerunt debiti Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ, quàm habitus cuiuſlibet virtutis moralis, aut ſupernaturalis; dicitur quippe de eo Ioannis 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis:* ergo, ſi habuerit omnem omnino gratiam, & gloriam, quam habere potuit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, debuit quoque habere omnem omnino ſcientiam tam ordinis naturalis, quam ſupernaturalis. 3. Ioann. 1.

Denique, omnes iſti habitus cuiuſlibet ſcientiæ naturalis fuerunt in primis parentibus in primo inſtanti creationis eorumdem, ex communi C doctrina: ergo, à fortiori & in Chriſto qui eſt & verus Deus, & prætereà caput eorum omnium, quæ ſunt in hoc vniuerſo, vt oſtenſum eſt ſuprà. 4.

Satisfit rationibus dubitandi.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad primam, Vnionem hypoſtaticam mirum in modum, & ſuprà quàm dici poteſt perfeciſſe humanam Chriſti naturam; eleuata quippe hæc fuit ad ſubſiſtere diuinum, & prætereà contulit illi omnem gratiam, & gloriam, & omnem omnino ſcientiam, quam habere potuit, quare in nullo planè læſa eſt humana natura, ex eo quod fuerit diuino Verbo vnita.

Ad 2. præſtantius eſſe mouere ſeipſum in finem, quàm ab alio, & item aliquid à ſe, quàm ab D alio habere, ceteris paribus; abſolutè tamen loquendo propoſitio hęc falſa eſt: præſtat namque à primo inſtanti ſuę conceptionis quaſlibet res ordinis naturalis, & ſupernaturalis intelligere alterius beneficio; quàm multo tempore, & fere per totam vitam iſtas omnes res non intelligere, aut certe imperfectè admodum: eſt autem notiſſimum ſcientias ordinis naturalis ab homine non poſſe comparari, niſi cum maximo labore & interueniente longiſſima temporis diuturnitate, & denique cum varijs & diuerſis imperfectionibus; hęc autem omnia nullum habuerunt locum in anima Chriſti cum ſcientias omnes iſtas acceperit infuſas à Deo in primo inſtanti ſuę con- E ceptionis. 2.

Ad 3. Reſp. intellectum agentem Chriſti non propterea fuiſſe in eo otioſum; de facto quippe Chriſtus accepit à rebus ſenſibilibus ſpecies perfectiſſime repræſentantes obiecta particularia, dependentes à ſenſibus internis, & externis, & ità emendicatis iſtis ſpeciebus iudicium verum, & certiſſimum formauit de huiuſmodi rebus ſingularibus, quod nũcupaturà Patribus ſcientia experimentalis improprie. Deinde in primis parentibus admittitur ab omnibus intellectus agens, & tamẽ conceditur ijſdem quælibet ſcientia ordinis naturalis, etiam in primo inſtanti creationis eorumdem. 3.

Digitized by Google

Ad argumentum autem Vazquezij, reſpondeo probare tantum in Chriſto ſcientiam expetimentalem habuiſſe locum, iuxta ſecundam ſignificationem ſcientiæ experimentalis; non autem iuxta primam, & hac ratione ſcripturam, & Patres intelligendos eſſe.

In infantia Chriſtus nõ habuit vſum ſcientiarum.

Aduerte, vſum iſtarum ſcientiarum non habuiſſe locum in Chriſto pro eo tempore, quo fuit in tenera ætate: poſtulat ſiquidem hic organorum debitam diſpoſitionem in Chriſto, non minùs quàm in nobis, ſaltem de lege communi.

Eſt præterea obſeruandum, Chriſtum in ætate puerili conſtitutum actiones puerorum exercuiſſe, nedum apparenter; ſed etiam vere, nulla tamen præſtitit quæ eſſent rectæ rationi contraria; ait enim D. P. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 19. omnes Chriſti actiones fuiſſe coniunctas cum præſcripto rectæ rationis; imò propter hanc eamdem cauſam obſeruant aliqui Patres, Chriſtum in vtero materno conſtitutum nuncupari virum in ſacris litteris ex eo loco; *Femina circundabit virum.* Hier. 31.

QVÆSTIO DECIMA.

De ſcientia beatæ animæ Chriſti.

Anima Chriſti non comprehendit diuinã eſſentiam.

RTICVLO 1. *docet animam Chriſti non comprehendiſſe diuinam eſſentiam, per ſcientiam beatæ*, qua de re vix poteſt eſſe aliqua difficultas, cum dicatur à Hieremia cap. 32. *Quod ſit incomprehenſibilis cogitatu*, reſpectu cuiuſlibet alterius à ſeipſo; Deinde, ad hoc vt aliquid comprehendatur, tanta debet eſſe cognitio, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti, vt communiter fatentur omnes ad quæſt. 12. 1. partis D. Thomę: atqui ſcientia beata Chriſti nequit eſſe tanta, quanta eſt cognoſcibilitas eſſentiæ diuinæ: nam hæc eſt ſimpliciter infinita in omni genere entis; ſcientia aute mbeata animæ Chriſti eſt finita ex D. Thom. in corpore huius articuli, ergo non comprehendit illam.

ARTICVLO 2. docet animam Chriſti per ſcientiam beatam cognouiſſe omnia quæ fuerunt, aut futura ſunt, in certa temporis differentia, de qua re diſputabitur à nobis in Dubit. quam proponemus ad hanc quæſtionem.

ARTICVLO 3. docet, *animam Chriſti cognouiſſe infinita in Verbo*, ceterùm per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; finita vero tantum per ſcientiam viſionis. Eſt autem obſeruandum, ſcientiam viſionis eſſe eam, quæ terminatur ad rem aliquam exiſtentem ſecundum ſuam propriam exiſtentiam futuram, præſentem, vel præteritam; ſcientia vero ſimplicis intelligentiæ reſpicit id quod poteſt eſſe de facto, tamen non eſt, nec fuit, nec futurum eſt.

Quid ſit ſcientia viſionis.

ARTICVLO VLTIMO, docet animam Chriſti penitiùs, & clariùs conſpexiſſe & conſpicere, quàm faciat vlla pura creatura beata. Circa hanc quæſtionem.

DVBITATIO VNICA.

Quodnam ſit obiectum ſcientiæ beatæ animæ Chriſti.

Quodnam ſit obiectum ſcientiæ beatæ animæ Chriſti.

DICO PRIMO, *Obiectum ſcientiæ beatæ animæ Chriſti præcipuum, & principale, ſeu primarium eſſe eſſentiam diuinam, quodlibet eius attributum reſpectiuum, & abſolutum neceſſarium, & denique aliqua, non tamen omnia, ex his quæ ſunt attributa Dei libera.* Prima pars huius concluſionis probatur: Obiectum præcipuum, & primarium beatitatis creaturæ rationalis, cenſetur eſſe Deus, prout eſt in ſe, ex cap. 3. primę Canonicæ Ioannis. *Videbimus eum ſicuti eſt*, Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* & Geneſ. 15. ità alloquitur Deus Abraham; *Ego ſum merces tua magna nimis.* & Exodi 33. Moyſen; *Oſtendam tibi omne bonum*; id eſt meipſum, in quo ſunt omnia bona: atqui anima Chriſti ſupponitur beata, & hæc eſt creatura rationalis, licèt non pura, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia increata Verbi diuini. *Probat. 1.* Ioann. 17. Geneſ. 15. Exod. 33.

Deinde, idem eſt obiectum fidei noſtræ, & viſionis beatificæ, ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Nunc enim cognoſcimus per ſpeculum, & in ænigmate, &c.* atqui obiectum primarium fidei noſtrę cenſetur eſſe Deus: quælibet enim virtus Theologica habet Deum pro obiecto materiali; propter hanc cauſam enim dicuntur virtutes Theologicæ, quod ſcilicet verſentur circa Deum, veluti circa proprium ſuum obiectum: ergo licèt fides nullum habuerit locum in anima Chriſti, obiectum tamen beatitudinis eiuſdem erit Deus, prout in ſe eſt: ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem. 2. 1.Cor. 13.

Secunda vero pars concluſionis probatur: In Deo dantur nedum attributa ſimpliciter neceſſaria, ſed etiam aliqua libera: ergo cum Deus videatur, prout in ſe eſt ab anima Chriſti, ſcientia hæc habebit nedum attributa neceſſaria, ſed etiam aliqua libera pro obiecto. Deinde vix eſt aliquis inter beatos qui non cognoſcat aliqua ex attributis liberis diuinis: ergo. *2. Part. probat.* 2.

Tertia denique pars concluſionis demonſtratur ex eo, quod ſi omnia iſta attributa libera cognoſcerentur ab anima Chriſti, eſſentia diuina comprehenderetur ab eadem: ex D. quippe Aug. epiſt. 112. comprehendere nihil eſt aliud, quàm rem aliquam ità cognoſcere, vt nihil illius cognoſcentem lateat: atqui Deus eſt incomprehenſibilis reſpectu cuiuſlibet alterius à ſeipſo: ergo. *Probat. 3. part.* *Ex D. Aug. quid comprehendere.*

Reſpondent, qui contrariam ſequuntur opinionem non eſſe ſatis ad comprehenſionem rei alicuius, quod res aliqua ità in ſe cognoſcatur, vt nihil illius cognoſcentem lateat; ſed deſiderari vlterius quod cognoſcatur omnibus modis, quibus cognoſci poteſt: licèt autem anima Chriſti cognoſceret quęlibet attributa diuina, ſiue libera, ſiue neceſſaria, non tamen cognoſceret Deum omnibus modis quibus cognoſci poteſt, vnde neque comprehenderetur. *Reſp. aliquorum.*

Ceterùm, reſponſio iſta eſt impertinens: principium namque tunc dicitur perfectiſſimè comprehendi, cum ità cognoſcitur à nobis, vt nulla plane detur concluſio contenta in eo virtute, quę non intelligatur diſtincte: ergo hoc idem dicendum eſſet de Deo. Deinde, ſi hæc reſponſio eſſet vera, concedendum eſſet de Angelo, quod non compre- *Præcluditur.*

Digitized by Google

comprehenderet granũ milij, aut formicam: non enim intelligit iſta omnibus modis, quibus cognoſci poſſunt: deficit item reſponſio hæc à doctrina D. P. Auguſt. loco proximè citato, quæ tamen admittitur communiter ab omnibus.

1ª. probat. Denique, probatur. Infinitum lumen eſt ſimpliciter neceſſarium ad cognoſcendum obiectum ſimpliciter infinitum, infinito ſaltem modo; atqui eſſentia diuina eſt in ſe ſimpliciter infinita, imò attributa libera eiuſdem cenſentur eſſe infinita ſyncategorematicè: ergo cum lumen gloriæ quod datur in anima Chriſti, ſit finitum, non eſt ſatis ad omnia iſta attributa intelligenda.

Obiectio. Obijcies, animam Chriſti videre omnipotentiam diuinam per ſcientiam beatam: ergo videt etiam poſſibile quodcumque; neque enim fieri poteſt, vt aliqua potentia cognoſcatur, niſi eum dependentia à ſuo obiecto.

Reſponſio. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequentiam: ad probationem autem eiuſdem, dico probare tantum omnipotentiam non poſſe intelligi diſtinctè, niſi cognoſcatur eius obiectum in communi ſumptum; non eſt autem neceſſe obiecta particularia iſtius potentiæ intelligi omnia, vel aliqua in particulari; ita communiter omnes.

Quod fuit, eſt, aut futurũ eſt cognoſcitur ab anima Chriſti. DICO 2. *Illud omne quod eſt, fuit, aut futurum eſt, in certa temporis differentia, pertinet ad obiectum ſcientiæ beatæ animæ Chriſti.* Primùm, quia id videtur colligi ex cap. 4. ad Hebræos; *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius:* locus quippe hic explicatur à Patribus de cognitione Chriſti, prout Chriſtus eſt aliqua creatura humana.

Probat. 1. Hebr. 4. 2. Deinde, creaturæ iſtæ omnes quæ ſunt, fuerunt, aut futuræ ſunt pertinent ad ſtatum viæ, vt manifeſtè colligitur ex cap. 2. ad Hebræos. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius,* loquitur autem de humana Chriſti natura: atqui quilibet beatus videt, per ſcientiam beatam, ea omnia quæ ſpectant ad ſuum ſtatum, vt auctor eſt D. Thom. art. 8. quæſt. 12. 1. partis, & in 4. diſt. 49. & communiter Theologi ibidem: ergo Chriſtus eadem videbit.

3. Tertiò, ſcientia Chriſti beata, tanta eſt, quanta vlla alia quæ in eo datur: atqui res omnes præſentes, præteritæ, & futuræ cognoſcuntur à Chriſto per ſcientiam per ſe infuſam, vt probabitur quæſtione ſequenti: igitur &c.

Mouetur quæſtio. ROGABIS, *An creaturæ iſtæ videantur ab anima Chriſti in Verbo*, ſeu, quod idem eſt, *in eſſentia diuina, vel per ſpecies aliunde emendicatas.*

Reſponſio. Reſp. videri in Verbo diuino, & quidem in primo inſtanti ſuæ beatitatis. Primùm, quia non eſt negandum animæ Chriſti, quod ceteris beatis conceditur; atqui ceteri beati vident omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ, & intrà diuinam eſſentiam, ex locis proximè citatis, D. Thomæ: ergo idem fatendum eſt de anima Chriſti.

Cognitio matutina & veſpertina quid. Deinde, D. Auguſt. agnoſcit in Angelis duplicem cognitionem, vnam matutinam, alteram veſpertinam; ità lib. 11. de ciuit. cap. 7. & lib. 4. de Geneſi ad literam, cap. 22. nomine autem cognitionis matutinæ intelligit notitiam quam habuerunt Angeli de rebus iſtis creatis intrà diuinam eſſentiam; nomine verò cognitionis veſpertinæ ſignificat notitiam, quam habuerunt Angeli de eiſdem rebus in ipſiſmet creatis rebus, vt manifeſtè colligitur ex cap. proximè citato lib. 4. de eodem ad lit.

Tertiò. Propter hanc eamdem cauſam docent ſancti Patres de eſſentia diuina, quod hæc futura ſit quibuſuis beatis, omnia videbunt quippe hi ea quæ ſunt in hoc vniuerſo intrà Deum: hinc vox iſta Gregorij magni. *Quid non vident, qui videntem omnia vident?* ità D. Th. 1. parte q. 12. & interpretes eiuſdem ibidem & in 4. diſt. 49. *Gregor.*

Obiectio. Obijcies, creaturæ iſtæ non continentur intrà diuinam eſſentiam, ſecundum ſuas quidditates, & rationes formales; dicunt enim, vt ſic, imperfectionem aliquam, ac proinde nullum poſſunt habere locum, vt ſic, in Deo; neque enim intrà Deum minima imperfectio poteſt aliquam habere ſedem: ergo neque etiam videri poſſunt, vt ſic, ab anima Chriſti intrà diuinam eſſentiam: ità obijciunt auctores cõtrariæ ſententiæ, inter quos eſt Vazquez ad quæſt. 12. 1. p. & alij nonnulli recentiores.

Reſponſio. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequutionem; certum enim eſt hominem ſpectatum formaliter, & quidditatiuè ſecundum omnes ſuas conditiones, non contineri intrà propriam ſpeciem, per quam repræſentatur, & tamen negari nequit hominem, Petrum v. g. cognoſci perfectiſſimè per ſpeciem iſtam, idque quod repræſenterur Petrus, & homo per huiuſmodi ſpeciem, prout in ſe eſt: ità licet creaturæ non contineantur in Deo ſecundum eſſe formale, quod in ſe habent; poterunt tamen cognoſci perfectiſſimè intrà Deum, quia repræſentantur perfectiſſimè, vt ſunt in eſſentia diuina; propter hanc cauſam dicitur hæc communiter ſpeculum voluntarium, ſeu liberum. *Eſſentia diuina dicitur ſpeculũ liberum.*

Confirmat. Confirmatur: imago Socratis non continet formaliter Socratem, neque item vere, & realiter, & tamen hæc ducit nos in cognitionem Socratis, propter vim quam in ſe habet repræſentandi perfectiſſimè Socratem: ergo hoc idem dicendum erit de eſſentia diuina, reſpectu creaturarum.

Inſtant. ſatisfit. Reſp. Inſtant, ſaltem, ex iſtis colligitur euidenter, creaturas iſtas ex æquo videri à quibuſuis beatis.

Reſp. negando illationem hanc; quæ enim repræſentantur in eſſentia diuina ſunt in duplici differentia, vt obſeruat Medina ad articulum 1. huius quæſt. alia namque repræſentantur neceſſario; alia verò libere: illa cognoſcuntur ab omnibus beatis ex æquo, idque quod videantur ex vi penetrationis eſſentiæ diuinæ, prout eſſentia diuina repræſentat iſta neceſſario; hęc vero non videntur neceſſario à beatis, ſed libere tantùm, eo quod non neceſſario, ſed libere per eſſentiam diuinam repręſententur.

Quod autem creaturę iſtę videantur ab anima Chriſti in primo inſtanti ſuę beatitudinis, ex eo innoteſcit, quod doceant omnes in tractatione de beatitudine, beatitudinem eſſe inuariabilem in quocumque beato: ità communiter omnes ad 1. p. D. Thomę q. 12. & in 4. diſt. 49.

Anima Chriſti cognoſcit aliqua poſſibilia. CONCLVSIO VLTIMA. *Poſſibilia aliqua, non tamen omnia ex iis quæ nuſquam ſunt futura, pertinent ad obiectum ſcientiæ beatæ animæ Chriſti.* Primùm, quia negari nequit Chriſtum non cognouiſſe aliqua ex poſſibilibus in particulari nuſquam futuris; dicitur quippe Matth. 26. *Nunquid poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum?* & Matthęi 12. *Væ tibi Bethſaïda, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes quæ in te factæ ſunt, egiſſent olim pœnitentiam;* & tamen iſta nuſquam fuerunt, neque futura ſunt aliquando. *Probat. 1.* Matth. 26. Matth. 12.

Deinde, cognitio beata animæ Chriſti cenſetur eſſe tanta, quanta eſt eius cognitio per ſe infuſa,

vt communiter fatentur omnes: at aliqua ex poſſibilibus nuſquam futuris cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam: igitur & per ſcientiam beatam. A

Obiectio. Obijcies, iſta omnia quæ diximus videri ab anima Chriſti beata, eſſe ità varia, & multiplicia, vt nequeant vnico actu ſimpliciſſimo intelligi: præſertim cum alia ſint ordinis naturalis, alia verò ordinis ſupernaturalis.

Reſp. Reſp. hoc eſſe falſum; quæ enim repræſentantur per vnam, & eamdem numero ſpeciem, cognoſcuntur vnico ſimpliſſimo actu, cognitione diſtincta, vt colligitur ex Angelis, de quibus dicitur, quod cognoſcant genera aliqua, & ſpecies iſtorum generum; & denique indiuidua ordinis naturalis per vnam eamdem numero ſpeciem concreatam: ergo hoc idem etiam poterit præſtare anima Chriſti, conſpiciendo diuinam eſſentiam cum omnia perfectiſſimè repræſententur in eadem. B

Quæritur. Reſpond. Quæ anima Chriſti videt ſunt finita. ROGABIS, *An quæ videntur ab anima Chriſti intrà Deum, ſint finita, vel infinita.* Reſp. eſſe finita. Primùm, quia lumen gloriæ animæ Chriſti eſt in ſe finitum. Deinde, quia diximus animam Chriſti videre attributa neceſſaria Dei, & aliqua ex liberis tantùm; non autem omnia: hæc verò omnia ſunt finita ſecundum numerum; & licèt intrà Deum attributa iſta ſint in ſe infinita, non tamen cognoſcuntur ab anima Chriſti infinito modo ſed finito: creaturæ item viſæ ab eadem anima ſunt finitæ, vt eſt per ſe notum: ità S. Thom. articulo 3. huius quæſtionis & interpretes. C

Obiectio. Obijcies, D. Thomam 1. par. quæſt. 14. art. 10. in corpore, affirmare Deum cognoſcere infinita, ſcientia viſionis: at anima Chriſti videt in Verbo illud omne quod Deus intelligit per ſcientiam viſionis, vt fatentur omnes, cum eodem hoc loco, & 1. p. quæſt. 12. ergo videt infinita.

Reſponſio. Reſp. D. Thomam, propterea affirmare Deum cognoſcere ſcientia viſionis infinita actu; quia putauit eo in loco opinionem eorum eſſe veram, qui credunt cogitationes liberas hominum & Angelorum futuras in certa temporis differentia, eſſe actu infinitas, ſecundum numerum, vt colligitur ex articulo citato: certum autem eſt cogitationes iſtas actu futuras non eſſe infinitas categorematicè, ſed tantùm poteſtate; ac proinde anima Chriſti non videt infinita actu intrà Deum, ſed tantum finita. D

Alia obiectio. Obijcies, plenitudinem ſcientiæ adſcribi animæ Chriſti, prout beata eſt.

Reſponſ. Reſp. ex iſtis nihil poſſe colligi; nam plenitudo ſcientiæ tribuitur animæ Chriſti beatæ, ex eo tantum quod eius ſcientia beata tanta ſit, vt de lege communi nequeat eſſe maior; licèt abſolutè loquendo, poſſit Deus communicare alicui puræ creaturæ ſcientiam beatam magis intenſam, quàm ſit ſcientia beata animæ Chriſti, E

QVÆSTIO VNDECIMA.

De ſcientia per ſe infuſa animæ Chriſti.

ARTICVLO 1. docet animam Chriſti cognouiſſe per iſtam ſcientiam illud omne, quod poteſt homo virtute intellectus agentis cognoſcere, & item omnia quæ cognoſcuntur à nobis per ſpecialem Dei reuelationem.

ARTICVLO 2. probat animam Chriſti potuiſſe vti ſcientia per ſe infuſa, ſinè conuerſione ad phantaſmata, & quidem meritò; nam anima Chriſti per iſtam ſcientiam cognouit omnes Angelos, & item omnia myſteria gratiæ, quæ tamen non pendent à phantaſmate vllo. Deinde per ſpecies infuſas intelligit anima Chriſti illud omne, quod intelligit per ſcientiam iſtam. Deniq; ſtatus comprehenſionis vt ſic, non pendet à corpore in vlla plane re exercenda.

ARTICVLO 3. tradit ſcientiam iſtam in Chriſto non fuiſſe diſcurſiuam, potuiſſe tamen eâ medià diſcurrere: ratio prioris eſt, quia ſpecies per quas Chriſtus intelligit mediâ iſtâ ſcientiâ, ſunt per ſe infuſæ, & repreſentant genera, ſpecies, & indiuidua, idque perfectiſſimè: Ratio verò poſterioris eſt, quia licet ſpecies quibus anima Chriſti intelligit per ſcientiâ per ſe infuſam exprimant multa, vt inter ſe diſtincta, & quidem perfectiſſimè, non tamen poſſunt iſtæ neceſſitare libertatem Chriſti, ità vt in eius poteſtate non ſit vnum colligere ex alio, vt communiter fatentur expoſitores D. Thomæ. *Scientia infuſa in Chriſto non fuit diſcurſiua.*

ARTICVLO 4. docet ſcientiam per ſe infuſam animæ Chriſti præſtantiorem eſſe ſcientia cuiuſlibet hominis, vel Angeli; de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio; cum anima Chriſti per ſcientiam iſtam, intelligat quælibet ſenſilia, & inſenſilia futura in certa temporis differentia, & denique cogitationes humanas, ſeu, quod idem eſt liberas; at nullus ex Angelis, vel hominibus hæc omnia intelligit, vt fatentur omnes communiter. *Dignitas ſcientiæ animæ Chriſti.*

Deinde, præſtantia alicuius ſcientiæ petitur ab obiecto eiuſdem, vel à modo tendendi in illud, vt vulgo fatentur omnes: at obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti, perfectius eſt obiecto cuiuſlibet Angeli ſcientiæ, vel hominis; ſaltem ſi ſermo ſit de ſcientijs diuerſis à ſcientia beata. Addo doctrinam iſtam intelligendam eſſe de ſcientia per ſe infuſa animæ Chriſti, nedum abſtractiua, ſed etiam intuitiua: ſpecies quippe quibus anima Chriſti intelligit intuitiue per hanc ſcientiam, ſunt multis partibus perfectiores ſpecibus angelicis, vt auctor eſt S. Th. in 3. diſt. 14.

Obiectio. Obijcit Scotus, intellectum animæ Chriſti minùs perfectum eſſe intellectu angelico: ergo & ſcientia Angelorum erit perfectior ſcientia Chriſti per ſe infuſa.

Reſponſio. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſecutionem; præſtantia enim alicuius ſcientiæ non à ſubiecto in quo recipitur, ſed ab obiecto eiuſdem venit repetenda: diximus autem obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti perfectius eſſe obiecto ſcientiæ Angelorum.

ARTICV-

Scientia infuſa Chriſti vnicus habitus.

ARTICVLO 5. docet ſcientiam per ſe infuſam animæ Chriſti eſſe vnicum numero habitum, non autem varium, & multiplicem; de qua etiam re vix poteſt eſſe aliqua dubitatio: nam vna datur in nobis numero fides habitualis diuina, per quam intelligimus res omnes de fide: vnum item numero datur lumen habituale in quolibet beato, per quod videtur Deus, prout in ſe eſt. Deinde habitus aliquis eo cenſetur eſſe præſtantior, quo plura attingit obiecta.

Obiectio.

Dices, animam Chriſti non cognoſcere per hanc ſcientiam vnico actu ſua obiecta, ſed varijs, & diuerſis: ergo.

Reſponſio.

Reſp. indubitatum eſſe animam Chriſti cognoſcere diuerſis actibus obiecta iſtius ſcientiæ per ſe infuſæ; vnico quippe actu poteſt ea tantum intelligere, quæ per vnam tantũ ſpeciem repræſentantur, vt conuenit inter omnes: atqui dantur plures ſpecies in anima Chriſti, per quas intelligit obiecta iſtius ſcientiæ, vt docet D. Thom. art. vltimo huius quæſt. Deinde lumen quod datur viatori cuilibet, ad cognoſcendum aliqua, perfectius eſt qualibet actione eiuſdem, ſpectata in particulari, vt conſtat ex potentia viſiua, intellectiua, & ſimilibus: ex iſtis tamen non licet colligere, ſcientiam hanc per ſe infuſam conſurgere ex pluribus habitibus; cum vnus & idẽ numero ſatis eſſe poſſit ad obiecta iſta ſucceſſiuè intelligenda, repræſentata per diuerſas ſpecies, vt conſtat exemplo potentiæ viſiuæ, quæ licet ſit vna numero in nobis, ſufficit tamen ad videnda infinita propemodũ ſucceſſiuè.

Species ſcientiæ infuſæ multiplices.

ARTICVLO VLTIMO docet, ſpecies infuſas animæ Chriſti, quibus intelligit obiecta iſtius ſcientiæ eſſe inter ſe varias, & multiplices; & quidem merito, cum per hanc ſcientiam cognoſcantur naturalia, & ſupernatuuralia; ſenſilia & inſenſilia; cogitationes liberę humanæ, & item aliqua ex poſſibilibus: hęc autem non videntur poſſe exprimi perfectiſſimè, vt ſunt in ſeipſis, & ſecundum omnes conditiones quas habent per vnam tantum ſpeciem; hoc enim priuilegium videtur eſſe conceſſum ſoli eſſentiæ diuinæ propter infinitatem eiuſdem.

Deinde, ſcientia iſta eſt intuitiua, & abſtractiua; euidens in rebus cognitis interdum, aliàs verò in teſtificante tantùm: naturalis denique, & ſupernaturalis: atqui conditiones iſtæ omnes non videntur poſſe peti ab vna, & eadem planè ſpecie numerica.

Hæc doctrina eſt contra Marcilium in 3. q. 10. vult enim vnicam tantum extitiſſe in Chriſto ſpeciem infuſam, per quam intelligit obiecta quælibet ſcientiæ per ſe infuſæ, & quidem in primo inſtanti ſuæ conceptionis.

Ceterùm opinio iſta reijcitur communiter quoad vtramque aſſertionem. Moneo tamen poſſe ſuſtineri animam Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis per iſtam ſcientiam cognouiſſe media vnica tantum ſpecie omnes omnino homines futuros, & cogitationes eorumdem liberas: idque quod probabile ſit Chriſtum habuiſſe in ſe ſpeciem in primo inſtanti ſuę conceptionis perfectiſſimè repræſentantem homines futuros & cogitationes eorumdem, aduertiſſęque in eo inſtanti per hanc ſpeciem ad iſtas cogitationes, & ad omnes homines futuros.

Species infuſæ perfectiores ſpeciebus Angelorum.

Eſt autem obſeruandum ſpecies huiuſmodi infuſas animæ Chriſti, multis partibus perfectiores eſſe ſpeciebus concreatis Angelorũ: diximus enim art. 4. huius quæſt. ſcientiam iſtam Chriſti perfectiorem eſſe ſcientia Angelorum. Deinde ex vi vnionis hypoſtaticæ maior fuit in Chriſto gratia, & gloria, quàm in vlla planè creatura; imò maior quàm in omnibus creaturis ſimul ſumptis: ergo debuit quoq; habere nobiliorem cognitionem, & item perfectiores ſpecies expreſſiuas obiectorum cognitorum: ità D. Th. in 3. diſt. 14. De iſtis vide plura apud Recentiores. Circa hanc q. ſit hæc

DVBITATIO.

Quod ſit obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti.

CONCLVSIO 1. *Qualibet genera, quæcumque ſpecies, & individua pertinent ad obiecta iſtius ſcientiæ: ſaltem ſi ſermo ſit de generibus, ſpecibus, & individuis, quæ ab Angelo, vel homine naturaliter cognoſci poſſunt.* Probatur 1. quia D. Th. in corpore articuli primi, docet omnia futura in certa temporis differentia, fuiſſe nota animę Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam. *Quæcumq; ſpecies & individua pertinent ad obiecta ſcientiæ infuſæ Chriſti.*

Deinde, cognitio iſtorum omnium confert aliquam perfectionem animæ Chriſti. 2.

Tertiò, ſcientia per ſe infuſa animę Chriſti, eſt perfectior ſcientia quorumcumq; hominũ, & Angelorum: at certum eſt Angelos intelligere quælibet genera, & item quaſcumq; naturas ſpecificas ordinis naturalis, & pleraque individua: & idem concedunt omnes de primo parente, de Salomone, & alijs nonnullis: ergo anima Chriſti eadem intelligit. 3.

CONCLVSIO 2. *Cogitationes humanæ nedum exiſtentes, ſed etiam futuræ, & præteritæ, computantur inter obiectum huius ſcientiæ animæ Chriſti.* Primùm, quia nulla datur cogitatio humana in homine conſtituto in hac vita, quæ non ſubijciatur examini & iudicio Chriſti, ex cap. 5. Ioan. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio:* & ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Oportet nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti.* *Probat. 1.* Ioann. 5. 2. Cor. 5.

Deinde, vnum ex medijs, quàm maximè accommodatis ad perſuadendam fidem Chriſtianam hominibus, cenſetur eſſe manifeſtatio cordium, facta ſine vlla dependentia ab eis, qui cogitationes humanas effingunt animo tantum, vt manifeſtè colligitur ex cap. 41. Iſaiæ. *Annunciate nobis quæ ventura ſunt, & ſciemus quia vos eſtis Dij.* & Hieremiæ 17. *Inſcrutabile eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? ego Dominus:* at Chriſtus, vt viator, nedum vt comprehenſor fuit doctor generis humani, & præterea debuit documenta de fide Chriſtiana manifeſtare mortalibus, ex illo Matth. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* 2. Iſaiæ 41. Hiere. 17.

Denique, quilibet intelligit ea quæ pertinent ad ſuum ſtatum, ſaltem ſi fuerit beatus, vt auctor eſt D. Th. 1. p. qu. 12. art. 8. at cognitio cogitationum humanarum pertinet ad ſtatum Chriſti: hic enim ex vi vnionis hypoſtaticæ vendicauit ſibi dominium, & poteſtatem in omnia creata, tam naturalia quàm ſupernaturalia, vt colligitur ex his quę diximus ſuprà: ergo omnium planè cogitationum habet cognitionem. 5.

Obijcies, cogitationes iſtas eſſe liberas, liberum autem vt ſic ſoli Deo eſt cognitum. *Obiectio.*

Reſp. cogitationẽ quamcumq; liberã eſſe ex ſe, & ſua natura occultam cuilibet alteri à Deo Opt. Max. ac proinde neminem relictũ intrà terminos propriæ naturæ ex Angelis, & hominibus poſſe naturaliter inueſtigare cogitationem alicuius alterius liberam; ope tamen & auxilio diuino quilibet *Reſponſio.*

Digitized by Google

noſtrûm,ac conſequenter & anima Chriſti potuit intelligere cogitationes humanas,nedû exiſtentes, ſed etiam præteritas,& futuras,cùm habuerit ſpeciale Dei auxiliû,etiam in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ad iſtas cogitationes omnes inueſtigandas;auxiliû autẽ hoc cenſetur eſſe habitus ſcientiæ per ſe infuſæ, & præterea habuit ſpecies ſimiliter per ſe infuſas, perfectiſſimè repræſentantes, quaſcûq;cogitationes humanas;fuerût enim hęc duoin anima Chriſti in primo inſtanti ſuę conceptionis.

Inſtantia. Reſp.

Inſtabis, cogitationẽ futurâ non poſſe cognoſci intuitiuè, niſi ſit in eſſe actualis exiſtentiæ. Reſpond. propoſitionem illam eſſe falſam;Deus enim omnium conſenſione cognoſcit intuitiuè omne futurum, & præteritum, & tamen hæc non ſunt in eſſe actualis exiſtentię.Deinde,cognitio intuitiua terminatur ad rem exiſtentem, ceterùm vel in tempore præſenti,præterito, vel certè futuro, vnde anima Chriſti cognouit de facto omnes cogitationes humanas intuitiuè.

Aliqua poſſibilia cognoſcit anima Chriſti per hanc ſcientiam.

Conclvsio 3. *Aliqua ex poſſibilibus non tamen omnia ſunt computanda inter obiecta ſcientiæ animæ per ſe infuſa Chriſti*, ità fatentur interpretes D. Th. hoc loco. Deinde, cognitiõ iſtorû omniû pertinet ad ſtatum Chriſti,nedum vt comprehenſor,ſed vt viator. Tertiò lumen quod in ſe habet,ſatis eſt ad iſtorum omniû cognitionẽ, poſſuntq; hæc omnia repræſentari à Deo per ſpecies aliquas infuſas animę Chriſti.Deniq; nulla ſequitur inde abſurditas.

Obiectio.

Dices,Incarnationẽ conſurgere ex vnione Verbi cum humana natura: Verbum autem diuinum intuitiue cognoſci poteſt tantû per ſcientiã beatã.

Reſpondeo,terminum incarnationis alium eſſe totalem,& adæquatum; alium vero formalẽ: ille cẽſetur eſſe Chriſtus,hic vero vnio recepta in humana Chriſti natura, tanquam in ſubiecto, à qua denominatur formaliter vnita Verbo,& cõtrà,Verbum humanæ naturæ:terminus ergo hic formalis cum ſit res aliqua creata, poteſt perfectiſſime repræſentari per ſpeciem aliquam creatam à Deo,& infuſam animæ Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis:vnde potuit myſterium incarnationis,in ordine ad hûc terminû formalẽ intuitiue cognoſcere,licet nõ potuerit aſſequi terminû adæquatû.

Alia obiectio.

Obijcies,viſionem beatificam non potuiſſe conſurgere ſine eſſentia diuina cognita, prout in ſe eſt; ergo non potuit hæc viſio cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam.

Reſponſio.

Reſp. viſionem eſſentiæ diuinæ non poſſe conſtituere quempiam beatû formaliter, niſi eſſentia diuina viſa fuerit, prout in ſe eſt:poteſt tamen viſio hæc intelligi, nedû ab anima Chriſti,ſed etiam à quolibet alio homine in hac vita conſtituto,per omnipotentiam Dei, dependenter à ſpecie aliqua producta à Deo: nã viſio iſta cẽſetur eſſe res aliqua creata, vnde poteſt repræſentari per ſpeciem aliquam productam à Deo,quam ſupponimus ipſum infudiſſe animæ Chriſti, quare cognouit beatitudinem formalem cuiuſlibet creaturæ rationalis: quamuis per iſtam ſcientiam non conſpexerit eſſentiam diuinam, prout in ſe eſt.

Quomodo eſſentia diuina pertinet ad obiectum ſcientiæ infuſæ.

Conclvsio vltima. *Ad obiectum ſcientiæ animæ Chriſti per ſe infuſæ pertinet eſſentia diuina, nedû vt vna,ſed vt trina:non quidem hoc ſenſu, quod cognoſcantur hæc duo per iſtam ſcientiam intuitiuè, ſed tantum abſtractiuè.* Probatur prima pars. Scientia per ſe infuſa animæ Chriſti, eſt præſtantior ſcientia quæ datur in nobis naturaliter,diximus enim hãc ſcientiam ſuperare quamcumq. hominû & Angelorû cognitionẽ: atqui quilibet noſtrû cognoſcit

Probatio 1.

A euidẽter,ſaltẽ à poſteriori Deû,ex 1.ad Rom. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta cõſpiciũtur.* Rom. 1. 2.

Deinde, qui cognoſcit omnes effectus alicuius cauſæ, debet etiam cognoſcere iſtã cauſam aliqua ratione:atqui diximus Concluſione prima,Chriſtũ per ſcientiam per ſe infuſam cognouiſſe ea omnia quæ fuerunt,aut futura ſunt in certa temporis differentia:ergo & cauſam intelliget qualis eſt eſſentia diuina.

Probat. 2. partis.

Secunda vero pars probatur:Quilibet noſtrûm cognoſcit per fidem Deum eſſe trinû, & vnû: ergo & anima Chriſti cognoſcit etiam hæc duo per ſcientiam per ſe infuſam abſtractiue, cum ſcientia hæc ſit præſtantior & perfectior cognitione quæ B datur in nobis per fidem.

Obiectio.

Dices,cognitionem vnius Dei,& trini non potuiſſe eſſe euidentem in anima Chriſti, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſcientiam.

Reſponſio.

Reſp.propoſitionẽ iſtã,(*Deus eſt trinus & vnus*) fuiſſe euidentem reſpectu animæ Chriſti:innotuit quippe illi propoſitionẽ prædictam à nullo alio fuiſſe reuelatam,& communicatã dependenter ab aliqua ſpecie perfectiſſime eã exprimente præterquàm à ſolo Deo: vnde fuit euidens in Chriſto in teſtificante, vt loquuntur; hoc autem ſufficit ad ſcientiam, & ad cognitionem abſtractiuam.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De ſcientia acquiſita animæ Chriſti.

Quid intellexerit per ſcientiam acquiſitam.

Articvlo primo docet, obiectum iſtius ſcientiæ fuiſſe in Chriſto,quodlibet intelligibile ab homine naturaliter per actionem intellectus agentis: probat,quia, inquit, quemadmodũ obiectũ ſcientię per ſe infuſæ animę Chriſti cenſetur eſſe illud omne, quod poteſt ab intellectu poſſibili attingi: ità quoq. obiectũ ſcientiæ per ſe acquiſitæ animę Chriſti cenſetur eſſe illud omne quod poteſt in- D tellectus agens inueſtigare naturaliter.

Deinde, non eſt denegandũ Chriſto,quod concedimus primo parẽti, & Salomoni;atqui primus parens,itémq.Salomõ cognouerunt ea omnia quæ naturaliter intelligi poſſunt ab intellectu agente, & pro eo tempore, quo ſumus in hac vita. Ità communiter docent interpretes D.Thom.hoc loco,& in 3. diſt. 14.

Obiectio.

Obijcies, animam Chriſti non potuiſſe cognoſcere hæc omnia per iſtã ſcientiã,niſi quoq. emendicauerit ab obiectis cognitis ſpecies, quibus repreſentãtur iſta obiecta;atqui incredibile eſt Chriſtũ comparaſſe ſibi dependenter à ſenſibus externis omnes omnino ſpecies cuiuſlibet plantę, herbę, grani arenæ, & ſic de alijs. E

Reſponſio.

Reſp. Animã Chriſti non comparaſſe ſibi ſpecies cuiuſlibet rei naturalis in particulari ſpectatæ, vt fatetur D.Th.in reſponſione ad 1.2.& 3.huius articuli;ac proinde probari hoc argumento animam Chriſti non cognouiſſe omnia omnino naturalia per iſtam ſcientiam intuitiuè; de facto tamen cognouit hęc omnia abſtractiuè:nam vt obſeruat idẽ D.Th. in reſponſione ad 1. Chriſtus cognouit per iſtam ſcientiã effectum per cauſam,& contrà,cauſam per effectũ, & ex perfectis etiam peruenit in cognitiones eorum,quorum nullum habuit experimentum,ex contrarijs contraria,ex ſimilibus ſimilia;& itẽ diſſimilia. Cùm ergo cognoſcere abſtractiue

Digitized by Google

ſtractiuè aliqua nihil aliud ſit, quàm ea intelligere per ſpecies alienas, & quælibet naturalia modo explicato intellexerit anima Chriſti, ex doctrina D. Th. hoc loco; cognitio hęc dicetur recte abſtractiua, & intuitiua in ordine ad illa quæ cognouit per ſpecies emendicatas ab obiectis: fauet quod aſſerit idem D. Th. in reſponſione ad 2. ait enim ex viſis animam Chriſti intellexiſſe non viſa, per ſcientiam huiuſmodi acquiſitam.

Ex contrarijs contraria, ex viſis non viſa cognoſcebat anima Chriſti.

Inſtabis, ſaltem concedendum erit ſcientiam Chriſti ex iſtis non eſſe ſimpliciter perfectam, neque item tantam, quanta fuit ſcientia perſe acquiſita Adami, vel Salomonis.

Inſtantia.

Reſponſio.

Reſpondeo, negando vtramq; partem illationis: primam quidē, quia illa ſcientia cenſetur eſſe perfectiſſima quæ habet omnē perfectionē quam habere potuit; ſcientia autem iſta Chriſti tanta in eo extitit, vt de lege cōmuni non potuerit eſſe maior, aut intenſior in vlla plane pura creatura: neq; neceſſe eſt ad perfectionem huius ſcientiæ, quod ſit intuitiua tantum, ſed ſatis eſt quod ſit ſimul intuitiua, & abſtractiua: ſecunda antē illatio ideo negatur, quia licèt ex hypotheſi plures fuerint ſpecies acquiſitæ in Adamo, quàm in Chriſto, defectus tamen ille aliunde, quam maximè cōpenſatur in anima Chriſti; nam vis intelligendi Chriſti fuit multis partibus perfectior capacitate primi parentis, vt obſeruat S. Th. in reſponſione ad 2. huius articuli. Deinde humana Chriſti natura nulla ratione fuit læſa; nullas item diſtractiones ſuſtinuit, niſi voluntarias, vt notat Medina ad hunc locum: natura autem Salomonis, & primi parentis fuit quàm maximè debilitata per peccatum, & obnoxia infinitis diſtractionibus.

Perfectio ſcientiæ acquiſitæ Chriſti.

Obiectio.

Obijcies, ſpecies numerorū, & concluſiones deductas ex principijs mathematicis eſſe infinitas, & cōſequenter nō potuiſſe cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam acquiſitā: ergo non cognouit, &c.

Reſponſio. Concluſiones & figuræ mathematicæ finitæ actu.

Reſp. ſpecies iſtas, & concluſiones extra ſuas poſitas nō eſſe infinitas actu, ſed finitas, ac proinde potuiſſe cognoſci ab anima Chriſti omnes, & & ſingulas, non quidem intuitiue, ſed abſtractiue: diximus enim cum D. Th. ad 2. ex viſis intellexiſſe Chriſtū non viſa. Moneo tamen concluſiones quę deduci poſſunt ex principijs mathematicis: itémq; figuras mathematicas eſſe infinitas ſyncategorematice, ac proindę non fuiſſe omnes iſtas cognitas à Chriſto per hanc ſcientiam, neq; intuitiue, neq; abſtractiue: non eſt tamē propterea dicendū ſcientiam iſtam Chriſti eſſe imperfectam, quia cognitio iſtorū omniū non eſt debita animæ Chriſti, etiam de lege communi, neq; item vlli puræ creaturæ: quod ſi D. Th. dicat ea omnia quę poſſunt cognoſci ab intellectu agente naturaliter, pertinere ad obiecta iſtius ſcientię Chriſti, hæc intelligēda ſunt de lege cōmuni: ità vt velit ea omnia fuiſſe cognita ab anima Chriſti per ſcientiam acquiſitam, quæ poſſunt cognoſci actione intellectus illius agentis à quolibet homine in hac vita conſtituto.

Secundò obſeruandum eſt, per iſtam ſcientiam animam Chriſti non cognouiſſe cogitationes humanas, neque item ea quæ ſunt per ſe, & ex ſua natura ordinis ſupernaturalis, ità docent cōmuniter interpretes D. Th. hoc loco, & in 3. diſt. 14.

ARTICVLO 2. docet, animā Chriſti comparaſſe ſibi ſcientiam per ſe acquiſitā, & creuiſſe in eadē, quemadmodum & ſecundum ætatem, qua in re, ait ſe mutaſſe ſententiam, quam aliàs ſuſtinuerat in 3. diſt. 14. docuit enim vt monuimus q. 9. huius partis, animæ Chriſti fuiſſe infuſos omnes habitus ſcientiæ acquiſitæ in primo inſtanti ſuæ cōceptionis: quę opinio videtur nobis indubitata idq. quod ſancti Patres doceant Chriſtm profeciſſe tantum ſapientia ſecundū oſtenſionē, non autem ſecundū ipſammet ſapientiam. Deinde, quia nulla poteſt aſſignari ratio, cur habitus acquiſiti, non fuerint debiti ex vi vnionis hypoſtaticæ animæ Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis; bene tamen habitus omnes per ſe infuſi, & item habitus cuiuſlibet virtutis moralis, & Theologicæ.

Comparauit ſibi Chriſtus ſcientiam acquiſitam.

ARTICVLO 3. docet, anno duodecimo ſuę ętatis Chriſtū pleniſſime cōparaſſe ſibi omnes ſcientias per ſe acquiſitas, ità in reſponſione ad 3. ex Greg.

Ceterum, res iſta nullo nititur fundamento ſtabili; nam licet ætas anni duodecimi ſit apta & ad inueniendum, & iudicandū de rebus agendis, aut non agendis: non tamen ità videtur accommodata, vt hæc perfectiſſime iuuet in omni plane caſu ad iudicandū de rebus agendis, aut etiā ad perfectiſſime quaſlibet res inueſtigandas, vt ſatis docet experiētia quotidiana: nō ergo hinc miraculo potuit Chriſtus anno duodecimo ſuæ ætatis, omnes omnino ſcięntias acquiſitas ſibi perfectiſſime cōparare.

Anno 12. nō comparauit ſibi Chriſtus omnes ſcientias acquiſitas.

ARTICVLO VLTIMO docet animā Chriſti nulla didiciſſe ab Angelis, quemadmodum neque ab hominibus, quod docuit art. 3. huius quæſtionis.

Quædā ab Angelis & hominibus didicit anima Chriſti.

Ceterum neutrum ex iſtis duobus documentis videtur eſſe verum: non enim videtur eſſe magis abſurdum animam Chriſti didiciſſe aliqua ex rebus iſtis ſenſibilibus, aut etiam humanis ab Angelis, & hominibus, quàm ab obiectis naturalibus, quæ de facto intellexit; at fatetur D. Th. animam Chriſti emendicaſſe ſpecies ab obiectis intellectis, & ita dependenter ab iſtis cōparaſſe ſibi ſcientias acquiſitas: quare ergo nō potuerit aliqua addiſcere ab Angelis, vel hominibus? Deinde, ſcientiæ acquiſitæ, ex ſe poſtulant vt pendeant à ſenſibus externis, ex illo Ariſtotelis, *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*: quid ergo impedit quo minùs potuerit Chriſtus aliquid addiſcere ab hominibus vel Angelis.

Addit S. Th. Angelum confortaſſe Chriſtum orantem in horto, inſtante tempore ſuæ paſſionis, non quidem hoc ſenſu, quaſi acceperit hic aliquid ab Angelo, beneficio cuius ſolatium, & leuamen aliquod in ſe ſenſerit: ſed vt oſtenderet ſe humanæ naturæ ſortitum eſſe ſtatum, ac proinde potuiſſe tam vere tentari, & experiri mala pœnę, ſicut quilibet noſtrūm experiri poteſt, quod documentum ab omnibus Patribus communiter aſſeritur.

Quo ſenſu Angelus in horto cōfortauerit Chriſtum.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA

De potentia animæ Chriſti.

ARTICVLVS PRIMVS.

An anima Chriſti habeat omnipotentiam ſimpliciter.

DVO ſunt hoc loco explicanda; alterum, An omnipotentia formaliter & intrinſece animæ Chriſti conueniat.

Bifariam ſumitur omnipotentia.

Aduerte, omnipotentiam vſurpari duobus modis; interdum enim ſignificat attributum abſolutum eſſentię diuinę, quod habet pro obiecto, poſſibile quodcumq; ſeu illud omne, quod poteſt produci, ac proinde ratione cuius poteſt Deus producere illud omne, quod non implicat contradictionem in ratione cauſę præcipuę, &

principalis: interdum verò significat eam rem, quam Deus potest assumere; veluti instrumentum ad producendũ illud omne, quod potest produci ab auctore naturę, & quod non implicat contradictionem extra suas causas constitui.

Non habuit omnipotentiam anima Christi vt attributũ est Probatio 1.

Conclvsio 1. *Anima Christi nec habuit, nec habere potuit omnipotentiam sumptam pro attributo essentiæ diuinæ, saltem formaliter & intrinsecè.* Probatur primò, quia de fide est duas dari in Christo naturas, diuinam, & humanam, & vtramque retinere suas proprietates inconfusas; at si anima Christi habuisset omnipotentiam, prout est vnum ex attributis essentiæ diuinæ formaliter, & intrinsecè, attributa diuinæ naturæ non essent ità propria ipsi, quin darentur etiam in humana natura; quare essent attributa ista confusa, & permixta.

2. Deinde, omnis potentia, quæ datur aut dari potest in humana Christi natura censetur esse finita, saltem si formaliter & intrinsecè eamdem efficiat; quod enim recipitur in subiecto finito, debet esse finitum: at humana Christi natura est finita, omnipotentia verò simpliciter infinita: igitur non potuit illi communicari sub illa ratione.

3. Tertiò, omnipotentia hac ratione spectata, arguit infinitam vim agendi, & præterea connotat rationem causæ præcipuæ, & principalis, respectu illius effectus, quem attingit: at humana Christi natura nequit esse causa præcipua effectus, qui producitur ab omnipotentia Dei: ergo neque esse omnipotens simpliciter.

4. Quartò, humana Christi natura nequit operari, sine dependentia, & sine concursu Dei: igitur implicabit esse omnipotentem.

Probat. 2. par. 1. Secunda vero pars probatur, quia docuimus in antecedentibus, ex vi vnionis hypostaticæ, humanam naturam non esse factam potentiorem, in ordine ad operandum, saltem physicè; quod dico, quia indubitatum est actiones humanas Christi extitisse infinitè meritorias, propter vnionem hypostaticam; atqui omnipotentia ordinatur ad operandum physicè: ergo formaliter, & intrinsecè nequit esse omnipotens.

2. Deinde, essentia diuina non potest per seipsam proximè vniri humana humanæ Christi naturæ, vt suprà docuimus; ergo neque omnipotentia eiusdem: hæc enim est ità coniuncta cum essentia diuina, vt nequeat ab ea separari.

Hæretici dissentiunt. Fundamẽtum. Hæc est contra hæreticos nostri temporis; credunt enim animam Christi ex vi vnionis hypostaticę, tam verè esse omnipotentem, quàm sit essentia diuina: probántque aliqui ex Damasceno de fide, cap. 8. ait enim illic, humanam Christi naturam esse omnipotentem, eandémque rationem loquendi vsurpant aliqui alij sancti Patres.

Responsio. Respondeo, Patres istos intelligendos esse de communicatione idiomatum, ità vt propterea velint animam Christi esse omnipotentem, non quidem formaliter, & intrinsecè, quemadmodum est essentia diuina; sed quia propter vnionem hypostaticam, proprietates diuinæ naturæ enunciantur de humana, & item proprietates humanæ Christi naturę, de diuina.

Obiectio. Obijcies, humanam Christi naturam, existere per existentiam diuinam, vt volunt Thomistæ: ergo eodem modo habebit omnipotentiam.

Responsio. Existentia actualis quid. Resp. opinionem Thomistarum nulla ratione admitti à nobis hac in re; existentia quippe est ità coniuncta cum eius essentia; vt per nullam potentiam possint hæc duo ab inicem separari: existentia enim nihil est aliud, quàm primus modus, quo res quælibet creata ponitur extra suas causas.

Conclvsio 2. *Anima Christi nec habuit, nec habere potuit omnipotentiam diuinam in ratione causæ instrumentalis, respectu cuiuslibet rei possibilis; bene tamen, respectu multarum verum, quæ fuerunt à Deo productæ, & respectu etiá quarundam quæ produci possent de facto, tamen nusquam producentur.* Prima pars probatur. Ad producendum quodlibet possibile, desideratur vis infinita; nedum in causa præcipua, & principali; sed etiam in instrumentali: atqui humana Christi natura non potest cõsequi vim & potentiam infinitam, cùm hęc sit ex se & sua natura finita: imo ex doctrina D. Th. infinitum extra Deum dari nullo modo potest. *Non fuit omnipotens respectu omnis possibilis.* *Probat. 1.*

Deinde, obiectũ omnipotentię diuinę censetur esse quodcumq; producibile, nedũ respectu causę præcipuę, & principalis; sed etiam instrumentalis, vt supponimus; at humana Christi natura non potest esse obiectũ potentię productiuę respectu sui ipsius; implicat enim aliquid producere seipsum antequam sit: ergo non habuit omnipotentiam respectu omnis rei possibilis. 2.

Tertiò, data quacumq. re creata potest producere Deus in infinitum perfectiorẽ: at id dici non posset si in anima Christi, aut alterius rei creatæ daretur potentia aliqua, quæ tanta esset, vt producibile quodcumque attingeret, vel attingere posset: ergo. Ita Medina ad hunc artticulum & plerique alij Interpretes, D. Thomæ. 3.

Secunda verò pars probatur. Anima Christi innumera propęmodũ miracula operata est, ac profunde, & dependenter ab omnipotentia diuina: miraculũ quippe definitur *operis rarum, & insolitum capacitatem naturæ transcendens*: ergo habuit humana Christi natura rationẽ causę instrumentalis, respectu istorũ omniũ operũ, vnde & habuit omnipotẽtiã in ratione causę instrumẽtalis aliqua ratione. *Multa miracula edidit Christus.*

Secundum explicandum est hoc loco, *an potestas faciendi miracula extiterit in humana Christi natura in primo instanti suæ conceptionis.* Respondeo *humanam Christi naturã habuisse vim faciendi miracula, & quidẽ in primo instanti suæ conceptionis, vsum tamen istius non habuisse locum, ante annum trigesimum primũ, vel certe sub initiũ trigesimi secundi suæ ætatis.* Responsio hæc tria habet capita: primũ comprobatur ex illis locis Scripturę, in quibus dicitur de Christo, quod dederit potestatem Apostolis faciendi miracula: Matth. 10. *Conuocatis duodecim discipulis dedit eis potestatẽ.* & Ioan. 14. *Qui credit in me opera, quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet.* & Marci 16. *Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* & rursus; *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis*, nemo autem potest dare potestatem faciendi miracula, nisi potestas ista in eo fuerit; nullus siquidem dat quod non habet: ergo eã anima Christi prębabuit. *Quãdo habuerit Christus vim faciendi miracula.* Matth. 10. Ioann. 14. Marc. 16.

Deinde, Scripturæ nihil frequentius inculcant, quàm Christum miracula effecisse: *Ioan. 2.* aquam in vinũ commutauit in Cana Galileæ: ex quinque panibus, & duobus piscibus infinitam hominum multitudinem refecit. *Ioan. 5.* Dæmones à corporibus mortalium expulit, *Luc. 4.* & alibi sæpe: ergo habuit ad ea potestatem, & virtutem. 2. Ioann. 2. Ioann. 5. Lucæ 4.

Tertiò, miracula contentur esse signa veritatis fidei Christianæ, vt colligitur ex cap. 16. Marci supra citato, & ex cap. 6. Actuum: vbi dicitur de Stephano. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat signa magna in populo:* imo Christus de seipso ita loquitur, Ioan. 10. *Si mihi non vul-* 3. Marci 16. Actor. 6. Ioann. 10.

Digitized by Google

tis credere, operibus credite : at Chriſtus fidem Chriſtianam promulgauit, & eamdem debuit proinde miraculis comprobare : ergo ad huiuſmodi patranda vim habuit : ità docent omnes hoc loco, & q. 43. huius partis.

Habuit vim faciendi miracula in inſtanti cõceptionis.

Secundum verò capùt reſponſionis probatur. Anima Chriſti in primo inſtanti ſuę conceptionis habuit omnem gratiam, & gloriam, quam habere potuit: virtutes item omnes tàm intellectus, quàm voluntatis: ergo habuit etiam in primo inſtanti eiuſdem conceptionis poteſtatem faciendi miracula : nam ex vi vnionis hypoſtaticæ, tam verè fuit debita poteſtas faciendi miracula humanę Chriſti naturæ, quàm gratia, & gloria, & virtutes intellectus, & voluntatis, cùm debuerit Chriſtus fungi officio legiſlatoris, doctoris, & redemptoris.

Tertium denique caput reſponſionis probatur ex cap. 2. Ioannis. *Hoc fecit initium ſignorum in Cana Galilææ :* loquitur enim Ioannes hoc in loco de conuerſione aquæ in vinum facta à Chriſto, & ait eſſe initium miraculorum Chriſti; docent autem plerique interpretes D. Thom. hoc fuiſſe factitatum à Chriſto ſub initium anni Chriſti trigeſimi ſecundi.

Ioan. 2. *Anno 31. vſus eſt poteſtate faciendi miracula.*

Deinde, diximus miracula ordinari ad veritatem fidei Chriſtianæ comprobandam : at Chriſtus ante trigeſimum annum fidem non euulgauit, vt habet omnium planè Doctorum opinio, & videtur colligi ex cap. 15. Lucæ.

Epiphanius deſeritur.

Tertiò, licèt Epiphanius hæreſi 5. doceat Chriſtum in tenera ætate conſtitutum, miracula aliqua effeciſſe; deſeritur tamen hac in re ab omnibus aliis Patribus: putant enim non prius Chriſtum vlla patraſſe miracula, quàm religionem Catholicam euulgauerit; imò hoc colligunt aliqui ex verbis eiuſdem Matthæi 11. interrogatus quippe an eſſet Meſſias, à diſcip. Ioan. ait illis; *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident; ſurdi audiunt, muti loquuntur, mortui reſurgunt, & pauperes euangelizantur* : quod idem eſt ac ſi diceret, ex miraculis tunc à ſe factis poſſe euidenter colligere ſe eſſe verum Meſſiam: Iſaias quippe prædixerat miracula commemorata, demandanda eſſe executioni à Meſſia.

Matth. 11.

Liber de infantia Chriſti apocryphus.

Denique, liber qui circumfertur nomine Matthæi Euangeliſtæ, de infantia Chriſti, reijcitur tanquam Apocryphus à Gelaſio diſt. 15. cap. ſancta Romana Eccleſia, & à D. Tho. q. 45. huius partis artic. 4. qui ait librum hunc abundare mendacijs, citátque Chryſoſtomum hoc idem affirmantem homilia 16. in Ioannem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in Chriſto fuerit omnipotentia reſpectu immutationis creaturarum.

DVBITATIO PRIMA.

An humana Chriſti natura fuerit cauſa præcipua, & principalis operis miraculoſi.

Fundamenta cõtrar. 1.

RATIO dubitandi eſt, quia Exodi cap. 7. dicitur, Magos Pharaonis conuertiſſe virgas ſuas in veros ſerpentes, non minùs quam conuerterit Moyſes ſuam : at conuerſio iſta videtur miraculoſa; facta quippe fuit in puncto fere temporis imperceptibili : ergo anima Chriſti vt cauſa principalis potuit miracula edere.

Deinde, Matth. 24. dicitur de Antichriſto, & de tempore eiuſdem. *Surgent pſeudo-Chriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna* : at non eſt credibile Deum facturum iſta ſigna tanquam cauſam præcipuam; ordinantur quippe hæc ad ſubuerſionem Catholicorum hominum, vt conſtat ex loco proximè citato. Confirmatur ex Hippolyto Martyre, in oratione de Antichriſto; aſſerit enim illic Antichriſtum facturum eſſe miracula vera : ergo idem multò melius eſt aſſerendum de anima Chriſti.

2. Matth. 24.

Confir.

CONCLVSIO. *Humana Chriſti natura nec fuit, nec eſſe potuit cauſa præcipua & principalis vllius planè operis miraculoſi verè & propriè dicti.*

Non potuit eſſe anima Chriſti cauſa præcipua operis miraculoſi.

Primùm, quia Scriptura aſſerit ſolum Deum eſſe cauſam operis miraculoſi : ità Pſalm. 71. *Benedictus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus:* & Pſal. 76. *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia.*

Probat. 1. Pſal. 71. & 76.

Deinde, miraculum proprie dictum definitur, vt dixi ; *Opus rarum & inſolitum, a ſolo Deo factum capacitatem naturæ tranſcendens.* Hæc autem omnia videntur intelligenda de ſola cauſa præcipua, & principali operis miraculoſi : de fide quippe eſt Apoſtolos feciſſe verè miracula in ratione cauſæ inſtrumentalis, & idem fatentur omnes de reliquijs ſanctorum, de qua re legendus eſt D. P. Auguſt. lib. 22. de ciuitate cap. 8.

2.

Tertiò, miracula factitata à Chriſto tribuuntur in ſacris litteris Deo, Ioannis 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor*, & ibidem. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei*, id eſt auctoritate accepta à Patre, *teſtimonium perhibent de me*, & rurſus. *A meipſo non poſſum facere quidquam:* & cap. 14. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera.*

3. Ioan. 5. Ioan. 14.

Quartò, ſuſcitatio mortuorum computatur inter miracula proprie dicta, iudicio & exiſtimatione omnium Theologorum, & videtur colligi ex illo axiomate Ariſtotelis : *à priuatione ad habitum, non datur regreſſus:* per potentiam naturalem: & ſuſcitatio mortuorum tribuitur Deo, veluti cauſę principali; ità enim loquitur Script. de Deo. *Ipſe eſt qui deducit ad inferos, & reducit; qui mortificat & vnificat.*

4. 1. Reg. 2.

Denique, opus miraculoſum proprie dictum arguit infinitam potentiam in cauſa principali, atqui infinita potentia deprehenditur in ſolo Deo, vt eſt notum ex dictis artic. 1. huius quæſt. Confirmatur. Humana Chriſti natura, vt ſic, nec habuit omnipotentiam, nec habere potuit : ergo non potuit etiam eſſe cauſa præcipua & principalis vllius operis miraculoſi proprie dicti: ità communiter interpretes D. Thom. hoc loco.

5.

Obiectio.

Obijcies, non eſſe magis abſurdum humanam Chriſti naturam eſſe cauſam præcipuam, & principalem operis miraculoſi, quàm gratiæ, & iuſtificationis; eſt enim gratia ex ſe, & ſua natura ordinis ſupernaturalis, educitúrque ex potentia obedientiali animę, omnium conſenſione : at gratia omnis, quę datur in nobis, pendet ab humana Chriſti natura, veluti à cauſa præcipua, ex illo Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia :* imò D. Thom. in 4. diſt. 5. ait, miniſtros ſacramentorum eſſe cauſas inſtrumentarias gratiæ; humanitatem verò Chriſti, cauſam præcipuam: ergo.

Reſponſio.

Reſpondeo, cõceſſa maiore, negando minorem.

Ad probationem autem primam eiuſdem, concludere tantùm gratiam pendere ab humana Chriſti natura, veluti à cauſa principali meritoria, non autem phyſica, ſeu naturali; aut vt alij loquuntur in ratione cauſæ principalis efficientis phyſicæ, quo tamen modo contendimus ſolum Deum eſſe cauſam præcipuam cuiuſlibet operis miraculoſi. Moneo tamen poſſe concedi de humana Chriſti natura quòd ſit cauſa præcipua operis miraculoſi, loquendo de cauſa præcipua effectiua, non quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm comparatiue, ſub ea ſcilicet ratione, qua opus miraculoſum producitur ex hypotheſi à ſacramentis, vel produci poteſt, Deo ità ordinante: hac ergo ratione humanitas Chriſti poſſet dici cauſa præcipua, comparata cùm ſacramentis, quæ operantur opus miraculoſum dependenter ab humana Chriſti natura, quę nihil planè mutuaretur à ſacramentis; vnde dici poſſet cauſa præcipua in ordine ad ſacramenta, reſpectu verò Dei cenſeretur cauſa inſtrumentalis. Ità explicandus eſt D. Thom. quando dicit gratiam produci à miniſtris ſacramentorum veluti à cauſa inſtrumentali, & ab humana Chriſti natura, vt à cauſa præcipua.

Aliquo ſenſu poteſt dici cauſa præcipua humanitas Chriſti miraculi.

Obiectio.

Obijcies, illuminationem hominum, & Angelorum, ex D. Thom. hoc loco poſſe habere ortum ab humanitate Chriſti, tanquam à cauſa præcipua: ergo.

Reſponſ.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; illuminatio quippe hominum, & Angelorum non arguit in cauſa præcipua omnipotentiam: Angeli enim ſuperiores illuminant inferiores; productio verò operis miraculoſi ſupponit in cauſa præcipua omnipotentiam.

Diſſolvuntur fundamenta contraria 1.

Ad rationes dubitandi reſp. Ad 1. conuerſionem factam à Magis Pharaonis in veros ſerpentes, non fuiſſe miraculoſam; facta fuit ſiquidem hęc, applicando naturalia actiua paſſiuis, vt obſeruat D. Thom. 1. p. vbi ait multa extare in vniuerſitate, quę nobis ſunt occulta, Dęmonibus autem, & Angelis notiſſima; quæ cum applicantur ad agendum, & patiendum, effectus aliquos ſingulares producunt, qui nobis videntur miracula; de facto tamen non ſunt, & talem ſentit D. Thom. eſſe conuerſionem virgarum in veros ſerpentes.

2. Theſſ. 2.

2. Ad ſecundum Antichriſtum facturum miracula, non quidem vera, ſed apparentia tantùm, quod videtur confirmari ex cap. 2. poſterioris ad Theſſal. ita enim illic loquitur Paulus de Antichriſto; *Veniet in ſignis, & portentis mendacibus.*

Solut. confirm.

Ad confirmationem autem dico, Hippolytum Martyrem non affirmare de Antichriſto, quod facturus ſit vera miracula, ſed tantùm quod producturus ſit veras aliquas, & reales operationes, quę videbuntur miracula; reuera tamen non attingent rationem miraculi, huius generis erit deſcenſus ignis de cœlo; effectum iſtum quippe producet Antichriſtus ſuo tempore ex Hippolyto, loco citato.

A Scholaſtici, quos citat idem Vazquez.

Iſtorum autem opinio probatur. Primùm, quia ſancti Patres adſcribunt productionem cuiuſlibet miraculi diuinitati Chriſti latenti intrà humanam naturam; refert autem Patres ipſemet Vazquez vbi ſupra. *Fundamentum 1.*

Deinde, cauſa inſtrumentalis nequit effectum cauſæ principalis phyſicæ attingere, niſi habuerit virtutem aliquam ſibi connaturalem, per quam attingere valeat effectum cauſæ principalis, vt conſtat ex penicillo, & alijs inſtrumentis; at humana Chriſti natura ſpectata ſecundum ſuam entitatem, ac proinde intrà terminos ſuæ naturæ, nullam habet vim in ſe ſibi naturalem, per quam poſſit attingere vllum planè opus miraculoſum, nam natura humana ſpectata ſecundum ſuam entitatem tota eſt ordinis naturalis, miraculum autem quodlibet debet eſſe ſupernaturale: ergo erit tantum cauſa moralis in ordine ad illud. 2.

Tertiò, quod operatur phyſicè etiam in ratione inſtrumenti debet coniungi paſſo ex communi doctrina Philoſophorum, & Theologorum: at humanitas Chriſti non poteſt coniungi ei rei, in qua producitur miraculum aliquod, ſedes namque humanitas Chriſti ad dexteram patris, & miracula quæ fiunt celebrantur iſtis in terris vt plurimùm. 3.

Cauſæ efficientes phyſica aliæ, & aliæ morales.

Aduerte, cauſas efficientes eſſe in duplici differentia, aliæ enim ſunt phyſicæ, aliæ verò morales: illæ attingunt ſuos effectus per veram efficientiam, & cauſalitatem, ità vt verè, & realiter influant in effectum, qui producitur: iſtæ vero ſuos attingunt effectus conſulendo, hortando, alliciendo, deterrendo, & alijs ſimilibus modis: minimè vero influendo in effectum vere, & realiter: hac ratione concionator aliquis cenſetur eſſe cauſa effectiua largitionis eleemoſynæ v. g. dum ſuis monitis & conſilijs efficit vt auditores eiuſdem largiantur eleemoſynas: priori vero modo ignis dicitur producere calorem, vel alium ignem calefaciendo.

Humanitas Chriſti cauſa phyſica miraculorũ.

CONCLVSIO. *Humana Chriſti natura eſt cauſa cuiuſlibet operis miraculoſi effectiua in ratione cauſæ efficientis phyſicæ.* Oſtenditur primo, quia id videtur colligi ex cap. 6. Lucæ, dicitur enim illic de Chriſto. *Quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes:* exire autem virtutem de aliquo, videtur eſſe aliquid maius, quàm moraliter operari: & cap. 8. ità loquitur Chriſtus de ſeipſo. *Nouit de me virtutem exiſſe.* *Probat. 1.* Luc. 6.

Deinde, Chriſtus miracula præſtitit non orando, ſed imperando, vt conſtat ex cap. 4. Ioannis: ità enim alloquitur regulum Chriſtus; *Vade, filius tuus viuit:* & Matthæi 8. Centurioni dixit. *Fiat tibi ſicut credidiſti & ſanatus eſt puer in illa hora:* & Ioan. 11. *Lazare veni foras.* & Luc. 4. *Imperauit febri, & dimiſit illam:* & cap. 6. homini habenti manum aridam dixit. *Surge, & ſta in medium.* 2. Ioan. 4. Matth. 8. Ioann. 11. Luc. 4.

Tertiò, ſacra Concilia definiunt humanam Chriſti naturam habere vim ſanctificandi, ratio autem iſta loquendi videtur arguere maiorem aliquam cauſalitatem, & efficientiam, quàm ſit moralis: ità Synodus 6. Generalis, & Epheſ. 1. Subſcribunt Patres, Dionyſius epiſt. 4. Cyrillus in epiſt. ad Neſtorium, & lib. 4. in Ioannem cap. 14. & lib. 1. de fide ad Reginas, quo loco ait, humanam Chriſti naturam eſſe inſtrumentum coniunctum diuinitatis in producendis illis rebus, quæ tranſcendunt captum naturalem, reſpectu cuiuſlibet entis phyſici, & naturalis: & Athanaſius ſermone 3. Synod. 6. Epheſ. 1. Dionyſ. Cyrill. Athanaſ.

DVBITATIO SECVNDA.

In quo genere cauſæ humanitas Chriſti producat miracula.

Quorumdam opinio.

SVNT qui putent producere tantum operationes iſtas miraculoſas in genere moris, ſeu moraliter, ità Gabriel Vazquez diſp. 57. huius partis: Belarminus, & plerique alij veteres, & recent.

Digitized by Google

mone 4. contra Arrianos ; tradit enim illic humanitatem Chriſti concurrere ad quælibet miracula : & D. P. Auguſt. tractatu 24. in Ioannem,& Chryſoſt. homilia 11. in Matthæũ, Gregor. lib. 2. Moralium cap. 3. vbi ait ſanctos edidiſſe miracula,nedum precando,ſed etiam efficiendo , & Euſebius lib. 4.de demonſtratione.

Auguſtin. Chryſoſt. Gregor. Euſeb.

4. Accedit ratio. Modus operandi perfectiſſimus eſt humanæ Chriſti naturæ aſcribendus , niſi ſequatur inde repugnantia aliqua , idque propter vnionem hypoſtaticam , cùm eleuetur hac ratione humanitas Chriſti ad eſſe diuinum : at modus agendi perfectiſſimus cauſæ efficientis,eſt per veram cauſalitatẽ operari:ergo hic erit adſcribendus humanæ Chriſti naturæ inter miracula patranda.

5. Deinde , ſacramenta ex multorum opinione producunt gratiam in ratione cauſę efficientis phyſicæ; imò ſunt qui defendant , quòd ſi humanitas Chriſti deſtrueretur in ſeipſa, ſuppoſita tamen inſtitutione ſacramenti altaris , verba iſta; *Hoc eſt corpus meum* : producerent verè & realiter naturam humanam Chriſti ſub ſpecie panis. Ignis item inferni torquet animas damnatorum per veram efficientiam, vt videtur colligi ex cap. 16. Lucæ. *Crucior in hac flamma*, ait diues Epulo conſtitutus apud infernos; & alibi dicitur : *Mittite eum in gehennam ignis inextinguibilis* : ergo à fortiori humanitas Chriſti erit cauſa inſtrumentalis phyſica cuiuſliber operis miraculoſi: ità docent D. Thom. hoc loco & 1. 2. q. 112. & q. 6. de potentia,art. 4. & q. 48. 56. & 62. huius partis,& ſectatores eiuſdem ibidem.

Luc. 16.

Solutio 1. fundamenti. Exponitur doctrina Patrum.

Ad rationes contrarias. Reſp. ſanctos Patres ideò adſcribere diuinitati latenti intrà humanam Chriſti naturam , productionem cuiuſlibet operis miraculoſi , vt explicent quæ ſit cauſa præcipua , & principalis illius; non autem vt doceant humanitatem Chriſti non eſſe cauſam efficientem phyſicam,& inſtrumentalem: imò aliqui Patres citati proximè , addunt humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum coniunctum diuinitatis,comparatione cuiuſlibet miraculi producti à Chriſto.

2. Ad 2. Reſp. propoſitionem illam aſſumptam, fieri non poſſe vt aliquid aſſumatur tanquam inſtrumentum ad aliquem effectum producendum, niſi habuerit hoc proportionem & conuenientiam aliquam naturalem,reſpectu cuius poſſit attingere effectum cauſę præcipuæ:veram eſſe ſi ſermo ſit de inſtrumentis naturalibus , & artificialibus:aliter tamen ſentiendum eſt de inſtrumentis ſupernaturalibus , inter quæ computanda eſt humanitas Chriſti , quando aſſumitur ad producenda miracula ab omnipotentia diuina. Ratio autem huius diſparitatis ab eo petitur , quòd inſtrumenta naturalia,& artificialia ſint determinata ad certum aliquem effectum producendum ſpecie & dependenter ab aliqua ſuperaddita qualitate: inſtrumenta autem ſupernaturalia nec producunt per qualitates aliquas ſibi proprias , & peculiares, ſaltem neceſſariò;nec ſunt definita ad productionem alicuius effectus,qui ſit vnius tantùm ſpeciei; ſed reſpiciunt res omnino varias , ſpecie ſaltem interdum , vt manifeſte colligitur ex poteſtate faciendi miracula ; hæc ſiquidem & ſuſcitat mortuos, & reſtituit viſum cæcis, auditum ſurdis, loquelam mutis,rectum greſſum claudis,& ſic de alijs innumeris quæ diſtinguuntur inter ſe ſpecie.

Diſcrimen inter inſtrumenta naturalia & ſupernaturalia.

Vltimi ſolutio.

Ad vltimam reſpondeo. Contactum immediationis ſuppoſiti vel virtutis , deſiderari ad hoc vt agens aliquod dicatur operari phyſice reſpectu illius rei quæ patitur : humanitas autem Chriſti, eſto locata ſit in dextera Patris , virtute tamen coniungitur omni plane rei in qua miraculum aliquod de nouo producitur ; illa eadem ratione, cæteris tamen paribus , qua Sol coniungitur effectis,qui de nouo producuntur in viſceribus terræ, aut etiam in ſuperficie eiuſdem.

DVBITATIO TERTIA.

Quid ſit potentia faciendi miracula in humana Chriſti natura.

Potentia faciendi miracula non eſt qualitas aut forma. Probat. 1.

DIco 1. *Potentiam faciendi miracula in natura humana Chriſti,non eſſe qualitatem , aut formam aliquam priuatam, & particularem, neque item plures receptas in ipſa, tanquam in ſubiecto inhæſionis.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. in 2. 2. q. 178. artic. 1. ad 1. & interpretum eiuſdem communiter.

2. Deinde, quælibet qualitas habitualis eſt definita ad certum aliquem effectum ſpecie producendum,vt conſtat ex lumine gloriæ , quod producit tantum viſionem eſſentiæ diuinæ in quibuſuis beatis : atqui poteſtas faciendi miracula in Chriſto reſpicit effectus innumeros diſtinctos inter ſe ſpecie , vt colligitur ex cap. 11. Matth. ità enim dicitur illic à Chriſto diſcipulis Ioannis ; *Euntes renunciate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, &c.* Hęc autem omnia opera celebrata ſunt , ab humanitate Chriſti per poteſtatẽ quã habuit faciẽdi miracula.

Matth. 11.

3. Tertiò , vix dici poteſt quod ſit ſubiectum immediatum qualitatis , aut qualitatum iſtarum , ſi, ex hypotheſi, poteſtas faciendi miracula eſſet in Chriſto forma aliqua recepta in eo, vel certe plures formæ: nam vel forma hæc eſſet in anima , vel in corpore tantùm, vel in iſtis duobus ſimul : non primum,quia cùm poteſtas iſta ſit tota ſupernaturalis videtur quoque poſtulare ſubiectum aliquod ſpirituale : neque 2. quia poteſtas faciendi miracula ineſſe creditur , nedum humanæ Chriſti naturæ,ſed etiam ſanctis , & reliquijs eorumdem: neque denique vltimum , quia fieri non poteſt vt aliquid ſit ſimul ſpirituale, & ſenſibile; præſertim ſi ſupponamus rem hanc eſſe entitatem aliquam indiuiduam , & ſingularem haberéque rationem entis perfecti , neque conſurgere ex pluribus partibus inter ſe diſtinctis.

Obiectio.

Obijcies , poteſtatem baptizandi ex officio , & item conſecrandi in quolibet ſacerdote,eſſe priuatam aliquam qualitatem in eo receptam , tanquam in ſubiecto : ergo hoc idem erit dicendum de poteſtate faciendi miracula reſpectu humanæ naturæ Chriſti.

Reſponſio.

Reſpondeo , conceſſo antecedente , negando conſequentiam : propterea enim poteſtas baptizandi,& conſecrandi, ſunt qualitates; quia determinatæ ſunt ad producendos certos aliquos effectus ſpecie diſtinctos , & id poteſt præſtare ſacerdos quotieſcumque vult, & quidem ex officio: poteſtas autem faciendi miracula, non eſt definita ad effectus aliquos ſpecie inter ſe conuenientes, ſed diſſidentes , vnde debet eſſe hęc aliquid longe varium , & diuerſum à qualibet qualitate habituali.

Alia obiectio.

Dices , ſaltem ex iſtis colligendum erit ſanctos non aliter eſſe cauſam operis miraculoſi, quàm ſit humana Chriſti natura.

Reſponſio.

Reſp. nego illationem iſtam,ſancti quippe pro-

Digitized by Google

ducunt tanquam inſtrumenta diſiuncta diuinitatis Chriſti; humana verò Chriſti natura tanquam inſtrumentum coniunctum eiuſdem diuinitatis. Deinde, humanitas Chriſti producit miracula in ratione cauſę efficientis phyſicæ ; ſancti verò in ratione tantum cauſæ moralis, vt videtur colligi ex loco D. Thom. proximè citato:& ex Gregorio lib. 2. Moralium cap. 3. Denique ſancti faciunt miracula orando , & conſequenter impetrando, tangendo, vel reliquias eorumdem circumferendo: hęc autem omnia ſpectant ad genus moris, imitantúrque modum operandi cauſæ moralis.

Poteſtas faciendi miracula in Chriſto quid. Probat. 1.

DICO 2. *Poteſtatem faciendi miracula in Chriſto eſſe ipſammet naturam humanam, prout ſubijcitur omnipotentiæ diuinæ , & motioni eiuſdem.* Probatur 1. poteſtas faciendi miracula in Chriſto non eſt forma, aut qualitas aliqua recepta in humana Chriſti natura ; neque eſt etiam deitas eiuſdem, quia hæc eſt cauſa præcipua,& principalis cuiuſlibet operis miraculoſi , vt probauimus artic. 1. huius quæſt. ergo debet eſſe humana Chriſti natura, prout ſubijcitur omnipotentiæ diuinæ,& motioni eiuſdem: non enim dantur plura in Chriſto: certum eſt autem humanam Chriſti naturam , ſpectatam ſecundum ſuam entitatem tantum, non poſſe attingere vllum planè miraculum, cum miracula omnia ſint ordinis ſupernaturalis , bene tamen cum omnipotentia , & interueniente motione diuina: ergo vt illa ſubijcitur omnipotentię diuinę , & motioni eiuſdem , erit hęc poteſtas faciendi miracula. Confirmatur. Inſtrumentum eatenùs attingit effectum cauſæ principalis, quatenùs mouetur à cauſa principali, omnium conſenſione; at humanitas Chriſti eſt cauſa inſtrumentalis reſpectu cuiuſlibet operis miraculoſi : ergo humana Chriſti natura prout ſubijcitur omnipotentiæ diuinæ , & motioni eiuſdem cenſetur eſſe poteſtas faciendi miracula.

2. Deinde, poteſtas faciendi miracula ſpectata realiter, vt ſe tenet ex parte humanæ naturæ, nihil eſt aliud quàm potentia obedientialis , ratione cuius aſſumi poteſt à Deo ad efficiendum id omne quod non implicat, atqui potentia obedientialis in humana Chriſti natura eſt ipſamet natura Chriſti ex veriori opinione : ergo vt ſic conſiderata efficit miracula.

Obiectio. Obijciunt, qui contrariam ſequuntur ſententiam, ex impotente nequit aliquid fieri potens, niſi acceſſerit ei aliquid de nouo ; at natura humana Chriſti, ſpectata in ſe realiter eſt impotens, reſpectu productionis alicuius effectus ſupernaturalis, vt docet D. Thom. artic. 3. huius quæſt. ergo debet fieri potens , idque per aliquid ſuperadditum.

Reſponſio. Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram, reſpectu alicuius entitatis aſſiſtentis, vel inhærentis formaliter & intrinſecè , non eſt tamen neceſſe, ad hoc vt aliquid ex impotente conſtituatur potens , quod adueniat ei aliquid per modum informationis, ad modum alicuius qualitatis permanentis , ità vt debeat eſſe forma aliqua verè inhærés à qua denominetur formaliter & intrinſecè potens, cùm anteà eſſet impotens: ſed ſufficit ſi acceſſerit virtus aliqua aſſiſtens, qualis eſt motio diuina.

Vrgent, actum ſecundum præſupponere actum primum. Reſp. ex iſtis nihil poſſe colligi, priùs quippe, ſaltem naturâ, eſt humanam Chriſti naturam eleuatam eſſe per motionem diuinam ad productionem operis miraculoſi , quàm de facto opus miraculoſum operetur ; in vno tamen & eodem inſtanti temporis & eleuatur ab omnipotentia diuina,& opus miraculoſum producit.

Poteſtas faciendi miracula eſt qualitas permanens.

DICO 3. *Poteſtatem faciendi miracula in humana Chriſti natura extitiſſe & extare de facto ad modum qualitatis permanentis , non autem tranſeuntis, etiam ſi poteſtas iſta non ſit qualitas aliqua habitualis, per modum aut etiam plures.* Probatur primùm, quia poteſtas iſta fuit debita Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ, & ex vi felicitatis ęternæ , vt indicare videtur D. Thom. hoc loco.

2. Secundò, potuit Chriſtus quando voluit, & item poteſt impræſentiarum operari miracula eo modo quo voluit : ergo vis illa non eſt tranſiens.

Chriſtus ſanctis confert poteſtatem faciendi miracula.

Tertiò, facit Chriſtus poteſtatem quibuſuis ſanctis patrandi miracula. Ceterùm, quia res hæc negatur ab aliquibus: probatur. Primùm , quia Scripturæ nihil frequentius inculcant , quàm neminem poſſe quidpiam operari, niſi dependenter à Chriſto Ioannis 15. *Niſi palmes manſerit in vite, non poteſt fructum ferre:*& rurſus. *Sine me nihil poteſtis facere*, quod ſit ordinis ſupernaturalis, ſcilicet : at productio cuiuſlibet miraculi facta à ſanctis eſt ſupernaturalis vel ex obiecto, vel ex modo tendendi in obiectum , vt fatentur omnes Scholaſtici , & colligitur ex definitione miraculi à nobis adducta: ergo vim accipiunt à Chriſto. Ioann. 15.

Deinde, certum eſt Chriſtum feciſſe poteſtatem Apoſtolis præſtandi miracula, Matth. 10. *Conuocatis duodecim Apoſtolis dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos,& curarent omnem langorem.*

Tertiò, propter hanc cauſam fatentur Theologi ſanctos eſſe inſtrumenta diſiuncta deitatis, & humanitatis Chriſti inter efficienda miracula.

Poteſtas miracula faciendi nõ eſt cõnaturalis humanitati.

DICO VLTIMO. *Poteſtatem faciendi miracula in humana Chriſti natura non eſſe illi connaturalem , ſed gratuitam, & ſupernaturalem.* Probatur primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. artic. 3. huius quæſt. & interpretum eiuſdem omnium.

Deinde, miracula ordinantur in incarnationis finem, vt auctor eſt D. Thom. hoc loco,& præterea in confirmationem veritatis, & fidei Catholicæ ex illo. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, & ſi opera nõ feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent :* imò propter hanc cauſam nuncupantur in ſacris litteris miracula, ſigna; Marci 16. & alibi ſæpe : ergo cum incarnatio,& item fides Catholica ſit ordinis ſupernaturalis, poteſtas quoque faciendi miracula dicenda erit ſupernaturalis , comparata cum humana natura Chriſti. Ioan. 10. & 15. Marc 16.

Exponitur D. Th. doctrina.

ARTICVLO 3. tradit poteſtatem faciendi miracula non fuiſſe connaturalem humanæ naturæ Chriſti reſpectu immutationis proprij corporis, quod tamen venit intelligendum de humana natura præciſa,& ſeparata à Verbo; nam ſi conſideretur, vt vnita Verbo,& præterea vt beata, & denique vt eleuata, per ſpecialem Dei motionem, vel eius infallibilem aſſiſtentiam potuit hæc humana natura immutare ad nutum ſeipſam, vt manifeſte colligitur ex cap. 17. Matthæi. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* & Ioann. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam:*& Ioan. 20. apparuit Magdalenæ in forma hortulani, & Luc. 24. Duobus diſcipulis in forma peregrini. Matth. 17. Ioann. 10. & 20. Luc 24.

ARTICVLO VLTIMO, docet animam Chriſti potuiſſe efficere illud omne quod voluit de qua re vix poteſt eſſe difficultas aliqua Ioann.

quippe

quippe 10. dicitur à Christo. *Ego potestatem habeo ponẽdi animam, & iterum sumendi eam*, & Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem & exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Ioan. 10. Matth. 26.

Deinde, humana Christi natura est verè Deus, & quidem à primo instanti suæ conceptionis: ergo habuit hæc annexam omnipotentiam respectu saltem suppositi quod terminat, & complet eius dependentiam in ratione substantiæ completæ: ergo quemadmodum Deus potest illud omne quod vult de facto, ità & hoc idem concedendum est de humana Christi natura.

Obiectio. Obijcies, Marci 7. dici de Christo, quòd voluerit latere, neque tamen id potuisse obtinere, & Matth. 9. præcepit Christus cæcis illuminatis, ne publicarent beneficium curationis à se acceptum; & tamen dicitur ibidem cęcos istos eò magis clamasse, euulgando miraculum factum, quò magis præcipiebat Christus ne id facerent.

Respons. Resp. hæc intelligenda esse de rebus volitis à Christo inefficaciter; in ordine quippe ad istas, certum est voluntatem ipsius non semper fuisse coniunctam cum effectu; quę tamen voluit efficaciter semper habuerunt effectum, & de istis loquitur D. Th. hoc loco; neque enim potuit volũtas hęc ab vllo planè ente creato impediri cum omnia dominio subijciantur & imperio humanæ naturæ Christi, ex illo Dauidis; *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Psalm. 8. v. 7.

QVÆSTIO XIV.

De defectibus corporis assumpti à filio Dei.

ARTICVLO 1. docet fuisse conueniens vt corpus assumptum à filio Dei subijceretur defectibus, & infirmitatibus humanis, idque & propter veritatem incarnationis comprobandam, & propter finem eiusdem; & denique vt ad patientiam suo exemplo nos excitaret.

ARTICVLO 2. tradit corpus Christi secundum necessitatem, quæ consequitur ad principia naturalia, debuisse mori necessariò.

ARTICVLO 3. Christum contraxisse defectus corporales, sed voluntariè suscepisse, & quidem meritò; defectus enim humanæ naturæ ex peccati debito contrahuntur, vt colligitur ex Paulo ad Romanos cap. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*: atqui peccatum nec habuit locum in humana Christi natura, nec habere potuit, vt docet D. Thom. artic. 1. quæstionis proximè sequentis. Rom. 5.

ARTICVLO 4. docet non fuisse conueniens, vt Christus assumeret omnes defectus, & infirmitates humanas, sed eas tantùm quæ non pugnant cum dignitate suppositi, & item quæ conducere potuerunt ad generis humani reparationem.

Circa hanc quæstionem tria explicantur communiter à Theologis. Primùm est, *An Christus assumpserit quoslibet defectus humanæ naturæ.* Ceterùm res hęc relegitur à D. Thom. art. 4. huius quæst. diximus enim ex eo, eo loco, assumpsisse tantùm defectus, & infirmitates quæ potuerunt iuuare ad redemptionem generis humani, & quæ nihil detrahunt, vel detrahere possunt de dignitate suppositi increati.

Secundum est. *An morbi aliqui habuerint locum in humana Christi natura.* *Nullo morbo laborauit Christus.*

Respondetur negatiue; ita enim tradunt Sententiarii communiter in 3. dist. 15. & 16. & interpretes D. Thom. ad articulum 2. huius quęst. imò sunt qui dicant secus sentire errorem manifestum esse; cum oppositum asseratur ab omnibus Scholasticis, & item ab interpretibus istius loci, Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: & Caietanus, ait hoc loco indignissimum esse de Christo sentire quod morbos, vel morbum aliquem in particulari senserit. Isaiæ 53.

Tertiò, Medina ad hunc locum refert extitisse concionatorem aliquem in Hispania, qui docuerat humanam Christi naturam expertam fuisse vim morborum, iudicio Inquisitorum sanctæ fidei coactum fuisse emendare, & retractare opinionem illam ex cathedra publica. Denique vis resistendi in humana Christi natura fuit potentior quocumque agente naturali externo, ac proinde non potuit infirmari.

Tertium. *An si Christus non fuisset ab alijs, vel à Iudæis occisus, morte naturali periisset.* Respondetur negatiuè. Primum, quia hæc est mens expressa D. Thom. in 3. dist. 15. & hoc ipsum videtur affirmare artic. 2. huius quęst. & item interpretes eiusdem ibidem. Deinde humanitas Christi tam verè fuit composita ex quatuor qualitatibus contrarijs, quàm nostra. *Morte naturali obijsset Christus si non esset occisus.*

Tertio, humidum radicale actione caloris naturalis quotidie absumitur; neque sumptione alimenti perfectissime reparatur.

Denique, quęlibet pars corporis humani eget alimento, & hoc ipso quod nutritur, excrementa aliqua consequitur, atque ità debilitatur adeò, vt sine speciali Dei auxilio, nequeat senium vitare: quare nec mortem etiam.

QVÆSTIO XV.

De defectibus animæ à Christo assumptis.

ARTICVLO 1. docet in Christo nullum extitisse peccatum, & quidem merito; dicitur quippe de Christo 1. Petri cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, & Ioan. 8. dicit de seipso ad Iudęos; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 1. Petr. 2.

Dices, peccatum in Scriptura attribui Christo. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, Psal. 21. ad Galat. 3. *Factus pro nobis maledictum.* *Obiectio.*

Respond. ità exponi illa, & alia loca à sanctis Patribus; vt vel Christus peccata membrorum vocet sua, vel nomine peccati significetur victima, vel hostia, vt D. Thom. artic. 1. vel denique secundum Græcos, vt peccati nomine similitudo peccati intelligatur, nam *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati.*

Digitized by Google

DVBITATIO PRAECIPVA EST,

An de potentia Dei absoluta Christus, aut humana natura fuerit impeccabilis.

Humanitas Christi retẽta vnione non potuit peccare.

CONCLVSIO est. *Christi humanitatem retẽta vnione nullo modo peccare potuisse*: hoc tenet Magister in 3. & S. Thom. q. 2. artic. 1. & 2. Paludanus q. 2. & ferè Sententiarij: ex Recentioribus Tolerus in cap. 1. Lucæ. Vazquez ad hãc quæst. disp. 61. Suarez disp. 35. & omnes D. Thom. interpretes. Estque communis Patrum, qui Christi impeccabilitatem referunt in vnionem hypostaticam, quorum testimonia latè referunt, Vazquez & Suarez citati: sufficiat Nazianzenus

Nazian.

orat. 36. quæ est 4. de Theologia, à numero 46. cuius authoritas probatur in 6. Synodo generali actione 17. & in Concilio Florentino post sessionem vltimam, in decreto Eugenij: vbi ità loquitur de Christo. Illius enim voluntas, cùm tota deïficata sit, Deo procul dubio non aduersatur. Ecce quo pacto reducit in deificationem, humanitatem Christi non posse peccare: etenim si natura deïficata peccaret, ratio Naziãzeni nulla esset; si quidem non obstante deificatione, posset [illud] aduersari. Athanasius serm. 2. contra Apollinarem

Athanas.

probato ab eadem 6. Synodo act. 8. cum enim negaret hæreticus in Christo animam esse, aut voluntatem creatam, ne concedere cogeretur, suo iudicio Christum esse capacem peccati, Sanctus respondet nihil timendum esse; quia per illam assumptionem illa voluntas impeccabilis est facta. Ex quo constat Athanasium reducere Christi impeccabilitatem, in vnionem. Deinde, D. P. Au-

D. Augustin.

gust. lib. 2. de peccatorum meritis, & lib. de correptione & gratia cap. 11. circa medium, lib. de prædestinatione cap. 15. & clariùs in Enchiridio cap. 4. quibus locis, vt legenti constabit, tribuit impeccabilitatem humanitatis Christi, vnioni hypostaticæ.

Difficile est rationẽ impeccabilitatis humanitatis Christi ostẽdere.

Ceterùm non est facile ostendere ratione, quare natura humana Christi vnita Verbo, non possit peccare, neque vnde illi proueniat impossibilitas peccandi. Omissis varijs rationibus, quas referunt, & impugnant Suarez & Vazqueze, assolum quibus ipsi vtuntur referemus.

Probatio Suaris.

Primò igitur Suarez ità probat: quoniam si humanitas peccaret vnita, peccatum [illud] contingeret diuino Verbo, non minùs quàm actus alterius membri alicuius tribuatur voluntati mouenti, vel peccatum filij patri, & vxoris viro: sicut enim illi peculiari obligatione tenentur impedire illorum defectus, ità & Verbum ratione vnionis ãstringitur ad impediendum, ne humanitas mali aliquid operetur; vnde si hæc peccaret, non posset non imputari ipsi Verbo. Hinc D. Ambrosius lib. de incarnationis diuinæ sacramento cap. 7. de Christo dicit; Qui alios regere potuit, multò melius regere poterat seipsum.

Improbatur ratio Suaris.

Sed hæc ratio non est efficax; nam cum obligatio supponat præceptum, & hoc voluntatem & scientiam operantis, si Verbum teneretur impedire peccatum humanæ naturę, idipsum competeret Patri, & Spiritui sancto; sunt enim vnius & eiusdem voluntatis, & scientiæ, nec non supremi dominij, ratione cuius possunt permittere peccatum in creatura rationali, absque eo quod illis imputetur; vnde licet Verbum peculiariter naturam humanam terminet, nequaquam tamen potest illi incumbere aliqua obligatio, quæ similiter non competat alijs personis sanctissimæ Trinitatis. Nec exempla allata sunt ad rem; ideò enim peccatum per membrum patratum imputatur operanti, quia subijcitur eidem voluntati, & naturæ à qua gubernari debet; at stante vnione, natura humana haberet propriam voluntatem à qua regitur: ergo Verbum posset in ea permittere peccatum, absque eo quod illi imputaretur: maritus similiter vxoris ratione matrimonij contractus, & pater filij iure naturali curam habere debet, vnde non mirum, si aliquando ea quæ fiunt ab illis inferioribus, ipsis superioribus imputentur.

Si humana natura peccaret nõ inde posset imputari hoc peccatũ Verbo.

Ex loco autem D. Ambrosij tantum colligi potest, Verbum, siue illum hominem seipsum regere potuisse multo facilius, quàm alium, quod verum est; non vero Verbum habere peculiarem obligationem regendi illam naturam.

Exponitur D. Ambros.

Gabriel Vazquez aliam reddit rationem impeccabilitatis Christi, quia videlicet natura humana Christi ratione vnionis deificatur & sanctificatur ipsa deitate, cum qua pugnat peccatum, aliàs esset illa natura simul grata Deo, & ingrata.

Aliter probatur.

Sed neque hæc rem plane conuincit: nam esto repugnet peccatum simul esse cum vnione hypostatica; ex eo tamen non sequitur naturam reddi impeccabilem, aliàs homo habens gratiam esset impeccabilis; quia peccatum mortale repugnat esse cum illa, in eodem homine, etiam de potentia Dei absoluta, secundum ipsum Vazquem ad 1.2.

Infirmatur ratio Vazquezij.

Vera igitur ratio impeccabilitatis Christi, est desumenda ex differentia inter sanctitatem, quæ prouenit à gratia accidentali, & à gratia vnionis: illa enim quia nostræ voluntati subijcitur, (habitibus enim vtimur prout volumus, inquit Arist.) non necessariò dum operamur, vtimur, sed liberè, vnde aliquos producimus proprie actus illi contrarios: at vero gratia vnionis erat principium necessarium respectu operationum Christi, & nullo modo voluntati creatæ eiusdem subordinatum, quò fiebat vt omne opus ab eadem profectum esset sanctum, theandricum & salutare nobis; non enim potest à gratia, aut virtute malus actus exire, multo minus à gratia vnionis: vnde implicabit de potentia etiam absoluta, perseuerante vnione hypostatica cum humana natura, hanc actionem aliquam elicere, quæ non sit Deo summè grata, & digna quocumque præmio.

Germana ratio impeccabilitatis Christi.

Ex his facilè soluuntur, quæ obijcit Durandus in 3. dist. 12. q. 2. Primum. Natura humana in Christo est eiusdem rationis, habétque eandem potentiam in supposito Verbi, quàm haberet si separaretur; at separata posset peccare: ergo & vnita. Resp. negando consequentiam; quia vnita impeditur ne peccet, per gratiam vnionis, modo explicato, quod impedimentum cessaret si à diuino Verbo seiungeretur.

Dissoluitur 1. obiect. Durandi.

Obiicit 2. Non obstante hac gratia plura prædicata per communicationem idiomatum attribuimus Verbo: vt famem, sitim, mortem &c. ergo sicut hæc non impediuntur per vnionem, ità neque peccatum. Resp. nego consequentiam; ideo enim illa fatemur conuenire Deo, quia conueniunt ipsi naturæ, quæ coniuncta est, & præterea Deus ea & physicè, & moraliter potest causare, peccatum verò nullo modo potest naturæ coniunctæ competere, idque ob rationem à nobis paulo ante assignatam.

2. Obiectio Durand.

Responsio. Fames, sitis, mors, & alia Deo cõpetunt per cõmunicationem idiomatũ, nõ itẽ peccatum.

ARTICVLO 2. docet comitem peccati non

Non fuit fomes peccati in Chriſto.

non extitiſſe in Chriſto, quæ de re nulla poteſt eſſe difficultas, cum fomes ſupponat peccatum originale: concors quippe eſt omnium ſententia, appetitum ſenſilem in omnibus & ſingulis regulę rectæ rationis morem geſſiſſe in primis parentibus, durante ſtatu innocentiæ: at peccatum originale, non fuit in Chriſto, nec eſſe potuit; traducitur ſiquidem hoc per generationem naturalem tantùm: Chriſtus autem fuit conceptus modo ſupernaturali, actione Spiritus ſancti intrà viterum Diuæ Virginis.

Non fuit ignorantia eiusdem in Chriſto.

ARTICVLO 3. contendit ignorantiam non habuiſſe locum in humana Chriſti natura, quæ res manet indubitata, ex quæſt. 9. 10. & 11. huius partis: diximus enim plenitudinem ſcientiæ B extitiſſe in humana Chriſti natura, ità vt de lege communi nulla ſit, neque dari poſſit ſcientia intenſior.

Anima Chriſti fuit paſſibilis.

ARTICVLO 4. tradit animam Chriſti paſſione corporali, & item animali extitiſſe paſſibilem, de quo nullum plane dubium eſſe poteſt; cùm fides doceat, humanam Chriſti naturam conſurgere ex anima rationali, & corpore humano, ac proinde cùm corpus verè patiatur, conſequenter verè patitur anima.

Fuit in Chriſto dolor.

Iaiæ 53.

ARTICVLO 5. docet in Chriſto extitiſſe dolorem, & quidem conformiter ſacris litteris; Iſaïæ quippe 53. dicitur. *Verè languores noſtros ipſe tulit & peccata noſtra ipſe portauit.* Euangeliſtæ item C docent Chriſtum crucifixum fuiſſe pro nobis Ioann. 19. Luc. 22. Marc. 15.

Ioann. 19. Luc. 22. Marc. 15.

ARTICVLO 6. tradit triſtitiam habuiſſe locum in Chriſto.

Idem 16.

ARTICVLO 7. idem docet de timore, quod etiam aſſerit, Marcus 16. *Cœpit pauere, & tædere.*

ARTICVLO 8. contendit in humana Chriſto natura admirationem habuiſſe locum: non quidem reſpectu ſcientiæ per ſe infuſæ aut beatę; ſed tantùm ratione ſcientiæ experimentalis.

ARTICVLO 9. oſtendit in Chriſto fuiſſe verè zelum iuſtitiæ; minimè verò iram, prout hæc ſignificat vitium, conſurgitque proinde ex triſtitia cum appetitu vindictæ contra debitum rectæ ra- D tionis.

ARTICVLO VLTIMO affirmat Chriſtum ſimul extitiſſe viatorem & comprehenſorem.

Differenti modo habuerunt locũ in Chriſto paſſiones ac in nobis.

Circa hos articulos tantum hoc occurrit aduertendum, differenti modo in nobis eſſe huiuſmodi paſſiones, & in Chriſto. Primò, in nobis in ea feruntur quæ aduerſantur legi & rationi; in Chriſto non. 2. In nobis perturbant & confundunt rationem multoties, adeò vt voluntatem moueant ad peccatum patrandum, ſecùs in Chriſto. 3. Ità inſurgunt in nobis, vt lumen intellectus præueniant, qui proinde eas non poteſt impedire: at in Chriſto non inſurgebant, niſi eo volente, & quando, & quantum volebat: quod quidam ſancti Patres deducunt ex illo Ioannis 11. *Nunc anima mea turbata eſt:* Nunc, quaſi dicat quando volui: & ex illo Ioannis 11. *Ieſus autem infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum.* Ex quo Sancti Patres colligunt Chriſtum in ſeipſo indignationem & fremitum aduerſus principem tenebrarum excitaſſe; quia morte Lazari refricata eſt memoria ſubiugati generis humani; ità Chryſoſtom. homilia 62. in Ioannem. Cyrill. lib. 2. in Ioann. cap. 20. Damaſcenus 3. de fide cap. 23. Idipſum probatur ex epiſt. Sophronij, quæ habetur in 6. Synodo, actione 11. Inquit enim, *Chriſtum Dominum non inuoluntariè, nec tyranni-*

Cyrill. Damaſc. *Authoritas Sophronij optima.*

ci, neque neceſſitate ſuſcepiſſe paſſiones appetitus: erat enim ipſe ſibi diſpenſator, & arbiter paſſionum humanarum; & ideo quando, & quantum conſulebat ipſe, & permittebat, tam eos, qui paſſiones inferebant, quàm paſſiones ipſas annuebat: & item hac pari carnaliter acquieſcebat, vt nos propriis paſſionibus ſeruaret, & ita quando pati, agerèque humanitus volebat, & conſiderantibus prodeſſe cernebat propter quos homo veraciter factus naturales atque carnales motus, moueri ad operandum volebat.

QVÆSTIO XVI.

De idiomatum communicatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum hæc propoſitio ſit vera. Deus eſt homo.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit idiomatum communicatio.

RESPONDEO. *Eſſe attributionem proprietatum humanæ naturæ Chriſti, de diuina; & contrà, attributionem proprietatum eſſentiæ diuinæ de humana natura propter identitatem ſuppoſiti, quod ſubſiſtit in duabus iſtis naturis*: ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem ibidem omnes. *Idiomatum communicatio quid.*

Eſt autem hęc idiomatum communicatio de fide tenenda; definita quippe eſt in Concilijs, Chalcedonenſi, act. 1. Epheſino, & Hiſpalenſi II. can. 13. & traditur à Patribus, Leone I. epiſt. 10. Ambroſio, Serm. 2. de fide, Cyrillo Alexandrino lib. 10. Theſauri, cap. 2. & D. P. Auguſtin. lib. 1. de ciuitate cap. 10. Denique ex Symbolis Apoſtolorum, Concilij Niceni, Conſtantinopolitani, & Athanaſij. *Idiomatum communicatio eſt de fide.*

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ ſint regulæ ex quibus intelligere poſſumus, quæ ſint illa quæ enunciantur per communicationem idiomatum propriè, & formaliter.

PRIMA regula. *Concreta diuinæ naturæ, & item humanæ ſignificantia naturas, diuinam ſcilicet, vel humanam, proprietates earumdem, actiones & paſſiones enunciantur propriè & formaliter de naturis diuina, & humana*: ac proinde propoſitiones iſtæ ſunt veræ, & item propriè formaliter loquendo, *Deus eſt homo, Deus eſt immortalis, Deus eſt paſſus, natus, conceptus*: & ſic de aliis ſimilibus. Conueniunt quippe attributa iſtarum propoſitionum propriè, & formaliter humanæ Chriſti naturæ; ac proinde rectè enunciantur de Deo, propter identitatem ſuppoſiti ſubſiſtentis in natura hu- *1. regulæ enunciationis nominũ per communicationem idiomatum.*

mana, & diuina. Iſtæ item omnes ſunt veræ propoſitiones; *Hic homo, eſt Deus, immortalis, creator, eſt intelligens cogitationes humanas*: & ſic de alijs. Probatur autem regula iſta. Primum, quia hæc propoſitio. (*Verbum caro factum eſt*) habetur expreſſe Ioannis cap. 1. & iſta (*Deus homo factus eſt*) in Symbolis Apoſtolorum, Concilij Nicæni & Athanaſij.

Ioann. 1.

2. probatio regulæ, ex Concilijs.

Deinde, res hæc videtur definita in Concilijs Epheſino, actione 1. Chalcedonenſi, & in 5. Synodo, & in Florentino ſtatim in initio, & denique Francofordienſi epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

3. ex Patribus.

Deprehenduntur præterea propoſitiones prædictæ apud D. P. Auguſtin. 1. de Trinitate cap. 10. & apud Leonem, loco proxime cit. Iuſtinum Martyrem in expoſitione fidei: Ambroſium 2. de fide cap. 4. Athanaſ. lib. 4. contra Arrianos, & Cyrill. lib. 10. Theſauri: & denique apud Scholaſticos hoc loco, & Sententiarios diſt. 3. & 7. libri tertij.

Notabile.

Eſt autem obſeruandum, licet propoſitiones iſtæ admittantur à nobis de Chriſto per communicationem idiomatum, *Chriſtus eſt mortalis & immortalis, Chriſtus eſt corporeus, & incorporeus:* non tamen propterea concedendæ ſunt iſtæ de Chriſto; *Chriſtus eſt non corporeus, eſt non mortalis*: quia particulæ, *Non corporeus, non mortalis*, ſumuntur contradictorie reſpectu mortalis, & corporei: vnde negant rationem corporei, & mortalitatis de Chriſto ſimpliciter, quod defendi nullo modo poteſt, cùm Chriſtus ſecundum humanam naturam ſit vere corporeus, & mortalis, ſecundum verò diuinam ſit incorporeus & immortalis.

2. Notabile.

Eſt præterea obſeruandum, quòd quando contingit aliquam ex prædictis propoſitionibus, vel ſimilibus, in vno ſenſu eſſe veriſſimam, & in alio falſam; & conſequenter poſſe inducere errorem aliquem, propoſitionem illam non eſſe pronuntiandam, quin ſubiungamus explicationem eiuſdem, ad hoc vt tollatur occaſio errandi: ità docent interpretes D. Thom. hoc loco.

2. Regula.

Secunda regula. *Abſtracta diuinitatis, non enunciantur propriè, & formaliter de abſtractis humanitatis, neque contrà: Concreta item diuinitatis non dicuntur de abſtractis humanitatis, neque è contrà, concreta humanitatis de abſtractis diuinitatis.* Vnde propoſitiones iſtæ ſunt falſæ, *Diuinitas eſt humanitas, Humanitas eſt diuinitas, Diuinitas paſſa eſt, Humanitas Deus eſt.* Primùm, quia Eutyches damnatus fuit antiquitùs hoc ſolo nomine, quod concederet ex æquo propoſitiones iſtas: Deus paſſus eſt, quæ vera eſt ex 1. regula & item iſtam; Diuinitas paſſa eſt: ità Concilium Chalcedonenſe I. actione 1. & Hiſpalenſe II. can. 13. Deinde communicatio idiomatum præſupponit communicationem eorum quæ enunciantur & ſubijciuntur, vel in ſeipſis, vel in ſuppoſito, quod ſubſiſtit in humana Chriſti natura: atqui abſtracta diuinitatis & humanitatis, vt ſunt abſtracta, nec conueniunt ſuppoſito, nec præterea in ſeipſis: abſtracta quippe, ex modo ſignificandi ſibi proprio, connotant formas per ſe exiſtentes, non autem in aliquo alio, vt eſt notiſſimum ex doctrina Logicorum.

Diuinitas eſt humanitas, falſa propoſitio.

Eutyches damnatus. Concil. Chalced. & Hiſpal.

Probatio 3.

Tertio, fieri non poteſt, vt aliquid enuncietur de alio, niſi fuerit in eo, vel niſi fuerit idem cum eo: atqui humanitas v. g. ſumpta in abſtracto, neque eſt idem cum diuinitate in abſtracto ſumpta; neque eſt in diuinitate, vt eſt per ſe notum: ergo non poteſt humanitas proprie & formaliter loquendo enunciari de diuinitate, neque item diuinitas de humanitate.

2. partis probatio.

Secunda vero pars regulæ probatur. Concreta humanitatis inſunt tantum ſoli humanitati; minime vero diuinitati ſumptæ in abſtracto: ergo non poſſunt de diuinitate ità ſumpta enunciari: neque item concreta diuinitatis de humanitate ſumpta in abſtracto: regula hæc admittitur ab omnibus interpretibus D. Thom. hoc loco, & à Sententiarijs diſt. 13.

Obiectio.

Obijcies, Eccleſiam admittere propoſitionem iſtam, vita mortua eſt, in Officio quippe hebdomadę ſanctæ, ità cantat,

O magnum pietatis opus! mors mortua tunc eſt
In ligno quando mortua vita fuit.

Reſponſio aliquorum.

Reſpondeo 1. non deeſſe qui putent rationem iſtam loquendi eſſe hyperbolicam; ac proinde contendunt mentem Eccleſię nullam aliam eſſe in eo loco, quàm fateri, ſi poſſibile eſſet vitam increatam occidi, concedendum eſſe quòd tempore paſſionis Chriſti, hæc fuerit occiſa: de Chriſto quippe dicitur, Ioannis 14. *Quòd ſit via, veritas & vita.*

Melius ſoluitur argumentum propoſitum.

Ceterùm, rectius illi qui aiunt propoſitionem iſtam identice eſſe intelligendam; vita quippe increata, & Verbum diuinum ſunt vnum & idem realiter, & formaliter; indubitatum eſt autem Verbum eſſe mortuum, & paſſum in humana Chriſti natura.

Obiectio.

Obijcies 2. propoſitionem iſtam eſſe veriſſimam, *Verbum diuinum eſt incarnatum*, & item propriam, & formalem: ergo & iſta diuinitas eſt incarnata, nam diuinitas nec realiter, nec formaliter diſtinguitur à Verbo.

Reſponſio.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem autem dico, diuinitatem non diſtingui realiter, vel formaliter à Verbo diuino, bene tamen virtute, ſeu ratione ratiocinata: hæc autem diſtinctio ſatis eſt, vt aliquid fateamur de Verbo; minime vero de diuinitate in abſtracto ſumpta: iuſtitia quippe & miſericordia in Deo non diſtinguuntur formaliter, aut realiter, & tamen concedimus Deum punire per ſuam iuſtitiam, non autem per miſericordiam: quia duo iſta attributa diſtinguuntur inter ſe ratione ratiocinata; ita etiam propter hanc eandem diſtinctionem rationis ratiocinatę concedimus de diuino Verbo quod ſit incarnatum: negamus autem de diuinitate in abſtracto ſumpta.

Inſtantia.

Inſtabis, propoſitionem iſtam; Diuinitas eſt incarnata, extare apud D. P. Auguſtin. vel potius Fulgentium, in opere de fide ad Petrum cap. 2. ergo. Reſp. modum iſtum loquendi non eſſe imitandum, vt obſeruârunt Bonauent. in 3. diſtinct. 8. articulo 1. quæſt. 3. Richardus ibidem artic. 1. quæſt. item 3. & alij nonnulli: eſt autem ad ſummum hæc identicè tantum vera, non autem propria, & formalis.

Reſponſio.

3. regula.

Tertia regula. *Nec humanitas in abſtracto ſumpta, nec partes eiuſdem, anima, ſcilicet, & corpus, enunciantur propriè & formaliter de Deo, Chriſto & filio Dei.* Primùm, quia Ioannes Hus in Concilio Conſtantienſi damnatus fuit ab Eccleſia, quòd admitteret propoſitionem iſtam, *Deus eſt humanitas.*

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, omnis prædicatio propria, & formalis arguit attributum, quod ſit ſuperius, vel æquale ſubiecto, ex illa regula Logicorum: Quidquid prædicatur aut eſt ſuperius, de inferiori, aut æquale de æquali: atqui in iſta propoſitione, *Deus eſt humanitas, Deus eſt anima, Deus eſt caro*, attributum non eſt ſuperius, aut æquale ſubiecto, de quo enunciatur, vt eſt per ſe notum: igitur vera regula.

Obiectio. Obijcies, propoſitiones iſtas: *Diuinitas & humanitas ſimul ſunt Chriſtus. Diuina & humana natura ſunt vnus Chriſtus*, deprehendi apud Auguſtinum, vt alterunt plerique Scholaſtici ad hunc locum, & item iſtam, *Deus, anima, & caro ſunt Chriſtus.* *Reſponſio.* Reſp. duas illas primas propoſitiones, intelligendas eſſe cauſaliter tantùm, non autem formaliter, & proprie; ità vt voluerit D. Auguſt. & alij cum eo, Chriſtum reſultare ex diuinitate & humanitate ſimul iunctis, in vno & eodem ſuppoſito Verbi; conſurgereque ex diuinitate, & humanitate, veluti ex componentibus; non autem veluti ex partibus, idque quòd pars rationem imperfectionis conſequatur in ſuo conceptu formali; componentia autem, ſeu componibilia minimè. Vltima autem propoſitio, iuxta præcepta Logicorum, non cenſetur eſſe vera, ſed tantum Grammaticè loquendo: ità interpretes D. Thom. hoc loco.

Vltima regula. Vltima regula. *Diuinitas in abſtracto ſumpta, non dicitur proprie, & formaliter de Chriſto, de hoc homine, vel de filio hominis.* Primùm, quia id docet D. Thom. expreſſe artic. 5. huius quæſt. Deinde habetur apud plerosque Scholaſticos; & item apud ſanctos Patres.

Obiectio. Obijcies, ſi diuinitas in ſenſu identico enunciaretur, de hoc homine, ſeu Chriſto, vel denique de filio hominis, cetera quoque attributa diuinitatis enunciarentur de hoc homine, ex illa regula Logicorum. Quando attributum aliquod dicitur de re aliqua, quidquid dicitur de attributo, dicitur etiam de ſubiecto: at certum eſt attributa diuinitatis non poſſe enunciari de Chriſto, de hoc homine, & de filio hominis, quia de diuinitate concedimus, quòd ſit communis tribus perſonis: & tamen hoc negamus de Chriſto, & *Reſponſio.* de hoc homine & de filio hominis. Reſp. cum D. Thoma, loco proximè citato, quæ dicuntur, inquit, de aliquo in ſenſu identico, non eſſe extendenda ad vlla alia: idque quòd varietur ſenſus propoſitionis; mutatur enim ſuppoſitio, ac proinde & modus loquendi, ſeu ſignificandi terminorum: ratio autem quæ adducitur ex regula Logicorum habet tantummodo locum in iis quæ dicuntur proprie & formaliter de attributo, non autem in ijs quæ dicuntur tantùm identicè de aliquo.

Notabile. Eſt autem obſeruandum, quòd ſi aliquid dicatur de quibuſuis hominibus proprie, & formaliter, & hoc ſignificat ſuppoſitum creatum, aut certe ea quæ conſequuntur naturam ſuppoſiti creati, non poſſe prædicari de Chriſto: ita interpretes D. Thom. hoc loco, & quidem meritò: humana quippe Chriſti natura non ſubſiſtit per ſuppoſitum creatum, ſed per perſonam ſecundam ſanctiſſimæ Trinitatis.

Notabile aliud. Denique obſeruandum eſt, *Aliqua enunciari de Chriſto proprie, & formaliter ſine vlla communicatione idiomatum*: huius generis ſunt, quòd Chriſtus ſit mediator, redemptor, quod meruerit, & ſatisfecerit pro peccatis omnium hominum: attributa quippe iſta, non dicuntur præciſe vel de ſola humana Chriſti natura vel de diuina, ſed enunciatur de Chriſto, ſub ea ratione quâ eſt verus Deus, & verus homo ſimul: nam meritum v. g. Chriſti cum ſit infinitum, mutuatur ſuam dignitatem à perſona, quæ eſt infinita, vt docuimus in antecedentibus: ratio autem meriti, non poteſt peti à natura diuina vt ſic, quia diuina natura cùm careat ſuperiore à quo poſſit remunerari, nequit etiam vt ſic, proprie mereri, bene tamen humana Chriſti natura vt ſic, ità Suarez hoc loco, & Medina qui de hac re ſunt legendi.

DVBITATIO VLTIMA.

An propoſitio iſta ſit propria, & formalis; Deus eſt homo.

Durand. negatiuam amplectitur partem. NEGAT Durandus in 3. diſt. 11. idque, quòd attributum iſtius propoſitionis, non ſit de intrinſeca ratione ſubiecti, quod tamen videtur neceſſarium, ad hoc vt aliqua prædicatio ſit propria & formalis.

Deinde, quia de Verbo diuino fatemur quod ſit humanatum & incarnatum, minimè vero de Petro, Socrate, & alijs indiuiduis humanæ naturæ; ſed tantum concedimus de iſtis quod ſint homines.

Opinio contraria ſeligitur. Opinio tamen contraria eſt indubitata: ſententia quippe Durandi credita eſt hactenus erronea, & temeraria. Primùm, quia diximus, Dubit. proxime antecedente, attributa in concreto ſumpta, ſignificantia naturam humanam, proprietates eiuſdem, actiones & paſſiones, enunciari proprie, & formaliter de Deo.

2. Deinde, ſacra Concilia definiunt D. Virginem, nedùm eſſe propriè Θεοτόκον ſed etiam μητέρα θεοῦ, id eſt nedum eſſe matrem Dei, ſed etiam hominis.

3. Tertiò, ſi prædicatio prædicta non eſſet propria & formalis (homo) non diceretur etiam proprie, & formaliter de Deo, prout Deus ſignificat Chriſtũ: at de fide eſt Chriſtum, ſeu Deum eſſe vere & formaliter hominem, ità enim dicitur Ioan. 1. *Et Verbũ caro factũ eſt*; & in Symbolis. *Deus homo factus eſt.* Ioann. 1.

4. Quartò, prædicatio ſpeciei de ſuis indiuiduis, in concreto, omnium conſenſione, eſt propria, & formalis: atqui talis eſt prædicatio huius propoſitionis, Deus eſt homo, humana quippe natura Chriſti prædicatur de hoc homine, qui Deus eſt.

Obiectio. Reſponſio. Ex vſu loquendi to Deus ſupponit pro eo quod ſubſiſtit in humana natura. Obijcies, nomine Dei ſignificari id quod ſubſiſtit in natura diuina. Reſp. hoc eſſe verum, ex vi ſuæ primæ ſignificationis; ex vſu tamen & conſuetudine loquendi Theologorum, poſito myſterio incarnationis, nomine Dei ſignificatur, nedum id quod ſubſiſtit in diuina natura, ſed etiam quod ſubſiſtit in humana Chriſti natura: ità interpretes D. Thom. ad hunc locum.

Diſſoluuntur rationes Durandi. Ad rationes verò Durandi, reſp. Ad 1. non eſſe neceſſe ad hoc vt aliqua prædicatio dicatur propria, & formalis, quod attributum ſit de intrinſeca ratione ſubiecti; ſed ſatis eſt, quod attributum ſit vel de ratione ſubiecti, vel quod ſit in ſubiecto: hæc ſiquidem propoſitio, paries eſt albus, cenſetur eſſe propria & formalis, omnium Logicorum conſenſu: vel denique quod attributum enuncietur de ſuppoſito proprio: hæc enim propoſitio, Petrus eſt homo, creditur propria & formalis, & tamen in iſta, humana natura enunciatur de ſuppoſito eiuſdem: hoc autem idem con-

tingit in iſta, Deus eſt homo; ſpecies quippe hominis enunciatur de ſuppoſito increato, nempe Verbo, quod terminat dependentiam humanæ naturæ, & complet eandem in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis. A

Ad vltimam, nedum ſubſtantiuum, ſed etiam adiectiuum, enunciari de homine in communi ſumpto, aut etiam de Socrate: rectè namque dicimus, Socrates eſt corporeus, & item, Socrates eſt corpus; ac proinde hoc ipſum poſſumus fateri de Chriſto, aut de Deo connotando ſecundam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis ſubſiſtentem in humana Chriſti natura. Deinde Verbum dicitur homo, & caro, non à carne, neque ab humana natura præciſe ſpectata; ſed à modo B producto per vnionem hypoſtaticam, & recepto in humana Chriſti natura, vt monuimus aliàs: non concedimus autem de Socrate v. g. quòd ſit incarnatus aut humanatus; etiam ſi id fateamur de ſuppoſito increato Verbi: quia Socrates non præceſſit humanam naturam ſibi propriam tempore, quod tamen præſtitit Verbum diuinum, hoc enim eſt æternum: incarnatio autem facta fuit in tempore.

Propoſitio iſta, homo eſt Deus, vera.

ARTICVLO 2. docet propoſitionem iſtam eſſe veram, *Homo eſt Deus*: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio; diximus enim regula 1. Dubitationis 2. articuli proximè antecedentis, C concreta ſignificantia diuinam naturam enunciari propriè, & formaliter de concretis humanæ naturæ Chriſti: Deus autem ſignificat diuinam naturam, vt eſt per ſe notum.

Falſa propoſitio, Chriſtus eſt Dominicus.

ARTICVLO 3. tradit propoſitionem iſtam. *Chriſtum eſſe Dominicum*, non eſſe concedendam, bene tamen, *Chriſtum eſſe Dominum*: idque quòd propoſitio prima fuerit à D. P. Auguſtin. retractata, lib. 1. Retractationum, capite 10. D. Auguſt.

Deinde, quia dominicus, & Dominus, videntur inducere diuerſitatem ſuppoſitorum; in myſterio autem incarnationis, datur vnicum tantùm ſuppoſitum, & hoc cenſetur eſſe ſecunda D perſona ſanctiſſimę Trinitatis.

ARTICVLO 4. oſtendit attributa concreta vnius naturæ enunciari de attributis alterius naturæ. Ceterùm res hæc fuit explicata à nobis Dubit. 2. articuli primi huius quæſt.

ARTICVLO 5. declarat attributa abſtracta vnius naturæ non enunciari de attributis alterius naturæ. Verùm res hæc fuit etiam à nobis comprobata Dubit. ſuprà citata.

ARTICVLO 6. ait propoſitionem iſtam (*Deus factus eſt homo*) eſſe veram, & quidem meritò: habetur enim expreſſa & Ioann. 1. & in Symbolis Apoſt. Concilij Niceni, & Athanaſij. Deinde, ſenſus iſtius propoſitionis eſt, Verbum E aſſumpſiſſe humanam naturam in tempore, & terminare dependentiam eiuſdem, in ratione ſubſtantiæ indiuiduę, & ſingularis completæ, quod fides Catholica docet eſſe veriſſimum.

Homo factus Deus, falſa propoſitio. Deus factus homo, vera: huius diuerſitatis optima ratio.

ARTICVLO 7. demonſtrat propoſitionem iſtam, propriè loquendo, non eſſe veram, *Homo factus eſt Deus*, quamvis hæc ſit vera; *Deus factus eſt homo*: cuius diuerſitatis rationem libet paucis exponere: nam omne illud quod fit tale per actionem, præſupponitur actioni tempore, vel natura, quia eſt ſubiectum tranſmutationis; & ità debet præcedere ſaltem prioritate cauſæ materialis; ſed Deus præſupponitur vnioni, natura & tempore, & ità verè dicitur, *Factus homo*; homo verò non præſupponitur vnioni nec tempore, nec natura, vt oſtenſum eſt q. 6. & ità non dicitur, *Homo fieri Deus*.

ARTICVLO 8. quærit, an propoſitio iſta ſit abſolutè & ſimpliciter concedenda, *Chriſtus eſt creatura*. Vt autem quid de hac re ſentiendum ſit definiamus,

To' Creatura bifariam ſpectatur propriè & impropriè.

Obſeruandum eſt cum Suare, ad litteram huius articuli, & Peſantio diſp. vnica ad hanc quęſt. D. Thom. nomen creaturæ vſurpari duobus modis; interdum enim ſumitur propriè, ſignificátque terminum creationis proprie dictæ, ſeu, quod idem eſt, id quod ſecundum ſe totum tranſit de non eſſe ſimpliciter, ad eſſe, & prętereà per ſe ſubſiſtit: iuxta hanc ſignificationem cœli & terra dicuntur creaturæ communiter apud omnes. Interdum verò nomen creaturę ſignificat illud omne quod producitur de nouo quacumque actione, & effectione producatur: hac ratione dicimus cor mundum creari in nobis, quotieſcumque infunditur nobis gratia iuſtificans; hoc ità conſtituto ſit

Chriſtus eſt creatura, abſolutè pũ concedenda propoſitio. Baſil. Ambroſ. Chryſoſt. Maxent. D. Thom.

CONCLVSIO 1. *Propoſitio iſta, Chriſtus eſt creatura, non eſt abſolutè concedenda, ſi nomen creatura ſumatur priori modo.* Primùm, quia ità docent ſancti Patres, Baſil. lib. 1. contra Eunomium, Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 6. & 7. Chryſoſtom. homilia 7. in epiſtola ad Hebręos, Maxentius dialogo 2. capite 18. cuius opera extant tomo 5. Bibliothecę veterum Patrum: ait enim blaſphemiam eſſe appellare Chriſtum creaturam: idem docent Scholaſtici, D. Thom. hoc loco, & in 3. diſt. 11. quęſt. 1. artic. 2. & q. 29. de veritate, artic. 1. ad 1. & lib. 4. contra Gentes.

Probatio 3.

Tertiò, creatura eſt id quod ſecundum ſe totum fit ex nihilo, & quidem ità, vt per ſe ſubſiſtat: definitur enim creatio, productio totius entis per ſe ſubſiſtentis ex nihilo: atqui Chriſtus non fit ſecundum ſe totum ex nihilo; nam fides docet Verbum diuinum non eſſe factum, ſed tantummodo genitum: nomine autem Chriſti, ſignificatur natura diuina & humana, ſubſiſtentes in vna hypoſtaſi diuini Verbi increata. Confirmatur. Nouitas eſſendi eſt de intrinſeca ratione creaturæ, at nouitas eſſendi non poteſt dici de ſuppoſito humanæ naturę Chriſti: ergo neque poterit dici illa ratione creatura. *Confirm.*

Poteſt cõcedi aliquo ſenſu quod Chriſtus eſt creatura. Nazian. Damaſc. Nicetas.

CONCLVSIO 2. *Propoſitio iſta, Chriſtus eſt creatura, poteſt concedi, ſi nomen creatura vſurpetur in ſecunda ſignificatione.* Primùm, quia hęc admittitur à Patribus, Nazian. orat. 38. & 42. Damaſc. 3. de fide, Niceta, ad orationes citatas Nazianzeni: imo & in 6. Synodo, act. 10. Deinde nomine creaturæ, nihil aliud ſignificatur hoc in loco, quàm id quod eſt productum, ſeu factum, per quamcumque actionem, ſeu productionem: at Chriſtus eſt vere factus, & productus in tempore; nomine quippe Chriſti ſignificatur compoſitum ex diuina, & humana natura in vno & eodem plane numero ſuppoſito: compoſitum autem hoc fuit in tempore productum, vt docet fides Catholica: ergo poteſt illa ratione dici creatura.

Non eſt tamẽ vſurpãda illa propoſitio proter Arrian.

Moneo tamen propoſitionem iſtam non eſſe vſurpandam, idque propter Arrianos exiſtimantes Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed tantum puram creaturam, ad quorum opinionem videtur accedere propoſitio illa: creatura enim videtur

conc-

connotare ſuppoſitum humanæ naturæ cùm creatio ſit rei alicuius per ſe ſubſiſtentis : ne ergo demus occaſionem errandi ſimplicibus; propoſitio hæc non erit vſurpanda , aut ſaltem ſi fuerit vſurpata,explicanda erit à nobis.

Iſte homo incœpit eſſe, falſum.

ARTICVLO 9. ait propoſitionem iſtam, *Iſte homo*, demonſtrato Chriſto , *incœpit eſſe* , non eſſe concedendam : ſupponit enim (iſte homo) pro ſuppoſito humanæ naturæ Chriſti , de quo indubitatum eſt, quod eſſe nunquam incœperit,eſt enim ſuppoſitum hoc æternum.

Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura & vera, & falſa propoſitio.

ARTICVLO 10. docet propoſitionem iſtam, *Chriſtus ſecundum quod homo, eſt creatura :* eſſe veram,ſi per dictionem reduplicatiuam (ſecundum quod homo) ſignificetur natura humana; ſi autem ſignificetur ſuppoſitum , quod ſubſiſtit in humana natura, eſſe falſam , de qua re nullus eſt qui dubitare poſſit ; certum namque eſt humanam Chriſti naturam eſſe verè productam, & remotè propriè creatam ; indubitatum eſt etiam ſuppoſitum quod terminat dependentiam humanæ naturę eſſe increatum. Addit,prædictam propoſitionem eſſe potius concedendam, quàm negandam ; quia particula reduplicatiua (ſecundum quod homo) ſupponit ex vſu & conſuetudine communi loquendi pro humana natura : non autem pro ſuppoſito. Subiungit propoſitionem iſtam, *Chriſtus ſecundum quod eſt hic homo , eſt creatura*, eſſe falſam : pronomen quippe (hic) additum dictioni reduplicatiue, facit vt hic homo ſupponat pro ſuppoſito increato : certum autem eſt ſuppoſitum increatum non eſſe creaturam.

Chriſtus ſecundū quod homo eſt Deus , eſt falſum , & verum diuerſimodè.

ARTICVLO 11. vult propoſitionem iſtam , *Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Deus :* eſſe falſam , ſi particula reduplicatiua (ſecundum quod homo) ſumatur pro humana natura : eſſe autem veram , ſi ſumatur particula reduplicatiua pro ſuppoſito increato Verbi diuini.

Chriſtus ſecundū quod homo eſt perſona, propoſitio vera , & falſa.

ARTICVLO 12. ait propoſitionem iſtam , *Chriſtus ſecundum quod homo , eſt perſona ſeu hypoſtaſis* , eſſe veram , ſi per particulam ſecundum quod homo , ſignificetur hypoſtaſis , vel perſona , de qua etiam re nulla poteſt eſſe difficultas : eſt enim de fide,perſonam , quæ ſubſiſtit in humana natura eſſe ſolum diuinum Verbum: ſi autem per dictionem reduplicatiuam (ſecundum quod homo) ſignificetur humana natura, ſenſus iſtius propoſitionis poteſt eſſe duplex: prior eſt humanam Chriſti naturam vendicare ſibi hypoſtaſim connaturalem & propriam , & hic ſenſus manifeſte falſus eſt , cùm propria ſubſiſtentia non detur in humana Chriſti natura; ſed ſola Verbi diuini, ac proinde propoſitio prædicta iuxta hunc ſenſum eſt neganda : poſterior ſenſus propoſitionis eſt, humanam Chriſti naturā vendicare ſibi ſubſiſtentiam increatam , & ità indubitatum eſt propoſitionem illam eſſe veriſſimā, cùm ſubſiſtentia quæ terminat dependentiam humanę naturę ſit vere Deus.

Deus eſt homo propoſitio contingens , & neceſſaria.

Vt autem quæ habet D. Thom. artic. 1. huius quęſt. pleniùs intelligantur, Aduerte propoſitionem iſtam (*Deus eſt homo*) eſſe, & in materia contingenti , & in neceſſaria ; nam contingens fuit humanam Chriſti naturam vniri Verbo diuino ; eſt enim incarnatio opus Dei liberum ad extrà ; imò poteſt Deus efficere per ſuam omnipotentiam , ne humana Chriſti natura ſubſiſtat per ſubſiſtentiam diuini Verbi. Confirmatur.Humana natura nullam dicit neceſſariam connexionem , ſecluſo decreto diuino , cum Verbo. Quòd autem eadē propoſitio , Deus eſt homo, poni poſſit in materia neceſſaria , probatur : quia quando humana natura enunciatur de Verbo, ſeu,quod idem eſt (Deo) ſpecies enunciatur de ſuo indiuiduo : vt recte obſeruant interpretes D. Thom. hoc loco; prædicatio autem ſpeciei de ſuis indiuiduis cenſetur eſſe in materia neceſſaria: propter hanc eandem cauſam concedendum eſt ſubſiſtentiam increatam Verbi diuini , pertinere intrinſece quodammodo ad humanam Chriſti naturam , cùm compleatur hæc in ratione ſubſtantiæ indiuiduæ , per ſubſiſtentiam diuini Verbi. Imò ex iſtis etiam colligitur propoſitionem iſtam ; *Deus eſt homo* , reuocari ad propoſitiones primi modi per ſe , ſeu , quod idem eſt , ad propoſitiones quæ enunciantur per ſe , primo modo, quales ſunt omnes illæ , in quibus prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti.

QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto , quantum ad eſſe.

Chriſtus nō eſt plures aut duo. Athanaſ.

ARTICVLO 1. docet de Chriſto non eſſe concedendum , *quod ſit plures, aut duo , ſed vnus tantum* : qua de re nullus eſt inter Catholicos qui dubitet: Athanaſ. quippe in ſuo ſymbolo de hac re, ità loquitur : *Sicut anima rationalis , & caro vnus eſt homo , ità Deus & homo,vnus eſt Chriſtus.* Deinde ſacra Concilia definierunt Chriſtum eſſe vnum per ſe , non autem vnum per accidens , & incarnationem eſſe vnionem ſubſtantialem , non autem accidentariam.

In Chriſto non ſunt plura eſſe.

ARTICVLO VLTIMO tradit non eſſe concedenda plura eſſe in Chriſto : ſed vnum tantum , etiam ſi dentur in eo duæ naturæ , diuina ſcilicet & humana: quemadmodum enim licet alia ſit exiſtentia animæ rationalis in nobis , & alia corporis , non tamen propterea concedimus dari in nobis duplex eſſe , quia ex duabus iſtis exiſtentijs conſurgit in nobis vnum totale eſſe:ità ex exiſtentia diuina , & humana conſurgit vnum totale eſſe in Chriſto. Accedit, vnicum dari tantùm ſubſiſterę in duabus iſtis naturis, reſpectu Chriſti.

Exiſtentia humanitatis Chriſti diſtincta ab exiſtentia Verbi.

Sunt autem qui hoc loco tractent , an eadem ſit exiſtentia humanæ naturæ Chriſti, quæ diuini Verbi : Partem affirmantem tuentur Thomiſtę. Ceterùm opinionem contrariam indubitatam eſſe exiſtimo : exiſtentia quippe rei cuiuſlibet creatæ nihil eſt aliud , quàm ipſamet res creata prout hęc cenſetur eſſe extra ſuas cauſas poſita. Deinde exiſtentia in qualibet rē creata, eſt primus modus indiſtinctus ab eādem realiter : ità docent & nonnulli Thomiſtæ hoc loco, & ceteri Interpretes D. Thomæ.

QVÆSTIO XVIII.

De pertinentibus ad vnitatem Christi secundum voluntatem.

ARTICVLO 1. docet dari in Christo duas voluntates, humanam, scilicet, & diuinam.

Præter voluntatẽ humanã datur in Christo voluntas sensualitatis.

ARTICVLO 2. præter voluntatem humanam, seu rationalem, admittendam esse in humana Christi natura voluntatem sensualitatis, seu, quod idem est, appetitum sensilem, & quidẽ meritò; assumpsit quippe Verbum humanam naturam cum omni perfectione naturali sibi debita: inter perfectiones autem debitas humanæ naturę, computatur appetitus sensilis, omnium planè consensu. Deinde sancti Patres fatentur voluntatem rationalem, seu humanam Christi, extitisse patronam voluntatis sensualitatis, quando habuit in horto orationem istam; *Pater, si possibile est transeat à me calix iste*: Lucæ 22. Marci 14. & Matth. 26. expressit namque desiderium appetitus sensilis respuentis mortem, veluti malum sibi perniciosum, ità D. Damascenus lib. 3. de fide cap. 24.

Luc. 22. Marc. 14. Matth. 26.

Obiectio. Gal. 5. Rom. 7.

Objicies, appetitum sensilem pugnare cùm dictamine rectæ rationis, ex illo Pauli; *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et, *Video in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati*: in Christo autem nulla fuit repugnãtia contra dictamen rectæ rationis, neque esse potuit: diximus enim suprà, Christum ex vi vnionis hypostaticæ fuisse impeccabilem, & item ex vi felicitatis æternæ, quam habuit in primo instanti suæ conceptionis.

Responsio.

Respondeo, appetitum sensilem insultare contra rectam rationem, si consideretur hic, vt commaculatur peccato orig. vel etiam sub ea ratione, qua præuenire potest in aliquo, vsum & dictamen rectæ rationis; minimè verò si consideretur secundum suam entitatem, aut vt est realis & vera aliqua potentia tantum: perseuerat quippe appetitus sensilis in quibusuis mortalibus suscitatis, ac proinde in corporibus glorificatis, & tamen in illis rebellio partis inferioris nullum habet plane locum, omnium consensione. Extitit præterea appetitus sensilis in D. Virgine vt volunt omnes & tamen hæc nullam experta est rebellionem istius partis, contra dictamen rectæ rationis, idque quòd caruerit peccato orig. perpetuò. Paulus ergo in istis locis loquitur de appetitu sensili, vt datur in nobis; non autem, vt fuit in Christo, D. Virgine, & aliis nonnullis, in quibus ex speciali Dei auxilio factum est, ne pars ista rebellaret contra dictamen rectæ rationis.

ARTICVLO 3. asserit voluntatem humanam, seu rationalem in Christo operaram fuisse interdum, vt naturam, aliàs verò vt rationem: priori modo exercuit suas operationes necessariò: posteriori verò liberè, qua de re disseremus artic. 4. huius quæst. hæc autem distinctio vsurpata est à Damasceno lib. 2. de fide cap. 22. A modum autem priorem nuncupat ille θέλησιν, posteriorem verò βούλησιν: traditur autem hæc eadem distinctio à Sententiariis communiter in 3. dist. 17. & à Thomistis in 1. 2. in tractatione de actibus humanis.

ARTICVLO 4. docet in humana Christi natura libertatem propriè dictam habuisse locum.

Circa istos articulos, sit

DVBITATIO VNICA.

An in Christo fuerint duæ volumates, ac proinde & actiones earumdem, & denique libertas propriè dicta.

Fuerunt in Christo duæ voluntates. Probatio 1.

CONCLVSIO 1. *In Christo semper fuerunt, & sunt duæ voluntates, diuina, scilicet, & humana.* Primùm, quia ità res hæc fuit definita in 6. Synodo, actione 4. & in epist. 2. Agathonis Papæ, & in Concilio Lateranensi sub Martino I. consultatione 1. Can. 12. & 13. & denique in Florentino in decreto Eugenij, quod extat post finem istius Concilij.

2. Luc 22.

Deinde, hoc ipsum colligitur ex cap. 22. Lucæ. *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*: ità loquitur illic Christus peracta oratione ista: *Pater, si possibile est transeat à me Calix iste*: & ex cap. 5. Ioannis. *Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me*: & ex cap. 8. *Quæ placita sunt ei*, scilicet Deo Patri, *facio semper.*

Ioann. 5. & 8.

3. Leo. Augustt. Damasc.

Tertiò, hoc docent Verbis expressis Patres, Leo epist. 18. & 19. Ambros. & D. P. Augustin. ad testimonia Ioannis proxime citata. Damascenus 3. de fide cap. 14. subiungit rationem istam, quia voluntas, inquit, est naturalis, non personalis, id est sequitur naturam, non personam, vt patet in Deo, in quo, quia vna tantùm natura, licet plures personæ, tamen vna voluntas datur: duæ autem sunt naturæ in Christo, ergo & duæ quoque voluntates.

4. Philip. 2.

Accedit ratio. Meritum simpliciter, & absolute præsupponit voluntatem humanam, vel angelicam, non enim dantur plures creaturæ rationales, atqui indubitatum est Christum meruisse, vt manifeste colligitur ex capite secundo ad Philip. *Factus obediens vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Non potuit autem Christus mereri per voluntatem diuinam, cum respectu illius voluntatis, superiorem non habuerit à quo potuerit remunerari. Confirmatur. Christus vere meruit ex motiuo obedientiæ, vt colligitur ex loco Pauli proxime citato: ergo cùm non meruerit per voluntatem diuinam, meruit necessario per humanam: ergo. ità docet D. Thom. artic. 1. huius quæst. & omnes interpretes eiusdem.

Machary haresis & fundamentum.

Contrarium docuerunt hæretici, de quibus in præcedentibus, negantes duas naturas in Christo fuisse. Macharius item Monothelita licet duas naturas admitteret in Christo, dicebat tamen velle humanum non fuisse in Christo, quia consumptum, hoc ipso quod deificatum: fundamentum huius erat, testimonium Nazianzeni, qui oratione 36. dixit velle Christi non potuisse repugnare velle diuino,

Digitized by Google

Reſidetur Magdeburg.

quia deificatum eſt totum: quaſi diceret non manſiſſe, quia eſt deificatum. Ceterum Baſilius Gortynæ Epiſcopus in 6. Synodo, actione 9. potius contrarium ex eo colligi oſtendit ex verbis Nazian. dixit enim velle humanum non fuiſſe contrarium velle diuino, quia deificatum eſt tantum: ſic, vel loquitur de velle diuino, vel de humano: non de primo; quia quod ex ſe diuinum eſt, non poteſt deificari amplius: ergo de humano loquutus eſt, & ex conſequenti conteſtus eſt in Chriſto velle humanum, quod per vnionem deificaretur.

In Chriſto fuerunt actiones voluntatis diuinæ & humanæ. Ioann. 11. Luc. 4.

CONCLVSIO 2. *In Chriſto fuerunt actiones voluntatis diuinæ, & humanæ.* Primùm, quia de fide eſt Chriſtum feciſſe miracula: ità Ioan. 11. dicitur Chriſtum ſuſcitaſſe Lazarum quatriduanum, Lucæ item 4. legitur ſocrum Petri fuiſſe liberatam a febribus in inſtanti. Idem dicitur de pleriſque aliis ægrotis ibidem: at miracula habent ortum à voluntate diuina, veluti à cauſa præcipua, vt docuimus quæſt. 13. huius partis.

Probat. 2.

Deinde, humana Chriſti natura fuit inſtrumentum coniunctum diuinitatis, reſpectu cuiuſlibet operis miraculoſi producti à Chriſto, vt fatentur Theologi omnes, quæſt. proximè citata D. Thomæ.

3.

Tertiò, Ieiunare, orare, tranſire de vno loco ad alium ſtudio, & deſiderio curandi infirmos, & operandi ſalutem ſpiritualem, mori denique pro quibuſuis hominibus, ſunt actiones voluntatis humanæ in quolibet homine; at certum eſt Chriſtum exercuiſſe omnes iſtas operationes, vt conſtat ex innumeris locis Scripturæ ſacræ: igitur humanam habuit voluntatem.

Deniq. Concluſio hæc definita eſt in 6. Synodo, actione 10. conſentit D. Th. hoc loco, & interpretes eiuſdem omnes, ibidem.

Voluntas Chriſti humana fuit libera. Iſaiæ 53. *Probatio 1.* Ioann. 10. Hæreſ.

CONCLVSIO VLTIMA. *In Chriſto fuit voluntas humana vere, & propriſſimè libera.* Hæc eſt de fide; dicitur enim Iſaiæ cap. 53. de Chriſto. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* & Ioan. 10. ita loquitur de ſeipſo. *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* & Iſaiæ cap. 7. dicitur de eodem; *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: electio autem præſupponit libertatem propriè dictam.

2.

Deinde, ita docent Patres, Cyrillus, & Baſilius ad loca proximè cit. Iſaiæ. D. P. Auguſt. lib. de Geneſi ad litteram, cap. 4. & de prædeſt. ſanctorum cap. 15. *An ideo*, inquit, *non in illo*, (nempe Chriſto,) *erat libera voluntas? tanto magis erat* (ſcilicet libera) *quanto magis peccato ſeruire non poterat.* & lib. 4. de Trinit. cap. 13. & Damaſcenus 3. de fide cap. 13. 14. & 15.

3.

Accedit ratio, deſumpta ex D. Thom. art. 4. huius quæſt. libertas, inquit, propriè dicta datur in beatis, in iuſtis, & confirmatis in gratia, imo & in ipſomet Deo; quare ergo non dabitur in Chriſto qui fuit viator, & comprehentor ſimul, & præterea verus Deus?

4.

Denique, meritum propriè dictum, ſeu de condigno ſtare nequit ſine libertate propriè dicta; quæſt. quippe vltima 1. 2. docent omnes cum ſancto Thom. ad meritum deſiderari ſtatum viæ; gratiam gratum facientem, promiſſionem diuinam de remunerandis bonis operibus, præmio vitæ æternæ, & libertatem: at certum eſt Chriſtum meruiſſe de condigno, ſeu de toto rigore condignitatis operis, remiſſionem peccatorum noſtrorum, & item quodlibet auxilium neceſſarium ad ſalutem æternam obtinendam: ergo, ita D. Thom.

In 3. parten: D. Thom.

articulo 4. huius quæſt. & interpretes eiuſdem omnes.

Obiectio.

Obijcies, D. P. Auguſtinum definire liberum arbitrium poteſtatem eligendi bonum, & malum, vt refert Medina ad articulum proxime citat. S. Thom. diximus autem in antecedentibus humanam Chriſti voluntatem non potuiſſe ferri in malum.

Reſponſio. Explicatur D. Aug.

Reſp. D. P. Auguſtinum nuſquam definiuiſſe illis in locis qui citantur ex eo, liberum arbitrium abſolute, & ſimpliciter, ſed tantum prout hoc deprehenditur in nobis, & in qualibet pura creatura: in omni autem pura creatura libertas eſt coniuncta cum ea imperfectione, vt ea relicta intrà terminos propriæ naturæ peccare & deficere queat; ac proinde habet hæc pro obiecto, bonum & malum in omni pura creatura: Chriſtus autem non fuit pura creatura, ſed vere Deus; ac proinde nullam potuit admittere culpam quantumuis minimam; eſto libertatem quam maxime propriam habuerit: non enim eſt de ratione libertatis poſſe peccare, aut deficere; ſed tantum poſſe peccare eſt imperfectio quæ conſequitur naturam quamlibet rationalem creatam, relictam intrà terminos propriæ naturæ; quod dico, quia cum ſpeciali Dei auxilio fieri poteſt vt pura creatura reddatur impeccabilis, vt conſtat ex beatis qui nec peccant, nec peccare poſſunt propter donum felicitatis æternæ, qua potiuntur.

Deficere eſt imperfectio libertatis ſicut & poſſe deficere.

Fuit liber non ſolum à coactione ſed à neceſſitate etiã.

Eſt autem obſeruandum humanam Chriſti naturam, nedum fuiſſe liberam à coactione; ſed etiam a neceſſitate: libertas quippe à coactione non eſt libertas propria, vt definiuit Gregorius XIII. contra Michaëlem Bayum Doctorem Louanienſem, vt refert Pelant. ad hanc quæſtionem D. Thom. Deinde, ſancti Patres exigunt ad meritum de condigno libertatem à neceſſitate, nedum à coactione: ità Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatũ, circa medium, Iuſtinus Apologia 1. D. P. Auguſt. lib. 2. de libero arbitrio, Baſil. homilia, Quod Deus non ſit author malorum: certum autem eſt Chriſtum vere & proprie meruiſſe.

Nullus actus moralis eſt neceſſarius.

Denique, nullus actus neceſſarius poteſt eſſe moralis, proprietates quippe actus moralis, ſunt laus, vel vituperium, pœna, vel præmium, ex tractatione de actibus humanis: in Chriſto autem actus morales habuerunt locum, ergo & libertas à neceſſitate: ergo, cum libertas proprie dicta ſita ſit in eo, quod quis, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſit agere, & non agere, hæc vere in Chriſto extitit: ità D. Thom. & communiter interpretes omnes eiuſdem.

ARTICVLVS QVINTVS.

An voluntas humana Chriſti, fuerit in omnibus conformis voluntati diuinæ.

Actus voluntatis Chriſti eſſicaces & inefficaces.

ADVERTE actus voluntatis humanę Chriſti alios extitiſſe abſolutos, & efficaces, alios verò ineſficaces, & conditionatos: inter primos computatur ſuſcitatio Lazari, facta à Chriſto Ioan. 11. curatio ſocrus Petri, Luc. 4. & ſimiles: inter poſteriores verò cenſetur eile

Ioann. 11. Luc. 4.

Digitized by Google

Matth. 26. oratio facta à Chriſto in horto. Matthæi 26. *Pater, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*, ſalus quorumcunque mortalium; hoc enim ipſo, quod mortuus ſit pro omnibus, ſalutem quoque eorumdem voluit, omnium planè conſenſione. Actus autem primi ideo dicuntur efficaces, quod coniuncti fuerint cum ſuo effectu; poſteriores verò ideò dicuntur inefficaces, quod licet potuerint habere effectum, verè tamen eum non ſunt conſequuti. Dicuntur præterea conditionati, quia fuerunt in Chriſto dependenter à conditione aliqua, ideo fatemur de illo, quod voluerit ſalutem omnium; quia præſuppoſuit cooperationem cuiuſlibet noſtrûm in particulari, reſpectu productionis ſalutis, ex illo D. P. Auguſtini. *Qui fecit* B *ſcientem, non iuſtificat niſi volentem.*

Volitum diuinũ aliud materiale, aliud formale.

Aduerte 2. Volitum diuinum aliud eſſe materiale, aliud verò formale: illud cenſetur eſſe res à Deo volita; hoc vero eſt ratio quę mouet Deum Opt. Max. ad aliquid volendum: idem dicendum eſt de volito humanæ Chriſti voluntatis, ex communi doctrina Interpretum D. Thomę hoc loco, & Sententiariorum in 3. diſt. 17.

Voluntas efficax Chriſti fuit conformis voluntati Dei abſolutæ & efficaci in volito formali.

Conclvsio 1. *Humana Chriſti voluntas abſoluta, & efficax, fuit in omnibus conformis voluntati diuinæ abſolutæ, & efficaci in volito formali.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex cap. 4. Ioannis: ità enim loquitur illic Chriſtus; *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris, qui in cœlis eſt*; & cap. 5. C *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* & cap. 8. *Et quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* & ex illo Dauidis, pſalmo 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam eius voluntatem.*

Probat. 1. Ioan. 4. 5. & 8. Pſal. 39.

Deinde ex 4. Synodo, actione 4. definitur enim illic nullam extitiſſe contrarietatem voluntatum.

2. 3. Hieron. Auguſt. Gregor. Damaſc.

Tertio, hæc eſt expreſſa mens ſanctorum Patrum: Hieronymi, ad cap. 9. Marci. D. P. Auguſtini, ad loca proximè citata Ioannis, Gregorij magni, 15. Moralium cap. 16. & Damaſceni 3. de fide, cap. 14. & Interpretum ſancti Thomæ, hoc eodem loco.

4.

Accedit ratio. Voluntas beatorum abſoluta, & efficax eſt in omnibus conformis diuinæ efficaci, D & abſolutæ; *ſequuntur enim iſti Agnum quocumque ierit*, id eſt, ex interpretatione Patrum, hoc volunt beati, quod nôrunt Deum, & Chriſtum optare; at docuimus Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe beatum: ergo voluit etiam ex motiuo voluntatis quidquid voluit Deus illum velle, vel optare.

Fuit etiam voluntas Chriſti conformis in volito materiali. Probat. 1.

Conclvsio 2. *Voluntas humana Chriſti efficax, fuit in omnibus conformis diuinæ efficaci, in volito materiali.* Euincitur primo, quia aliter peccatum habuiſſet locum in Chriſto: definitur quippe peccatum; *Dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei æternam*: ergo non potuit Chriſtus velle obiectum aliquod in particulari contra Dei E voluntatem; præſertim ſi obiectum hoc fuerit prohibitum lege, aut ordinatione diuina, aut etiam imperatum: certum eſt autem humanam Chriſti naturam, etiam in primo inſtanti ſuæ conceptionis intellexiſſe ſibi impoſitum fuiſſe præceptum de acceptanda morte, propter generis humani reparationem; ac proinde debuit in particulari velle efficaciter mortem iſtam.

2. Deinde, certum eſt voluntatem Chriſti humanam regulatam fuiſſe per ſcientiam beatam, & per ſpecialem Dei aſſiſtentiam, ità vt in nullis planè deficere potuerit.

3. Denique, S. Th. art. proxime ſequenti docet nullam extitiſſe contrarietatem voluntatum in A Chriſto, & hoc videtur fateri, nedum de volito formali; ſed etiam de materiali.

Obiectio. Obijcies 1. intellectum Chriſti potuiſſe deprehendere rationem mali tantùm in obiecto ſuæ mortis; ergo potuit velle aliquid in particulari contrarium volito alicui diuino, materialiter ſpectato; voluntas namque poteſt illud omne velle, quod poteſt intellectus intelligere.

Reſponſio. Reſp. antecedens eſſe verum, ſi ſpectetur hoc ſpeculatiue tantùm, reſpectu videlicet vnius, aut alterius tantùm circumſtantiæ, obiecti mortis Chriſti; practice tamen antecedens falſum eſt; neque enim fieri potuit vt Chriſtus exerceret vllum actum circa huiuſmodi obiectum, niſi perſpectis omnibus circumſtantijs, cum quibus fuit illi propoſitum à Deo: extitit namque Chriſtus prudentiſſimus, & præterea ſapientiſſimus.

Deinde, voluntas humana Chriſti non potuit non aduertere ad præceptum ſibi impoſitum, & præterea ad motiuum, propter quod ordinata fuit mors eiuſdem.

Obiectio 2. Obijcies 2. Chriſtum fuiſſe precatum Patrem ne moreretur, Matthęi 26. Lucæ 22. *Pater, ſi vis tranſfer calicem iſtum à me*: ergo voluntas humana Chriſti non fuit in omnibus conformis voluntati diuinę: voluit enim Deus abſolute Chriſtum mori propter reparationem generis humani. Matth. 26. Lucę 22.

Reſponſio. Reſp. ex illo antecedente poſſe tantùm colligi C Chriſtum exercuiſſe actum aliquem per voluntatem rationalem inefficacem, contrarium voluntati diuinæ, & humanæ eiuſdem; non autem aliquem actum efficacem, vt manifeſtè colligitur ex verbis ſubſequentibus, locis proxime citatis; *Verumtamen non mea, ſed tua fiat voluntas.*

Marci 14. Deinde, Marci 14. ſubiungitur, dictum fuiſſe à Chriſto Diſcipulis illis præſentibus; *Surgite, eamus hinc, ecce prope eſt qui me tradet.* & Ioannis 18. *Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant, proceſſit, & dixit: quem quæritis?* quod idem eſt ac ſi diceret D. Marcus, Chriſtum ità alloquutum fuiſſe diſcipulos præſentes; Fuit mihi præceptum à Patre de morte ſuſtinenda; ſurgite eamus, quatenus voluntas Patris mei adimpleatur: ergo voluit abſolute, & efficaciter mortem. Ioann. 18.

Tertio, ex ſcripturis habemus Chriſtum in omnibus morem geſſiſſe præcepto ſibi impoſito à Deo, Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* & cap. 13. *ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem*: & cap. 8. *quæ placita ſunt ei* (ſcilicet Patri) *facio ſemper.* Ioann. 14. Idem 13. Idem 8.

Fuga & proſecutio nequeũt eſſe reſpectu eiuſdem in eodem.

Poſtremo, affectus fugæ, & proſecutionis efficax, & abſolutus, nequit habere locum in vno, & eodem ſimul, & ſemel, de vna, & eadem plane re; cum opponantur inter ſe fuga, & proſecutio, quando ſunt ad idem, ſecundum idem, & E eadem ratione: at certum eſt Chriſtum habuiſſe affectum circa mortem ſuſtinendam, & quidem efficacem ex locis ſuprà citatis ſcripturæ: ergo, fuga mortis habuit tantum rationem in eo actu inefficacis, & conditionati: ità communiter interpretes S. Thom. hoc loco, & Sententiarij in 3. diſt. art. 15.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, actum hunc fugę mortis extitiſſe in Chriſto liberum: habuit ſiquidem ortum à voluntate rationali eiuſdé Chriſti, & fuit ordinatus eb eo ad demonſtrandumſe, eſſe humanę naturę ſortitum communionem ad maiorem, item triſtitiam concipiendam de paſſione ſua, & ad redimendos homines: meruit namque hic per orationem

Digitized by Google

tionem quam fecit in horto, omnium plane conſenſione: ità Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 22. & lib. 3. cap. 24. imo D. Th. q. 22. huius partis ait, humanam Chriſti voluntatem extitiſſe patronam, & aduocatam appetitus ſenſilis, reſpectu illius orationis, quam habuit in horto.

Damaſc. D. Thom.

Obiectio. Obijcies, ſanctum Thomam in corpore huius articuli verbis expreſſis affirmare voluntatem Chriſti exercuiſſe orationem prædictam, vt natura eſt; non ergo libere, ſed neceſſario.

Reſponſio. Reſp. docuiſſe Marcilium, in 3. q. 11. credidit enim Chriſtum fuiſſe neceſſitatum circa productionem iſtius actus, ab appetitu ſenſili. Ceterùm minùs recte, conuenit enim inter omnes nihil eſſe ex rebus creatis, quod poſſit neceſſitare voluntatem noſtram, ſed id conuenire ſoli eſſentiæ diuinę clarè, & vt eſt in ſe viſę, idque quod hæc complectatur rationem cuiuſlibet boni in ſe: certum autem eſt obiectum iſtius actus Chriſti non continere in ſe omnem rationem boni. Indubitatum eſt præterea obiectum hoc non præceſſiſſe in Chriſto præſcriptum, & dictamen rationis eiuſdem, quo in cauſu potuiſſet, ex aliquorum opinione, neceſſitare voluntatem Chriſti.

Explicatur D. Thom. Ad id quod obijcitur ex D. Th. reſpondeo per particulam (vt natura) non intelleXiſſe illud quod nos diximus art. 3. ſed tantum propenſionem, & inclinationem naturalem appetitus ſenſilis, ità vt velit S. Th. hoc in loco, voluntatem humanam Chriſti exercuiſſe actum hunc ex propenſione, & inclinatione appetitus ſenſilis, non tamen neceſſario, ſed libere: idque quod ordinatus fuerit hic à Chriſto in fines à nobis commemoratos.

Alia obiectio. Obijcies, triſtitiam ſummam extare non poſſe cum efficaci, & abſoluta voluntate de morte ſubeunda: qui enim efficaciter, & abſolute vult mori, hic lętus, & hilaris moritur, vt videtur colligi ex cap. 5. Actuum: ſic namque dicitur illic, de Apoſtolis: *Ibant gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Actor. 5.

Reſponſio. Reſp. negando antecedens, ad hoc enim vt detur triſtitia in eo qui vult efficaciter mortem, ſatis eſt actus inefficax nolitionis mortis; vt pluribus probat Scotus in 3. d. 5. Deinde ſatis eſt ad triſtitiam quod ſequantur in corpore humano cruciatus aliqui graues, & exquiſiti vt docet experientia quotidiana. Ad id autem quod dicitur de Apoſtolis, reſp. probare tantùm voluntatem efficacem de morte, & alijs incommodis ſuſtinendis propter Deum minuere acerbitatem doloris, non tamen deſtruere omnino dolorem; deſideratur ad hoc quippe, nedum voluntas actualis efficax ſuſtinendi mortem, & cetera mala; ſed etiam ſpeciale Dei auxilium ad hunc effectum producendum ordinatum ex gratuita Dei bonitate & liberalitate, vt docent communiter omnes in tractatione de Martyrio: ſpeciale autem hoc auxilium non fuit in Chriſto quoad effectum vt hac ratione Chriſtus magis mereretur pro nobis.

Dolor fuit in Martyribus, & Chriſto ob meritum.

Mouetur quæſtio. ROGABIS, *Quinam in parte animæ Chriſti ſuperiore, vel inferiore ſedem habuerit triſtitia.*

Reſpondeo extare de hac re duas opiniones. Prima, contendit in ſolo appetitu ſenſili locatam fuiſſe triſtitiam Chriſti, ſeu, quod idem eſt, in portione animæ inferiore. Alij verò contrà, docent, nedum in portione inferiore; ſed & in ſuperiore receptam fuiſſe. Ceterum, quia tota controuerſia videtur eſſe de nomine, ſit

CONCLVSIO 1. *Si nomine partis ſuperioris, ſeu portionis, intelligatur ea pars animæ quæ attingit res æternas, qualis eſt Deus, & quodlibet eius attributum, triſtitia Chriſti in inferiori portione ſedem habuit, ſeu, quod idem eſt, in ſolo appetitu ſenſili.* Primùm, quia hęc videtur eſſe mens D. Th. quæſt. 46. art. 8. & ſequacium eiuſdem ibidem, Richardi, Durandi, & aliorum quorumdam in 3. diſt. 15. Deinde, nomine portionis animæ ſignificatur ea pars, quæ attingit res æternas, vt ſuppoſimus; atqui triſtitia quæ fuit in Chriſto, non fuit in eo de rebus æternis: ſed tantum de ſua morte, de ſcandalo diſcipulorum, & de perfidia Iudæorum, quę ſunt res aliquæ merè temporales. 3. Triſtitia, ex opinione Durandi, loco proxime citato, conſurgit ex eo quod aliquid accidat nobis, contra voluntatem rationalem abſolutam: at triſtitia iſta non potuit habere locum in Chriſto, ex eo quod acciderit ei quippiam contra voluntatem rationalem abſolutam: diximus enim paſſiones propriè dictas nullum habuiſſe locum in Chriſto, ſed tantum propaſſiones: ac proinde triſtitia iſta prius fuit liberè à Chriſto acceptata, per voluntatem humanam, quàm habuerit hæc in eo locum.

Triſtitia nō fuit in parte attingente res æternas.

CONCLVSIO 2. *Si nomine portionis ſuperioris animæ intelligatur ea pars, quæ nedum attingit res æternas; ſed etiam res temporales regulatas & modificatas per legem Dei, ſeu per rectam rationem, triſtitia Chriſti vere fuit recepta, nedum in appetitu ſenſili, ſeu portione inferiori animæ, ſed etiam in ſuperiore, ſeu quod idem eſt, in voluntate rationali.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia multorū veterum in 3. diſt. 15. & Recentiorum, Suaris, & Vazquczij, ad hanc quæſtionem.

Aliquo ſenſu fuit triſtitia in parte ſuperiori. Probat. 1.

Deinde, per portionem ſuperiorem animę, intelligitur ea, quæ nedum verſatur circa res æternas, ſed etiam circa temporales modificatas & regulatas per rectam rationem; at triſtitia quæ fuit in Chriſto extitit de morte eiuſdē, ſcandalo diſcipulorum, &c. quæ ſunt res temporales, fuitque regulata per rectam rationem: fuit enim hæc triſtitia in Chriſto vere meritoria omnium planè conſenſione. Confirmatur. Chriſtus extitit impeccabilis: ergo triſtitia iſta quæ admittitur in eo fuit quàm maximè conformis regulæ rectæ rationis.

2.

Denique, falſum eſt triſtitiam habere tantùm locum in nobis, quando accidit aliquid nobis contra voluntatem noſtram rationalem efficacem; docent enim Medici dolorem conſurgere in omni planè animali ex ſolutione continui eiuſdem. Deinde, ſuprà diximus voluntatem efficacem, & abſolutam de morte ſuſtinenda, minuere quidem triſtitiam, non tamen deſtruere eamdem omnino: ergo idem quoque dicendum eſt de Chriſto.

3.

Obiectio. Obijcies, animam Chriſti pro eo tempore quo habuit ſuam orationē in horto, & proinde quando paſſa eſt ſuum dolorem, perfectiſſimè beatam fuiſſe, & conſequenter maximam extitiſſe delectationem in eo de diuina eſſentia viſa & amata, prout eſt in ſe: ergo non potuit eo tempore admittere triſtitiam in ſe: delectatio namque, & triſtitia expellunt ſe ab vno, & eodem ſubiecto.

Reſponſio. Delectatio ſumma & triſtitia poſſunt in eodem ſubiecto eſſe. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ad probationem autem, triſtitiam, & delectationem ſe expellere ab eodem ſubiecto de lege communi, quando ſunt de vno, & eodem ſubiecto, ſub eadem ratione: triſtitia autem & delectatio non fuerunt ſub vna, & eadem ratione in Chriſto, vt eſt per ſe notum; nam delectatio fuit de diuina eſſentia clarè viſa, & amata: triſtitia

Digitized by Google

verò de morte, & alijs à nobis suprà explicatis.

Resp. etiam dispensatione diuina factitatum fuisse, vt tristitia, & delectatio fuerint in vno & eodem subiecto, in eodem instanti, ad hoc vt copiosior esset apud Deum redemptio.

Voluntates in Christo non fuerunt sibi contrariæ.

ARTICVLO VLTIMO, docet voluntates in Christo nulla ratione fuisse sibi contrarias, de qua re vix potest esse aliqua dubitatio: diximus enim, articulo proxime antecedente, voluntatem humanam efficacem Christi fuisse in omnibus conformem, tam in volito formali, quàm materiali, voluntati diuinæ. Deinde, actus honestus nequit esse contrarius actibus ceteris honestis, etiam si sint isti alterius speciei: ex eo quippe quod pertineant ad diuersas species, censentur esse tantum disparati, non autem contrarij. 3. Ad hoc vt duo actus sint inter se contrarij, desideratur vt eliciantur ab vno, & eodem subiecto, circa idem obiectum; ità tamen vt vnus actus tendat debitè in illud, alius autem indebitè; at fieri non potuit vt vllus actus Christi indebitè respexerit suum obiectum: diximus enim de Christo quod fuerit impeccabilis simpliciter, supposita vnione hypostatica.

Denique, non est satis ad hoc vt duo actus sint inter se contrarij; quod vnus sit amor, seu complacentia, alius verò odium, & displicentia, sed requiritur vlterius, vt eadem sit ratio amoris in vno, & odij in altero, saltem ex opinione Grabielis Vazquez, disp. 73. cap. 3. in 1. 2. D Th. certum autem est conditionem istam non habuisse locum in actibus Christi: ergo.

Obiectio.

Obijcies, Christum exercuisse istos actus, volo mori, & nolo mori, qui tamen videntur manifestè contrarij.

Responsio.

Resp. primùm, non deesse qui negent Christum exercuisse actum istum, nolo mori; sed tantum nollem mori, idque quod actus nolitionis mortis in Christo fuerit inefficax; creduntque autem actum inefficacem non esse explicandum per verbum, nolo mortem, sed per nollem mortem.

Actus nolendi mortem in Christo exponitur.

Ceterum, licet fateamur Christum exercuisse nedum actum hunc, volo mortem, sed etiam nolo mortem: non tamen propterea concedendum est, quod exercuerit actus aliquos sibi contrarios; nam diximus ad positionem actuum contrariorũ necessarium esse, vt nedum actus sint de vno, & eodem obiecto, sed etiam sub eadem plane ratione, aut quod vnus tendat in suum obiectum debite; alius vero indebite: ratio autem volendi mortem in Christo fuit præceptum impositum sibi à Patre de morte subeunda, propter generis humani reparationem: ratio autem nolendi mortẽ extitit sola propensio, & inclinatio naturalis appetitus sensilis, quã volũtas humana Christi explicauit, quando dixit; *Transeat à me calix iste, si possibile est.* Certum est etiam actum quo Christus noluit mortem, respexisse suum obiectum debite, non autem indebite, vt manifeste colligitur ex verbis istis; *Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas.*

Matth. 26.

Lucæ 22.

Instantia.

Dices, ex istis colligi, saltem aliquem actum extitisse contrarium actibus diuinæ & humanæ voluntatis Christi; nam appetitus sensilis vere noluit mortem.

Responsio. Appetitus sensilis Christi non potuit actu efficaci velle aliquid contrarij partis superiori.

Resp. negando illationem antecedentis, neque enim appetitus sensilis Christi, ialiquo actu absoluto, & efficaci noluit mori; sed tantum inefficaci: nam fieri non potuit vt appetitus sensilis exerceret in Christo aliquem actum efficacem, cum nulla extiterit in Christo partis inferioris deordinatio contra superiorem: sed pars inferior in omnibus obsequuta est dictamini rectæ rationis, ac proinde actus nolitionis mortis Christi censendus est inefficax, nedum respectu voluntatis rationalis, sed etiam respectu appetitus sensilis.

Denique, omnes actus Christi fuerunt regulati per rectam rationem, vnde fuga mortis, quæ extitit in appetitu sensili Christi, habet tantum rationem actus inefficacis; ac proinde dicitur hæc fuga contraria diuinæ voluntati, & humanæ Christi efficaci, in volito materiali tantum.

QVÆSTIO DECIMA NONA.

De pertinentibus ad vnitatem Christi, quantum ad operationem.

Duæ extitere in Christo operationes.

ARTICVLO 1. docet duas extitisse in Christo operationes propter duas diuersas formas, seu virtutes operandi, diuinæ, scilicet, & humanæ naturæ; etiam si natura diuina vtatur humana tanquam instrumento in plerisque actionibus exercendis. Ceterùm res hæc fuit à nobis satis explicata suprà. Neque obstat quod Leo epist. 10. cap. 4. affirmet, vt refert D. Th. in corpore articuli vtramque naturam operatam fuisse communionem vtriusque naturæ; hoc quippe venit intelligendum, vel per communicationem idiomatum, vel de actionibus Theandricis, seu diuinis virilibus, quales sunt omnes actiones Christi miraculosæ: illæ enim nec à sola diuina, nec à sola humana; sed ab istis ambabus habuerunt ortum.

Exponitur modus loquendi Leonis.

Qua ratione vnica admittitur operatio humana.

ARTICVLO 2. docet in Christo extitisse vnam solam operationem humanam, quod nequit intelligi vt litera sonat: indubitatum est enim Christum exercuisse operationes humanas distinctas inter se specie; ieiunauit namque quadraginta diebus, & noctibus. Matthæi 4. *Pernoctauit in oratione Dei.* Lucæ 6. Matri vltimo legitur forma sacramenti Baptismi: & cap. 26. Matthæi. & 22. Lucæ deprehenditur institutio sacramenti Eucharistiæ: actiones vero hæ sunt inter se specie distinctæ; cum habeant obiecta inter se specie distincta. Doctrina ergo D. Thomæ intelligenda est de principio vt quo, humanarum actionum Christi; hoc enim vnicum numero est, nempe humana Christi natura.

Matth. 4. Lucæ 6. Marci vlt.

Christus quanã sibi meruerit.

ARTICVLO 3. docet Christum non meruisse sibi gratiam habitualem, neque item gloriam, neque vnionem hypostaticam, sed solam proprij corporis glorificationem, & sui nominis exaltationem. Ceterum res hæc fuit à nobis superius explicata.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An Chriſtus mereri potuerit alijs.

DVBITATIO PRIMA.

An conditiones neceſſariæ ad meritum propriè dictum habuerint locum in Chriſto.

Bifariam ſumitur meritum in bonam & in malam partem.

AVERTE, meritum interdum in bonam, aliàs verò in malam partem vſurpari, diximus enim eum qui peccauit mereri pœnam; eum verò qui bene operatus eſt, meruiſſe laudem, & gloriam; hoc idem colligitur ex cap. 13. Hebræorum. *Talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* & Eccleſiaſtici 16. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum:* quibus in locis meritum vſurpatur in bonam. In malam verò 2. Paralipomenon c. 19. *Iram mereberis.* Hebræorum 10. *Supplicia mereris:* definitur autem, *Opus liberum, & honeſtum à creatura rationali in via conſtituta factum., ad alium ordinatum, cui debetur merces æqualis.* ità communiter omnes ad quæſt. vltimam 1. 2. D. Th. Diuiditur in meritum de toto rigore condignitatis operis: & de toto rigore iuſtitiæ de condigno: & de congruo. Primum reſpuit omnem omnino acceptationem, & gratiam remunerantis tantùm. Secundum verò præſupponit liberalitatem remunerantis, antecedenter tantùm. Poſtremum pendet ſimpliciter à gratia, & fauore præmiantis: ità communiter omnes loco proximè cit.

Hebr. 13. Eccli. 16. 2. Paralip. 19. Hebr. 10. *Definitio meriti.* *Diuiſio meriti.*

Varia conditiones meriti de condigno.

Aduerte 2. ex Suare diſp. 39. ſect. 1. ad hanc partem D. Thom. conditiones varias, & diuerſas neceſſarias eſſe ad meritum de toto rigore condignitatis; vel de condigno, reſpectu præmij ſupernaturalis, & beatitudinis æternæ: ex parte ergo remunerantis contendit hic author neceſſariam eſſe promiſſionem diuinam, vel certè aliquid quod æquipolleat promiſſioni de acceptandis bonis operibus, vel de remunerandis iiſdem, præmio vitæ æternæ, vel certe aliquo alio ſupernaturali, & quidem meritò; nam fieri nequit vt conſtituatur Deus debitor creaturæ, niſi Deus ſeipſum gratuito, & liberaliter obligauerit: eſt enim Deus quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extrà: ergo non poterit Deus cogi ad reddendum præmium debitum ex hypotheſi bonis operibus, niſi liberè ſeipſum obſtrinxerit ad reddendum præmium. Deinde hoc videtur colligi ex cap. 16. ſeſſionis 6. Tridentini. Tertio promiſſio diuina de remunerandis bonis operibus ex gratia factis, præmio vitæ æternæ, videtur expreſſa Lucæ 10. *Quid faciendo,* ait iuris peritus ad Chriſtum, *vitam æternam poſſidebo?* reſpondet Chriſtus, *in lege quid ſcriptum eſt? hoc fac & vives.* & Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ex parte vero operis meritorij contendit Suarez deſiderari, & quod ſit liberum, & honeſtum, & denique præmio æquali compenſatum, ſeu quod idem eſt, perfectiſſimè æquale, qua de re nulla poteſt eſſe dubitatio: certum eſt enim meritum deberi tantum actionibus liberis, non autem neceſſarijs. Deinde meritum de condigno propterea dicitur condignum, quod retineat perfectam, & omni ex parte æqualem dignitatem cum præmio: Ex parte vero merentis exigit author hic, quod ſit gratus, & acceptus Deo gratitudine ſupernaturali, & denique, quod ſit in via conſtitutus, quæ res admittitur ab omnibus in tractatione de merito.

Luc. 10. Matth. 19.

CONCLVSIO 1. *Opera Chriſti habuerunt promiſſionem diuinam de iiſdem acceptandis ad generis humani reparationẽ, ac proinde ad præmium eis debitum reddendum.* Primùm, quia id videtur colligi ex Dauide, pſalmo 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam:* alloquitur quippe hîc Deus Pater, Chriſtum, vt obtineant communiter Patres ad hunc locum, & ex Iſaïæ 53. hoc idem videtur deprehendi manifeſtè. *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum,* locus enim hic explicatur etiam vulgo, de morte Chriſti ab omnibus interpretibus.

Merito Chriſti correſpondebat promiſſio diuina de eodem acceptando. Pſal. 2. Iſaïæ 53.

Deinde propter hanc cauſam aliqui Patres appellant Chriſtum diuitem, & nobilem negotiatorem: ità Leo Magnus in ſerm. 3. de Chriſti paſſione; vnde ſicut negotium exercetur inter aliquos dependenter ab aliqua promiſſione, ſaltem vt plurimum: ità quoque videntur Patres iſti admiſiſſe promiſſionem aliquam inter Chriſtum, & Deum Patrem.

Leo Mag.

Obijcies, fruſtrà poni à nobis promiſſionem iſtam diuinam de remunerandis Chriſti operationibus bonis; hoc enim ipſo quod Deus voluit incarnationem, voluit etiam opera Chriſti remunerari.

Obiectio.

Reſp. nego illationem antecedentis. Ad probationem autem, duo eſſe hoc loco diſtinguenda: alterum vndenam merita Chriſti conſequantur ſuam dignitatem; alterum quid conſtituat Deum debitorem, ità vt teneatur hic reddere præmium.

Reſponſio.

Primum, indubitatum eſt repetendum eſſe ab vnione hypoſtatica; docuimus enim in tractatione de ſatisfactione Chriſti, dignitatem ſatisfactionis Chriſti refundendam eſſe in præſtantiam Verbi, adeò vt ſatisfactio fuerit infinita, quod habuerit hæc ortum ab humana natura Chriſti ſuppoſitata Verbo infinito, ac proinde, quod Deus voluerit incarnationem, voluit etiam merita Chriſti eſſe infinita; ſeu, quod idem eſt, infinitæ dignitatis.

Duo diſtinguenda in meritis Chriſti.

Secundùm autem non pendet ab vnione hypoſtatica, nec præciſe, nec conſequenter neceſſario: Deus quippe non poteſt conſtitui debitor ab vlla plane re extra ſe poſita; ac proinde ſolus potuit ſeipſum obligare ad reddendum præmium debitum operationibus Chriſti, aut etiam operationibus noſtris.

Seipſum debitorem cõſtituit Deus ad præmiãda merita Chriſti.

CONCLVSIO 2. *Opera Chriſti meritoria fuerunt libera, honeſta, & præmio ſibi debito proportionata:* Prima pars concluſionis probatur ex cap. 7. Iſaïæ; *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum;* & Ioannis 10. *Ego poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam.* & Iſaïæ 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Ex iſtis quippe locis colligitur comeſtionem butyri in Chriſto, & perpeſſionem mortis fuiſſe in eo actiones liberas.

Opera Chriſti fuerunt honeſta & præmio digna. Probat. 1. Iſaïæ 7. Ioann. 10. Iſaïæ 53.

Deinde, quod conuenit omni ſubſtantiæ ſpirituali, non eſt denegandum Chriſto; fuit enim hic & ſpiritualis ratione ſuppoſiti, & ratione animæ rationalis: at omnis ſubſtantia ſpiritualis creata, vel increata actiones aliquas liberas exercuit, vt conſtat de Deo reſpectu operationum ad extra, &

2.

Digitized by Google

de Angelis, quorum alij beatitudine æterna perfruuntur; alij vero adiudicati ſunt pœnis æternis propter operationes prauas, turpes in via factas: de hominibus autem hoc idem demonſtratur ex verbis iſtis Matth. 25. *Ite maledicti, venite benedicti patris mei &c.* Ergo hoc idem erit dicendum de Chriſto.

Matth. 25.

Tertio, dicimus de fide eſſe Chriſtum meruiſſe propriè: ergo cum meritum ſinè libertate conſurgere nequeat, hæc admittenda erit in operationibus Chriſti quibuſdam.

Secunda vero pars probatur ex cap. 8. Ioannis, *Quæ placita ſunt ei*, ſcilicet Patri, *facio ſẽper*. Deinde, Chriſtus pro toto tempore quo fuit in hac vita mortali, cogitauit ſemper de bonis operationibus faciendis: neque enim potuit auelli à ſomno, diſtractionibus & alijs huius vitæ humanis occupationibus; diximus namque paſſiones nullum habuiſſe locum in eo, ſed tantum propaſſiones.

Probatio 2. partis. Ioan. 8.

Tertia denique pars probatur ex Dauide, Pſal. 129. vbi dicitur de operibus ſatisfactorijs Chriſti; *Copioſa eſt apud eum redemptio*. Deinde, merita Chriſti ſunt infinitæ dignitatis, ex dictis in tractatione de ſatisfactione: Ergo vendicant ſibi præmium proportionatum.

3. Partis probatio. Pſal. 129.

CONCLVSIO VLTIMA. *Opera Chriſti meritoria habuerunt ortum ab eo in via conſtituto, & denique grato, imò gratiſſimo Deo.* Prima pars innoteſcit ex cap. 9. Ioannis; *Me oportet operari opera patris mei, donec dies eſt, veniet nox*, id eſt mors, *in qua nemo poterit operari*, vt explicant Patres (ſcilicet meritoriè) & ex Hieremia, cap. 14. *Quaſi colonus habitabit in terra, & quaſi viator ad manendum*: Patres enim locum hunc de Chriſto intelligunt.

Chriſtus fuit viator & gratus Deo. Ioan. 9. Hierem. 14.

Secunda vero pars manifeſtè oſtenditur ex cap. 17. Matth. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. ad Coloſſ. 1. *Complacuit omnem plenitudinem gratiæ in eo habitare* & cap. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei reconditi*.

Probatio 2. partis. Matth. 17. Coloſſ. 1. & 2.

Sunt autem qui hoc loco quærant; *An gratia habitualis fuerit ſimpliciter neceſſaria in Chriſto ad meritum, an verò ſufficerit gratia vnionis hypoſtaticæ.*

Mouent aliqui quæſt

Reſpondeo gratiam habitualem fuiſſe tantum neceſſariam ad hoc vt Chriſtus mereretur modo connaturali, non autem ad ſimpliciter merendum; ſatis quippe eſt ad meritum, vt perſona quæ meretur ſit grata & accepta Deo, vel ſubſtantialiter, vel accidentaliter: certum autem eſt humanam Chriſti naturam extitiſſe gratam, & acceptam Deo gratitudine ſupernaturali ex vi vnionis hypoſtaticæ, & quidem ſubſtantialiter, cum eleuata fuerit hæc natura ad ſubſiſtere diuinum, vnde formaliter & ſubſtantialiter ſancta extitit.

Satisfit qu. Gratia habitualis non fuit ſimpliciter neceſſaria ad meritum in Chriſto.

Deinde, diximus in antecedentibus meritum quodlibet Chriſti extitiſſe infinitum ſimpliciter, in genere moris: infinitas autem iſta nequit peti à gratia habituali, quæ fuit in Chriſto, cum fuerit hæc finita ſecundum ſuam entitatem, bene tamen à ſuppoſito, quod terminat dependentiam humanæ naturæ; putà quod hoc ſit verè infinitum: ità communiter interpretes D. Thomæ hoc loco.

Corollariũ. omnes conditiones neceſſarias ad meritum de

Ex tribus iſtis concluſionibus colliges conditiones omnes neceſſarias ad meritum de condigno, & de toto rigore condignitatis extitiſſe in Chriſto; fuit enim Chriſtus viator, fuit etiam quàm maximè liber in ſuis actionibus exercendis fuit præterea iuſtus & iuſtiſſimus, exercuit infinitas propemodum actiones honeſtas, & quidem ordinatas ad generis humani reparationem, quæ habuerunt ortum à natura ſubſiſtente per ſubſiſtentiam increatam Verbi diuini; & denique quę fuerunt à Deo acceptatę ad generis humani reparationem per promiſſionem à ſe factam.

cõdigno reperiri in operibus Chriſti.

DVBITATIO SECVNDA.

An Chriſtus verè & propriè meruerit.

RAtio dubitandi eſt: Libertas ſimpliciter eſt neceſſaria ad meritum propriè dictum ex Dubitat. proximè antecedenti: atqui in Chriſto non videtur fuiſſe libertas. Primùm, quia hoc ipſo quod fuit in primo inſtanti ſuæ conceptionis beatus; beatitudine formali, fuit definitus, & determinatus ad Deum videndum & amandum: ità vt non potuerit ceſſare ab actionibus iſtis: ergo fuit quoque determinatus ad omne medium quod conducit neceſſario ad huiuſmodi beatitudinem obtinendam: qui enim vult efficaciter finem aliquem, & neceſſario, hic etiam vult media ſinè quibus huiuſmodi finis haberi nequit, & quidem neceſſario.

Rationes dubitandi proponũtur Prima.

Deinde, anima Chriſti in primo inſtanti ſuę felicitatis conſpexit intrà diuinam eſſentiam omnes ſuas actiones futuras, ex opinione omnium Thomiſtarum: ergo fuit etiam neceſſitatus Chriſtus ad huiuſmodi operationes producendas, alioquin potuiſſet variari ſcientia beata Chriſti, de cuius tamen ratione eſt, vt ſit inuariata, & immutabilis. 2.

Denique, ex vi vnionis hypoſtaticę, beatitatis, & denique præcepti ſibi impoſiti, non potuit Chriſtus non mori: certum quippe eſt eum qui Deus eſt, & beatus peccare non poſſe: at ſi Chriſtus potuiſſet non mori vere potuiſſet peccare, ità enim exerceret actum virtuti obedientię contrarium, & conſequenter præcepto ſibi impoſito: ergo non potuit Chriſtus non mori, ergo libertas in eo non extitit ſaltem reſpectu ſuę paſſionis, quæ tamen cenſetur eſſe cauſa noſtræ ſalutis. 3.

CONCLVSIO PRIMA. *Chriſtus verè, & maximè propriè meruit, nedum de condigno, ſed de toto rigore condignitatis.* Prima pars huius concluſionis eſt de fide: Concilium quippe Trident. definit ſeſſ. 6. cap. 7. Chriſtum eſſe cauſam meritoriam.

Chriſtꝰ propriè meruit de toto rigore condignitatis. Probatio 1. 2.

Deinde, ex Script. conſtat euidenter Chriſtum ex motiuo virtutis obedientię meruiſſe ſibi nominis exaltationem, & corporis glorificationem ad Philippenſes 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*. ad Hebræos 2. *Videmus Ieſum propter paſſionem ſuæ mortis, gloria, & honore coronatum*, Lucæ 24. *Oportebat Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam*: qui locus de ſola gloria corporis poteſt intelligi; docuimus enim ſupra, animã Chriſti extitiſſe formaliter beatam in primo inſtanti ſuę conceptionis: ità locum hunc explicant patres, Baſilius lib. 4. contra Eunomium D. P. Auguſt. lib. 2. contra Manichęos cap. 5. Chryſoſt. Ambroſ. Beda, & alij ad hunc locum diui Pauli.

Philip. 2. Heb. 2. Lucæ 24. Baſil. Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. Beda.

Tertio, de fide eſt Chriſtum meruiſſe nobis ſua morte peccatorum remiſſionem primę Petri, capite primo; *Non corruptibilibus auro, vel argen-*

1. Petr. 1.

Digitized by Google

to redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine &c. 1. A
1. Ioan. 2. Ioannis capite 2. *Ipſe*, ſcilicet Chriſtus, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & totius mundi.* Ioannis 1. dicitur
Ioann. 1. de eodem. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* ad Romanos 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, dependenter tamen à Chriſto, vt colligitur ex toto illo capite, & videtur confirmari ex capite 15. prio-
1. Cor. 15. ris ad Corinthios: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

4. Denique, omnes conditiones neceſſariæ ad meritum de condigno, & de toto rigore condignitatis fuerunt in Chriſto, vt conſtat ex B
Dubitatione proximè antecedente; ergo meruit Chriſtus quàm maximè propriè: hæc eſt cõmunis inter omnes Theologos.

Chriſtus meruit omnibus ſuis actionibus in vita factis, nõ tamen poſt mortem.

Conclvsio vltima. *Chriſtus meruit omnibus ſuis actionibus liberis, & honeſtis in hac vita factis, non tamen illis quas exercuit poſt mortem.* Prima pars concluſionis probatur. Libertas eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum, & ad honeſtas actiones; vt ſuprà probatum eſt: at Chriſtum exercuiſſe innumeras actiones hoProbat. 1. neſtas & liberas toto illo tempore, quo fuit in hac vita mortali, certum eſt; & conſtat ex curatione ægrorum, prædicatione diuini verbi, inſtitutione Baptiſmatis, & Euchariſtiæ, ieiunio quadraginta dierum, oratione quam habuit in horto, & dum penderet in ara Crucis, & ex alijs innumeris. C

2. Deinde, bonitas moralis coniuncta fuit cum actionibus Chriſti liberis & honeſtis, vt conuenit inter omnes, & manifeſtè colligitur ex eo, quod præmium aliquod, & laus fuerint debita actionibus Chriſti: at laus & præmium ità conſequuntur actionem meritoriam, & libertatem, vt ſine iſtis nulli actioni plane humanę præmium poſſit eſſe debitum.

Probat. 2. part. Secunda verò pars concluſionis probatur; Chriſtum, ſcilicet, meruiſſe actionibus factis in hac vita, non autem poſt mortem. Primum ex illis D
1. omnibus locis ſcripturæ, in quibus dicitur ſtatum viæ eſſe neceſſarium ad meritum; ità Eccleſiaſtes 9. *Quodcumque poteſt manus tua agere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos: quò tu properas*, & Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt coram Deo, in die obitus retribuere vnicuique iuxta vias ſuas.* & capite 14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam.* 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque, prout ſe geſſerit in corpore ſiue bonum, ſiue malum.* & cap. 6. ad Galatas. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Ioannis 9. ait Chriſtus de ſeipſo; *Me oportet operari, donec dies eſt*, id eſt tam diù, quandiù ſum in vita præſenti, *veniet nox*, id eſt mors, *in qua nemo poterit operari*: ſcilicet meritoriè.

2. Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, Hieronymi ad locum proximè citatum Pauli, ex epiſtola ad Galatas: *Tempus*, inquit, *ſementis, eſt præſens vita quam currimus, cùm iſta vita tranſierit, operandi*, id eſt, *merendi tempus auferetur.* & D. Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum: capite 12. & Gregor. libro 14. dialogorum & aliorum.

3. Tertiò. Dubitatione 1. huius articuli diximus ſtatum viæ, & libertatem, & bonitatem actus, eſſe conditiones ſimpliciter neceſſarias ad meritum proprie dictum: ergo Chriſtus non potuit mereri per vllam planè actionem quam exercuit poſt hanc vitam mortalem; ac proinde ſtatuendum eſt reſurrectionem eius, varias manifeſtationes factas Apoſtolis, & alijs plerisque fidelibus inſtructiones eiuſdem, Aſcenſionem, & denique miſſionem Spiritus ſancti, non fuiſſe operationes meritorias. Ita docent omnes interpretes diui Thomæ hoc loco.

Obijcies, Patres affirmare vim, & efficaciam ſacramentorum habuiſſe ortum ex apertione lateris Chriſti, & ſanguine qui profluxit ex huiuſmodi vulnere; ità Damaſcenus 3. de fide, capite 10. Leo epiſt. 4. & D. Auguſt. tractatu 120. in Ioannem. Reſp. apertionem lateris ſpectari, & vt præuiſam acceptatamque à Chriſto, pro eo tempore quo fuit in hac vita mortali, & vt de facto à Iudæis fuit peracta poſt mortem eiuſdem, vt conſtat ex cap. 19. Ioannis: priori modo volunt Patres ſacramenta habuiſſe ortum ab apertione lateris Chriſti: non autem poſteriori modo.

Obiectio.

Reſponſio 2.

Bifariam ſpectatur lateri Chriſti inflictum vulnus.

Aduerte animas ſeparatas à corpore, ſatisfacere in purgatorio, non autem mereri proprie loquendo de merito.

Animæ in purgatorio ſatisfaciũt, ſed non merentur proprie.

Aduerte vltimo, Chriſtum ità meruiſſe, vt tamen potuerit non mereri: eſt enim de ratione cauſæ liberæ, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit agere, & non agere. Deinde, abſolute loquendo, non eſt abſurdum fateri Chriſtum exercuiſſe tantum actiones meritorias.

Chriſtus ita meruit, vt potuerit non mereri.

Ad rationem vero dubitandi initiò propoſitam, reſpondeo conceſſa maior. negando minor. Ad 1. autem probationem eiuſdem, voluntatem Chriſti fuiſſe neceſſitatam ex vi viſionis beatificæ ad eliciendum actum amoris circa diuinã eſſentiam clare viſam; minime vero circa obiecta alia: fatentur enim omnes de Deo, Angelis, beatis & animabus agentibus in cœlis, quod neceſſitentur circa diuinam eſſentiam amandam, ex vi viſionis ipſius, & tamen admittitur in iſtis omnibus libertas circa cetera obiecta amata. Deinde potuit Chriſtus ordinare viſionem, & amorem diuinæ eſſentię in finem aliquem honeſtum, diuerſum à gloria Dei, ſubordinatum tamen eidem, ac proinde mereri dependenter ab iſta ordinatione; vt fatetur D. Th. q. 29. de veritate, ar. 6. Denique Chriſtus non amauit illud omne quod dilexit propter bonitatem quæ eſt in Deo præciſe, ſed etiam propter bonitatem quæ datur in rebus iſtis creatis: neque enim ſola bonitas diuina proponitur amanda, ſed etiam ea quæ deprehenditur in rebus creatis: ex verbis iſtis Chriſti, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: ergo Matth. 5. potuit Chriſtus mereri etiamſi fuerit hic neceſſitatus ad Deum amandum ex viſione diuinæ eſſentiæ.

Diſſoluũtur rationes dubitãdi initio facta.

Ad id vero quod ſubiungitur in eodem argumento, eum qui vult finem efficaciter, velle etiam neceſſario media, ſine quibus finis hic haberi non poteſt.

Reſp. hoc eſſe verum quando finis nequit haberi ſine medijs iſtis: beatitudo vero æterna potuit, imo de facto extitit in Chriſto ſine vlla dependentia ab actionibus meritorijs eiuſdem: diximus enim beatitudinem fuiſſe debitam Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticę.

Digitized by Google

Ad 2. vero probationem. eiuſdem minoris dico, animam Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis, vidiſſe intra diuinam eſſentiam omnes ſuas actiones futuras, nego tamen propterea fuiſſe neceſſitatam eius voluntatem in actionibus exercendis, extra diuinam eſſentiam: nam & Deus, & Angeli, & cæteri beati videnti in Verbo, in primo inſtanti ſuæ felicitatis, omnes ſuas operationes futuras ex doctrina Thomiſtarum; & tamen manet in iſtis omnibus libertas ad producendas huiuſmodi operationes. Deinde, ſcientia iſta ſe habet extrinſecè ad libertatem Chriſti, cum proponit tantùm voluntati ſuum obiectum: ergo nequit illam neceſſitare. A

Ad 3. vero probationem prędictæ maioris, reſpondet Paludanus in tertium, diſtinctione 12. nullum fuiſſe impoſitum Chriſto præceptum, de morte ſuſtinenda, propter generis humani reparationem, ſed hoc relictum fuiſſe liberę voluntati Chriſti, vt pateretur, vel non pateretur. Ceterum opinio iſta defendi nequit; dicitur enim Deuteron. cap. 18. de Chriſto à Deo. *Ponam verba mea in ore eius, & loquetur quæ præcepero ei.* & Ioannis 10. ità loquitur Chriſtus de ſeipſo: *Mandatum hoc accepi à Patre meo.* & Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, & Ioannis 15. *Sicut & ego Patris mei ſeruani præcepta.* B

Soluitio Paludani ponitur.

Refellitur.

Deut. 18. Ioan. 10. Ioan. 14. & 15.

Deinde, ſancti Patres, verbis expreſſis aiunt, impoſitum fuiſſe prędeptum Chriſto de morte ſuſtinenda ad generis humani redemptionem; ità docent D. Auguſt. tractatu 79. & 82. in Ioannem, & 13. de Trinitate, capite 14. Chryſoſtom. Homilia 59, & 71. in Ioannem, & Cyrillus Alexandrinus in Ioannem lib. 10. cap. 2. & Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 9. & 10. C

Auguſt. Chryſoſt. Cyrill. Alexand. Anſel.

Tertiò, Scripturæ docent eſſe paſſum ex motiuo virtutis obedientiæ; ad Philippenſes cap. 2. virtus autem obedientiæ præſupponit prędeptum ſuperioris.

Obijcit Paludanus, ſi Chriſtus ſubditus fuiſſet præcepto de morte ſuſtinenda, pro redimendis hominibus, non potuiſſet non ponere animam ſuam: ex vi quippe vnionis hypoſtaticæ & beatitudinis æternæ fuit impeccabilis: at certum eſt Chriſtum potuiſſe non ponere animam ſuam, ex cap. 10. Ioannis. *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam.* D

Obiectio.

Ioan. 10.

Reſpoſio.

Reſp. Negando illationem maioris; duo enim iſta ſimul ſtare poſſunt, ſubijci præcepto, & operari liberè id quod præcipitur; quilibet enim noſtrûm ſubijcitur Decalogi præceptis, & tamen quilibet poteſt hæc ſeruare, vel non ſeruare.

Ad probationem autem reſpondeo. Verba illa fuiſſe pronunciata à Chriſto reſpectu diuinæ naturæ, vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis; *Et iterum ſumendi eam*: An verò colligatur Chriſtum potuiſſe peccare, ex eo quod potuerit non ponere animam ſuam explicabitur inferiùs. E

Obijcit 2. Non fuit in poteſtate Chriſti mori eo genere mortis quo obijt; præcepta autem ſunt de rebus poſitis in noſtra poteſtate.

2. Obiectio.

Potuit Chriſtus liberè acceptare ſupplicium crucis.

Reſp. Chriſtum potuiſſe libere acceptare ſupplicium crucis ſibi oblatum à Iudæis, & hoc ſatis eſſe ad hoc, vt dicatur capax præcepti de morte ſuſtinenda.

Quidam vero ex iſtis auctoribus reſpondent, nullum fuiſſe impoſitum prędeptum Chriſto de morte ſuſtinenda propter humani generis reparationem, antequàm mors fuerit à Chriſto acceptata, & libere abipſo electa; ſed tantùm fuiſſe poſt electionem iſtam. Verum reſponſio hęc peccat in eo, quod faciat voluntatem humanam, Chriſti primam & præcipuam cauſam reparationis generis humani, quod eſt apertè contra illud Oſeæ 13. *Perditio tua tantum ex te Iſraël eſt; ſalus autem ex me*: verba autem iſta ſunt Dei opt. max. Deinde ſequitur ex hac reſponſione ſolam electionem & acceptationem mortis extitiſſe in Chriſto liberam, non autem actualem ſuſceptionem eiuſdem: & tamen Scriptura, Patres, & Concilia definiunt Chriſtum redemiſſe genus humanum ſua morte, ac proinde definiunt hęc eſſe libera. Oſeæ 13.

Alij vero reſpondent, Chriſti mortem ſpectari duobus modis: ſecundum ſubſtantiam, ſcilicet, & ſecundum circumſtantias: priori modo contendunt mortem fuiſſe neceſſariam in Chriſto, ex vi beatitudinis, vnionis hypoſtaticæ, & præcepti impoſiti de eadem ſuſtinenda: poſteriori vero modo fuiſſe liberam, ac proinde in ordine ad iſtas circumſtantias Chriſtum redemiſſe genus humanum ſua morte: circumſtantiæ autem in eo ſunt poſitę quod Chriſtus potuerit, vel prævenire, vel poſtponere mortem: ſuſtinere item eamdem ex motiuo & virtute obedientiæ, & charitatis & cuiuslibet alterius, cum maiori item & minori affectu. Gabriel tamen Vazquez, etſi fateatur Chriſtum fuiſſe neceſſitatum ad acceptandam mortem ſecundum ſuam ſubſtantiam ſpectatam, addit tamen poſſe concedi Chriſtum redemiſſe genus humanum, per paſſionem ſpectatam ſecundum ſuam ſubſtantiam & circumſtantias ſimul eiuſdem: quia, inquit, bonitas actus humani nedum petitur ab obiecto eiuſdem, ſed etiam ab obiecto, & circumſtantijs ſimul; certum autem eſt circumſtantias paſſionis Chriſti extitiſſe liberas. F

Aliorum ſolutio.

Vazquez.

Ceterum, licet reſponſio hæc, ſit maximè communis in ſcholis, non tamen videtur pleniſſimè ſatisfacere argumento: ſcripturę namque & Patres docent Chriſtum redemiſſe genus humanum ex motiuo obedientiæ per ſuam mortem, nulla poſita diſtinctione inter ſubſtantiam mortis, & circumſtantias eiuſdem. Deinde circumſtantia aliqua paſſionis tam verè fuit definita, quàm mors eiuſdem, vt conſtat ex capite 13. Ioannis: *Sciens Ieſus quia appropinquauit hora eius.* Denique ſupereſt difficultas hæc explicanda, quî fieri potuit, vt Chriſtus redimeret genus humanum morte ſua in eo caſu, in quo nedum mors, ſed etiam circumſtantiæ eiuſdem eſſent à Deo definitæ, & determinatæ: hæc reſponſio traditur, & explicatur à Suare multis, ad hanc quæſtionem diui Thomæ.

Reiicitur communis ſolutio.

Ioan. 13.

Dico ergo, voluntatem Chriſti non fuiſſe neceſſitatam ad acceptandam mortem ex vi vnionis hypoſtaticæ, nec beatitudinis, nec denique ex prędepto ſibi impoſito: non quidem ex vi beatitudinis, quia beatitudo neceſſitat tantum beatum, ad Deum videndum, & amandum; neque vnio hypoſtatica, quia ex vi vnionis hypoſtaticæ eleuatur tantum humana Chriſti natura ad ſubſiſtere diuinum; non autem ad aliquid operãdum; diximus enim ſuppoſitũ non eſſe operatiuũ, ſed tãtũ terminat. nec deniq; per prędeptũ, quia

Ex nullo capite fuit neceſſitata voluntas Chriſti ad acceptandã mortem.

Digitized by Google

quia hoc, cum ſit extrinſecum voluntati non poteſt neceſſitare voluntatem intrinſecè. Denique in tractatione de beatitudine docent omnes, ſolum obiectum quod continet omnem omninò rationem boni debitè propoſitam voluntati, neceſſitare voluntatem creatam; certam autem eſt obiectum mortis Chriſti non continere in ſe rationem cuiuslibet boni; ac proinde dico Chriſtum potuiſſe mori & non mori, redemiſſeque proinde genus humanum ſua morte, ſpectata, inquam ſecundum circumſtantias, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam.

Obiectio.

Reſponſio. Non mori ſpectatur contrarie & contradictorie.

Dices, ex iſtis colligi Chriſtum potuiſſe peccare, potuit namque non mori. Reſpondeo (*non mori*) ſpectari contrarie, & contradictoriè: priori modo, non eſt concedendum de Chriſto quod potuerit non mori; ità enim ſignificat actum virtuti obedientiæ contrarium, qui conſequitur rationem peccati: Chriſtus autem ex vi vnionis hypoſtaticæ, & beatitatis propriè, conſtitutus eſt impeccabilis: poſteriori vero modo potuit Chriſtus non mori: ità enim ſolam ſignificat negationem mortis, præſcindendo ab omni præcepto, ac proinde & à virtute obedientiæ; hoc autem ſatis eſt ad meritum. Poſſumus etiam addere ex vi vnionis hypoſtaticæ, beatitatis, & præcepti impoſiti voluntatem Chriſti fuiſſe neceſſitatam, non quidem abſolutè & ſimpliciter ad mortem ſuſtinendam; ſed tantùm ex hypotheſi: neceſſitas autem hypothetica non deſtruit libertatem: ſic dicitur Deum liberè creaſſe mundum, licet ex ſuppoſitione illius decreti, quo ſtatuit creare tali tempore non potuerit non creare propter immutabilitatem voluntatis ſuæ.

DVBITATIO TERTIA.

An Chriſtus ſibi meruerit aliqua, & quæ ſint illa.

Quorundam primo.

SVnt qui putent Chriſtum meruiſſe ſibi gratiam, & gloriam, ità Albertus magnus in 3. diſt. 18. art. 4. Maior, Rubio, & alij nonnulli, quos citat Medina ad articulum 3. D. Th. & Suarez diſput. 4. & ſeſſ. 2. Probant. Primùm ex illo Iſaiæ 53. *Pro eo quod laborauit, videbit, & ſatiabitur:* & cap. 46. *Ecce Saluator tuus venit, & merces cum eo*, & cap. 10. Ioannis. *Propterea me diligit Deus, quia animam meam pono:* & denique ex cap. 5. Apocal. *Dignus eſt Agnus accipere virtutem*: ergo. Deinde quod eſt dignius & perfectius, Chriſto eſt attribuendum: at habere aliquid à ſe, & per propria merita dignius eſt quàm habere ab alio, & à liberalitate aliena, vt obſeruat D. Th. in corpore art 3. huius quæſt. ergo: Denique Chriſtus conſequutus eſt ſuam ſanctitatem per proprium motum liberi arbitrij: ac proinde per diſpoſitionem meritoriam gratiæ ſanctificantis, vt author eſt D. Th. art. 3. in corpore, quæſt. 34. huius partis.

Iſaiæ 53. Probat. 1. Ioan. 10.

Apocal. 5. 2.

3.

Chriſtus nõ meruit ſibi gloriam nec gratiam. Probat. 2.

CONCLVSIO. *Chriſtus non meruit ſibi gratiam, nec gloriam.* Primum, quia hęc duo fuerunt ei debita ex vi vnionis hypoſtaticę. Deinde nemo meretur id quod habet, ſed id quo caruit aliquando, vt obſeruat D. Th. ar. 3. huius quæſt. in corpore: atqui Chriſtus ſemper habuit gratiam & gloriam poſita incarnatione: ergo illa non meruit.

Tertio. Scripturæ propterea volunt Chriſtum fuiſſe plenum gratia, & veritate quod Verbum factum ſit caro, vt conſtat ex cap. 1. Ioannis.

A *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis.* QVARTO per incarnationem humana Chriſti natura vere eſt Deus: ergo vendicat quoque ſibi ex vi illius incarnationis plenitudinem gratiæ, & gloriæ, & item ſapientiæ. Poſtremò plenitudo gratiæ, gloriç, ſcientiæ, & quarumcumque virtutum conſtetur eſſe proprietas conſequens vnionem hypoſtaticam, illa eadem ratione; cæteris tamen paribus, qua proprietates conſequuntur naturam aliquam ſubſtantialem. Ioan 1. 3. 4. 5.

Denique ſi Chriſtus meruit gratiam, & gloriam, ſibi id præſtitit, vel per merita antecedentia, vel ſubſequentia infuſionem iſtorum donorum: non primum, quia diximus Chriſtum ſemper habuiſſe gratiam, & gloriam, itemque plenitudinem ſcientiæ, & cumulum omnium virtutum: neque item 2. quia principium meriti non cadit ſub meritum; gratia autem habitualis, eſt principium meriti, ſaltem in eo qui meretur naturaliter. Cõfirmatur. Incarnatio nõ cadit propterea ſub meritum Chriſti, quia eſt principium merendi in Chriſto, & in nobis. Rurſus meritum debet antecedere præmium, ſaltem de lege communi: ergo per merita ſubſequentia infuſionem gloriæ, Chriſtus non meruit ſibi iſta dona: idem eſt dicendum de plenitudine ſapientiæ, & ſcientiæ, & cumulo virtutum, quę fuerunt in Chriſto in primo inſtanti ſuæ conceptionis. 6.

B

C

Diſſoluũtur rationes cõtrariæ.

Ad rationes vero contrarias, reſpondeo. Ad 1. locum hunc Iſaiæ explicari ferè ab omnibus de gratia, & gloria quæ conferũtur nobis dependenter à meritis Chriſti; non autem de gratia & gloria ipſiuſmet Chriſti; ità Medina, & alij interpretes D. Th. hoc loco. Teſtimonium denique Ioannis cap. 10. & 5. Apocalypſis intelligi ab omnibus de gloria corporis Chriſti, quam ſibi verè promeruit.

2. Soluitur.

Ad 2. Quæ ſunt præſtantiora tribuenda eſſe Chriſto, niſi ſequatur in eo imperfectio aliqua, vt obſeruat D. Th. ar. 3. huius quæſt. ſi autem diceremus Chriſtum ſibi meruiſſe gratiam, & gloriã, admittenda eſſet in eo imperfectio hæc, quod caruiſſet iſtis aliquando; nemo quippe meretur de lege cõmuni, niſi ea bona quibus caruit aliquando, vt tradit D. Th. loco cit. Deinde concedendum eſſet de Chriſto, quod non meruiſſet ſibi iſta dona, modo connaturali; gratia enim habitualis, eſt ſimpliciter neceſſaria ad hoc, vt aliquis promereatur connaturaliter, & tamen hæc non fuiſſet in Chriſto. D

Ad vltimã reſponſio. Exponitur D. Thom.

Ad vltimam reſpondeo, ſanctum Thomam non affirmare Chriſtum fuiſſe ſanctificatum per motum proprium liberi arbitrij, tanquam per diſpoſitionem meritoriam gratiæ, aut gloriæ: ſed tantum ſanctificatum fuiſſe per motum proprium liberi arbitrij: motus autem hic prius liberi arbitrij non præceſſit infuſionem gratiæ & gloriæ: ſed eam conſequutus eſt ita, vt fuerit hic poſterior natura infuſione gratiæ, vnde potuit eſſe meritorius gratiæ, & gloriç: meritum quippe præcedit præmium, ſaltem de lege communi. E

Quæſtio mouetur.

Rogabis, *An ſaltem potuerit Chriſtus mereri gratiam, & gloriam, quam habuit in 1. inſtanti ſuæ conceptionis.* Medina loco ſupra citato, & alij nonnulli Recent. credunt non potuiſſe mereri Chriſtum iſta dona, idque quod repugnet vnum, &

Digitized by Google

Ad 2. vero probationem. eiuſdem minoris dico, animam Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis, vidiſſe intra diuinam eſſentiam omnes ſuas actiones futuras, nego tamen propterea fuiſſe neceſſitatam eius voluntatem in actionibus exercendis, extra diuinam eſſentiam: nam & Deus, & Angeli, & cæteri beati vident in Verbo, in primo inſtanti ſuæ felicitatis, omnes ſuas operationes futuras ex doctrina Thomiſtarum; & tamen manet in iſtis omnibus libertas ad producendas huiuſmodi operationes. Deinde, ſcientia iſta ſe habet extrinſecè ad libertatem Chriſti, cum proponit tantùm voluntati ſuum obiectum: ergo nequit illam neceſſitare. A

Ad 3. vero probationem prędictæ maioris, reſpondet Paludanus in tertium, diſtinctione 12. nullum fuiſſe impoſitum Chriſto præceptum, de morte ſuſtinenda, propter generis humani reparationem, ſed hoc relictum fuiſſe liberę voluntati Chriſti, vt pateretur, vel non pateretur. Ceterum opinio iſta defendi nequit; dicitur enim Deuteron. cap. 18. de Chriſto à Deo. *Ponam verba mea in ore eius, & loquetur quæ præcepero ei.* & Ioannis 10. ità loquitur Chriſtus de ſeipſo: *Mandatum hoc accepi à Patre meo.* & Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, & Ioannis 15. *Sicut & ego Patris mei ſeruaui præcepta.* B

Solutio Paludani ponitur.

Refellitur.

Deut. 18. Ioan. 10. Ioan. 14. & 15.

Deinde, ſancti Patres, verbis expreſſis aiunt, impoſitum fuiſſe præceptum Chriſto de morte ſuſtinenda ad generis humani redemptionem; ità docent D. Auguſt. tractatu 79. & 82. in Ioannem, & 13. de Trinitate, capite 14. Chryſoſtom. Homilia 59, & 71. in Ioannem, & Cyrillus Alexandrinus in Ioannem lib. 10. cap. 2. & Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 9. & 10. C

Auguſt. Chryſoſt. Cyrill. Alexand. Anſel.

Tertiò, Scripturæ docent eſſe paſſum ex motiuo virtutis obedientiæ; ad Philippenſes cap. 2. virtus autem obedientiæ præſupponit præceptum ſuperioris.

Obijcit Paludanus, ſi Chriſtus ſubditus fuiſſet præcepto de morte ſuſtinenda, pro redimendis hominibus, non potuiſſet non ponere animam ſuam: ex vi quippe vnionis hypoſtaticæ & beatitudinis æternæ fuit impeccabilis: at certum eſt Chriſtum potuiſſe non ponere animam ſuam, ex cap. 10. Ioannis. *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam.* D

Obiectio.

Ioan. 10.

Reſponſio. Reſp. Negando illationem maioris; duo enim iſta ſimul ſtare poſſunt, ſubijci præcepto, & operari liberè id quod præcipitur; quilibet enim noſtrûm ſubijcitur Decalogi præceptis, & tamen quilibet poteſt hæc ſeruare, vel non ſeruare.

Ad probationem autem reſpondeo. Verba illa fuiſſe pronunciata à Chriſto reſpectu diuinæ naturæ, vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis; *Et iterum ſumendi eam*: An verò colligatur Chriſtum potuiſſe peccare, ex eo quod potuerit non ponere animam ſuam explicabitur inferiùs. E

Obijcit 2. Non fuit in poteſtate Chriſti mori eo genere mortis quo obijt; præcepta autem ſunt de rebus poſitis in noſtra poteſtate.

2. Obiectio.

Potuit Chriſtus liberè acceptare ſuppl. cium crucis.

Reſp. Chriſtum potuiſſe libere acceptare ſupplicium crucis ſibi oblatum à Iudæis, & hoc ſatis eſſe ad hoc, vt dicatur capax præcepti de morte ſuſtinenda.

Quidam vero ex iſtis auctoribus reſpondent, nullum fuiſſe impoſitum præceptum Chriſto de morte ſuſtinenda propter humani generis reparationem, antequàm mors fuerit à Chriſto acceptata, & libere abipſo electa; ſed tantùm fuiſſe poſt electionem iſtam. Verum reſponſio hęc peccat in eo, quod faciat voluntatem humanam, Chriſti primam & præcipuam cauſam reparationis generis humani, quod eſt apertè contra illud Oſeæ 13. *Perditio tua tantum ex te Iſraël eſt; ſalus autem ex me*: verba autem iſta ſunt Dei opt. max. Deinde ſequitur ex hac reſponſione ſolam electionem & acceptationem mortis extitiſſe in Chriſto liberam, non autem actualem ſuſceptionem eiuſdem: & tamen Scriptura, Patres, & Concilia definiunt Chriſtum redemiſſe genus humanum ſua morte, ac proinde definiunt hęc eſſe libera. Oſeæ 13.

Alij vero reſpondent, Chriſti mortem ſpectari duobus modis: ſecundum ſubſtantiam, ſcilicet, & ſecundum circumſtantias: priori modo contendunt mortem fuiſſe neceſſariam in Chriſto, ex vi beatitudinis, vnionis hypoſtaticæ, & præcepti impoſiti de eadem ſuſtinenda: poſteriori vero modo fuiſſe liberam, ac proinde in ordine ad iſtas circumſtantias Chriſtum redemiſſe genus humanum ſua morte: circumſtantiæ autem in eo ſunt poſitę quod Chriſtus potuerit, vel præuenire, vel poſtponere mortem: ſuſtinere item eamdem ex motiuo & virtute obedientiæ, & charitatis & cuiuslibet alterius, cum maiori item & minori affectu. Gabriel tamen Vazquez, etſi fateatur Chriſtum fuiſſe neceſſitatum ad acceptandam mortem ſecundum ſuam ſubſtantiam ſpectatam, addit tamen poſſe concedi Chriſtum redemiſſe genus humanum, per paſſionem ſpectatam ſecundum ſuam ſubſtantiam & circumſtantias ſimul eiuſdem: quia, inquit, bonitas actus humani nedum petitur ab obiecto eiuſdem, ſed etiam ab obiecto, & circumſtantijs ſimul; certum autem eſt circumſtantias paſſionis Chriſti extitiſſe liberas. *Aliorum ſolutio.* Vazquez.

Ceterum, licet reſponſio hæc, ſit maximè communis in ſcholis, non tamen videtur pleniſſimè ſatisfacere argumento: ſcripturę namque & Patres docent Chriſtum redemiſſe genus humanum ex motiuo obedientiæ per ſuam mortem, nulla poſita diſtinctione inter ſubſtantiam mortis, & circumſtantias eiuſdem. Deinde circumſtantia aliqua paſſionis tam verè fuit definita, quàm mors eiuſdem, vt conſtat ex capite 13. Ioannis: *Sciens Ieſus quia appropinquauit hora eius.* Denique ſupereſt difficultas hæc explicanda, quî fieri potuit, vt Chriſtus redimeret genus humanum morte ſua in eo caſu, in quo nedum mors, ſed etiam circumſtantiæ eiuſdem eſſent à Deo definitæ, & determinatæ: hæc reſponſio traditur, & explicatur à Suare multis, ad hanc quæſtionem diui Thomæ. *Reijcitur communis ſolutio.* Ioan. 13.

Dico ergo, voluntatem Chriſti non fuiſſe neceſſitatam ad acceptandam mortem ex vi vnionis hypoſtaticæ, nec beatitudinis, nec denique ex præcepto ſibi impoſito: non quidem ex vi beatitudinis, quia beatitudo neceſſitat tantum beatum, ad Deum videndum, & amandum; neque vnio hypoſtatica, quia ex vi vnionis hypoſtaticæ eleuatur tantum humana Chriſti natura ad ſubſiſtere diuinum; non autem ad aliquid operãdum; diximus enim ſuppoſitũ non eſſe operatiuũ, ſed tãtũ terminat. nec deniq; per præceptũ, quia

Ex nullo capite fuit neceſſitata voluntas Chriſti ad acceptandã mortem.

Digitized by Google

quia hoc, cum ſit extrinſecum voluntati non poteſt neceſſitare voluntatem intrinſecè. Denique in tractatione de beatitudine docent omnes, ſolum obiectum quod continet omnem omninò rationem boni debitè propoſitam voluntati, neceſſitare voluntatem creatam; certam autem eſt obiectum mortis Chriſti non continere in ſe rationem cuiusliber boni; ac proinde dico Chriſtum potuiſſe mori & non mori, redemiſſeque proinde genus humanum ſua morte, ſpectata, nedum ſecundum circumſtantias, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi Chriſtum potuiſſe peccare, potuit namque non mori. Reſpondeo (*non mori*) ſpectari contrariè, & contradictoriè: priori modo, non eſt concedendum de Chriſto quod potuerit non mori; ità enim ſignificat actum virtuti obedientiæ contrarium, qui conſequitur rationem peccati: Chriſtus autem ex vi vnionis hypoſtaticæ, & beatitatis propriè, conſtitutus eſt impeccabilis: poſteriori vero modo potuit Chriſtus non mori: ità enim ſolam ſignificat negationem mortis, præſcindendo ab omni præcepto, ac proinde & à virtute obedientiæ; hoc autem ſatis eſt ad meritum. Poſſumus etiam addere ex vi vnionis hypoſtaticæ, beatitatis, & præcepti impoſiti voluntatem Chriſti fuiſſe neceſſitatam, non quidem abſolutè & ſimpliciter ad mortem ſuſtinendam; ſed tantùm ex hypotheſi: neceſſitas autem hypothetica non deſtruit libertatem: ſic dicitur Deum liberè creaſſe mundum, licet ex ſuppoſitione illius decreti, quo ſtatuit creare tali tempore non potuerit non creare propter immutabilitatem voluntatis ſuæ.

Reſponſio. Non mori ſpectatur contrariè & contradictoriè.

DVBITATIO TERTIA.

An Chriſtus ſibi meruerit aliqua, & quæ ſint illa.

SVnt qui putent Chriſtum meruiſſe ſibi gratiam, & gloriam, ità Albertus magnus in 3. diſt. 18. art. 4. Maior, Rubio, & alij nonnulli, quos citat Medina ad articulum 3. D. Th. & Suarez diſput. 4. & ſeſſ. 2. Probant. Primùm ex illo Iſaiæ 53. *Pro eo quod laboravit, videbit, & ſatiabitur*: & cap. 46. *Ecce Saluator tuus venit, & merces cum eo*, & cap. 10. Ioannis. *Propterea me diligit Deus, quia animam meam pono*: & denique ex cap. 5. Apocal. *Dignus eſt Agnus accipere virtutem*: ergo. Deinde quod eſt dignius & perfectius, Chriſto eſt attribuendum: at habere aliquid à ſe, & per propria merita dignius eſt quàm habere ab alio, & à liberalitate aliena, vt obſeruat D. Th. in corpore art 3. huius quæſt. ergo: Denique Chriſtus conſequutus eſt ſuam ſanctitatem per proprium motum liberi arbitrij: ac proinde per diſpoſitionem meritoriam gratiæ ſanctificantis, vt author eſt D. Th. art. 3. in corpore, quæſt. 34. huius partis.

Quorumdam opinio. Iſaiæ 53. *Probat. 1.* Ioan. 10. Apocal. 5. 2. 3.

CONCLVSIO. *Chriſtus non meruit ſibi gratiam, nec gloriam.* Primum, quia hæc duo fuerunt ei debita ex vi vnionis hypoſtaticę. Deinde nemo meretur id quod habet, ſed id quo caruit aliquando, vt obſeruat D. Th. ar. 3. huius quæſt. in corpore: atqui Chriſtus ſemper habuit gratiam & gloriam poſita incarnatione: ergo illa non meruit.

Chriſtus nõ meruit ſibi gloriam nec gratiam. Probat. 2.

Tertio. Scripturæ propterea volunt Chriſtum fuiſſe plenum gratia, & veritate quod Verbum fuerit factum caro, vt conſtat ex cap. 1. Ioannis.

A *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* QVARTO per incarnationem humana Chriſti natura vere eſt Deus; ergo vendicat quoque ſibi ex vi iſtius incarnationis plenitudinem gratiæ, & gloriæ, & item ſapientiæ. Poſtremò plenitudo gratiæ, gloriæ, ſcientiæ, & quarumcumque virtutum cenſetur eſſe proprietas conſequens vnionem hypoſtaticam, illa eadem ratione; cæteris tamen paribus, qua proprietates conſequuntur naturam aliquam ſubſtantialem. Ioan. 1. 3. 4. 5.

Denique ſi Chriſtus meruit gratiam, & gloriam, ſibi id præſtitit, vel per merita antecedentia, vel ſubſequentia infuſionem iſtorum donorum: non primum, quia diximus Chriſtum ſemper habuiſſe gratiam, & gloriam, itemque plenitudinem ſcientiæ, & cumulum omnium virtutum: neque item 2. quia principium meriti non cadit ſub meritum; gratia autem habitualis, eſt principium meriti, ſaltem in eo qui meretur naturaliter. Cõfirmatur. Incarnatio nõ cadit propterea ſub meritum Chriſti, quia eſt principium merendi in Chriſto, & in nobis. Rurſus meritum debet antecedere præmium, ſaltem de lege communi: ergo per merita ſubſequentia infuſionem gloriæ, Chriſtus non meruit ſibi iſta dona: idem eſt dicendum de plenitudine ſapientiæ, & ſcientiæ, & cumulo virtutum, quę fuerunt in Chriſto in primo inſtanti ſuæ conceptionis. 6.

Diſſoluũtur rationes cõtrariæ.

Ad rationes verò contrarias, reſpondeo. Ad 1. locum hunc Iſaiæ explicari ferè ab omnibus de gratia, & gloria quæ conferũtur nobis dependenter à meritis Chriſti; non autem de gratia & gloria ipſiuſmet Chriſti; ità Medina, & alij interpretes D. Th. hoc loco. Teſtimonium denique Ioannis cap. 10. & 5. Apocalypſis intelligi ab omnibus de gloria corporis Chriſti, quam ſibi verè promeruit.

2. Soluitur. Ad 2. Quæ ſunt præſtantiora tribuenda eſſe Chriſto, niſi ſequatur in eo imperfectio aliqua, vt obſeruat D. Th. ar. 3. huius quæſt. ſi autem diceremus Chriſtum ſibi meruiſſe gratiam, & gloriã, admittenda eſſet in eo imperfectio hæc, quod caruiſſet iſtis aliquando; nemo quippe meretur de lege cõmuni, niſi ea bona quibus caruit aliquando, vt tradit D. Th. loco cit. Deinde concedendum eſſet de Chriſto, quod non meruiſſet ſibi iſta dona, modo connaturali; gratia enim habitualis, eſt ſimpliciter neceſſaria ad hoc, vt aliquis promereatur connaturaliter, & tamen hæc non fuiſſet in Chriſto.

Ad vltimã reſponſio. Exponitur D. Thom. Ad vltimam reſpondeo, ſanctum Thomam non affirmare Chriſtum fuiſſe ſanctificatum per motum proprium liberi arbitrij, tanquam per diſpoſitionem meritoriam gratiæ, aut gloriæ: ſed tantum ſanctificatum fuiſſe per motum proprium liberi arbitrij: motus autem hic proprius liberi arbitrij non præceſſit infuſionem gratiæ & gloriæ: ſed eam conſequutus eſt ità, vt fuerit hic poſterior natura infuſione gratiæ, vnde potuit eſſe meritorius gratiæ, & gloriæ: meritum quippe præcedit præmium, ſaltem de lege communi.

Quæſtio mouetur. Rogabis, *An ſaltem potuerit Chriſtus mereri gratiam, & gloriam, quam habuit in 1. inſtanti ſuæ conceptionis.* Medina loco ſupra citato, & alij nonnulli Recent. credunt non potuiſſe mereri Chriſtum iſta dona, idque quod repugnet vnum, &

Digitized by Google

eumdem habere gratiam conſummatam, & non conſummatam, & item eſſe in termino, & tendere ad terminum: Chriſtus.n. hoc ipſo quod habuit gloriam, habuit gratiam conſummatam, & fuit in termino. Cęterum contraria opinio videtur indubitata; poſſumus.n. ſupponere Chriſtũ caruiſſe donisiſtis in 1. inſtanti ſuę cõceptionis, qua poſita hypotheſi, potuiſſet Chriſtus iſta dona mereri, ex doctrina D. Th. 2. 3. huius q. ait .n. Chriſtum de facto meruiſſe omnia dona, quibus caruit in 1. inſtanti ſuę conceptionis,

Potuit Chriſtꝰ mereri gratiã in primo inſtanti.

1. *Ratio.*

2.

Deinde, poſſumus ſupponere Chriſtum exercuiſſe actum aliquem priorem natura, minimè verò tempore, infuſione gratiæ, & actum hunc eſſe meritorium vtriuſque, illo eodem modo, quo fatentur vulgò Theologi actum contritionis elicitum ab eo, qui agit in peccato mortali eſſe meritorium primę gloriæ; minimè vero primę gratiæ: nam vnio hypoſtatica & gratia habitualis, exiſtentis in Chriſto potuerunt eſſe ſatis ad actum aliquem per ſe meritorium exercendum, vt eſt per ſe notum.

3. Tertiò, Meritum non debet ex ſe, & ſua natura antecedere pręmium, vt obſeruant Recentiores: Patres .n. veteris Teſt. & legis naturalis cõſequuti ſunt omnem gratiam, quam habuerunt dependenter à meritis Chriſti, omnium conſenſu: augmentum item gratiæ, eſt idem tempore cum actu meritorio eiuſdem, ex vulgari opinione.

4. Quartò, cauſa, & effectus ſunt ſimul; imo D. Th. 1. p. q. 44. ait quod ſi pes eſſet ab ęterno, veſtigium quoque ab æterno exiſteret: ergo meritum & pręmium poſſunt eſſe in vno, & eodem inſtanti temporis de lege communi: ergo tantum meritum præcedit pręmium, vt plurimum.

5. Denique poſſumus ſupponere Chriſtum meruiſſe ſibi gratiam & gloriam per merita ſubſequentia, illo eodem modo, quo fatentur aliqui Angelos promeruiſſe ſibi collationem gratiæ per per merita ſubſequentia in 1. inſtanti creationis eorumdem.

Satisfit argumento cõtraria ſent.

Ad rationem vero contrariam reſpondeo, conceſſa maiore, nego minorem: ſi enim Chriſtus meruiſſet ex hypotheſi gratiam, & gloriam, quam habuit in primo inſtanti ſuę conceptionis, gloria iſta non diceretur gratia conſummata; neque item Chriſtus diceretur eſſe in termino, ſed in via: nam ità data fuiſſet hęc gratia Chriſto, vt tamen poſſet in hac eadem creſcere per merita: ac proinde tenderet in terminum magis extenſum.

Inſtantia. Soluitur. Bifariã ſumitur gloria.

Inſtant, gloriam habere rationem beatitudinis in Chriſto & conſequenter eſſe inuariabilem, & immutabilem: ergo. Reſpondeo gloriam iſtam ſpectari duobus modis, 1. vt eſt viſio diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, & amor item eiuſdem, 2. vt habet rationem beatitatis æternæ: poſteriori modo viſio, & amor nequeunt vlla ratione mutari, eſt enim beatitudo *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; & præterea debet eſſe inuariabilis: priori vero modo extitiſſet tantum gloria in Chriſto in data hypotheſi, & ſecundum hanc conſiderationem poteſt intendi, cùm ſit vera qualitas actualis, vnde poſſet intendi dependenter à meritis Chriſti.

Chriſtus meruit ſibi reſurrectionem.

CONCLVSIO 2. *Chriſtus meruit ſibi corporis propriį reſurrectionem, impaſſibilitatem animæ, dotes corporis glorificati & triumphum Aſcenſionis ſuæ in cœlum.* Probatur ex capite 2. ad Philippenſes: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem &c. propter quod & Deus exaltauit illum*, & cap. 2. ad Hebræos. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*, & 24. Luc. *Oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere diuinitatem, virtutem, & ſapientiam &c.* Philip. 2. Hebr. 2. Luc. 24. Apocal. 5.

Dices, deberi hæc omnia Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ & gloriæ animæ, vt vult Diuus Auguſt. Epiſt. ad Dardanum 55. Reſp. vnum & idem poſſe pertinere ad aliquem, multis titulis, vt monuimus aliàs; ac proinde, licet omnia enumerata, fuerint debita Chriſto ex cauſis in argumento, explicatis; quia tamen illis caruit, potuit hæc omnia ſibi mereri, imo de facto meruit.

Obiectio. Multis titulis vnum & idem poteſt pertinere ad eumdem.

CONCLVSIO VLTIMA; *Chriſtus meruit ſibi nominis ſui exaltationem, & conſequenter laudationem celebratam ab Angelis in eius natiuitate*, Lucæ 2. *Teſtificationem ſuæ diuinitatis factam in baptiſmate eiuſdem*, Ioan. 3. *Et in transfiguratione*, Matthæi 17. *Teſtificationem præterea reſurrectionis factam*, Marc. 16. Primùm, quia ità aſſerit Paulus capit. 2. ad Philippenſes. *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: & ex capite 17. Ioannis. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt facerem, & nunc clarifica me tu Pater &c.* Oratio quippe iſta Chriſti fuit, teſtimonio D. Auguſtini, efficaciſſima, ex tract. 100. in Ioannem, vnde habuit effectum; effectus autem videtur in eo poſitus, quod nomen Chriſti incœpit eſſe celebre apud quaſcumque gentes, imo reſpectu cuiuslibet creaturę rationalis, vt videtur colligi ex loco proximè citato Pauli, *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei Patris*: & ex illo Marci vltimo; *In nomine meo dæmonia eiicient*. Deinde res hęc aſſeritur à Patribus citatis in confirmationem concluſ. proxime antecedẽtis, & à D. Th. 2. 3. huius quęſt.

Meruit nominis exaltationẽ &c. Luc. 2. Ioan. 3. Matth. 17. Marc 16. *Probatio 1.* Philip. 2. Ioan. 17. D. Aug. Philip. 2. Marc. vlt. 2. 3.

Denique, Chriſtus caruit exaltatione ſui nominis, & alijs donis in cõcluſione noſtra deſignatis, pro aliquo tempore huius vitæ mortalis; at potuit Chriſtus mereri ſibi illud omne bonũ, quo caruit pro eo tempore, quo fuit viator: ergo prędicta dona ſibi potuit mereri.

Ex iſtis colligo, Chriſtum meruiſſe etiam ſibi quodammodo dominium quod habet in res omnes; nam dominiũ videtur pertinere aliquo modo ad exaltationem ſui nominis, cum poteſtas eijciendi dæmones à corporibus obſeſſis ſit huic nomini data, & quidem dependenter à merito Chriſti; neque enim vis, & efficacia huius nominis aliunde eſt repetenda, quam à dignitate meritorum eiuſdem; ſicut neque ſacramenta nouę legis aliunde ſuam vim mutuantur, quàm à paſſione Chriſti.

Corollariũ Chriſtum ſibi meruiſſe dominiũ in res omnes.

DVBITATIO VLTIMA.

De illis quæ Chriſtus nobis promeruit.

DIco primum, *Chriſtum meruiſſe nobis remiſſionem quorumcumque peccatorum, tam quoad pœnam, ſed etiam quoad culpam.* Probatur ex Paulo, cap. 5. ad Romanos. *Sicut per vnum ho-*

Digitized by Google

minem peccatum intrauit in mundum &c. Multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit, & ibidem; Multò magis abundantiam gratiæ donationis, & iuſtitiæ, accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum, & cap. 15. prioris ad Corinth. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur. 1. Cor. 15.

Deinde, ex illis omnibus locis ſcripturæ, & Patrum, quibus dubit. 2. huius tractationis docuimus meritum proprie dictum habuiſſe locum in Chriſto. Moneo tamen Chriſtum meruiſſe remiſſionem culpæ, & pœnæ debitæ quibuſuis culpis ſufficienter, non autem efficaciter omnibus & ſingulis mortalibus: efficaciter namque peccata condonantur ſolis iuſtificatis, & item pœna debita ipſis, quando contingit iuſtificatos iſtos de facto cõſequi gratiam & vitam æternam, multi verò ſunt quibus de facto non remittitur peccatum, nec conſequenter confertur gloria. *Sufficienter tamẽ meruit non efficienter pro omnibus.*

Dico 2. *Chriſtum meruiſſe gratiam iuſtificantem, diſpoſitiones omnes ad gratiam huiuſmodi conſequendam neceſſarias, ad perſeuerandum in eadem ad vltimum vſque vitæ ſpiritum, ſacramenta, & ſacramentorum actualem adminiſtrationem: & denique omne donum quod conducit ad iuſtificationem noſtram quomodocumque conducat, idémque dicendum de gloria, ac proinde & de prædeſtinatione cuiuslibet efficaci.* Primùm, hæc eſt meus omnium planè ſanctorum Patrum, & Theologorum omnium Scholaſticorum, in tractatione de ſatisfactione Chriſti, & hoc loco. *Multa alia nobis promeruit Chriſtus.*

Dices, gratiam præuenientem & iuſtificantem primam dari gratis, ex Paulo, Roman. 11.

Reſp. hæc intelligenda eſſe de gratia reſpectu meritorum noſtrorum, non autem reſpectu meritorum Chriſti; ità enim datur nobis ex merito Chriſti, ſine vlla tamen dependentia à meritis noſtris. Vide innumera de iſtis apud Vazquezium, diſp. 77. Peſantium diſp. 1. & 2. ad art. 4. huius quæſt. & Medinam ibidem. *Gratis datur gratia ſpectatis noſtris actib⁹, non autem Chriſti.*

Prætermittimus autem hoc loco dubitationes iſtas, an Chriſtus meruerit gratiam ac gloriam Angelis, & item primis parentibus in ſtatu innocentiæ: quoniam fuerũt explicatæ à nobis in quæſtione de gratia capitis Chriſti.

QVÆSTIO XX.

De conuenientibus Chriſto ſecundum quod fuit Patri ſubiectus.

ARTICVLO 1. Docet S. Tho. Chriſt. fuiſſe ſubditũ Deo Patri, & ſecundum bonit. & ſecũdũ ſubiect. & obediẽtiã; quod tamen de humana natura venit intelligendum; idque ne videamur fauere Arrianis, qui filium Dei minorem Patre prædicarunt. *Chriſtus fuit ſubditus patri, ratione.*

ARTICVLO 2. Docet Chriſtũ ſibi ipſi minime fuiſſe ſubiectum, ſi cõſideretur hic ſecundum perſonam, aliter verò, ſi ſpectetur eius natura humana, hæc enim fuit verè ſubdita diuinæ naturæ.

Circa hanc quæſtionem, duo ſunt breuiter obſeruanda. Primum eſt, *Nihil vetare quo minus dicamus de Chriſto, quod fuerit ſeruus Patris, non quidem abſolutè loquendo, ſed cum iſta reſtrictione reſpectu humanæ naturæ.* Primùm quia Scriptura tribuit Chriſto nomen ſerui, Iſaiæ 41. 42. & 43. *Seruus meus es tu Iſrael in te gloriabor.* & rurſus. *Pa-* *Chriſtus poteſt dici ſeruus reſpectu humanæ naturæ.* Iſaiæ 41. 42. 43.

A *rum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob.* & ibidem. *Hæc dicit Dominus formans me ex vtero ſeruum ſibi.* Et Ezechielis 34. *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum ſeruum meum:* Teſtimonia autem iſta explicantur à patribus de Chriſto, & ex c. 12. Matth. *Ecce puer meus electus, quem elegi, poſui ſuper eum ſpiritum meum:* Nomen quippe pueri hoc loco, imò & alibi, frequenter vſurpatur pro ſeruo, vt obſeruauit D. Auguſt. li. 2. de ciuit. cap. vltimo & lib. de vnitate Eccleſiæ, cap. 4. 44. *Probatio documenti.* 1. Ezech. 34. Matth. 12.

Deinde, ſancti patres appellationem ſerui tribuunt Chriſto, ita D. Auguſt. Epiſt. 178. Prope finem. *In qua infirmitate, ſcilicet Chriſti, non ſolum puerum, ſed etiam ſeruum confitemur, ipſo dicente: Ego* B *ſeruus tuus ſum & filius ancillæ tuæ* Pſal. 115. & Fulgentius de fide, ad Petrum cap. 2. *Formam ergo ſerui accepit, neque enim aliud fuit illa ſumma Dei exinanitio, niſi forma ſeruilis, id eſt humana natura ſuſceptio: vtraque igitur eſt in Chriſto forma, quia vtraque & vera & plena eſt in Chriſto ſubſtantia: ideo S. Euangeliſta plenum eum gratia, & veritate prædicat: quia in diuina natura in qua Deus verus eſt, plenus eſt, & in humana natura in qua homo verus gratia factus eſt, plenus eſt. In illa plenitudine Deus eſt, in forma Dei æqualis Deo. In ipſa plenitudine ſeruus, in forma ſerui, quia in ſimilitudinem hominum factus, habitu eſt inuentus vt homo. Exinaniens ergo ſemetipſum, formam ſerui accepit, vt fieret ſeruus.* Pſal. 114. D. Aug.

C Accedit ratio, Prima. Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt verè & propriè creatura: ergo poteſt quoque dici verè ſeruus Patris: nam omnis res creata ſubijcitur ſuo creatori ex vi ſuæ creationis, cùm pendeat à creatore in eſſe, fieri, & conſeruari. 3.

Deinde, Chriſtus dicitur ſubditus proprijs parentibus, Lucæ cap. 2. naturaque illius humana eſt verè minor Patre, Ioannis 14. Ergo, ità S. Th. art. 1. huius quæſt. 4. Luc. 2. Ioan. 14.

Obijciunt qui contrariam ſequũtur opinionẽ, inter quos eſt Vazquez, diſp. 80. Elipandũ Epiſc. Toler. fuiſſe damnatum in Concil. Frãcofordienſi, & item ab Adriano I. quod aſſereret Chriſtum eſſe ſeruum Patris. Fauent & Patres aliqui, quos refert Vazq. c. 6. diſp. cit. VT huic obiectioni reſpõdeamus, obſeruandũ eſt ſeruitutem aliam eſſe naturalem; aliam vero ciuilem; hæc iure gentium. & ſuppoſita culpa fuit introducta; illa verò naturam quamcumque creatam conſequitur ex vi illius dependentiæ, quam dicit ad ſuum creatorem: illa vocatur proprie ſeruitus, cenſentque eſſe poſita in eo quod quis ità ſubijcitur Domino, vt plene ſit ſub eius poteſtate: vnde hic non eſt vlla ratione ſui iuris, ac proinde neque liber: meminit huius ſeruitutis Ariſt. lib. 1. Polit. c. 3. vbi ait, cum eſſe proprie ſeruum, qui ſimpliciter eſt ſub ditione alterius, ità vt nec in bonis, nec in honore, nec in ſede, communionem cum alijs habeat. Alia vero ſeruitus dicitur improprie ſeruitus, licet vere dicat dependentiam per actionem proprie dictam ab eo à quo producitur: hoc ità conſtituto. *Obiectio.* *Duplex ratio ſeruitutis.* Ariſt. *Satisfit argumentorũ Vazq.*

Reſp. Adrian. I. & Concilium Francofordienſe, negare Chriſtum eſſe ſeruum, etiam conſideratum ſecundum humanam naturam ſeruitute proprie dicta, non autem improprie dicta: certum ſiquidem eſt Chriſtum nec peccaſſe, nec peccare potuiſſe; ſeruitus autem proprie dicta præſupponit peccatum: cum iſtis tamen recte cohæret, vt Chriſt⁹ dicatur ſeruus ſeruitute impropria; accepit quippe hic humanã naturã per actionẽ verã, pendẽtq; hæc in eſſe, fieri & cõſeruari à gratuita

Digitized by Google

Dei voluntate, vnde potest hæc verè dici seruus. Ad Patres qui videntur fauere contrariæ opinioni, eodem modo respondendum est.

Aduerte, auctores contrariæ sententiæ nihil posse colligere ex eo, quod apud Matthæum cap. 22. Christus dicatur filius, non autem operarius, seu seruus, quemadmodum Prophetæ: debuit enim Euangelista ponere discrimen inter Prophetas missos à Deo ad rectam Iudæorum institutionem, & inter Messiam qui fuit solus Christus. Certùm est autem Iudæos peremisse nedum Prophetas ex cap. 23. Matth. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt*: sed etiam ipsummet filium Dei, vt docet fides Christiana & Catholica; potuit tamen Christus dici operarius seu seruus, comparatus cum Patre æterno, spectatus tamen secundum humanam naturam.

Matth. c. 22.

Discrimen inter Prophet. & Ch.

Matth. 23.

Secundum principaliter obseruandum hoc loco est, *Christum fuisse subditum legi alicui non quidem simpliciter, & absolutè loquendo, sed cum hoc addito, secundum humanam naturam*: ita docet D. Th. 2. 1. quæst. 37. huius partis. Deinde, diximus Christum fuisse passum ex motiuo virtutis obedientiæ, iuxta illud Pauli ad Philippenses 2. *Factus obediens vsque ad mortem*. Tertio, non potuit natura humana Christi sibi ipsi esse regula agendorum; hoc enim competit soli Deo, in quo regula, regulans, & regulatum, nulla ratione distinguntur inter se realiter, aut formaliter, sed ratione sola ratiocinata. Quartò negari nequit quin humana Christi natura fuerit subdita legi naturali; hæc quippe comprehendit omnes omnino creaturas rationales, & quidem ex æquo.

Christus fuit subditus alicui legi.

Philipp. 2.

Adde tamen Christum, etiam secundum humanam naturam consideratum, nulli planè legi humanæ fuisse subditum: extitit quippe Christus secundum humanam naturam consideratus, caput omnium hominum & Angelorum. Deinde constitutus est iudex omnium viuorum, & mortuorum, Actuum 10. Imò Ioannis 5. dicitur. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.*

Nulli humana legi fuit subditus Christ.

Act. 10.

Ioan. 5.

Denique, nihil est in naturæ vniuersitate, vel fuit, vel futurum est, quod non subijciatur imperio, & dominio Christi, ex illo Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & Hebræorum 1. *Quem constituit hæredem vniuersorum, per quē fecit, & sęcula*: ità cōmuniter interpretes D. Tho. locis proximè citatis. Neque refert quod dicitur Matth. capit. 17. Christum soluisse didragma pro se & pro suis Apostolis; hoc enim fuit ab eo factitatum non ex debito, aut obligatione aliqua, sed ne præberet occasionem scandali Iudæis, & alijs Gentilibus, vt dicitur ibidem.

Matth. 11.

Hebr. 1.

Matth. 17.

Quare didragma soluerit Christus.

Ex istis colligo, Christum non fuisse subditum legi Mosaïcæ, minus legi Euangelicæ: ratio prioris est, quia lex Mosaïca præsupponit in suis subditis peccatum, vt constat ex capite 17. Geneseos; *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo*; Nam circumcisio fuit introducta ad deletionem peccati originalis, peccatum autem hoc, neque aliquod aliud, potuit habere locum in humana Christi natura. De lege verò Euangelica manifestè hoc innotescit, ex eo quod quilibet princeps sit solutus à legibus proprijs, omnium planè consensu.

Corollarium, non fuisse Christum subditum legi Mosaïcæ.

Genes. 17.

Obijcies, Christum sustinuisse circumcisionem in proprio corpore: oblatum præterea fuisse in templo Salomonis post tempus purificationis diuæ Virginis, ac proinde ex præscripto legis Mosaïcæ; Agnum Paschalem item comedisse, & ceteras cęremonias legis Mosaïcę retinuisse.

Obiectio.

Resp. hæc omnia fuisse obseruata à Christo propter cęlo causas, quas refert Diuus Thomas artic. 1. quæstione 37. huius partis; non autem ex debito, aut obligatione aliqua: qua etiam ratione explicabis caput 5. Matthæi: maxime verò verba ista; *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Libere namque seipsum obstrinxit ad istarum cęremoniarum, seu legum obseruationem, non autem quod ad hoc teneretur, aliquo iure.

Cur legi Mosaicæ obtęperauerit Christ⁹.

Matth. 5.

QVÆSTIO XXI.

De Oratione Christi.

ARTICVLO 1. docet Christum orasse de facto.

ARTICVLO 2. Orationem istam fuisse factam à Christo non per voluntatem sensilem, sed rationalem.

ARTICVLO 3. Tradit Christum orasse pro seipso, interdum verò pro nobis.

ARTICVLO VLTIMO, docet orationem Christi aliàs extitisse efficacem, aliàs verò inefficacem & conditionatam.

Circa istos articulos obseruandum est 1. *Orationem definiri mentis elenationem in Deum à voluntate imperatam*: ità D. Th. 2. 2. q. 83. Diuiditur autem hæc, in petitionem, gratiarū actionem, & contemplationem; de duabus postremis nihil differit hoc loco D. Th. sed tantum de petitione, quæ censetur esse actus intellectus imperatus à voluntate, dependenter à virtute religionis, per quem petitus à Deo, quę non habemus, & speramus ab eodem nos ea esse consequuturos.

Oratio quid Diuisio orationis.

Secundum obseruandū est, *Christum verè orasse in hac vita mortali, & pro nobis, & pro seipso*, vt constat ex capite 26. Matth. *Transeat à me calix iste*. Et Ioannis 11. orat enim illic pro suscitatione Lazari, & Hebræorum 5. & 10. Orationes autem istę fuerunt interdum efficaces, qualis est ea quæ traditur à Ioanne 17. *Pater clarifica filium tuum*: Hęc enim iudicio D. P. August. tract. 104. in Ioannem, censetur esse efficacissima; alię verò fuerunt inefficaces, vt ea quę habetur Lucæ 22. *Pater, si possibile est &c.*

Christus verè orauit.

Matth. 26.

Ioan. 11.

Heb. 5.

Ioan. 17.

D. Aug.

Lucæ 22.

Tertium obseruandum est, *Christum non minus orare in cœlis formando voces significantes necessitates nostras, quàm de facto orauerit in hac vita constitutus*, quod est annotandum contra plerosque Recentiores, Gabrielem Vazquezium, disputatione 82. & alios: putant enim isti Christū constitutum in dextera Patris orare pro nobis, hoc solo nomine, quod se præsentem constituat ante Patrem, commemorando & merita in hac vita mortali facta, & ostendendo cicatrices sui corporis, non au-

Orat Christus in cœlo.

Ex Gab. Vazq. & Rother. opinione nō proprie orat Christus. Fundamēta Vazq.

Digitized by Google

tem quod verbis exprimat neceſſitates noſtras Deo. Probant ex varijs, & diuerſis locis ſanctorum Patrum.

Deinde, quia putant meritum eſſe coniunctum cum oratione, vt nequeat hoc ab oratione ſeparari, ac proinde orare contendunt pertinere tantum ad viatorem, ſaltem cum merito.

Contrarium amplectitur.

Ceterùm opinio contraria eſt probabilior: ità enim loquitur Paulus de Chriſto, Hebræorum 7. *Accedens per ſemetipſum ad interpellandum pro nobis,* Hebr. 7. 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ad Rom. 8. *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus, Spiritus eſt qui interpellat pro nobis*: ergo ſi Spiritus ſanctus facit nos interpellare, quare non habebit hic eumdem effectum in humana Chriſti natura, cùm hæc ſit eiuſdem planè rationis cum noſtra? & Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Ioan. 14.

2. Probatio.

Deinde, hæc eſt mens SS. Patrum, D. Auguſtini in Pſal. 85. ad hæc verba, *Quoniam ad te clamauí. Caput*, inquit, *noſtrum*, ſcilicet Chriſtus, *ad dexteram Patris interpellat pro nobis.* Et paulo ante finem, aſſerit de eodem quòd oret in cœlis, illo eodem modo quo Martyres. *Omnes*, inquit, *Martyres qui cum illo ſunt interpellant pro nobis, non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter: cum autem tranſierit gemitus noſter, omnes vna voce in vno populo, in vna patria conſolabimur.* Et in Pſal. 29. præfatione in enarrationem 2. *Si Diuinitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti conſideres, quis orat? ad quem orat? quare orat? orat Deus, orat ad æqualem. Cauſam autem orandi quam habet, ſemper beatus, ſemper omnipotens, ſemper incommutabilis, æternus, & patri coæternus?* Et paucis interiectis, *Huc vſque dicentes non inuenimus orationem, nec cauſam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi.* Ioann. 1. *Sed quoniam paulo poſt dicit. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, habes maieſtatem ad quam ores, habes humanitatem, quæ pro te oret; nam hoc dictũ eſt ab Apoſtolo, etiam poſt reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui ſedet*, inquit, *ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et Ambroſij ad idem cap. 8. Bernardi, & Iuſtini Martyris quæſt. 114. Rom. 8. Ambroſ. Bernard. Iuſtin.

3. probatio.

Tertiò, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus Chriſtum in cœlis conſtitutum non orare pro nobis, hæc maximè eſſet, quæ redditur ab auctoribus contrariæ ſententiæ, nempe vel vnio hypoſtatica, vel beatitudo, vel denique quòd oratio ſit coniuncta cum merito; at nullum ex iſtis impedire poteſt, ne Chriſtus oret in cœlis: nam conſtitutus in hac vita ſemper fuit & beatus, & vnitus hypoſtaticè Verbo, & tamen orauit proprie nedum pro nobis, ſed etiam pro ſeipſo: ergo illa non obſtant quominus valeat orare in cœlis.

Deinde, falſum eſt meritum eſſe neceſſariò coniunctum cum oratione: ſancti quippe orant in cœlis pro nobis, vt docet fides Catholica, & tamen non merentur per huiuſmodi orationes: diues item Epulo orat pro fratribus exiſtentibus in hac vita mortali, *Luc.* 16. & tamen oratio iſtius non fuit meritoria, neque item demeritoria.

Denique, orare eſt actus per ſe, & ſua natura honeſtus & exercetur dependenter à virtute religionis; quare ergo hic negabitur in Chriſto?

Satisfit rat. contrarijs.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. Patres non negare ſimpliciter Chriſtum orare pro nobis in cœlis; ſed tantùm per merita in hac vita facta: ità vt velint orationes Chriſti, quas habet in cœlis, nulla ratione eſſe meritorias, ſed vendicare tantum ſibi præmia debita meritis Chriſti in hac vita factis.

Secundò reſp. negare Patres Chriſtum orare in cœlis per actiones aliquas ex ſe, & ſua natura ſeruiles, quales ſunt tunſio pectoris, incuruatio, genuflexio, manuum eleuatio, & coniunctio, & ſimiles: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt formet verè voces aliquas, quibus neceſſitates noſtras explicat Deo Patri, non minus quàm præſtiterit dum eſſet in hac vita mortali. *Exponitur modus loquendi ſanctorum PP. de oratione Chriſti.*

Ad 2. falſum eſſe meritum conſequi orationem neceſſariò, ſed tantùm reſpectu viatoris.

QVÆSTIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti.

ARTICVLVS PRIMVS.

An conueniat Chriſto eſſe Sacerdotem.

CIRCA hunc articulum explicanda eſt hæc

DVBITATIO.

An Chriſtus ſit propriè Sacerdos & victima reſpectu ſacrificij Crucis.

VT autem res hæc faciliùs intelligatur, obſeruandum eſt ſacrificium interdum propriè, aliàs verò improprie vſurpari; ac conſequenter illud idem dicendum eſt de ſacerdote & ſacerdotio: priori modo ſacrificium cenſetur eſſe. *Oblatio ritu myſtico conſecrata, ſoli Deo oblata, à perſona publica, ad noſtræ infirmitatis teſtificationem & diuinæ maieſtatis proteſtationem.* Ità D. Thom. in 2. 2. quæſt. 85. Poſteriori vero modo, ſacrificium cenſetur eſſe oblatio cuiuſlibet rei facta à Deo: iuxta hanc ſignificationem actus contritionis nominatur ſacrificium, Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Mors Martyrum, Sapient. 3. *Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos:* iuxta hanc eandem ſignificationem quilibet Chriſtianus dicitur ſacerdos 1. Petri cap. 1 & in ſacra Apocalypſi: quilibet enim Chriſtianus, & actum contritionis, & gratiarum actiones poteſt offerre Deo in odorem ſuauitatis; vnde & ſacrificare improprie. Quærimus ergo hoc loco, an Chriſtus fuerit vere, & proprie ſacerdos, vſurpando ſacrificium, & ſacerdotium in prima ſignificatione. *Bifariam ſumitur ſacrificium: ità ſacerdos & ſacerdotium.* D. Thom. Pſal. 50. Sapien. 3. 1. Petr. 1.

CONCLVSIO 1. *Chriſtus reſpectu ſacrificij quod perfecit in ara Crucis, fuit verus & proprie dictus ſacerdos.* Primùm, quia ad hoc vt aliquis dicatur verus ſacerdos, requiritur vt ſit mediator inter Deum & populum, vt fundat preces pro delictis populi, & denique vt offerat hoſtiam vere ſenſilem, ritu myſtico conſecratam, in agnitionem ſupremi dominij, quod Deus habet in omnem omnino creaturam, vt colligitur ex Paulo ad Hebræos cap. 5. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Conditiones iſtæ omnes colliguntur item *Chriſtus fuit in cruce verus ſacerdos. Probatio 1.* Hebr. 5.

ex definitione aſſignata ſacrificij propriè dicti : at certum eſt conditiones iſtas omnes recte conuenire Chriſto, reſpectu victimæ oblatæ in ara crucis, dicitur enim 1. Timothei cap. 2. de Chriſto. *Quod ſit mediator Dei, & hominum:* & 1. Ioannis 2. *Quod ſit propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & totius mundi :* idque per meritum ſuæ paſſionis, ex Paulo ad Hebræos 10. ità enim loquitur illic de paſſione Chriſti ; *Vnica oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos* : ergo proprie fuit Sacerdos.

1. Timoth. 2.
1. Ioan. 2.
Hebr. 10.

2. Deinde, ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Qui peccatum non nouit, peccatum fecit pro nobis :* id eſt ſacrificium pro peccatis : at ſacrificium hoc nullum fuit aliud à ſacrificio crucis Chriſti.

2.Cor.5.

3. Tertiò, cap. 4. 5. 7. & 8. epiſt. ad Hebræos, docet Paulus Chriſtum eſſe ſacerdotem, itémque eius ſacerdotium & ſacrificium multis partibus eſſe perfectiora, & præſtantiora ſacrificijs legis naturalis, & Moſaïcæ : extitiſſe autem ſacerdotes in antiqua lege proprie dictos, & obtuliſſe ſacrificia proprie dicta, nullus ambigit.

Ad Hebr.

4. Quartò, hæc eſt expreſſa ſententia Patrum, Auguſtin. in illa verba, Pſal. 64. *Et impietatibus noſtris tu propitiaberis. Tu ſacerdos*, inquit, *tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipſe ſacerdos eſt, qui nunc ingreſſus interiora veli, ſolus ibi ex his qui guſtauerunt interpellat pro nobis:* & aliorũ interp. epiſt. Pauli ad Hebr.

Auguſt.

Secundum humanam naturã fuit Chriſtus in cruce ſacerdos.

CONCLVSIO 2. *Chriſtus fuit ſacerdos reſpectu hoſtiæ crucis, non ſecundum diuinam naturam, ſed tantum ſecundum humanam ſpecificatiuè conſideratam ſeu, quod idem eſt, vt hic homo.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. in hac quæſt. & omnium interpretum eiuſdem ibidem.

2. probatio.

Deinde, hoc idem colligitur ex cap. 2. prioris ad Timotheum. *Vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus* : nam particula iſta, *homo Chriſtus Ieſus*, ideò fuit à Paulo addita ex obſeruatione D. Auguſt. lib. 2. de peccato orig. vt omnibus innoteſceret Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis, non ſecundum diuinam naturam præciſe ſpectatam, ſed ſecundum humanam, vnitam tamen hypoſtaſi diuinę : diximus enim dignitatem meritorum Chriſti repetendam eſſe ex dignitate perſonæ Verbi in genere moris.

1. Timoth. 2.
D.Auguſt.

3. Tertio. Idem Patres docent, Ambroſ. 3. de fide ad Gratianum cap. 5. ità enim loquitur de Chriſto. *Idem ergo Sacerdos & hoſtia, & ſacerdotium; tamen & ſacrificium humanæ conditionis officium eſt:* & Hieronym. in Pſal. 109. ad hæc verba ; *Tu es ſacerdos in æternum* : & Fulgent de fide ad Petrum cap. 3. & D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 3. & Chryſoſt. homilia 13. ad hæc verba. *Ad interpellandum pro nobis* .

3.
Ambroſ.
Hieronym
Fulgent.
Auguſt.
Chryſoſt.

Probat. à ratione 1.

Accedit ratio 1. fieri non poteſt vt vnus, & idem officio fungatur ſacerdotis apud ſemetipſum; ſacrificium quippe ordinatur ad proteſtationem ſupremi dominij, quod Deus habet in res omnes, & ad teſtificationem infirmitatis, quæ datur in illis pro quibus ſacrificium offertur, ob quod ſacerdos dicitur eſſe mediator inter Deum, & populum ; at diuinitas Chriſti eſt id cui offertur ſacrificium: ergo hæc, vt ſic, nequit habere rationem ſacrificantis, ac proinde neque ſacerdotis. Deinde non poſſumus explicare quę ſit ea actio per quam diuina natura ſacrificauerit, ſi ſpectetur diuinitas Chriſti reduplicatiue. 3. de ratione ſacerdotis vt ſic, eſt ſacrificare : at diximus Chriſtum præciſe conſideratum non poſſe ſacrificare; quia perſona ſacrificantis, & perſona cui ſacrificatur debent eſſe inter ſe diſtinctę, nedum in ratione perſonæ, ſed etiam in ratione naturæ.

2.
3.

Specificatiue ſumpta natura human. Chriſti habuit rationem ſacerdotis.

Quod autem natura humana Chriſti ſpecificatiue conſiderata rationem ſacerdotis conſequatur, non autem ſpectata, vt ſeparata à Verbo docent Patres proximè citati, Chryſoſt. & prętereà Theophylactus ad caput primum prioris ad Timotheum ad hæc verba : *Mediator Dei, & hominum :* & D. Thom. quęſt. 26. huius partis, artic. 1. Bonauentura, Richardus, Gabriel, in 3. diſt. 29. Durand. quæſt. 2. & Recentiores.

Obiectio.

Obiicies, Cyrillum Hieroſolymitanum catechęſi 11. ſub initium, affirmare dignitatem ſacerdotii ſemper fuiſſe coniunctam cum Chriſto.

Reſponſio.

Reſp. particulam (ſemper) non ſignificare eo in loco æternitatem, ſed tantum totum illud tempus in quo humanitas Chriſti fuit vnita diuino Verbo; ità vt velit ab eo inſtanti temporis, quo ità fuit vnita, dignitatem ſacerdotalem extitiſſe coniunctam cum humana Chriſti natura, non autem ex omni æternitate.

Sacerdotiũ Chriſtiano eſt ſacerdotiũ nouæ legis nec Moſaïcæ, nec naturalis.

CONCLVSIO VLTIMA. *Sacerdotium Chriſti, non fuit ſacerdotium nouæ legis* (loquimur quippe de ſacerdotio reſpectu ſacrificii crucis) *neque item legis Moſaïcæ, nec denique legis naturalis, ſed nobilius, & perfectius iſtis omnibus.* Prima pars concluſionis probatur ex eo quod ſacrificium crucis fuit vtile exiſtentibus in lege naturali, Moſaïca, & Catholica, omnium plane conſenſione, & colligitur euidenter ex illo Pauli. *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos:* locus namque hic explicatur de ſacrificio peracto in ara crucis à Chriſto.

Hebr. 10.

2. probatio.

Deinde, ſacrificium legis Euangelicæ, cenſetur eſſe ſacrificium Miſſę, quòd vendicet ſibi rationem ſacrificij proprie dicti ; vt definiuit Tridentinum ſeſſ. 22. can. 1. & 2. ſacrificium autem crucis fuit commune & legi gratiæ & Moſaïcæ, & naturali.

Tertiò, ſacrificium nouæ legis eſt incruentum, & ſecundum ordinem Melchiſedech, vt docet fides Catholica; ſacrificium autem crucis extitit cruentum: ità communiter omnes hoc loco.

Probatio 2. partis.

Secunda verò pars probatur ex eo quod omne ſacrificium legis Moſaïcæ fuerit vel holocauſtum, vel hoſtia pacifica, vel denique hoſtia pro peccatis: at ſacrificium crucis Chriſti nullum ex iſtis extitit : nam holocauſtum poſtulabat vt tota victima combureretur ; hoſtia verò pacifica, & pro peccatis exigebant vt aliqua pars victimæ combureretur ; nulla autem pars corporis Chriſti fuit igne abſumpta in cruce. Denique ſacrificia iſta potuerunt offerri à ſolis poſteris Leui, vt conſtat ex cap. 26. Exod. ex cap. 3. Leuitic. at Chriſtus non fuit ex tribu Leui, ſaltem ſecundum lineam maſculinam, ſed ex tribu Iuda, ex cap. 1. Matth.

Exod. 29.
Leuit. 3.
Matth. 1.

Obiectio.

Dices, Chriſtum extitiſſe ſacerdotem legalem tantùm ; quia dicitur Malachiæ cap. 2. ſacerdotibus ſolis licitum fuiſſe docere populum. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & populus exquiret eam de ore eius :* tum quia Chriſtus traxit originem ſecundum carnem ex ſtirpe Leui, vt colligitur ex cap. 1. Luc. vbi Elizabeth dicitur, *Cognata diuæ Virginis.*

Malach. 2.
Luc 1.

Reſponſio.

Reſpondeo, negando antecedens, Ad 1. autem probationem licitum fuiſſe in lege Moſaïca ſolis ſacerdotibus docere populum in templo Salomonis; extra verò templum hoc liberum fuit nedum ſacerdotibus; ſed etiam alijs, de lege Iudaica bene

bene meritis; vt manifeſtè colligitur ex cap. 13. 14. & 17. Actuum. Paulus enim qui nunquam fuit in numero ſacerdotum populi Iudaïci, dicitur docuiſſe in ſynagogis Iudæorum. Deinde potuit Chriſtus docere, & in templo Salomonis, & in quolibet alio loco; non ex eo capite quod fuerit ſacerdos legalis, ſed mediator, & redemptor hominum, lege & ordinatione diuina ſibi in particulari poſita. Ad 1. probationem dico, Chriſtum ſecundum lineam maſculinam habuiſſe ortum à tribu Iuda, non autem Leui; ſed tantùm per lineam femininam, & hoc colligitur tantùm ex loco Luc; alioquin ſacerdotium autem legale fuit debitum deſcendentibus à Leui, non ſecundum lineam femininam, ſed maſculinam.

Act. 13. 14. & 17.

Tertia denique pars probatur. Hoſtia in lege naturali fuit libera, non minùs quàm ſacramenta, vt fatentur communiter omnes in tractatione de ſacramentis: atqui non fuit liberum Chriſto eligere quamcumque voluerit hoſtiam reſpectu ſacrificij crucis; ſed debuit ſeipſum offerre ex præcepto ſibi impoſito à Patre: ergo ſacrificium crucis non fuit ſacrificium legis naturalis: ità docent omnes cum D. Thom. hoc loco. Neque refert, quòd Chriſtus dicatur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit ſacerdos legis naturalis; nam hæc non ſunt intelligenda de Chriſto reſpectu ſacrificij crucis, ſed reſpectu ſacrificij Miſſæ, vt docent omnes in tractatione de eodem ſacrificio. Quod autem ſacrificium crucis extiterit præſtantius ſacrificijs legis naturalis, Moſaïcæ & gratiæ ex eo innoteſcit, quòd ſacrificia iſta omnem vim quam habuerunt conſequuta ſunt à ſacrificio crucis Chriſti, ex Paulo ad Hebræos 10. *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.* Vbi loquitur de ſacrificio crucis Chriſti. Lege auctores proximè citatos, & Medinam ad hanc quæſt. D. Thom.

3. partis probatio.

Hebr. 10.

Humana Chriſti natura fuit victima.

Articvlo 2. docet humanam Chriſti naturam fuiſſe victimam oblatam à Chriſto in cruce, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio: dicitur enim Hebræorum cap. 7. *Hoc fecit ſemel*, ſcilicet Chriſtus, *ſeipſum offerendo*: & cap. 9. *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis:* & cap. 5. ad Epheſios; *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

Hebr. 7. & 9.

Epheſ. 5.

Deinde, hoſtia oblata Deo in ara crucis fuit ei magis grata, quàm ingratum extiterit peccatum primorum parentum & ſucceſſorum eorumdem, ex illo Pauli ad Romanos 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: dependenter ſcilicet à meritis Chriſti: ergo hoſtia oblata in ara crucis fuit humana Chriſti natura: hæc enim ſola hactenus fuit vnita perſonæ diuinæ hypoſtaticè; ac proinde ſola quoque habuit tantam dignitatem, quanta datur in perſona offenſa à nobis, & à primis parentibus. Confirmatur. Satisfactio Chriſti, cenſetur eſſe de toto rigore condignitatis: ergo cum hæc peracta fuerit in ſacrificio crucis, hoſtia oblata, debuit eſſe humana Chriſti natura.

Rom. 5.

Obiectio.

Dices, ſi Chriſtus habuit rationem hoſtiæ in ſacrificio crucis, ſequeretur hominem aliquem poſſe offerri Deo in ſacrificium.

Reſponſio.

Reſp. negando illationem; oblationes quippe iſtæ verantur à Deo opt. max. Deuter. 12. *Non facies*, inquit Moyſes, *Deo tuo abominationes omnes quas gentes faciunt, dijs ſuis ſacrificantes filios, & filias ſuas in igne.* Deinde, hoc idem colligitur ex Dauide Pſal. 105. *Effuderunt ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum quos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.* Item prohibet Deus Exod. 20. homicidium. 3. ſi ex hominibus aliquis offerretur Deo tanquã victima, hic vel eſſet innocens, vel nocens: neque enim datur inter homines aliquis qui non ſit bonus, vel malus; atqui prohibet Deus occiſionem innocentis, vt conſtat ex loco Dauidis proximè cit. & ex 20. capite Exod. ſi autẽ fuerit nocens, hoſtia hæc non eſſet Deo grata; *Odio*, quippe, *eſt Deo impius, & eius impietas*, Oſeæ 13.

Deuter. 12

Pſal. 105.

Exod. 20.

Oſeæ 13.

Inſtabis, Chriſtum fuiſſe de facto immolatum in ara crucis: Abrahamum item voluiſſe immolare proprium filium, Geneſ. 22. imò Iephte de facto filiam ſuam Deo obtulit, tanquam hoſtiam. Reſp. ideò Chriſtum obtuliſſe ſeipſum Deo, quod ſibi impoſitum fuiſſet præceptum de hac re à Patre: idem dicendum eſt de Abrahamo reſpectu filij ſui; vnde ſi Deus imponeret ſimilia præcepta eſſent, hæc executioni demandanda; cùm habeat pleniſſimum dominium in quaſlibet res creatas; quare poteſt obligare hominem ad mortem ſubeundam, quandocumque voluerit, & eo modo quo voluerit; extra tamen præceptum hoc, nefas eſt immolare vllam creaturam rationalem Deo.

Inſtantia.

Geneſ. 22. Iudic 11.

Reſponſio.

Ad factum autem Iephte, reſpondet Hieronymus ad locum proximè citatum Iudicum, votum emiſſum à Iephte, pro eo tempore quo fuit emiſſum extitiſſe deordinatum, fatuum & ſtultum, pro eo vero tempore quo fuit adimpletum, impium.

Dices, Apoſtolum cap. 11. epiſt. ad Hebræos computare inter ſanctos Iephte. Reſpondeo, hoc eſſe verum, ceterùm non ex eo capite, quod filiam ſacrificauerit; hac quippe in re verè homicidium commiſit, ſed quia credidit fide formata in Chriſtum, & in alijs ſuis actionibus charitatem retinuit, meliori modo, quo potuit.

Obiectio.

Reſponſio.

Obijcies, Chriſtum non mactaſſe ſeipſum in cruce. Reſp. non occidiſſe Chriſtum ſeipſum concurrendo effectiuè ad ſuam mortem, ſed tantùm acceptando liberè mortem ſibi illatam à Iudæis, & præterea offerendo ſeipſum in redemptionem generis humani, propter præceptum ſibi impoſitum à Patre: ex quo colliges mortem Martyrum non poſſe dici ſacrificium, licet mors Chriſti rationem ſacrificij vere ſit conſequuta: nam ſancti Martyres acceptarunt tantum mortem ſibi illatã in odiũ Chriſti, eam tamen nõ ordinarunt ad generis humani reparationem, aut etiam ad Deum placandum ex vi alicuius præcepti ſibi ab ipſo impoſiti, quare nec morte huiuſmodi coluerunt Deum ex affectu latriæ, quę tamen omnia præſtitit Chriſtus, vnde etiam mors eiuſdem cenſetur verum ſacrificium.

Qua ratione Chriſtus ſeipſum ſacrificauerit.

Articvlo 3. docet ſacrificium Chriſti expiaſſe peccata, hoc autem venit intelligendum de ſacrificio crucis.

Nullũ ſibi commodum comparauit Chriſtus ex ſacrificio crucis.

Articvlo 4. Chriſtum nullum conſequutum fuiſſe commodum ex ſacrificio quod obtulit in ara crucis, de qua re nulli licet dubitare, res quippe hæc definita fuit in 1. Synodo Epheſin. referente D. Thom. hoc loco, in argumento, ſed contrà: *Si quis*, inquit, *dixerit Chriſtum pro ſe obtuliſſe oblationem, & non magis pro nobis ſolum, anathema ſit:* ex quibus verbis colligitur ſacrificium crucis Chriſti profuiſſe nobis, non autem Chriſto.

Digitized by Google

Hebr. 7. Deinde, idem colligitur ex cap. 7. epiſt. ad Hebræos. *Decebat*, inquit, *vt eſſet talis nobis pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, qui non habet neceſſitatem, &c.* imò in hac eadem epiſt. dicitur Chriſtum non obtuliſſe ſacrificium ad modum ſacerdotum veteris legis; iſti enim debuerunt primum offerre pro peccatis proprijs, deinde pro culpis populi: Chriſtus autem obtulit tantum ſacrificium pro peccatis noſtris.

Theophyl. Chryſoſt. Euthym. Cyrill. Tertiò, ità docent Theophylactus, Chryſoſt. & Euthymius ad cap. 13. Ioannis ad hæc verba: *Pro illis ſanctifico meipſum.* j. ſacrifico, explicant Patres iſti, & item Cyrill. Alexandrinus ad caput 12. Ioannis.

Denique, effectus præcipui ſacrificij ſunt remittere peccata, & placare Deum offenſum propter huiuſmodi peccata, vt obſeruant interpretes D. Thom. hoc loco: at Chriſtus nec peccatum habuit, nec habere potuit, vt in ſuperioribus oſtendimus: certum eſt etiam Chriſtum nunquam fuiſſe ingratum Deo: dicitur etiam Luc. 9. & Matth. 3. de eo à patre. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite.*

Luc. 9. Matth. 3.

Obiectio. Obiicies, de fide eſſe Chriſtum ſua morte meruiſſe ſibi nominis exaltationem, & ſui corporis glorificationem, ad Philippenſes 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum:* ergo falſum eſt Chriſtum non fuiſſe conſequutum commodum aliquod ex ſacrificio quod obtulit in ara crucis.

Philip. 2.

Reſponſio. Mors Chriſti ſpectatur & in ratione ſacrificij & operis meritorij. Reſpondeo, ſacrificium Chriſti ſpectari, vel potius mortem eiuſdem, & in ratione ſacrificij, & in ratione operis meritorij: priori modo, contendit D. Thom. ſacrificium Chriſti non fuiſſe vtile ipſi Chriſto; ſed tantum nobis: nam Deus erat nobis infenſus, & iratus propter peccata à nobis commiſſa, minime verò Chriſto, in quo culpa nullum plane potuit habere locum, ac proinde neque potuit ipſi vtile eſſe ſacrificiũ: in ratione verò operis meritorij, paſſio, ſeu ſacrificium Chriſti fuit vtile ipſi, quod probatur tantùm teſtimonio Pauli adducto.

Sacrificium Chriſti eſt æternum. Pſal. 109. ARTICVLO 5. docet ſacrificium Chriſti eſſe æternum, de qua re nulli licet dubitare; dicitur enim Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum:* & idem repetitur in epiſt. ad Hebræos, loco proximè citato.

Dubitatur autem, *Vtrùm nam æternitas iſtius ſacrificij ſit reputenda.*

Variè opinantur doctores de æternitate ſacrificij. Sunt qui dicant, propterea ſacrificium Chriſti eſſe æternum, quia gratia & gloria quæ dantur in prædeſtinatis, dependenter à dignitate iſtius ſacrificij, ſint in prædeſtinatis æterna.

Ideo æternũ ſacrificium Chriſti, quia manſurum ſecundum exiſtentiam moralem. Alij verò putant refundendam eſſe æternitatem iſtam in vnionem hypoſtaticam, quæ vere æterna eſt à parte poſteriori, idque quod conferat omnem dignitatem iſti ſacrificio.

Alii, ex eo quòd ſacrificium hoc ſucceſſerit ſacrificijs legis naturalis & Moſaïcæ; ſacrificio autem iſti nullum aliud plane ſacrificium ſuccedet.

Ceterùm rectius illi, qui putant propterea ſacrificium Chriſti eſſe æternum, quia licet hoc deſierit eſſe ſecundum ſuam entitatem phyſicam & realem, manet tamen & manebit in æternum ſecundum exiſtentiam moralem: ità plerique Recent. hoc loco.

ARTICVLO VLTIMO, docet ſacrificium Chriſti fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, & quidem ex eo capite, quod ſacrificium Melchiſedech extiterit figura ſacrificij Chriſti, vt obſeruant interpretes D. Thom. hoc loco: qua de re vbi de ſacrificio Miſſæ, agetur.

Diſputant aliqui hoc loco, de poteſtate regia Chriſti, ceterum de hac re lege Suarem diſp. 48. ſect. 1. & 2. vel Vazquezium 87. vel Mendoſam in quæſtione quodlibetica de regno Chriſti.

QVÆSTIO XXIII.

De adoptione Chriſti.

Deo conuenit adoptare. ARTICVLO 1. *Docet conuenire magis Deo, quàm homini adoptare ſibi filios:* vt autem res hæc facilius intelligatur,

Adoptio bifariam ſumitur in cõmuni, & vt fit apud homines. Obſeruandum eſt, adoptionem ſumi in communi, & vt fit apud homines: priori modo definitur, aſſumptio, ſeu acceptatio perſonę extrancę ad hereditatem, ad quam nullum antea habebat ius; poſteriori verò modo, cenſetur eſſe acceptatio perſonæ extraneæ, ad hereditatem ad quam nullum habuit anteà ius, ità tamen vt perſona adoptata, ſit eiuſdem ſpeciei cum perſona adoptante. Per particulam iſtam poſtremam, ſeparatur adoptio prout fit apud homines, ab adoptione in communi ſumpta: nam ſi Angelus haberet hereditatem ſibi propriam, poſſet adoptare ad iſtam, hominem, vel aliam creaturam rationalem, ſi daretur, diuerſam ab homine, & Angelo. Deinde, Deus eſt perſona omnino diſtincta ab homine & Angelo, & tamen Deus adoptauit ſibi homines, & Angelos tanquam filios, vt probabitur artic. 3. Apud homines tamen nullus adoptatur, qui non ſit eiuſdem ſpeciei.

Conditiones adoptionis quatuor. Aduerte 2. conditiones neceſſarias ad adoptionem in communi ſumptam, & vt habet locum in particulari apud homines, poſtulare quatuor conditiones: prima eſt, vt adoptatus ſit perſona extranea, reſpectu adoptantis; filius quippe naturalis nequit adoptari, idque quod non ſit extraneus reſpectu parentis: imo hoc ipſo quod eſt filius, habet ius ad hereditatem paternam, adoptatus autem nullum habere debet ius ad hereditatem antequam adoptetur: vnde ſecunda conditio neceſſaria ad adoptionem cenſetur eſſe hæc, vt gratuito & liberaliter fiat ab adoptante. Tertia, vt accedat conſenſus adoptati, quare ſi hic fuerit in poteſtate patris, vel tutoris, deſideratur aſſenſus tutoris, vel parentis, & quia quilibet noſtrùm eſt in pleniſſimo dominio Dei, propter ſupremum ius quod Deus habet in omnem creaturam, ſuppleuit Deus conſenſum noſtrum, quando adoptauit nos ſibi in filios. Quarta & vltima cõditio dicitur eſſe, vt adoptio ordinetur, vel ad totam hereditatem, vel certe ad aliquam eius partem: ità docent omnes hoc loco, & in 3. diſt. 10. His ità conſtitutis probatur: *conuenire Deo adoptare ſibi filios.* Primùm, quia in ſacris litteris dicitur eos qui in Deum credunt & gratiam, & gloriam eiuſdem ſunt conſequuti, eſſe filios eiuſdem, Ioannis 1. *Poteſtatem dedit eis filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius:* & 1. Ioann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus,*

Probatio artic. Ioan. 1. Ioan. 1. c. 3.

Digitized by Google

Epheſ. 1. *Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus:* ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei.* Ad Rom. 8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed accepiſtis adoptionem filiorum Dei:* at certum eſt nos non eſſe filios Dei naturales: ergo ſumus tantum filij adoptiui.

2. Deinde, iuſtificatio, prædeſtinatio, & adoptio, ad vnum & idem planè ordinantur, ex communi doctrina Theologorum hoc loco; atqui certum eſt competere Deo prædeſtinare, & iuſtificare ex innumeris locis ſcripturæ ſacræ: ergo & adoptare.

3. Auguſt. Tertiò, hæc eſt ſententia Patrum, D. Auguſtin. lib. 3. contra litteras Petiliani, cap. 3. ait enim illic, dari duplicem adoptionem in nobis; alteram quæ conſequitur hanc vitam, in qua de facto gratiam Dei conſequimur & per quam habemus ius ad hereditatem æternam, licèt iure iſto fraudari poſſimus lapſu in peccatum mortale: altera verò contingit in alia vita, in qua ſperamus corporum reſurrectionem, & conſequemur vitam æternam in qua nullus peccare poterit.

Magis Deo conuenire adoptare, quam homini. Quod autem, *Magis conueniat Deo adoptare, quam homini, aliquos ſibi in filios*: colligitur ex eo manifeſtè, quòd qui adoptatur apud homines, acceptantur ad hereditatem, ceterùm conſequendam poſt mortem adoptantis, ſaltem vt plurimum. Deinde apud homines adoptamur tantum extrinſecè. Apud Deum verò adoptatus conſequitur hereditatem viuente adoptante, & adoptio iſta contingit intrinſecè: gratia enim & gloria, ad quam adoptamur recipitur intrinſecè in animę noſtrę eſſentia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum adoptare competat perſonis Trinitatis.

Adoptare toti Trinitati competit. RESPONDET, *Adoptare competere omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis*: & quidem verè; actiones quippe ad extra ſunt illis omnibus communes, vt eſt axioma vulgare Theologorum: adoptio verò cenſetur eſſe operatio Dei ad extra: diximus enim articulo proximè antecedente, adoptionem eſſe aſſumptionem, vel acceptationem ad hereditatem Dei, ad quam nullum habuit anteà ius creatura, ſcilicet rationalis, adoptata.

Obiectio. Dices, ſi ità res haberet, concedendum eſſet de omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, quòd eſſent Patres, reſpectu cuiuſlibet creaturæ adoptatę, ſicut quælibet ex iſtis dicitur filius adoptiuus.

Reſponſio. 10 pater dupliciter vſurpatur in diuinis. Reſp. nomen patris vſurpari duobus modis proprie, ſcilicet, & improprie; priori modo, nomine patris ſignificatur is qui habet in ſe paternitatem formaliter ſpectatam: poſteriori vero modo qui confert creaturæ rationali, vel eſſentiam, vel gratiam gratum facientem, vel denique gratiam & gloriam iuſtificantem: priori modo certum eſt perſonas omnes ſanctiſſimę Trinitatis, nec eſſe, nec poſſe eſſe patres; deſideratur ſiquidem ad hoc, vt is qui pater eſt, producat ſibi filium per generationem proprie dictam: at certum eſt, nec Filium, nec Spiritum ſanctum generare ſibi filios, vnde neque poſſunt dici patres, proprie loquendo cum careant paternitate proprie dicta: poſteriori modo quælibet ex perſonis iſtis poteſt dici pater, vt conſtat ex innumeris locis Scripturæ ſacrę, in quibus Deus dicitur pater creaturarum omnium, quia illis contulit eſſe per creationem: eâdem quoque ratione exiſtimandum eſt, iuſtificatos, prædeſtinatos, & adoptatos nuncupari filios Dei, improprie ſcilicet: nam proprie illi tantum dicuntur filij, qui conſequuntur ſuum eſſe à parente, per generationem proprie dictam, qualis non eſt iuſtificatio, prædeſtinatio, aut adoptio, reſpectu creaturæ rationalis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quibus conueniat adoptari.

Adoptari creaturæ rationali conuenit. RESPONDET, *Adoptari cõpetere ſolis creaturæ rationali*: & quidem optimè; cùm hæc ſola ſit capax gratię, & gloriæ æternæ. Deinde, Chriſtus cenſetur eſſe caput hominum, & Angelorum, itémque iudex eorumdem, ac proinde iſtis etiam conferet hereditatem æternam.

Obiectio. Dices, homines & Angelos non eſſe perſonas extraneas, reſpectu Dei, & prætereà conſequi iſtos omnes ſuum eſſe à Deo: ergo non poſſunt adoptari.

Reſponſio. Reſp. homines & Angelos, ſpectatos ſecundum perfectiones ſibi connaturales, non poſſe dici extraneos reſpectu Dei, cùm pendeant ab illo in eſſe, fieri, & conſeruari; ità vt Deus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſit in iſtis omnibus neceſſariò, ſuppoſita eorumdem exiſtentia; quare hac ratione Angeli, & homines non ſunt perſonæ extraneæ reſpectu Dei: ſi tamen conſiderentur ſecundum perfectiones ordinis ſupernaturalis, quæ dantur in illis, rectè dicuntur perſonæ extraneę, comparati cum Deo: is enim libere eos acceptat ad dona ſupernaturalia, qualia ſunt gratia & gloria.

Ad id verò quod dicitur, Angelos, & homines conſequi ſuum eſſe à Deo. Reſp. hoc eſſe verum, non tamen id contingit per generationem proprie dictam, ſed vel per creationem, vel dependenter à creatura aliqua, quæ poteſt generare, vel per mutationem, aut certe quibuſdam certis alijs modis, qui deficiunt à generatione proprie dicta: vnde poterunt homines & Angeli rectè adoptari in filios à Deo opt. max.

Corollarium. Ex iſtis colliges, Primùm, *Angelos nuncupari rectè filios Dei adoptiuos:* Iob quippe dicitur de iſtis. Iob. 38. *Cum veniſſent omnes filij Dei:* & cap. 38. *Cum iubilarent omnes filij Dei.* Deinde Luc. 15. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore penitentiam agente.* Luc. 15. Denique Angeli tam verè fuerunt creati in gratia gratum faciente, quàm primi parentes; vnde habuerunt ius ad vitam æternam conſequendam: ergo cum adoptio nihil aliud ſit quàm acceptatio ad gratiam, & gloriam facta gratuito, & liberaliter, Angeli rectè dicentur filij Dei adoptiui.

Obiectio. Obiicies, D. Paulum cap. 1. ad Hebræos, ità de Angelis loqui; *Ad quem Angelorum aliquando dixit filium meum es tu?* ergo. Hebr. 1. *Reſponſio.* Reſp. locum hunc intel-

by Google

ligendum esse de filio Dei naturali, vt manifeste colligitur ex verbis subsequentibus Pauli, non autem de filiis Dei adoptiuis, inter quos computandos esse Angelos contendimus.

Instantia. Instabis, Chrysostomum affirmare in certa quadam homilia Angelos nusquam nuncupari filios Dei in sacris litteris. *Respondetur.* Deceptum fuisse Chrysostomum lectione codicis omnino diuersi à codice editionis vulgatę, in hoc enim verbis expressis dicitur Angelos esse filios Dei, vt constat ex locis proxime citatis, ex lib. Iob.

Corollarium 2. Patres veteres esse filios adoptiuos. Colliges 2. *Patres veteris Testamenti computandos esse inter filios Dei adoptiuos:* ità enim loquitur Paulus cap. 9. ad Rom. de istis. *Quorum adoptio est filiorum Dei.* & cap. 4. ad Galatas, Patres isti vocantur hęredes.

Rom. 9. Galat. 4.

Neque refert quòd cap. 4. epist. ad Galatas dicatur, Christum venisse vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Minùs quoque obest quod Patres veteris Testamenti dicantur serui in sacris litteris, & denique quod lex Mosaïca neminem iustificauerit: Nam ex illo Pauli epist. ad Galatas citato, & ex eo quòd Patres isti dicantur serui solùm colligere licet adoptionem filiorum Dei non ità extitisse nobilem in patribus veteris Testamenti, sicut in filijs noui: nam patres antiqui fuerunt subditi iugo legis Mosaicæ.

Explicatur & soluuntur obiecta.

Deinde, qui moriebantur in lege Mosaïca in gratia, & in charitate non poterant consequi vitam æternam, sed descendebant ad limbos patrum, quatenus posita Christi morte, & Ascensione in cœlum eiusdem, cœlos repeterent: sectatores verò legis gratiæ nec legibus Mosaicis subijciuntur, nec adoptio vitæ æternæ eis statim à morte negatur, si tamen plenissime pro peccatis satisfecerint, sed statim vitam cõsequuntur æternã. Quare obseruandum est adoptionem filiorum Dei dicere latitudinem aliquam gradualem; maior namque est adoptio in nobis, quàm fuerit in Patribus legis naturalis, & Mosaïcæ.

Adoptio habet latitudinẽ gradualem.

Quod verò dicitur legem Mosaïcam neminem iustificasse, Resp. hoc esse verum ex se: fides tamen Christi venturi Patres veteris Testamenti eo tempore verè iustificauit; ac proinde quoque habuerunt ius ad vitam æternam, ceterum post Christi mortem consequendam de facto, non autem anteà, vt monuimus in antecedentibus.

Corollariũ 3. Reprobos iustificatos esse filios adoptiuos. Colliges 3. *Reprobos, iustificatos tamen, referendos esse inter filios Dei adoptiuos*: contra Almaïnum in 3. dist. 10. crediderunt enim isti in Deum vere, & præterea gratiam iustificantem sunt assequuti, vt supponimus. Deinde, hæc est sententia D. Augustini tractatu 5. in 1. Canonicam Ioannis. 3. opinio contraria videtur damnata in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. nam dicitur illic, anathema Ioanni Hus, ex eo capite quod affirmaret reprobum iustificatum non pertinere ad membra Christi.

D. Augustini. Constanti Concil. *Damnatur Hus.*

Obiectio. Responsio. Obiicit Almaïnus, Deum nolle dare vitam æternam reprobis etiam iustificatis. Resp. hoc esse falsum, si sermo sit de reprobis spectatis in ordine ad illud tempus in quo sunt in gratia, & in charitate; nam si ex hypothesi morerentur in gratia, & charitate, de facto consequerentur vitam æternam: finaliter tamen non vult Deus dare gloriam reprobis; quia nullus ex illis moritur in gratia & charitate, sed in peccato mortali, alioquin non essent reprobi.

Instantia. Instabis, D. Augustinum capite 9. lib. de dono perseuerantię, affirmare reprobos non esse filios Dei adoptiuos, etiam si supponamus istos agere in gratia, & in charitate. *Responsio.* Resp. D. Augustinum seipsum satis explicare; ait enim propterea reprobos iustificatos non computari inter filios Dei, quia, inquit, non perseuerant in bonis operibus ad vltimum vsque vitæ spiritum, sed tantùm interdum & aliquando; ac proinde pro eo, inquit, tempore quo piè operantur censentur esse filij Dei. *Exponitur mens D. Augustini.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Virum Christus, in quantum homo, sit filius Dei adoptiuus.

Hic articulus explicatur duabus conclusionibus.

Christus vt homo nõ est filius adoptiuus Dei. Conclvsio 1. *Citra manifestum errorem defendere non licet Christum in quantum hominem, seu, quod idem est, vt hominem esse filium Dei adoptiuum.* *Probat. 1.* Primum, quia propositio illa censetur erronea, quæ affertur contra modum loquendi scripturarum, & Patrum; atqui dicere Christum, vt hominem, esse filium Dei adoptiuum, est contra modum loquendi Scripturarum; Matthęi quippe 16. ad interrogationem istam. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* respondet Petrus Christo, qui interrogationem prędictam proposuerat; *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Patres item hac eadem ratione loquuntur de Christo, spectato vt homo est; ità Ambrosius lib. 1. de fide cap. 9. *Nos*, inquit, *filij per adoptionem, ille verò, scilicet Christus, per naturam.* Loquitur autem expresse de Christo, quatenus homo est: & lib. de sacramento Dominicæ incarn. cap. 8. & D. Augustin. epist. 102. & lib. contra Secundinum Manichęum, cap. 5. & lib. 3. contra Faustum cap. 5. ergo.

Matth. 16. Ambros. D. Augustin.

2. Deinde, opinio contraria fauet Arrianis, & Nestorianis; illis, quia crediderunt Christum, vt hominem, esse puram creaturam; istis vero quia putarunt dari in Christo duas personas diuinam, scilicet, & humanam; at neutrum ex istis affirmari potest sinè manifesto errore: ergo neque etiam fas erit dicere Christum, quatenus homo est, esse filium Dei adoptiuum.

3. Denique, Concilium Francofordiense dicit Anathema, itémque Adrianus Pontifex iis, qui affirmant Christum, quatenus homo est, esse filium Dei adoptiuum, non autem naturalem, saltem ex multorum opinione. Hæc conclusio est contra Durandum in 3. dist. 4. quæst. 1. quo loco quærit, an Christus possit dici filius Spiritus sancti.

Christus vt homo verè & propriè est filius Dei naturalis. Probat. 1. Conclvsio 2. *Christus, vt homo, est verè & propriè filius Dei naturalis.* Primùm, quia hoc colligitur ex innumeris locis Scripturæ sacræ; maximè verò ex loco proximè citato Matthęi 17. dicitur enim illic de Christo quatenus homo est. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite:* & ex cap. 21. *Forte verebuntur filium meum:* & ex cap. 8. Romanorum. *Non pepercit proprio filio, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* & Luc. 1. *Vocabitur filius Dei altissimi:* & Hebr. 1. *Nouissimè loquutus est nobis in filio:* & 12. ibid. *Ad quem Angelorum aliquando dixit, filius meus es tu, ego.*

Matth. 17. & 21. Roman. 8. Luc. 1. Hebr. 1.

Digitized by Google

ergo hodie genui te.

2. Deinde, ſancti Patres docent aliter nos eſſe filios Dei, aliter verò Chriſtum, ſpectatum vt hominem: ità Hieronymus, & Anſelmus ad caput primum epiſtol. ad Coloſſenſes, Cyrillus, primo de fide, ad Reginas, Adrianus Papa in epiſtol. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & denique Patres Concilij Francofordienſis: at certum eſt, nos eſſe tantùm filios Dei adoptiuos: ergo Chriſtus erit filius Dei naturalis, ex doctrina Patrum. Confirmatur ex illis locis in quibus dicitur: primogenitus mortuorum, Apocalypſis primo. *Primogenitus omnis creaturæ*: ad Coloſſenſes primo, & denique. *Primogenitus in multis fratribus*: ad Romanos, cap. 8. & item ex illis, in quibus dicitur vnigenitus, Ioannis 1. *Vidimus eum quaſi vnigenitum*: & Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: ergo cum Chriſtus, quatenus homo, ſit vnigenitus, aliter hic erit filius Dei, quàm nos.

Hieron. Anſelm. Cyrill. Adrian. *Concil. Francofurd.*

Confirmat. Apocal. 1. Coloſſ. 1. Rom. 8. Ioan. 1. & 3.

3. Tertiò, accedit ratio deſumpta ex D. Auguſtin. lib. 3. contra Fauſtum, capite 3. *Quòd*, inquit, *eſt filius per adoptionem prius eſt à parte rei & in ſe, quàm ſit filius adoptiuus, idque ad minus naturâ, ſi non tempore*: at in nullo planè inſtanti naturę priùs fuit Chriſtus, vt homo, quàm vt filius Dei; nam humana natura nunquam extitit verè ſeparata à Verbo, ſed fuit, in illo eodem inſtanti in quo producta eſt, diuino coniuncta Verbo.

D. Aug.

4. Quartò, natura non cenſetur filius, aut filiatio, vt docet D. Thom. articulo primo, quæſt. 35. huius partis: atqui in Chriſto vnicum tantùm extitit ſuppoſitum, de quo dicitur quòd ſit filius Dei, cùm formaliter in ſe habeat filiationem: ergo Chriſtus vt homo eſt Dei filius naturalis.

5. Denique, quod adoptatur, gratuitò & liberaliter acceptatur ad hereditatem æternam, vt monuimus articulo primo huius quæſt. atqui humana natura Chriſti non eſt acceptata gratuito ad hereditatem patris *: fuit namque hereditas iſta debita Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ: ergo erit Chriſtus in quantum homo filius Dei naturalis, non autem adoptiuus: ità Sententiarij in 3. diſtinct. 10. & interpretes D. Thom. ad hunc locum.

Particula, in quantum homo, non ſumitur reduplicatiuè.

Vt autem concluſio hæc faciliùs intelligatur, Obſeruandum eſt, particulam. *In quantum homo*, ſeu, *vt homo*: non eſſe vſurpandam reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè: nam certum eſt Chriſtum, quatenus homo eſt, reduplicatiuè ſumpta particula, non eſſe filium Dei naturalem; etenim ratio, propter quam Chriſtus eſt filius Dei naturalis, non eſt humana natura: alioquin vbicumque hæc poneretur, concedendum eſſet illic etiam dari filium naturalem, quod patet manifeſtè eſſe falſum in vnoquoque noſtrùm.

Deinde, tota ratio cur Chriſtus ſit filius Dei naturalis, hæc conſignatur ab omnibus; quia eſt genitus per æternam Patris generationem, & quia hæc eadem perſona ſubſiſtit in humana natura Chriſti per generationem temporalem, factam in vtero D. Virginis: ideò de hac quoque perſona, prout eſt vnita humanę naturæ, dicimus, quòd ſit filius Dei naturalis, quatenus ſubſiſtit in humana natura Chriſti; ac proinde particula (in quantum homo) ſeu (vt homo) ſumitur ſpecificatiue hoc in loco, qua ratione ſignificat humanam naturam coniunctam Verbo diuino, minime vero reduplicatiue, ob rationem allatam.

Filiatio naturalis Dei habet pro fundamento vnionem hypoſtaticam.

Aduerte 2. filiationem iſtam naturalem habere pro fundamento vnionem hypoſtaticam, ſeu diuinum Verbum, ſubſiſtens in humana Chriſti natura: Hęc videtur eſſe mens D. Thom. hoc loco, & Magiſtri in 3. diſtinct. 10. & interpretum eiuſdem communiter ibidem. Deinde, hoc idem affirmare videntur Patres Concilij Francofordienſis, & Adrianus in epiſtol. quæ præmittitur iſti Concilio; definiunt enim Chriſtum eſſe filium Dei naturalem, non autem adoptiuum. Accedit ratio. Chriſtus ex vi vnionis hypoſtaticæ cenſetur eſſe formaliter, & ſubſtantialiter ſanctus: ità enim includit humanam naturam ſubſiſtentem ſubſiſtentia increata diuini Verbi: ergo filiatio illa fundatur in vnione hypoſtatica: non enim ex alio capite humana Chriſti natura poteſt eſſe ſubſtantialiter ſancta. Denique, fatentur communiter Theologi duplicem eſſe generationem Chriſti, alteram æternam, alteram temporalem: per primam docent Chriſtum ſubſiſtere in eſſentia diuina, ac proinde eſſe filium Dei naturalem per æternam generationem; per temporalem vero contendunt eſſe filium Dei naturalem in humana Chriſti natura.

Filiatio naturalis Dei in Chriſto non eſt reſpectu Verbi realis, ſed rationis.

Aduerte 3. filiationem iſtam non eſſe realem relationem reſpectu diuini Verbi, ſed tantùm relationem rationis. Primum, quia diximus fundamentum iſtius filiationis eſſe vnionem hypoſtaticam; vnio autem hypoſtatica non ponit aliquid reale in Verbo, ſed aduenit ei tantum reſpectus rationis, vt oſtendimus in ſuperioribus. Deinde, de fide eſt Chriſtum in tempore, non autem ex omni æternitate fuiſſe incarnatum: ergo per generationem temporalem, diuinum Verbum non cenſetur eſſe filius Dei naturalis per filiationem realem, ſed tantum per filiationem, quæ eſt relatio rationis: hæc eſt communis opinio Theologorum ad hunc locum.

Obiectio.

Obiiciunt Hilarium, Victorinum, & alios nonnullos Patres de Chriſto affirmare, quòd fuerit adoptatus in filium Dei.

Reſponſio explicans modum loquendi Patrum.

Reſpondeo, per iſtam loquutionem ſignificaſſe tantum humanę Chriſti naturæ conceſſa eſſe dona ex vi vnionis hypoſtaticæ, ità præſtantia, & ſingularia, vt nulli alteri aliquando conceſſa ſint paria; neque item ſint concedenda: noluerunt tamen propterea dicere Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum; verbis quippe expreſſis Chriſtum eſſe filium Dei naturalem etiam vt homo eſt, alibi tradunt.

2. Obiectio. Reſponſio.

Obijcit 2. Durandus, Chriſtus quatenus homo eſt, non eſt Deus: ergo Chriſtus, quatenus homo eſt, non eſt filius Dei naturalis. Reſp. ad antecedens, Chriſtum quatenus homo eſt, non eſſe Deum, ſi per particulam (Chriſtus) intelligatur id quod ſubſiſtit in diuina eſſentia per æternam generationem: ſi vero per hanc eamdem particulam intelligatur id quod ſubſiſtit in humana natura per generationem temporalem, falſum eſt Chriſtum, quatenus homo eſt, non eſſe Deum; cùm de fide ſit, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem.

3. obiect. Obijcit denique Durandus, ſi Spiritus ſanctus aſſumeret naturam humanam hypoſtaticè, hæc non eſſet filius Dei naturalis: ergo hęc eſſet filius Dei adoptiuus.

Reſponſio. Si Spiritus ſanctus aſſumeret naturam humanam non diceretur filius. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; propterea enim humana natura aſſumpta à Spiritu ſancto non eſſet filius Dei naturalis, quia implicat aliquid habere rationem filij Dei naturalis, niſi habeat in ſe filiationem diuinam, quæ conſequitur generationem propriè dictam: Spiritus autem ſanctus caret filiatione increata. Neque etiam diceretur hæc humana natura aſſumpta à Spiritu ſancto hypoſtaticè, filius Dei adoptiuus, quia adoptio fit gratuitò, & liberaliter; humana autem iſta natura ex vi vnionis hypoſtaticæ haberet ius ad gratiam, & gloriam obtinendam.

QVÆSTIO XXIV.

De prædeſtinatione Chriſti.

ARTICVLVS PRIMVS,

An Chriſtus fuerit prædeſtinatus.

Abſolutè hæc eſt vera, Chriſtus eſt prædeſtinatus. IRCA hunc articulum obſeruandum eſt, *Poſſe dici de Chriſto, quòd ſit prædeſtinatus abſolutè, & ſine vllo addito:* Patres enim ità loquuntur communiter, vt conſtat ex D. Auguſtin. tractatu 105. in Ioannem, & de dono perſeuerantiæ cap. vltimo, & de prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. & 12. de Trinitate. Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. hoc loco; & Sententiariorum in 3. diſtinct. 10. Tertiò, prædeſtinari hoc loco nihil eſt aliud, quàm ordinari ad certum aliquem effectum producendum in tempore per Dei gratiam, ex vi alicuius decreti æterni: at certum eſt Chriſtum fuiſſe productum in tempore ex vi decreti diuini de incarnatione futura: modo tamen nomine Chriſti ſignificetur, ſicut ſuponimus, id quod ſubſiſtit in humana Chriſti natura per vnionem hypoſtaticam.

D. Aug.

Obiectio. Reſponſio. Dices, Chriſtum ſemper extitiſſe. Reſpondeo hoc eſſe verum, quando nomine Chriſti ſignificatur id quod ſubſiſtit in eſſentia diuina, per æternam generationem; aliter verò dicendum eſt, quando nomine Chriſti ſignificatur id quod ſubſiſtit in humana natura per generationem temporalem; qua ratione ſumitur nomen (Chriſtus) hoc in loco à nobis.

Abſolutè falſum eſt Verbum eſt prædeſtinatum. Obſeruandum eſt 2. *Non poſſe concedi abſolutè de Verbo, ſeu de filio Dei, quòd ſit prædeſtinatus, ſed tantum cum hoc addito, vt eſſet caro*, vel, *vt fieret homo*: nam aliter concedendum eſſet de Verbo diuino, ſeu de filio Dei, quod per proceſſionem liberam conſequeretur eſſentiam à Patre: prædeſtinatio quippe eſt gratuitorum, non autem neceſſariorum ex communi doctrina; at in tractatione de Trinitate docent omnes proceſſiones diuinas eſſe neceſſarias, non autem liberas: imò qui dicit proceſſiones diuinas eſſe neceſſarias accedit ad hęreſim Arrij, vt obſeruat D. Thom. in quæſtionibus de Trinitate.

Deinde, Verbum factum eſt in tempore caro, ſeu homo, Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt:* ergo de hoc licet affirmare quòd fuerit prædeſtinatum, vt eſſet caro; effectus quippe hic pendet à gratuita, & libera Dei ordinatione. Ioann. 1.

Obiectio. Obiicies, prædeſtinationem antecedere prædeſtinatum ex doctrina Origen. Verbo autem diuino nihil poteſt eſſe prius, vt eſt per ſe notum; & probat Athanaſius in ſuo ſymbolo; *In æternis nihil eſt prius, nihil poſterius.*

Reſponſio. Reſpondeo 1. propoſitionem maiorem eſſe falſam abſolutè loquendo: tantùm enim vera eſt in prædeſtinatione hominum, & Angelorum. Deinde, ſatis eſt quòd prædeſtinatio antecedat effectum ad quem ordinatur iſta prædeſtinatio: certum autem eſt prædeſtinationem Verbi ordinatam ad hoc vt eſſet caro, priorem eſſe nedum naturâ, ſed etiam tempore incarnatione eiuſdem diuini Verbi.

Inſtantia. Inſtabis, per prædeſtinationem debere aliquid aduenire prædeſtinato.

Reſponſio. Reſpondeo, hoc eſſe verum vel reſpectu perſonæ prædeſtinatæ, vel reſpectu naturę quæ coniungitur perſonę prædeſtinatæ; conſtat autem perſonæ Verbi, vt ſic, nihil poſſe aduenire de nouo, eſt enim hoc Verbum diuinum expers omnis potentialitatis: humanę tamen naturę, quę eidem coniungitur aliquid verè aduenit, nempe vnio, à qua denominatur formaliter vnita Verbo diuino; & præterea facta eſt hæc ſubſtantialiter ſancta ex vi iſtius vnionis hypoſtaticæ; imò propter hanc eandem cauſam conſequuta eſt gratiam, & gloriam tantam, vt omnis gratia, quæ datur in Angelis & hominibus, non poſſit eam adæquare: propter hanc ergo diuinum Verbum dicitur prædeſtinatum, vt fieret homo.

Obſeruandum eſt autem rectè dici de Chriſto, *Quod fuerit prædeſtinatus ad gratiam habitualem, ad gloriam animæ, & corporis, & ad alia dona quæ conſequuntur vnionem hypoſtaticam:* hæc quippe omnia fuerunt ipſi communicata in tempore virtute decreti diuini de incarnatione futura. Deinde, ità docent Patres, Auguſt. tractatu 105. in Ioann. ait enim Chriſtum gloriam corporis habuiſſe in Dei prędeſtinatione ante mundum, & cap. 15. de prædeſt. ſanctorum, idem docet. Auguſt.

Neque refert, quod in antecedentibus docuerimus gratiam, & gloriam fuiſſe debitam Chriſto ex vi vnionis hypoſtat. nam ità debentur hæc illa ratione, vt tamen vnio hypoſtatica gratuito, & liberaliter fuerit communicata Chriſto: vnde in ordine ad vnionem huiuſmodi collatio gratiæ, & gloriæ cenſetur eſſe gratuita, & libera, non autem debita neceſſario, ſed tantùm ex hypotheſi, quod ſcilicet, vnio hypoſtatica fuerit celebrata. Accedit gratiâ, & gloriam eſſe proprietates vnionis hypoſtaticę, non in ratione cauſæ efficientis phyſicæ; ſuppoſitum quippe diuinum non eſt operatiuum, ſed tantùm terminatiuum, vt ſæpius diximus: ſunt ergo gratia & gloria proprietates vnionis hypoſtaticæ in genere moris tantum. *Gratia & gloria ſunt proprietates morales vnionis hypoſtaticæ.*

Aduertendum vltimo eſt, eſſe concedendum de humana Chriſti natura: *quòd fuerit prædeſtinata ad vnionem*

Humana Chriſti natura fuit prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam, & quomodo.

vnionem hypoſtaticam, ſeu, quod idem eſt, ad hoc vt vniretur Verbo diuino: Ità enim docet D. Thom. in tertium diſtinct. 10. & aliqui alij Sententiarij diſtinct. 7. Deinde, prædeſtinari, hoc loco nihil eſt aliud, quàm in tempore fieri per gratiam, ex vi alicuius decreti diuini: atqui humana Chriſti natura fuit in tempore vnita diuino Verbo, & quidem ex vi decreti, quod fuit ab æterno de incarnatione futura in tempore: ergo fuit prædeſtinata ad huiuſmodi vnionem. Denique, diximus Verbum fuiſſe prædeſtinatum, vt fieret caro: ergo humana etiam Chriſti natura rectè dicetur prædeſtinata ad iſtam vnionem.

Obiectio.

Dices, D. Thom. queſt. 39. artic. 1. huius partis, affirmare de humana natura, quòd non fuerit prædeſtinata.

Reſponſio.

Reſp. D. Thom. eo in loco tantùm affirmare humanam naturam Chriſti non eſſe prædeſtinatam ad hoc, vt eſſet filius Dei, quod nos vltrò concedimus: ratio quippe filij, & filiationis ſoli ſuppoſito competere poteſt, vt monuimus q. proxime antecedente D. Thom. Cum iſtis tamen rectè cohæret quod humana Chriſti natura fuerit prædeſtinata, vt vniretur diuino Verbo: vnio enim hæc facta eſt per Dei gratiam dependenter à decreto æterno diuino. Conſule interpretes D. Thom. hoc loco.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum Chriſtus fuerit prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei naturalis.

Chriſtus fuit prædeſtinatus vt eſſet Dei filius naturalis.

RESPONDET affirmatiuè: ità enim docent verbis expreſſis Patres, Athanaſius ſerm. 3. de Aſcenſione hominis. Irenæus lib. 3. aduerſùs hæreſes, cap. 18. Chryſoſtom. homilia 22. in Ioannem. Origenes homilia 3. in Iſaiam, Ambroſ. ad caput 1. Romanorum, D. Auguſt. 12. de Trinitate cap. 1. & de prædeſt. ſanctorum cap. 5. & de bono perſeuerantiæ cap. vltimo, & tract. 105. in Ioannem, Hilarius 7. de Trinitate, & auctor Commentariorum in epiſt. ad Romanos, qui communiter tribuuntur Hieronymo.

Athanaſ. Iren. Chryſoſt. Origen. Ambroſ. Auguſt. Hilarius.

Expenditur locus Pauli Rom. 1.

Deinde probatur ex cap. 1. epiſt. ad Romanos. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum:* loquitur autem Paulus de Chriſto.

Reſpondent aliqui D. Paulum non habere dictionem iſtam (prædeſtinatus) ſed, deſtinatus: ità legunt Chryſoſtomus, Theophylactus, & Damaſcenus.

Alij verò putant, Paulum retinere dictionem iſtam, declaratus eſt; ac proinde contendunt authores iſti Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum ad hoc, vt eſſet filius Dei naturalis, ſed vt deſtinaretur, declararetur, aut etiam manifeſtaretur filius Dei naturalis, per ſacramenta, per opera miraculoſa facta ab eo in hac vita, & per cæteras actiones ſuas theandricas.

Triplex generatio in Chriſto.

Alij verò reſpondent in Chriſto admittendam eſſe triplicem generationem: æternam, per quam ſubſiſtit in eſſentia diuina; temporalem, per quam ſubſiſtit in natura humana; & denique ſuſcitationem à mortuis: reſurrectionem quippe Chriſti

contendunt in ſacris litteris nuncupari generationem eiuſdem: in Actis namque Apoſtolorum locus hic Dauidis, Pſal. 2. *Ego hodie genui te*, explicatur de reſurrectione Chriſti, imo Apocalypſis cap. 11. propter hanc cauſam dicitur de Chriſto quod ſit primogenitus ex mortuis; ac proinde docent iſti, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, non vt eſſet filius Dei naturalis, ſed vt eſſet filius Dei per ſuſcitationem ſui corporis ex mortuis. Pſal. 2.

Refelluntur aliæ explicationes.

Verùm, nulla ex iſtis rationibus aliquid dicit; docet enim D. Auguſt. in lib. de Doctrina Chriſtiana, ſcripturam ſacram ſemper eſſe intelligendam ad litteram, niſi ex ea ſequatur abſurditas aliqua: edito autem vulgata loco proxime citato Pauli, verbis expreſſis habet Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, ad hoc vt eſſet filius Dei; neque ex eo ſubſequitur vlla plane abſurditas, cùm ſancti Patres rationem iſtam loquendi ſemper retinuerint: ergo ita captenda eſt. Deinde Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. in decreto de libris Canonicis dedit editionem vulgatam eſſe retinendam in omnibus, & ſingulis, tanquam Scripturam ſacram: hæc autem, etiam poſt emendationem factam à Sixto V. & Clement. VIII. legit, *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Denique Chriſtus factus eſt in tempore, ſaltem ſub ea ratione, qua humanam naturam aſſumpſit: ergo fuit etiam prædeſtinatus vt eſſet filius Dei naturalis per temporalem generationem: ità communiter omnes in 3. diſt. 10. Rom. 1.

Obiectio.

Dices, Chriſtum filium Dei & Verbum, pro vno, & eodem vſurpari: at articulo 1. huius quæſt. diximus Verbum non eſſe prædeſtinatum abſolute, vt eſſet filius Dei naturalis, ſed tantùm cum hoc addito, vt fieret homo, vel caro: ergo.

Chriſtus tam quàm Verbum, & filius Dei.

Reſponſio.

Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe falſam: nam latiùs patet nomen Chriſti, quàm ſacian Verbum, aut filius Dei; ſiquidem nomine Verbi & filij Dei, ſignificatur tantùm ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, ac proinde id quod ſubſiſtit in eſſentia diuina per æternam generationem: nomine verò Chriſti ſignificatur nedum id quod ſubſiſtit in eſſentia diuina per æternam generationem, ſed etiam id quod ſubſiſtit in humana natura Chriſti per temporalem generationem: vnde de Chriſto abſolute, & ſine vllo addito concedimus, quod fuerit prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei naturalis, etſi id non fateamur de Verbo, aut filio Dei.

Inſtantia. Quid ſignificet nomen Chriſti in ſymbolo Athanaſij.

Inſtabis, Chriſtum non eſſe factum, ſed genitum. Reſpondeo nomine Chriſti, apud Athanaſium, hoc in loco ſignificari tantum id quod ſubſiſtit in eſſentia diuina per æternam generationem; ac proinde recte affirmari de eo quod non ſit factus, ſed tantùm genitus, per æternam ſcilicet patris generationem: factus eſt tamen Chriſtus filius Dei naturalis ſub ea ratione qua per temporalem generationem intra vterum D. Virginis humanam naturam aſſumpſit; vt autem hæc ſolutio ſit explicatior.

Nota

Obſeruandum eſt, ſubiectum prædeſtinationis Chriſti eſſe ſolam ſecundam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis; effectus verò illius naturalis eſt eſſe filium Dei naturalem, quod contigit per aſſumptionem humanæ naturæ, dependenter à temporali generatione celebrata, intrà vterum D. Virginis.

ARTICVLO 3. docet D. Th. Chriſtum eſſe cauſam exemplarem noſtræ prædeſtinationis, & quidē

reſponſio iſta videtur colligi ex verbis ſubſequentibus Angeli ; *Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Deinde, quia voluit Angelus vitare occaſionẽ idololatriæ, vt obſeruant Recentiores, ad hunc locum, & Medina ad articulum tertium, huius quæſt. S. Thomæ.

Apoc. 19.

Adoratio diuiditur in latriam, duliam, & hyperduliam. Latria ſoli Deo debetur. Dulia ſanctis. Quid proprie ſignificat hyperdulia.

Diuiditur, autem communiter ab omnibus in λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν. Latria cenſetur eſſe cultus ſoli Deo debitus, propter ſummam & increatam excellentiam, quæ in eo datur. Dulia verò cenſetur eſſe cultus debitus ſanctis, & iuſtis propter excellentiam creatam, quæ in illis datur. Hyperdulia definitur, cultus certis quibuſdam ſanctis debitus, propter ſanctitatem, ſeu excellentiam magis nobilem, & præſtantem, quam habent ſupra cæteros ſanctos: ità communiter omnes hoc loco, & in 2. 2. quæſt. 83. Meminit autem latriæ Epiphanius lib. 2. aduerſus hæreſ. hæreſi 22. Hieronym. in epiſt. ad Riparium. *Sanctos*, inquit, *honoramus, Deum autem adoramus*: latria ſcilicet: & ad caput 3. Danielis ; nihil præter Deum eſſe adorandum contendit; & contra Vigilantium idem repetit, cautámque ſubiungit. *Quis*, inquit, *hominem putauit Deum*? quaſi diceret latriam ſoli Deo eſſe debitam : & Damaſc. de recta in Deum fide : & D. Auguſt. 15. contra Fauſtum cap. 9. & cap. 1. lib. 10. de ciuitate. *Latria vero*, inquit, *ſecundum conſuetudinem qua locuti ſunt qui nobis eloquia diuina condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter vt pene ſemper, ea dicitur ſeruitus quæ pertinet ad colendum Deum* : & Beda ad caput 4. Lucę, & innumeri, alij quos citat Bellarminus lib. 1. de beatitudine ſanctorum. Duliæ verò mentionem faciunt D. Auguſt. & Beda locis proximè citatis. Hyperduliæ verò nomen apud veteres Patres non deprehenditur; bene tamen apud recentiores; res tamen ſignificata per huiuſmodi nomen non minus apud veteres Patres, quàm apud Neotericos reperitur.

Epiphan. Hieron. Damaſc. D. Auguſt. D. Auguſt.

Temeritas error Caluini, & impudentia detegitur, & refellitur.

Ex iſtis colliges, turpiſſimè lapſum fuiſſe Caluinum; libro quippe primo ſuarum Inſtitutionum, damnat Theologos ſcholaſticos eò quòd doceant diuiſionem adorationis, in latriam, duliam, & hyperduliam, eſſe meritò retinendam : ſubiungit autem cauſam; quia (inquit) nomina latriæ, & duliæ, eamdem planè ſeruitutem ſignificant ; imò dulia majorem dicit ſeruitutem, quàm latria.

Ceterùm temeritas & inſolentia iſtius hominis ex eo innoteſcit, quod Hieronymus & Damaſcenus, itémque alij Patres à nobis citati diuiſionem iſtam admiſerunt, tanquam maximè accommodatam ad exprimendam ſeruitutem debitam Deo, & ſanctis : præſertim cùm notiſſimum ſit Hieronymum, itémque Damaſcenum in litteris Græcis, quàm maximè fuiſſe exercitatos.

Deinde, Henricus Stephanus etſi fuerit Caluiniſta, admittit tamen facilè diſtinctionem à nobis traditam, iuxta eum ſenſum quem hactenus habuit apud Theologos Scholaſticos ; vt videre eſt in Theſauro ſuo linguę Græcæ, ad vocabula λατρεύω λατρεία.

Denique, notiſſimum eſt Scripturam ſacram affirmare de ſanctis, & item de rebus inſenſibilibus, quod ſint adorandę ; vt conſtat ex locis ſupra citatis, initio iſtius annotationis; & manifeſtè colligitur de rebus inſenſibilibus ex capite 21. Numerorum ; illic enim adoratur ſerpens æneus : & ex capite 32. Exodi, adoratur eò loci vitulus aureus ; ergo ad diſtinguendas iſtas adorationes, Dei, ſcilicet, ſanctorum, & rerum inſenſibilium excogitanda fuit certa aliqua diſtinctio.

Obſeruandum eſt 2. non deeſſe qui putent latriam, & duliam, itémque hyperduliam, ad vnam eamdémque planè ſpeciem adorationis pertinere ; idque quia ſicut Deus & proximus amantur à nobis per vnam, & eamdem ſpecie qualitatem : vtque oratio qua Deum & Sanctos inuocamus vniuocè eadem eſt: & rurſus creata reuelata à Deo, per vnam ſpecie fidem diuinam creduntur : ſic Deus & ſancti omnes per vnam & eamdem ſpecie adorationem adorabuntur à nobis : ità Suarez diſputatione 51. ſect. ſecunda, ad hanc partem D. Thomæ & alij innumeri recentiores.

Latria, dulia, & hyperdulia, ab aliquibus pro vna ſpecie adorationis cõputantur.

Opinio tamen contraria videtur verior; conuenit enim inter omnes vnitatem ſpecificam cuiuſlibet actus, aut habitus, repetendam eſſe à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud : atqui obiectum adorationis latriæ cenſetur eſſe excellentia, ſeu, quod idem eſt, ſanctitas increata, vt tradit D. Thom. in 2. 2. quæſt. 81. artic. 3. obiectum autem duliæ, & hyperduliæ eſt ſanctitas, ſeu excellentia creata : ergo differunt ſpecie.

Verior ſententia dicit eſſe ſpecie diuerſas.

Denique, nihil eſt commune Deo, & creaturis ſynonimè, ex veriori opinione : ità multi recentiores.

Ad rationem vero contrariam. Reſpondeo, conceſſa vtraque parte antecedentis, nego conſequentiam, ſeu ſimilitudinem: ratio quippe propter quam Deus, & proximus amantur à nobis per vnam, & eamdem plane charitatem eſt ; quia ratio diligendi Deum, & proximum, eſt bonitas increata, ſub ea ratione, qua eſt amabilis propter ſemetipſam, & cætera alia propter hanc eâdem, vt docuimus in tractatione de charitate: cauſa item propter quam credimus Deum, & res alias reuelatas, per vnam ſpecie fidem diuinam, hæc aſſignatur ab omnibus, quia hæc fuerunt à Deo reuelata, & propoſita credenda auctoritate Eccleſiæ ex æquo: ratio autem quare adoramus Deum & ſanctos, non eſt vna & eadem ſpecie, ſed omnino diuerſæ: nam adoramus Deum propter excellentiam increatam, quæ in eo datur ; ſanctos vero adoramus propter excellentiam creatam, quæ in iſtis deprehenditur, ac proinde dependenter à diuerſis motiuis, adoramus Deum & ſanctos, quare adorationes iſtæ erunt ſpecie diſtinctæ.

Deus & proximus per eandem charitatem diliguntur & cur.

Concedendum tamen eſt duliam & hyperduliam ad vnam & eamdem planè ſpeciem adorationis pertinere : diximus enim obiectum duliæ eſſe ſanctitatem, quę datur communiter in omnibus ſanctis ; hyperduliæ vero obiectum, eſſe ſanctitatem excellentiorem, quę reperitur in certis quibuſdam ſanctis : vnde duo iſta ſe habent tanquam magis, & minus ſancta, ſeu excellentia : magis autem & minus non variant ſpeciem, ex communi doctrina philoſophorum & Theologorum.

Dulia & hyperdulia ſunt eiuſdẽ ſpeciei, & tantũ differunt accidentaliter.

Dices, D. Virginem adorari hyperdulia propter dignitatem matris Dei, quæ in ea datur, Apoſtolos propter dignitatem apoſtolatus, D. Ioannem Baptiſtam propter dignitatem præcurſoris Chriſti : at excellentiæ iſtæ videntur eſſe

Obiectio.

Digitized by Google

ſpecie diſtinctæ, ab excellentia quæ datur in omnibus ſanctis: ergo falſum eſt quod dictum eſt.

Reſpanſio. Dignitas ſanctorum bifariam conſiderari poteſt.

Reſp. dignitates iſtas conſiderari & ſecundum entitatem, quam habent à parte rei, & formalitates, quas in ſe retinent: aut, vt alij loquuntur, quatenus conſequuntur rationem talis beneficij: priori modo huiuſmodi dignitates, ſeu excellentiæ, non diſtinguuntur inter ſe ſpecie; ſunt enim ex æquo entitates aliquæ ordinis ſupernaturalis, vnde poſſunt hoc modo ſpectatæ adorari per vnam, & eamdem planè ſpeciem adorationis, cùm ratio adorandi ſit excellentia iſta creata ſupernaturalis: poſteriori verò modo, excellentiæ iſtæ inter ſe diſtinguuntur ſpecie, quare poſſunt ſancti in ordine ad iſtas excellentias, adorari per adorationes ſpecie diſtinctas, ex quorumdam opinione, in eo ſcilicet caſu in quo adorabitur D. Virgo ſub ea ratione, qua eſt mater Dei reduplicatiuè, & idem dicendum eſt de Apoſtolis, & denique de D. Ioanne Baptiſta.

Actus latriæ, propriè ad religionẽ, dulia verò & hyperdulia impropriè ſpectat.

Obſeruandum eſt 3. actum latriæ pertinere proprie ad virtutẽ religionis; actus verò duliæ, & hyperduliæ pertinere ad hanc eamdem impropriè; docet enim S. Thom. in 2. 2. quæſt. 81. religionem habere ſolum Deum pro obiecto; diximus autem latriam competere ſoli Deo.

Obiectio.

Dices, imagines Dei adorari latria, vt docent interpretes D. Thomæ, cum eo, artic. 3. huius quæſt. certum autem eſt imagines Dei non eſſe Deum.

Reſponſio.

Reſp. conceſſo antecedente, diſtinguendo conſequens: imagines enim Dei conſiderantur, & vt ſunt entitates aliquæ ex ære, auro, argento, vel ex aliqua alia materia confectæ; & vt ſunt imagines Dei reduplicatiuè: priori modo, certum eſt imagines Dei non adorari latria, bene tamen poſteriori: ſunt enim imagines, hac ratione ſpectatæ, idem cum Deo, illa eadem ratione, qua communiter dicimus ſpecies emendicatas ab obiecto aliquo, eſſe idem cum obiecto, à quo fuerunt emendicatæ; repræſentant namque perfectiſſimè ſuum obiectum; vnde cenſentur eſſe rationes cognoſcendi obiecta repræſentata: ſimiliter imagines Dei, ſub ea ratione qua ſunt tales, cenſentur eſſe ipſemet Deus repræſentatus, non quidem in eſſendo, ſed repræſentando tantùm; ac proinde adorantur illa eadem adoratione, qua Deus: ſecundum tamen eſſe materiale, quod habent imagines iſtæ, nulla ratione adorantur à nobis; cum in illis, vt ſic, nulla detur excellentia, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad adorationem.

Imagines Dei bifariã conſiderari poſſunt.

Deinde, D. Auguſt. in lib. de vera religione, contendit nihil præter Deum adorandum eſſe, ex motiuo nimirum virtutis religionis.

Cur Deo maxime tribuatur latria.

Tertiò, tota ratio cur adoretur Deus latriâ, eſt ſumma & increata excellentia: at hæc in nulla plane re creata deprehenditur, ſaltem per modum informationis intrinſecæ, aut vt ſit hæc de intrinſeca eſſentia; ità enim in ſolo Deo reperitur. Concedendum tamen eſt increatam excellentiam deprehendi in humana Chriſti natura, ceterùm terminatiue tantùm, propter vnionem hypoſtaticam, ac proinde adoratur quoque humanitas Chriſti, vt probabitur Dubitatione proxime ſequente.

Quòd autem actus duliæ, & hyperduliæ, pertineant ad virtutem religionis impropriè, probatur primùm ex eo, quòd doceat S. Thom. in 2. 2. quæſt. 102. ſanctos adorari à nobis dulia, & hyperdulia, ex motiuo virtutis obſeruantiæ propter gratiam, & virtutem quæ in iſtis datur.

Deinde, omnis cultus delatus alicui propter perfectionem aliquam ordinis ſupernaturalis, cenſetur eſſe quodammodo actus religionis; religio quippe reſpicit cultum debitum rebus ſacris.

Tertiò, conſecramus ſanctis, templa, & altaria, & vota. Denique actus duliæ, & hyperduliæ diſtinguuntur ſpecie ab actibus latriæ: ergo, cum latria verſetur circa religionem, ſeu, quod idem eſt, ſit proprie actus religionis, dulia, & hyperdulia non erunt proprie actus religionis, ſed improprie tantùm: proprie vero pertinent ad virtutem venerationis ſeu obſeruantiæ.

Latria dulia, & hyperdulia & præſupponere actum intellectus; docet enim D. Thom. in 2. 2. quæſt. 81. & 84. ſubindicat virtutem religionis ſedem habere in voluntate: ergo & actus latriæ, erit actus voluntatis: eſt enim axioma eiuſdem S. Thom. & Thomiſtarum omnium, in tractatione de virtutibus in communi; *Illic poni præſidium operandi, vbi eſt difficultas agendi:* virtutes autem morales omnes cenſentur eſſe præſidia quædam operandi cum facilitent potentias in quibus recipiuntur ad ſuas actiones exercendas.

Obſeruandum eſt vltimo, latriam, duliam, & hyperduliam eſſe actus elicitos à voluntate, *actus elicitè à voluntate.*

Denique obſeruantia, ſeu veneratio locatur etiam in voluntate, tanquam in ſubiecto: ergo dulia, & hyperdulia erunt actus voluntatis. Propterea autem actus latriæ, hyperduliæ, & duliæ præſupponunt actum intellectus; quia indubitatum eſt voluntatem noſtram eſſe cæcam, neque aliter conſtitui præſens obiectum eiuſdem, quàm per actum intellectus.

Dubitatur autem, *An actus quibus adoramus, Deum, & ſanctos ſint ex ſe, & ſua natura determinati, an verò contra indeterminati.*

Vnde determinentur actus interni & externi adorationis.

Ceterùm indubitata eſt opinio eorum qui aſſerunt actus internos, quibus colitur Deus à nobis, aut etiam ſancti, definiri ex motiuo propter quod eliciuntur à nobis; actus autem externi, quibus colitur Deus, & ſancti, non ſunt ex ſe & ſua natura determinati: notiſſimum quippe eſt gemua flectere nos ante Deum & ſanctos; attollere, inngeréque manus, tundere item pectora, aperire etiam caput, & ſic de alijs: vnica tamen eſt actio externa, definita, & determinata, qua adoramus peum, & nulla ratione creaturam aliquam, nempe ſacrificium Miſſæ: hoc enim ſoli Deo offerri poteſt, vt docet D. Thom. art. 2. q. 85. in 2. 2. idem docent Patres, maxime vero D. Aug. epiſt. 49. & 1. de Ciuitate 14. his ità conſtitutis explicanda venit hęc

DVBITATIO.

An humanitas Chriſti ſit adorãda illa eadẽ adoratione.

Quot & quibus modis conſiderari poteſt Chriſti humanitas.

ANtequã res hęc definiatur, aduerte, humanitatem Chriſti poſſe ſpectari ſeparatam à Verbo, & vnitam eidem, & præterea in eo caſu in quo adoratur totus Chriſtus, & denique quando humanitas Chriſti eſt res adorata: ratio vero adorandi iſtam, eſt diuinitas: iſtis ergo omnibus modis dubitatio propoſita occurrit definienda.

CONCLVSIO 1. *Humanitas Chriſti ſpectata, vt vnita diuino Verbo, ſeu, quod idem eſt diuinitati, eſt*

Digitized by Google

Humanitati Chriſti vt vnitæ diuinitati debetur cultus latriæ.

Probatio 1.

2. Iſai. 45. Rom. 14. Philipp. 2.

3.

4. Iſaiæ 43.

1. Ioan. 2.

Ioan. 2.

Vlt.

Cyril.

Humanitas Chriſti ſeparata à Verbo diuino eſt adoranda hyperdulia.

D. Auguſt.

adoranda illa eadem adoratione, qua adoratur diuinitas ipſa. Hæc eſt de fide, definita expreſſè in 2. 3. & 4. Synodo generali. Deinde hoc colligitur ex cap. 45. Iſaiæ, & 14. Rom. vbi de Chriſto dicitur: *Mihi curuabitur omne genu*: & ad Philip. 20. *In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Tertiò. Adoratio latriæ debetur excellentiæ increatæ, vt conſtat ex annotato 1. ante Dubitationem iſtam; at excellentia increata deprehenditur in humana Chriſti natura, quando conſideratur hæc, vt vnita Verbo, eſt enim de fide, humanam iſtam naturam ſubſiſtere tantùm per ſecundam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis: ergo vt ſic, illi tribuenda eſt adoratio latriæ.

Quartò, Adoratio latrię debetur ei, cuius eſt peccata abſolutè, & ſimpliciter per ſeipſum remittere: conuenit autem inter omnes ſolum Deum per ſeipſum remittere peccata, Iſaiæ 43. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas, propter me.* Conſtat item ex innumeris locis ſcript. ſacræ, Chriſtum peccata remiſiſſe 1. Ioānis 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Ioannis 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Poſtremo, eadem ſedes aſſignatur Agno & Deo, Apocalypſis 5. at certum eſt adorationem latriæ deberi Deo; ergo & Agno: nomine autem Agni ſignificatur Chriſtus, verus Deus, & verus homo, ex loco proximè citato, Ioannis 1, & ex communi Patrum interpretatione ad hunc locum Apocalypſis.

Denique, ità docent Patres, Cyrillus lib. 1. de recta fide, Ambroſius lib. 4. de fide, & Damaſcenus lib. 3. cap. 9. & lib. 4. cap. 3. & Sententiarij in 3. diſt. 9. & Thomiſtæ omnes, hoc loco, & Medina ad articulum 2. huius quæſt.

Conclvsio 2. *Humanitas Chriſti, ſpectata vt præciſa à Verbo diuino, non eſt adoranda latria, ſed hyperdulia, ſtante tamen hac hypotheſi quod humana Chriſti natura retineat eandem ſanctitatem habitualem quam habet, quod dico, quia ſi conſideraretur ſine huiusmodi habituali ſanctitate, humanitas iſta non eſſet etiam adoranda hyperdulia.* Hæc concluſio tres habet partes. 1. probatur ex D. Auguſt. ſermone 58. de verbis Domini. *Si*, inquit, *hominem ſeparaueris à Deo, vt Photinus, vel Samoſatenus, illi* (ſcilicet Chriſto) *nunquam ego credo, neque deſtruo:* & Damaſc. lib. 3. de fide cap. 8. vtitur autem Auguſt. exemplo purpuræ, hęc enim tamdiu adoratur, illa eadem adoratione qua colitur princeps, quamdiu contingit veſtem purpuream vniri perſonæ regis: vbi vero ſeparata eſt à perſona regis, veſti purpureæ nullus exhibetur cultus.

Deinde, adoratio latriæ ſupponit excellentiam increatam: at ſupponimus humanam naturam Chriſti eſſe ſeparatam ab excellentia increata deitatis; ergo nequit hæc adorari latria.

Secunda verò pars concluſionis probatur. Primùm, quia hæc eſt mens omnium planè Scholaſticorum locis proximè citatis. Deinde gratia habitualis quæ datur in humana Chriſti natura, ex hypotheſi, eſt tanta, vt de lege communi nequeat dari maior, etiam per omnipotentiam Dei: ergo ſi hæc natura ſit adoranda, erit adoranda adoratione hyperduliæ ſupremę: ſuprema quippe hyperdulia debetur ſoli ſupremę excellentiæ creatę.

Tertia denique pars ex eo innoteſcit, quod adoratio conſequatur ſanctitatem creatam, vel increatam: at ſupponimus in humana Chriſti natura nullam dari ſanctitatem increatam, ſed ſolas perfectiones naturales ſibi naturaliter debitas: ergo humanitas iſta ità ſpectata non adoraretur hyperdulia.

Obiectio. Obijcies, ex dictis manifeſtè colligi duas adorationes deberi humanę Chriſti naturæ; adoratur enim hæc latria; quando vnitur Verbo: quando vero ab eo ſeparatur, colitur hyperdulia ſuprema: at Synodus 5. generalis dicit anathema illis omnibus, qui aiunt Chriſto deberi duas adorationes.

Duplex adoratio deferri poteſt Chriſti humanitati, diuerſimode ſpectata.

Reſponſio. Reſpondeo, conced. maiorē, ad minorem dico ſynodum 5. non damnare ſimpliciter eos qui affirmant duas adorationes poſſe deferri Chriſto, ſed tantum qui in ordine ad perſonam, ſubſiſtentem in duabus naturis diuina, & humana contendunt duas diuerſas adorationes deberi: nos autem in ordine ad iſtam perſonam, vnicam adorationem latriæ tribuimus Chriſto, & duas iuxta modum explicatum in concluſionibus: hanc autem eſſe mentem 5. Synodi ex eo deprehenditur, quod definitio iſta ſit poſita contra Neſtorium, qui duas admittebat in Chriſto ſubſiſtentias, humanam, ſcilicet, & diuinam.

Obiectio. Obijcies, humanam Chriſti naturam, etiam præciſam à ſuppoſito diuino per conſiderationem noſtram, debuiſſe ſatisfacere pro peccatis quorumcumque mortalium: ergo debuit hæc adorari latria.

Reſponſio. Reſpond. Negando antecedens; debuit quippe Chriſtus ſatisfacere de toto rigore condignitatis, pro peccatis noſtris; quod tamen non poteſt præſtare vlla planè pura creatura: oſtendimus enim ad quæſtionem 25. tantam debere eſſe dignitatem in perſona, quę ſatisfacit ad æqualitatem perfectiſſimam, quanta datur in perſona offenſa, hæc autem eſt ſimpliciter infinita, cum ſit Deus: ergo ſi ſupponamus humanam Chriſti naturam eſſe prę eiſam à ſuppoſito diuino, non potuit hæc ſatisfacere pro peccatis noſtris ad æqualitatem ex inſtitia, aut condignitatem.

Satisfacit.

Chriſtus adorandus eſt adoratione latriæ.

Conclvsio 3. *Quando adoratur totus Chriſtus, & quidem ità, vt res adorata, ſeu, quod idem eſt, obiectum materiale ſit totus Chriſtus, humanitas Chriſti adoratur illa eadē ad oratione, qua diuinitas eiuſdem; cum hoc tamen diſcrimine, quòd diuinitas adoratur primò latria, concomitanter autem tantùm humanitas:* Ità docet D. Thom. hoc loco, & communiter Sententiarij in 3. diſt. 9.

Deinde, ità ſentiunt Patres 7. Synodi, actione 7. & Caſſiodorus ad hæc verba pſalmi 98. *Adorate ſcabellum pedum eius*; nomine quippe ſcabelli, ſignificatur humanitas Chriſti quæ præcipitur adoranda, illa eadem adoratione, qua adoratur diuinitas Chriſti: idque quod totus Chriſtus adoretur ex vi iſtius prę ceptī: & D. Auguſt. ſermone 58. de verbis Domini, & in pſalmum proximè citatum, & Damaſcenus 3. de fide cap. 3. & 4. & Epiphanius in Anchorato. *Adoras* (inquit) *Saluatorem incorporatum, aut non adoras; quando verò non adoraueris non habebis vitam: ecce igitur creaturam adoras, ipſum corpus, &c.* & denique Ambr. in libris de Spiritu ſancto.

Pſal. 98.

Auguſt.

Deinde eodem modo adoratur humanitas Chriſti, quando totus Chriſtus adoratur, quo adorantur ſpecies conſecratæ, quando adoratur totum ſanctiſſimum ſacramentum altaris, vt colligitur ex 7. Synodo citata; at quando adoratur ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtię, ſpecies

Digitized by Google

Euchariſtiæ adoratione latria colenda eſt.

confecratę adorantur latriâ : Concilium quippe Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 5. & canone 6. definit ſacramentum altaris venerandum eſſe adoratione latriæ ; ergo, cum ſacramentum hoc conſurgat ex ſpeciebus conſecratis, & ex Chriſto quî latitat ſub iſtis ſpeciebus, verè, & realiter ſpecies adorabuntur, concomitanter ſaltem, latria.

Quarto, qui adorat hominem propter ſanctitatem ſupernaturalem quam in ſe habet, hic primo adorat eius animam, in qua proxime & immediatè locatur eius ſanctitas ; concomitanter vero colit & adorat corpus eiuſdem (ſuppono enim quod adoretur totus hic homo) ergo idem quoque erit dicendum de humana Chriſti natura, quando totus Chriſtus adoratur.

Denique, increata excellentia, quæ eſt ratio adorandi in Deo, & in omni plane re quæ adoratur latria, intrinſece competit ſoli diuinitati; terminatiue ſiquidem deitas, vel potius ſuppoſitum diuini Verbi afficit humanam Chriſti naturam: ergo adoratio latrię, primo dicetur de diuinitate Chriſti, & concomitanter de humanitate eiuſdem, in data hypotheſi.

Nota.

Aduerte, non propterea eſſe concedendum de humana Chriſti natura, quod adoretur per accidens latriâ, in data hypotheſi, quod conceſſit Durandus in 3. nam vnio hypoſtatica, non eſt vnio accidentalis, ſed ſubſtantialis : vnde per ſe etiam humanitas Chriſti adoratur latriâ, cum ſubſiſtat per ſolam ſubſiſtentiam diuini Verbi, quod trahit ſecum excellentiam increatam, & quidem ex ſe & ſua natura.

Adoratio humanitati Chriſti debita ex motiuo deitatis, eſt latria.

Conclvsio vltima. *Quando adoratur humanitas Chriſti, & quidem ità, vt hæc ſit obiectum materiale adorationis iſtius, ratio verò adorandi eſt diuinitas, hæc adoratio dicenda eſt potius latria, quàm hyperdulia, aut dulia.* Primum, quia hæc eſt communis opinio Thomiſtarum, ad hunc locum.

2. Deinde, ratio adorationis repetenda eſt ex motiuo ſibi proprio, & peculiari ; at ſupponimus humanam Chriſti naturam adorari ex motiuo deitatis, ſeu excellentiæ increatæ ; ergo cum excellentia increata exigat adorationem latriæ, humanitas Chriſti in data hypotheſi adorabitur latriâ.

3. Tertio. Si qua eſſet ratio propter quam in data hypotheſi humanitas Chriſti non eſſet adoranda latriâ, hæc maximè eſſet, quæ redditur ab Alenſi, & ab alijs authoribus, qui contrariam ſequuntur opinionem ; fieri, videlicet non poſſe vt aliquid adoretur latriâ, niſi ſit excellentia increata, vel certè niſi iſtam in ſe contineat ; at certum eſt humanam Chriſti naturam, vt ſic, nec continere increatam excellentiam, nec eſſe eamdem: ergo non debebit hęc adorari latriâ.

Enervatur ratio Alenſis.

Ceterùm, ratio iſta eſt planè infirma; nam imagines Chriſti (vt probabitur articulo proximè ſequenti) nec ſunt excellentia increata, nec eam continent verè, & tamen adorantur iſtę latriâ: ergo licet humanitas Chriſti non contineat excellentiam increatam &c.

Deinde, imagines D. Virginis coluntur eadem adoratione, qua diua Virgo, vt probabitur articulo proximè ſequenti; & tamen imagines D. Virginis, non continent excellentiam, quæ datur in diua Virgine, neque item ſunt ipſamet excellentia diuæ Virginis : ergo falſum eſt nihil adorari latriâ, niſi habuerit vel increatam excellentiam, vel fuerit ipſamet excellentia increata : ſatis enim eſt ad hoc vt adoretur aliquid latriâ, quod vel ſit alterum ex dictis proximè, vel quod adoretur propter excellentiam increatam, tanquam per rationem adorandi, ſecundum quam adoratur.

Poſtremo, vnio hypoſtatica eſt fundamentum filiationis naturalis in Chriſto, vt docuimus in antecedentibus: ergo poterit etiam eſſe hæc fundamentum adorationis latriæ, reſpectu humanitatis Chriſti. Vide plura de iſtis apud Suarem diſp. 53. & apud Gabrielem Vazquez diſp. 95. & Medinam ad articulum 5. huius quæſtionis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An imago Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ.

Partis negatiuæ fundamenta.

1. Svnt qui putent in nullo plane caſu fieri poſſe, vt imago Chriſti adoretur adoratione latrię. Probatur : quia cultus latriæ ſoli Deo debetur; in imagine autem Chriſti nihil eſt deitatis, ſed illud omne quod in ea datur, eſt res aliqua creata : ergo imago Chriſti non poterit adorari.

2. Deinde, ſi imago Chriſti adoraretur latriâ, liceret ea petere ab hac eâdem, quæ petimus ab ipſomet Chriſto ; poſſemus præterea collocare ſpem noſtram in hac imagine Chriſti : & denique eidem ſacrificare; neque enim eſt ratio aliqua, quę prohibeat aut petere nobis neceſſaria, aut collocare ſpem noſtram, aut ſacrificare, reſpectu illius quem adoramus latriâ : at nullum ex dictis poteſt habere locum in imagine Chriſti : ergo non debet imago Chriſti adorari latriâ.

3. Tertio, ſi poſſet imago Chriſti adorari latriâ, liceret etiam adorare hominem latria; homo quippe cenſetur eſſe imago Dei, Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: manna item & ſerpens æneus poſſent adorari latria ; ſunt enim hęc imagines Chriſti, ex cap. 6. Ioannis, *Patres noſtri manducauerunt manna* : & ex illo Apoſtoli ; *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* : nomen Iesv adoraretur item latria, quę tamen non videntur concedenda.

Geneſ. 1.

Ioan. 6.

1. Cor. 5.

Denique, in nullo caſu licet diligere Deum, & proximum vna & eâdem plane dilectione: ergo neque poterit etiam adorari imago Chriſti, illa eadem adoratione, qua adoratur Chriſtus.

Imago Chriſti per ſe ſola, quæ adoratione colatur.

Conclvsio 1. *Quando obiectum materiale adorationis noſtræ eſt ſola imago Chriſti, & ratio adorandi ſolus Chriſtus, per imaginem iſtam repræſentatus, adoratio hæc non eſt proprie adoratio latria, aut, vt alij loquuntur, non eſt adoratio latria abſoluta.*

Primùm, quia in 2. Synodo Nicæna, actione 2. 3. & 7. dicitur ſolum Deum eſſe colendum latria : at imago Chriſti in data hypotheſi, nec eſt Deus, neque aliquid Dei, vt eſt per ſe notum. Confirmatur. Adoratio latriæ abſoluta, ſeu, quod idem eſt, proprie dicta, conſequitur increatam excellentiam, omnium conſenſione ; at excellentia iſta non datur in imagine Chriſti : ſupponimus enim ſolam imaginem eſſe rem adoratam, & rationem adorandi eſſe Chriſtum repræſentatum per imaginem iſtam : ergo, vt ſic, nequit adorari latria.

Deinde, aliter ſe habet increata excellentia ad Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum, & aliter ad eius imaginem: nam ad Chriſtum ſe habet increata iſta excellentia intrinſece; ad imaginem vero tantum reſpectiue: ergo, imago iſta nequit adorari adoratione abſoluta latriç, aut, vt alij dicunt, adoratione latriæ proprie dicta.

3. Tertiò. Imago Chriſti in data hypotheſi, eodem cultu adoratur, quo calix in quo conficitur, aut continetur ſanguis Chriſti; vt videtur colligi ex 7. Synodo, actione 7. comparantur quippe iſtæ duæ adorationes inter ſe: at Calix, in quo continetur ſanctiſſimum ſacramentum, non adoratur adoratione proprie dicta, ſiue abſoluta, quando ſolus calix eſt res adorata, & ratio adorandi, ſacramentum totum in eo contentum, ſed adoratur calix adoratione relatiua: ergo. Ità ſentiunt multi interpretes D. Thom.

Imago Chriſti propter Chriſtũ colitur latriâ reſpectiua & inferiori, non verò abſoluta & ſuperiori.

ROGABIS, *Qua ratione nuncupanda ſit iſta adoratio, qua dicitur de imagine Chriſti in data hypotheſi?* Reſpondeo, *non eſſe hyperduliam*; quia hæc competit excellentiæ creatæ, excedenti eam excellentiam, quæ datur communiter in ſanctis, vel certo imaginibus, quibus repreſentatur excellentia iſta: imago autem Chriſti repræſentat excellentiam increatam. Neque item eſt adoratio duliæ, propter eamdem cauſam; erit ergo adoratio latriæ, reſpectiua tamen, non autem abſoluta; quoniam adoratio conſequitur rationem adorandi, ſeu, quod idem eſt, principium formale adorationis; at diximus rationem adorandi imaginem Chriſti in data hypotheſi, eſſe Chriſtum, ac proinde deitatem eiuſdem: ergo cùm adoratio deitatis dicatur latriæ, imago Chriſti in data hypotheſi adorabitur latria; quia tamen imago huiuſmodi non continet deitatem Chriſti vere, & realiter, ſed repræſentatiue tantùm; ideò adoratio iſta dicitur relatiua, non autem abſoluta latriç.

Chriſtus & eius imago poteſt eodem actu latriæ adorari. Probat. 1. Fieri poteſt vt prototypon imaginis, & imago cum prototypo vno actu colatur.

CONCLVSIO 2. *Quando adoratur totus Chriſtus, & imago eiuſdem ſimul, ità vt hæc duo ſint obiectum materiale adorationis, adoratio hæc cenſetur eſſe propriè Latriæ adoratio.* Primùm, quia hæc eſt mens 7. Synodi, actione 4. dicitur enim illic, eum qui adorat imaginem regis & regem, adorare non imaginem, ſed regem: ſubiungitur ibidem, non eſſe duas adorationes imaginis, & prototypi, ſed vnam & eamdem, & qui colit imaginem, exiſtimare ſe non imaginem, ſed prototypum eiuſdem ſibi videri adorare & tenere.

2. Synod. Trident.

Deinde, Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 2. quod eſt de inuocatione, veneratione, & de reliquijs ſanctorum, & ſacris imaginibus, ità dicit; *Sed quoniam honor qui eis*, ſcilicet, *imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & ſanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

3. Tertio. Eadem eſt adoratio prototypi & imaginis quandocumque prototypum, & imago ſimul adorantur: propter excellentiam, quæ datur in prototypo; at ſupponimus Chriſtum, & eius imaginem adorari, & quidem propter excellentiam increatam exiſtentem in Chriſto: ergo. Confirmatur. Idem eſt motus in imaginem & in rem repræſentatam per imaginem, quando imago & exemplar eiuſdem ſimul & ſemel intenduntur. Ità ſentiunt D. Thom. hoc loco, & art. proxime ſeq. Bonauentur. Richardus, Albertus, Marcilius, Dionyſius Carthuſianus in 3. diſt. 9.

Ad rationes vero contrarias. Reſp. ad 1. probare tantum noſtram concluſionem primam, in qua diximus, imaginem Chriſti adorari, quando hæc ſolà adoratur propter perfectionem prototypi, repræſentatam per imaginem eiuſdem, adoratione tantùm reſpectiua latriæ, non autem adoratione latriæ proprie dictæ, ſeu abſoluta.

Diluuntur fundamẽta partis aduerſæ.

Duplex latria, & motiuum eiuſdem.

Aduerte, vt hæc ſolutio ſit magis explicata, duas eſſe rationes adorandi latria. Prima cenſetur eſſe increata excellentia, quæ in ſolo Deo deprehenditur verè & realiter; vnde dicitur hæc abſoluta: altera vero eſt excellentia reſpectiua, quæ in imaginibus Dei datur, idque quod imagines iſtæ repræſentent Deum, & conſtituant eum præſentem, quantum ſatis eſt ad hoc, vt apprehendatur in huiuſmodi imaginibus; hæc ergo excellentia eſt ratio adorandi imagines Dei; quando adoratur aliqua imago ipſius: ità vt ſola imago Dei ſit ſola res adorata.

Cur non licet ſacrificare vel fundere preces imaginibus.

Ad 2. reſp. Non licere petere, quæ exigere intendimus à Deo per preces noſtras, ab imaginibus Dei, multò minùs in iſtis collocare ſpem noſtram, & item ſacrificare; petitiones enim, itémque ſpei collocatio, & denique ſacrificium præſupponunt in nobis actus aliquos vitales, & ordinantur intrinſecè ad eum, qui poteſt nos exaudire, miſeriam noſtram ſubleuare, & demiſſionem noſtram agnoſcere; in imaginibus autem, quæcumq; illę ſint, nulla datur notio, neque capacitas intelligendi aut volendi: ergo neque poterimus prædicta petere ab imaginibus Dei, vel Chriſti.

Cur homini viuæ Dei imagini non exhibeatur cultus latria, vel honor.

Ad 3. reſp. hominem non adorari à nobis, eſto ſit hic imago Dei, idque propter periculum erroris, ſeu idololatriç, ne videlicet hominem pro Deo colere iudicemur. Deinde, quia licèt homo ſit imago Dei, non tamen fuit hic aſſumptus ab Eccleſia, vt veneraretur à nobis; quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, vt imago aliqua adoretur, tanquam imago Dei. Denique, quia homo magis repræſentat ſeipſum, quàm Deum; & item magis repræſentat alium hominem, vel Angelum, quàm faciat Deum. Quod verò ſubiungitur de ſerpente æneo, & manna, dico hæc extitiſſe imagines Chriſti, ceterùm in veteri Teſtamento, quod quia omni ex parte ſublatum eſt per mortem Chriſti, imagines quoque iſtæ, ſiue adumbratæ figuræ cenſentur eſſe abolitæ, & omni ex parte antiquatę.

Nomen Ieſu, non eſt imago Chriſti.

*Colitur adoratione latria.**

Moneo tamen Agnos Dei, & nonnullas alias imagines Chriſti, itemque Trinitatis ab Eccleſia receptas, adorandas eſſe iuxta modum in concluſionibus noſtris explicatũ; nomen vero IESV non computatur inter imagines Chriſti, loquendo proprie de imaginibus; tum quia imago quælibet debet eſſe res aliqua permanens; nomen autem IESV tamdiu eſt, quamdiu profertur; tum etiam, quia de ratione imaginis eſt, vt ſit efficta ad ſimilitudinem prototypi: certum eſt autem hoc non poſſe affirmari de nomine IESV; tamen propter rem quam ſignificat, adoratur hoc nomen latriâ, ex illo Pauli ad Philipp. 2. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Philipp. 2.

Ad vltimam reſp. Propterea nefas eſſe diligere Deum & proximum vna & eâdem numero dilectione, ſub vna & eadem ratione, quia Deus eſt diligẽdus ſuper omnia, & proximus ſicut ſeipſum quiſque diligit, ex verbis iſtis Chriſti, Matth. 22. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut teipſum*; nullum autem extat præceptum de Deo adorando diuerſa ratione à creatura, quando Matth. 22.

Digitized by Google

Deus, & creatura ſunt ſimul res adorata; & ratio adorandi Deum, & creaturam ſimul, eſt increata excellentia; imò cùm natura adorationis ſit repetenda ex ratione adorandi, quæ eſt veluti principium formale adorationis, creatura, & Deus adorabuntur neceſſario adoratione latriæ. Vide controuerſias de hac re accuratiſſimas apud Bellar. lib. 2. de Reliquijs, & imaginibus ſanctorum, apud Sanderum lib. 2. de imaginibus Sanctorum, & denique apud Medinam ad hunc articulum.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Crux Chriſti ſit adoranda latriâ.

HÆRETICI noſtri temporis, quemadmodum improbant vſum imaginum ſanctorum, ità quoque negant & crucem in qua Chriſtus paſſus eſt; & ceteras ad huius imitationem confectas eſſe adorandas, aut etiam venerandas.

Hæreticorũ argument. contra crucis adorationem. Fundamentum 1.

Probant 1. Quia filij bene nati patibulum in quo parens ex hypotheſi paſſus eſt, ità ingratum & inuiſum habent, vt illud conſpicere nullo modo poſſint: igitur idem dici debet de Cruce.

2. Deinde, ſi crux Chriſti eſſet adoranda propter contactum humanitatis eiuſdem, quemadmodum docet D. Thom. hoc loco, & ceteri Catholici omnes, claui, lancea, ſpongia, corona ſpinea, manus quæ impegit alapam Chriſto, Aſina in qua ſedit, dum ingreſſus eſt ciuitatem Hieroſolym. præſepe, & denique vterus D. Virginis eſſent adoranda, tanquam res aliquę ab humana Chriſti natura contactæ: at certum eſt nullas ex rebus iſtis adorari latria, vt fatetur Athanaſius ad Antiochum quæſt. 16. ergo neque crux adoranda eſt illa adoratione.

Crucis Chriſti duplex acceptio.

Aduerte, Crucem in qua Chriſtus paſſus eſt, quamcũq; formam aut quantitatẽ retineat, & habere rationem imaginis Chriſti crucifixi, & præterea computari inter reliquias Chriſti, ex communi doctrina Theologorum, ad hunc locum: cruces verò formatæ ad illius ſimilitudinem ſunt tantùm imagines Chriſti crucifixi, minimè verò reliquiæ eiuſdem: difficultas ergo iſta, eſt explicanda de crucibus iſtis cõmemoratis, an ſint adorandæ, & qua ratione.

Crux in qua Chriſtus paſſus eſt adoratur.

CONCLVSIO 1. *Crux in qua Chriſtus paſſus eſt quamcumque formam aut quantitatem retineat, eſt adoranda, non dum vt imago Chriſti, ſed vt eſt reliquia eiuſdem: cetera verò cruces ſunt adoranda ſub ea ratione qua ſunt imagines Chriſti.* Probatur 1. Quia ità definitum eſt in 7. Synodo, act. 7. Deinde, ità docent ſancti Patres, Hieronym. epiſt. 17. ſub nomine Paulæ & Euſtochij ad Marcellam, paulò ante finem; *Ergòne illa erit dies, quando, nobis licebit ſpeluncam ſaluatoris intrare? in ſepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? crucis deinde lambere lignum. & in Oliueti monte cum aſcendente Domino, voto & animo ſubleuari?* Gregorius Turonenſis de gloria Martyr. lib. 1. cap. 6. *Crux Dominica, quæ ab Helena Auguſta reperta eſt, Hieroſolymis ità quarta & ſexta feria adoratur.* Damaſc. 4. de fide cap. 11. & 12. Cyrillus Hieroſolym. catech. 4. & 13. quo loco ait totum mundum particulis Chriſti crucis eſſe vere exornatum: Chryſoſtomus homil. Quod Chriſtus ſit Deus, & Greg. lib. 7. epiſtol. epiſt. 126.

Accedit ratio. Prima, de fide eſt imagines Sanctorum eſſe venerandas, ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. at crux Chriſti, quæcumque illa ſit, cenſetur eſſe imago eiuſdem, vt ſupponimus: igitur adoranda eſt. 3.

Deinde, inter inſtrumenta præcipua redemptionis noſtræ computatur crux, qua Chriſtus paſſus eſt: & præterea authoritate Eccleſiæ introducta eſt crux iſta, vt eſſet imago Chriſti crucifixi; ergo erit hæc adoranda illo eodem modo, quo cetera inſtrumenta paſſionis adorantur. Ità D. Th. & Interpretes eiuſdem, ibidem omnes.

Si crux adoretur vt mente & cogitatione coniuncta ipſi Chriſto, adoranda eſt perfecto actu latriæ.

CONCLVSIO 2. *Crux qualibet adoratur latria proprie dicta, quandocunque hac, vnà cum Chriſto adoratur ſimul, & ratio adorandi, eſt excellentia ipſiuſmet Chriſti.* Primùm, quia hæc eſt ſententia D. Thom. & Interpretum eiuſdem hoc loco.

Deinde, articulo proximè antecedente docuimus, imaginem Chriſti adorari adoratione latriæ, quandocumque totus Chriſtus, & imago eiuſdem ſunt obiectum materiale iſtius adorationis ſimul & ſemel; & quando ratio adorandi eſt excellentia Chriſti: atqui crux eſt verè imago ipſius, & adoratur vnà cum ipſomet Chriſto propter excellentiam eiuſdem: ergo illi tribuenda eſt adoratio.

Cruci Chriſti ſoli, adorata propter excellentiã Chriſti, debetur cultus latria inferioris, ſiue reſpectiua.

CONCLVSIO VLTIMA. *Quando crux Chriſti ſola, eſt res adorata, & ratio adorandi excellentia illius, adoratio hac non eſt latria proprie dicta, ſed inferior, quæ tamen dicitur adoratio latria reſpectiua, vel ad aliud.* Probat primo, quia ità docent Gregor. de Valentia, Suar. Bellarmin. & plerique alij Recentiores ad hunc locum, & in priuatis tractationibus de adoratione crucis Chriſti.

Deinde, tota ratio cur crux Chriſti adoretur, cenſetur eſſe excellentia reſpectiua, quæ in ea datur: at excellentia iſta non eſt tanta, quanta eſt illa quæ deprehenditur in Chriſto de facto; iſta enim verè abſoluta eſt, & eſt eadem cum entitate ſuppoſiti, quod terminat dependentiam humanæ naturæ Chriſti: excellentia autem, quæ eſt in Cruce, ideo dicitur eſſe in ea, quod repræſentet excellentiam exiſtentem in Chriſto; ergo adoranda eſt.

Ad rationes vero hæreticorum reſp. Ad 1. filios abhorrere patibulum patris, quandocumque patibulum peperit ignominiam, dedecus, & infamiam, familiæ vel parenti; contrà verò colere & venerari hoc idem, quandocumque fuit via, & aditus ad dignitates ſupremas in Republica obtinendas, vel certè ad conſequenda patrimonia ampliſſima: certum eſt autem crucem Chriſti comparaſſe nobis æternam hereditatem: præterea contuliſſe remiſſionem peccatorum, & liberaſſe nos à ſeruitute dæmonis, ex illo D. Petri. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis: ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati:* & ex illo; *Vna oblatione*, ſcilicet in ara crucis, *conſummauit in ſempiternum ſanctificatos:* non eſt ergo mirum, ſi crux Chriſti à nobis adoretur. 1. Petr. 1. Hebr. 10.

AD 2. reſp. Athanaſium hoc in loco propterea affirmare nos adorare crucem Chriſti, non autem clauos repræſentantes illos, quibus ipſe fuit cruci affixus; *Quia*, inquit, *non adoramus lignum ex quo crux confecta: ſed figuram eiuſdem.* Cetcrum magis explicatè reſpondent alij, qui dicunt, ſpongiam, clauos, lanceam, coronam ſpineam, linteum, & alia inſtrumenta paſſionis Chriſti à nobis adorari, iuxta modum in concluſionibus explicatum, non tanquam

Digitized by Google

tanquam imagines paſſionis Chriſti: non enim fuerunt hæc aliquando aſſumpta ab Eccleſia ad hoc, vt eſſent paſſionis Chriſti imagines, ſed adorari à nobis tanquam reliquias aliquas Chriſti, ac proinde propter contactum ſacræ humanitatis eiuſdem.

Cur non adorentur lanceæ, claui, & cetera quæ repræſentant inſtrumenta paſſionis Chriſti.

Ex quo colliges, quî fiat, vt non adorentur à nobis lanceæ, quæ exprimunt figuram illius, quæ latus Chriſti aperuit: & idem dicendum eſt de ceteris clauis, ſpongijs, ſyndonibus, ſpinetis, & ſimilibus: licèt enim hæc eamdem plane retineant ſimilitudinem externam, cum inſtrumentis quibus paſſio Chriſti fuit celebrata, non tamen propterea vllo plane cultu adorantur à nobis; quia ſcilicet non ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ imagines exprimentes paſſionem Chriſti.

Cur multa quæ Chriſtus tetigit non adorentur.

Moneo tamen res iſtas venerari à nobis tanquam imagines paſſionis Chriſti, quandocumque depinguntur in vna & eadem tabula cum cruce eiuſdem; dicunt enim tunc temporis ordinem & habitudinem quandam ad crucem quæ habet rationem imaginis, ex authoritate Eccleſiæ repræſentantes paſſionem Chriſti. Manum vero, quæ impegit colaphum Chriſto, non adoramus, etiamſi tetigerit ſacram Chriſti humanitatem, quia tantum facinus, quantum admiſit is qui Chriſtum percuſſit probare non poſſumus. Aſinam denique ſuper quam ſedit Chriſtus, ideo non adorant Catholici, ne videantur honorem Deo debitum brutis & alijs rebus inſenſibilibus deferre, more Ethnicorum, & infidelium hominum. Deinde, quia ratio imaginis, & reliquiæ Chriſti nullum habent locum in bruto, aut animali.

Nota.

Eſt autem obſeruandum, nedum licitum eſſe, ſed etiam vtile effingere ſignum crucis Chriſti, vt

Num. 21. manifeſte colligitur ex cap. 21. Numer. Serpens quippe æneus proponitur in cruce affixus colendus: & quidem cum tanto commodo, & vtilitate, vt icti à ſerpentibus priſtinæ ſanitati reſtituantur, quamprimum aciem oculorum coniecerint in huiuſmodi ſerpentem. Deinde, apparuerunt ſigna crucis Chriſti in aëre poſt eius mortem, & quidem magna cum vtilitate, reſpectu eorum quibus apparuerunt, vt conſtat ex vita Conſtantini Magni apud Euſebium, & ex cap. 8. lib. 9. hiſtor. Eccleſiaſt. eiuſdem. Tertio, ſupplicationes ſolemnes, ab exordio religionis Chriſtianæ, fuerunt celebratæ cum imagine crucis Chriſti, delata inter duos cereos accenſos, ex Socrate lib. 6. cap. 8. & Sozom. lib. 8. cap. 8. Quarto, conſuetudo obtinuit temporibus primitiuæ Eccleſiæ, vt quilibet omnes ſuas actiones inciperet ſigno crucis Chriſti, vt author eſt Dionyſius

Dionyſ. cap. 2. Eccleſ. hierarch. *Cùm ei planè veſtes miniſtri detraxerunt, tum Sacerdotes ſacrum vnctionis oleum afferunt: ipſe cum inungendi ac perfundendi ter exprimendo ſignum crucis principium fecit.* & Cyrill. Hie-

Cyrill. roſol. Catechеſi 13. circa medium; *Cùm de Domino crucéque contra infideles quæſtio tibi erit, priùs ſtatue manu tua ſignum: & obmuteſcet contradicens. Non pudeat crucem Chriſti confiteri: Angeli enim gloriamur, dicentes, Ieſum crucifixum quæritis,* & poſt aliquot paginas. *Non pudeat,* inquit, *nos crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat: In panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egreſſu; & ingreſſu, ante ſomnum, recumbendo & ſurgendo, eúndo & quieſcendo. Magna hæc eſt cuſtodia &c.*

D. Aug. D. Auguſt. etiam tractat. 118. in Ioann. & ſerm. 181. de tempore: ibi enim ſic loquitur; *Hoc ſigno crucis conſecratur corpus Domini, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur etiam preſbyteri, & ceteri Eccleſiaſtici gradus, & omnia quæcumque ſanctificantur hoc ſigno Dominica crucis, cum inuocatione Chriſti nomine conſecrantur.* Pulchra ſunt etiam verba Tertull. lib. de corona militis, cap. 3. *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſam, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos conuerſatio exercet frontem crucis ſignaculo terimus.* Alijque permulti, quos citat Baron. tom. 1. ſuorum Ann. ad annum Chriſti 60. & 16. Petri, & Neronis.

Denique, ſignum crucis Chriſti apparebit in cœlo ante diem iudicij & in ipſomet iudicio, ex illo Matth. 24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo:* nomine quippe ſigni, illic deſignatur crux Chriſti, ex communi Patrum ſententia, Origenis, Chryſoſt. Theophyl. Euthym. & Damaſc. lib. 4. de fide, cap. 12. & denique D. Auguſtini ſerm. 13. de tempore. Imo ſunt qui putent crucem iſtam, fore illam eamdem numero, in qua Chriſtus paſſus eſt. Cetertùm de iſtis vide plura apud Gretſerũ in lib. de cruce, & Belarmin. tom. 1. ſuarum controuerſ. lib. 2. à cap. 25. ad vltimum vſque, de imaginibus Sanctorum.

Matth. 24. Origen. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Damaſc. D. Aug.

ARTICVLVS QVINTVS.

Virum mater Chriſti ſit adoranda adoratione latria.

Neceſſaria ad adorationẽ latriæ.

DOCET D. Thom. *D. Virginem non eſſe adorandam latria,* & quidem merito: hæc enim nec eſt Deus, nec imago Dei deſignata authoritate Eccleſiæ ad Deum repræſentandum, nec denique reliquia eiuſdem, quorum aliquod neceſſarium eſt, ad hoc vt aliquid adoretur latriâ. Moneo tamen D. Virginem potuiſſe adorari latriâ propriè dictâ pro eo tempore, quo humanitatem Chriſti intrà vterum maternum retinuit, ſtante tamen hac hypotheſi, quod totus Chriſtus adoraretur vnà cum Diua Virgine, & ratio adorandi eſſet increata excellentia, quæ datur in Chriſto. Potuit & D. Virgo adorari etiam noſtris temporibus tanquam reliquia Chriſti, propter contactum eiuſdem, latriâ propriè dictâ; non tamen id præſtat Eccleſia ad vitandum ſcandalum, quod ex huiuſmodi adoratione ſubſequi poſſet, & præterea, quia debetur D. Virgini propria adoratio.

Beata Virgo Maria adorari debet hyperdulia, non latria.

Addit S. Thom. *D. Virginem adorandam eſſe hyperdulia,* & quidem merito: diximus enim Dub. vnica ad articulos 1. & 2. huius quæſt. hyperduliam deberi illis Sanctis, in quibus datur maior excellentia, quàm ſit ea quę vt plurimũ deprehenditur in ceteris iuſtis: at ſanctitas D. Virginis, tanta eſt, & conſequenter eius excellentia, vt hæc ſuperet omnem ſanctitatem quæ datur, nedum in hominibus ſanctis, ſed etiam in omnibus Angelis, vt author Chryſtomus in ſua liturgia; *Vere,* inquit, *dignum & iuſtum eſt glorificare te Deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitus incontaminatam matrem Dei noſtri, honorabiliorem Cherubim, & glorioſio-*

Chryſoſt.

Digitized by Google

rem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti.

D. Virgo quare præ ceteris sit colenda.

Deinde, hæc est mens sanctorum Patrum: affirmant enim D. Virginem, præ ceteris Sanctis ideo esse colendam, quod sit mater Christi: ità Damasc. 4. de fide, cap. 15. Augustinus, serm. 33. de sanctis. Bernard. serm. 1. de Assumptio. Auselmus in opusculo de excellentia Virginis, cap. 8. & septima Synodus, actio. 4. & Rupert. in Cantic. alijque in numeri.

Denique, hoc idem comprobatur ex istis nominibus quæ D. Virgini tribuuntur: nuncupatur siquidem; *Regina cœli, mater misericordiæ, porta cœli, vita, salus, & spes nostra.*

Obiectio. Responsio.

Obijciunt hæretici, nomina tria vltimo adducta de solo Christo enunciari. Resp. hoc esse verum, si sumantur de causa præcipua & principali vitæ, spei, & salutis nostræ; cum istis tamen rectè stat, vt illa eadem de Virgine verè enuncientur, quatenus scilicet per D. Virginem factum est, vt vita, salus, & spes nostra, ad nos peruenerit, & peruenire quotidie precibus & orationibus eiusdem D. Virginis.

Quomodo D. Virgo sit vita, salus, & spes nostra.

Obijciunt 2. hæretici, Epiphanium hæresi 79. improbare factum quarumdam feminarum offerentium tortam panis, aut placentulas D. Virgini, prohiberéque ne D. Virgo adoretur.

Resp. ex istis non posse hæreticos colligere D. Virginem non esse adorandam hyperdulia, aut dulia: nam prohibet Epiphanius tantummodo ne adoretur D. Virgo latria; idque, quod hæc soli Deo debeatur.

Deinde, quia non improbat absolutè factum istarum feminarum in honorem D. Virginis: sed ex eo tantùm quod illæ offerrent huiusmodi dona D. Virgini, tanquam sacrificia aliqua propriè dicta: monuimus autem in antecedentibus, sacrificium propriè dictum soli Deo esse debitum, eique offerendum.

ARTICVLVS SEXTVS.

Virum reliquiæ Sanctorum sint venerandæ.

DVAE mouendę sunt Dubitationes circa hunc articulum sextum.

DVBITATIO PRIMA.

An Reliquiæ Sanctorum sint venerandæ.

Eustathius primus omnium sacris reliquijs cultum abstulit.

CVLTVM debitum reliquijs sanctorum improbauit omniũ primus Eustathius quidam Sebastienſis, vt refert Alphonsus à Castro de hæresibus, verbo SANCTI. Deinde, idem præstitit Eunomius, & Vigilantius, vt constat ex Hieronym. in libb. contra hunc editis, Faustus Manich. ex lib. Augustini contra eumdem, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, VViclefuistæ, Lutherani, Caluinus, & omnes omnino hæretici nostri temporis.

Luc. 11. Quorum hæresis comprobatur communiter ex cap. 11. Luc. *Væ vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum.*

Deinde, ex Concil. Eliberitano, Cano. 34. *Cereos, inquit, per diem placuit in cœmeterio non incendi, inquirendi enim spiritus sanctorum non sunt.*

Tertiò, reliquiæ sanctorum sunt quàm maximè incertæ & dubiæ.

Denique, vnum numero corpus sancti alicuius dicitur esse in pluribus locis.

Quid nomine reliquiarum significetur.

CONCLVSIO. *De fide Catholica est, reliquias sanctorum esse venerandas.* Aduerte, nomine reliquiarum nedum significari hoc loco corpora, ossa, & cineres sanctorum, sed etiam sepulchra, vestimenta eorumdem, & præterea quæ abistis fuere contacta. Res hæc ità definita est in Concilio Gangrensi can. 5. & in 7. Synodo, act. 7. in Concil. Africano 5. cano. 14. vbi etiam adijcitur nulla altaria sine reliquijs sanctorum esse consecranda, & in Bracharensi 3. can. 5. in Epanuensi can. 25. Moguntino, tempore Caroli Mag. celebrato can. 51. Lateranensi sub Innocent. III. cap. 62. & denique Tridentino sess. 25. cap. 20. de veneratione sanctorum, & reliquiarum.

Probatio 2.

Deinde, ex sacris litteris hæc eadem veritas comprobatur: Iudæi namque, quando recesserunt ab Ægypto, ossa Patriarchæ Ioſephi secum transportauerunt, vt dicitur *Genes. vltimo*, & *Exod. 13.* Corpus item Moysis sepelitur à Deo Opt. Max. *Deuteron. vltimo*: imò sepulturæ istius interfuit Angelus Michaël, vt colligitur *ex epist. Iudæ.* Ossa item Elisæi Prophetæ, mortuum ad vitam reuocârunt, medio contactu eorumdem, vt dicitur, *cap. 13. lib. 4. Reg.* Elias etiam Propheta Elisæo reliquit suum pallium, quo diuisit aquas Iordanis, *ex cap. 2. lib. 4. Reg.* Fimbria vestimenti Christi sanitatem restituit feminæ, quæ patiebatur fluxum sanguinis iamdiu *ex cap. 9. Matth. & ex cap. 8. Luc.* Vmbra D. Petri sanitatem ægris reddidit, *Actor. 5.* cinctoria & sudariola Pauli transmissa fuerunt ad ægrotos, & istis tactis statim pristinæ sanitati fuerunt restituti.

Genes. vlt. Exod. 13. Deut. vlt. Matth. 9. Luc. 8. Actor. 5. Actor. 19.

3.

Tertiò, inter traditiones Ecclesiasticas computata est hactenus Sanctorum reliquiarum veneratio, vt constat ex Clem. Roman. lib. 6. Constitutionum Apostolicarum, cap. 3. Dionys. cap. 9. lib. Ecclesiast. hierar. & ex Abdia Babylonico in opere de vitis Apostolorũ, si tamen Abdias hic, sit author huius operis, maximè in vita D. Thomę.

4. D. August.

Quartò, ex sanctis Patribus, D. Augustino de dogmatibus Ecclesiast. cap. 73. *Beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra essent venerandas, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta, diuino cultui mancipata, affectu pyssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus; si quis contra hanc sententiã venerit, nõ Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* & lib. 22. de Ciuitat. cap. 8. narrat ad sepulchrum D. Stephani varia & diuersa miracula fuisse facta. & epist. 103. ad Quintianum, commendat viduam nomine Gallam, & puellam Simpliciolam secum ferentes reliquias B. Stephani, quibus etiam D. Augustinus multum tribuit ex locis proximè citatis. Cõsentit Ambrosius in serm. de SS. Nazario & Celso, Hieronym. in epist. ad Marcellam, Chrysost. homil. vltima in epist. ad Rom. & 66. ad populum Antiochen. & Cyrillus Hierosolym. cateches. 13. & 18. Nazianzen. oratio. 1. contra Iulianum, Basilius oratio. in 40. martyr. Athanasius in vita Antonij; & Eusebius Cæsarienſis in sua historia Ecclesiastica: ait enim Ignatij, & Polycarpi reliquias fuisse collectas à Christianis summo studio, & summa veneratione.

Obiectio.

Dices, in Reliquijs sanctorum nihil esse quod non sit

Digitized by Google

non ſit ſenſibile, ac proinde ordinis naturalis; ergo non ſunt adorandæ. Reſp. negando antecedens: Paulus quippe ità loquitur de ſeipſo ad Galat. 2. *Vivo ego, iam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* & cap. 6. poſterioris ad Corinthios, ait de vnoquoque noſtrùm; *Vos eſtis templum Dei viui*, & cap. 3. prioris ad eoſdem; *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* & rurſus, *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

Reſp. — Gal. 2. — 2.Cor.6. — 1.Cor.3.

Deinde, compertum eſt medijs reliquijs Sanctorum frequenter ægrotos conſequi ſanitatem, vt ex probationibus Conluſionis patet: argumento igitur eſt in reliquijs admittendum eſſe aliquid, quod verè eſt ordinis ſupernaturalis.

Ad rationes vero hæreticorum. Reſp. ad 1. Chriſtum non prohibere eo in loco ædificationē ſepulchrorum in gratiam Prophetarum: conſtruere quippe ſepulchra in honorem Sanctorum, ſemper fuit honeſtum & laudabile; vt colligitur ex illo Iſaiæ; *Sepulchrum eius erit gloriosum*, loquitur autem de ſepulchro Chriſti futuro: & in Actis capite 8. dicitur; *Cuſtodierunt Stephanum viri timorati*, quod idem eſt, ac ſi diceret, commendauerunt ſepulturæ Stephanum viri religioſi, timentes Deum, cum ſumtu & apparatu aliquo: & D. Auguſtinus lib. 22. de ciuitate, capite 8. commendat ſepulchrum eiuſdem protomartyris. Prohibet ergo eo in loco Chriſtus conſtructionem ſepulchrorum ordinatam in malum, & turpem aliquem finem, qualis eſſe poteſt vana oſtentatio, hypocriſis, & ſimulatio; commendatio item eorum qui ſanctos Prophetas occiderunt: peccaſſe autem Iudæos in iſtis tribus proximè commemoratis indubitatum eſt, ex illo Matthæi 6. *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, & ex illo; *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* & rurſus, *Hieruſalem, Hieruſalem, qua occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt*, & denique ex illo; *Omnia opera faciunt vt videantur ab hominibus.* Propter has ergo cauſas damnat conſtructionem ſepulchrorum, factam tantum apparenter in gratiam Prophetarum; verè tamen & de facto celebratam propter vanam gloriam, & commendationem eorum, qui ſanctos Prophetas occiderant, & propter hypocriſim, ad tegendam propriam malitiam.

Iſai. 11. — Act.or.8. — Auguſt. — *Locus Lucæ explicatur.* — Matth.6. & 23.

Ad 2. Reſp. Conciliū Eliberitanum non damnare illic vſum cereorum accenſorum ad ſepulchra Martyrum; claruit namque Eccleſia in hac conſuetudine, vt definit Concilium Carthaginenſe 4. capite 5. & ità factitatum fuiſſe ſuo tempore ſcribit D. Hieronymus aduerſus Vigilantium, ad Riparium presbyterum, epiſtola 53. his verbis. *Quicumque accendunt cereos ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, Idololatras appellas huiuſmodi homines? Non diffiteor omnes nos, qui in Chriſto credimus de idololatriæ errore vomiſſe: non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani; & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili cum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt; nam & abſque Martyrum reliquijs per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium accenduntur luminaria, iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vnde & Virgines omnes Euangelicæ, ſemper habent accenſas lampades ſuas.*

Cæcilij Eliberitani explicatio. — *Fœregiū teſtimonium D. Hieron.*

Denique Baronius ad annum Chriſti 261. tom. 2. ſuorum Annalium, annotat corpus ſancti Cypriani Epiſcopi & Martyris ſepulturæ fuiſſe demandatum, cum cereis, & ſcholaribus, id eſt, præeuntibus ſcholaſticis faces accenſas geſtantibus. Sunt & aliqua de hac eadem re, tomo 1. ad annum Chriſti 58. Prohibet ergo Concilium Eliberitanum accenſionem cereorum ad ſepulchra mortuorum, quæ habuit ortum à ritu gentilitio, & Ethnico; nam ex opinione erronea crediderunt iſti infideles, mortuos, etiam reſpectu corporis ſentire, & experiri de facto aliqua mala, & liberari, aut ſaltem alleniari ab huiuſmodi incommodis, per accenſionem cereorum; abutum ergo hunc damnat Concilium hoc: ità docet Loyſas Garſia ad Concilium iſtud; additque, rationem ſubiunctam, *ne inquietentur ſpiritus Sanctorum*, intelligendam eſſe de hominibus iuſtis in hac vita conſtitutis: iſti enim non poſſunt non moleſtè ferre prædictam ceremoniam, ob finem quem diximus fuiſſe obſeruatam ſine aliquo dolore animi.

Exponitur mens Eliberitani Concily.

Ad 3. reſpond. Reliquias non eſſe ità certas, vt nulla ſuperſit occaſio dubitandi de oppoſito: ſunt tamen iſtæ ità certæ, vt inculpatè poſſint à nobis venerari: cognoſcuntur quippe, vel miraculis, vel traditione, vel denique per ſpecialem Dei reuelationem: nullæ autem reliquiæ coluntur à nobis, quæ ſaltem non fuerint comprobatæ traditione. Deinde, quandocumque reliquias adoramus, mouemur ſemper ad eas adorandas, ſub ea ratione, qua ſunt reliquiæ, huius vel illius ſancti, Petri, vel Pauli, Apoſtoli, martyris, &c. Indubitatum autem eſt, omnes huiuſmodi actiones noſtras eſſe honeſtas, & laudabiles, ac proinde carere peccato, quæ exercentur à nobis ex fine aliquo honeſto; exceptis tamen illis actionibus, quæ ex ſe, & ſua natura ſunt malæ: colere autem Sanctos, & etiam quæ ſunt Sanctorum, non eſt res aliqua per ſe mala, ſed bona, vel ad ſummum indifferens, quare ſi res hæc fuerit ordinata in finem honeſtum, qualis eſt gloria Dei, vel Sancti alicuius cultus, erit verè honeſta; eſto reliquia ex hypotheſi ſit ſuppoſititia, & adulterina.

Quomodo dignoſcuntur vera reliquiæ, & inculpate adorantur.

Ad vltimam reſpondeo cum Theodoreto, vt obſeruauit Baronius in ijs quæ præmittit ad ſuū Martyrologium, & Magalonius de gloria Martyrum, corpus alicuius Sancti cenſeri eſſe in plurib locis, non quidem integrè, ſed partialiter: affectus quippe & deuotio populi Chriſtiani erga corpora Sanctorum, non patiuntur corpus alicuius ſancti integrum in vno, & eodem loco reperiri.

Reſp. 2. cum iiſdem, pluribus Sanctis inditum eſſe vnum, & idem planè nomen, & cum tempore factitatum eſſe, vt nomen ſancti nobilioris aſcriptum fuerit omnibus iſtis ſanctis ità nuncupatis, quamobrem fama quoque obtinuit, vt vnum, & idem planè corpus creditum fuerit extitiſſe in pluribus locis.

Quomodo fieri potuit vt corpus eiuſdē ſancti in pluribus locis haberi credatur.

DVBITATIO SECVNDA.

An hæc propoſitio; Iſtæ, vel hæ numero Reliquiæ Sanctorum, ſunt adorandæ, *ſit tenenda tanquam de fide.*

CONSTANTER affirmo, *prædictam propoſitionem inter articulos fidei noſtræ nulla ratione computandam*: dicitur quippe regula apud pleroſque Theologos, eóſque doctiſſimos certiſſima; ea tantùm eſſe de fide Catholica, quæ fuerunt expreſſe à Deo reuelata, & quæ authoritate Eccleſiæ vniuerſalis proponuntur credenda: at quis dicat Deum Optimum Maximum reuelaſſe in particulari de reliquijs quorumcumque Martyrum & Sanctorum, quod ità ſint huius, vt nullius alterius exiſtant? & licet daremus Deum de quibuſuis ſanctorum Martyrum reliquijs in particulari reuelaſſe, quod iſtæ reliquiæ ità ſint huius, vt nullius alterius exiſtant, quod fatetur D. Auguſtinus de corporibus ſanctorum Geruaſij, & Prothaſij, capite 8. libro 22. de ciuit. capite 17. lib. de cura pro mortuis agenda, capite 7. libro 9. Confeſſionum: Nazianzenus homil. 18. de corpore nunquam ſatis laudati Martyris, & Epiſcopi Carthaginenſis Cypriani: Sozomenus libro 9. capite 2. de corporibus Sanctorum 40. Martyrum, quę vbi longo, & diuturno tempore latitaſſent, maximo cum commodo, & vtilitate Catholicorum hominum, fuerunt Pulcherię Imperatrici diuinitus reuelata. Non tamen propterea prędicta propoſitio eſſet inter documenta fidei orthodoxę computanda: eſt enim regula communiſſima apud multos Theologos quamlibet reuelationem diuinam non ſufficere ad rem aliquam de fide conſtituendam, ſed deſiderari prętereà, vt hęc reuelatio vniuerſę Eccleſię fuerit facta, & quod hęc eadem authoritate Eccleſię proponatur credenda; quorum tamen neutrum de prędicta propoſitione poteſt dici.

Reliquiæ aliquæ ſanctorum fuerunt reuelatæ in particulari diuinitus.

D. Auguſt.

Subiungo in huius veritatis confirmationem, & aliud, ad id de quo quęritur comprobandum, magis efficax argumentum; hoc vnico tantum pręmiſſo, ante annos, ſcilicet, quadringentos circiter ſexaginta Pontifices Romanos iuſtiſſimis de cauſis ſibi reſeruaſſe vſum poteſtatis referendi iuſtos, & ſanctos homines poſt hanc vitam mortalem in numerum beatarum mentium, ità vt ab eo tempore nullus fuerit in catalogum ſanctorum relatus ſine iudicio, & authoritate Sedis Apoſtolicę: extant hac de re Conſtitutiones Alexandri III. & Innocentij III. Pontificum maximorum capite 1. & 2. de reliquijs, & veneratione ſanctorum, apud Gregorium: imo, niſi me mea fallit opinio, aut eprædictos Pontifices fuit aliquid de hac eadem re conſtitutum, aut à Sede Apoſtolica, aut ab Eccleſia vniuerſa: coniecturam ex eo deſumo, quod D. Bernardus Canonicos Lugdunenſes grauiter increpat ex eo quod feſtum Immaculatæ Conceptionis Diuæ Virginis Mariæ, in ſuis baſilicis, hymnis, canticis, laudationibus, pſalmodijs, & alijs ritibus Eccleſiaſticis, inconſulta Sede Apoſtolica publico ritu cohoneſtarent, & celebrarent: fuiſſe autem in humanis D. Bernardum ante Alexandrum III. & Innocentium III. notiſſimum eſt mediocriter exercitatis in re Chronologica: ante tamen hęc tempora, ac proinde per mille & centum annos à Chriſti natiuitate computandos, quilibet Epiſcopus, cuiuſlibet Diœceſis, viros probitate vitæ inſignes, poſt huius vitæ mortalis decurſum, in numerum Sanctorum retulit; eiſdem dies feſtiuos & ſolemnes indixit, eoſdem inuocandos, & venerandos, vnà cum reliquijs eorumdem propoſuit, vt manifeſte colligitur ex capite 1. diſtinctionis 3. de conſecratione: *Feſtiuitates* (inquit) *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis epiſcopatibus, vnà cum populo collaudauere:* & ex Cypriano epiſt. 37. ad Presbyteros, & Diaconos fratres, ſeu, quod idem eſt, ad clerum Carthaginenſem: licet hic de ſolis Martyribus loquatur. *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, vt eorum commemorationes inter memorias Martyrum celebrare poſſimus; quamquam Tertullus fideliſſimus, & deuotiſſimus frater noſter pro cetera ſolicitudine, & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, ſcribat, & ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, vt celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, qua cito vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus.*

Ab annis 460. penès ſummos Pontifices eſt, referre ſanctos poſt obitum illorum in numerum mentiũ beatarum.

Olim penès Epiſcopus Diœceſanos erat, probos, poſtquã è vita migrauerant, in ſanctorum numerum referre.

Et licet opinioni illi adhæream, quæ aſſerit Epiſcopos Diœceſanos in huiuſmodi rebus definiendis, nulla ratione à veritate defeciſſe; ſuauis quippe ordo diuinę prouidentię poſtulauit, ne Epiſcopi Diœceſani in re tanti momenti aberrarent; quid enim magis turpe, aut fędũ in religione Chriſtiana deprehendi poſſet, quàm eum coli pro ſancto, qui ſanctus non eſſet, ſed apud inferos pœnas æternas experiretur. Quemadmodum ergo priſcis illis Eccleſiæ naſcentis temporibus, nullus Epiſcopus Diœceſanus cogitauit de referendo aliquo viro bono, & optimo in catalogum Sanctorum, niſi Deo pręmouente, & inſpirante; ità quoque eodem duce & authore factitatum eſt, vt actio hæc, quæ communiter Canonizatio dicitur, debitum, ac legitimum finem ſit conſequuta: hæc eſt expreſſa ſententia Leonis I. epiſt. 4. cap. 2. ſub finem.

Cur Epiſcopus Diœceſanus in definiendis beatis errare nequit.

His ergo ità præmiſſis, demonſtro propoſitionem iſtam, *Reliquiæ iſtæ in particulari ſpectatæ ſunt adorandæ*, non eſſe computandam inter documenta fidei Catholicæ. Certitudo quæ conſequitur iudicium, authoritatem, & teſtificationem Epiſcopi Diœceſani, non eſt ſatis ad aliquid de fide conſtituendum; deſideratur enim ad id promiſſio diuina, eáque infallibilis de non errando, in proponendo aliquid tanquam de fide tenendum, iudicio quorumcumque Theologorum, in tractatione de fide; quæ tamen ſoli D. Petro, & ſucceſſoribus eiuſdem cenſetur eſſe facta, ex cap. 22. Lucæ; *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quod etiam obſeruauit Diuus Hieronymus, in epiſtola ad Damaſum Papam: at diximus Epiſcopos Diœceſanos per vndecim anteacta ſecula à Chriſti natiuitate computanda, viros probitate vitæ inſignes, poſt huius vitæ mortalitatis decurſum in numerum ſanctorum collocaſſe, & eiſdem

Luc. 22.

Digitized by Google

dem feſtiuos dies conſecraſſe, ac proinde eorum reliquias propoſuiſſe venerandas: non ergo poterit res hæc ad fidem Catholicam pertinere.

Incertitudinẽ reliquiarum, ex diuerſitate hiſtoriarum oſtendit.

Iuuat & ad eamdem veritatem compro-
bandam, de pleriſque ſanctorum reliquijs quàm maximè dubia, & anceps narratio, ab authoribus probatæ fidei conſignata poſteritati, & contrarijs omnino traditionibus priuatis roborata: & ne quis exiſtimet hoc à me gratis, & liberè dictum, rem totam quibuſdam exemplis illuſtro. Platina in vita Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sigonius de Occidentali imperio, propè medium, Baronius tomo 6. ſuorum annalium; pagina mihi 424. ex editione Romana, affirmant Barnabæ Apoſtoli, & Martyris corpus ſanctum, & venerandum circa annum Chriſti 477. temporibus Gelaſij I. & Zenonis in Cypro, vnà cum Euangelio Matthæi, quod ipſe litteris, & characteribus Hebraïcis manu propria deſcripſerat, & quo medio innumera propemodum miracula ediderat, fuiſſe repertum, & ibidem ab omnibus pio, & religioſo cultu adoratum.

Corpus S. Barnabæ Apoſtoli in Cypro inſula reperti tempore Gelaſij primi ex quorumdã opinione.

Martinus Polonus dicit corpus S. Barnabæ repertum fuiſſe in Tyro.

Martinus tamen Polonus Epiſcopus Conſtantinus, authoribus proximè commemoratis antiquiores, neſcio quo Doctore fultus in Chronico, quod edidit de Pontificibus Romanis, aſſerit, prædicti Apoſtoli, & Martyris corpus, non in Cypro, ſed in Tyro fuiſſe deprehenſum, & ibidem flammis abſumptum: conſentit & Codex Horarius ad vſum Eccleſiæ Romanę compoſitus, qui noſtris in ædibus Toloſæ extat blattis, & tineis conſumptus.

Traditio verò Eccleſiarum noſtrarum priuatarum, in eo tota eſt poſita, vt affirmet non alibi, quàm in Eccleſia ſanctiſſima, Deo Optimo, Maximo, & D. Saturnino intra muros huius ciuitatis Toloſanæ conſecrata, D. Barnabæ reliquias aſſeruari, & nedum ab indigenis & popularibus noſtris, ſed etiam ab exteris ibidem venerari.

Corpus D. Barnabæ Toloſæ.

Corpus B. Monicæ D. P. Auguſtini matris optimæ, de qua inter alia, ità canit Eccleſia,

O decus ſummum, pia ſpeſque matrum,
Certa naturum via, dux, aſylum,
Dæmonum victrix, hæreſum fugatrix
Alma Virago.

Poſt hanc vitam mortalem fuiſſe apud Oſtia Tyberina ſequlturæ traditum, ſcribit D. Auguſtinus, optimus eiuſdem Monicæ bis filius cap. 11. & 12. lib. 9. Confeſſ. Ioannes tamen Molanus in martyrologio, quod edidit de Sanctis Belgij ad diem 4. Maij, obſeruat ex VValtero Canonico Regulari Ordinis ſancti Auguſtini, corpus prædictum D. Monicæ, ab anno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo requieſcere apud Aroaſienſes in finibus Atrebatum.

Romæ iam iacet corpus B. Monicæ.

Traditio vero Romanarum Eccleſiarum conſtanter affirmat temporibus Martini V. in Concilio Conſtantienſi ad ſedandum ſchiſma, quod Eccleſiam per multos annos infeſtarat creati, ſumptibus Maphei Vegij Laudenſis, prædicti Pontificis maximi Datarij, procurante & promouente prædicto Pontifice, pignora ſacra tantæ matris, ex Oſtia Tyberina ad ædem Dei Optimi Maximi, & P. Auguſtini intrà muros ciuitatis Romanæ, à Cardinale Gallo de Touſe-ville conſtructam, vt obſeruat Author Bibliothecæ Cluniacenſis, maximo cum populorum concurſu, & celebri pompa prætentibus innumeris, Epiſcopis, Cardinalibus, & alijs Eccleſiaſticis, fuiſſe tranſlata; & ibidem quotidie miraculis clareſcere.

Caſſinenſes Religioſi, Ordinis D. Benedicti de poſſeſſione corporis Patriarchę prędicti mirum in modum gloriantur. Floriacenſes vero eiuſdem inſtituti ſectatores quorum monaſterium in agro Aurelianenſi, noſtris etiam temporibus conſpicitur, nulla frequentius in vulgus iactant; aut etiam ſæpius typis & prælo committunt, quàm ſancti Benedicti prædicti corpus in eorum Baſilica aſſeruari: extat de hac re apologiſmus à Ioanne Boſco, Anthore Bibliothecæ Floriacenſis conſcriptus, contra Baronium, & alios tàm veteres, quàm recentiores Doctores ſecus ſentientes, & idem docet in epiſtola dedicatoria ad Henricũ IV. & in præfatione eiuſdem Bibliothecæ.

D. Benedicti reliquiæ in monaſterio Caſſinẽſi, ſecundũ alios in Floriacenſi.

Mitto innumera alia probatorum Authorum de huiuſmodi rebus varia & diuerſa placita, & quidem, vt referam tantam extitiſſe quorumdam hominum perfidiam; & impietatem, vt eos minime puduerit falſas & adulterinas, pro veris, & authenticis reliquijs ſupponere, & eaſdem proponere ſimplicibus, & Idiotis venerandas; extat de hac re illuſtre teſtimonium apud Gregorium, capite 1. de reliquijs, & veneratione ſanctorum; dicitur quippe illic ex Alexandro III. Pontifice Maximo aliquos fraude diabolica deceptos, hominem in ebrietate & potatione nimia enecatum, tanquam ſanctum Martyrem coluiſſe. Addit Pontifex id fieri non potuiſſe inconſulta ſede Apoſtolica, etiamſi contigiſſet huiuſmodi corpus miraculis claruiſſe.

Impietas & malitia aliquorum peſſimorum.

Seuerus item Sulpitius, in vita D. Martini Epiſcopi Turonenſis, refert homini ob furta, & latrocinia innumera à ſe commiſſa vltimo ſupplicio affecto, honores ſanctis Martyribus debitos fuiſſe redditos, donec D. Martinus, detecta fraude & impoſtura tanta, ad ædem in qua colebatur prætatus Martyr peruenit, reliquias iſtas ſuppoſititias in vnum collegit & extra Eccleſiam, vt res execrandas, & deteſtandas abijci curauit.

Si ergo fidei Chriſtianæ nequeat ſubeſſe falſum, vt habet axioma Theologorum omnium, deſumptum ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 3. ſi fides ad falſum & adulterinũ cultum nec moueat nec mouere poſſit, non poterit propoſitio hæc; *Reliquiæ iſtæ in particulari ſpectatæ ſunt adorandæ*, pertinere ad documenta fidei Catholicæ.

Hac re ità confecta, mihi videor ſubaudire aliquos ità obijcientes: De fide Cntholica non eſt, *reliquias in particulari conſideratas eſſe adorandas*: ergo licebit viris Catholicis, maxime vero prudentibus, & ſapientibus, dubitare de cultu licito, aut illicito iſtarum reliquiarum; imo nedum de iſtis licebit dubitare, ſed etiam cultum ab alijs, reliquijs exhibitum, prætermittere, & omnino improbare.

Obiectio.

Reſpondeo, neutram ex prædictis concluſionibus citra manifeſtiſſimam temeritatem, & errorem fœdiſſimum poſſe ab homine orthodoxo ſuſtineri; etenim nunquam licuit, aut licebit inculpatè dubitare de bona fide ſuorum maiorum, & anteceſſorum; præſertim quando extra omnem dubitationem & aleam

Reſponſio.

conſtitutum eſt, prædeceſſores extitiſſe viros, A nedum bonos, ſed optimos, doctiſſimos & ſanctiſſimos, dignitateſque nedum cluiles, & politicas, ſed etiam Eccleſiaſticas in Republica Chriſtiana obtinuiſſe: & denique propriam vitam, qua nihil poteſt eſſe homini charius, pro Chriſti nomine profudiſſe: hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſtini epiſtola 118. *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Vincentij item Lirinenſis, aduerſus profanas omnium hereſeôn nouitates, cap. 4. *Quidquid non vnus, aut duo* B *tantum, ſed omnes pariter vno, eodémque conſenſu, apertè, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe, cognouerit; id ſibi quoque intelligat abſque vlla dubitatione credendum:* At, quis neſcit reliquias quæ aſſeruantur in noſtris Baſilicis, cura, ſtudio, & ſolicitudine maiorum; maximè vero Epiſcoporum noſtrorum, Deo præterea ita ordinante, & diſponente ad noſtra vſque tempora illæſas, inuariatas, & immutatas peruenisſe?

D. Aug.

Cultus exhibitus reliquijs in Dei honorem ordinatur.

Accedit, inter cultores reliquiarum priuatarum neminem hactenus extitiſſe, aut etiam futurum, qui adorationem ſuam in Deum, tanquam in vltimum finem non ordinauerit; ità vt tam reliquias, quàm Deum in reliquijs C exiſtentem adoret; oſſa verò, cineres, veſtimenta, & cetera quæ nomine reliquiarum ſignificantur, eatenus coluntur à nobis, quatenus ſunt, vel vaſa, & receptacula aliqua in quibus Deus dignatur ſua ineffabili benignitate, ſpeciali quadam ratione inhabitare, aut tanquam organa, & inſtrumenta, quibus Deus vtitur in operibus miraculoſis efficiendis: hæc eſt expreſſa Hieronymi ſententia ad Riparium. *Reliquias* (inquit) *Martyrum honoramus, vt eum cuius ſunt Martyres adoremus, honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum in Dominum redundet.* Ambroſius ſermone 93. qui eſt de ſanctis Nazario, & Celſo propè finem; *Quod ſi mihi dicas; quid honoras in carne reſoluta, & conſumpta? ho-* D *noro*, ait, *in carne Martyris exceptas pro nomine Chriſti cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus quod mihi oſtendit Dominum diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere: cur autem non honorem corpus illud fidelis, quod reuerentur & dæmones, quod & afflixerunt, ſed glorificant in ſepulchro, honoro illud corpus quod Chriſtum honorauit in gladio: quod cum Chriſto regnabit in cælo.*

Hierony.

Egregium teſtimonium D. Ambroſij de reliquijs honorandis.

Primorum Chriſtianorum erga ſanctorum reliquias deuotio & veneratio.

Neque ſilentio prætereundum puto, primos Chriſtianos ità fuiſſe addictos venerationi priuatarum reliquiarum; vt hæc effecerit, ne illis in temporibus daretur vllum plane cor- E pus alicuius Martyris integrum, vt conſtat ex Theodoreto de curatione Græcarum affectionum, ſerm. ſeu lib. 8. ſub initium: *Corpora* (inquit) *ſanctorum Martyrum, non ſingula ſingulis monumentis conduntur, ciuitates & oppida hæc ſibi ſunt ſortitò partita*; Auguſtinus, vt præcedenti Dubitatione dicebamus, epiſtola 103. ad Quintianum, laudat viduam nomine Gallam, & Simpliciolam puellam, quod apud ſe perpetuò haberent, & geſtarent ſecum reliquias protomartyris Stephani. Hieronymus cap. 2. contra Vigilantium commendat Epiſcopos ſui temporis, quod in ſerico, & in vaſe aureo viliſſimos cineres ex opinione Vigilantij, & pretioſiſſimos ex doctrina Catholicorum, ſanctorum Martyrum portarent.

Si ergo reliquiæ omnes, quæ in Baſilicis noſtris aſſeruantur, à maioribus accipimus? ſi inter adorandum eaſdem Deum Optimum Maximum in iiſdem exiſtentem colimus, & veneramur? ſi Catholicorum omnium qui hactenus vixerunt, hæc extiterit praxis, hoc iudicium, hæc conſuetudo? quî fieri poteſt vt Orthodoxus inculpatè, vel dubitare, vel prætermittere; vel denique quod eſt grauius cultum ab alijs Chriſtianis, reliquijs iſtis exhibitum improbare, & damnare audeat? præſertim cùm id fieri non poſſit ſine ſcandalo puſillorum, & ſine manifeſta diuini cultus imminutione?

QVÆSTIO XXVI.

De Chriſto Mediatore.

QVÆSTIO hæc fuit à nobis explicata quæſtione 1. & 2. huius part. D. Thomæ. Diximus enim illic Chriſtum ſatisfeciſſe de toto rigore condignitatis pro peccatis quorumcumque hominum, & obtuliſſe ſacrificium infinitæ dignitatis propter excellentiam ſuppoſiti ſubſiſtentis in humana Chriſti natura.

QVÆSTIO XXVII.

De Beata Virginis Mariæ ſanctificatione.

CIRCA hanc quæſtionem duæ tantùm Dubitationes ſunt explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An Dina Virgo fuerit nata ſine peccato.

RESP. affirmatiue: propter hanc quippe cauſam feſtum Nativitatis B. Virginis in tota Eccleſia celebratur. Deinde, non eſt negandum de Dina Virgine, quod concedimus de D. Ioanne Baptiſta, Hieremia, Samſone & alijs nonnullis: omnis enim gratia data alicui creaturæ puræ, cenſetur eſſe conceſſa D. Virgini, ſi non formaliter, ſaltem virtute, & eminenter, ex communi doctrina quorumcumque Theologorum: at D. Ioannes Baptiſta natus eſt ſine vllo peccato, ex illo Lucæ 1. *Replebitur in-*

Omnis gratia pura creaturæ data B. Virgini conceſſa.

fans

Digitized by Google

Ioannes Baptiſta, Hieremias, & Samſon, nati ſine peccato.

ſans in vtero de Spiritu ſancto. & item Hieremias ſimile beneficium conſequutus eſt, ex illo Hieremię 1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequàm exires de vnlua ſanctificaui te.* Idem colligitur de Samſone: ſcribitur enim de eo, Iudicum cap. 13. Quod dictus fuerit Nazaræus ex vtero matris ſuæ, id eſt, ſanctificatus. Denique ità docent omnes omnino Patres & Doctores ſcholaſtici.

Luc. 1. Hierem. 1. Iudic. 13.

Maior gratia D. Virgini conceſſa etiam in vtero materno exiſtenti, quàm cuilibet puræ creaturæ.

Addo, gratiam conceſſam Diuæ Virgini, pro eo tempore, quo fuit in vtero matris, intenſiorem extitiſſe gratia data cuilibet puræ creaturæ.

Primùm, quia celebratur hæc dignior, & perfectior Cherubinis, Seraphinis, & alijs quibuſuis creaturis; vt conſtat ex liturgijs D. Chryſoſtomi, & aliorum nonnullorum.

Deinde, beneficio gratiæ fuit D. Virgo, immunis ab omni planè peccato actuali, mortali, & veniali, tamdiu, quamdiu fuit in hac vita.

Tertiò, licèt potuerit Deus conſeruare Diuam Virginem ſine vlla culpa, ſemota iſta gratia; non tamen id potuit præſtare æquè commode, ac cum gratia tanta ſibi data in vtero materno.

Denique, plus dilexit Deus Diuam Virginem, quàm vllam aliam puram creaturam; idque propter dignitatem matris, quæ in ea datur: igitur, plus gratiæ ei conceſſum eſt, quàm vlli alteri Sancto.

Augebatur tempore gratia in beata Virgine.

Moneo tamen gratiam iſtam non fuiſſe tantam, quin cum tempore fuerit ampliata, & aucta; neque enim negari poteſt quin Diua Virgo fuerit viatrix, quin exercuerit innumeras honeſtas operationes, & quidem liberè; ac proinde de facto meruit augmentum gratiæ & gloriæ; cum non conſpexerit diuinam eſſentiam pro toto illo tempore, quo fuit in hac vita.

Luc. 1.

Denique, dicitur de B. Virgine Luc. 1. quod ambulauerit per fidem. *Beata*, inquit, *quæ credidiſti, perficientur in te quæ dicta ſunt.*

Vſus rationis in beata Virgine acceleratus.

Eſt etiam obſeruandum vſum rationis eſſe acceleratum in D. Virgine, hæc enim in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit compos rationis: imò gratiam iuſtificantem eſt conſequuta, dependenter à diſpoſitione ſibi propria: neque hoc mirum; nam & Angeli & primi parentes, & item Ioannes Baptiſta, ex multorum ſententia; gratiam iuſtificantem ſunt aſſequuti, dependenter à diſpoſitione ſibi propria. Deinde, modus hic iuſtificandi eſt præſtantior eo, qui fit ſinè dependentia à diſpoſitione aliqua tenente ſe ex parte illius, qui iuſtificatur: nam qui iuſtificatur hoc modo, per diſpoſitionem iſtam quam exercet, meretur non quidem primam gratiam, quia hæc in nullo caſu cadit ſub meritum; bene tamen primam gloriam.

Omnis perfectio naturalis humana natura debita, & ſexui feminео, B. Virgini conceſſa fuit.

Eſt præterea obſeruandum Diuæ Virgini datam fuiſſe omnem perfectionem naturalem debitam ſuæ ſpeciei, & item ſuo ſexui; debuit quippe humanitas Chriſti formari ex puriſſimo ſanguine D. Virginis, vnde debuit D. Virgo accedere quantum potuit ad perfectiones naturales debitas humanitati Chriſti.

Omnis gratia neceſſaria vt eſſet mater digna Chriſti data fuit B. Virgini.

Eſt denique annotandum, Diuę Virgini conceſſam fuiſſe omnem gratiam neceſſariam, ad hoc vt eſſet digna mater Chriſti; eſt enim propoſitio indubitata apud Theologos, Deum neminem eligere ad exequendum aliquod miniſterium, ſeu officium, quin eidem conferat illud omne quod eſt neceſſarium ad dignè exequendum huiuſmodi officium: hæc autem propoſitio colligitur à Theologis ex cap. poſterioris ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*: at certum eſt Diuam Virginem extitiſſe dignam, imò digniſſimam matrem Chriſti, ex Origene, & alijs nonnullis Patribus: *Fuit* (inquit Origenes, loquens de D. Virgine) *mater digna digni, ſancta ſancti; immaculata immaculati.*

2. Cor. 3.

In 3. partem D. Thom.

DVBITATIO SECVNDA.

An Diua Virgo fuerit ſinè peccato originali concepta.

B. Virgo ſecundùm Thomiſtas in peccato originali concepta.

DVAE ſunt hac de re ſententiæ. Primaaſſeritur à D. Thoma art. 2. huius quæſt. & communiter à Thomiſtis, Diuam Virginem fuiſſe conceptam cum peccato originali, ſed ſtatim ab eodem fuiſſe diuina bonitate liberatam.

Rom. 3. & 5. Ephes. 2. Iob. 17.

Probatur ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur neminem immunem eſſe à peccato, Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* & cap. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, ſubiungitur ibidem, *in quo omnes peccauerunt.* Epheſ. 2. *Et eramus natura filij iræ.* Iob. 17. iuxta lectionem Septuaginta; *Nemo mundus à ſordibus, neque infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.*

Concil. Mileuit. Araſic. 2.

Concilia item verbis expreſſis docent neminem ex natis de muliere fuiſſe immunem à peccato præter Chriſtum: ità Concil. Mileuit. & Araſic. 2. ex iſtis ità colligimus: Nullus eſt eximendus à regulis generalibus, quæ habentur in ſacris litteris & Concilijs, ſinè ſpeciali Dei reuelatione, & iudicio vniuerſalis Eccleſiæ: at nulla extat reuelatio, ex qua conſtet Diuam Virginem fuiſſe immunem à peccato originali: ergo non fuit præſeruata ab illo.

Sancti PP. varie opinantur de conceptione B. Virginis.

Deinde, ſancti Patres à minimo ad maximum docent Diuam Virginem fuiſſe conceptam in peccato, non quidem formaliter, & expreſſe, ſed virtute.

Alij verò id docent verbis expreſſis: alij denique contendunt ſolum Chriſtum fuiſſe immunem à peccato: teſtimonia iſta videri poterunt apud Suarem, ad hanc quæſtionem D. Th. & apud Ægidium de Præſentione in opere de Conceptione immaculata D. Virginis.

Denique, D. Virgo fuit concepta illo eodem modo, quo ceteri homines; fuit item in primo parente, item redempta morte, & paſſione Chriſti, neque aliter potuit conſequi vitam æternam, quàm per paſſionem Chriſti: ergo fuit etiam concepta in peccato originali: nam præter proximè commemorata certum eſt eam eſſe verè mortuam, & tamen mors eſt verè pœna peccati originalis.

Sententia 2. explicatur duabus concluſionibus.

B. Virgo habuit debitum contrahendi peccatum originale.

CONCLVSIO 1. *Diua Virgo habuit debitum contrahendi peccatum originale.* Probatur primò, quia fuit hæc in primo parente; non minùs, quàm quilibet noſtrùm: imo concedendum eſt de ea quod peccauerit in ipſo, illo eodem modo, quo nos peccauimus in eo, vt

Digitized by

manifeſtè colligitur ex cap. 5. Romanorum. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum:* & paucis interiectis: *in quo omnes peccauerunt.* Rom. 5.

Beata Virgo à Chriſto redempta. 1. Ioan. 2. Actor. 4.

Deinde, tam verè Chriſtus eſt mortuus pro D. Virgine, quàm pro nobis, ac proinde eſt redemptor D. Virginis, & cauſa ſalutis eiuſdem. 1. Ioannis 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Actorum 4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Moneo tamen Chriſtum redemiſſe Diuam Virginem redemptione præſeruatiua, nos verò redemptione liberatiua.

Quomodo Chriſtus redemit B. Virginem.

Denique, mors intrauit in mundum per peccatum, ad Roman. 3. certum eſt autem D. Virginem mortuam eſſe: ergo vere ipſa peccauit in primo parente.

Ceterùm, cum duplex debitum contrahendi B peccatũ originale conſiderari poſſit in B. Virgine: alterum remotum, ſiue quatenus erat in primo parente, aut etiam in primogenitoribus; proximum alterum, & vt concipitur in primo inſtanti extra cauſas concepta in vtero matris, ac proindè tanquam propria perſona, noſtra concluſio intelligitur de debito priori modo, non item poſteriori; vnde exiſtimamus D. Virginem nullum habuiſſe debitum contrahendi maculam originalem in propria perſona, ſeu, vt alij loquuntur, intrinſecè, ſed tantum extrinſecè, & negatiuè, toto videlicet tempore antecedente vltimam diſpoſitionem ad introductionem animæ rationalis in corpus: hoc mihi efficaciter probant duo fundamenta Ægidij à Preſentatione lib. 2. de debito B. Virginis quæſt. 4. art. 5. Primum. Eadem eſt, quantum ad obligationem ſoluendi debitum, ratio remiſſionis alicuius debiti, & eiuſdem ſolutionis: tam vere enim quis eximitur à debito v. g. centum librarum per liberam creditoris condonationem illarum, quàm ſi eas actu ſolueret; at quicumque ſoluit actu debitum hoc ipſo liberatur ab illo: v. g. qui debet mille nummos aureos, ſoluendo eos, non amplius adſtringitur debito, ſed tale omnino aufertur per ſolutionem illarum pecuniarum: ergo is cui libere remiſſum eſt debitum, non amplius aſtringitur illi debito: tunc ſic dupliciter ſatisfit de- D bito contrahendi peccatum originale. Primò, ipſa actuali contractione peccati originalis, ſicut omnibus poſteris Adæ contigit. 2. præſeruatione ſpeciali per infuſionem gratiæ, vt communius, & certius dicitur de B. Virgine: ergo, ſicut exiſtentia peccati originalis actu, in primo inſtanti, quo perſona hominis concipitur in ventre matris, incompoſſibilis eſt cum debito idem contrahendi, cùm debitum, vt debitum eſt, ſufficientiſſimè auferatur per ſolutionem illius; ità admiſſo B. Virginem in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe ſanctificatam, fieri nequit, vt infuſio gratiæ ſimul, & in eodem inſtanti ſit cum debito ad contractionem peccati, cum æque ſoluatur ratio integra debiti, ſola libera condonatione creditoris, ac actuali ſolutione. Ex quo vlterius ſequitur B. Virginem, cùm in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuerit gratiam ſanctificantem (vt oſtendemus in ſequentibus) in illo inſtanti non habuiſſe debitum intrinſecum, ſiue remotum, ſiue proximum ſoluendi, ſiue contrahendi, ſed ſolum toto tempore antecedente infuſionem animæ rationalis: quia ſicut vere fuiſſet libera à tali debito contrahendi per actualem contractionem, ità ab eodem eximitur pro illo A inſtanti per remiſſionem liberam Dei, & ſuſceptionem gratiæ habitualis repugnantis cum peccato originali.

Duplex debitum contrahendi peccatũ originale.

Senſus concluſionis.

B. Virgo in propria perſona nullum habuit debitũ contrahendi peccatum originale.

Secundum fundamentum doctiſſimi viri eſt. Non poteſt ſaltem de lege communi quis ſimul eſſe gratus, & ingratus pro eodem inſtanti temporis, Deo; amicus, & inimicus; captiuus, & redemptus: at omnes defendentes puritatem, & ſanctitatem conceptionis D. Virginis, fatentur illam in primo inſtanti fuiſſe Deo maxime gratam, & amicam: ergo pro illo inſtanti temporis non fuit ingrata, & inimica: ergo vlteriùs in illo inſtanti non habuit debitum contrahendi maculam originalem: hæc vltima conſequentia oſtenditur. Nos eſſe debitores incurrendi labem primi paren- B tis, eſt, nobis imputari peccatum quod commiſimus in illo, cuius maculam ſumus contracturi infallibiliter: at quamdiu nobis imputatur huiuſmodi peccatum, non poſſumus non eſſe conſtituti obiecta odij Dei, quod patet, cùm verè ratione huius imputationis, dicamur captiui ab hácque ſola captiuitate Diua Virgo dicatur liberata, & redempta per ſanguinem Chriſti, & mortem: ergo Diua Virgo in inſtanti conceptionis, non habuit debitum contrahendi maculam originalem intrinſecè, ſeu in propria perſona.

B. Virgo primo inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificata, & ab originali peccato fuit præſeruata.

1. Fundamentum ex Scriptura ſacra.

Cantic. 2. & 4. Pſal. 45. 84. & 92. Geneſ. 3.

CONCLVSIO 2. *Diua Virgo nunquam fuit in peccato originali, ſed in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſanctificata.* Probatur primo ex illis locis C Scripturæ, qui in ſenſu myſtico ex vſu, & accommodatione Eccleſiæ loquuntur de puritate Virginis, Canticorum 2. *Quaſi lilium inter ſpinas.* Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Pſalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* Pſalm. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Geneſeos 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ipſa conteret caput tuum.* Deinde, ex Concilio Baſilienſi ſeſſ. 36. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali: *Declarat* (inquit) *ipſa ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* Concilium autem Baſilienſe, loco citato, feſtũ Conceptionis, omnibus & ſingulis proponit celebrandum: idem præſtat Sixtus IV. in Extrauaganti. *Cùm præexcelſa, de reliquijs, & veneratione ſanctorum*; quo loco concedit indulgentias omnibus celebrantibus feſtum Conceptionis: & in Extrauaganti. *Graue nimis.* dicto titulo, declarat idem Pontifex neutram ex his duabus opinionibus eſſe hæreticam, ſed quamlibet ex iſtis poſſe defendi, dummodo non damnetur altera cenſurâ hæreſeos: ex Breuiario vero Concil. Tridentini feſtum Conceptionis iubetur ce- E lebrandum in omnibus omnino locis, die 8. Decembris; & ante quingentos annos fuit hæc ſolemnitas in Eccleſia Latina, vt conſtat ex Bernardo epiſt. 174. & ex Anſelmo, in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ. In Eccleſia vero Græca ante mille annos, vt refert Petrus Galatinus lib. 7. cap. 4.

2. Fundamentum ex Concilijs.

Concil. Baſilienſe. Trident.

In Breuiario Romano feſtum conceptionis B. Virginis.

Neque refert, quod aliqui reſpondent Conceptionis feſtum celebrari tanquam Dei beneficium, non autem quod Diua Virgo fuerit concepta ſine peccato: ordinata ſiquidem fuit conceptio Diuæ Virginis, ad hoc vt

Obiectio.

Reſponſio.

Digitized by Google

Inſtantia. parerer Chriſtum. Neque etiam quod alij dicunt, nomine Conceptionis intelligendum eſſe nomen ſanctificationis: ità vt ſolemnitas hæc ſit celebritas ſanctificationis D. Virginis. Nam hæc omnia refellit Bernardus, epiſt. proximè citata. Accedit reuelatio ſanctæ Brigittæ; libro enim 1. c. 9. B. Virgo affirmat de ſe, animam cum corpore in ipſa cõceptione fuiſſe ſanctificatam, & lib. 6. eadem B. Virgo ait; *Veritas eſt, quod ego concepta fui ſinè peccato originali & nõ in peccato.* Neque obſtat reuelatio contraria ſanctæ Catharinæ Senenſis, relata à Caietano & alijs Thomiſtis: nam reuelatio hęc non habetur in vita illius ſanctę, ac proinde fictitia planè videtur.

Solutio. Bernard. Brigitta.

Reuelatio Cathar. Senenſ. relata à Thomiſtis de cõceptione B. Virginis ficta.

Tertiò probatur ex Patribus, quorum alij nullum agnoſcunt in D. Virgine peccatum: ità D. Auguſt. lib. 2. de natura & gratia, cap. 36. *Cum* inquit, *de peccatis agitur nullam volo de B. Virgine mentionem facere.*

3. Fundamentum ex Patribus. B. Virgo expers omnis peccati. D. Auguſt.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ Auguſtinum loqui de ſolis peccatis actualibus.

Reiicitur reſpõſio aduerſariorũ. Ambroſ. Hieron.

Cæterùm, reſponſio hæc nihil planè dicit; cap. ſiquidem 9. lib 5. contra Iulianum docet, neminem caruiſſe in adulta ætate peccato actuali, qui non caruerit in tenera ætate originali: Ambroſius ſerm. 22. in Pſal. 118. *Suſcipe me non ex Sara, ſed ex Maria, vt incorrupta ſit Virgo; ſed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hieronym. in Iſaï. cap. 11. *Virgam de radice Ieſſe factam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem coherentem, de qua legimus; Ecce Virgo concipiet.* Petrus Damanianus ſerm. de natiuitate Virginis, & ante hos Cyprianus ſerm. de natiuitate Chriſti.

Damaſc.

Alij docent in diua Virgine non fuiſſe peccatum originale. Ita Damaſcenus oratione 1. de natiuitate Mariæ; *O beatos Ioachim lumbos ex quibus ſemen immaculatum fluxit: O præclaram Annæ vulnam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus & formatus fuit fœtus ſanctiſſimus: O beatum ventrem qui vnum cœlum cœlis ipſis latius peperit.* Idem docet oratione 2. & 3. de eadem natiuitate. 13. & 12. de Aſſumptione eiuſdem. Laurentius Iuſtinianus in faſciculo amoris, cap. 7. *Nemo ab ipſo mundi initio vſque ad temporis plenitudinem (dum taxat mediatore, eiuſque genitrice exceptis) iugum dominationis eius euaſit.* Sedulius lib. 2. Carminum,

Laur. Iuſt.

Sedulius.

Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis
Nil quod lædat habens, matrémque obſeruat honore,
Sic Eua de ſtirpe, ſacra vemente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo peauit.

Alij verò Conceptionem B. Virginis immaculatam, & Angelis ſanctiorem nuncupant: ita Liturgia D. Iacobi. *Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam dominam noſtram, matrem Dei*, &c. & Liturgia D. Chryſoſtom. allata ad artic. 4. Idem tradit Liturgia Baſilij, & Origenes homilia 1. de varijs. Gregorius Thaumaturgus in explicatione ſalutationis Angelicæ. Ephrem oratione de laudibus Dei Matris. *Intemerata*, inquit, *prorſuſque pura Deipara Virgo, Regina omnium, ſpes deſperantium, domina mea glorioſiſſima, eadémque optima, ſublimior cœlicolis, purior ſolis radijs & ſplendoribus, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim.*

Liturgia D. Iacobi. Chryſoſt. Baſil. Origen. Thaumat. Ephrem.

Probatur 4. ex illis Patribus, qui docent caput ſerpentis fuiſſe contritum per Virginis conceptionem: ità docet Athanaſ. ſermone de Deipara. Method. in oratione de purificatione. Heſich. cõcione 2. de B. Virgine, & alij nonnulli: deniq; rationibus.

Athan. Method. Heſichius.

Prima, propterea D. Thom. in hac quæſtione

A contendit D. Virginem nullum admiſiſſe peccatum actuale, quod ignominia parentum redundet in filios, quemadmodum & gloria, vt conſtat ex cap. 17. Prouerb. *Gloria filiorum, patres eorum*: & Sapientiæ 1. *Sapientia non habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

4. Fundamentum ex ratione. Prima ratio. Prouerb. 17. Sap. 1.

Secunda D. Virgo fuit immunis à lege natiuitatis coniunctæ cum peccato, à lege doloris partus, & denique à lege incinerationis, & putrefactionis poſt mortem: ergo debuit etiam eximi à lege conceptionis cum peccato originali.

2. Ratio.

Tertia, Angelis, itémque primis parentibus datum fuit innocentiæ donum in primo inſtanti creationis, & Angeli boni perſeuerauerunt in ea innocentia: ergo cùm ex doctrina Patrum multorum omne donum conceſſum alicui puræ creaturę datum etiam fuerit D. Virgini, fuit hæc concepta ſine vllo peccato.

3. Ratio.

Quarta, hanc doctrinam profitentur omnes omnino ſtudiorum Vniuerſitates, maxime verò Pariſienſis, quæ nullum ad Doctoratus lauream ſolet admittere, qui non profitetur ſe pro viribus puritatem conceptionis defenſurum. His accedit conſenſus totius populi Chriſtiani, qui non eſt contemnendæ authoritatis. *Nam vox populi, vox Dei*: vbi etiam illud animaduerſione dignum, quòd iſta doctrina à paruis initiis profecta creuit in immenſum, quod eſt argumentum ſatis ſolidæ veritatis.

4. Ratio. *Communis totius Eccleſiæ conſenſio.*

Quinta, Aduerſarij innituntur quibuſdam regulis generalibus Scripturæ, in quibus aſſeritur omnes peccaſſe in Adam: at habentur etiam regulæ generales, in quibus docetur omnes omninò peccata actualia committere, ſaltem venialia, 1. Ioannis, cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, &c.* & Iacobi 3. *In multis enim offendimus omnes*: à quibus tamen excipimus B. Virginem: ergo.

5. Ratio. 1. Ioan. 1. Iacob. 3.

Sexta, decuit vt Chriſtus officium mediatoris perfectè exerceret: id autem fecit præſeruando ab originali; nam multò perfectius eſt preſeruare animam ne labatur, quàm poſt lapſum ipſam eleuare, & ſanctificare.

6. Ratio.

Denique, Deus potuit preſeruare Virginem, & decuit filium honorare matrem: ergo ità factum eſt. Profectò nullus bene natus turpitudinem in matre ferret, quam poſſet ipſe auferre: cùm igitur Chriſtus potuerit impedire contractionem peccati originali in anima matris ſuę, ſequitur id ita feciſſe.

7. Ratio.

Ad rationes verò primæ ſententiæ reſp. Ad 1. ex illis locis Scripturę probari tantùm concluſionem noſtram primam; nam Patres Concilij Tridentini cognouerunt huiuſmodi teſtimonia, & tamen probarunt Conſtitutionem Sixti IV. quæ facit plenam poteſtatem celebrandi feſtum Conceptionis immaculatę D. Virginis.

Ad 2. Patres, qui docent ſolum Chriſtum caruiſſe peccato, intelligendos eſſe per ſe, & ſua natura, ex priuilegio tamen non negant iſti D. Virginem caruiſſe omni macula: qui verò dicunt carnem D. Virginis fuiſſe formatam ex carne peccati, tantùm volunt effectus aliquos peccati originalis habuiſſe locum in D. Virgine, non autem peccatum originale, aut etiam aliqua alia culpa: huius generis cenſetur eſſe mors, defatigatio, triſtitia; fomes verò peccati non eſt admittendus in D. Virgine; imo neque vllus morbus proprie dictus. Qui verò contendunt Diuam Virginem eſſe conceptam in

Solus Chriſtus ex ſua natura, & per ſe caruit omni peccato: B. verò Virgo ex priuilegio ſpeciali.

Digitized by Google

peccato originali, ità ſunt explicandi, vt hoc ideò docuerint, quod nondum eſſet de hac re conſtitutum ab Eccleſia, tanquam magis certum & verum; ac proinde ſi viuerent iſti nobiſcum, mutarent ſententiam, cùm ex decreto Breuiarij Romani feſtum Conceptionis ſit celebrandum in tota Eccleſia octauo die Decembris. Moneo tamen Concluſionem noſtram ſecundam non eſſe de fide Catholica, eſto poſſit hæc definiri tanquam de fide à Pontifice Maximo: vt pluribus docet Ægidius cit. lib. 3. quæſt. 4. artic. 5.

Ad vltimam reſp. ex iſtis omnibus poſſe tantùm colligi D. Virginem habuiſſe debitum contrahendi peccatum originale, & prætereà expertam fuiſſe aliquos effectus peccati originalis, minimè verò commaculatam fuiſſe huiuſmodi peccato originali: vide librum 4. Ægidij de Præſentatione, vbi quæſtio hæc examinatur accuratè.

Quæ ſuperſunt, ad quæſtionem vſque ſexageſimam, pertinent magis ad Theologiam poſitiuam, quàm ad Scholaſticam; ac proinde prætermittuntur à nobis: eſt autem de iſtis omnibus legendus D. Thomas, cum Interpretibus.

Tractatio

TRACTATIO
DE
SACRAMENTIS

Digitized by Google

QVÆSTIO SEXAGESIMA
DE SACRAMENTIS.

PROOEMIVM.

PERACTA accurata myſterij diuinæ Incarnationis tractatione, tranſit Angelicus Doctor ad explicationem ſacramentorum, idque meritò, diximus enim in diuiſione Theologiæ ad initium primæ partis tradita, Theologiam agere de Deo præcipuè, & de ijs quæ nos ducunt ad Deum: ſacramentis autem eum maximè aſſequimur: vt pote quæ ſint nedum ceremoniæ aliquæ quibus Deus à nobis colitur, ſed etiam pharmaca quædam, quibus medetur malis noſtris. Deinde, quia hæc à diuino Verbo incarnato ortum habent: vt pluribus explicatum fuit & definitum in Concilijs Florent. & Trident. ſeſſ 7. can. 1. quia ſunt perennes fontes gratiam, & merita Chriſti complectentes; quatenus eorum aquam longè quouis nectare ſuauiorem, & dulciorem quilibet ſuæ ſalutis auidus, ad ſaturitatem vſque hauriat: De illis quippè intelligitur, interprete D. Hieronymo, illud Iſaiæ, cap. 12.

Hieron. Iſai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: non de fontibus fluminis Aegypti, neque de fontibus Raſin, ſed de fontibus Ieſu: qui in Euangelio clamabat;* Ioann. 7. *Qui ſitit veniat ad me & bibat: flumina de ventre eius fluent aquæ* Ezech. 36. *viuæ:* & illud Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum*: hæc enim explicant plerique Patres de baptiſmo. Omnis autem iſta Diſputatio ſecatur à D. Tho. in duas partes: in 1. differit de ſacramentis, idque à quæſtione 60. vſque ad 66. in alia verò de quolibet ſacramento in particulari, idque à quæſt. 66. ad 90. inſperatâ ſiquidem morte præuentus huic operi tam illuſtri & laborioſo vltimam manum imponere non potuit; ſequemur autem illum eumdem ordinem, quemadmodum hactenus, quem nobis præſcripſit D. Thom.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum Sacramentum ſit in genere ſigni.

RESPONDET S. Thom. ſacramentum eſſe in genere ſigni.

ARTICVLO 2. docet ſacramentum eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificans.

ARTICVLO 3. ſacramenta eſſe ſigna commemoratiua paſſionis Chriſti repreſentatiua gratiæ præſentis, & prognoſtica futuræ gloriæ.

ARTICVLO 4. ſacramentum in communi ſumptum eſſe aliquid ſenſile.

Circa hos articulos ſit,

DVBITATIO I.

Quid nomine Sacramenti ſignificetur.

DICO apud prophanos authores nomine ſacramenti ſignificari interdum pecuniam à duobus, vel pluribus litigantibus in iure depoſitam, ſub ea conditione qua qui vinceret, ſuam repeteret, victi verò erario publico cederet: frequentiùs tamen vſurpatur pro iuramento, ità vt iuſiurandum quo ſe milites obſtringebant ad præſtandam Reipublicæ fidelem operam, ſacramentum militare diceretur, quemadmodum & ipſi milites propter hanc eamdem cauſam vocati ſunt ſacramentarij, vt conſtat ex Lexico, & Dictionarijs, in dictione Sacramentum: ampliata tamen eſt ſignificatio iſtius nominis apud eoſdem authores, ad quodlibet iuramentum ſignificandum: imò in hac eadem ſignificatione legitur vox iſta apud Gratianum 22. q. 4. c. Cui ſacramento, & quæſt. 5. capite, paruuli. *Varia ſacramenti acceptio apud prophanos auctores.*

Apud ſcriptores vero Scholaſticos ſacramentum idem eſt, quod apud Græcos μυστήριον, vt conſtat ex cap. 2. Sapientiæ. *Neſcierunt ſacramenta Dei*: & ex cap. 3. 1. Timothei. *Magnum eſt pietatis ſacramentum*: & ex cap. 1. Epheſ. *Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ*: ex cap. Apocalypſis 1. *Sacramentum ſeptem ſtellarum*: in iſtis quippe locis, codices Græci legunt μυστήριον: vulgatus vero interpres *Sacramentum*; ac proinde ſacramentum rem quamlibet ſecretam, arcanam, & reconditam ſignificat: aliàs verò vox iſta rem quamlibet ſacram importat, vt conſtat ex Dionyſio cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Tertul. lib. 1. *Sacramentum idem quod myſterium apud Scholaſticos.* Sap. 2. 1. Timoth. 3. Epheſ. 1. Apocal. 1. Dionyſ. Tertull.

Digitized by Google

D.August. contra Marcionem. D.Aug. epist. 5. ad Marcellinum,& cap.5.lib.10.de ciuit. & cap.8.lib.de Genes. ad litteram. Tandem nomine sacramenti significantur ea signa, quæ fuerunt à Deo instituta, ad homines sanctificandos; & in hac significatione vsurpatur à nobis nomen sacramenti in hac tota tractatione.

Sunt autem qui quærunt, qua ratione vsurpetur vox prædicta apud Hæreticos nostri temporis. Ceterùm hac de re nihil certi definiri potest; interdum enim probant opinionem explicatam à nobis, aliàs vero improbant; in eo tamen sunt magnopere damnandi,quòd arguunt imperitię Doctores Catholicos, ex eo quod contraxerint, & determinauerint nomen sacramenti, ad ea signa quæ fuerunt à Deo instituta,ad hominum salutem procurandam; excogitatis quippe nouis rebus, fuerunt noua nomina excogitanda, vel certe ab alijs inuenta, ad res istas nouas significandas & interpretandas transferenda; de qua re lege Bellarmin. lib. 1. de sacramentis in genere, & Suarem ad articulum 1. huius quæstionis.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid sit sacramentum.

RESPONDEO, varias hac de re assignari definitiones à Doctoribus Scholasticis, quę tamen traditur à D. Tho. art.2. huius quæst.in corpore, ceteris omnibus videtur anteponenda, est autem ista; *Sacramentum est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines*: admittitur autem communiter ab omnibus interpretibus D. Thom. & à plerisque Sententiarijs in 4. dist. 1. & videtur tradita à D. August.lib.4. de Doctrina Christiana cap.9.& lib. 10.de ciuit.cap.5. & lib. 5. quæstionum in Leuiticum,quæst.84.

D. Thom.

Definitio sacramenti.

D.August.

Explicatur & probatur allata definitio sacramenti.

Deinde, competit hæc definitio sacramentis legis naturalis,Mosaicę,& gratiæ;sunt namque hæc omnia signa rei sacræ sanctificantia. Denique, definitio illa censetur esse optima, quę traditur per proximum, & sibi proprium genus, & per differentiam sibi quàm maximè propriam, ex Arist. at genus proximum, & proprium sacramenti in communi sumpti censetur esse signum, vt probabitur posteà; differentia verò maxime proprta eiusdem *(est rei sacræ sanctificans)* per primam siquidem particulam, sacramentum conuenit cum illis omnibus rebus quæ sunt signa significantia aliquid aliud à se diuersum; per cæteras verò particulas, distinguitur sacramentum ab illis omnibus signis, quæ significant res non sacras,& item à significantibus res sacras, quæ tamen non sanctificant homines.

Nomine rei sacræ,gratia sanctificans designatur.

Moneo tamen nomine(*rei sacræ*)non significari quamcumque rem sacram, sed gratiam sanctificantem, quæ censetur esse causa formalis nostræ iustificationis, ex Trident. sess. 6. cap. 7. Deinde, quia hęc est mens D. Thom. & omnium interpretum eiusdem hoc loco.

Obiectio. Resp. & explicatur D.Thom.

Dices, D. Thom. non fuisse vsum nomine gratiæ in hac definitione, sed rei sacræ: ergo. Resp. D. Thom. ideò retinuisse nomen rei sacræ, vt sequeretur modum loquendi D. Augustini.Deinde, vt notationem sacramenti exprimeret; dicitur enim hoc sacramentum quod fit aliquid sacrum. Denique, vt demonstraret sacramentum nedum esse signum gratiæ, sed etiam aliquarum aliarum rerum: articulo enim 3. huius quæstionis docet sacramenta nouæ legis esse signa commemoratiua passionis Christi, demonstratiua gratiæ præsentis, & prognostica futurę gloriæ: sacramenta item veteris legis, nedum gratiam iustificantem significabant, sed etiam passionem Christi futuram, omnium planè Theologorum consensione. Habet & definitio ista particulam, *sanctificans*, vt distinguatur sacramentum ab illis omnibus signis, quæ non sanctificant homines; nam sanctificare competit solis sacramentis, ità vt particula ista, nedum referatur,quod aliqui volunt,ad gratiam sanctificantem,sed etiam ad signum.

DVBITATIO TERTIA.

Quod sit genus proximum sacramenti an signum, an causa.

Rationes dubitandi proponuntur. 1. 2.

RATIO dubitandi est, quia S. Thom. in 4. dist. 1. quęst. 1. asserit sacramentum dici à sacrando actiuè, quemadmodum medicamentum à medicina, quæ tetros, & putridos humores in corpore existentes purgat. Deinde de fide est, sacramenta nouæ legis nedum significare gratiam, sed etiam causare ex can. 7. & 8. Concilij Tridentini de sacramentis in genere,sess. 7.

Proximum genus sacramenti est signum. D.August.

CONCLVSIO. *Genus proprium,& proximum sacramenti censetur esse signum,non autem causa*: probatur primò, quia D. August. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. ait sacramentum esse signum sacrum, & epist. 166. & lib. 3. quæstionum in Leuiticum, quæst. 84. ait. *Sacramenta, esse signa quædam visibilia, inuisibilis gratiæ.*

2. ratio.

Deinde, sacramentum dicitur de sacramentis nouæ legis,veteris,& naturalis non analogicè, sed synonimè, siue vniuocè, ex communi doctrina Scholasticorum hoc loco: at sacramenta legis naturalis, & Mosaicæ fuerunt tantùm signa, non autem causæ gratiæ sanctificantis, vt colligitur ex Trident. sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere, & ex Florent. in Instructione Armenorum, & ex Catechismo Romano, dum agit de sacramentis.

Obiectio.

Dices, sacramenta legis naturalis, & Mosaicæ fuisse tantùm sacramenta impropriè.

Responsio.

Resp. hoc esse falsum: nam ex Patribus, Conciliis, & Doctoribus omnibus Scholasticis, constat legis naturalis, & Mosaicę sacramenta, non minùs vocari sacramenta, quàm sacramenta nouę legis, vt constat ex locis citatis, D. August. & Trident. Deinde, lex naturalis, & Mosaica tam verè fuerunt leges, quàm sit lex gratiæ: lex autem verè nulla subsistere sine sacramentis, & sacrificijs potest, vt docent communiter Patres.

Denique sacrificia propriè dicta tam verè fuerunt in lege Mosaica, & naturali,quàm in nostra: ergo idem quoque erit dicendum de sacramentis propriè dictis. In hac sententia sunt D. Thom. artic. 1. & 2. huius quæst. Caiet. ad artic. 1. Bellarminus lib. 1. de sacramentis in genere,cap.12. saltem magis inclinat in nostram, quàm in contrariam opinionem. Martinus Ledesma, & alij plerique Recent. hoc loco.

Satisfit argumentis contrarijs.

Ad rationes verò dubitandi resp. Ad 1.D.Tho. mutasse sententiam, quam docuerat in 4. dist. 1. vt obseruauit Sotus, & patet ex artic. 1. & 2. huius quæst. ait enim ibi rationem sacramenti positam esse in significando.

2. solutio.

Ad 2. Causare gratiam, quę significatur à sacramento, competere sacramentis nouę legis, non sub ea ratione, qua sunt sacramenta præcise, sed

Digitized by Google

ſed quia ſunt ſacramenta nouę legis, illo eodem modo, ceteris tamen paribus, quo competit homini ratiocinari, non ſub ea ratione qua animal eſt, ſed quatenus tale animal eſt, nimirum rationale.

DVBITATIO QVARTA.

An ſit de ratione Sacramenti eſſe ſignum practicum, an verò ſatis ſit eſſe ſignum ſpeculatiuum.

Ratio dubitandi. RATIO dubitandi eſt, quia plerique in 4. diſt. 1. definiunt ſignum practicum eſſe illud, quod facit, id quod ſignificat: ſacramenta autem veteris legis fuerunt verè & propriè ſacramenta, vt colligitur ex Concil. Florent. in Inſtructione Armenorum, & ex communi opinione Theologorum omnium ad hunc locum, & in 4. ſentent. atqui ſacramenta veteris legis non cauſabant, id quod ſignificabant: figurabant quippe hæc gratiam gratum facientem, vt conſtat ex Dubitat. 2. à nobis hoc loco poſita, quam tamen non producebant, vt colligitur ex loco Florentini proximè citato.

Sacramẽtũ eſſentialiter eſt ſignum practicum. CONCLVSIO. *De ratione ſacramenti in communi ſumpti eſt, eſſe ſignum practicum, ac proinde non eſt ſatis quòd ſit ſignum theoreticum.* Probatur de quibuſuis ſacramentis in communi. Primùm, ſacramenta aliter ſunt ſigna gratiæ ſanctificantis, quàm ſit vox iſta (gratia gratum faciens) ómnium planè Theologorum conſenſione. Deinde, omne ſacramentum hactenus à Deo inſtitutum, produxit aliquid de facto in ſuſcipientibus: ſacramenta enim veteris legis ſanctitatem legalem contulerunt, ſicut & hanc eamdem proximè ſignificarunt, vt obſeruant aliqui interpretes D. Thom. ad hunc locum: ſacramenta verò nouæ legis ſanctitatem oppoſitam formaliter peccato nobis conferunt, vt definiuit Trident. *Trident.* ſeſſ. 8. can. 8.

Tertiò, ſi ad rationem ſacramenti ſufficeret ratio ſigni ſpeculatiui, ſequeretur omnes ceremonias, & ſacrificia veteris legis, imò & matrimonium fuiſſe ſacramenta: duo quippe priora ſignificarunt Chriſtum, vel certè paſſionem eiuſdem, à cuius merito omnis plane gratia deriuatur, & confertur mortalibus, vt colligitur ex cap. 1. Ioann. *Ioann. 1.* *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia:* & obſeruauit D. Auguſtin. lib. 3. de baptiſmo parvulorum, cap. 4. poſtremum verò, ſcilicet matrimonium, tempore legis Moſaïcæ, & naturalis ſignificauit vnionem Verbi cum humana natura, ex cap. 5. ad Epheſ. *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum eſt, in Chriſto, & in Eccleſia*: loquitur autem de matrimonio. *Epheſ. 5.*

Quorundã reſponſio. Reſpondent aliqui, ceremonias & ſacrificia veteris legis ideò non fuiſſe omnia ſacramenta, quia eorum ſignificatio non fuit nota quibuſuis Iudæis ſed pauciſſimis, eis, ſcilicet ſolis, quibus Deus voluit manifeſtare iſtorum ſignificationem: matrimonium verò eo tempore defeciſſe à ratione ſacramenti, quia fuit inſtitutum tantùm in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ. Ceterùm, reſponſiones iſtæ ſunt omni ex parte impertinentes; neque enim neceſſe eſt ad hoc vt aliquid ſit ſacramentum, quod ſignificatio eius omnibus ſit nota, vel non, ſed ſatis eſt, quòd ſit ſignum ſenſile, & inſtitutum à Deo, ad *Reuincitur præcedens ſolutio.*

homines ſanctificandos, vt concors eſt Theologorum ſententia.

Deinde, matrimonium in noua lege, eſt vere ſacramentum, vt definiuit Trident. ſeſſ. 1. can. 7. de ſacramentis in genere: & tamen tam inſtitutum eſt hoc in remedium concupiſcentiæ, quàm in lege naturali, & Moſaïca: fruſtra ergo confugiunt iſti ad inſtitutionem matrimonii in fauorem naturę, & in remedium concupiſcentiæ, vt deceant de matrimonio quod non ſit ſacramentum. *Trident.*

Denique, probatur Concluſio in particulari, de ſacramentis legis Moſaicæ. Quibuſuis circumciſis data fuit gratia gratum faciens infallibiliter, vt colligitur ex cap. 17. Geneſis. *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo*: quibuſuis etiam debite accedentibus ad ſacrificia pro peccatis inſtituta, data fuit gratia gratum faciens, vel certe augmentum eiuſdem, ex cap. 7. & 8. Leuitici; ergo ſacramenta iſta fuerunt vere ſigna practica gratiæ ſanctificantis. *Vltima probatio.* Geneſ. 17. Leuit. 7. & 8.

Obiectio. Obiicies, omnia iſta ſacramenta extitiſſe vmbras & figuras ſacramentorum nouæ legis, vt conſtat ex cap. 10. prioris ad Corinth. *Omnia contingebant in figura:* ergo non potuerunt hęc eſſe ſigna practica, cum vmbra non contineat veritatem repræſentatam, ac proinde neque eam dare; nemo quippe dat quod non habet. 1. Cor. 10.

Reſponſio. Reſpondeo, ceremonias, ſacrificia, & denique ſacramenta veteris legis, ità fuiſſe vmbras myſteriorum nouæ legis, vt tamen fuerint res aliquæ veræ, & in genere entis, & in genere moris; ac proinde de ſacramentis, & ſacrificiis nonnullis legis Moſaïcę concedendum eſſe, quod fuerint ſigna practica; ad eorum ſiquidem præſentiam, & legitimum vſum, Deus infallibiliter contulit gratiam iuſtificantem, dependenter à paſſione Chriſti futura. Confirmatur hoc ex doctrina D. Thom. Circumciſio, baptiſmum nouæ legis figurauit, & Vnctio ſacerdotis Aaronica repræſentauit Ordinem, qui de facto cenſetur eſſe ſacramentum nouæ legis, & tamen Circumciſio ſanctitatem legalem contulit omnibus maſculis circumciſis; Vnctio item ſacerdotalis legitimos miniſtros omnium ſacrificiorum, & ſacramentorum veteris legis effecit, ità vt nullis aliis liceret ad iſta pertractanda accedere inculpate. *Cõfirmatur ſolut.*

Inſtantia. Inſtabis, Paulum cap. 4. ad Galatas, affirmare de ſacramentis legis Moſaïcæ, quod fuerint infirma, & egena elementa: ergo non fuerunt ſigna practica. Galat. 4.

Reſponſio. Reſp. ſacramenta veteris legis ideo nuncupari infirma & egena elementa, quod non potuerint hæc perfectè hominem iuſtificare, & ſanctificare, vt obſeruat D. Thom. art. 6. quæſt. 62. huius partis, ad vltimum, & colligitur ex 7. Hebr. *Nihil ad perfectum lex adduxit.* Hebr. 7.

Deinde, quia ſacramenta iſta non habuerunt ex ſe vim ſanctificandi cauſaliter, in ratione cauſæ efficientis, ſicut habẽt ſacramẽta nouę legis: cũ iſtis tamẽ rectè cohęret, vt ſacramenta veteris legis dicantur ſigna practica ſanctificantia hominẽ, quia ad eorum præſentiam, & debitum vſum, Deus infallibiliter contulit ſuam gratiam, dependenter tamen à meritis Chriſti futuris.

Vrgent. Vrgebis, Theologos Scholaſticos cõmuniter affirmare, hoc intereſſe inter ſacramẽta noſtra, & veteris legis; quod noſtra ſignificent gratiã prędentem; veteris vero legis demonſtrarent gratiam

Digitized by Google

futuram, per meritum passionis Christi dandam, quod etiam habet Concil. Florent. vbi supra.

Satisfit & explicatur Florent. Concil.

Respondeo, per istam rationem loquendi Theologos Scholasticos non intellexisse gratiam gratum facientem non dari in tempore præsenti, quotiescumque administrabantur sacramenta veteris legis: certum enim est, posita debita dispositione in eo qui sacramentum aliquod consequebatur in veteri lege, eidem datam esse primam gratiam, vel certè augmentum eiusdem: voluerunt ergo, vel sacramenta veteris legis non significare gratiam præsentem, sed futuram, ex eo tantùm capite quod sacramenta veteris legis productionem gratiæ non attingerent ex se, & sua natura, sicut faciunt sacramenta nouæ legis: sed solum Deum ad præsentiam istorum sacramentorum, posita debita dispositione ex parte suscipientis, gratiam produxisse, vel etiam, vt placet alijs, Florentinum compâsse vtriusque legis sacramenta, respectu gratiæ sacramentalis, & in ordine ad illam rectè dixisse sacramenta Euangelica continere, & causare gratiam, vetera verò significare tantum dandam per Christum; nam gratiam sacramentalem nõn conferebant, imò neque designabant præsentem, sed futuram eo quòd erat gratia sequentis seculi, & ætatis. Ex quibus facile solvitur ratio dubitandi in principio allata.

Nota.

DVBITATIO. QVINTA.

An Sacramentum, vt sic, sit signum naturale; an verò datum: ac proinde an sacramentum significet naturaliter, an ad placitum.

Argum. cõtraria 1.

RATIO dubitandi occurrit varia. 1. D. Augustin. epist. 23. ad Bonif. ait sacramenta nostra continere similitudinem aliquam cum ijs rebus ex quibus conflantur, quam si non haberent (inquit) sacramẽta non essent: at similitudo rei cuiuslibet naturalis, conuenit ei naturaliter.

2. Deinde, si sacramenta sunt signa ex institutione, non autem naturaliter, erunt entia rationis.

3. Tertio verba ista; *Ego te absolvo à peccatis tuis:* quæ censentur esse forma sacramẽti pœnitẽtiæ, significant naturaliter (suppositâ tamen institutione humana) remissionem peccatorum: verba item ista; *Parcat tibi Deus quidquid per oculos commisisti:* quæ sunt forma partialis extremæ Vnctionis condonationem peccatorum commissorum mẽdijs oculis designant, vt est per se notum: ergo, &c.

4. Denique, creaturæ omnes sensiles, significant perfectiones diuinas naturaliter, ex cap. 1. Rom. Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

Sacramenta significant ad placitũ.

CONCLVSIO 1. *Sacramenta sunt signa data seu voluntaria, non verò naturalia, ac proinde significant ad placitum, & ex institutione diuina, non autem naturaliter:* antequàm res hęc probetur,

Definitio signi ex D. Aug.

Aduerte, signum definiri à D. Augustin. 3. de doctrina Christ. *Id quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud in cogitationem venire facit.*

Diuisiones signi, signũ aliud datũ, aliud naturale.

Diuiditur autem, quantum ad rem præsentem attinet, signum hoc in naturale & datum: hoc pendet ab institutione diuina, vel humana; illud verò est à natura introductum: huius generis est fumus, repræsentat enim hic ignem ex se, & sua natura: aurora quæ significat vicinum solem: inter illa verò computatur hedera appensa hospitio; nam significat vinum vendibile ex institutione humana, sonitus campanæ designat auditionem sacri, vel lectionis ex hominum institutione. Subdiuiditur autem signum datum seu voluntarium, in diuinum & humanum: inter diuina, censentur esse omnia sacramenta legis veteris, & gratię: inter humana sunt iam commemorata à nobis, & voces significantes ex hominum institutione, & alia similia. Hoc ità constituto.

Signũ datũ aliud diuinum, humanum aliud.

1. probatio.

Probatur conclusio, primùm ex D. August. supra cit. & ex Sententiarijs in 4. dist. 1. nec non ex interpretibus omnibus D. Thom. hoc loco.

2.

Deinde, sacramenta eodem plane modo sunt signa, quo verba ista; *Ego te bàptizo*: at hęc regenerationem hominis spiritualem significant & mundationem à peccato originali, sola institutione diuina; imò D. Thom. in hac parte, & in 4. frequenter inculcat, verba prædicta à nullo alio potuisse institui, ad significandam regenerationem spiritualem, præterquàm à solo Deo, & quidem merito; instrumenta quippe efficacia gratię à solo authore gratię potuerunt habere ortum: tota namque vis agendi instrumenti, in suam causam principalem est refundenda: certum autem est solum Deum esse causam principalem productiuam gratiæ, fauet istis D. Augustin. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 2.

Sacramẽta sunt signa supernaturalia.

CONCLVSIO 2. *Sacramenta sunt signa supernaturalia.* Primũ, quia natura & essentia cuiuslibet signi, petitur à re quam repræsentat: quemadmodum & natura cuiuslibet imaginis, petitur à suo prototypo, & ea ratione qua potentia quælibet mutuatur suam essentiam à suo obiecto, vel à modo tendendi in illud; atqui res significata per sacramentum quodlibet est gratia gratum faciens, vt docuimus Dubit. 2. quæ tamen ex se, & sua natura est ordinis supernaturalis, cum nos faciat Deo gratos, & acceptos formaliter, & conferat ius ad vitam æternam obtinendam: ergo.

2.

Deinde, sacramentum quodlibet consequitur effectum ordinis supernaturalis, quia sanctificat, vel sanctitate legali, vel certe sanctitate oppositа peccato formaliter.

Vltima probatio.

Denique, mẽdium & finis debent esse eiusdem ordinis: at sacramenta sunt media ad vitam æternam obtinendam ordinata, vt constat de baptismo, Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, &c. & de Circumcisione capite 17. Genes. ità plerique Recentiores hic. Marc. vlt.

Dissoluuntur fundamenta contraria.

Ad rationes verò dubitandi, resp. Ad 1. ex testimonio D. Augustin. colligi tantum dari aliquam conuenientiam inter sacramenta, & res ex quibus sacramenta componuntur: quemadmodum enim aqua v. g. baptismi abluit sordes corporis, ità quoque baptismus sordes animæ nostrę purgat: item sicut panis, & vinum nutriunt hominem, ità quoque sacramentum Eucharistiæ hominem sustentat, respectu vitę spiritualis, ex 6. Ioann. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: conuenientia tamen ista, ad certos aliquos effectus in nobis producendos ordinis supernaturalis, imò significatio ista regenerationis spiritualis in baptismo, nec solis verbis; *Ego te baptizo*, nec soli aquæ elementari competit, sed aquæ, & verbis simul sumptis: ac proinde cùm significatio ista fuerit liberè à Deo ordinata, sacramenta non Ioann. 6.

signi-

ſignificant naturaliter, id ad quod aſſumpta ſunt ſignificanda, ſed ſola Dei inſtitutione.

2. ſoluitur. Ad 2. reſpondeo, negando illationem maioris: entia enim rationis tamdiu ſunt, quamdiu intellectus de iſtis cogitat; ſacramenta autem ſunt, etiamſi nullus cogitet de eorum exiſtentia, vt patet de ſacramento Euchariſtiæ: hoc enim intrà ſacrã pyxidem & ciborium conſtitutum, verè ſacramentum eſt, nullo homine, vel Angelo de hac re cogitante: in vltimo item inſtanti in quo forma ſacramenti baptiſmatis profertur à miniſtro, poſitis ablutione ſacramentum baptiſmi exiſtit, etiamſi ſacerdos, qui huiuſmodi ſacramentum adminiſtrat de facto non attendat ad ſacramenti adminiſtrationem.

Sacramenta nõ ſunt entia rationis.

Deinde, ex multorum opinione, entia rationis nequeunt à Deo produci; & tamen certum eſt ſolum Deum eſſe cauſam præcipuam cuiuſlibet ſacramenti. Rurſus, ens diuiditur communiter in naturale, rationale, & morale; ſacramenta autem cenſentur eſſe entia moralia, ex communi Theologorum opinione.

Sacramẽtũ eſt ens rationis, hoc eſt non phyſicũ.

Secunda reſponſio, ſi nomine entis rationis intelligatur illud quod non eſt ens naturale phyſicum, fateri poſſumus ſacramenta eſſe entia rationis. Cetera-rùm, quæſtio erit tunc temporis de nomine, non autem de re.

Ad 3. Ad 3. reſpondeo, verba iſta. *Ego te abſoluo à peccatis*: & item. *Parcat tibi Deus*: ſignificare remiſſionem peccati naturaliter, iuxtà hunc modum, quo peccata remittuntur ab hominibus, authoritate humana; minimè verò ſub ea ratione qua remittuntur authoritate diuina: ſed ſignificatio iſta competit verbis prædictis ſola lege, & ordinatione diuina; non autem naturaliter; neque enim verba iſta, ſecluſa conſtitutione diuina, ſatis eſſent ad gratiam producendam, quam tamen de facto producunt in nobis.

Soluitur vltim. Ad vltimam reſpondeo, creaturas iſtas naturales ſignificare naturaliter perfectiones diuinas, omnipotentiam ſcilicet, bonitatem, ſapientiam, & ceteras; non tamen ſub ea ratione qua ſanctificent, ſed ſub eo modo, quo ſunt in ſe ipſis ſanctæ, vt obſeruat D. Thom. artic. 2. huius quæſt. ad 2. non ſufficit autem ad hoc vt aliquid ſit ſacramentum, quòd ſignificet rem aliquam ſacram, ſed deſideratur vlterius, vt ſignificet rem, iſtam ſacram ſub ea ratione, qua ſanctificat, vt ſupra monuimus.

DVBITATIO VLTIMA.

An de ratione ſacramenti, vt ſic, ſit eſſe ſignum ſenſibile, & ceremonia ſolemnis religionis ad cultum diuinum inſtituta.

Potuit ſacramentum eſſe non ſenſibile.

CONCLVSIO 1. *De poteſtate Dei abſoluta fieri potuit, vt ſacramentum non eſſet ſignum ſenſibile.* Primum, quia tota ratio ſacramenti, vt ſic, pendet à libera Dei voluntate, & inſtitutione eiuſdem. Deinde, potuit Deus tam verè ſanctificare homines, aut etiam Angelos mediis ſignis ſpiritualibus, quàm ſenſibilibus; omnia quippe creata ex æquo ſubiiciuntur omnipotentiæ diuinæ. Confirmatur. Quidquid poteſt Deus media vna re creata, poteſt media qualibet alia, in ratione ſaltem cauſæ efficientis, vt habet axioma communiſſimum apud omnes.

Debet eſſe ſacramentũ

CONCLVSIO 2. *De lege communi ſacramentum vt ſic, debet eſſe neceſſariò res aliqua ſenſilis.* Primùm, quia diximus Dubitatione proxime antecedente, ex D. Auguſt. *Signum eſſe id quod præter ſpeciem, quam ſenſibus exhibet, aliquid aliud in cogitationem noſtram venire facit*: at ſacramentum vt ſic, eſt ſignum ex dictis. *de lege, ſenſibile ſignũ. D. Auguſt.*

Deinde, ex D. Thom. in hac tractatione de ſacramentis, ſacramenta ſunt pharmaca & medicamenta, quibus Deus medetur malis noſtris, & ceremoniæ, quibus Deus colitur à nobis cultu aliquo externo religioſo. *Probat. 2.*

Tertio, ſacramenta noſtra conſtant rebus, verbis, miniſtro, & intẽtione eiuſdẽ ex Concilio Florentino, in Inſtructione Armenorum. Denique, idem eſt iudicium de ſacramento, vt ſic, quod de ſacrificio, quod attinet ad rem præſentem: atqui ſacrificium de lege communi eſt aliquid ſenſile omnium plane conſenſione: ità Patres, Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia, D. Auguſt. epiſt. 19. & lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 9. & lib. 10. de ciuit. cap. 5. & D. Thom. artic. 4. & 5. huius quæſtionis, & omnino interpretes eiuſdem. *3. Vltima.* *Dionyſ. Auguſtin. D. Thom.*

Cùm autem diximus ſacramentum debere eſſe ſenſibile, hoc venit intelligendum, nedum de ſenſili, loquendo mathematicè, ſed etiam phyſicè: ſacramenta enim conſtant neceſſariò rebus diuiſibilibus, quale tamen non eſt punctum, quod eſto non ſit quantitas, eſt tamen principium quantitatis continuæ. Deinde, ſacramentum, vt ſic, debet eſſe ceremonia ſolemnis religionis ad Deum colendum inſtituta; quod tamen de puncto affirmari nequit.

Punctum nequit eſſe ſacramẽti materia.

Tertiò, ſignum definitum à nobis fuit in antecedentibus. *Id quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud in cogitationem noſtram venire facit*: at punctum non poteſt tranſmittere ſpeciem ad ſenſus externos, cùm ſenſus externi ſint inter ſe quanti, & diuiſibiles; punctum autem impartibile: at modus agendi, itemque recipiendi imitatur naturam agentis, & recipientis, ex illo; Quidquid recipitur in aliquo, ad modum recipientis recipitur.

Sacramẽtũ eſt ceremonia ſolẽnis. Prob. 1. Exod. Leuit. Numer. 2.

CONCLVSIO VLTIMA. *Sacramentum debet neceſſariò eſſe ceremonia ſolemnis, ad Deum colendum inſtituta.* Primùm, quia ſacramenta veteris legis donantur nomine ceremoniæ, Exodi 12. & 28. & Leuitici 7. eadem appellatio tribuitur etiam ſacrificijs veteris legis, Numerorum 15.

Deinde, hæc videtur eſſe mens D. Thom. in 1. enim 2. quæſt. 112. artic. 4. ait de ceremoniis veteris legis, quod tamdiu eſſent duraturæ, quamdiu lex Moſaica duraui: certum autem eſt religionem nullam poſſe perſeuerare ſine ſacramentis: ità quippe loquitur D. Auguſtin. cap. 11. lib. 19. contra Fauſtum. *In nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur*, & cap. 15. de vera religione, ait, Iudæos ſacramentorum religione fuiſſe oneratos, antequàm noſtra pauciora, & ſalubriora inſtituta fuerint.

Denique, de ſacramentis quibuſuis aſſerunt Sententiarij communiter & interpretes D. Thom. quod ſint ceremoniæ aliquæ à Deo inſtitutæ: ergo. *3.*

Ob defectũ iſtius conditionis multa reiiciuntur à ratione ſacramẽti, quæ tamen ſunt ſigna rei ſacræ à Deo inſtituta, inter hæc computatur ſerpens æneus: præfiguraui enim hic Chriſtum in Cruce pendentem, & languores animarum noſtrarum curandos eſſe per merita paſſionis Chriſti, ex cap. *Serpens æneus nõ fuit ſacramentũ.*

Ioann.3. 3.Ioan. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto:ità exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quia tamen non fuit hic,ceremonia ad Deum colendum instituta,in religione aliqua vera,ideò non fuit sacramentum. Idem dicendum est de manna, quod significauit manducationem corporis Christi sub speciebus consecratis ex cap.6.Ioann. *Patres vestri manducauerunt mãna,& mortui sunt:* non fuit tamen hoc ceremonia vllius religionis,ac proinde neque fuit sacramentum. Idem dicendum est de columba quæ apparuit in baptismate Christi, de linguis igneis,quæ fuerunt vitæ circa Apostolos, in descensu Spiritus sancti super eosdem,Actuum 10.de verbis item istis Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata* B *tua:*& Ioann.11. *Lazare,veni foras:* priora quippe verè effecerunt id quod significant in Magdalena: posteriora verò in Lazaro: non tamen propterea dicendum est illa fuisse sacramenta;licet enim hęc fuerint signa à Deo instituta, non tamen numerantur inter ceremonias alicuius legis,quod est ad rationem sacramenti necessarium: idem est dicendum de plerisque alijs signis à Deo institutis.

Manna nõ fuit sacramentum. Ioan. 6.

Colũba quæ apparuit nõ fuit sacramẽtum, nec lingua ignea. Luc. 7. Ioann. 11.

Agnus paschalis fuit sacramentũ.

Vt autem quæ hactenus dicta sunt pleniùs intelligantur obseruanda sunt aliqua. Primum est, sacrificium Agni Paschalis in veteri lege extitisse propriè sacramentum, fuit quippe hic institutus à Deo, tanquam signum rei sacræ sanctificans, vt colligitur ex cap.12.Exodi. Deinde fuit ceremo- C nia solemnis religionis ad Deum colendum institutra. 3. fuit signum practicum gratię sanctificantis ad cuius præsentiam, & debitum vtum contulit Deus gratiam iustificantem infallibiliter: ità docet D. Thom.q.83.huius partis: licet autem res hæc admittatur à nobis de sacrificio agni Paschalis; non est tamen idem dicendum de omnibus alijs sacrificijs veteris legis, neque item de omnibus ceremoniis: fuerunt namque pleraque ex istis instituta in lege Mosaïca, non ad dandam sanctitatem spiritualem, sed ad legalem: vt manifestum est ex varijs locis Leuitici; Numerorum,& Exodi, & docet D.Tho. in 1.2.q.113.artic.2.ad 1. sacramentum autem omne debet esse institutum, ad D dandam sanctitatem spiritualem, nedum legalem.

Sacrificia alia antiqua nõ fuerunt sacramenta.

Consecratio basilicæ,vasorum, altariũ, Crux Christi aqua benedicta nõ sunt sacramenta.

Dicẽdũ prętereà est multa extare in lege gratię, quæ sunt signa rei sacræ, quæ tamen nulla ratione sunt sacramẽta;inter hæc cẽsentur esse cõsecrationes basilicarũ,altariũ,vasorũ sacrorũ,Crux Christi & huius imagines,aqua lustralis,& pleraq; alia;licet enim hæc sint signa rei sacræ, non tamen sunt ordinata ad sanctificandum, sanctitate opposita peccato. Deinde, aliqua ex istis non à Deo, sed ab Ecclesia sunt instituta. 3. licet aqua lustralis deleat peccata venialia, non tamen id facit ex se, & sua natura,vel ex institutione diuina; ità vt sit signum practicum à Deo institutum, sed excitando tantùm in nobis, vel contritionem formalem,vel E actum charitatis, vt probatur suo loco inferiùs. Denique, aliqua ex istis significant sanctitatem in Christo existentem, non autem sanctitatem à qua iustificamur formaliter, quod tamen est simpliciter necessarium ad sacramentum: ità docent communiter omnes,hoc loco,& in 4.dist.1.

Duplex cõparatio in omni sacramento.

Secundum obseruandum est,in omni planè sacramento dari duplicem comparationem: alteram ad id quod significat. 2. ad id cui significat, vt obseruat Bonauent. in 4. dist. 1.q.2. Prima comparatio censetur esse de intrinseca ratione sacramenti: diximus enim, significare gratiam gratum facientem,esse de ratione sacramenti,posteriorem verò non pertinet ad naturam, & essentiam sacramenti,saltem respectu actus secundi, notissimum quippe est pueros qui ex hypothesi baptizantur, non posse vlla ratione animaduertere sacramentum,quod sibi applicatur, significare & demonstrare peccatum originale sibi condonari virtute sacramẽti applicati:idem est iudicium de Circumcisis in veteri lege; & tamen comparatio 2. sacramenti in eo posita est, vt demonstret gratiam dari ei, qui sacramentum consequitur: in actu tamen primo comparatio ista, ità coniuncta est cum sacramento, vt nequeat ab eo separari; omne enim sacramentum vt sic, habet ex se vt aptum natum sit demonstrare gratiam iustificantem dari ei, qui debite illud consequitur.

Sacramenta sunt entia moralia

Obseruandum vltimo, sacramenta omnia esse entia moralia,nam significant ex institutione diuina gratiam gratum facientem,vt dictum est in superioribus, collocantúrque proinde in categoria entium moralium,vel certè reuocantur ad eas categorias rerum,ex quibus componuntur, ratione verò signi ad categoriam relationis, & denique ratione meriti,& valoris, qui in istis deprehenditur,ad categoriam qualitatis spectant.

Ad varias categorias reuocantur sacramenta.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum requirantur determinata res ad Sacramenta.



RESPONDET affirmatiuè. ARTICVLO 6. docet sacramenta nouæ legis constare necessariò vocibus, vel certè re aliqua,quæ verbis æquipolleat. ARTICVLO 7. in sacramentis verba debere esse determinata.

ARTICVLO VLTIMO, scribit in sacramentis nihil esse addendum,aut detrahendum, ex quo sequatur mutatio substantialis eorũdem: addit tamen posse mutari aliquid accidentaliter in sacramentis, sine iactura sacramentorum, modo tamen per mutationem istam non intendamus inducere errorem contrarium formæ sacramenti.

Circa istos articulos sit,

DVBITATIO PRIMA.

An in omni sacramento legis naturalis Mosaïca, & gratiæ,requirantur necessariò res aliqua determinata ex institutione diuina.

Vt res determinata quid significet in quolibet sacramento.

ADuerte, nomine rei determinatæ, significari hoc loco, vel substantiam, vel certe actum humanum; definiuntur enim & determinantur per formã ad esse alicuius sacramenti, vt in baptismo, Confirmatione,Eucharistia, Ordine,extrema Vnctione,res determinatæ sunt substãtia,vt cõstat ex aqua,quę est materia remota baptismi,ex pane, & vino, quæ similiter sunt materia remota Eucharistiæ; ex chrismate, quod est materia Confirmationis; ex calice, & vino, & ex pane patenæ apposito, quæ censetur esse materia remota sacramenti presbyteratus, vt probabitur suo loco; ex oleo infirmorum, quod censetur esse materia remota extremæ Vnctionis.Res autem determinatę in sacramento penitentiæ sunt actus penitentis: in sacramento verò matrimonij consensus vtriusque partis contrahentis.

Digitized by Google

Duplex materia ſacramẽti, remota & proxima.

Aduerte 2. in omni fere ſacramento nouę legis dari duplicem materiam, remotam, ſcilicet, & proximam: illa in ſacramento baptiſmatis eſt aqua naturalis; hęc verò ablutio, ſeu vſus aquæ elementaris: hoc autem intereſt inter materias remotas ſacramenti penitentiæ, & matrimonij, & inter materias remotas aliorum quinque ſacramentorum, quòd materia remota ſacramenti penitentiæ, & matrimonij non ſint de intrinſeca ratione iſtorum ſacramentorum: nam materia remota ſacramenti penitentię ſunt peccata mortalia, & venialia, quæ tamen nequeunt eſſe de eſſentia ſacramenti penitentiæ, cùm hęc nulla ratione ſint à Deo, & materia cuiuſlibet ſacramenti à Deo producatur neceſſariò, veluti a ſua cauſa præcipua, & principali vniuerſali ſaltem.

Materia remota penitentiæ & matrimonij non eſt intrinſeca ratione ipſorũ.

Deinde, peccata iſta interdum non ſunt actu, ſed habitu ad ſummum, quandocumque conficitur ſacramentum penitentiæ: corpora item contrahentium non ſunt de eſſentia matrimonij, ſed conſenſus vtriuſque partis contrahentis, expreſſus per verba, vel nutus externos: materia autem remota ceterorum ſacramentorum, pertinet ad naturam, & eſſentiam ſacramenti, non quidem in recto, ſed in obliquo; ac proinde fatentur communiter de materijs quinque prędictorum ſacramentorum, quod ſint materia ex qua conficiuntur ſacramenta iſta; de peccatis verò, & de corporibus eorum qui contrahunt matrimonium, quod ſint materia circa quam verſantur iſta ſacramenta, non autem materia ex qua.

Secus eſt in alijs ſacramentis.

Materia partialis & totalis in ſacramento quæ.

Aduerte 3. in omni ſacramento nouæ legis dari materiam partialem, & totalem, quemadmodum deprehenditur forma partialis & totalis: materia partialis in ſacramento baptiſmatis, cenſetur eſſe aqua, & eius vſus: totalis verò materia cenſetur eſſe vſus aquæ elementaris, & iſta verba. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: duo quippe hæc ſimul ſumpta, definiuntur ad naturam ſacramenti perficiendam, per ſignificationem regenerationis ſpiritualis, quę eſt forma totalis illius ſacramenti, quemadmodum forma partialis eiuſdem cenſentur eſſe verba prædicta. *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c.

Forma partialis & itẽ totalis quæ.

Res Sacramenti aliquando ad ſpeciem infimam aliquando ad genericã determinantur.

Tandem aduerte, res ſacramentorum nouæ legis, vt nomẽ res vſurpatur hoc loco à nobis, determinari interdum ad ſpeciem aliquam infimam, vt conſtat ex aqua elementari, quæ eſt res ſacramenti baptiſmatis, & ex pane & vino, quę ſunt res partiales in ſacramento Euchariſtiæ in fieri. Interdum verò definiuntur res ſacramentorum ad ſpeciem aliquam genericam, ſeu interiectam, vt conſtat ex peccatis mort. & venialibus, quæ ſunt res ſacramenti penitentiæ: indubitatum enim eſt peccata non eſſe vnius, & eiuſdem ſpeciei, omnia.

Sacramẽta determinãtur ad res certas & neceſſarias in lege naturæ.

CONCLVSIO 1. *In lege naturæ fuerunt ſacramẽta determinata ad certas aliquas res, ità vt non potuerunt ſacramẽta iſta cõſurgere ſine rebus à Deo determinatis.* Primùm, quia Circũciſio computatur inter ſacramenta legis naturalis; nam fuit data Abrahæ pro tempore legis naturalis, ex cap. 17. Geneſ. hæc autem fuit definita à Deo ad certam partem corporis abſcindendam, & item ad certum tempus, non enim potuit ante octauum diem à natiuitate maſculi adminiſtrari, vt conſtat ex loco proximè citato Geneſ. ergo fuerunt res certę.

2 Probat.

Secundò, ſacrificia Abelis, & Caïni, Geneſ. 4. Noë, Geneſ. 8. Melchiſedech, Geneſ. 14. Iob. cap. 1. pro filijs, cap. vero 42. pro amicis, à diuina inſpiratione habuerunt ortum, nedum reſpectu finis, propter quem fuerunt celebrata, ſed etiam reſpectu rei ſacrificatæ, vt communis opinio Theologorum docet ad hunc locum: ergo habuerunt res certas & determinatas à Deo.

Vlt. probat.

Denique, nulla res naturalis, relicta intrà terminos propriæ naturæ poteſt eſſe ſignum practicum gratiæ iuſtificantis, vt author eſt D. Thom. in hac quæſt. art. 2. ad 2. ergo cùm omne ſacramentum ſit ſignum practicum gratiæ ſanctificantis, vt monuimus in antecedentibus, Dubit. 2. ad artic. quatuor priores, huius quæſt. D. Tho. res cuiuſlibet ſacramenti in lege naturali debuit à Deo determinari, non minùs quàm in lege Euangelica.

In lege Moſaïca determinatur ſacramẽta ad res certas.

CONCLVSIO 2. *Sacramenta legis Moſaïcæ, fuerunt determinata ad certas aliquas res, lege & conſtitutione diuina.* Primùm, quia hoc eſt manifeſtè notum ex Circumciſione, agno Paſchali, & conſecratione ſacerdotum veteris legis; hanc enim fuiſſe ſacramentum legis Moſaïcæ, docet S. Thom. 1.2. quæſt. 112. art. 5. ad 3.

Deinde, per circumciſionem, per manducationem agni Paſchalis, & per conſecrationem ſacerdotum in lege Moſaïca, ſanctificabantur homines legaliter; & ad debitum vſum, præſentiámque iſtorum ſignorum conſequebantur Iudęi infallibiliter gratiam iuſtificantem, productam tamen à Deo, non autem ab iſtis ſignis; fuerunt ergo res iſtorum ſacramentorum à Deo determinatæ; neque enim fieri poteſt, vt aliquid ſit ſignum practicum gratiæ gratum facientis, niſi fuerit hoc ab autore gratiæ conſtitutum. Confirmatur. Omnis vis quæ fuit in ſacramentis legis Moſaïcæ, repetenda eſt ab ordinatione diuina, & à paſſione Chriſti futura, ex cõmuni doctrinà: at notitia paſſionis Chriſti per ſpecialem Dei reuelationem mortalibus tantum innoteſcere potuit, cùm myſterium hoc nullâ aliam cauſam agnoſcat præter Dei voluntatem: ergo.

Sacramẽta nouæ legis habent res determinatas à Deo.

CONCLVSIO VLTIMA. *Res fuerunt à Deo determinatæ in omnibus ſacramentis nouæ legis.* Primùm, quia id euidentiſſimum eſt de baptiſmo, ex cap. 3. Ioann. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. idem certiſſimum eſt de Euchariſtia, ex c. 11. prioris ad Corinth. 14. Marc. 22. Luc. & 26. Matth. dicitur enim in iſtis locis; *Accepit Ieſus panem*: & rurſus. *Accepit calicem, & benedixit*: de Confirmatione verò, cuius res cenſetur eſſe Chriſma, & de ceteris alijs ſacramentis, probabitur res iſta inter agendũ de ſingulis ſacramẽtis in particulari.

Ioann. 3.

DVBITATIO SECVNDA.

An in omni Sacramento legis naturalis, Moſaïca, & gratiæ, dentur verba aliqua determinata ex inſtitutione diuina.

Quorundã opinio & ratio.

SVNT qui putent in veteri lege extitiſſe verba aliqua determinata: probant, quia ceremonia zelotypię, habuit rationẽ ſacramenti, & itẽ ſacrificium pro peccato: at in iſtis fuerunt verba aliqua determinata, vt colligi videtur ex cap. 5. Numerorum: & ex cap. 4. Leuitici; dicitur enim illic. *Et orabit ſacerdos pro eo, & peccatis eorum, & dimittentur ei*: ità ſentire videntur Durand. Palud. & alij nonnulli in 4. diſt. 1.

Numer. 5. Leuit. 4.

Nulla antiquitus verba determinata in ſacramẽtis ex præſcripto Dei.

CONCLVSIO 1. *In ſacramentis legis Moſaïca nulla fuerunt verba determinata inſtitutione diuina, ſed liberum fuit his, vel illis verbis vti inter ſacramenta adminiſtranda*: Primò, quia ſacramenta, itémque ſacrificia veteris legis fuerunt vmbræ myſteriorum legis gratiæ, ex cap. 10. prioris ad

Probat. 1.

Digitized by Google

1.Cor.10. Hebr.10. Corinth. *Omnia contingebant illis*, ſcilicet Iudæis, *in figuris*: & ex cap. 10. Hebræorum. *Lex vmbram habens futurorum*: at verba determinata inſtitutione diuina in ſacramentis ex hypotheſi perficiendis, non poſſunt eſſe vmbræ, & figuræ alicuius alterius rei, ab ea quam ſignificant, vt author eſt D. Auguſtin. cap. 3. lib. 2. de Doctrina Chriſt. quo loco ait, verba eſſe ſigna manifeſta, & euidentia.

D.Auguſt.

2. Deinde, hæc eſt ſententia D.Thom.in 4.diſt.1. q.1. art. 3. & art. 6. huius quæſt. ad 3. & Catechiſmus Pij V.de ſacramentis in genere verbis expreſſis habet; in ſacramentis veteris legis, nullam fuiſſe formam verborum determinatam: idem docent communiter interpretes D.Thom. hoc loco, & in 4.diſt.1.Sententiarij.

Pius V.

Obiectio. Reſponſio. Obijcies, res ſacramentorum legis Moſaïcæ fuiſſe determinatas à Deo: ergo & verba. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem: ſacramentum quippe matrimonij in noua lege eſt à Deo inſtitutum, & habet pro materia proxima ex inſtitutione diuina, conſenſus legitimos vtriuſque partis contrahentis, caret tamen verbis certis & determinatis à Deo: nam conſenſus iſti poſſunt explicari ſufficienter, vel nutibus, vel certis quibuſdam verbis poſitis in arbitrio, & libera voluntate contrahentium, vt conſtat ex cap. licet.de ſponſa duorum: ſi ergo in noua lege datur aliquod ſacramentum ſine verbis determinatis à Deo, nulli mirum videri debet, ſi dicamus ſacramenta veteris legis non habuiſſe verba certa & determinata: idem dicendum eſt de ſacramentis legis naturalis.

Diſſoluuntur rationes dubitand. Ad quẽ finem inſtituta zelotypia cerem. Ad rationes verò Authorum contrariæ ſententiæ. Reſp. cæremoniam zelotypię non fuiſſe ſacramentum in lege Moſaïca; non enim fuit hæc inſtituta à Deo ad ſignificandam hominis ſanctitatem ſpiritualem, ſed ad vindicandum adulterium, vt aperte conſtat ex cap.8.Numer. ità Soto in 4.diſt.1.q.1. art.6. Ad id verò quod ſubiungitur de ſacrificio pro peccato. Reſp. ſacrificium hoc fuiſſe ſacramentum legis Moſaïcæ; non tamen habuiſſe adiuncta certa aliqua verba à Deo determinata; nã orationes de quibus agitur eo in loco fuerũt liberæ; ità vt poſſet ſacerdos legis Moſaïcæ his vel illis orationibus vti, inter ſacrificium pro peccato perficiendum. Deinde, preces iſtæ non habuerunt rationem formæ, reſpectu iſtius ſacramenti; ſed tantùm fuerunt adhibitę ad hoc vt maiori cum ſolemnitate & veneratione ſacrificium hoc perficeretur.

Cuilibet nouæ legis ſacramẽto cõpetunt verba determinata ſi matrimonium excipias. Probat.1. Matth.vlt. Idem 26. Luc. 22. 1.Cor.11. Act. 8. Concil. Florent.

Conclvsio 2. *In omni ſacramento nouæ legis, dantur verba determinata ordinatione diuina, vnico excepto matrimonio*: hæc traditur verbis expreſſis in Concil. Florent. in Inſtructione Armenorum.

Deinde, hoc idem colligitur de baptiſmo, ex cap. vltimo Matth. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* De Euchariſtia, ex cap. 26. Matthęi, Lucę 22. & 1. Corinth. 11. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*: & rurſus. *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum*: de Confirmatione, ex cap.8. Actuum; *Qui cum veniſſent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum ſanctum.* Concilium quippe Florent. ex verbis citatis, verba determinata à Chriſto ſacramenti Confirmationis eſſe ait; *Signo te ſigno crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis, &c.* De Penitentia, ex cap. 20. Ioann. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* De Ordine, ex cap. 6. Actuum. *Statuerunt eos ante conſpectum eorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Denique de extrema Vnctione, ex cap. 5. Iacobi; *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ; & oratio fidei alleuiabit infirmum.*

Ioan. 20. Act. 6. Iacob. 5.

Tertiò ex Patribus; ità Tertull.in lib.de Baptiſmo, cap. 13. ait legem tingendi nobis poſitam eſſe, & formam præſcriptam. Cyprian. epiſt.73.ad Iubaianum. Ambroſ.lib. de iis qui myſteriis initiantur cap. 4. D. Auguſt. lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap.15.& alii docent.

3. probatio. Tertull. Cyprian. Ambroſ. Auguſt.

Accedit ratio. In quolibet ſacramento res ſunt determinatę ordinatione diuina, vt probauimus Dubit. proxime antecedente: ergo & verba erunt etiam determinata in ſacramentis nouæ legis ordinatione diuina; habent ſiquidem verba rationem formæ partialis in iſtis ſacramentis, vt definiuit Concil.Florent.in Inſtructione Armenorum: ergo cum forma definiat & determinet quodlibet compoſitum, ad certam aliquam ſpeciem, ex doctrina Ariſt. communiter recepta, verba ſacramenti cuiuſlibet, nouæ legis, erunt etiam definita & determinata ordinatione diuina: ſolius quippe Dei eſt definire materiam & formam cuiuſlibet ſacramẽti nouæ legis, vt probabitur inferius; quemadmodum & ſolius Dei eſt, producere gratiam gratum facientem in ratione cauſæ principalis.

4. probatio à ratione.

Obiicies, docuiſſe nos, Dubit. proxime antecedente, verba non fuiſſe à Deo determinata in ſacramentis legis naturalis, & Moſaïcæ: ergo non fuerunt etiam determinata reſpectu ſacramentorum nouæ legis.

Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: diximus enim illic propterea verba non fuiſſe determinata in lege Moſaïca, reſpectu ſacramentorum eiuſdem, quia omnia quæ fuerunt in ea lege habuerunt rationem vmbrę, & figurę myſteriorum legis gratiæ: verba autem non poſſunt habere rationem vmbrę, & figuræ, cùm ſint hæc ſigna euidentia, & notiſſima eorum quæ ſignificant; vt admonet D. Auguſt. cap.3. lib.2. de Doctrina Chriſtiana.

Matrimonium conſurgit abſque verbis. Dixi autem in Concluſione, excepto matrimonio, quia matrimonium vere conſurgere poteſt inter mutos, ac proinde cùm iſti nequeant ſuos cõceptus verbis exprimere, ſed tantum nutibus, & ſignis, ſacramentum hoc non habet annexa verba certa, & determinata, ex inſtitutione diuina.

Deinde, in capite, licet.de ſponſa duorum. Pont. Rom. definit contrahentes debere exprimere ſuos conceptus ſibi inuicem verbis, vel nutibus: ergo. In hac ſententia ſunt etiam omnes Scholaſtici locis proxime citatis.

Conclvsio 3. *Res, in quolibet ſacramento legis gratiæ, habent rationem materiæ partialis, verba verò ſimiliter rationem formæ partialis: res verò & verba ſimul, habent rationem materiæ totalis, ſignificatio autem cenſetur eſſe forma totalis.* Prima pars huius concluſionis eſt aperte Concilii Florent. in Inſtructione Armenorum. Deinde ità docent Scholaſtici locis ſupra citatis.

Probatio 2. part. concluſionis. Verba & res habent rationem materiæ totalis. Secunda verò pars, ſcilicet verba & res ſimul ſumpta habere rationem materiæ totalis in quolibet ſacramento, probatur 1. quia nec panis v. g. nec vinum in ſacramento Euchariſtiæ ſignificant nutritionem ſpiritualem perfectam, & completã, ſed tantùm quando hæc duo ſimul coniunguntur: ergo cum illud habeat rationem materiæ, in quolibet ſacramento, quod aſſumitur

Digitized by Google

ad ſignificandũ, ſpecies panis & vini habebunt rationem materiæ totalis in Euchariſtia: non enim aliquid aliud ab iſtis duobus aſſumitur ad ſignificandam nutritionem ſpiritualem, quæ eſt totalis forma iſtius ſacramenti. Deinde, res & verba in quolibet ſacramento ſimul ſumpta conſequuntur rationem vnius ſigni totalis, & adæquati: ergo &c.

Tertiò, idem dicendum eſt de materia totali cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis, quod dicimus de materia integra & adæquata alicuius orationis ſeu propoſitionis, vt obſeruant plerique interpretes D. Thom. hoc loco: at materia totalis, & adæquata propoſitionis alicuius neque eſt ſubiectum tantum, nec attributum, ſed attributũ & ſubiectum ſimul cum copula: ergo &c.

Tertia denique pars probatur. Quod totaliter conſtituit ſacramentum aliquod in ratione talis ſacramenti cenſetur eſſe eius forma totalis; forma quippe eſt, id eſt quod dat eſſe rei: at ſignificatio, vt ſic, conſtituit ſacramentum in ratione ſacramenti, vt docuimus Dubit. 2. ad quatuor articulos priores huius quæſtionis D. Thom. ergo ſignificatio totalis erit forma totalis cuiuſlibet ſacramenti.

Obiectio. Obijcies contra primam partem concluſionis, formam cuiuſlibet compoſiti debere eſſe in eodem inſtanti cum ſua materia: at forma ſacramenti penitentiæ, non eſt in eodem inſtanti temporis cum peccatis, de quibus ſe accuſat penitens, apud Sacerdotem, vt conſtat ex praxi quotidiana inter confitendum.

Reſponſio. Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram de forma cuiuſlibet compoſiti naturalis; hæc enim actuat materiam, & educitur ex potentia materiæ, vnica excepta anima rationali: & denique totum compoſitum naturale, nihil aliud eſt, quàm partes ſimul ſumptæ ex quibus componitur: compoſitum tamen morale non poſtulat vt eius materia & forma ſint in eodem inſtanti

Nota. temporis; ſed ſatis eſt, ad totum hoc morale conſtituendum, vt partes, ex quibus conſurgit, ſint iudicio, & exiſtimatione viri prudentis ſimul, eo modo, quo aliqua dicuntur eſſe ſimul, quæ intrà breue aliquod tempus ſunt; aut certe fuerunt, vel vnum ex iſtis futurum eſt: hac ratione dicimus partes alicuius orationis, itémque orationem totam ſimul fuiſſe peractam: quæ autem diſiunctio requiratur, ad hoc vt partes alicuius ſacramenti dicantur non eſſe ſimul, vel eſſe, relinquitur iudicandum iudicio viri prudentis, & ſapientis.

Obiectio. Obijcies, contra 2. partem Concluſionis ex Soto in 1. diſt. 1. ablutio aquæ ideò dicta eſt baptiſma, quod hæc ſola ſignificet regenerationem ſpiritualem: ergo &c.

Reſponſio. Reſpond. conceſſo antecedente, nego conſequutionem: licet enim ſacramentum baptiſmatis ſuam denominationem accipiat ab ablutione; non tamen propterea ſola ablutio ſignificat regenerationem ſpiritualem, diximus enim rationem ſignificandi non competere ablutioni ſoli, vt ſic, neque item verbis iſtis ſolis: *Ego te baptizo*, ſed ablutioni, & verbis prædictis ſimul ſumptis. Ex iſtis colliges Scotum, in 4. diſt. 14. non eſſe audiendum; ait enim rationem ſacramenti penitentiæ in ſola abſolutione conſiſtere.

Vbique terrarũ res & verba ſacrament. fuerunt determinata.

CONCLVSIO VLTIMA. *Res & verba in omnibus ſacramentis nouæ legis fuerunt ſemper determinata, ità vt in omnibus Eccleſijs, & locis inter*

A *hæc adminiſtranda, eadem planè res, & verba fuerint vſurpata.* Primùm, quia ſacramenta iſta fuerunt à Chriſto inſtituta pro quibuſuis Chriſtianis, & Catholicis, & pro ſalute quorumcumque mortalium. Deinde, Eccleſia non poteſt in iſtis quidquam mutare. 3. Licèt poſſit Eccleſia facere nequis iuriſdictionem vllam habeat, ac proinde vt abſolutio data ſine iuriſdictione ſit nulla, non tamen poteſt Eccleſia facere, vt abſolutio data cum iuriſdictione legitima non ſit valida; modò tamen verba iſta; *Abſoluo te*, & confeſſio debita peccatorum præceſſerit. Ità docent communiter omnes hoc loco.

Obijcies, conſenſus contrahentium habent ra- *Obiectio.*
tionem materiæ, & formæ, ex veriori opinione, in ſacramento matrimonij, & tamen Concil. Tri-
B dent. inualidat matrimonia clandeſtinè contracta, quod accidit quotieſcumque ab huiuſmodi contractu abeſt parochus contrahentium, & præſentia teſtium ad minùs duorum.

Reſpondeo, matrimonia iſta clandeſtina, verè *Reſponſio.*
eſſe inualida, & nulla in omnibus illis locis in quibus lex Concilij Trident. eſt promulgata; non tamen propterea mutauit Concilium Trident. materiam aut formam ſacramenti matrimonij: conſenſus enim legitimi contrahentium hactenus obtinuerunt rationem materiæ, & formæ, & obtinebunt: induxit ergo Tridentinum tantùm impedimentum, ne poſſent contrahentes clandeſtinè apponere legitimam materiam, & for-
C mam ſacramenti matrimonij, quod poſſe Eccleſiam præſtare definitum eſt in eodem Trident.

DVBITATIO TERTIA.

An verba ritualia, conſecratoria, ſeu, cæremonialia à Chriſto inſtituta, in ſacramentis nouæ legis, ſint ſimpliciter neceſſaria, & ad ſacramenta iſta perficienda, & ad effectus eorum producendos.

CALVINVS lib. 4. ſuæ Inſtitutionis in eo *Caluini hæreſis.*
eſt errore, vt credat verba conſecratoria nulla ratione eſſe neceſſaria, vel ad effectus ſacra-
D menti producendos; vel ad naturam, & eſſentiam ſacramenti complendam; vſurpari tamen vt plurimum verba ritualia à Deo conſtituta, ſed tantum ad inſtruendum populum, & ad fidem excitandam, dum explicantur, & proponuntur diuinæ promiſſiones. Addit ſolam fidem iuſtificare dependenter à verbo concionis, ſeu doctrinali: vide de iſtis Bellarminum lib. 10. de ſacramentis, cap. 19.

Aduerte, verbum diuinum aliud eſſe doctri- *Verbum diuinum doctrinale vnum, conſecratorium alterum.*
nale, & aliud conſecratorium, ſeu rituale; quantum ad rem præſentem attinet, hoc cenſetur eſſe forma præſcripta à Chriſto retinenda inter ſacramenta adminiſtranda, vt in Euchariſtia verbum rituale eſt: *Hoc eſt corpus meum.* &; *Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* Illud verò cenſetur eſſe *Verba conſecratoria ſunt neceſſaria in ſacramentis excepto matrim.*
omnis Scriptura ſacra, hæc quippe apta eſt ad docendum, & erudiendum, quoſcumque mortales ea quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores executioni demandandos.

CONCLVSIO 1. *Verba conſecratoria ſunt ſimpliciter neceſſaria, ad naturam cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis perficiendam, vnico tantùm excepto matrimonio; & ad effectus eorumdem producendos.* Primùm, quia ità definitum eſt in Concilio Florent. in decreto vnionis Armenorum, vbi dicitur tria *Probatio 1. Concil. Florent.*

Digitized by Google

eſſe de neceſſitate cuiuſlibet ſacramenti, materiã, formam, & intentionem miniſtri: nomine vero formæ, ait, ſignificari verba à Chriſto inſtituta.

2. Deinde, fieri nequit vt totum aliquod conſurgat, niſi ex partibus eſſentialibus à quibus intrinſecè pendet: verba autem conſecratoria ſunt vna pars, quæ intrinſecè componit quodlibet ſacramentum.

3. Denique, hæc videtur eſſe mens expreſſa Patrum, quos citauimus Dubit. proximè antecedente, in confirmatione 2. Concluſionis.

Nulla ratione neceſſarium eſt verbum doctrinale ad ſacramẽtũ, vel eius effectum.

CONCLVSIO 2. *Verbum doctrinale ſeu concionis, neque eſt neceſſarium ad integritatem baptiſmi, v.g. nec ad effectum vllius planè ſacramenti producendum.* 1. pars ex eo innoteſcit, quod ſacramenta perficiantur rebus & verbis tantum conſecratorijs, & intentione miniſtri intrinſecè & eſſentialiter; ac proinde verbum concionis impertinens eſt ad naturam ſacramentorum.

2. Partis probatio.

Secunda vero pars probatur. Primùm, quia ſi res aliter haberet nulli eſſent ritè baptizati inter Catholicos: concio quippe nulla celebratur à Catholicis inter baptizandum; imo neque primi hæretici qui receſſerunt à gremio Eccleſiæ Catholicæ eſſent baptizati, idque propter cauſam proximè explicatam. Deinde, verba conſecrationis inepte explicantur inter baptizandum pueros, & item amentes; non enim ſunt iſti capaces eruditionis, aut excitationis fidei, cum careant vſu rationis. Vide plura de iſtis apud Bellarminum, loco proximè citato.

Hæreticorũ fundamentum.

Rom. 10. Marc. 16.

Obijciunt hæretici, fidem iuſtificare homines, non autem ſacramenta, ex cap. 10 ad Romanos. *Corde creditur ad iuſtitiam:* & Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Diluitur efficaciter.

Rom. 10.

Reſpondeo, teſtimonia iſta eſſe intelligenda de ſolis adultis, vt manifeſtè colligitur ex verbis antecedentibus; *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* & ex verbis Pauli proximè ſubſequentibus; *Confeſſio autem ore fit ad ſalutem*: non enim paruuli, aut etiam amentes poſſunt fidem ſuam profiteri extrinſecè, neque item poſſunt iſti inſtitui in his quę ſunt fidei Catholicæ; vt eſt per ſe notum. Deinde, quilibet ex adultis tenetur explicitè aliqua credere ex ijs quæ pertinent ad fidem Catholicam, vt docent omnes in tractatione de fide.

Fides initiatiuè hominẽ iuſtificat & radicaliter.

Reſp. 2. fidem iuſtificare hominem initiatiue tantum & radicaliter; non autem formaliter, vt explicat Trident. ſeſſ. 7.

Eſt aduertendum tamen, nedum fidem conducere ad iuſtificationem noſtram, ſed etiam ſpem, & ceteras virtutes ordinis ſupernaturalis, vt dicetur in tractatione de baptiſmo: ſacramenta autem conducunt ad iuſtificationem noſtram cauſaliter, quia habent hæc vim producendi gratiam gratum facientem, quæ eſt cauſa formalis noſtræ ſanctitatis, vt definiuit Trident. ſeſſ. 16. cap. vltimo.

Aliud hæretic. fund. difficile.

D. Auguſt. *Deſtruitur.*

Obijcies, D. Auguſtinum, tractatu 80. in Ioan. adſcribere iuſtificationem noſtram non baptiſmo, ſed fidei; *Vnde* (inquit) *tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat? niſi faciente verbo, non quia dicitur; ſed quia creditur.*

Explicatur locus S. Auguſt. 1.

Reſpondeo, ex iſtis non poſſe quidpiam Hæreticos colligere; loquitur quippe hic D. Auguſt. non tam de verbo doctrinali, ſeu concionis, quàm de verbo rituali, vt ex verbis ſubſequentibus manifeſtum eſt; *Accedente verbo ad elementum, fit ſacramentum*, ſcilicet baptiſmi. Deinde, hoc idem comprobatur ex verbis quæ obijciuntur nobis: *vnde tanta virtus aqua, vt corpus tangat; & cor abluat?* certum autem eſt in nullo alio ſacramento ablutionem aquæ nos ſanctificare. Neque refert, quod de ſacramento baptiſmatis dicat D. Auguſt. quod ſit ſacramentum fidei: donatur quippe hoc nomine à Patre iſto: quod forma baptiſmi contineat diſtinctam expreſſionem perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis, & communionem vnius & eiuſdem plane eſſentiæ, quæ res eſt vnus ex præcipuis articulis fidei noſtræ. Non obſtat etiam quod D. Auguſt. ait, *non quia dicitur, ſed quia creditur*, cum ſtatim addat, *aliud eſt enim ſonus tranſiens, aliud vero virtus manens*: quaſi diceret, ex duobus quæ conſiderari poſſunt in illis verbis, materiale alterum, qualis eſt ſonus ille, qui aure percipitur; formale aliud, cuiuſmodi eſt ſignificatio, & virtus recondita, quam ſola fides aſſequi poteſt, ſanctificari aquam illam, non quia dicitur, & ratione ſoni materialis, ſed quia creditur, ratione virtutis latentis, quæque ſola fide percipitur.

2. optima explicatio verborum D. Auguſt.

Nota.

DVBITATIO VLTIMA.

An liceat aliquid addere, vel detrahere verbis conſecratorijs, ſeu ritualibus alicuius ſacramentis noua legis.

RESPONDEO: *nefas eſſe quidquam addere; vel detrahere verbis ritualibus alicuius ſacramenti noua legis.* Primùm, quia quilibet inter ſacramenta adminiſtranda tenetur obſeruare ritum à Chriſto præſcriptum, & ab Eccleſia hactenus obſeruatum. Deinde, qui aliter faciunt, ſacrilegium admittunt, vt plurimum; addendo quippe & detrahendo verbis ceremonialibus alicuius ſacramenti, inualidatur ſacramentum, & redditur nullum.

Nihil addi aut detrahi licet verbis ſacramentorum. Probat. 1. 2.

Tertiò, verba conſecratoria alicuius ſacramenti cenſentur eſſe forma partialis eiuſdem, vt monuimus in antecedentibus, ac proinde pertinent iſta ad eſſentiam ſacramenti: ergo non poſſunt prætermitti; neque item poteſt illi aliquid addi ex quo ſequatur inualiditas ſacramenti, hæc eſt expreſſa ſententia D. Th. art. 8. huius quæſt. & interpretum eiuſdem ibidem. 3. D. Thom.

Octo modis verba ritualia poſſunt immutari.

Vt autem pleniùs res hæc intelligatur, obſeruandum eſt, verba conſecratoria alicuius ſacramenti, octo modis poſſe immutari. Primus eſt, quando prætermiſſis verbis iſtis Latinis; *Ego te baptizo*: hæc mutantur in aliud idioma quoad omnes ſuas partes, vel certe quoad aliquas. Secundus, quando voces proximè explicatæ, formæ ſacramenti baptiſmatis prætermittuntur, & vſurpantur aliæ quæ videntur plane idem ſignificare, de facto tamen non ſignificant idem ſimpliciter, & eodem modo: vt ſi quis inter baptizandum diceret; *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Tertius modus eſt, quando prætermittitur forma iſta: *Ego te baptizo*; & aſſumitur Græcorum, qualis eſt iſta, Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris. Quartus, quando notabilis mora interijcitur inter proferenda verba conſecratoria. Quintus per additionem, vt ſi quis inter baptizandum diceret. *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & D. Virginis*: aut, *Baptizo te in nomine Patris maioris, Filij minoris, & Spiritus ſancti.* Sextus per detractionem, vt ſi quis diceret; Baptizo te, aut

1. 2. 3. 4. 5. 6.

aut *Ego baptizo te*, prætermitteret verò ſequentes particulas formæ ſacramenti baptiſmi. Septimus, per prolationem verborum indebitam, extat de hac re exemplum illuſtre, de conſecratione, diſt. 4. canone: Retulerunt. *Ego baptizo te in nomine Patria, Filia, & Spiritus ſancta.* Vltimus, quando verba omnia, vel aliqua mutantur in nutus, & ſigna, quod eſt accidentale in ſacramento matrimonij; ſubſtantiale verò in ceteris omnibus alijs nouæ legis ſacramentis: mutatio enim iſta inualidat ſacramenta omnia nouæ legis, excepto matrimonio.

7. *Vlt.*

Non irritatur ſacramentũ per. 1. modum.

Per primam mutationem nunquam irritantur, & inualidantur ſacramenta: ſuppono enim quod verba quæ aſſumuntur alterius idiomatis, ſint ſynonyma perfectiſſimè cum verbis Latinis prætermiſſis: & licèt Sacerdos ſemper peccet, quandocumque ità ſe gerit inter ſacramenta adminiſtranda ex officio, nam recedit à communi praxi Eccleſiæ in re graui, & violat præceptum ſibi ab Eccleſia impoſitum; laici tamen in caſu extremę neceſſitatis baptizantes, nullam admittunt culpam, ſi lingua ſibi populari formam ſacramenti baptiſmatis expreſſerint; vt obſeruant Soto, & alij nonnulli Caſuiſtæ, itemque ſcholaſtici Doctores, de baptiſmo agentes.

Rationemodi 2. nullam eſſet ſacramentum baptiſmi.

Per ſecundum verò modum mutationis, irritatur ſacramentum baptiſmatis in exemplis propoſitis. Primùm, quia ad validitatem baptiſmi, ſimpliciter, & abſolutè requiritur, vt perſonæ ſanctiſſimę Trinitatis exprimantur diſtinctè inter ſe, quod non contingit quando quis baptizat in nomine Trinitatis.

3. Modus nõ eneruat ſacramẽtũ.

Per tertium modum mutationis nunquam inualidatur baptiſma, quidquid dicat Felinus ad caput, Quæ in Eccleſiarum, de Conſtitutionibus numero 26. & alij nonnulli: idem quippe ſignificant verba iſta: *Baptizetur ſeruus Chriſti*, atque hæc: *Ego baptizo te*, vt docent omnes communiter in tractatione de baptiſmo; peccaret tamen Sacerdos Latinus vſurpando formam Græcorum inter baptizandum ex officio, ſeu ſolemniter, idque quod recederet à communi praxi Eccleſiæ Latinæ.

4. Inualidat naturã ſacramenti.

Per quartum vero modum interueniente notabili mora, nedum phyſice, ſed etiam moraliter loquendo, inualidatur ſemper ſacramentum quodcumque illud ſit.

5. Mutatio deſtruit interdum ſacramentũ.

Per quintam vero mutationem interdum inualidatur ſacramentum, vt in 2. exemplo à nobis poſito, vt obſeruauit D. Th. art. 8. huius quæſt. propterea autem in baptiſmo per formam iſtam inualidatur ſacramentum baptiſmi, quia ſignificatio verborum inſtitutorum à Chriſto ſecundum ſuam eſſentiam mutatur: falſum enim eſt Patrem eſſe maiorem Filio; & Filium eſſe minorem Spiritu ſancto; cùm de fide ſit perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe ſimpliciter inter ſe æquales, ex Symbolo Athanaſij. Interdum vero non inualidatur ſacramentum per mutationem iſtam quintam, vt in exemplo 1. à nobis poſito. Primùm, quia ſuppono eum qui addit particulam iſtam; *Et B. Virginis*, formæ ſacramenti baptiſmatis, intendere, præſtare id quod Chriſtus inſtituit. Deinde ſuppono, non intendere miniſtrum, cum iſta forma baptizantem, inducere errorem aliquem contrarium fidei, neque item nouum ritum baptizandi inſtituere. 3. ſuppono, quod intendat miniſter per particulam iſtam, (*Et B. Virginis:*) impetrare baptizato ſpecialem aliquam gratiam, precibus D. Virginis, non autem quod baptiſmus applicetur nomine D. Virginis, quemadmodum adminiſtratur in nomine Patris. Ità ſentiunt D. Th. & interpretes eiuſdem plerique hoc loco, maximè vero Suarez diſp. 2. ſect. 5. Coninck Dub. 1. ad art. 8. huius quæſt.

Interdũ vera non.

Per ſextam vero mutationem interdum irritatur ſacramentum, putà, ſi dictio prætermiſſa ex forma ſacramenti pertineat ad eſſentiam eius: interdum vero minimè, nempe, quando dictio quę prætermittitur non ad eſſentiam formæ, ſed ad integritatem eiuſdem ſpectat; propter hanc cauſam qui prętermitteret (enim) inter conſecrandũ ſpecies panis, vel vini licet peccaret; non tamen propterea inualidaret conſecrationem panis, vel vini: idem eſt iudicium de eo qui inter baptizandum omitteret particulam iſtam (Ego) & ceteras omnes particulas baptiſmi exprimeret.

6. Mutatio aliquando irritat ſacramẽtũ. aliquando minime.

Per ſeptimam mutationem non irritatur ſacramentum baptiſmi; prolatio quippe nominum (Patria &c.) habet ortum ex impetitia, vt ſuponimus, non autem eo conſilio, vt introducatur error fidei contrarius.

7. Mutatio non officit eſſentiæ ſacramenti.

Per vltimam denique mutationem in omnibus ſacramentis diuerſis à matrimonio inualidatur ſacramentum.

Vltima deſtruit naturam omniũ ſacramentorum excepto matrimonio.

Eſt autem obſeruandum mutationes omnes circa ſacramenta, aut eſſe ſubſtantiales, & eſſentiales, aut accidentarias: illæ ſemper irritant ſacramentum, & inualidant; iſtæ autem minimè: contingunt autem mutationes iſtæ, vel contingere poſſunt, nedum in forma, ſed etiam in materia cuiuſlibet ſacramenti; ac proinde quandocumque mutatur materia alicuius ſacramenti ſecundum ſuam eſſentiam, ſacramentum non poteſt conſurgere; aliter tamen ſtatuendum eſt, quando materia iſta mutatur tantum accidentaliter.

Mutatio omnis ſubſtantialis aut accidẽtalis in ſacramentis tam in forma quam in materia.

Eſt præterea obſeruandum, quandocumque vir prudens, & ſapiens dubitat, an materia vel forma alicuius ſacramenti, ſit eſſentialiter mutata; ſacramentum eſſe iterandum, & quidem cum conditione, ſi agatur de ſacramentis imprimentibus characterem, & item de Euchariſtia: ſi vero ſermo ſit de alijs tribus; abſolute ſunt iteranda.

Quando prudenter dubitatur de validitate ſacramẽti iterandum eſt ſub conditione.

QVÆSTIO LXI.

De neceſſitate ſacramentorum.

RTICVLO 1. contendit D. Thom. ſacramenta eſſe homini neceſſaria, ſ. vtilia. ARTICVLO 2. in ſtatu innocentiæ nulla futura ſacramenta, neq; ſub ea ratione, qua hæc ſunt remedia peccati, neque ſub ea conditione, qua ſacramenta conferunt gratiam, aut augmentum eiuſdem.

ARTICVLO 3. poſt peccatum, ante Chriſti aduentum, neceſſaria fuiſſe homini aliqua ſacramenta.

ARTICVLO VLTIMO, docet poſt aduentum Chriſti neceſſaria fuiſſe homini ſacramenta.

DVBITATIO PRIMA.

An sacramenta sint homini simpliciter necessaria.

Sacramẽta in nullo statu fuerunt simpliciter necessaria 1. Probatio 1.

DICO 1. *sacramenta in nullo planè statu, fuisse homini simpliciter necessaria, sed tantum ex hypothesi.* Primum, quia sacramenta non magis sunt necessaria ad salutem, quàm sit Incarnatio diuini Verbi: tota enim vis cuiuslibet sacramenti repetenda est à passione Christi futura; vel præterita: at incarnatio Christi non est simpliciter necessaria, sed tantum supposito decreto de redimendis hominibus media Christi morte. Deinde, Angeli consequuti sunt suam salutem, sine vlla dependentia à sacramentis. Tertio, Deus non alligauit vim suam sacramentis, vt habet axioma communissimum Theologorum. Quarto, Deus est quàm maximè liber in suis omnibus actionibus ad extra; imò quidquid potest Deus media re aliqua creata, poterit illud idem præstare, cum qualibet alia: ergo tam verè poterit hominem sinè sacramentis iustificare, & saluare, atque cum sacramentis.

2.

3.

4.

Ex hypothesi sacramenta sunt necessaria. Probatio 1.

Secunda vero pars probatur. Primum, quia certum est Baptismum, & Penitentiam, esse sacramenta simpliciter necessaria in re, vel in voto in lege gratiæ, vt probabitur in tractatione de Baptismo, & Penitentia.

2. Deinde, in lege Mosaïca Circumcisio fuit quibusuis masculis, posito octauo die ab eorum natiuitate, necessaria ad remissionem peccati originalis obtinendam, ex cap.17. Geneſis; *Masculus cuius præputij caro, &c.*

Genes. 17.

3. Tertio, propter hanc causam legimus Iob obtulisse sacrificium pro filijs proprijs, cap. 1. suæ historiæ.

Iob. 1.

4. Quarto, peccatum originale post lapsum primorum parentum, non potuit deleri in nobis sinè sacramentis aliquibus, vt author est Cyprianus in sermone, seu lib. de ratione Circumcisionis. *Sane (inquit) originale peccatum quod à primis parentibus in totam generis successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari: licèt vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine.* Remedia autem ista vocat inferiùs sacramenta.

Cyprian.

5. Quinto, docent ijdem Patres, neminem ex posteris Adæ computari inter filios Dei ante peccati originalis deletionem; & addunt peccatum hoc non aliter, quàm per sacramenta auferri à nobis: ità D. Augustin. 2. de nuptijs, & concupiscentia, cap.12. & lib.2. de peccatorum meritis, cap.9. & lib.5. contra Iulianum de baptismo paruulorum, Greg. Beda, & alij nonnulli.

Augustin. Gregor. Beda.

Obiectio. Obijcies, solam fidem remisisse in lege naturæ peccatum originale, vt author est Greg. lib.4. Moralium, cap.20. & Bernard. epist.77. & refertur de consecratione dist.4. cap. quod apud nos.

Responsio qua explicantur sancti Patres. Resp. primùm, Patres istos non affirmare solam fidem Christi deleuisse peccatum originale in illis temporibus. Deinde, per rationem istam loquendi nihil aliud voluerunt Greg. & Bernardus, quàm in lege naturæ sacrificia veteris legis, ordinata ad delenda peccata, non fuisse necessaria ad delendum peccatum originale, quod nos vltrò concedimus; aut etiam ad destruendum peccatum actuale, mortale, & veniale: sacramenta enim & sacrificia legis Mosaïcæ fuerunt tantum vtilia, vel necessaria cultoribus legis Mosaïcæ, inter quos non sunt computandi, qui vixerunt sub lege naturali.

In quacũq; lege deletũ fuit origin. peccatum vi sacrament. 2. Conclusio. Conuenienter sunt instituta sacrament.

Ex istis colliges, nec in lege naturali, nec Mosaïca, nec denique in lege gratiæ peccata originalia, & actualia potuisse deleri sinè susceptione alicuius sacramenti à Deo instituti.

DICO 2. *Licèt sacramenta non sint simpliciter homini necessaria, fuerunt tamen hæc, & sunt quàm maximè conuenienter instituta:* ità D.Th.art.1. huius quæst. & interpretes eiusdem ibidem. Deinde, Cyrillus, Cyprian. loco proxime citat. Hugo à S. Victore, & alij contendunt hominem debuisse, veluti manuduci ad res spirituales inuestigandas, & assequendas per signa aliqua sensibilia, & sacramenta. Rursus D.Aug. lib.19. contra Faustum, cap.11. affirmat nullam legem posse subsistere sine signis sensibilibus, & sine sacramentis. *In nullum*, inquit, *nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt; nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum, visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum; & ideò contempta sacrilegos facit; Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.*

Augustin.

Denique, ex institutione sacramentorum in rebus sensibilibus deprimitur hominum superbia.

DVBITATIO SECVNDA.

An in statu innocentiæ fuerint sacramenta, aut certè in eo essent futura, illo permanente.

Proponuntur argumenta contraria.

RATIO dubitandi prima est, quia in statu innocentiæ, didicissent homines ex rebus istis sensibilibus multa de nouo, vt author est D. Thom. 1. part. quæst.117. art.1. ergo potuerunt etiam homines tunc temporis salutem suam, perficere dependenter à sacramentis sensibilibus. 1.

Deinde, in statu innocentiæ fuit Deus colendus ab hominibus; colitur autem Deus sacramentis maxime, omnium consensione. 2.

Tertio, potuit homo in statu innocentiæ peccare, & item augmentum gratiæ consequi: ergo ne laberetur in peccatum, & vt copiosiorem gratiam consequeretur, eguit sacramentis eo tempore. Confirmatur. Prudens, & sapiens prouisor ante languorem, & morbum parat medicinam, propter hanc causam herbas medicinales produxit Deus ab initio mundi; imò ante peccatum primorum Angelorum ignem inferni produxit ad hoc idem vindicandum, vt colligitur ex cap.25. Matth. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* 3. *Cõfirmatio.* Matth. 25.

In statu innocentiæ diuersa forent sacramenta à nostris.

CONCLVSIO 1. *Sacramenta potuerunt esse in statu innocentiæ, diuersa tamen ab his quæ sunt hactenus à Deo ordinata.* Primùm, quia huius rei nulla potest assignari repugnantia. Deinde, negatio aut positio cuiuslibet sacramenti est refundenda in solam Dei voluntatem. Tertio, Christus non minus est redemptor Angelorum, quàm hominum, cum hoc tamen discrimine, quod homines pristinæ libertati restituerit; Angelos vero ne laberentur in peccatum sua singulari liberalitate effecit, vt obseruat D. Bernard. serm. 22. in Cant. in init. *Quo pacto*, inquit, *tu dicis Dominũ Iesũ Christũ eis* (scilicet Angelis) *fuisse redemptionem? Audi breuiter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic vtilem de captiuitate eruens,* Bernard.

sicut

ficut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redempcio, soluens illum, & seruans istum.

Nota. Est autem obseruandum, si Deus in statu innocentiæ sacramenta instituisset, institutionem istam futuram esse coniunctam cum summa ratione, neque enim fieri potest, vt Deus aliquid præscribat contra dictamen rectæ rationis. Deinde, omnis actio diuina ad extra, ordinatur in finem aliquem honestum, iuxta illud. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Altissimus:* ergo institutio sacramentorum non defecisset à regula rectæ rationis. Confirmatur. Deus nec peccat, nec peccare vllo modo potest: sacramenta tamen ista non essent ordinata ad deletionem vllius peccati, quoniam status innocentiæ non poterat cohærere cum vllo planè peccato, quantumuis minimo; neque item cum vlla planè pœna, loquendo de pœna proprie sumpta.

Prouerb. cap. 16. *Sacramẽta in statu innocentiæ nõ fuissent ordinata ad delẽda peccata.*

Non fuerũt vlla sacramẽta ex nostris in statu innocentiæ. Probat. 1.

Conclvsio 2. *In statu innocentiæ, neque fuerunt sacramenta, neque futura erant vlla ex ijs, quæ hactenus sunt à Deo præscripta, & ordinata.* Primùm, quia omne sacramentum à Deo hactenus institutum censetur esse medicamentũ, quo Deus medetur malis, & peccatis nostris; in statu vero innocentiæ nulla futura erant mala, aut peccata.

2. D. Aug. Deinde, hæc videtur esse mens expressa D. Aug. referente D. Thom. quæst. 1. art. 3. huius partis. *Nulla*, inquit, *fuit causa Christo Domino veniendi in mundum, quàm peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit opus medicina.*

3. *Omne sacramẽtũ ordinatur per se, vel per accidens ad primam gratiã producendam.* Tertio. Omne sacramentum hactenus institutum, ordinatur vel per se, vel per accidens, ad primam gratiam consequendam, vt probabitur quæst. proxime sequenti, D. Thomæ: at in statu innocentiæ nullus potest consequi primam gratiam per vllum plane sacramentum; iustitia namque originalis transfusa fuisset vnà cum natura per actum generationis naturalis in quoscumque posteros Adæ: at iustitia originalis non fuit res aliqua distincta realiter à gratia gratum faciente, sed idem plane ex veriori opinione.

4. Quarto, si fuissent sacramenta in statu innocentiæ, extitisset quoque præceptum; de frequentandis eisdem, cum de omni re simpliciter necessaria ad salutem extet præceptum aliquod diuinum, vt constat de baptismo, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* de penitentia, *Nisi pœnitentiam egeritis, &c.* de circumcisione, Genes. 17. *Masculus cuius præputij caro, &c.* at nullum fuit præceptum in statu innocentiæ, præter quàm de non edendo de ligno scientiæ boni, & mali, vt sentiunt aliqui Patres: ergo, ità D. Th. art. 2. huius quæst. & interpretes eiusdem.

Quod autem sacramenta non essent futura in eo statu, manifestè ex eo colligitur, quod omne sacramentum à Deo hactenus institutum pendeat à Christi passione futura, vel præterita: Christus autem perseuerante statu innocentiæ non erat incarnandus, ex doctrina D. Th. quæ est communis in scholis art. 3. quæst. 1. 3. partis.

Proponitur quæstio. Suaris sent. Rogabis, *Quid dicendum sit in ea hypothesi, in qua admittitur aliquos peccaturos de facto, perseuerante in ceteris statu innocentiæ.* Respondeo Suarem & alios nonnullos in ea esse opinione, vt credant sacramenta non esse etiam futura in ordine ad istos lapsos, cùm possint isti facilè resurgere à peccatis per actus contritionis perfectæ, vel certè per actus dilectionis Dei super omnia. Deinde, defecissent pauciissimi in eo statu, potuissent item isti, operà eorum qui non peccâsset, redire ad meliorem mentem, præsertim cum charitas quàm maxima futura esset in hominibus, & lapsus quilibet suam miseriam facillimo negotio deprehendere potuisset.

Vazquiz mens & opinio melior. Gabriel verò Vazquez putat de hac re nihil posse certò definiri, cuius opinio videtur defendẽda: de iis enim quæ à libera Dei voluntate pendent, non licet aliquid certo definire, nisi voluntas ista nobis innotuerit, per specialem aliquam eius reuelationem, vt obseruat S. Th. loco proximè citato: nihil autem hactenus reuelatum est de sacramentis futuris in statu innocentiæ, respectu eorum qui defecissent, & tamen institutio sacramentorum à sola Dei voluntate pendet.

Dissoluũtur argumenta contraria. Ad rationes vero dubitandi resp. Ad primam, scientiam experimentalem futuram esse de nouo in hominibus perseuerante statu innocentiæ, neque hoc mirum; quia licet in ipso Christo admittatur plenitudo scientiæ, & quidem à primo instanti suæ conceptionis, D. tamen Lucas cap. 2. sui Euangelij, docet eum profecisse cum tempore in sapientia coram Deo & hominibus; hoc autem explicatur à Patribus, de augmento scientiæ experimentalis: quãuis ergo scientia perfectissima extitisset in quibuslibet hominibus, durante statu innocentiæ, potuissent tamen isti comparare sibi scientiam de nouo experimentalem, cùm daretur in illis intellectus agens, & patiens; ac proinde vsus ratiocinandi de rebus quibuslibet naturalibus. Ex istis tamen non licet colligere futura esse aliqua sacramenta, ex ijs quæ fuerunt hactenus instituta, in statu innocentiæ, ob rationes allatas suprà.

In statu innocẽtiæ fuisset scientia experimentalis.

Ad 2. Deus colitur sacramentis & sacrificijs. Ad 2. resp. Deum nedum coli sacramentis, sed etiam sacrificijs proprie dictis, & denique quibuslibet actibus tam internis, quàm externis, ordinatis in finem aliquem honestum, & laudabilem; ac proinde potuit Deus in statu innocentiæ, quantum satis est, coli solis actibus honestis, ex gratia factis; hac quippe ratione colitur Deus in cœlis à beatis, sine vllis sacrificijs proprie dictis, & sine sacramentis.

Ad 3. Sacramẽta non fuerunt necessaria agentibus in statu innocentiæ ne laberentur in peccatũ. Ad 3. resp. sacramenta non fuisse necessaria agentibus in statu innocentiæ, ad hoc vt resurgerent à peccato, vel ne laberentur in peccatum; tum quia etiamsi instituta fuissent sacramenta pro eo statu, non tamen propterea fuissent homines impeccabiles; tum quia fuerunt collocandi homines in eo statu, in quo quàm maximè reformidarent peccatum; tum denique, quia augmentum gratiæ potuerunt consequi medijs actibus honestis, tanquam in vltimum finem ordinatis: est enim regula apud Theologos certissima: posito in nobis aliquo actu honesto ex gratia, & liberalitate Dei de facto gratiam intendi, & augeri.

Confirmationis solutio Ad confirmationem vero respondeo, sapientem prouisorem præscribere pharmacum ante languorem, quandocumque datur humor aliquis in homine de quo habet prouidentiam, qui vergit in morbum seu languorem; in statu autem innocentiæ nullus dabatur humor qui vergeret in hominibus in morbum: conuenit enim inter omnes vsum ligni vitæ, ità temperasse quatuor qualitates, vt in nullo plane casu, aliqua ex istis temperamentum debitum solueret; nam propter hanc causam docet fides, de hominibus constitutis in eo statu, quod essent immortales, gratia tamen, non natura. Ad id vero quod dicitur de herbis medicinalibus, & igne inferni, respondent communiter Scholastici res istas fuisse ab initio pro-

Cur herbæ medicinales procreatæ ante peccatum.

Digitized by Google

creatas, quod pertineant ad perfectionem huius vniuersi, non minùs quàm cetera alia creata: Richardus tamen in 4. dist. 1. quæst. 3. admonet ignem inferni non fuisse creatum ante peccatum Angelorum, cum peccauerint in primo die, quemadmodum in hoc eodem conditi fuerunt, ex veriori opinione: elementa autem non fuerunt procreata primo die, saltem omnia, vt colligunt aliqui ex cap. 1. & 2. Genes.

DVBITATIO VLTIMA.

An perseuerante statu innocentiæ fuissent in eo, aut certè extiterint sacrificia propriè dicta.

Quorundã sent. affir. 1.

SVNT qui putent in statu innocentiæ extitisse sacrificia propriè dicta, ità sentiunt Suarez, sect. 2. Gregorius de Valentia tom. 4. dist. 3. q. 2. puncto 2. & alij nonnulli Recent. probant. Primùm, quia sacrificare est de iure naturali, ex D. Th. in 2. 2. quæst. 85. art. 1. Ius autem naturale, vnum & idem est planè apud omnes: imò propter hanc causam, nulla extitit gens hactenus adeò barbara, quæ sacrificia aliqua non retinuerit.

2. Hebr. 7.

Deinde, nulla religio potest consistere, sinè sacrificijs, vt colligitur ex Paulo in epist. ad Hebr. *Translato* (inquit) *Sacerdotio, necesse est vt legis quoque translatio fiat:* in statu autem innocentiæ, extitisset religio quàm maximè propriè dicta.

3. Definitio sacrificij propriè dicti.

Denique, sacrificium propriè dictum, non supponit peccatum. *Definitur enim oblatio rei sensilis facta soli Deo à persona publica, ad nostræ infirmitatis, & diuinæ majestatis protestationem*, vt colligitur ex D. Thom. quæstione proximè citata in 2. 2.

Bifariã sumitur sacrificium, propriè & improprie.

Aduerte, sacrificium vsurpari duobus modis; interdum enim sumitur proprie; qua ratione definitum est verbis immediatis ante: interdum verò sumitur latissime & improprie, pro quolibet actu interno vel externo honesto, ordinato in Deum tanquam in vltimum finem: in hac significatione vsurpatur apud Dauidem, psalm. 50. *Sacrificium Deo contribulatus*, in illa vero ibidem. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.*

In statu innocentiæ fuissent sacrificia improprie, & potuerũt esse propriè dicta diuersa tamen à nostris.

CONCLVSIO 1. *Non est dubium quin sacrificia improprie dicta in statu innocentiæ extiterint; imò potuerunt esse in hoc eodem proprie dicta, alterius tamen rationis à sacrificijs hactenus institutis.* Prima pars Conclusionis probatur. Quilibet actus honestus, ordinatus in Deum, tanquam in vltimum finem, censetur esse sacrificium improprie dictum: at in statu innocentiæ exercuissent homines actus plurimos honestos, ordinatos in Deum, tanquam in vltimum finem, vt est per se notum, cum iustitia originalis in eis haberet locum, & daretur in omnibus illis vsus rectæ rationis.

2. Partis probatio.

Secunda verò pars probatur. Primùm, quia diximus, Dubit. proximè antecedente sacramenta potuisse habere locum in statu innocentiæ.

3. Partis probatio.

Deinde, quia sacrificium, vt sic, etiam propriè dictum, non includit necessario peccatum, vt manifestè colligitur ex definitione sacrificij à nobis posita in antecedentibus. Tertio, hæc videtur esse mens Authorum qui priorem tuentur opinionem.

Tertia denique pars Conclusionis probatur. Sacrificia hactenus instituta proprie dicta, supponunt culpam, vt probatur Conclusione sequenti; at in statu innocentiæ nulla futura erat culpa: ergo neque vllum sacrificium ex ijs quæ hactenus fuerunt instituta.

Nulla fuerunt sacrificia propriè dicta in statu innocentiæ.

CONCLVSIO 2. *In statu innocentiæ, nulla fuerunt sacrificia proprie dicta; neque item erant futura, saltem si firmo sit de sacrificijs hactenus institutis.* Primùm, quia omne sacrificium hactenus ordinatum præsupponit culpam, vt docet Glossa ad caput 5. epist. Ephesiorum; vt videtur colligi ex epist. Pauli ad Hebr. docet enim illic sacrificio Crucis quoscumque mortales fuisse sanctificatos. Hebr. 10. *Vna* (inquit) *oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Confirmatur. Sacrificia hactenus instituta præsupponunt sacrificium Crucis Christi: at sacrificium Crucis Christi præsupponit culpam primorum parentum, Adamo quippe non peccante, Christus nulla ratione erat incarnandus, ex D. Th. art. 3. quæst. 1. 3. partis.

2.

Deinde, cap. 7. ad Hebr. dicitur; *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Hebr. 7.

3.

Tertio, sacrificia expiatoria, non potuerunt habere locum in statu innocentiæ; fuerunt siquidem hæc ordinata ad delenda peccata, quæ in statu innocentiæ esse non potuerunt.

Denique, status innocentiæ accedebat vt plurimum ad statum beatorum; at in cælis nulla plane sunt sacrificia proprie dicta: tantum abest, vt dentur aliqua ex ijs quæ hactenus fuerunt apud homines in hac vita constitutos: ità communiter Thomistæ hoc loco & Sententiarij aliqui in 4. dist. 1.

Satisfit argumentis contrarijs. Sacrificare est de iure naturali, nõ sacrificare hoc, vel illo modo.

Ad rationes verò contrarias resp. Ad 1. Sacrificare esse de iure naturali, non tamen hoc vel illo modo, seu, quod idem est, sacrificijs proprie & improprie dictis; sed tantùm sacrificare in communi, præscindendo ab hoc, vel illo modo, neque hoc mirum: quemadmodum enim punire delicta, est de iure naturali, non tamen hac, vel illa pœna: pertinet quippe ad ius diuinum, vel humanum, indicere pœnas certas his, & illis culpis: item orare est de iure naturali, minime verò orare tantum vocaliter, aut etiam sola mente, & cogitatione: similiter sacrificare, est de iure naturali in communi, non autem sacrificare victimis in lege naturali, Mosaïca, & gratiæ.

2.

Ad 2. respondeo sacerdotium improprie dictum futurum in statu innocentiæ, eo perseuerante, non autem sacerdotium proprie dictum.

Vlt.

Ad vltimam respondeo, sacrificia hactenus instituta supponere culpam, vt probatum est Conclusione vltima: sacrificia tamen in vniuersum sumpta, non supponunt culpam, ac proinde potuissent hæc institui à Deo in statu innocentiæ, si voluisset.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXII.

De præcipuo ſacramentorum effectu, qui eſt cauſare gratiam.

ARTICVLO 1. docet D. Th. ſacramenta nouæ legis cauſare gratiam.

ARTICVLO 2. gratiã ſacramentalem addere aliquid ſuper gratiam donorum, & virtutum.

ARTICVLO 3. Sacramẽta continere gratiam quam ſignificant.

ARTICVLO 4. Sacramenta habere vim ex ſe ad huiuſmodi gratiam producendam.

ARTICVLO 5. virtutem iſtam pendere à Chriſti paſſione in ſacramentis.

ARTICVLO VLTIMO, Sacramenta veteris legis, non habuiſſe ex ſe vim producendi gratiam, ſed per fidem Chriſti iuſtificaſſe.

DVBITATIO PRIMA.

An ſacramenta nouæ legis contineant gratiam, & producant eamdem ex opere operato, vel ex opere operantis tantum.

Hæretici irrident modũ loquendi Catholicũ.

HÆRETICI noſtri temporis particulam iſtam (ex opere operato) veluti nouam, & portentoſam rident; aſſumitur quippe à nobis ad cauſalitatem ſacramentorum nouæ legis ſignificandam, quæ cenſetur eſſe actiua, vt conſtabit ex Dub. 4. & tamen opus operatum dicit ſignificationem paſſiuam: Peccauit in hac eadem re Scotus, dum in 4. diſt. 1. prædictam particulam putat eſſe barbaram.

Refellũtur.

Cæterùm iſtorum hominum temeritas & inſolentia ex eo deprehenditur, quod viri doctiſſimi, & prudentiſſimi prædictam rationem loquendi retinuerint, & quidem ad exprimendam vim ſacramentorum nouę legis: vt conſtat ex Innocentio III. qui ante quadringentos annos floruit in lib. 3. de myſterijs miſſæ, & ex Patribus Concilij Trident. ſeſſ. 7. can. 8. de ſacramentis in genere: dicitur enim illic verbis expreſſis, ſacramenta conferre gratiam ex opere operato.

Tò Ex opere operato vſi ſunt doctiſſimi viri.

Innocẽt. 3. Concil. Trident.

Deinde negari nequit, quin Aldus Manutius in literis humanioribus fuerit quàm maximè exercitatus, & tamen hic vſus eſt particula proxime dicta inter Concilium Trident. componendum, ex commiſſione Pontificis maximi, & Patrum qui Tridentino interfuerunt.

Tertio, non eſt magnopere curanda elegantia dictionũ in myſterijs fidei explicandis, vt obieruat D. Aug. in Pſal. 138. *Melius eſt*, inquit, *vt nos reprehendant Grãmatici, quam vt nos non intelligant populi.*

Auguſt.

Denique, Scholaſtici omnes particulam prædictã retinuerũt, vt conſtat ex D. Th. in 4. diſt. 1. q. 1. & ex interpretibus alijs Magiſtri ibidẽ. Cùm ergo nomina ſignificent ex hominũ inſtituto, maxime vero prudentum, & ſapientum, non habent hæretici iuſtã cauſam conquerendi de particula iſta (ex opere operato) præſertim cum per illam nihil aliud ſignificetur, quàm actio externa ipſius ſacramenti nouæ legis, aut ſacramentum ipſum extra cauſas ſuas productum: de quolibet autem ex iſtis duobus indubitatum eſt, quod ſit opus operatum, ſumpta paſſiue particula iſta (opus operatum.)

Quid ſignificet tò ex opere operato.

Aduerte, in omni ſacramento nouæ legis reperiri duo opera, vnum Dei, ſeu Chriſti: inter abſoluendũ enim penitentem in ſacramento penitentię Deus, ſeu Chriſtus abſolutionem iſtam magis attingit, quàm Sacerdos, cum ille ſit cauſa præcipua abſolutionis à peccato; ex illo Iſaïę 46. *Ego ſum qui delco iniquitates tuas, propter me*: Sacerdos autem abſoluit tantum penitentem in ratione cauſæ inſtrumentalis, vt probabitur ſuo loco: effectus item baptiſmi magis eſt à Chriſto, quàm ſit à miniſtro eiuſdem, ex illo Ioannis 1. *Hic eſt qui baptizat*, pronomen autem (hic) demonſtrat Chriſtum, vt conſtat ex littera D. Ioannis.

Duo opera in omni ſacramento reperiuntur. Dei ſeu Chriſti, & ſuſcipientis ſacramentũ Iſaï. 46.

Secundum verò opus cuiuſlibet ſacramenti tenet ſe ex parte illius qui ſacramentũ conſequitur, vt voluntas ſuſcipientis, fides, penitentia, & quælibet alia præparatio: deſideratur namq; hoc opus ex parte ſuſcipientis adulti, veluti conditio ſimpliciter neceſſaria ad effectum ſacramenti producendũ in omni planè ſacramento: quod dico, quia in paruulis reſpectu effectus ſacramenti baptiſmatis, aut etiam in perpetuò ſtultis, non requiritur aliqua diſpoſitio, ſed ſatis eſt applicatio baptiſmi, & ædes Eccleſiæ, vt effectum illius conſequantur.

Ad diſtinguenda ergo duo iſta opera in ſacramentis, excogitarunt Theologi modum huiuſmodi loquendi, *ex opere operato*, &, *ex opere operantis*. Prima quippe particula ſignificat actionem ſacramenti, vel ſacramentum productum: poſterior vero actum, vel actus neceſſarios ex parte ſuſcipientis, aut adminiſtrantis ſacramentum.

Sacramẽta nouæ legis gratiã quã ſignificant, continent Trident.

CONCLVSIO 1. *Sacramenta nouæ legis continent gratiam quam ſignificant*, hæc eſt de fide, definita expreſſe in Tridentino, ſeſſ. 7. can. 6. de ſacramentis in genere, his verbis: *Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant: aut hanc eamdẽ non conferre, non ponentibus obicẽ, anathema ſit.*

Deinde, ſancti Patres, itémq; Scholaſtici omnes, docent de ſacramentis nouæ legis, quod ſint vaſa, & organa quædam, per quæ gratia Dei deriuatur ad nos, & producitur in nobis ab ijſdem. Tertio, omnis effectus continetur in ſua cauſa, vel formaliter, & expreſſe, vel certe virtute & eminenter; at gratia gratum faciens eſt effectus ſacramenti cuiuſlibet nouæ legis, vt oſtendetur poſteà.

Denique, hęc eſt expreſſa ſententia D. Th. art. 3. huius quæſt. & omnium Interpretum eiuſdem.

Obiectio.

Dices, gratiã gratũ facientem eſſe qualitatẽ ſpiritualem, ac proinde non poſſe contineri in ſacramentis noſtris; ſunt enim hęc ſenſilia, vt eſt per ſe notum.

Reſponſio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando illationẽ: anima quippe rationalis cenſetur eſſe res ſpiritualis, & tamen hæc recipitur in corpore, eo modo, quo poſtulat ordo naturę formam ſubſtantialem recipi in materia, quam informat: diuinum item Verbũ terminat dependentiam humanæ naturæ Chriſti, vt docet fides Catholica, præſtando illud idem quod faceret ſubſiſtentia creata, ſi adeſſet; & tamen humana Chriſti natura eſt corporea, Verbum autem diuinum ſimpliciter ſpirituale.

Quomodo ſacramenta noſtra gratiam contineant.

Secundo reſp. ex hoc argumento poſſe tantum colligi gratiam gratum facientem non contineri in ſacramentis noſtris illo modo, quo vinum continetur v. g. intra dolium, aut eo modo, quo albedo continetur in pariete, quem de facto dealbat; quod nos vltro concedimus: cum iſtis tamen rectè cohęret; vt gratia gratum

faciens, contineatur in noſtris ſacramentis illo eodem modo, quo ſignatum continetur in ſuo ſigno, aut illo modo quo effectus quilibet continetur in ſuacauſa ſynonyma, vel æqui voca; hac autem ratione docet fides gratiam contineri in ſacramentis noſtris, non autem priori illo modo.

Noua legis ſacramenta dant gratiã ex opere operato.

CONCLVSIO 2. *Sacramenta noua legis conferunt gratiam ex opere operato.*

Aduerte, conferre gratiam ex opere operato, nihil aliud eſſet quàm ex ſe, & vi propria gratiam producere, ſeu, quod idem eſt, ex vi ſacramenti, quatenùs tale eſt: vt manifeſtè colligitur ex Interpretibus D. Th. hoc loco; maximè verò ex Gabriele Vazquez diſp. 131. cap. 1. imò hæc eſt mens ſanctorum Patrum: licet enim iſti nunquam fuerint vſi particula (ex opere operato) rem tamen ſignificatam per hanc eamdem dictionem agnouerunt, vt conſtat ex D. Auguſt. lib. 4. contra Creſconium, cap. 16. *Non* (inquit) *eorum meritis, à quibus miniſtratur conſtat baptiſmus, ſed propria ſanctitate, & veritate, propter eum à quo eſt inſtitutus, malè vtentibus ad perniciem: bene vtentibus ad ſalutem.* & lib. 4. de baptiſmo paruulorum contra Donatiſtas. cap. 24. *Baptiſma per ſe ipſum in paruulis plurimum valet.* & de peccatorum meritis cap. 19. *Totum hoc in ſpe fit vi ſacramenti, & diuina gratia, quam Dominus Eccleſiæ donauit.* Conferre autem gratiã ex opere operantis, nihil eſt aliud, quàm ex dignitate perſonæ ſuſcipientis, aut adminiſtrantis ſacramentum, gratiam in aliquo produci, non autem vi, & efficacia ſacramenti adminiſtrati: hoc ità cõſtituto.

Quid ſit ſacramenta cõferre gratiã ex opere operantis.

Vazquez.

Auguſt.

Concluſio iſta eſt de fide expreſſe definita. can. 8. ſeſſ. 7. Concilij Trident. de ſacramentis in genere. *Si quis dixerit per ſacramẽta noua legis ex opere operato non conferri gratiã ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiã conſequendã ſufficere: anathema ſit.*

Trident. Concil.

Deinde, hæc eſt mens Patrum Græcorum, & Latinorum, quorum ſententias de hac re collegit Coccius, lib. 5. de baptiſmo, & Confirmatione, art. 1. Extat autem locus illuſtris apud Nicephorum hiſtorię Eccleſiaſticæ lib. 7. cap. 33. Sylueſtri primi Pontificis maximi: ità enim alloquitur Conſtantinũ Imperatorem inter baptizandum eumdem: *Hæc aqua, diuina virtute per inuocationem viuifica Trinitatis concepta, ſicut extra corpus hominis ſordes abluit, ità etiam animam intrà à ſorde omni mundificans, ſplendidiorem radijs ſolaribus efficit.*

Nicephor.

Egregium teſtimonium S. Sylueſtri apud Nicephorum.

Denique, conferre gratiam ex opere operato nihil eſt aliud quàm per ſe, & ſua natura, ſeu, quod idem eſt, ex vi talis actionis ſacramentalis, prout actio ſacramentalis, attingere productionẽ gratię, atqui ſacramenta nouæ legis ex ſe, & ſua natura, ſeu quatenus talia ſunt ſacramenta, gratiã producunt, vt author eſt D. Aug. locis ſupra citatis: ergo.

Vt Ex opere operato explicatur.

Obiectio.

Obijciunt hæretici, baptiſmũ eodem modo conferre gratiam, quo nauis Noë familiam eiuſdem tempore diluuij liberauit ab aquis. 1. Petri cap. 3. *Similis forma ſaluos nos facit baptiſma:* atqui nauis hæc nihil plane produxit in hominibus conſtitutis intrà eamdem: ergo.

1. Petr. 3.

Reſponſio.

Reſp. ad maiorem propoſitionem D. Petrũ non comparaſſe efficaciam, & cauſalitatem noſtrorum ſacramentorum, cum naui Noë: ſed tantum affirmare extare ſimilitudinem aliquam inter ſacramenta noſtra, & nauim Noë; ſimilitudo autem iſta in eo eſt poſita, quod quemadmodũ nullus ex ijs qui fuerunt intrà arcam Noë perijt; ità quoque ex baptizatis nullus eſt, qui non conſequatur primam ſalutem: actiuitas tamen noſtrorum ſacramentorum, longè diuerſa eſt à cauſalitate arcæ Noë in conſeruandis hominibus degentibus in ea: noſtra enim ſacramẽta in ratione cauſę efficientis phyſicæ, gratiam producunt in nobis, & conſequẽter peccatũ mortale deſtruunt; arca vero Noë hoc ſolo nomine dicitur præſeruaſſe homines in ea conſtitutos, ne ſuffocarentur aquis, quod prohibuerit ingreſſum aquarum intrà ſeipſam.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. Deum operari effectum ſacramentorum, miniſtros autem, ſeu Sacerdotes, prębere ſacramenta, ex communi doctrina ſanctorũm Patrum. Reſp. ex iſtis hoc vnicum poſſe tantum colligi, Sacerdotes nempe, non attingere effectum ſacramentorum in ratione cauſæ principalis; hoc enim modo ſolus Deus eſt, qui producit gratiam ſacramentalem, hoc autem non impedit quo minus Sacerdotes attingant productionem gratiæ ſacramentalis, ſed tantùm in ratione cauſæ inſtrumentalis.

Hæreticorũ calumnia.

Aduerte, hæreticos imponere nobis hac in re, fingunt enim nos docere ſacramenta tanquam cauſas principales producere gratiam, Deo nihil agente, ſed omnes ſuas partes ijs reſignante, & nos nullam exigere diſpoſitionem in illis, qui ſacramenta conſequuntur: notiſſimum enim eſt, neminem ex adultis, poſſe conſequi effectum alicuius ſacramenti, niſi cũ dependentia à voluntate eiuſdem, ex illo Iſaiæ 25. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius.* In omnibus ergo adultis deſiderat Eccleſia Catholica diſpoſitiones aliquas tenentes ſe ex parte eorum, qui volunt ſacramenta ſuſcipere, ad hoc vt effectum ſacramenti obtineant: in paruulis vero, & carentibus perpetuo vſu rationis nullas poſtulat diſpoſitiones Eccleſia Orthodoxa, quæ teneant ſe ex parte eorum qui baptizantur; quia hæc eſt mens ſanctorum Patrum, maximè vero D. Auguſt. in lib. contra Donatiſtas de baptiſmo paruulorum, quo loco ait paruulos nondum credere valentes, dignitate baptiſmi ſaluari, poſita eius debita applicatione.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſacramenta noua legis producant primam gratiam; an verò augmentum eiuſdem.

DICO PRIMVM. *Sacramenta baptiſmatis & penitentiæ conferre primã gratiam per ſe, augmentum verò eiuſdem per accidens tantùm.* Aduerte concluſionem iſtam intelligendam eſſe de gratia gratum faciente, ſeu, quod idem eſt, de iuſtificante. Probatur 1. de baptiſmo, ex iſtis locis Scripturæ, Ioan 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum:* quaſi diceret Chriſtus, regnum cœlorum nulli aduenire poteſt; niſi aquis baptiſmi fuerit ablutus, idq; quod culpa originalis, quæ datur in omnibus poſteris Adę, nullo alio remedio à baptiſmo curetur in nobis: & ex cap. 16. Marci. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti.* ad Epheſios 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Deinde, ex Symbolo Concilij Nicæni: *Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Ex prophetijs, Zachariæ 13. *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab inquinamentis veſtris.*

Sacramenta baptiſmi & penitentiæ cauſant primam gratiam, per ſe accidens verò 2. ſiue augmentum eiuſdem.

Nota.

Ioan. 3.

Explicatur locus Ioannis 3.

Marc. 16.

Tit. 3.

Epheſ. 5.

Concil. Niceen.

Zacha. 13.

Ezechiel.

Secundo

Digitized by Google

Cur pœnitẽtia dicatur ſecunda tabula poſt naufragiũ.

Secundò probatur Concluſio, de Penitentia: ſacramentum Penitentiæ per ſe inſtitutum eſt ad delendum peccatum mortale commiſſum poſt baptiſma ſuſceptum: propter hanc enim cauſam nuncupatur ſecunda tabula poſt naufragium, vt manifeſtè colligitur ex cap. 18. Hieremiæ; *Si egerit pœnitentiam gens illa de malo ſuo, agam & ego pœnitentiam de malo quod cogitaui, vt facerem ei*: & ex cap. 33. Ezechielis. *In quacumque hora ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum eius.* & Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, &c.*

Hiere. 18.

Ezech. 33.

Iſai. 55.

Denique, ſacramenta baptiſmatis, & penitentiæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, vt probabitur in tractatu de baptiſmo, & penitentia: ergo ſacramenta iſta per ſe ſunt inſtituta ad deletionem peccati mortalis; ac proinde & ad primam gratiam conferendam; non enim deletur peccatum mortale ſinè infuſione gratiæ; imò illa opponuntur immediate reſpectu cuiuſlibet agentis in hac vita de lege communi; ità vt gratia ſit ſemper innobis, vel certe peccatum mortale.

B

Quomodo baptiſmus & pœnitẽtia augmentũ gratia conferunt.

Secunda vero pars Concluſionis ex eo innoteſcit, quod nihil repugnet ſacramentum baptiſmatis, vel penitentiæ applicari homini iuſtificato: ergo in hoc caſu quodlibet ex iſtis duobus ſacramentis conferet augmentum gratiæ, non autem primam gratiam: nam de ratione cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis, eſt, producere gratiam aliquam in eo ſubiecto, cui confertur, quando nullum datur impedimentum in eo, cui applicatur; vt fatentur omnes hoc loco cum D. Thom. art. 4. huius quæſt.

C

Obiectio.

Obijcies, ſacramentum penitentiæ, & baptiſmatis eſſe neceſſaria neceſſitate medij ad remiſſionem peccati originalis, & mortalis commiſſi poſt baptiſmum: ergo ſacramenta iſta nuſquam conferent augmentum gratiæ, ſed tantum primam gratiam per ſe.

Reſponſio.

Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: nam baptiſmus, & penitentia ſunt neceſſaria in re, vel in voto neceſſitate medij ad delendũ peccatũ originale & mortale actuale commiſſum poſt baptiſmum; actus autem contritionis perfectæ; aut etiam actus dilectionis Dei ſuper omnia, continent virtute, & in voto ſacramenta baptiſmatis, & penitentiæ, & conſequenter perquemlibet ex iſtis duobus actibus in hominibus adultis remittitur peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum, omnium planè Theologorum conſenſione: non enim ſacramenta in ſeipſis reuerà ſuſcepta ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, adultis ſaltem: quod dico propter paruulos, qui ſine actuali applicatione baptiſmatis, aut etiam martyrij ſalutem conſequi nullo modo poſſunt, vt probabitur in tractatione de baptiſmo.

D

Dilectio Dei ſuper omnia, & contritio cõtinent virtute ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ.

Quædam ſacramenta per ſecõſequẽs augmentum gratiæ, per accidens verò aliquando primam gratiam.

Dico 2. *Sacramenta Confirmationis, Euchariſtiæ, Ordinis, extrema Vnctionis, & Matrimonij per ſe conferre augmentum gratiæ; per accidens verò, primam gratiam interdum.* Prima pars huius documenti comprobatur ex cap. 7. ſeſſionis 13. Concilij Tridentini; præcipitur enim ibi, ne ille qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, accedat ad Euchariſtiã ſine frequentatione ſacramenti pœnitentiæ, cuius rei nulla alia ratio aſſignari poteſt, niſi quod Concilium crediderit Euchariſtiam ſolis iuſtis eſſe adminiſtrandam, ac proinde Euchariſtiam ordinatam eſſe ad producendum augmentum gratiæ per ſe, non autem ad producendam primam gratiam.

E

Denique, ſacramenta proximè commemorata cenſentur eſſe ſacramenta viuorum, omnium planè conſentione: viuit autem homo vita ſpirituali per ſolam gratiam, & charitatem. Rurſus, ſacramenta iſta præſupponunt gratiam baptiſmi, vel penitentiæ, ex omnium planè ſententia.

Probat. 2. partis.

Secunda verò pars documenti probatur. Primùm, quia quodlibet ſacramentum nouæ legis habet vim producendi certam aliquam gratiam, vt definiuit Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 6. de ſacramentis in genere: ergo in eo caſu, in quo ſacramenta quinque diuerſa à baptiſmo, & penitentia non poterunt gratiam iſtam producere, quin producant quoque primam gratiam, attingent nedum augmentum gratiæ, ſed etiàm primam gratiam in eo caſu, in quo nullum dabitur impedimentum gratiæ, reſpectu illius cui ſacramentum applicatur: caſus autem hic accidit, vt ſi quis præmiſſo diſtricto examine conſcientiæ, nequeat comprehendere culpam mortalem quam commiſit, neque etiam habet hic ex hypotheſi copiam Confeſſarij apud quem ſe accuſet de alijs culpis quarum recordatur, cogitur tamen ex officio ad celebrationem ſacri, hic conſequetur infallibiliter primam gratiam ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti, modo tamẽ acceſſerit contritus vel attritus ad ſumptionẽ iſtius ſacramenti, vt habet cõmunis opinio Theologorũ. Confirmatur. Sacramenta nouæ legis ſuos effectus conſequuntur neceſſario, & infallibiliter, ceſſante omni impedimento ex parte ſuſcipientis: at in data hypotheſi nullum datur impedimentum gratiæ, ex parte illius qui ſacramentum conſequitur; nam licet de facto in eo detur peccatum mortale; ſupponimus tamen quod præmiſſo ſtricto examine conſcientiæ, non potuerit recordari peccati mortalis commiſſi: cùm ergo nemo ad impoſſibile teneatur, & ex hypotheſi hic fecerit illud omne quod potuerit ad hoc vt debite ſacramentum Euchariſtiæ ſuſciperet, nedum augmentum gratiæ, ſed etiam primã gratiam in hoc caſu conferet.

Caſus in quo prima gratia ab Euchariſtia conferetur.

Secundo. Attritio cum ſacramento eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur infuſio gratiæ iuſtificantis: ergo.

Tertio. Sacramenta baptiſmatis, & penitentiæ per accidens conferunt augmentum gratiæ, & per ſe primam gratiam; quare ergo ſimiliter cetera ſacramenta non producent per accidens primam gratiam, eſto ſint hæc per ſe inſtituta ad producendum augmentum gratiæ?

Denique, non eſt magis difficile producere primam gratiam, quàm augmentum eiuſdem ex communi doctrina philoſophorum & Theologorum.

Obiectio.

Obijcies cum Vazquezio ad hunc locum: fieri non poſſe, vt aliquod ſacramentum producat aliquid aliud diuerſum ab eo, ad quod producendũ eſt à Deo inſtitutum; cauſalitas enim omnis quę datur in ſacramentis eſt à Deo: at ſacramenta iſta quinque, à Chriſto inſtituta ſunt ad producendũ tantum augmentum gratiæ, imo propter hanc eamdem cauſam dicuntur ſacramenta viuorum.

Reſponſio.

Reſp. concedo maiorem, diſtinguo minor. ſacramenta iſta ſunt inſtituta à Chriſto ad augmentum gratiæ producendum, per ſe, concedo minorem: per accidens tamen ſunt inſtituta ab eodem ad primam gratiam producendam, & quidem in illo omni caſu, in quo ceſſat impedimentum productionis primæ gratiæ in eo, qui aliquod ex iſtis ſacramentis conſequitur: conſtat autem

Digitized by Google

de hac inſtitutione, primum, ex loco cit. Concilij Trident. deinde, ex vi productiua gratiæ, quæ datur in omni ſacramento nouæ legis.

DVBITATIO TERTIA.

An gratia ſacramentalis ſit idem realiter, vel formaliter cum gratia gratum facientè.

Iuſtificatio bifariã ſumitur, propriè & impropriè. Concil. Trident. Apoc. 22.

ADVERTE, iuſtificationem vſurpari duobus modis, quantum ad rem præſentem attinet; interdum enim iuſtificatio cenſetur eſſe tranſitus à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum gratiæ gratum facientis, & ità vſurpatur in Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. interdum vero dicit tranſitum à minori gratia ad maiorem gratiam, & ità vſurpatur Apocal. cap. 22. *Qui*, inquit, *iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur*: in prima inſtificatione infunditur gratia & charitas; eſt enim gratia cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ, & ſanctitatis, vt definiuit Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ità vt quilibet noſtrûm dicatur iuſtus & ſanctus formaliter per gratiam, & charitatem, quam in ſe habet diffuſam per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ex cap. 5. ad Rom. infunduntur etiam omnes virtutes per ſe infuſæ, & item dona Spiritus ſancti in hac eadem iuſtificatione, niſi aliqua ex iſtis extiterint in nobis ante iuſtificationem iſtam: in iuſtificatione vero ſecundo modo accepta, virtutes per ſe infuſę, & item dona Spiritus ſancti non infunduntur; ſunt quippe hæc in homine, qui iuſtificatur per iſtam iuſtificationem; imo gratia, & charitas non infunduntur, ſed tantum augmentum earumdem. Non eſt tamen concedendum de omnibus virtutibus, quæ dantur in eo qui iuſtificatur per iſtam iuſtificationem, quod intendantur; quamuis augeatur ſemper gratia & charitas: ſed illa tantum virtus intenditur, cuius actus exercetur ex imperio charitatis, vt docuimus alibi. Quærimus ergo hoc loco; An gratia ſacramentalis ſit idem realiter & formaliter cum gratia iſta iuſtificante, aut cum aliqua ex cetgris virtutibus per ſe infuſis, aut certe cum aliquo ex donis Spiritus ſancti, aut denique aliquid diuerſum ab iſtis omnibus.

Rom. 5.

Senſus tituli ſiue difficultatis propoſitæ.

Gratia ſacramentalis & gratia iuſtificans ſunt realiter idem. Probat. 1.

CONCLVSIO 1. *Gratia ſacramentalis non diſtinguitur realiter à gratia iuſtificante.* Primùm, quia ſunt qui putent vnitatem numericam cuiuſlibet accidentis repetendam ab vnitate ſubiecti proximi, & immediati, in quo recipitur, cum ordine, & habitudine tamen ad propriam formam, per quam conſequitur rationem talis accidentis: atqui idem eſt ſubiectum proximum & immediatũ gratiæ gratum facientis, & gratiæ ſacramentalis: hoc enim cenſetur eſſe potentia animæ, vel eſſentia ipſius animæ rationalis, vt vult D. Th. vel voluntas rationalis, vt Scotus, & ſequaces eiuſdem: ergo gratia ſacramentalis non diſtinguitur realiter à gratia habituali.

Obiectio.

Dices, gratiam ſacramentalem, maximè ſacramentorũ viuorum, eſſe poſteriorem gratia gratum faciente, in nobis: ergo cum poſterius diſtinguatur realiter à ſuo priori, duæ iſtæ gratiæ diſtinguentur inter ſe realiter.

Reſponſio.

Reſp. gratias iſtas duas non diſtingui realiter diſtinctione reali maiori, de qua hoc loco loquimur; ſed tantum diſtinctione reali minori: gratia quippe gratũ faciens, quæ ſupponitur eſſe in nobis ante gratiã ſacramẽtalẽ, poteſt exiſtere, & de facto exiſtit ſinè gratia ſacramentali: ſupponimus enim quod gratia ſacramentalis acceſſerit ei qui antèa gratiã iuſtificantẽ habuit, gratia tamen iſta ſacramentalis quæ poſteriori loco data eſt, nequit eſſe ſinè illa gratia prima, gratũ faciente; diſtinguuntúrq; iſtæ duæ gratiæ ſecundum magis, & minus.

Gratia gratũ faciẽs & gratia ſacramentalis diſtinguuntur formaliter.

CONCLVSIO 2. *Gratia ſacramentalis diſtinguitur à gratia gratum faciente formaliter.* Primùm, quia nedum materia, ſed etiam forma in omni ſacramento nouę legis, diſtinguuntur inter ſe realiter, & item formaliter ab alijs.

Probat. 1.

Deinde, ratio formalis cõſtitutiua cuiuſlibet ſacramenti, cenſetur eſſe ſignificatio eiuſdẽ, vt forma conſtitutiua baptiſmi, ſignificatio regenerationis ſpiritualis: at ſignificatio iſta diſtinguitur ſpecie in omni planè ſacramento nouę legis: ergo & gratia cuiuſlibet ſacramenti diſtinguetur quoque ſpecie à gratijs ceterorum ſacramentorum.

2.

Tertio, ſi gratia ſacramentalis non diſtinguatur eſſentialiter à gratia gratũ faciente, & itẽ à gratijs ceterorũ ſacramentorum, non poſſemus affirmare de ſacramentis noſtris, quod aliqua ex iſtis characterem imprimerent, alia verò minimè; quod item aliqua ex illis eſſent ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, alia verò non item, cuius tamen oppoſitum docet fides, vt probabitur inferius.

3.

Deniq; quodlibet ſacramentũ habet diſtinctum finem ab alijs: ergo & gratia cuiuſlibet ſacramenti erit ſpecie diſtincta, nã diſtinctio cuiuſlibet actus, aut habitus ſpecifica, petitur à fine, ex doctrina D. Th. 1. 2. eſt autem idẽ iudiciũ de rebus ordinatis in finem aliquẽ, ac de actibus, & habitibus, itemq. potentijs ordinatis in finem aliquem: igitur &c.

Vlt.

Quæſitur.

ROGABIS, *Quid ſit gratia ſacramentalis in ſacramento v.g. Confirmationis.*

Reſponſio. Quæ ratione ſingula ſacramenta conferant diuerſam gratiam.

RESPONDEO, *Gratiã ſacramentalẽ in hoc ſacramento eſſe gratiam, quæ producitur in anima illius, qui ſacramentũ hoc conſequitur, vnà cum actuali Dei auxilio neceſſario, ad fidem publicè profitendã militari modo, ſacramentaliter, quod debetur ei qui ſacramentum Confirmationis conſequitur ex vi ordinationis diuinæ, quódq; proinde infallibiliter dabitur homini Confirmato, quotieſcumque incumbet neceſſitas conſequendi finem debitum ſacramento Confirmationis.*

Prima pars probatur. Conciliũ Trident. ſeſſ. 7. can. 6. de ſacramentis in genere, definit competere ſacramentis nouæ legis, nedũ ſignificare gratiam, ſed hanc etiam eamdem continere, & hanc ipſam conferre non ponentibus obicem. Deinde, ſacramentum quodlibet nouæ legis cenſetur eſſe ſignum practicum gratiæ. Tertio, gratia ſacramentalis cenſetur eſſe ea, quæ datur quandocumque ſacramentum adminiſtratur.

Gratia habitualis ſacramenti phyſicè eadẽ in omnibus, moraliter diuerſa.

Secunda pars probatur, quia ſacramenta nouæ legis diſtinguũtur inter ſe ſpecie infima; at diſtinctio iſta ſpecifica non poteſt peti à gratia gratũ faciente, neq; item à virtutibus per ſe infuſis, neq; à donis Spiritus ſancti: hæc nãq; omnia ab omnibus omnino ſacramentis nouæ legis producuntur in nobis, quandocumq; nobis adminiſtrãtur; niſi tamẽ aliqua ex iſtis præceſſerint ſacramenti adminiſtrationẽ: ergo aliunde diuerſitas iſta ſpecifica eſt repetenda; nequit autem dici, quid ſit illud quod inducit diuerſitatẽ ſpecificam præter auxiliũ actuale quod debetur ei qui ſacramentũ conſequutus eſt, ex vi promiſſionis diuinæ, quódq; dabitur infallibiliter, quotieſcumque occurret obligatio conſequendi fiñẽ ſacramento ſuſcepto debitum: in hac ſententia ſunt Suarez diſp. 7. ſect. 6. concluſione 6. Soto in 4. diſt. 2. q. 3. art. 1. Martinus Ledeſma ibidem, & alij nonnulli.

Obiectio.

Dices, auxiliũ hoc actuale non dari ei qui ſacramentũ Confirmationis v.g. eſt cõſequutus: ergo.

Reſp.

Reſp. auxilium hoc actuale non dari vere, & de facto pro eo inſtanti temporis in quo quis ſacramentum Confirmationis conſequitur; datur tamen eidem ex debito & obligatione diuina, ità vt quotieſcumq; occurrerit neceſſitas defendendi fidem militari modo, auxilium hoc futurum ſit præſentiſſimum homini Confirmato, & quidē dependenter à ſuſceptione ſacramenti Confirmationis præteritæ; ac proinde recte quoque dicitur auxiliū hoc, gratia ſacramenti Confirmationis, quia debetur huic ſacramēto ex vi inſtitutionis diuinę.

Inſtantia.

Inſtabis, nedum hominem Confirmatum obligari ad fidem publicè profitendam militari modo, ſed etiam baptizatum, ſaltem in eo caſu, in quo baptizatus non poteſt ſibi conſulere fuga, niſi cum ſcandalo puſilloru, & imminutione fidei diuinæ.

Satisfit.

Reſpondeo, in data hypotheſi obiectionē iſtam eſſe veriſſimam, ceterum cum hoc diſcrimine quod baptizatus, & non Cōfirmatus teneatur defendere fidem militari modo, non quidem ex officio, ſeu, quod idem eſt, ſub ea ratione qua eſt baptizatus, ſed tantū per accidens, quatenus ſcilicet nequit aliter in regeneratione vitæ ſpiritualis perſeuerare. Confirmatus autem tenetur ex officio profiteri fidē militari modo, & huic debetur ſpecialis gratia ſacramenti Confirmationis per ſe, atq; itemprædictum auxilium actuale diuinum, minimè vero baptizato, ſed tantum per accidens: quod autem hīc diximus de gratia ſacramenti Confirmationis, intelligendū eſt de ceteris omnibus alijs ſacramentis nouæ legis, ità vt gratia ſpecifica cuiuſlibet, ſit producta à ſacramento, cū actuali auxilio, quod debetur eidem ad finem ſacramenti conſequendum, ex vi inſtitutionis diuinæ, adeo vt ex iſtis duobus conſurgat gratia ſacramentalis vniuſcuiuſque ſacramenti.

DVBITATIO QVARTA.

An ſacramenta nouæ legis conferant gratiam in ratione cauſæ moralis, an vero in ratione cauſæ efficientis phyſicæ.

Quid ſit cauſa moralis meritoria & impetratoria.

ADVERTE, quantum ad rem præſentem attinet, cauſas alias eſſe morales; alias vero phyſicas: priores cenſentur eſſe illæ, quod hoc ſolo nomine attingunt ſuos effectus, quod moueant, & adducant aliquid aliud à ſe diuerſum, ad iſtos effectus producendos: hac ratione concionator, v.g. qui hortatur populū ad dandam eleemoſynā, cenſetur eſſe cauſa moralis largitionis eleemoſynę, quę dabitur ab eius auditoribus: nuncupatur autem hæc cauſa, nedum cauſa moralis, ſed etiam meritoria, & impetratoria: cauſa verò phyſica cenſetur eſſe ea, quæ attingit ſuos effectus per verum, & realem influxum; hoc modo ignis, qui producit alium ignem, medio calore, dicitur eſſe cauſa phyſica ignis producti de nouo, hoc notato.

Cauſa phyſica quid.

1. Opinio ſacramenta eſſe cauſas morales.

Sunt de hac re, duæ extremæ ſententiæ: altera eorum qui putant ſacramenta nouæ legis nulla ratione producere gratiam tanquam cauſas phyſicas, ſed tantum veluti cauſas impetratorias, & morales gratiæ, ità vt velint hoc ſolo nomine producere gratiam, quod ex vi ſuę inſtitutionis, quandocumq; applicantur impetrent nobis gratiam, quam Deus in ratione cauſæ efficientis phyſicæ producit: ſacramenta vero tantum moraliter: in hac ſententia ſunt Canus in prælectione de ſacramentis in genere, 4. p. Ioannes Maldonatus cap. 2. diſputationis 1. de ſacramentis in genere, & omnes illi veteres Scholaſtici, qui putarunt ſacramenta eſſe tantum conditiones, hinc quinimo non gratię diuinæ, quod docuit Scotus, Durand. & plerique inter Nominales.

Canus. Maldonat.

Scotus. Nominal. Fundamenta ſententiæ.

Hæc autem opinio probatur 1. Sacramenta eodem modo conferunt gratiam, quo paſſio Chriſti & ſanguis eiuſdem; eodem enim modo loquuntur Scripturæ de ſacramentis & de paſſione Chriſti, reſpectu iuſtificationis noſtræ. 1. Ioannis 1. dicitur de Chriſti paſſione, & ſanguine; *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni delicto.* & Apocal. 1. *Lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* ad Titum vero capite 3. dicitur de baptiſmo; *Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effundit in nos abunde:* & ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, &c.* atqui paſſio Chriſti & ſanguis eiuſdem, ſunt tantum cauſa morales, ſeu impetratoriæ remiſſionis peccatorum, ac proinde & promiſſionis gratiæ; remiſſio ſiquidem peccati non fit ſine infuſione gratiæ: ergo ſacramenta erunt, &c. Quod autem paſſio Chriſti ſit tantum cauſa impetratoria diuinæ gratiæ, ex eo manifeſte colligitur, quod hæc eatenus ſit cauſa noſtræ ſalutis, quatenus fuit libere a Chriſto acceptata, & ad generis humani redemptionem ordinata: cauſare autem hac ratione gratiam, nihil aliud eſt, quam poſſionem mereri, aut impetrare gratiam propter dignitatem actus, qui excretur à nobis: ergo paſſio Chriſti eſt cauſa tantum moralis.

1. Iohan. 1. Apocal. 1. Ad Titū 3. Epheſ. 5.

2. Fundamentum.

Secundo probant. Fieri nequit vt aliquid aſſumatur tanquam inſtrumentum phyſicum ad gratiam producendam, niſi habuerit virtutem aliquam in ſe, ſibi connaturalem, per quam poſſit attingere effectum cauſæ principalis, non enim poteſt Deus per ſuam omnipotentiam efficere vt homo per intellectum velit: aut vt intelligat per voluntatem; bene tamen vt quis per intellectum naturalem intelligat diuinam eſſentiam, prout eſt in ſe, idque propter vim connaturalem intellectui inſitam à natura, qua intelligere poteſt quodcumque intelligibile: at nulla datur vis connaturalis in ſacramentis, per quam poſſint hæc attingere productionem gratię; ſunt enim ſacramenta res aliquę ordinis naturalis ſimpliciter: ergo.

3. Fundamentum.

Tertio. Sacramenta producunt ſemper eodem modo gratiam, quorſum enim multiplicarentur modi in ſacramentis producendi gratiam, cum idem, manens idem, ſemper faciat idem? atqui ſacramenta quando non ſunt: producunt tantum gratiam moraliter, & impetratorie vt fatentur authores omnes contrarię ſententię.

4.

Quarto. Sacramenta vel producunt gratiam gratum facientem phyſicè, quando ſunt, vel quando non ſunt: primum dici non poteſt, quia cum ſacramenta ſint in tempore; dicunt enim hæc ſucceſſionem, vt conſtat ex ablutione, & prolatione verborum, quæ fit in baptiſmo, ac proinde gratia produceretur a ſacramentis in tempore, quod tamen dici nullo modo poteſt, cum gratia ſit res aliqua ſpiritualis, & tota ſimul, ac proinde in inſtanti neceſſariò producitur: incipit præterea hæc ad modum rerum permanentium; at res permanentes in inſtanti producuntur. Neque item 2. ità enim ſequeretur gratiam non produci à ſacramentis phyſicè, ſed moraliter; fieri namque non poteſt, vt id quod non eſt, phyſicè aliquem effectum producat, operari etenim præſupponit eſſe.

Quinto, ſancti Patres docent iuſtificare ſacramenta & producere gratiam illo eodem modo, quo hæc ſanant vitia: at indubitatum eſt ſacramenta ſanare vitia tantum moraliter; hæc enim vitia, ſeu, quod idem eſt habitus vitiorum, perſeuerant in homine iuſtificato à peccato mortali per ſacramenta, neque deſtruuntur iſti habitus vitioſi, niſi dependenter ab actibus contrarijs, qui fiunt in tempore poſt iuſtificationem primam. Altera ſententia explicatur ſequenti Concluſione.

Noua legis ſacramenta ſunt cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ. Concil. Trident. *1. Fundamentum.*

CONCLVSIO. *Sacramenta noua legis ſunt cauſa inſtrumentales phyſicæ illius gratiæ, quam producunt in nobis, non autem morales.* Primum, quia hæc opinio eſt magis conſona ſacris Concilijs: Tridentinum enim ſeſſ.7.can.6.de ſacramentis in genere, definit ſacramenta noſtra, & ſignificare gratiam, & hanc eamdem conferre, itémque continere, & denique non eſſe nuda ſigna iſtius gratiæ: & can. 8. addit conferre gratiam ex opere operato: & can. 9. aliqua ex ſacramentis producere, & imprimere characterem, qui eſt vera, & realis qualitas mentibus noſtris impreſſa: vt probabitur quæſtione ſequente, & ſeſſ. 13. cap. 4. docet ex eo quod Chriſtus dixerit, vi verborum, *Hoc eſt corpus meum*, totam ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totam ſubſtantiam vini in ſanguinem eiuſdem, ex quibus ità argumentor: Cauſa moralis non attingit per ſeipſam ſuos effectus; bene tamen cauſa phyſica, vt ſupra monuimus: atqui Concilium Trident. dicit gratiam verè produci à ſacramentis noſtris; & item verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, vi, & efficacia ſibi propria totam ſubſtantiam panis conuertere in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſunt ergo hæc ſacramenta cauſæ phyſicæ, non autem morales reſpectu gratię productę. Concilium præterea Tridentinum ſeſſ. 6. cap.7. tres aſſignat cauſas noſtrę iuſtificationis finalem, ſcilicet, gloriam Dei & Chriſti; formalem, gratiam, & charitatem, quæ diffunditur in nobis, quæque nobis inhæret: & denique efficientem, Deum ſcilicet, Opt. Max. & ſacramenta; ex quibus ità argumentamur: Cauſa inſtrumentalis reuocatur ad illud idem genus cauſæ, ad quod reducitur cauſa principalis; atqui cauſa principalis noſtrę iuſtificationis cenſetur eſſe Deus, & quidem in ratione cauſæ efficientis phyſicę, omnium conſentione: ergo idem erit de ſacramentis noſtris dicendum, cum Deus vtatur iſtis, veluti inſtrumentis inter iuſtificationem noſtram cauſandam, ex loco proximè cit. Concilij Trident.

Cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſt gloria Dei & Chriſti, formalis gratia & charitas, efficiens Deus & ſacramenta.

2. Fundamentum.

Secundo probatur Concluſio. Sancti Patres affirmant ſacramenta noſtra purgare ſordes animę illa eadem ratione, qua aqua naturalis ſordes corporis abſtergit: addunt ſacramenta noſtra iuſtificare, renouare & peccata remittere: ità ſentiunt Iuſtinus in Apologia 2. ad Antoninum; *Nos*, inquit, *in aqua baptiſmi veram conſequi remiſſionem peccatorum contendimus.* Origenes, homilia 14. ad 2. Lucę, affirmat paruulos in remiſſione peccatorum baptizari, in baptiſmo ſordes natiuitatis deponi, id eſt, peccatum originale, cum quo quilibet noſtrùm naſcitur, ex Paulo, Epheſ. 2. *Omnes naſcimur natura filij iræ.* & Greg. Nyſſenus lib. de baptiſ. *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renouationis, & regenerationis cauſa.* & Nazianzenus oratione in ſanctum lauacrum: *Ipſa baptiſmatis aqua peccati continet purgationem, & omnimodam fœditatum, & iniquitatum reſectionem.* & Chryſoſt. homilia 25. in Ioan. & D. Aug. tractatu 8. in Ioan. & denique Beda in quadam homilia de Epiphania; *Chriſtus*, inquit, *tactu ſuæ mundiſſimæ carnis, vim regenerandi contulit aquis*; baptiſmi ſcilicet: atqui hęc dici non poſſunt de ſacramentis noſtris ſi producant tantum gratiam moraliter; nam cauſa moralis non attingit verè ſuos effectus, ſed tantum ad huius præſentiam producit Deus gratiam, & item verè iuſtificat, non autem cauſa moralis; cum ergo ſancti Patres doceant ſacramenta noſtra verè iuſtificare, & denique peccata remittere, debent hæc neceſſario producere gratiam iuſtificantem in ratione cauſæ inſtrumẽtalis phyſicæ.

Auguſt. Beda.

Obiectio.

Obijciunt, qui contrariam ſequuntur opinionem, ſanctos Patres affirmare aquam baptiſmi, ità ſanctificare, vt tamen ſolus Deus ſanctitatem noſtram efficiat; ità Cyprianus, ſermone de baptiſmo Chriſti. *Remiſſio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet:* Baſilius de Spiritu ſancto cap. 15. Ambroſius, & D. Auguſtinus epiſtola 24. ad Bonifacium, & denique Hieronymus ad caput 4. Iſaiæ.

Cyprian. Baſilius. Ambroſ. Auguſt. Hierony.

Explicantur Patres.

Reſp. Patres iſtos, loquendi rationem proximè adductam vſurpare tantum in hunc finem, vt doceant aquam baptiſmi v. g. & verba iſta; *Ego te baptizo*, ſpectata vt ſunt entitates aliquæ naturales, nullâ in ſe habere vim producendi gratiam, ſed eam emendicare ab omnipotentia diuina, per quam eleuantur ad eſſe ſupernaturale, ac proinde & ad producendam gratiam in animabus eorum, qui ſacramentum baptiſmatis conſequuntur; niſi forte mauis cum alijs dicere, Patres locis proxime citatis tantùm contendere ſolum Deum eſſe cauſam præcipuam noſtræ iuſtificationis, ac proinde & productionis gratiæ: cum iſtis tamen recte cohęret, vt noſtra ſacramenta ſint cauſę inſtrumentales phyſicę gratię ſacramentalis.

3

Tertio, probatur Concluſio. Sacramenta noſtra producunt gratiam eodem plane modo, quo humanitas Chriſti extitit cauſa cuiuſlibet operis miraculoſi à ſe producti, vt fatentur authores contrariæ ſententiæ: at humanitas Chriſti fuit cauſa cuiuſlibet operis miraculoſi à ſe producti phyſica; vt colligitur ex cap. 6. Lucę, *Et virtus de illo* (ſcilicet Chriſto) *exibat, & ſanabat omnes*, & ex cap. 8. *Senſi de me virtutem exiſſe:* Exire autem virtutem ab humana Chriſti natura maius eſt, quàm ſit moraliter operari; cum cauſa moralis non producat ſuos effectus. Sunt qui hoc idem colligunt ex modo, quem Chriſtus retinuit inter miracula præſtanda; fecit quippe iſta præcipiendo, imperando, tangendo, & alijs huius generis ſimilibus modis; vt conſtat ex cap. 8. Matthæi. *Imperauit* (inquit) *mari, & ventis, & facta eſt tranquillitas magna*; & Lucę 5. *Dixit Chriſtus paralytico, volo, mundare*, & cap. 7. *Adoleſcens tibi dico ſurge*, & Ioan. 11. *Lazare, veni foras:* cauſa autem moralis non operatur hac ratione, ſed tantum monendo, conſulendo, deterrendo, inuitando, & alijs ſimilibus modis. Deinde, ſancti Patres conſtanter affirmant humanam Chriſti naturam habere in ſe vim viuificandi: ità docet Chryſoſt. homilia 26. in Matthęum, D. Auguſt. in tract. 14. in Ioannem, Euthymius ad caput 7. Matthęi, & Cyrill. Alexandrinus, & Synodus Epheſina, can. 11. propter hanc cauſam vocat carnẽ Chriſti

3.

Luc. 6. & 8.

Matth. 8. Luc. 5. & 7. Ioan. 11.

Chriſti humanitas habet in ſe vim viuificandi.

Chryſoſt. Auguſt. Euthym. Cyrill. Alexand. Epheſ. Synod.

Digitized by Google

Sext. Synod Concil. Later.

viuificatricem; idem facit 6. Synodus artic. 11. & Concilium Lateranenſe ſub Martino I. conſultatione 3. & 5. Non deſunt etiam qui hoc idem colligant, ex eo quòd Chriſtus ſit caput hominum, & Angelorum: eſt autem capitis verè influere in corporis partes, non autem moraliter tantùm.

4. fundamentum.

Quartò, ſacramenta nouæ legis ad minus producunt gratiam illo eodem modo, quo miniſtri, & ſacerdotes, vt fatentur etiam autores contrariæ ſententiæ: at ſacerdotes, & miniſtri ſacramentorum producunt gratiam phyſicè, vt videtur colligi ex verbis iſtis; *Ego te baptizo, Ego abſoluo te:* ſed longè efficacius hoc idem deducitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 9. dicitur enim illic, anathema illis omnibus qui aiunt ſacerdotem declarare tantum peccatorem eſſe abſolutum, non autem peccata abſoluere; aut oſtendere peccata eſſe remiſſa, non autem peccata remittere.

5.

Quintò, autores contrariæ ſententiæ non ſatis videntur diſtinguere ſacramenta noſtra, à ſacramentis veteris legis: volunt enim Deum ad præſentiam ſacramentorum noſtrorum infallibiliter producere gratiam, verè & realiter: adeò vt moueant ipſum tantum ad gratiam infallibiliter producendam, at ſacramenta veteris legis ſaltem in opinione multorum, hoc eodem modo contulerunt gratiam antiquis: ergo cum Tridentinum locis ſupra citatis doceat de ſacramentis nouę legis, quòd non ſint nuda ſigna gratiæ, ſed hanc eamdem, & contineant, & producant ex opere operato, id eſt per ſe; ſit vt non morales cauſæ tantum ſint gratiæ, ſed etiam phyſicæ.

Vltimum fundamentum.

Denique, noſtra ſententia magis commendat diuinam bonitatem & omnipotentiam; dilatat inſuper magis merita Chriſti, & denique dignitatem noſtrorum ſacramentorum magis attollit, quàm faciat contraria.

Quomodo comperat ſacramentis vis producendi gratiam.

Aduerte, vim producendi gratiam, quam diximus ineſſe ſacramentis noſtris, non eſſe illis connaturalem, ſi ſpectentur vt ſunt res aliquæ ordinis naturalis, & verba ex hominum inſtituto ſignificantia: ſed tantùm ſub ea ratione, qua ſubijciuntur hęc omnipotentiæ diuinæ, ratione obedientialis potentiæ, quæ in illis datur; ac proinde quatenus Deus vtitur iſtis, velut organis & inſtrumentis quibuſdam ad gratiam producendam in nobis: potentia autem obedientialis, nihil eſt aliud, quàm quodlibet ſacramentum, quatenus ſubijcitur omnipotentię diuinæ ad aliquid agendum, vel certè recipiendum.

Sacramenta producũt gratiã phyſicè quando eorum ſignificatio eſt ſufficienter completa.

ROGABIS. *Quandõnam ſacramenta nouæ legis producant, vt inſtrumenta phyſica gratiam gratum facientem.* Reſpondeo. *Ea producere in ratione cauſæ inſtrumentalis phyſicæ, quando eorum ſignificatio eſt completa, non quidem totaliter, ſed ſufficienter.* Primùm, quia idem eſt iudicium de productione gratiæ reſpectu cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis, quod de productione corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, vi & efficacia verborum; *Hoc eſt corpus meum:* eo ſiquidem modo producunt ſacramenta gratiam, quo verba conſecrationis corpus & ſanguinem Chriſti; at verba ſubſtantiam panis in illo eodem inſtanti, in quo illorum ſignificatio completur, conuertunt in ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo & ſacramenta in ſimili inſtanti gratiam gratum facientem producent.

Deinde, ſacramenta tunc temporis eleuantur ad productionem gratię, quando eorum natura poſita eſt extra ſuas cauſas: atqui in illo eodem inſtanti in quo ſignificatio cuiuſlibet ſacramenti completur, non quidem totaliter, ſed ſufficienter, natura illius cẽſetur eſſe poſita extra ſuas cauſas, omnium plane conſenſione, & ratio hoc ipſum demonſtrat; nam ratio formalis conſtitutiua cuiuſlibet ſacramenti eſt ſignificatio ad quam ordinatum eſt à Deo, vt conſtat ex dictis: ergo gratiam efficiunt tempore aſſignato à nobis.

Obiectio.

Obiicies, ſacramenta omnia, excepta Euchariſtia, habent naturam poſitam in ſucceſſione: ergo. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem; licet enim quodlibet ſacramentum ſit ens ſucceſſiuum, excepta Euchariſtia, natura tamen illa ſucceſſiua poſtulat ex ſe, & ſua natura, vt habeat vnum inſtans, quod partes priores terminet, & aliud quod partes ſimiliter poſteriores compleat, & item multa alia, quę partes priores, & poſteriores inter ſe copulent: ità, quamdocumque contingit naturam entis iſtius ſucceſſiui eſſe compleram, poteſt Deus aſſumere, imo de facto aſſumit iſtam naturam ad gratiam producendam, ità vt vtatur ſacramento veluti inſtrumento phyſico, in producenda iſta gratia: Deus autem perfectiſſime nouit quódnam ſit illud inſtans, in quo ſignificatio cuiuſlibet ſacramenti completur ſufficienter. Dixi autem non totaliter, ſed ſufficienter, quia quemadmodum prolatio verborum ſacramentalium non abſoluitur in inſtanti indiuiſibili mathematico, ſed in tempore, aut ad ſummum in inſtanti temporis, ità & ſignificatio cuiuſlibet ſacramenti in tempore perficitur; ac proinde completur hæc ſignificatio, & ſufficienter, & totaliter. Non eſt autem neceſſe ſignificationem eſſe totaliter completam, ad hoc vt ſacramentum eleuetur à Deo ad gratiam producendam, ſed ſatis eſt ſi ſignificatio ſacramenti fuerit completa ſufficienter.

Reſponſio.

ROGABIS. *An ſemper ſacramenta noſtra producant gratiam in ratione cauſæ inſtrumentalis phyſicæ.* *Quæſtio.*

Reſpondeo primò. *Sacramenta noſtra producere tantum gratiam moraliter, quando non ſunt, ſed fuerunt, aut futura ſunt:* ità docent Suarez loco proxime citato, & alij nonnulli, quorum opinio cenſetur eſſe quàm maxime probabilis: quod enim non eſt, in effectum vere influere non poteſt; ſupponimus autem ſacramenta iſta non eſſe, ſed extitiſſe aliquando, vel certe futura eſſe, & nihilominus gratiam produci ab iſtis ſacramentis in tempore preſenti. *1. Reſp.*

Reſpondeo 2. *Eſſe probabile ſacramenta noſtra producere gratiam, etiam quando non ſunt phyſicè.* Primùm, quia non eſt neceſſarium ad hoc vt aliquid habeat rationem inſtrumenti phyſici, reſpectu Dei, quod ſit in eſſe actualis exiſtentiæ, ſed ſatis eſt quod ſit, vel quod fuerit, vel quod futurum ſit, vt colligitur ex cap. 4. ad Romanos vbi dicitur de Deo; *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* *2. Reſpõſio. Probabile eſt ſacramẽt. operari gratiam phyſicè quando non ſunt.* Rom. 4.

Deinde, ad hoc vt aliquid conſequatur rationem inſtrumenti phyſici; ſaltem reſpectu Dei, ſatis eſt quod effectus producatur à Deo, veluti à cauſa præcipua, & à re, quæ ex hypotheſi non exiſtit, ſed vel fuit, vel futura eſt, cum vera, & actuali dependentia ab eadem: ergo vt gratia producatur à ſacramentis, tanquam ab inſtrumentis ſatis eſt quod eleuata à Deo exiterint aliquando.

Tertio, ex multorum opinione poteſt Deus aſſumere creaturam tanquam inſtrumentum ad creandum.

Digitized by Google

Quartò, ex doctrina multorum Thomiſtarum grauia, & leuia mouentur à generante, & tamen fieri poteſt vt generans non ſit: ergo licet ſacramenta non ſint, poterunt operari.

Quintò, finis computatur inter cauſas phyſicas, & tamen certum eſt finem quando operatur phyſicè, ſuo modo, non eſſe poſitum extra ſuas cauſas, ſed tantum in eſſe apprehenſiuo: ità ergo ſimiliter ſacramenta poterunt eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ reſpectu Dei: quod dico, quia certum eſt in ordine ad creaturam nullum inſtrumentum poſſe eſſe phyſicum, niſi fuerit de facto extra ſuas cauſas poſitum; cùm operari phyſicè, præſupponat eſſe reſpectu ſaltem cuiuſlibet creaturæ.

Denique, humanitas Chriſti cenſetur eſſe cauſa inſtrumentalis phyſica omnis operis miraculoſi, & item omnis gratiæ, quæ datur in nobis, etiamſi humanitas hæc ſit in dextera Patris agat: ergo etiam poterit ſacramentum nouę legis eſſe cauſa inſtrumentaria phyſica gratiæ, quæ producitur in nobis, quando iuſtificamur à peccato; nam ad hoc vt agens phyſicum aliquod producat de nouo per verum, & realem aliquem influxum deſideratur, vt huiuſmodi agens coniungatur paſſo, vel immediatione ſuppoſiti, vel immediatione virtutis, vt communiter fatentur omnes philoſophi: atqui humanitas Chriſti neutro iſtorum modorum coniungitur animabus noſtris: ergo quemadmodum hęc humanitas operatur phyſicè, vbi non eſt; ità etiam poterit ſacramentum operari phyſicè, etiam ſi non ſit, modo tamen fuerit, vel futurum ſit; præſertim cùm fateantur multi Thomiſtę inter quos eſt Capreolus in 4. diſt. 13. Deum per actionem heri ab eo productam poſſe hodie quemlibet effectum producere, media huiuſmodi actione, in ratione cauſæ efficientis phyſicæ.

Obiectio. Obiiciunt, operari præſupponere eſſe. *Reſponſio.* Reſp. hoc eſſe verum reſpectu cauſæ præcipuæ, & principalis; neque enim fieri poteſt, vt aliquid operetur tanquam præcipua cauſa, niſi quoque id virtutem operandi habeat, ac proinde niſi in ſe fuerit, ſecùs autem contingit in inſtrumentis phyſicis; ad hoc enim vt operentur phyſicè, ſatis eſt; vel quod ſint, vel quod fuerint, vel quod futura ſint, ſeu quod idem eſt, quod habeant exiſtentiam aliquam moralem, vel certe phyſicam. Deinde, ſatis eſt ad hoc vt ſacramenta operentur phyſicè, quòd Deus producat gratiam dependenter à ſacramento præterito, vel futuro, vel certe præſente, quod eſt diligenter aduertendum; ex hoc ſiquidem pendet explicatio iſtius controuerſiæ.

Obiectio. Obiiciunt, ſacramenta eſſe entia moralia, ac proinde operari moraliter gratiam. *Reſponſio.* Reſp. conceſſo antecedente, neg. conſecutionem: iudex namque vt ſic, eſt ens aliquod morale; neque enim habet in ſe iudicialem poteſtatem, vere & de facto per aliquid quod ſibi inſit phyſicè, ſed tantum per ſolam denominationem extrinſecam, ex principis ſcilicet deſtinatione, & tamen iudex, vt ſic, exercet aliquos actus veros, & reales; vere enim abſoluit, & vere condemnat, quatenus iudex: ità ſacramenta nouę legis, licet ſint entia moralia producunt tamen phyſicè gratiam gratum facientem.

Aduerte, quando diximus ſacramenta producere gratiam phyſicè, id non eſſe ità intelligendum, quaſi velimus ſacramenta producere gratiam, media aliqua actione, diſtincta numero ab ea, per quam Deus, & humanitas Chriſti eam producunt in nobis: volumus enim eamdem plane eſſe actionem, per quam ſacramenta producunt gratiam, cum ea per quam Deus, & humanitas Chriſti eandem conferunt nobis; ità vt vna, & eadem numero actio ſit tota à Deo, veluti à cauſa principali, ab humanitate verò Chriſti, veluti à cauſa inſtrumentarie coniuncta; à ſacramentis autem ſicuti à cauſa inſtrumentarie ſeparata: conuenit enim inter omnes cauſas ſubordinatas vna, & eadem numero actione producere ſuos effectus. *Gratia producitur eadem actione à Deo, Chriſti humanitate & ſacramentis, & quomodo.*

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad primam, negando propoſitionem maiorem: non enim eſt aliquis inter Patres, qui dicat eodem plane modo paſſionem, & ſanguinem Chriſti producere gratiam, quo ſacramenta, vel contra; ſed dicunt tantùm ſacramenta producere gratiam, ſanctificare, & iuſtificare hominem, & denique remouere peccata: eoſdem quoque plane effectus tribuunt ſanguini Chriſti & paſſioni eiuſdem. *Satisfit rationibus ſine fundamentis 1. ſanctitatis. Ad 1.*

Deinde, ſi verum eſſet ſacramenta producere gratiam eodem modo, quo paſſio Chriſti, ſacramenta mererentur nobis gratiam, effuſio ſiquidem ſanguinis Chriſti & paſſio eiuſdé fuerunt meritoria gratiæ, omnis enim actio Chriſti libera, fuit meritoria, inter quas tamen computatur paſſio, & ſanguinis eiuſdem effuſio, ex illo; *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Certum autem eſt ſacramenta non eſſe cauſas meritorias gratiæ: ergo.

Ad 2. Reſpondeo, negando propoſitionem maiorem: ignis enim v. g. inferni aſſumitur à Deo ad torquendos dæmones, & animas illic detentas, & tamen nulla datur vis connaturalis in huiuſmodi igne, per quam poſſit attingere naturaliter effectum cauſæ principalis, quæ eſt torquere & cruciare animas. Ad id verò quod aiunt, medio intellectu non poſſe quempiam velle, etiam de poteſtate abſoluta, neque media voluntate intelligere, Reſpondeo, hoc refundendum eſſe in naturam effectus vitalis, qui ex ſe, & ſua natura poſtulat, vt ſit tantum à cauſa vitali vitaliter operante. *Ad 2.*

Ad 3. & 4. reſponſum eſt in explicatione interrogationis quæ ſequitur probationem noſtræ Concluſionis; diximus enim illic, probabile eſſe ſacramenta, quando ſunt in eſſe actualis exiſtentiæ, producere gratiam phyſicè; quando verò non ſunt, producere tantum moraliter: adiecimus probabilius adhuc videri, ſacramenta nouę legis ſemper producere gratiam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, idque, quòd non ſit neceſſariũ ad hoc vt cauſa inſtrumẽtalis operetur phyſicè, quod ſit in eſſe actualis exiſtentiæ, ſed tantùm quod dependenter ab ea producatur effectus à cauſa præcipua & principali, modo tamen inſtrumentalis fuerit, vel futura ſit. *Quid requiritur vt inſtrumẽtũ phyſicè agat.*

Ad vltimam, reſpondeo: ſacramenta non eodem modo purgare vitia, quo gratiam producunt, hanc enim phyſicè attingunt, illa verò moraliter tantum deſtruunt, habitus enim vitioſi deſtruuntur contrarijs actibus, perſeuerántque cum gratia iuſtificante, omnium conſenſione: ità Suarez diſput. vlt. proxime citata. *Quomodo vitia deſtruuntur.*

DVBIT.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An ſacramenta pendeant à Chriſti paſſione.

Sacramenta pendent à Chriſti paſſione.

RESPONDETVR 1. *Sacramenta nouæ legis pendere in ratione ſuæ cauſalitatis à Chriſti paſſione:* ità D. Thom. art. 5. huius quæſt. & omnes interpretes eiuſdem ibidem.

Apocal. 5. 1. Petr. 1.

Deinde, Scripturę docent Chriſtum in ſua paſſione genus humanum redemiſſe, Apocal. 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo:* & 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento, redempti eſtis ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti:* at paſſio Chriſti applicatur nobis per ſacramenta, B omnium planè conſenſione: propter hanc enim cauſam dicitur ſacramenta eſſe pharmaca & medicamenta quædam, quibus Deus medetur malis noſtris.

Marc. 16. Ioann. 6.

Tertiò, omne medium, quod de facto conducit ad æternam gloriam, remittendo peccata nobis, pendet à Chriſti paſſione; hęc enim dicitur communiter cauſa noſtræ ſalutis: at ſacramenta nouæ legis ſunt media per quæ conſequimur vitam æternam, remittendo peccata noſtra, vt conſtat de baptiſmo, Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* de Eucharitia, Ioann. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

D. Auguſt.

Quartò, Sancti Patres communiter affirmant C ſacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti: ità D. Auguſtinus tractat. 120. in Ioann. in initio, ad hæc verba (lanceâ latus eius aperuit.) *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulneravit, aut quid aliud, ſed aperuit: vt illic quodammodo vita oſtium panderetur, unde ſacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc, & lauacrum præſtat, & potum:* & Leo Magnus, epiſt. 4. cap. 6. *Et tunc,* inquit, *regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis.* Cyrillus Alexand. ad cap. 13 Ioan. & alij.

Leo Magn.

Cyrill. Alexand.

Obiectio.

Dices, non potuiſſe conferre vllam vim ſacramentis noſtris, lateris Chriſti apertionem, hæc enim factitata eſt poſt mortem Chriſti, vt manifeſtè colligitur, ex cap. 19. Ioann.

Qua ratione apertio Chriſti lateris aliæque iniuriæ Chriſto illatæ poſt ſuam mortẽ nobis ſunt meritoriæ.

Reſp. lateris Chriſti apertionem fuiſſe meritoriam in ſua cauſa, reſpectu illius actus, quem Chriſtus conſtitutus in hac vita exercuit, quo libere acceptauit, & lateris apertionem, & omnia alia mala ſibi illata poſt animę à proprio corpore ſeparationem; ordinauit enim hæc mala Chriſtus dum viueret ad generis humani reparationem: ac proinde ex vi iſtius ordinationis, & acceptationis liberæ iſtorum malorum, apertio lateris fuit meritoria, & ſatisfactoria pro peccatis quorumcumque E hominum, ac proinde potuit eſſe meritoria inſtitutionis ſacramentorum.

Reiicitur ſententia Vega.

Aduerte tamen, non eſſe concedendum, quod docuit aliquando Vega in Concilio Tridentino, apertionem lateris Chriſti fuiſſe ſatisfactoriam, licet fuerit hæc facta poſt Chriſti mortem, quia, inquit, tempus merendi in Chriſto fuit vſque ad vltimum vitæ ſpiritum; tempus verò ſatisfaciendi ad diem vſque ad Reſurrectionis eiuſdem: nam nulla poteſt aſſignari ratio cur potuerit Chriſtus potius ſatisfacere poſt mortem, quàm mereri: terminus namque ſatisfaciendi & merendi in Chriſto videtur eſſe vnus, & idem. Deinde, ſatisfactio A patiendi nequit habere locum in eo qui eſt exper omnis paſſionis, & pœnæ; ſatisfactio enim fit per opera pœnalia ex multorum ſententia, anima autẽ Chriſti ſeparata à proprio corpore nõ potuit quidpiam pati, cùm eſſet cumulatiſſimè beata. Denique, propterea vult Vega Chriſtum poſt mortem ſuam ſatisfeciſſe, quia dum viueret & ageret in ſtatu viæ, lateris apertionem ordinauit liberè ad generis humani reparationem; at poſſumus etiam affirmare paſſionem iſtam fuiſſe ordinatam à Chriſto ad ſacramentorũ inſtitutionem pro eo tempore, quo fuit in ſtatu viæ, idque liberè: ergo apertio hæc fuit verè meritoria, licet fuerit Chriſto illata poſt mortem.

QVÆSTIO LXIII.

De charactere, qui eſt alius effectus Sacramentorum.

ARTICVLO 1. docet aliqua ſacramenta imprimere characterem.

ARTICVLO 2. Characterem eſſe potentiam ſpiritualem.

ARTICVLO 3. Characterem hunc nuncupari Chriſti characterem, licet hic ſit effectiue ab omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, ex æquo; quia per characterem aſſimilamur quodammodo Chriſto.

ARTICVLO 4. Characterem recipi in intellectu, tanquam in ſubiecto.

ARTICVLO 5. Characterem eſſe indelebilem ab anima.

ARTICVLO VLTIMO, non omnia ſacramenta nouæ legis, ſed tantùm Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere D racterem.

DVBITATIO PRIMA.

An ſacramenta nouæ legis characterem aliquem imprimant.

Hæreticorũ error.

NOVATORES in ea ſunt hęreſi, vt ſacramenta nouæ legis credant nullum imprimere characterem, vt pluribus obſeruauit Coccius lib. 5. de Sacramentis artic. 3. Bellarmin. lib. 2. de ſacramentis in genere.

Coccius. Bellarmin.

Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt.

CONCLVSIO 1. *Sacramenta nouæ legis tria; nempe, Confirmatio, Baptiſmus, & Ordo characterem imprimunt:* hæc eſt de fide, definita in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 9. & in Florent. Deinde, ex Scriptura probatur eadem Concluſio, Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum Dei, in quo ſignati eſtis:* & cap. 1. poſterioris ad Corinth. *Unxit nos Deus, & ſignauit nos, &c.* teſtimonia ſiquidem iſta explicantur communiter à Patribus de charactere baptiſmi: ità Theophylactus, Anſelmus ad locum proximè citatum.

Trident. Florent. Epheſ. 4. 2. Cor. 1. Theoph. Anſelm.

Tertiò, ex Patribus, D. Auguſtin. tract. 5. & 6. in Ioannem, vbi ait, quod ſi baptizatus charitatem non habet, characterem tamen impoſitum habet: & Ignatius epiſtol. ad Magneſianos. *Duos enim characteres dico in hominibus inue-*

Auguſt.

Digitized by Google

niri; vnum quidem vere monetæ ſignaculum; alterum verò adulterinæ. Pius enim homo & religioſus, vera moneta eſt, quæ à Deo formata, vel expreſſa eſt: impius verò & irreligioſus, falſa moneta eſt, noxia, adulterina, prava, quæ non à Deo, ſed à diabolo facta eſt.

Quarto. Circumciſio in lege Moſaïca contulit ſignum aliquod ſenſile: ergo cum omnia contingerent illis in figuris, & Circumciſio eſſet inſtituta ad delendum peccatum originale, quemadmodum & Baptiſmus ad hunc eumdem effectum producendum eſt inſtitutus, concedendum erit Baptiſmum imprimere certum aliquem characterem.

Quintò, Scripturæ, itémque Patres comparant Chriſtianos militibus, & ouibus, ex cap. 9. prioris ad Corinth. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt coronam corruptibilem accipiant, nos verò incorruptam*, & 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui*, &c. & ex cap. 10. Ioannis; *Ego ſum Paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, & Matth. 25. *Separabit eos ab inuicem, ſicut bonus Paſtor ſegregat oues ab hœdis.* Loca iſta loquuntur manifeſtè de quibuſuis baptizatis. Idem plane docent Patres, Baſilius in exhortatione ad baptizatos, & Cyrillus loco proxime citato: atqui certum eſt milites notari certis quibuſdam ſignis, & item oues ad hoc vt diſtinguantur ab hœdis; ergo decuit etiam ſacramentum baptiſmi ſignum aliquod imprimere ad hoc vt Chriſtiani dignoſcerentur ab alijs. Vide D. Auguſt. de hac re lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, cap. 16.

1. Cor. 9. 2. Tim. 4. Ioan. 10. Matth. 25. Baſil. Cyrill. Hieroſol. D. Aug.

Obiectio. Obijciunt hæretici, ſanctos Patres nomine characteris baptiſmatis intellexiſſe tantùm actualem ſacramenti illius applicationem, D. enim Auguſt. in lib. de baptiſmate contra Donatiſtas, fatetur quod ſi Donatus baptizaret, characterem Donati imprimeret; Donatus autem non potuit aliquid aliud conferre homini, qui ex hypotheſi baptizatur nomine Donati, niſi ſolùm ſacramentum baptiſmi, ſeu, quod idem eſt, actualem eius applicationem: ergo.

Reſpond. antecedens eſſe falſum: nam D. Auguſt. ait characterem baptiſmi imprimi & infigi, quod tamen nequit dici de actuali applicatione ſacramenti baptiſmatis. Deinde, idem D. Auguſt. contra Donatiſtas, verbis expreſſis habet, hominem non poſſe ſanctificari media aliqua actione externa; ſed deſiderari vlterius donum internum quod infundatur animabus noſtris, fatetur autem ipſemet D. Auguſt. & item alij Patres, per characterem baptiſmi ſanctificari aliqua ratione animas.

Auguſt.

Ad locum verò D. Auguſtini, vbi comprobatur antecedens, reſpondeo non dicere hoc ſimpliciter & abſolutè, ſed ex hypotheſi, qua videlicet ſupponimus baptiſmum Donati eſſe eodem modo ſacramentum, quo eſt baptiſmus Chriſti; ſtante ergo hac hypotheſi, fatetur ſanctus Doctor quòd ſi Donatus baptizaret, eius quoque baptiſmus characterem imprimeret; quia tamen hypotheſis prædicta eſt falſa (non enim potuit Donatus ſacramentum aliquod inſtituere, tantùm abeſt vt aliqua inſtituerit) ideò locus iſte D. Auguſt. hæreticis noſtris minimè fauet.

Obiectio 2. Ad quid inſeruit character. Obijciunt 2. Characterem baptiſmi futurum inutilem. Reſpondeo, falli quoque hac in re hæreticos, dicemus enim characterem baptiſmi cum D. Thom. eſſe potentiam aliquam ſpiritualem.

Deinde conducit hic, & ad dæmonum inſultus vitandos & reuincendos, & ad vindictam diuinam declinandam, vt obſeruârunt Cyrillus Hieroſolymitanus, & Nazianzenus orat. 4. in ſanctum baptiſma. *Hic*, ſcilicet, *Spiritus ſanctus, paratus eſt obſignare animam tuam, & dare tibi ſignaculum, quo dæmones tremunt*: ità loquitur Cyrillus, loco proximè citato. Denique medio characterе cultores religionis Chriſtianæ dignoſcuntur, & & ſeparantur ab infidelibus, quod maximè admonent Patres citati.

Cyrill. Hieroſol. Nanzianz.

Inſtantia. Inſtant hæretici, Deum perfectè agnoſcere Chriſtianos ſine characterе; addunt nempe inter viuentes hactenus deprehendiſſe characteris naturam, & eſſentiâ: fruſtra ergo datur huiuſmodi character.

Reſpondeo. Reſpondeo, conceſſo vtroque antecedente, negando conſecutionem: non enim Deus inſtituit characterem ad hoc vt dignoſceret cultores religionis Chriſtianæ, ſed ad decorem, & ornamentum cuiuſlibet Chriſtiani, & ad hoc vt iſti ſeparentur à quibuſuis alijs gentibus, vt docent Patres citati. Deinde, quemadmodum potuit Deus conducere homines ad vitam æternam ſine gratia gratum faciente, neque tamen id facit; ità licet in poteſtate Dei fuerit homines Chriſtianos donare beatitudine æterna abſque vllo characterе ſpirituali; nihilominus id præſtare noluit, ac proinde characteris productio refundenda eſt in ſolum Dei placitum, veluti in cauſam præcipuam, in ſacramentum verò veluti in cauſam inſtrumentalem. Denique, licet nullus in hac vita conſtitutus characterem deprehendat, indubitatum tamen eſt conſtituros in cœlis ipſum perfectiſſimè deprehendere, & item in purgatorio; imò & in inferno: manet enim character in iſtis ad eorum ignominiam, in agentibus verò in cœlo, & in purgatorio ad eorum gloriam, cum medio iſto characterе agnoſcantur tanquam inuicti milites Chriſti.

Character à gratia gratum faciente realiter diſtinguitur. Quæres, *An character productus à ſacramento diſtinguatur à gratia gratum faciente, producta ab eodem ſacramento.* Reſpondetur diſtingui; producitur enim interdum character ſine gratia, vt patet in eo qui cum complacentia peccati mortalis, ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, conſequitur: gratia item producitur ſine characterе; is ſiquidem qui martyrium nomine Chriſti ſuſtinet, antequam de facto baptizetur, vere conſequitur ſalutem & dignitatem martyrii, minimè verò characterem ſacramenti baptiſmatis, cum hic producatur tantum ab hoc ſacramento, quandocumque de facto alicui applicatur. Deinde, quæ diſtinctis realiter inſunt ſubiectis, diſtinguuntur quoque hæc inter ſe realiter: atqui ex doctrina ſaltem D. Thom. in tractatione de gratia, hæc recipitur in animę eſſentia, tanquam in ſubiecto proximo, character verò ex opinione eiuſdem D. Thom. recipitur in intellectu, qui ex doctrina eiuſdem diſtinguitur realiter ab animæ eſſentia: ergo diſtinguitur realiter à gratia habituali.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit character.

Varię opiniones Scholaſticorum de natura characteris. SVNT qui putent, characterem ſacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, eſſe tantum relationem rationis, ità Durandus in 4. diſtinct. 4. quæſt. 2. Alij verò eſſe relationem realem: ità Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 10. Probat Durand. ille, Scotus.

Digitized by Google

ille, quia poſita hac opinione facillimo negotio intelliguntur quæ dicuntur à Patribus & Concilijs de charactere. Deinde, quia illud idem videtur dicendum de charactere prædictorum ſacramentorum, quod de conſecratione baſilicæ alicuius, de creatione Magiſtratus, Doctoris, & ſimilium: atqui conſecratio dicit nudum reſpectũ rationis reſpectu baſilicæ conſecratę, itémque inſtitutio Iudicis, & creatio Doctoris, vt eſt per ſe notum: ergo character eſt relatio rationis. Scotus verò ſuam opinionem confirmat, ex eo quòd ſacra Concilia, itémque Patres affirment characterem eſſe ſignum aliquod ſpirituale, & indelebile, ſignũ autem dicit reſpectum realem ad rem ſignificatam: ergo.

Character non eſt relatio realis aut rationis. Conc. Trident.

Innocẽt. 3.

CONCLVSIO 1. *Character nec eſt reſpectus rationis, nec realis:* 1. pars Concluſionis probatur: Concilia, maximè verò Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9. definiunt ſacramenta Ordinis, Confirmationis, & Baptiſmi imprimere characterem ſpiritualem, & indelebilem: at quod imprimitur, quódque eſt res aliqua ſpiritualis, non eſt ens rationis, vt eſt per ſe notum: & in capite, Maioris, de baptiſmo, & eius effectu, docet Innocentius III. actionem ſacramentalem tunc temporis imprimere characterem, cùm nullum reperit obicem in ſuſcipiente ſacramentum: ergo, cùm terminus actionis realis ſit neceſſariò aliquid reale, character non erit ens rationis.

Deinde, eodem modo loquuntur Concilia, & Patres de cauſalitate gratiæ, & characteris: ergo cùm gratia producta à ſacramentis ſit entitas aliqua realis, illud idem erit dicendum de charactere.

Denique, definitiones de charactere poſitę ſunt à Concilijs contra hęreticos: certum eſt autem hęreticos numquam negaſſe aduenire reſpectum aliquem rationis, vel certè conſurgere ex eo quòd quis ſacramentum baptiſmi v. g. eſt conſequutus.

Character eſt res aliqua abſoluta realis.

Secunda verò pars Cõcluſionis probatur: Terminus alicuius actionis realis debet eſſe neceſſario res aliqua abſoluta; docet enim Ariſtotelis lib. 5. phyſicorum, ad relationem non eſſe motum, ſeu quod idem eſt, relationem non produci per verum, & realem aliquem motum: ergo cùm character ſit terminus illius actionis, quam Deus exercet tanquam cauſa principalis, & ſacramentum tanquam cauſa inſtrumentaria, quotieſcumque applicatur alicui ſacramentum baptiſmatis, character erit res aliqua abſoluta, non autem reſpectiua.

Deinde, ſi character eſſet relatio realis, haberet etiam hic fundamentum aliquod cũ quo eſt idem realiter: eſt enim verior eorum opinio, quæ aſſerit relationem realem non diſtingui realiter, ſed tantum formaliter à ſuo fundamento, vt conſtat ex ſimilitudine, æqualitate, & ſimilibus, quę ſunt idem cum earum fundamentis: atqui non poteſt dici quod ſit fundamentum characteris, ſi character ſit relatio realis: nam vel eſſet anima, vel potentia eiuſdem, vel fides, ſpes, charitas, aut aliquod aliud donum infuſum; quorum tamen nullum dici poteſt, alioquin vbicumque daretur anima, admittendus ibidem eſſet character, qui tamen reperitur in homine interdum ſinè vllo dono habituali ordinis ſupernaturalis, vt patet in hæretico, & infideli, qui cum complacentia infidelitatis ſacramentum baptiſmatis v. g. conſequitur.

Tertiò, relatio realis conſequitur ſemper ad productionem alicuius rei, quæ de facto producitur de nouo; at non poteſt dici quid ſit illud quod producitur à ſacramento quamdocumque conſurgit relatio, quæ dicitur character ab illis authoribus: ergo, &c.

Denique, omnis relatio realis vendicat ſibi duo extrema realia, & item fundamentum reale; at extrema illius relationis nequeunt aſſignari.

Character eſt qualitas quædã abſoluta, ſpiritualis & indelebilis ab anima. D. Thom. Suar. Dionyſ.

CONCLVSIO 2. *Character eſt qualitas aliqua abſoluta ſpiritualis & indelebilis ab anima:* hęc Concluſio tres habet partes. 1. probatur, quia definitur à D. Th. art. 2. huius quęſt. Suare diſp. 11. ſect. 2. Secundo. Character confert ſanctitatem aliquam, ex cap. 2. libri Eccleſiaſt. hierarch. Dionyſij: ergo quemadmodum ſanctitas formalis iuſtificans hominem, eſt realis aliqua qualitas, vt docent omnes in tractatione de gratia: ità character erit qualitas aliqua.

Deinde, conuenit inter omnes Theologos ſcholaſticos in 4. diſtinct. 5. & 6. characterem, aut eſſe relationem, aut certe qualitatem; at docuimus, Concluſione proxime antecedente, non eſſe relationem: ergo eſt qualitas.

Probatur quod ſit ſpiritualis. Florent. Trident.

Secunda vero pars Concluſionis definita fuit ab Eugenio IV. in decreto fidei, quod extat poſt ſeſſ. vltimam Concilij Florentini, & à Patribus Concilij Trident. ſeſſ. 7. can. 9. dicitur enim illic verbis expreſſis, characterem eſſe ſignum ſpirituale.

Deinde, quod recipitur in anima, tanquam in ſubiecto inhæſionis, eſt neceſſario realitas aliqua ſpiritualis: at de fide eſt characterem recipi in anima illius, qui ſacramentum Baptiſmatis, Ordinis, & Confirmationis conſequitur.

Quod character ſit indelebilis probatur.

Tertia denique pars, eſt D. Thom. artic. 5. ad 3. & omnium plane Sententiariorum in 4. diſt. 4. alijs 5. alijs 6. Deinde eſt verbis expreſſis definita in Tridentino, loco proxime cit. Accedit communis opinio Patrum, locis citatis Dubit. 1. huius quæſt.

Quarto, baptizatus, aut etiam ſacris ordinibus initiatus, ſi, ex hypotheſi à Deo poſt mortem ſuſcitaretur, hic non poſſet rebaptizari, neque rurſus ordinari; propterea enim Concilium Trident. & Florentinum locis ſuprà cit. volunt ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis iterari non poſſe, quod hæc imprimant characterem: ergo character debet eſſe neceſſario indelebilis.

Obiectio.

Dices, characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam habitualem obtinendam; ac proinde contraria diſpoſitione in eo qui habet characterem deſtruetur character; quemadmodum interueniente frigore in ſummo gradu, deſtruitur forma ignis.

Character non eſt diſpoſitio ad gratiã, nec contra.

Reſpondeo, negando antecedens, non enim diſponit per ſe, & ſua natura character ad gratiam habitualem obtinendam; ſed tantum ex conſequenti, ſeu ſecundario, putà, quia Deus voluit ab vno & eodem ſacramento, baptiſmatis v. g. produci ſimul & characterem & gratiam: vere tamen & de facto character non eſt diſpoſitio ad ad gratiam: nec è contrà, gratia ad characterem: quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, ad hoc vt poſita contraria diſpoſitione gratiæ, in eo ſubiecto in quo eſt character, poſſit deſtrui in tali ſubiecto. Deinde, nihil eſt in naturæ vniuerſitate, quod ſit contrarium characteri; ac proinde non poterit hic remoueri à ſubiecto per vllam plane rem creatam de lege communi. Neque hoc mirum alicui videri debet; eadem quippe ratione qua communiter docent philoſophi cœlos eſſe incor-

Digitized by Google

ruptibiles, quod careant principio ſibi intrinſeco agente in interitum eorum, & item externo aliquo naturali: ità character dicitur indelebilis, ſeu incorruptibilis, quia non habet vllam rem ſibi contrariam, quódque careat principio aliquo intrinſeco à quo corrumpi poſſit: non eſt tamen negandum characterem hunc in ordine ad Deum eſſe corruptibilem: ſi enim Deus deſineret eum conſeruare, ſtatim in nihilum redigeretur, cùm eâdem facilitate, qua producitur character ab ipſo, & conſeruatur, eâdem quoque poſſit & ab eodem deſtrui: ità communiter omnes ad art. 5. D. Thom.

Character in ordine ad diuinã potentiam eſt corruptibilis.

Character realiter diſtinguitur ab anima cui imprimitur.

Conclvsio vltima: *Character diſtinguitur realiter ab anima cui impreſſus eſt.* Probatur 1. Omne accidens abſolutum diſtinguitur realiter à ſubſtantia cui ineſt: atqui character eſt accidens, ex 2. Concluſione, quod aduenit animæ rationali quæ ſubſtantia eſt: ergo diſtinguitur realiter ab illa.

Deinde, idem eſt iudicium de charactere comparato cũ anima, ceteris tamen paribus, ac de fide, ſpe, & charitate: atqui tres iſtæ virtutes diſtinguuntur inter ſe realiter, omnium conſenſione, ab anima rationali: ergo & character.

Diſſolutio argument. 1.

Ad rationes verò Authorum prioris ſententiæ reſp. Ad 1. quæ videntur nobis conſona rationi, non ſemper eſſe vera, ſaltem ſi ſermo ſit de rebus pertinentibus ad fidem Catholicam, nam ratio naturalis dictat vnius eſſentiæ vnam tantùm eſſe ſubſiſtentiam; & tamen fides docet eſſentiam diuinam ſubſiſtere triplici ſubſiſtentia relatiua: ità ergo, licet poſita opinione eorum, qui dicunt characterem eſſe relationem rationis, poſſimus defendere quę traduntur à Conciliis de charactere, non tamen ſequitur eſſe veram.

2.

Ad 2. reſpondeo, non eſſe parem rationem inter baſilicam, quæ conſecratur, iudicem qui inſtituitur à principe, & inter eos qui baptizantur, confirmantur, & ordinantur; baſilica ſiquidem, cùm ſit res aliqua inſenſilis, & corporea, incapax eſt ſanctitatis formalis, & intrinſecæ; princeps item nequit aliquid conferre iudici per quod cõmunicet illi iudiciariam poteſtatem: Deus autem qui baptizat præcipuè, cum ſit ſummè potens, poteſt dona aliqua conferre, per quæ intrinſecè deputantur homines, vel ad ſacramenta alia ſuſcipienda, vel adminiſtranda; hoc autem præſtat character, qui recipi poteſt in anima illius qui ſacramenta proximè commemorata conſequitur.

Vltim. Signum bifariam accipitur.

Ad vltimam quæ eſt Scoti, reſpondeo ſignum vſurpari duobus modis: pro relatione ſcilicet, vel pro eo quod refertur ad rem ſignificatam. Deinde, pro forma, ſeu figura, quæ imprimitur alicui ad hoc vt diſtinguatur à cæteris alijs rebus: hac ratione Circumciſio dicitur (ſignum) à Paulo in epiſtol. ad Romanos. Quando ergo ſacra Concilia definiunt characterem eſſe ſignum, nomine ſigni ſignificatur forma, ſeu figura tantùm, quæ imprimitur per ſacramenta; per iſtam enim formam, ſeu ſignum impreſſum per ſacramenta proximè commemorata, diſtinguuntur baptizati, confirmati, & ordinati, à non baptizatis, non confirmatis, & denique non ordinatis. Sunt qui etiam fateantur nomine ſigni ſignificare Patres, & Concilia relationem, ſeu id quod refertur ad rem ſignificatam. Ceterum addunt relationem iſtam non eſſe de natura characteris, ſed eſſe quid conſequens, eiuſdem naturam & eſſentiam.

Rom. 4.

DVBITATIO TERTIA.

In qua ſpecie qualitatis ſit character.

Character non eſt qualitas quarta ſpeciei, ſiue forma aut figura.

Conclvsio 1. *Character non eſt in quarta ſpecie qualitatis, nempe in forma, vel figura,* nam in hac ſpecie ſedem habent tantum qualitates illæ, quæ conſequuntur quantitatem, ex communi doctrina Theologorum, & Philoſophorum: at character non eſt quid conſequens quantitatem, cùm ſit hic res aliqua ſpiritualis, & recipiatur in anima rationali tanquam in ſubjecto.

Character non eſt in 3. ſpecie qualitatis, ſiue in paſſione & patibili qualitate.

Conclvsio. 2. *Character non collocatur in tertia ſpecie, nempe in paſſione & patibili qualitate:* hæc eſt contra Okam quæſt. 4. lib. 4. & contra quoſdam Recentiores. Primùm, quia ſub hac ſpecie locantur illæ tantùm qualitates, quę vim, & paſſionem quamdam inferunt ſenſibus externis ex communi doctrina philoſophorum: certum autem eſt characterem nullam inferre vim ſenſibus externis, aut internis.

Deinde, licet iracundia, & amentia ſedem habeant in tertia ſpecie qualitatis, ex doctrina Ariſt. in cap. de qualitate, & amentia videatur eſſe aliqua qualitas ſpiritualis, certum tamen eſt amentiam pendere in nobis à ſenſibus externis, & internis vitiatis & deprauatis, ac proinde qualitates iſtæ aliqua ratione cẽſentur eſſe ſenſiles, & inferre paſſionem aliquam ſenſibus.

Tertiò, ratio cur iſti authores exiſtiment characterem conſtitui in tertia ſpecie qualitatis redditur, quia character eſt lumen ſpirituale ſyndereſeos: atqui hæc ratio probat potius collocari in prima ſpecie: nam cum lumen ſpirituale iuuet intellectum in intelligendo, & habitus intellectiui ſint in prima ſpecie qualitatis, ibidem etiam collocabitur character.

Obiectio.

Obijciunt recentiores. Omnis forma quæ non eſt operatiua, ſed tantum ad decorem & perfectionem naturæ, ſedem habet in tertia ſpecie qualitatis: at character non eſt res operatiua, ſed tantùm ad decorem efformata: ergo.

Reſponſio.

Reſp. maiorem non eſſe ſatis certam, Gabriel enim Vazquez diſp. 134. & plerique alij Recentiores, putant eſſe formam ad naturę decorem productam tantùm, miniméque operatiuam, & tamen character ex iſtorum ſententia locatur in prima ſpecie qualitatis; non autem in tertia. Secundo reſpondeo, quidquid ſit de maiori, negando minorem; dicemus enim characterem eſſe potentiam ordinatam ad cetera ſacramenta ſuſcipienda, vel adminiſtranda, & ad fidem noſtram profitendam: ergo nulli mirum videri debet ſi character non collocetur in tertia ſpecie qualitatis.

Character non collocatur in prima ſpecie qualitatis, ſiue habitu & diſpoſitione.

Conclvsio 3. *Character non eſt in habitu, ſeu diſpoſitione.* Primùm, quia omnis habitus intenditur, & remittitur, fatentur enim omnes philoſophi medijs actibus intendi omnes habitus acquiſitos: fides verò docet charitatem intendi, Ioannis 15. *Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam*, &c. & de fide dicitur Lucæ 17. *Domine adauge nobis fidem*: ac proinde habitus per ſe infuſi intenduntur medijs actibus meritorijs, omnium Catholicorum conſenſu: certum autem eſt characterem nullo modo intendi, neque remitti:

Ioann. 15. Luc. 17.

Digitized by Google

mitti: ergo repugnat characterem eſſe habitum.

Deinde, omnes habitus ſunt ad vnum determinati; omnes enim, vel ſunt honeſti, vel ſunt vitioſi, ſi ſermo ſit de illis qui recipiuntur in voluntate; ſi verò agatur de illis qui recipiuntur in intellectu, iuuant intellectum ad intelligendum: atqui character eſt indefinitus, & indeterminatus ad hoc, vt quis bene vel male operetur, poteſt enim aliquis propter vanam gloriam ſacramentum Ordinis adminiſtrare, & item propter ſolam Dei gloriam.

Character eſt quædam qualitas 2. ſpeciei ſine potentia ſupernaturalis.

CONCLVSIO VLTIMA, *Character ſedem habet in ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt potentia naturalis, & impotentia:* ità D. Thom. art. 2. huius quæſt. & ceteri omnes Thomiſtæ. Et videtur eſſe mens D. Auguſt. in lib. contra Donatiſtas, vbi dicit hæreticos retinere potentiam ad ſacramentum baptiſmi conferendum, quia retinent characterem, quem conſequuti ſunt dum fuerunt baptizati.

Probat. 1.

2. Deinde, in rebus naturalibus conceduntur multæ potentiæ: ergo illud idem erit dicendum in rebus ſupernaturalibus; potentiæ autem iſtæ ſupernaturales ſunt characteres.

3. Tertio, qui non eſt baptizatus ceteta ſacramenta nequit vlla ratione ſuſcipere, bene tamen qui baptizatus eſt: qui item non eſt conſecratus non poteſt Euchariſtiam conficere; bene tamen qui habet characterem Ordinis ſacerdotalis: ergo characteres iſti debent eſſe neceſſario potentiæ aliquæ.

Vltima. Vltimo, ſancti Patres docent de baptiſmo, quod ſit ianua ceterorum ſacramentorum: at hac ratione loquendi nihil aliud videntur velle, quàm ſacramentum baptiſmi conferre potentiam ad cetera ſacramenta ſuſcipienda.

Obiectio. Obijcies, qui non eſt Confirmatus, non minùs poſſe fidem profiteri publicè, quàm faciat is qui eſt Confirmatus, modo tamen habuerit fidem infuſam; qui non eſt item conſequutus characterem Subdiaconatus, epiſtolam legit in Eccleſia Dei: ergo character non eſt potentia ad cetera ſacramenta adminiſtranda.

Reſponſio. Reſp. eum qui non eſt Subdiaconus epiſtolam legere poſſe, itémque eum qui non eſt Confirmatus fidem publice confiteri poſſe, non tamen ex officio, quemadmodum is qui eſt Subdiaconus & qui eſt Confirmatus; ac proinde docemur de charactere, quod ſit potentia ad ſacramenta adminiſtranda, & ad ea quæ ſunt cultus diuini exercenda, non quouis modo, ſed ex officio tantum. Illuſtratur exemplo grauitatis, & leuitatis; grauitas enim eſt potentia quædam, per quam res naturaliter tendit deorſum, leuitas verò, per quam ſurſum; & tamen indubitatum eſt multa, quæ non ſunt grauia, poſſe ferri deorſum, per vim impreſſam ſibi ab homine, vel ab aliquo alio agente naturali, vt lapis ſurſum, propter vim externam alicuius agentis naturalis fertur: ergo quemadmodú in iſtis facultas naturalis eſt ad vnum determinata naturaliter, & tamen per accidens contingit longe aliter res naturales operari, ità etiam ex officio ſoli illi qui habent characterem, ſacramentum conficere, & adminiſtrare poſſunt; per accidens verò illi qui carent charactere.

Inſtantia. Inſtabis: ſi ità res haberet, ſequeretur confeſſionem imprimere characterem; hæc enim

Satisfit. facit vt quis digne Euchariſtiam conſequi poſſit.

Reſp. negando illationem antecedentis; confeſſio enim ſacramentalis tantum remouet peccatum mortale quod impediebat, ne quis digne Euchariſtiam ſumeret: abſolute tamen poteſt aliquis ſine confeſſione Euchariſtiam ſumere, vt patet ex ijs qui nullo peccato mortali notantur, & ex pueris baptizatis, quibus temporibus primitiuæ Eccleſiæ dabatur ſacra communio poſt baptiſmatis ſuſceptionem.

Obiectio Durand. Obijciunt Durandus, & Aureolus, miniſtrum cuiuſlibet ſacramenti non aliter adminiſtrare ſacramenta, quàm ipſamet ſacramenta cauſant gratiam; hanc autem producunt ſacramenta ſine vllo charactere.

Reſponſio. Reſp. longe aliter miniſtros ſacramentorum producere gratiam, quàm faciant ipſa ſacramenta in ordine ad vim quæ deſideratur in ſacramentis, & in miniſtris eorumdem; vis enim adminiſtrandi & producendi gratiam in miniſtris, debet eſſe res aliqua permanens, idque quod miniſter à ſua conſecratione cenſeatur eſſe ſemper miniſter ſacramenti; vis vero productiua gratiæ in ſacramentis, excepta tamen Euchariſtia, non eſt permanens, ſed tranſiens, & aſſiſtens, ac proinde non eſt mirum ſi miniſter ſacramentorum ex officio habeat characterem tanquam potentiam permanentem, ad hoc vt gratiam producere poſſit, ſacramentum vero minime; aqua enim v. g. & verba iſta; *Ego baptizo te, &c.* habent tantum rationem materiæ, & formæ ſacramenti baptiſmatis, quamdiu vſurpantur de facto, ad confectionem ſacramenti baptiſmi.

Obiectio Vazquez. Gabr. vero Vazquez, & Suarez ità obijciunt: Quod non eſt principium productiuum alicuius actus, id nequit etiam habere rationem potentiæ: quemadmodum enim habitus ſunt propter actus, ità & potentia, vt eſt per ſe notum ex potentia viſiua & alijs: at character non eſt principium productiuum alicuius actus; ſi enim v. g. character Confirmationis ordinaretur ad aliquem actum producendum, is eſſet fidei confeſſio publica; at hæc tota eſt ab habitu fidei, & ab auxilio ſpeciali, quod datur homini quotieſcumque tenetur publicè confiteri fidem, vt manifeſtè colligitur ex Martyribus, qui fuerunt in veteri Teſtamento, & ex ijs qui vixerunt in lege gratiæ, & perſeuerauerunt in eadem ad vltimum vſque vitæ ſpiritum, ſine ſuſceptione ſacramenti Confirmationis. Character item Ordinis ſacerdotalis ſi ordinatur ad aliquem actum producendum, is certe eſt conſecratio ſanctiſſimi ſacramenti, quæ ſecundum ſuam ſubſtantiam tam vere eſſe poteſt ab eo, qui non eſt Sacerdos, quàm à Sacerdote, hoc vnico tamen excepto: quod conſecratio facta à Sacerdote ſubſtantiam panis, & vini vere conuertat in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti; minime verò præſtabit is qui non eſt Sacerdos: ceterum diuerſitas iſta non eſt repetenda ex charactere, ſed ex diuina ordinatione, quæ noluit quempiam conuertere ſubſtantiam panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Chriſti, niſi hic haberet characterem ſacerdotalem.

Reſponſio 1. Reſpondeo primo, maiorem non eſſe ſimpliciter veram; hæc enim locum tantum habet in potentijs actiuis, non autem in paſſiuis, vt manifeſte colligitur ex materia prima in qua datur potentia ad omnes formas naturales recipiendas, & tamen non eſt actiua, ſeu nullos producit actus, vt communiter fatentur omnes Thomiſtæ.

Digitized by Google

Reſpondeo 2. ad minorem; Characterem Confirmationis ordinari ad producendum actum, qui eſt fidei confeſſio, non quidem præciſe quatenus eſt fidei confeſſio, ità enim actus hic producitur tantum à virtute fidei, & ab auxilio ſpeciali diuino, vt bene probat argumentum; ſed, vt eſt actus publicus confeſſionis fidei ex officio ab homine factus, ſolus enim Confirmatus ex officio tenetur fidem publicè profiteri: ſimiliter character ordinis ſacerdotalis ex officio facit, vt quis Euchariſtiam conficiat: per omnipotentiam Dei tamen, & abſolutè loquendo, aliquis alius qui non haberet characterem ſacerdotalem Euchariſtiam conficere poſſet, quemadmodum & Chriſtus id præſtitit; ac proinde falſum eſt, quod iſti authores aſſerunt, characterem ſe habere tantum vt conditionem ad cetera ſacramenta ſuſcipienda, non autem habere rationem potentiæ.

Obijcit Vazquez.

Denique obijcit Vazquez: potentia naturalis propterea cenſetur talis, quod hæc ſit inſita rebus à natura, & quod aliunde minimè ſit petita; certum autem eſt characterem aliunde aduenire animæ rationali.

Potentiæ naturales ſunt inſitæ rebus à natura, ſupernaturales nequaquã.

Reſpondeo, maiorem propoſitionem eſſe veram, in ſolis potentijs naturalibus, de quibus tantum videtur egiſſe Ariſt. in capite de qualitate: potentia autem ſupernaturalis, qualem exiſtimamus characterem eſſe, ſupponit naturam, & ineſt alicui potentiæ naturali: gratia enim perficit naturam omnium Theologorum conſenſione, ac proinde character reuocatur ad intellectum, in eóque recipitur tanquam in ſubiecto, vt probabitur Dubitatione proximè ſequenti.

DVBITATIO VLTIMA.

Quod ſit proximum & immediatum ſubiectum characteris.

SVNT qui putent characterem proximè, & immediatè recipi in animæ eſſentia: ità Gabriel diſt. 6. probat: quia ſignum debet recipi in ea parte in qua recipitur res ſignificata per huiuſmodi ſignum; gratia autem quæ ſignificatur per characterem recipitur in animæ eſſentia immediatè. Deinde, per characterem ſignatur homo, & deſtinatur ad ſacramenta adminiſtranda: ergo ponitur in eſſentia animæ.

Fũdament. Vazquez.

Eamdem ſententiam defendunt Vazquez diſp. 134. cap. 4. & Suarez diſp. 11. ſect. 4. probant. Quando (inquiunt) aliquid confertur alteri tanquam ſignũ, quo deſtinatur aliquis ad aliquod officium exercendum, & per quod diſtinguitur à ceteris alijs, ſignum hoc debet collocari proximè in ea parte, quæ notior eſt nobis, & quæ prius poteſt repræſentare eiuſmodi diſtinctionem, &, deſtinationem ad officium tale exercendum: atqui character confertur homini tanquam ſignum, quo diſtinguitur ab illis omnibus, qui carent huiuſmodi characte re, & quo deſignantur ad ſacramenta aliqua adminiſtranda: ergo cum eſſentia animæ ſit notior nobis, & prior ſaltem natura ſuis facultatibus, ac proinde magis apta ad ſignificandam diſtinctionem, & deſtinationem ad ſacramenta adminiſtranda, in hac proximè, & immediate recipietur character. Deinde, character non eſt principium productiuum alicuius actus pertinentis ad fidem, neq; item ad adminiſtrationem ſacramentorum: ergo non collocabitur character in intellectu, ſed in animæ eſſentia.

CONCLVSIO. *Character recipitur in intellectu tanquam in ſubiecto proximo, & immediato:* ità D. Thom. art. 4. huius quæſtionis, Ægidius Romanus, in tractatu de characte re & omnes Thomiſtæ.

Subiectum immediatũ characteris eſt intellectus.

Deinde, character debet recipi proximo, vel in animæ eſſentia, vel in potentijs eiuſdem, non enim datur aliquid aliud in nobis quod ſit ſpirituale: at non recipitur character proxime in animæ eſſentia, quia hæc perficitur cũmulatiſſime per gratiam gratum facientem, quæ in ea recipitur, ex doctrina D. Thomæ, idque quod diſtinguatur realiter à charitate ex eodem: neque item in voluntate recipitur; in hac enim tantùm ſedem habent habitus honeſti, & vitioſi determinati ad bene, vel male agendum: neque etiam in memoria; quoniam in hac locantur tantum ſpecies intelligibiles: ergo character erit in intellectu tanquam in ſubiecto proximo.

Tertio, Character cenſetur eſſe potentia ad cetera ſacramenta ſuſcipienda, vel adminiſtranda, ex D. Thom. artic. 2. huius quæſt. ergo cum ſacramentorum adminiſtratio, ſit quædam fidei noſtræ profeſſio, & fides recipiatur in intellectu proxime, illic etiam recipietur character: debet enim in illa eadem facultate eſſe præſidium operandi, in qua eſt difficultas agendi, ex doctrina D. Thom. in tract. de habitibus: difficultas autem adminiſtrandi ſacramenta eſt in intellectu, hic enim eſt qui dictat, qua ratione ſacramenta ſint adminiſtranda.

Quartò, character maiorẽ dicit conuenientiam cum fide, quàm cum alia virtute ordinis ſupernaturalis; datur enim hic in nobis ad actus fidei exercendos præcipue: ergo recipietur character proxime in intellectu.

Denique, D. Dionyſius appellat characterẽ lumen aliquod ſpirituale; lumen autem cum iuuet intellectum in intelligendo, debet in eodem quoque aliqua ratione recipi, & immediate. *Dionyſ.*

Obiectio. Reſponſio.

Obijcies, potentias omnes recipi proxime in eſſentia. Reſp. hoc eſſe verum de potentijs naturalibus; ſupernaturales tamen recipiuntur in potentijs naturalibus; ac proinde nulli mirum videri debet ſi character ponatur à nobis in intellectu.

Durandi obiectio.

Vrget Durandus, nihil collocandum eſſe in intellectu, quod non iuuet intellectum in intelligendo; characterem autem non poſſe illum iuuare, ad hoc vt intelligat; non enim eſt character intellectiuus, ſeu cognoſcitiuus: propter hoc argumentum multi deſerunt ſententiam D. Thomæ.

Satisfit

Reſp. tamen, characterem iuuare intellectum, ad hoc vt intelligat non quidem ſimpliciter, & abſolute, ſed tantum ad hoc vt intelligat ſe aliquid præſtare ex officio; & item ad hoc vt eius intellectio ſit efficax reſpectu adminiſtrationis ſacramentorum, & confeſſionis fidei: tota enim ratio cur adminiſtratio alicuius ſacramenti ſit efficax, refundenda eſt in characterem, qui datur in eo qui ſacramenta adminiſtrat ex officio.

Quomodo character iuuet intellectũ ad intelligendũ.

Inſtantia.

Inſtant, nedum intellectum, ſed etiam voluntatem, & potentias inferiores aliquas concurrere ad ſacramentorum adminiſtrationem, ac proinde in iſtis etiam potentijs locandum eſſe characterem.

Reſpondeo,

Digitized by Google

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem; quemadmodum enim prudentia ſedem habet in ſolo intellectu, licet hæc actus ceterarum virtutum dirigat, & ordinet; ità character in ſolo intellectu locabitur: hic enim eſt qui quodammodo dirigit voluntatem adminiſtrandi ſacramenta, & ordinat externam executionem. A

Interrogatio. ROGABIS, *Quî fiat, vt virtus productiua gratiæ in homine medio ſacramento aliquo, ſit in eo qualitas aliqua abſoluta, & permanens; in Chriſto autem, quatenus homo, vis faciendi miracula non fuerit qualitas permanens, ſed tantùm tranſiens.*

Reſponſio. Reſpond. diſcrimen hoc refundendum eſſe in illud, quòd vis productiua gratiæ in homine miniſtrante ſacramenta ſit ad vnum effectum determinata, nempe ad producendam gratiam, vel characterem; effectus autem determinati à cauſa determinata produci poſſunt: vis verò productiua miraculorum in humanitate Chriſti non fuit ad vnum effectum producendum tantum determinata, ſed reſpiciebat quodcumque opus miraculoſum producibile, ſeu poſſibile; ac proinde, quemadmodum ad producendum quodlibet poſſibile, deſideratur omnipotentia quæ eſt ſimpliciter infinita; non autem potentia aliqua certa, & determinate finita: ita potentia faciendi miracula in Chriſto, non fuit qualitas aliqua habitualis, ſed tantum aſſiſtens: character verò, quia certos aliquos reſpicit effectus, eſt qualitas aliqua habitualis, & permanens. B C

Cur vis productiua miraculorum ſit trãſiens & aſſiſtens, & nõ habitualis vel permanens. Contraria ſententia argumenta ſoluuntur.

Ad rationes verò dubitandi prioris ſententiæ, reſpond. Ad 1. negando propoſitionem maiorem, hęc enim ſi vera eſſet, veſtigium & pes in vno & eõdem planè eſſent loco, & idem dicendum eſſet de fumo, & igne, quod tamen manifeſtè falſum eſt: ſaltem id non eſt ſimpliciter neceſſarium, vt eſt per ſe notum.

Ad 1. 2.

Ad 2. Characterę conſignari, & deputari hominem ad ſacramenta adminiſtranda: ex his tamen non licet colligere characterem recipi proximè & immediatè in animę eſſentia: Iudex enim hoc ipſo quod inſtituitur iudex à principe, conſequitur poteſtatem iudiciariam ſola denominatione extrinſeca, ac proinde quæ nõ recipitur proximè in eſſentia huiuſmodi iudicis: at character eſt qualitas aliqua realis recepta in intellectu illius, qui deputatur ad ſacramenta adminiſtranda. D

3. Ad 3. nego maiorem: relatio ſiquidem eſt veluti ſignum aliquod, quo cognoſcimus vnum extremum diſtingui ab alio; & tamen relatio hæc non ſemper recipitur in eſſentia extremi, ſed in accidente aliquo eiuſdem, vt patet exemplo ſimilitudinis quæ identificatur cum albedine, & ex æqualitate quæ ſimiliter eſt idem cùm quantitate; & tamen v. g. paries albus habet rationem vnius extremi, ità vt dicatur ſimilis alteri parieti albo: ſimiliter licet character ſit ſignum quo intelligimus hominem eſſe deſtinatum ad ſacramenta adminiſtranda; & diſtingui ab illis omnibus qui carent huiuſmodi charactere, non erit neceſſe hunc recipi proximè, & immediatè in eſſentia hominis, ſed ſatis erit ſi recipiatur in intellectu, vel certe in animę eſſentia: ità enim facilè intelligemus hominem & eſſe conſignatum & deſtinatum ad ſacramenta adminiſtranda. E

In 3. partem D. Thom.

Ad vltimam, characterem conducere ad actus fidei excercendos, & ad ſacramenta conferenda modo explicato. Ad id autem quod vrgent, characterem non poſſe conducere, vt quis intelligat. Reſpondeo hoc eſſe falſum, licet enim character non conducat ad intelligendum ſimpliciter, iuuat tamen vt quis intelligat ſe aliqua præſtare ex officio, vt monuimus in antecedentibus, maxime in ratione cauſæ moralis; quia enim ſcit ſe habere characterem ſacerdotalem, mouetur hoc ipſo ad hoc vt conficiat ſanctiſſimam Euchariſtam, quod nequaquam facit is, qui animaduertit ſe carere ſacerdotali charactere. 4

QVÆSTIO LXIV.

De miniſtro ſacramentorum.

ARTICVLO 1. docet D. Th. ſolum Deũ eſſe cauſam præcipuam, & principalem ſacramentorum; hominem verò cauſam inſtrumentalem.

ARTICVLO 2. ſolum Deum eſſe inſtitutorem.

ARTICVLO 3. Chriſtum, quatenus Deus eſt, operari effectum interiorem cuiuſlibet ſacramenti, quatenus verò homo eſt, concurrere ad hunc eumdem effectum vt inſtrumentum coniunctum diuinitati, & vt miniſter eſt.

ARTICVLO 4. Chriſtum non potuiſſe communicare poteſtatem authoritatis creaturæ puræ, ad hoc vt hæc ſacramenta adminiſtraret, & inſtitueret: potuiſſet tamen communicare eidem creaturæ poteſtatem excellentiæ quam habuit vt homo, per plenitudinem gratiæ, ita vt eius nomine ſacramenta inſtitueret & ſine ritu ſacramentorum, effectum ſacramenti conferret, ſolo imperio.

ARTICVLO 5. Sacramenta poſſe adminiſtrari à malis & perditis hominibus.

ARTICVLO 6. Malos miniſtros peccare mortaliter, ſacramenta adminiſtrando.

ARTICVLO 7. non Angelos, ſed homines eſſe de lege communi miniſtros ſacramentorum.

ARTICVLO 8. fidem miniſtri non requiri ad perfectionem ſacramenti, & infideles poſſe adminiſtrare ſacramenta, dummodo non omittant quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti.

ARTICVLO VLTIMO, intentionem miniſtri eſſe ſimpliciter neceſſariam ad validitatem ſacramenti.

Circa hos articulos agitandæ ſunt ſequentes Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quis sit institutor, & author sacramentorum.

Omnia sacramenta nouæ legis sunt immediate instituta à Christo.

CONCLVSIO 1. *Christus, quatenus Deus, est author omnium sacramentorum nouæ legis, idque in ratione causæ præcipuæ, & principalis:* hæc est de fide, expressè definita in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1 *Si quis dixerit, omnia & singula sacramenta nouæ legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta, anathema sit.*

Concil. Trident.

Deinde, sacramenta omnia legis Mosaïcæ, & naturalis sunt à Deo, veluti à causa præcipua, & principali instituta.

Tertiò, sacramenta sunt partes aliquæ legis euangelicæ: ergo, cùm lex euangelica tota sit à Christo, erunt etiam ab eodem sacramenta. Postremò, sacramenta nouæ legis sunt signa practica, infallibilia, & efficacia gratiæ; at solius Dei est instituere signa practica, efficacia & infallibilia gratiæ, quemadmodum gratia à solo Deo produci potest, ex illo Dauidis; *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: ità communiter omnes, articulo 3. huius quæst.

Psal. 83.

Christus vt homo meruit nobis sacramentorum institutionem.

CONCLVSIO 2. *Christus, quatenus homo, sua morte, & aliis actionibus liberis, quas in hac vita exercuit, institutionem sacramentorum promeruit.* Hæc est omnium planè Theologorum sententia. Deinde, Christus meruit nobis nedum vitam æternam, sed omne medium quod conducit de facto ad eamdem obtinendam, vt fatentur omnes cum D. Thom. in quæstione de Christi merito: at sacramenta sunt media quædam per quę consequimur vitam æternam, Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* Ioann. 6. *Qui manducat hunc panem, &c.* Denique Christus meruit nobis remissionem peccatorum, 1. Ioann. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c.* atqui peccata remittuntur nobis per sacramenta, Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.*

Marc. 16. Ioan. 6. 1. Ioan. 2. & 20.

Christus vt homo est causa efficiens sacramentorũ & gratiæ per eadem productæ.

CONCLVSIO VLTIMA: *Christus, quatenus homo, est causa effectiua sacramentorum nouæ legis, itémque gratiæ quæ producitur per sacramenta in ratione causæ efficientis instrumentariæ.* Prima pars Conclusionis probatur ex potestate excellentiæ, quæ admittitur à D. Thom. artic. 3. huius quæst. & ab omnibus Theologis in humanitate Christi, colligiturque ex capite 28. Matth. *Data (inquit) mihi est omnis potestas in cælo & in terra.* Matth. 9. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata:* at potestas ista respicit institutionem sacramentorum, ex doctrina D. Thom. articulo 3. huius quæst.

Matth. 28. & 9.

2. Deinde, de Christo dicitur, quòd sacramenta administret, Ioann. 1. & 1. Corinth. 3. docet enim illic Paulus nec Cepham, nec Apollinem, nec Paulum baptizare, sed Christum.

3. Tertiò, sacramenta dicuntur administrati à quibusuis sacerdotibus nomine Christi.

4. Quartò, hæc sacramenta sunt partes legis diuinæ: ergo sunt ex Christi institutione; Christus autem nedum Deus, sed etiam verus homo est.

Secunda vero pars Conclusionis; probatur. Primùm, humanitas Christi eodem modo producit gratiam per sacramenta, quo sacerdotes, & alij ministri; at sacerdotes, & alij ministri sacramentorum producunt gratiam istam cum sacramentis, in ratione causæ efficientis physicæ; vt Dubit. 3. probabitur.

Deinde, humanitas Christi est causa efficiens cuiuslibet operis miraculosi, vt docuimus in quæst. de potentia Christi faciendi miracula.

Tertiò, fatentur Patres, maximè vero Damasc. humanitatem Christi esse organum, seu instrumentum diuinitatis, respectu cuiuslibet gratiæ, quæ confertur à Deo mortalibus: at instrumentum reuocatur ad illud idem genus causæ, ad quod pertinet causa præcipua, & principalis: ergo cùm causa præcipua gratiæ quæ datur per sacramenta sit Deus, & hic sit causa efficiens physica gratiæ, illud idem erit de humanitate Christi dicendum: ità D. Thom. & alij nonnulli interpretes eiusdem.

Obiectio. Dices, Magistrum dist. 23. lib. 4. affirmare sacramentum extremę Vnctionis institutum fuisse à D. Iacobo: sunt etiam Scholastici nonnulli veteres, qui putarunt Confirmationem institutam fuisse in Concilio Meldensi.

Enervatur. Respondeo, opiniones istas carere omni probabilitate; diximus enim Concilium Tridentinum definisse omnia, & singula sacramenta nouę legis fuisse à Christo instituta. Deinde, idem Concil. sess. 14. ait D. Iacobum promulgasse sacramentum extremæ Vnctionis: promulgator autem non est institutor legis alicuius, saltem necessariò.

Tertiò, si vera esset istorum Doctorum opinio, possent hęc duo sacramenta authoritate Ecclesiæ irritari, & annihilari: certum enim est tantam esse potestatem Ecclesiæ quæ nunc est, quanta fuit Ecclesiæ potestas nascentis; aut illius quę ad nostra vsque tempora perseuerauit, videmus enim quę fuerunt ab Apostolis constituta, fuisse authoritate Eccl. się abrogata, vt constat ex ea lege, quæ habetur in Actis cap. 15. vbi vetatur vsus sanguinis animalis suffocati, qui tamen nostris temporibus est licitus. Polygamis etiam non licet ad statum clericalem transire ex doctrina Apostoli; sunt tamen innumeri qui affirment Panormitanum Bigamum, fuisse dispensatione Pontificis Maximi institutum sacerdotem; cum ergo conueniat inter omnes non esse in potestate Ecclesiæ tollere de medio sacramenta extremę Vnctionis, & Confirmationis, non fuerunt hęc duo ab Ecclesia, sed à Christo instituta.

DVBITATIO SECVNDA.

An potuerit Christus alicui puræ creaturæ communicare potestatem instituendi sacramenta quam habuit.

Partis negatiuæ fundamenta. SVNT qui putent etiam per omnipotentiam Dei id fieri non posse. Primùm, quia solius Dei est producere gratiam, ac proinde illius quoque tantùm erit decernere, & instituere media, per quæ efficaciter & infallibiliter producat gratiam; at sacramenta nouæ legis sunt media quæ efficaciter, & infallibiliter producunt gratiam: ergo, &c. 1.

Deinde, per sacramentum quodlibet nouæ legis, maximè vero baptismi, & Penitentiæ infinitiè infinita peccata deleri possunt: at vis infinita videtur ad huiusmodi effectum producendum necessaria: ergo cum vis infinita 2.

Digitized by Google

nita nequeat purę creaturę communicari, non poterit etiam poteſtas inſtituendi ſacramenta illi conferriri.

3. Denique, nulla potuit dari creatura quæ ſatisfaceret pro peccatis alienis, de toto rigore condignitatis operis, aut ex æqualitate iuſtitiæ, vt fatentur communiter omnes in tractatu de ſatisfactione Chriſti: ergo neque poteſt dari creatura pura, quę ſacramenta inſtituat; nam deſideratur illud idem ad inſtitutionem ſacramenti nouæ legis, quod eſt neceſſarium, ad hoc vt aliquis ſatisfaciat de toto rigore condignitatis: ità Scotus, & Durandus.

Potuit Chriſtus dare puræ creaturæ poteſtatẽ excellentiæ, ad ſacramenta inſtituenda.

CONCLVSIO. *Potuit Chriſtus alicui puræ creaturæ communicare poteſtatem, non quidem authoritatis, ſed excellentiæ, quam habuit, ad hoc vt ſacramenta nouæ legis inſtitueret.*

Poteſtas duplex vna auctoritatis, altera excellentiæ, & quid ſit vtraque.

Aduerte, poteſtatem authoritatis eſſe eam, quæ ſuos producit effectus independenter ab omni alia cauſa, & virtute, denotatúrque proinde nomine authoritatis ex multorum ſententia, quod authori ſoli naturæ, ſeu, quod idem eſt, Deo conueniat. Poteſtas verò excellentię, cenſetur eſſe ea, quę fuit in Chriſto quatenus homo eſt, propter plenitudinem gratię, quam habuit: dicitur autem poteſtas excellentiæ, quòd nobiliori, & perfectiori modo fuerit Chriſto conceſſa, quàm vlli alij creaturæ. Contendo ergo poteſtatem authoritatis non poſſe communicari creaturę purę, ad hoc vt ſacramenta inſtituat, bene tamen poteſtatem excellentiæ.

Poteſtas auctoritatis nulli puræ creaturæ communicari poteſt.

Prima pars Concluſionis probatur. Repugnat creaturam producere quidpiã independenter à Deo; quilibet enim effectus eſt magis à Deo, Optimo, Maximo, quàm ab vlla cauſa naturali, ex communi doctrina philoſophorum: ergo cùm nomine poteſtatis authoritatis, intelligatur vis, quæ ſuos producit effectus independenter ab omni alia cauſa, non poterit creatura vlla inſtituere ſacramenta.

Deinde, non eſt in poteſtate alicuius creaturæ determinare efficaciter voluntatem Dei ad producendum aliquem effectum: eſt enim quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra, ac proinde à ſeipſo determinatur Deus efficaciter ad quamlibet actionem externam producendam: ergo poteſtas authoritatis non poterit communicari creaturæ puræ, ad hoc vt ſacramenta inſtituat: ità D. Thom. artic. 4. huius quæſt. & interpretes omnes eiuſdem ibidem, Sententiarij item diſt. 5. lib. 4.

Secunda verò pars probatur. Sacramentum aliquod tunc temporis inſtituitur quamdocumque ceremonia aliqua definitur ad hoc, vt hæc ſit ſignum practicum, & efficax, ita vt infallibiliter producatur gratia à tali ceremonia, quotieſcumque hæc applicatur: at non repugnat creaturam aliquam puram definire, & determinare huiuſmodi ceremoniam, & conferre eidem hanc vim, vt quotieſcumque applicabitur alicui à debito miniſtro, conferatur eidem virtute talis ceremoniæ infallibiliter gratia gratum faciens (nam de fide eſt ſacerdotem inter abſoluendum verè abſoluere à peccatis, ac proinde verè conferre gratiam; non autem declarare tantum abſolutum eſſe hominem, vt definitum fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. can. 9.) ergo cum hæc præſtet ſacerdos per poteſtatem ſibi à Deo in ordinatione datam, poterit etiam Deus facere vt pura aliqua creatura inſtituat ceremoniam aliquam, quæ erit ſignum practicum, & efficax gratiæ idque infallibile; hoc autem nihil eſt aliud, quàm authorem eſſe ſacramentorum.

Secundò probatur. In lege naturali facta eſt poteſtas cultoribus illius legis, vt inſtituerent ceremonias ſacramentales, ex Deuter. 4. Deuter. 4.

Tertiò, non eſt magis difficile conferre poteſtatem inſtituendi ſacramenta alicui ſuppoſito creato, quàm alicui naturæ creatæ, omnia enim ex æquo ſubijciuntur omnipotentiæ diuinæ, ſaltem in ratione cauſę efficientis phyſicæ: at poteſtas inſtituendi ſacramenta fuit verè communicata humanę Chriſti naturæ, vt fatentur authores contrariæ ſententiæ, & ceteri omnes Theologi Scholaſtici: ergo poteſtas hæc poterit etiam dari alicui puro homini.

Quartò, poteſtas faciendi miracula tribuitur in ſacris literis ſoli Deo frequentiſſime, & tamen hæc eadem poteſtas dicitur communicata iuſtis, & ſanctis hominibus, Marci 16. & alibi ſæpe: ergo eadem facilitate qua poteſtas hęc communicatur hominibus, poterit etiam communicari poteſtas inſtituendi ſacramenta. Denique, dignitas capitis potuit alicui alteri à Chriſto competere, vt docuimus in tractat. de Incarnatione. Marc. 16.

Reſpõdetur probationibus concluſionis.

Reſpondent Authores contrariæ ſententiæ, rationibus iſtis probari tantùm creaturam puram diuina virtute poſſe inſtituere ceremoniam ſacramenti alicuius, minimè verò ſacramentum ipſum: nam ceremonia hæc inſtituta ab homine non haberet vim producendi gratiam infallibiliter ab homine qui eam inſtituit, ſed à ſolo Deo, & ab eius voluntate: ità Scotus, & Vazquez locis ſupra citatis.

Reijcitur reſponſio allata.

Ceterùm reſponſio hæc non minuit vim rationum allatarum; conuenit enim inter omnes, Deum poſſe producere, media quacumque re, illud omne quod poteſt media certa re creata: indubitatum autèm eſt ipſum producere gratiam gratum facientem, certò, & infallibiliter per Chriſti humanitatem, per ſacerdotem, & ceremonias ſacramentales à Chriſto inſtitutas: ergo illud idem faceret etiam Deus media ceremonia alia ab homine inſtituta: & item quemadmodum nunc ceremoniæ inſtitutæ habent vim producendi gratiam infallibiliter nedum à Deo, ſed & ab humana Chriſti natura: ità alia ceremonia ſacramentalis inſtituta ex hypotheſi ab illa pura creatura producet gratiam infallibiliter, dependenter à perſona à qua fuit inſtituta.

Deinde, ſupponunt Authores contrariæ ſententiæ, poteſtatem inſtituendi ſacramenta non pendere in ſuis actionibus exercendis ab vlla alia poteſtate ſuperiore, quod tamen patet eſſe falſum ex Chriſti natura, quæ verè ſacramenta inſtituit per poteſtatem excellentiæ quam habuit; quę tamen poteſtas ſuos producit effectus dependenter à Deo, ſeu, quod idem eſt, à poteſtate authoritatis.

Diſſoluũtur fundamenta contraria ſententiæ.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. probare tantum poteſtatem authoritatis non poſſe communicari creaturæ puræ, ad hoc vt ſacramenta inſtituat, quod nos vltro concedimus, minimè vero poteſtatem excellentiæ, de qua tamen hîc diſputatur: eadem quippe facilitate poterit communicari hęc poteſtas puræ *Ad 1.*

Digitized by Google

creaturæ, quàm collata fuit humanæ Christi naturæ.

Potestas excellentiæ nõ esset tá nobilis & prestans in pura creatura, ac est in Christo.

Moneo tamen, potestatem huiusmodi excellentiæ non futuram ità præstantem in pura creatura, quemadmodum fuit in humana Christi natura; hæc enim perfectionem aliquam mutuabatur à dignitate suppositi increati.

Ad 2.

Ad 2. Infinitam virtutem non esse necessariam in eo qui instituit sacramenta nouæ legis, tanquam causa minùs principali, & instrumentaria; nam de fide est sacerdotem verè absoluere in ratione causæ ministerialis, seu instrumentalis, & tamen certum est in sacerdote nullam dari potentiam simpliciter infinitam; potestas ergo infinita desideratur in authore sacramentorum præcipuo & principali, hic enim solus Deus esse potest, vt bene probant authores contrariæ sententiæ.

Ad 3.

Ad 3. Creaturam puram non posse satisfacere pro peccatis proprijs, vel alienis; eò quòd tanta debeat esse persona quæ satisfacit, quanta est persona læsa; certum autem est personam læsam esse Deum simpliciter infinitum, vnde cùm omnis persona creata sit finita, non poterit hæc satisfacere ad æqualitatem, vel de toto rigore condignitatis operis; poterit tamen creatura pura per omnipotentiam diuinam sacramenta instituere, cùm ad hoc non requiratur potentia infinita in causa secundaria & instrumentali, sed tantum in præcipua & principali.

Quomodo humana Christi natura dici potest causa principalis institutionis sacramentorum.

Aduerte tamen, humanam Christi naturam posse dici causam principalem institutionis sacramẽtorum, si comparetur cum sacerdotibus, & alijs ministris eorumdem: sacerdotes namque sunt instrumenta quędam separata, quibus vtitur humanitas Christi, velut organis quibusdam per quæ gratiam mortalibus confert; quia tamen humanitas Christi habet rationem instrumenti coniuncti diuinitati, ideò non dicitur simpliciter, & absolute causa præcipua institutionis sacramentorum, sed tantum secundaria, & instrumentalis.

Sunt qui hoc loco quęrant, *An humanitas Christi in dextera Patris constituta producat gratiam per sacramenta physicè, an verò moraliter:* ceterum res hęc manet satis explicata ex his quæ docuimus, sacramenta nempe esse causas physicas gratiæ quam producunt, non autem tantum morales: eadem enim facilitate potest humana Christi natura in dextera Patris constituta producere gratiam physicè, qua sacerdos qui sacramenta administrat; aut etiam ipsamet sacramenta per quæ humanitas Christi mortalibus quibusuis gratiam confert.

DVBITATIO TERTIA.

An sanctitas vitæ sit necessaria in ministro Sacramentorum ad validitatem eorum.

Varij errores hæreticorum.

FVERVNT antiquitus de hac re varij errores, Donatistæ siquidem, referente D. August. in lib. contra Cresconium Grammaticum, docuerunt per quodlibet peccatum mortale publicum & notorium, amitti potestatem administrandi sacramenta: idem docuerunt alij nonnulli temporibus D. Bernardi, vt constat ex serm. 66. in Cantica eiusdem. Istis verò successerunt

Donatistę.

VValdens.

postea VValdenses, seu, quod idem est, Pauperes de Lugduno, qui in eo fuerunt Donatistis deteriores, quòd crediderint principes, & reges spoliari dignitatibus suis & officijs interueniente quacumque culpa lethali occulta, vel manifesta, & idem docuerunt de sacerdotibus respectu dignitatis, & authoritatis quam habent, vt refert Thomas VValdensis lib. 2. de sacramentis. Placuit & hic error Ioanni VViclef, & Hussitis, vt referunt Hosius in confessione fidei, Cardinalis Bellarminus, & Alphonsus à Castro, & cæteri omnes qui contra hæreses scripserunt. Non fuit immunis ab hac nota Philippus Melanchon, licet postea hunc errorem emendauerit in suis locis communibus & item plerique Lutherani, vt referunt Bellarmin. & alij.

Pauperes de Lugduno.

Ioan. VViclef.

Hussitæ.

Melanch.

Lutheran.

Rationes hæreticorũ.

Istorum autem error potest confirmari. Primum, ex illis omnibus locis Script. in quibus dicitur, *Arborem malam fructus bonos facere non posse*, Matth. 7. *Et omnia munda esse mundis*? ad Tit. 1. & Ecclesiastici 34. propter eandem causam dicitur; *Ab immundo quis mundabitur:* ergo cum supponamus ministrum sacramentorum esse in statu peccati mortalis constitutum, non poterit hic iustificare, aut sanctificare homines.

1. Matth. 7. Eccli. 34.

Deinde, Scripturæ sacræ docent frequentissimè, Deum non exaudire peccatores, Ioannis 9. & Psal. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiat Dominus:* & alibi. *Cum clamauerint ad me, non exaudiam eos:* subiungit autem causam. *Quia manus vestræ plenæ sunt sanguine:* ergo cum sacramenta infallibiliter suos producant effectus, non poterit minister malus, seu constitutus in peccato mortali sacramenta hęc administrare.

2. Ioann. 9. Psal. 65. Esaiæ 1.

Tertiò, tantum abest, vt Deus probet administrationem sacramenti factam ab homine peccatore, quinimmò maledicit Deus benedictionibus istius mali sacerdotis, Malachiæ 2. *Maledicam benedictionibus vestris:* alloquitur autem hìc Deus sacerdotes veteris Testamenti.

3. Malach. 2.

Denique, exstant canones plerique, qui verbis expressis habent baptismum perfidorum non mundare, ità canon 1. *Non sanat baptismus perfidorum:* quæst. 1. & can. separat, ibidem, adiicitur apud perfidos, & malos ministros reperiti quidem formas sacramentorum, effectum tamen eorumdem minimè deprehendi.

4.

Decet ministros sacramentorum sanctos esse.

CONCLVSIO 1. *Sanctitas vitæ congruit maximè ministris sacramentorum.* Primum, quia id videtur colligi ex Dauidę Psal. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat:* & Numerorum 19. propter hanc causam dicitur; *Mundus lustrabit immundum:* & 2. Esdræ 12. *Mundati sunt sacerdotes, & Leuitæ; & mundauerunt populum.*

Psal. 100. Numer. 19 2. Esdr. 12.

Deinde, ministri sacramentorum in eorum consecratione consequuntur gratiam gratum facientem, ad hoc vt dignè sacramenta administrent, vt manifestè colligitur ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* ergo cum gratia sit causa formalis nostræ sanctitatis, ex Concilio Tridentino sess. 6. capite 7. hæc maxime desiderabitur in ministris sacramentorum nouæ legis.

Ioan. 20.

Tertiò, Leuitic. 11. dicitur de mini-

Leuit. 11.

Digitized by Google

niſtris ſacramentorum. *Eſtote ſancti, quia & ego ſanctus ſum.* Quarto Deus eſt in ſe quàm maximè ſanctus: ſanctitas autem computatur inter attributa eſſentiæ diuinæ: ergo cum Sacerdos ſit miniſter Dei, dum ſacramentum adminiſtrat, debet eſſe hic ſanctus.

Denique, ſacramenta ſunt cauſę ſanctitatis noſtræ; ergo cùm ſint dependenter à miniſtro, debet quoque miniſter eſſe ſanctus: ità communiter omnes hoc loco, & in 4. ſentent. diſt. 5.

Recta intẽtio miniſtri non vero eiuſdem bonitas vel ſanctitas ad ſacramenti valorem eſt neceſſaria. Concil. Conſtant. Florent. Trident. D. Auguſt.

CONCLVSIO 2. *Sanctitas vitæ non eſt ſimpliciter neceſſaria ad validitatem ſacramenti in miniſtro: ſed ſatis eſt ſi habeat intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, & quod retineat materiam & formam præſcriptam.* Hæc videtur definita in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 10. & in Florentino, in vnione Armenorum, Trident. ſeſſ. 1. can. 12. Deinde, idem tradunt Patres, maximè verò D. Auguſtinus lib. 3. contra Donatiſtas, cap. 10. vbi affert lucis exemplum, quæ cùm per loca fœtoſa diffundatur, nihil tamen ſordium contrahit. *An verò, inquit, ſolis, vel etiam lucernæ lux, cùm per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit, & baptiſmus Chriſti poteſt cuiuſquam ſceleribus inquinari?* & Tractat. 5. in Ioan. ad hæc verba: *Hic eſt qui baptizat; Diſcit Ioannes eum quem nouerat, ſed in eo diſcit, in quo eum non nouerat, in quo nouerat non diſcit. Et quid nouerat? Dominum; quid non nouerat? poteſtatem Dominici baptiſmi in nullum hominem à Domino tranſituram, ſed miniſterium planè tranſiturum, poteſtatem à Domino in neminem: miniſterium & in bonos, & in malos. Non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi facit malus miniſter, vbi bonus eſt Dominus? Quid te impedit maliciоſus præco, vbi benignus eſt Iudex?* & vna, aut altera pagina interiecta. *Sed miniſtros,* inquiunt Donatiſtæ, *tanti iudicis iuſtos oportet eſſe, per quos baptizat? Et ego dico, & omnes dicimus, quia iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros. Sint miniſtri iuſti, ſi volunt. Si autem noluerint eſſe iuſti, qui ſuper Cathedrã Moyſi ſedent, ſecurũ me fecit, Magiſter meus, de quo Spiritus eius dixit. Hic eſt qui baptizat. Si fuerit miniſter iuſtus computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro. Cum iſtis computo iuſtos miniſtros: quia verè gloriam ſuam non quærunt: miniſtri enim ſunt, pro iudicibus haberi nolunt, ſpem in ſe poni exhorreſcunt. Ergo computo cum Paulo* 1. Cor. 3. *iuſtum miniſtrum. Quid enim dicit Paulus. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui verè fuerit ſuperbus miniſter, cum Zabulo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum purum, quod per illum tranſit liquidum, venit ad fertilem terram. Putà quia ipſe lapideus eſt, qui ex aqua frũctum ferre non poteſt. Per lapideum canalem tranſit aqua, tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, ſed tamen hortis plurimum frũctum affert. Spiritualis enim virtus ſacramenti, ita eſt vt lux: & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat non inquinatur:* Et lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 11. docet omnia ſacramenta obeſſe indigne tractantibus, prodeſſe tamen digne ſumentibus. Et lib. 3. cap. 6. contra Creſconium Grammaticum hoc idem probat. *Porro,* inquit, *ſi inter bonos miniſtros, cùm ſit alius alio melior, non eſt melior baptiſmus, qui per meliorem datur, nullo modo eſt malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptiſmus datur. Et ideò per miniſtros diſpares, Dei munus æquale eſt, quia non illorum, ſed eius eſt.* Vnde patet quod baptiſmus collatus à meliori miniſtro, non ſit melior baptiſmo collato à malo, & perdito miniſtro, & in pſal. 10. ait Iudam proditorem non minus fuiſſe miſſum ad baptizandum, quàm ceteros Apoſtolos: & Ambroſius lib. 4. de ſacramentis, cap. 5. & Nazianzenus oratione in ſanctum baptiſma, quo loco vtitur exemplo duorum ſigillorum, quorum vnum eſt ferreum, aliud vero argenteum, & Chryſoſt. homilia 8. in epiſtolam 1. ad Corinth. citantur de hac re multi canones qui extant 1. quæſt. 1.

Ambroſ. Nazianz. Chryſoſt.

Tertio probatur ratione. Sacramenta propterea ſuos conſequuntur effectus, quia ſunt à Chriſto inſtituta; non autem quia applicantur ab hoc, vel illo miniſtro, bono, vel malo: fatentur enim omnes ſacramenta ex opere operato ſuos producere effectus, non autem ex opere operantis: igitur improbitas miniſtri obſtare non poteſt conſecutioni ſacramenti effectus.

Deinde, malitia miniſtri non magis poteſt impedire effectum ſacramenti, quàm poſſet promouere bonitas eiuſdem effectum ſacramenti: at bonitas miniſtri non promouet effectum ſacramenti, vt probat D. Auguſt. locis ſuprà cit. & manifeſtè colligitur ex eo quod doceant Scripturæ, Chriſtum eſſe qui baptizat, ac proinde qui effectus quorumcumque ſacramentorum præcipuè, & principaliter producit.

Rurſus, Sacerdotes & alij ſacramẽtorũ miniſtri ſunt tantũ inſtrumenta quędã, quibus vtitur Deus in iuſtificandis hominibus: at non eſt æquum, neque conſonum rationi, vt propter culpam, & vitium inſtrumenti effectus cauſæ præcipuæ non producatur; fatentur enim communiter omnes inſtrumentum eatenùs operari, quatenùs mouetur à principali agente: ergo &c.

Item, ſi bonitas miniſtri eſſet ſimpliciter neceſſaria ad validitatem ſacramentorum, ſequeretur minus bene proſpectũ fuiſſe Chriſtianis hominibus; vix enim eſt qui poſſit certo cognoſcere probitatẽ alterius, ex illo; *Nemo ſcit vtrum amore, vel odio dignus ſit,* ac proinde poſſet quilibet noſtrùm dubitare an verè eſſet ſacramentum aſſequutus: hæc autem ſunt manifeſtè contra Dei prouidentiam: ergo. ità D. Th. art. 5. huius quæſt. & cæteri interpretes.

Ad rationes vero contrarias reſp. Ad 1. arborem malam, vt ſic, non poſſe producere fructus bonos, bene tamen vt hæc arbor eſt miniſter Chriſti: diximus enim miniſtrum ſacramentorum eſſe inſtrumentum, quo Deus vtitur in iuſtificandis hominibus, & per conſequens miniſter hic ſiue fuerit bonus, ſiue malus, gratiam conferet homini ſuſcipienti ſacramentum. *Rationib. hæreticorũ ſit ſatis.* 1.

Ad 2. reſp. peccatorem nomine proprio aliquid agentem, non exaudiri à Deo, bene tamen peccatorem ſuſtinentem publicam perſonam, qualis eſt miniſter ſacramenti, etiamſi in peccato mortali ſit conſtitutus: hic ergo quotieſcumque ſacramenta adminiſtrat, à Deo exauditur, non quidem propter dignitatem propriæ perſonæ, ſed ratione miniſterij quod exequitur, & propter deuotionem populorum, quibus ſacramenta adminiſtrat, vt loquitur D. Auguſt. locis proxime cit. qui ibidem addit de malis miniſtris ſ alloquitur autem ſuſcipientes ſacramenta, *Eſſi alio tempore gratia Dei vacui ſumus; propter vos tamen minimè gratia Dei vacui ſumus.* 2.

Ad 3. reſpondeo, Deum improbare benedictiones Sacerdotum veteris legis, non quidem 3.

Digitized by Google

quod ſuſcipit: ergo peccat etiam mortaliter is qui cum peccato mortali ſacramentum adminiſtrat; ponit namque obicem gratię, quę ſibi data fuit in ordinatione, vt digne ſacramenta conferat.

Enervatur. Verum, neque hæc ratio Concluſionem demonſtrat: nam extat præceptum de Euchariſtia digne frequentanda, & item de ceteris ſacramentis ſuſcipiendis; vt manifeſte colligitur ex cap. 11. 1. Cor. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo*, & rurſus; *Quicumque manducat indigne, &c.* De alijs verò ſacramentis, ità dicitur; *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: derelinquat impius viam ſuam, & reuertatur ad Dominum*, quaſi diceret, cum qui vult iuſtificari à peccato in quo agit, debet hic ſe auertere à creatura, & conuertere ſe in Deum, tanquam in vltimum finem, ad hoc vt gratiam Dei conſequatur, quæ de lege communi nulli datur, niſi dependenter à ſacramentis: nullum autem extat præceptum ſaltem expreſſum, & formaliter explicatum de adminiſtrandis ſacramentis in ſtatu gratiæ: ergo non eſt par vtrobique ratio.

Efficaciter probatur cõcluſio ratione D. Th. Probatur igitur Concluſio ratione, D. Thom. in corpore art. 6. & ad 1. huius quæſt. Miniſter debet ſe conformare authori ſacramentorum, & ſacramentis ipſis quæ adminiſtrat: Sacerdos enim induit rationem inſtrumenti reſpectu Dei; quotieſcumque ſacramentum confert, ac proinde cum inſtrumentum ſit eiſdem ordinis cum cauſa præcipua; ſi cauſa præcipua ſit ſupernaturalis, & ſancta, inſtrumentum quoque erit ſupernaturale, & ſanctum: at conſtitutus in ſtatu peccati mortalis non eſt ſanctus, cum careat forma ſanctificante, nempe gratia gratum faciente, non poterit igitur miniſter conſtitutus in ſtatu peccati mortalis eſſe conformis, Deo qui eſt in ſe ſanctiſſimus: ergo peccat &c.

Quitangit, diſpenſat, vel diſtribuit ven. ſacrament. Dixi autem in Concluſione, *miniſtrum qui adminiſtrat, & conficit ſacramenta*, propter Euchariſtiam, quam poteſt aliquis tangere inculpate, & adminiſtrare alteri, etiamſi verſetur in peccato mortali; nam contactus huius ſacramenti non poteſt magis imputari ad culpam, quàm contactus humanitatis Chriſti: at hæc potuit tangi ab homine conſtituto in peccato mortali, pro eo tempore quo fuit in hac vita ſine vllo planè peccato, ſuppoſita videlicet debita veneratione: ergo & Euchariſtia.

Euchariſtia in peccato mortali non peccat mortaliter.

Deinde, temporibus primitiuæ Eccleſiæ, maſculi, & fœminæ, pueri, & adulti Euchariſtiam ſibi aſſeruabant, neque tamen propterea peccabant.

Tertiò, quia nomine miniſtri hoc loco ſumpti, intelligitur is tantum, qui ſacramentum conficit, qui autem tangit tantum Euchariſtiam, & eam alteri adminiſtrat, hic non conficit Euchariſtiam: ergo neque etiam peccabit; etiamſi id præſtet in ſtatu pecati mortalis. Confirmatur: nam applicat hic actiua paſſiuis tantum, neque vlla ratione ſacramentum conficit, vt ſupponimus: ergo, nullam quoque contrahit de nouo culpam adminiſtrando Euchariſtiam alijs in ſtatu peccati mortalis. Secus vero ſentiendum eſt de eo qui ſacramentum Euchariſtiæ perficit, & ſibi communicat; duo enim peccata mortalia committit; alterum quod indebite, & indigne conficit ſacramentum; alterum quod cum conſcientia peccati mortalis Euchariſtiam ſuſcipit.

Dubium. Sunt autem qui hoc loco quærant; *An illud idem dicendum ſit de eo qui legit Epiſtolam vel Euangelium, vel concionem habet, vel officia diuina recitat.* Ceterum verior videtur eorum opinio qui putant iſtum minimè peccare exequendo proximè commemorata, licet id faciat in ſtatu peccati mortalis: executio ſiquidem iſtorum omnium, nequit eſſe per ſe mala, neque prohibita vlla plane ſpeciali lege, ac proinde non poteſt etiam eſſe culpabilis. Deinde, nullum extat præceptum ſpeciale quo legens Epiſtolam, vel Euangelium debeat ſe conformare Deo, Opt. Max. quemadmodum extat de eo qui ſacramentum aliquod conficit: ità Vazquez, & alij ceteres, & recent. plerique. *Diaconus & ſubdiaconus ſolemniter canẽtes Euangelium & Epiſtolam in peccato mortali, ſi cluſo ſcandalo non peccãt mortaliter.*

CONCLVSIO 2. *Sacerdos, ſine Laicus, in peccato mortali conſtitutus peccat mortaliter, ſi ſacramenta adminiſtrat in eo ſtatu; etiam in extrema neceſſitate conſtitutus, modo tamen liceat ei exercere actum penitentiæ, & ſimul ſacramentum adminiſtrare, conſtituto in extrema neceſſitate.* Probatur. Primùm, quia miniſter in extrema neceſſitate tam verè eſt miniſter Chriſti, quàm vltra neceſſitatem extremam: Chriſtus enim eſt qui ſemper baptizat v. g. tanquam cauſa præcipua. *Peccat mortaliter qui in mortali adminiſtrat ſacramentum in extremis degentibus, niſi eliciat actum contritionis ſi poſſit.*

Deinde, propterea docuimus Concluſione proximè antecedente, peccare Sacerdotem conſtitutum in peccato mortali, quando ſolemniter ſacramenta pertractat, quia debet conformare ſe præcipuæ cauſæ, & principali, itémque ſacramentis; cauſa autem præcipua cum ſit Deus, eſt ſanctiſſima, & item ſacramenta cenſentur eſſe ſancta; ergo, qui miniſtrat ſacramentum aliquod in neceſſitate debet eſſe ſimiliter ſanctus.

Euaſio aliquorum. Reſpondent authores contrarię ſententię, maiorem propoſitionem eſſe veram de eo qui eſt miniſter ſacramentorum per ſe, & propria voluntate, non autem de eo qui eſt miniſter tantùm per accidens, qualis eſt Sacerdos, vel Laicus qui ſacramenta adminiſtrant in neceſſitate vltima.

Præludi-tur. Ceterùm, reſponſio hæc non ſatisfacit: nam D. Auguſt. loco proximè citato affirmat miniſtrum ſacramentorum peccare, quotieſcumque indigne ſacramenta adminiſtrat; nulla facta diſtinctione inter eum, qui ea confert extra neceſſitatem; & eum qui in extrema neceſſitate. Deinde, quia ſi ſolemnitas, quæ ex multorum opinione de iure poſitiuo humano eſt, inducit rationem culpæ, quotieſcumque aliquis adminiſtrat ſacramenta cum conſcientia peccati mortalis, inducet etiam adminiſtratio quælibet facta in ſtatu ſimili peccati mortalis: nam adminiſtratio omnis ſacramenti alicuius eſt de iure diuino poſitiuo. Ità docet verbis expreſſis Vazquez poſt Durandum, Capreol. Palud. & alios nonnullos veteres Scholaſticos, diſp. 36.

Notandũ. *Dixi autem, ſi poſſit miniſter hic exercere actum penitentiæ; & conſtituto in extrema neceſſitate ſacramentum adminiſtrare*; quia ſi non poſſit vtrumque præſtare, nullum plane admittet hic miniſter malus peccatum, conferendo ſacramentum verſanti in vltimo periculo; cum nemo peccet in his quę vitare non poteſt. Deinde, nemo peccat niſi ſciens, & volens: ſupponimus autem miniſtrum malum non poſſe recordari peccati in quo agit, propter breue tempus quod illi conceditur, ad hoc vt ſacramentum adminiſtret conſtituto in extrema neceſſitate, & item propter animi perturbationem, quæ in eo datur, ex eo quod videat eum qui ſacramenta poſtulat, vel cui ſunt neceſſaria, verſari in extrema neceſſitate. Denique quæ ſunt charitatis, nequeunt contra charitatem mili-

Digitized by Google

tare: at miniſter malus in hac hypotheſi, mouetur ex charitate ad ſacramentum impendendum huiuſmodi conſtituto in vltima neceſſitate; neque illi licet cogitare de peccato proprio in quo verſatur, vt ſupponimus: ergo non peccabit tunc adminiſtrando ſacramentum. Ità eſt explicandus D. Th. quando art. 6. huius quæſt. docet Sacerdotem malum non peccare adminiſtrando ſacramenta conſtituto in extrema neceſſitate. A

Dubium. ROGABIS, *Quid debeat præſtare miniſter malus quando rogatur, vt ſacramenta adminiſtret, vt dignè huiuſmodi ſacramenta conferre valeat.* Reſp. primum, ſi agatur de Euchariſtia conficienda non eſſe ſatis, ſi exiſtimatam contritionem habeat; ſed debet confiteri Sacerdoti iuriſdictionem habenti, ſi habere poſſit: ità definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 13. ca. 7. & can. vltimo. 2. Reſp. quod ſi ſermo ſit de alijs ſacramentis adminiſtrandis debet miniſter hic ad minus elicere actum contritionis exiſtimatæ, antequam ſacramenta adminiſtret; ità communiter omnes Scholaſtici & Caſuiſt. Deinde, quia contritio exiſtimata, vel etiam vera, cenſetur eſſe diſpoſitio ſufficiens ad ſacramenta adminiſtranda, excepta tamen Euchariſtia. Addunt etiam communiter tutius eſſe confiteri prius propria peccata, quàm ſacramentum aliquod adminiſtrare ritu ſolemni, & publico. *Solutio.* B

Reſpõdetur rationibus initio propoſitis. Ad 1. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. eum qui dat eleemoſynam in ſtatu peccati mortalis, propterea non peccare, quia qui dat eleemoſynam, cenſetur eſſe cauſa præcipua largitionis eiuſdem; neque tenetur conformare ſe Deo in hoc opere, ſed perfectiſſimè adimplet præceptum diuinum, modò largiatur eleemoſynam agenti in extrema neceſſitate, etiamſi ſit in peccato mortali: qui autem ſacramenta adminiſtrat, tam in neceſſitate, quàm extra neceſſitatem, hic non eſt cauſa præcipua effectus, qui producitur per huiuſmodi adminiſtrationem, ſed tantum cauſa inſtrumentalis, vnde tenetur hæc cauſa inſtrumentalis, cum ſit libera, imitari ſanctitatem cauſæ præcipuæ, & principalis, quare peccat ſemper miniſter ſacramenti, quando cum conſcientia peccati mortalis ſacramentum aliquod adminiſtrat. C D

Requiritur ſanctitas in miniſtro ſacramentorũ vt ſequatur opus operãtis, non vero ad opus operatum. Ad vltimam reſpondeo, ſanctitatem non eſſe neceſſariam in miniſtro ſacramenti, ad hoc vt ſequatur opus operatum; bene tamen vt ſequatur opus operantis, vt rectè obſeruat Caiet. ad art. 6. huius quæſt. D. Thomæ, debet enim opus operantis eſſe opus hominis grati, & accepti Deo, certum autem eſt neminem eſſe gratum, & acceptum Deo, niſi fuerit hic in gratia conſtitutus, ac proinde niſi caruerit peccato mortali.

DVBITATIO QVINTA.

An liceat ſacramenta exigere à malis miniſtris. E

Rationes dubitandi. 1. RATIO dubitandi eſt: Non licet quempiam inuitare ad malè agendum; qui enim dat occaſionem malè operandi alicui, non minùs peccat quàm faciat is qui malum huiuſmodi facit; at miniſter malus, quotieſcumque ſacramentũ aliquod adminiſtrat, peccat, ex dictis Dubit. proximè antecedente: ergo non licebit à tali ſacramenti adminiſtrationem poſtulare.

2. Deinde, quilibet tenetur impedire peccatum proximi ſi poſſit, ex præcepto charitatis,

3. Tertio, ſacri Canones prohibent ſtrictiſſimè ne quis ſacrmenta ſuſcipiat ab excommunicatis & hæreticis, vt conſtat ex 24. quæſt. 1. canone Cœpi, & ex epiſt. 154. D. Aug. ad Publicolam, & ex verbis Chriſti, Matth. 18. *Si Eccleſiam non auditerit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* Matth. 18.

Quid hic intelligatur per malum miniſtrum. Aduerte, miniſtros malos, quantum ad rem præſentem attinet, eſſe in duplici differentia; alij enim ſunt tales, hoc ſolo nomine quod ſint in ſtatu peccati mortalis cõſtituti, alij vero quod ſint ab Eccleſia cẽſura aliqua ligati, putà excõmunicationis, ſuſpẽſionis, vel interdicti. De iſtis ergo omnibus Dubitatio hęc eſt explicãda, & quidẽ quando conſtat nobis de peccato, vel cenſura qua innodatur malus ille miniſter: nam ſi lateat nos alterum iſtorum, aut vtrumque, in confeſſo eſt inter omnes, ſacramenta poſſe peti inculpatè ab huiuſmodi miniſtris: res ergo hæc explicatur primo loco de miniſtris malis cenſura aliqua notatis.

In extrema neceſſitate licet exigere ſacramenta baptiſmi & penitentiæ à miniſtro innodato quacumque cenſura Eccleſiaſtica. CONCLVSIO 1. *In extrema neceſſitate liberum eſt vnicuique petere ſacramenta ad ſalutem ſibi neceſſaria, à miniſtro quolibet excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, degradato, & irregulari, ſi nullus alius haberi poſſit.* Primùm, quia ità communiter docent omnes in 4. diſt. 5. & plerique Thomiſtę art. 6. huius quæſtionis.

Deinde, in extrema neceſſitate quilibet iure diuino cenſetur eſſe miniſter baptiſmi, idque quod baptiſmus ſit ſimpliciter neceſſarius ad vitam æternam obtinendam, ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fueris, &c.* quilibet etiam Sacerdos in extrema neceſſitate cẽſetur eſſe miniſter penitẽtię, vt probabitur in tractatu de penitentia, etiam iure diuino, & tacito conſenſu iuris Eccleſiaſtici poſitiui: ergo cum ius humanum nequeat tollere ius diuinũ, fas erit homini conſtituto in extrema neceſſitate petere ſacramenta proximè commemorata ab excommunicatis, ſi nullus alius haberi poſſit. Tertiò, fatentur plerique, excommunicatum in data hypotheſi, nec peccare, nec de nouo vllam cenſuram, aut irregularitatem contrahere ſacramenta adminiſtrando: ità Henricus lib. 13. ſuæ Summæ moralis capite 5. de excommunicatione. Ioan. 3.

Ab excommunicatis toleratis ſi ſint ſuperiores licet petere ſacramenta. CONCLVSIO 2. *Extra caſum extremæ neceſſitatis poteſt aliquis exigere ſacramenta ab excommunicato à lege, quod hi tolerentur in officio, & ſint ſuperiores noſtri.*

Excõmunicatus toleratus quis dicatur. Concil. Conſtan. Aduerte, excommunicatos illos dici toleratos, qui nec ſunt notorij percuſſores Clericorũ, ità vt factum illud tergiuerſatione vlla celari non poſſit, nec ſunt nominatim excommunicati & denunciati, hoc ità conſtituto. Probatur Concluſio: Ex Concilio Conſtantienſi excommunicati ſunt tantùm vitandi in duobus caſibus. Primus eſt quando quis nominatim eſt excommunicatus, & denunciatus. Secundus, quando quis eſt notorius percuſſor Clericorum; ità vt factum illud nulla ratione occultari poſſit: at ſupponimus miniſtrum ſacramenti excommunicatum, ſuſpenſum, & interdictum, non eſſe notorium percuſſorem Clericorum, neque item nominatim excommunicatum, & denunciatum, ſed tantum notari cenſura aliqua Eccleſiaſtica, vel irregularitate, quæ eſt impedimentum canonicum, quo quis arcetur à miniſterio ſacrorum ordinũ: ergo, ab iſtis inculpate extra neceſſitatem poterit exigi ſacramentum.

Quinã excommunicati ſint vitandi.

Nota. Moneo autem conſtitutionem proxime commemoratam non extare in actis Concilij Conſtantienſis,

Digitized by Google

ſtantienſis, ſed citari tantum à Doctoribus qui vixerunt tempore Concilij, inter quos eſt Anthoninus, & qui eum ſunt ſequuti, maxime vero Nauarrus in Manuali cap. 25. de excommunicatione, Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. Salon. de iuſtitia, & iure, quæſt. 67. & Henric. de Henriquez loco proxime cit. Suarez in tract. de excommunicatione, & alij innumeri.

Dices, Concilium Baſilienſe fuiſſe poſterius Concilio Conſtant. & tamen ſeſſ. 21. præcipitur, vt vitemus quoſcumque excommunicatos: ergo. Reſp. ſtandum eſſe potius Conſtitutioni Concilij Conſtant. quàm decreto Baſilienſis; tum quia hoc licet fuerit legitime incœptum, non tamen legitime prorogatum, & conſummatum, vt conuenit inter omnes: bene tamen Conſtantienſe, tum quia Concilium Baſilienſe nunquam fuit confirmatum authoritate Pontificis maximi, quemadmodũ Conſtantienſe. Denique licet Nicolaus IV. Pont. max. probauerit aliqua quæ fuerunt conſtituta in Baſilienſi, nempe diſpenſationes, & ordinationes, collationeſque beneficiorum factas à Patribus Concilij; improbauit tamen hic Pontifex, cetera omnia quæ fuere acta in huiuſmodi Concilio; de qua re legendus eſt Vialdus in ſuo Candelabro aureo, & Henriquez loco proxime cit. Deinde, actus cuiuſlibet excommunicati tolerati, ſunt validi, omnium conſenſione, in vtroque foro. Tertiò, docebimus fas eſſe cuilibet conſequi ſacramenta à ſuo parocho, quamuis ſit parochus in ſtatu peccati mortalis, etiam extra neceſſitatem vltimam, quia nemo peccat exigendo quod ſibi debetur, à debitore: ità communiter omnes, in 4. diſt. 5. alij 22. & in tractat. de excommunicatione Caſuiſtæ.

Obiectio. Dices, excommunicatum eſſe extra Eccleſiam, ſi ſi autem non poteſt, vt quis ſacramenta petat inculpate ab ijs qui ſunt extra Eccleſiam, ex illo ſupra citato; *Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, ſi Eccleſiam non audierit*, quales ſunt omnes excommunicati. Matth. 18.

Reſponſio 1. Reſpond. 1. Concilium Conſtant. explicaſſe, debere tantum nos vitare excommunicatos in caſibus duobus ſupra poſitis. Reſp. 2. excommunicatos toleratos eſſe in Eccleſia, non quidem merito, ſed numero; retinent enim characterem baptiſmi, & præterea ſuſtinentur ex hypotheſi in eorum officio, & authoritate contenſu tacito, vel expreſſo eorum, quorum intereſt prohibere, ac proinde cum ſint iſti aliqua ratione in Eccleſia, ſacramenta vere adminiſtrabunt, & poterunt ſubditi ab excommunicatis iſtis inculpatè petere ſacramenta, maxime ſi nullum alium habeant à quo poſſint conſequi. Quod dico, quia ſi poſſit haberi alius miniſter, qui nulla cenſura Eccleſiaſtica ligatus ſit, monent omnes ſubditum debere adire alium miniſtrum, non autem proprium excommunicatum, licet toleretur hic in officio; ità namque vitabit peccatum miniſtri ſuperioris ſine vllo proprio diſpendio, & incommodo.

2. *Excommunicati tolerati ſunt in Eccleſia numero nõmerito.*

Alia obiect. Obijcies, ex noſtra Concluſione manifeſte colligi, poſſe nos audire miſſam Sacerdotis concubinarij, & exigere ab eodem ſacramenta ſi fuerit noſter Curatus: ſupponimus ſiquidem quod toleretur in officio à ſuo ſuperiore,

Reſponſio. Reſpondeo, iure antiquo extra caſum extremæ neceſſitatis, neminem potuiſſe, vel rogare ſacramẽta, vel audire ſacrum concubinarij Sacerdotis, publici & notorij, vt manifeſte colligitur ex canone *prater*, & can. *nullus*. diſt. 32. & ex cap. vltimo 15. quæſt. 8. & ex capite, *veſtra*, & ex cap. vltimo, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, & ex D. Thom. quæſt. 82. huius partis, art. 9. ad 3. & quodlibeto 11. art. 8. Sylueſtro verbo, *Concubinarius* 2. §. 4. & verbo *Excommunicatus* 5. §. 7. & Nauarro cap. 25. num. 80. iure tamen nouo quilibet poteſt, & ſacramenta, & præterea miſſam audire Sacerdotis concubinarij ſine vlla culpa; ius ſiquidem vetus à nobis adductum, contrario vſu, & conſuetudine fuit abrogatum. Deinde, Concilium Conſtantienſe præcipit tantùm vitandos eſſe eos excommunicatos, qui ſunt notorij percuſſores Clericorum, & qui ſunt nominatim excommunicati, & denunciati. Tertio, Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. iuſſit, vt Sacerdotes concubinarij priuentur ſuis reditibus, niſi ad meliorem mentem redire voluerint, ac tandem poſita priuatione reditũ ſi in peccato permanſerint, vt proferatur ſententia excommunicationis contra huiuſmodi concubinarios: argumento igitur eſt Concilium exiſtimaſſe Sacerdotes iſtos concubinarios, non eſſe de iure excommunicatos, alioqui ad quid ſententia excommunicationis decerneretur contra coſdem. Ità fere Recentiores omnes contra Nauarr. qui loco proxime citato credit concubinarios & eſſe excommunicatos & irregulares, quotieſcunque ſacramenta adminiſtrant in eo ſtatu, & egere Pontificis maximi diſpenſatione. Ceterum in hac re deceptus fuit Nauarrus, vt colligitur ex dictis.

Obiectiõ vltima. Obijcies vltimo, ex noſtra Concluſione colligi, Catholicos v.g. commorantes Geneuæ, vel in Anglia & Hibernia & alijs locis, in quibus nullus datur publicus vſus eorum, quæ ſunt religionis Chriſtianæ, & adminiſtrationis ſacramentorum, poſſe petere ſacramenta à proprio Epiſcopo, vel parocho: licet iſti ex hypotheſi facti ſint hæretici; ſupponimus quippe quod nec Epiſcopus, nec Curatus iſte fuerit nominatim excommunicatus, & item quod non ſit notorius percuſſor Clericorum; ſed tantùm hæreticus, ac proinde excommunicatus.

Reſponſio. Reſp. Catholicos iſtos in data hypotheſi poſſe, ſine vllo planè peccato de nouo exigere ſacramenta ab iſto Curato, vel Epiſcopo, ſi nulla ſequatur ex eo actu fidei abnegatio, vel formalis, vel interpretatiua, ſeu, vt alij loquuntur, ſi ex huiuſmodi petitione nullum ſequatur ſcandalum puſillorum, & fidei Chriſti imminutio; ſi enim hæc ſequantur nulla ratione licebit exigere ſacramenta à prædicto Epiſcopo vel Curato; nam conuenit inter omnes in tractatione de fide, nulli licere præſtare quidpiam, ex quo ſequatur fidei Chriſti imminutio, vel ſcandalum puſillorum; ſed potius mortem eſſe ſuſtinendam propter fidem conſeruandam, & defendendam. Confirmatur hoc, exemplo Eleazari, *lib. 2. Machab. cap. 6.* hic enim pluris fecit mori, quàm veſci carnibus ſuillis, & exemplo Ermigildi filij Librigildi VVisigotthorum regis, hic namq; maluit martyrium ſuſtinere, quàm Euchariſtiam in die Paſchæ ab Epiſcopo Arriano ſibi oblatam communicare, vt refert Greg. Magnus lib. 3. dialog. cap. 31. Deinde, licet quilibet noſtrũm teneatur iure diuino vitare conſortia hæreticorum, ex Paulo ad Titum 3. *Hominem hæreticum poſt vnam, aut alteram correptionem deuita*, & epiſt. 2. canonica Ioannis; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, neque ave ei*

2. Mach. 6.

Tit. 3. Ioan.

Digitized by Google

dixeritis: qui enim dixerit ei aue, communicat eius operibus malignis. Non tamen tenetur ſimpliciter, & abſolutè, in omni plane caſu deuitare commercium hæreticorum: ſed tantum iuxta caſus proximè commemoratos, & item in hoc caſu in quo agitur de ampliatione, vel conſeruatione hæreſeos; nam tunc nulli licet tractare, vel agere cum homine hæretico, vt pluribus explicat Nauarrus in Manuali cap. 27. & Conſil. 12. de hæreticis. De miniſtro verò malo, in peccato tantum mortali conſtituto, hæc ſunt ſtabilienda.

Quilibet in extrema neceſſitate, licitè poteſt ſacramenta petere à miniſtro exiſtēte in peccato mortali, ſi nequeat aliū habere.

Dico igitur 1. *Poſſe quemlibet in extrema neceſſitate exigere ſacramenta à miniſtro conſtituto in ſtatu peccati mortalis, ſi nullum alium habeat, aut habere poſſit.* Primùm, quia diximus id eſſe licitum reſpectu miniſtri excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, publicè, & notorie. Deinde, quia in hoc caſu habeo ius exigendi ſacramenta à tali miniſtro. Tertio, quia pero rem bonam, nec tamen propterea inuito huiuſmodi miniſtrum ad malè agendum, ſed potius, vt cum peccati commiſſi poeniteat, hoc enim ipſo, quod videt me petere ſacramenta, moneo eum vt à peccato commiſſo recedat. Quarto, quia D. Aug epiſt. 154. verbis expreſſis habet, poſſe quempiam exigere iuramentum ab idololatra, eo conſilio, vt eidem datam inter contrahendum ſeruet, etiam ſi nouerit is qui rogat, huiuſmodi hominem iuraturum per falſos Deos.

Licitè petitur iuramētum à iurante per falſos Deos.

2. Concluſ. Licet à proprio Curato peccatore ſacramenta petere extra neceſſitatem extremam.

Dico 2. *Extra caſum extremæ neceſſitatis poſſe nos à proprio Curato, in ſtatu peccati mortalis conſtituto, exigere ſacramenta inculpatè, licet ſi poſſit haberi alius miniſter bonus, ſatius ſit miniſtrum bonum adire, & ſacramenta proinde ab eo, minimè verò à Curato recipere.* Prima pars iſtius documenti probatur, quia nullus dicitur peccare, ex eo quod debitum exigat à ſuo debitore: Curatus autem debet adminiſtrare ſacramenta ſuis parochis.

Secunda verò pars probatur. Charitas poſtulat, vt nedum nobis, ſed etiam proximo ſuccurramus; præſertim quando id præſtare poſſumus, ſine vllo plane nocumento proprio; ſed poſſumus ex hypotheſi ſacramenta conſequi à bono miniſtro ſine vllo plane incommodo: ergo: ità Anthoninus, & Scholaſtici ſupra cit. & omnes Caſuiſtæ.

3. Concluſ. Ab eo quem certo ſcimus eſſe in peccato mortali illicitè petimus ſacramenta niſi ſit noſter ſuperior, vel de facto expoſitus ad ſacramenta confrenda.

Dico 3. *Non licere exigere ſacramenta ab eo qui non eſt ſuperior noſter, vel expoſitus de facto ad ſacramenta adminiſtranda, quotieſcumque ſcimus certò huiuſmodi miniſtrum conſtitutum in peccato mortali.* Primùm, quia ex doctrina communi omnium Scholaſticorum, in iſtis caſibus nullum habeo ius exigendi ſacramenta ab iſtis malis miniſtris.

Deinde, quia non licet quempiam inuitare ad peccatum committendum; inuitatur autem in iſtis caſibus miniſter malus ad ſacramenta adminiſtranda, quod præſtare nequit quin peccet.

Denique, ſacri Canones prohibent ne quis petat ſacramenta à malis miniſtris, ſed potius, vt hortemur eos ne ſacramentorum adminiſtrationi ſe ingerant, donec de peccatis in quibus agunt, penitentiam egerint.

Ex iuſta cauſa licite peti ſacramēta à peccatore de facto expoſito ad illa adminiſtranda. Nicolaus Pontifex.

Dico 4. *A miniſtro malo, conſtituto tantum in peccato mortali, fas eſſe petere ſacramenta ſine vlla culpa, ſi faciat ipſe expoſitus de facto ad ſacramenta adminiſtranda:* putà ſi ſedeat v. g. in Confeſſionali, & excipiat confeſſiones quaſcumque accedentium, fas erit abſque petere ſacramentum penitentiæ. Primùm, quia ita definitum fuit à Nicolao Pontifice maximo, ad conſulta Bulgarorum 15. quæſt. 5. & à Lucio III. can. veſtra, de cohabitat. Clericorum, & mulierum: & videtur eſſe opinio D. Auguſtini, lib. 5. contra Iulianum cap. 10. Lucius 3. D. Auguſt.

Deinde, conuenit inter omnes eum qui petit pecuniam fœnori à notorio, & publico vſurario, nullam planè ex huiuſmodi petitione contrahere culpam, idque quod vſurarius hic paratus ſit omnibus, & ſingulis dare pecuniam fœnori: ergo, &c.

Tertio. In hoc caſu neminem allicio, aut inuito ad peccatum committendum, ſed tantum vtor peccato alieno ad meum commodum, & vtilitatem ſpecialem: ità communiter omnes locis ſuprà citatis.

A quocumque miniſtro iuriſdictionem habente, etiam in peccato conſtituto, ſi alius bonus haberi nequit, inculpate petitur ſacramentum.

Dico denique, *Occurrente præcepto de confeſſione facienda, vel Euchariſtia ſumenda, liberum eſt cuilibet, idque inculpatè, poſtulare ſacramenta ab eo qui nec eſt ſuperior, nec expoſitus ad ſacramenta adminiſtranda, ea lege, quod nullum alium poſſit habere miniſtrum à quo præcepta ſacramenta exigat, etiam ſi miniſter hic ſit in peccato mortali conſtitutus, & peccatum eius habeat perſpectiſſimum.* Probatur. Quandocumque dantur duo præcepta quæ ſimul, & ſemel ſeruari non poſſunt, minus definit obligare, & maius obligationem vere induit, ac proinde ſeruari debet: at in data hypotheſi concurrunt duo præcepta; alterum de vitando peccato proprio; alterum de peccato alieno, nempe miniſtri conſtituti in mortali, quod committit hoc ipſo quod ſacramentū in eo ſtatu adminiſtrat: ergo cùm ordo charitatis poſtulet, vt quis priùs diligat ſeipſum, quàm proximum (dilectio ſiquidem proximi pendet à dilectione ſuiipſius, vt à propria regula, ex illo; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*) Matth. 5. & nequeam vitare peccatum proprium in data hypotheſi, potero in hoc caſu exigere ſacramenta à miniſtro conſtituto in peccato mortali, ſi nullum alium miniſtrum bonum comprehendere queam: ità plerique Recentiores.

Rationes dubitandi diluuntur.

Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad 1. eum non inuitare miniſtrum malum ad peccata committenda in illis caſibus, quibus diximus fas eſſe exigere ſacramenta à miniſtro malo.

Obiectio.

Dices, Si ego v. g. non accederem ad confeſſionale miniſtri mali in quo adminiſtrat ſacramenta de facto, non committeret hic peccatum mortale, quod de facto admittit, adminiſtrando mihi ſacramentum penitentiæ: ergo inuito huiuſmodi miniſtrum ad peccatum committendum, quod nulli licet.

Reſponſio.

Reſpond. me eſſe tantum cauſam actus exterioris peccati iſtius miniſtri, non autem peccati interioris: ſupponimus enim quod miniſter hic ſedeat in Confeſſionali, & quod excipiat confeſſiones quorumcumque venientium; ac proinde voluntas iſtius miniſtri eſt determinata intrinſece ad excipiendas quaſcumque confeſſiones: actus autem externus nihil addit ſupra malitiam actus interioris, quando nulli nocumentum de nouo infertur per hunc actum exteriorem, vt docetur in tractat. de peccatis: ergo in hoc caſu non allicitur miniſter malus ad peccatum de nouo committendum, ſed vtitur penitens qui excepit ſacramentum ab eo, mala voluntate miniſtri, quam nequit ad bonum flectere: hoc enim ipſo quod penitens hic exercet actum penitentiæ, monet etiam miniſtrum malum, vt eum poeniteat peccati commiſſi, quod præſtare poſſet ſi vellet in inſtanti, cùm gratia ijs omnibus ſit præſentiſſima, quotieſcumque

Digitized by Google

tieſcumque occurrit occaſio vitandi peccatum aliquod, vt fatentur in tractat. de gratia, communiter Doctores.

Inſtantia. Satisfit. Inſtabis, non eſſe facienda mala, vt inde veniant bona. Reſp. Miniſtrum peccare conſtitutum in peccato mortali, quando ſacramenta adminiſtrat, quia non ſe conformat authori ſacramentorum; quemadmodum tunc temporis tenetur: penitens autem ideò non peccat, quia dignè ſacramenta conſequitur, & quia bene vtitur peccato miniſtri mali, vel potius mala eius voluntate, quam ad bonum trahere nequit.

Ad 2. Ad 2. reſp. Quemlibet obligari ad vitandum peccatum alienum, ſi id præſtare poſſit; minimè verò quando hoc non eſt in noſtra poteſtate poſitum: ſupponimus autem qui petit ſacramenta à malo miniſtro, non poſſe impedire peccatum proximi, idque quod peccatum miniſtri de facto iam ſit admiſſum, vel quia tenetur is, qui ſacramenta petit ab huiuſmodi miniſtro malo, ſuſcipere ſacramenta præcepto ſuperioris.

Ad vlt. Ad vltimam, patet reſponſio ex his quæ diximus de miniſtris excommunicatis, & hæreticis: docuimus enim in extrema neceſſitate tantùm ab iſtis ſacramenta efflagitari poſſe, & item quandocumque excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, tolerantur in ſuis officijs, nec poſſumus alios conuenire, à quibus ſacramenta conſequi poſſimus.

DVBITATIO VLTIMA.

An intentio miniſtri ſit ſimpliciter neceſſaria ad validitatem ſacramenti.

Argumenta cõtraria. RATIO dubitandi prima eſt, D. Auguſt. tractatu 5. in Ioannem, ſcribit ſe nihil timere ebrietatem in miniſtro ebrio baptizante, hic autem intentionem debitam vix habere poteſt.

2. Secunda. Baptiſmus ioco ab Athanaſio puero adminiſtratus, cenſetur eſſe validus iudicio Alexandri, & ceterorum Epiſcoporum, vt referunt Nicephorus lib. 8. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 44. Euſeb. lib. 10. cap. 14. Rufinus lib. 10. hiſtoriæ cap. 14. intentio autem debita non fuit in Athanaſio puero, dum baptizaret, vt videtur, cum in eo non fuerit ætas ſufficiens ad huiuſmodi actum debitè exercendum. Deinde, fatentur communiter omnes in 4. diſt. 6. & Suarez, diſp. 13. ſect. 2. & Vazquez diſp. 138. baptiſmum ioco, & delectationis gratia adminiſtratum non eſſe validum.

3. Tertia. Nicolaus primus, referente Gratiano, de conſecratione, diſt. 4. can. quodam Iudæo, definit baptiſmum collatum ab homine, de quo dubitabatur, an eſſet Paganus, an verò Iudæus: vel nomine Chriſti, vel cum expreſſione diſtincta perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe validum, nulla facta mentione de intentione illius miniſtri, argumento igitur eſt intentionem miniſtri non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad validitatem ſacramenti.

4. Denique, ſi intentio miniſtri eſſet neceſſaria ad eſſentiam cuiuſlibet ſacramenti conſtituendam, ſequeretur vel intentionem externam, vel internam, vel vtramque ſimul eſſe neceſſariam; at ſunt plerique qui exiſtiment ſolam externam ſufficere, quæ nihil aliud eſt, quàm actualis applicatio materiæ debitæ, cum expreſſione actuali verborum præſcriptorum authoritate Chriſti.

CONCLVSIO. *Intentio faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, eſt ſimpliciter neceſſaria ad naturam, & eſſentiam cuiuſlibet ſacramenti perficiendam.* Hæc eſt de fide, in Concilio Florent. in decreto fidei, quod conſequitur vltimam ſeſſionem prædicti Concil. definita; *Hæc omnia* (inquit) *ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramenta cum intentione faciendi quod facit Eccleſia:* & in Concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem faciendi, ſaltem quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Intentio requiſita in miniſtro ad valorem ſacramenti. Concil. Florent. Synod. Trident.

Deinde, ità tradunt Patres; Cyprianus ſerm. de Cœna Domini: D. Auguſt. lib. 5. contra Donatiſtas, cap. 13. Hugo à ſancto Victore, lib. 2. parte 6. cap. 13. Magiſter in 4. diſt. 6. Bonauent. Scotus, Richard. Durand. Gabriel. Cyprian. D. Auguſt. Hugo à S. Victore. Magiſter. Bonauen

Accedit ratio 1. Sacerdos qui miniſtrat ſacramentum aliquod cenſetur eſſe inſtrumentum Dei, & ratione confectionis ſacramenti, & effectus producti per ſacramentum, non quodlibet ſed animatum & liberum: at inſtrumenta libera ſuos producunt effectus dependenter à ſpeciali eorumdem intentione; conuenit enim inter omnes agentia libera, non temerè caſu, vel fortuito, ſed propter finem operaria, & proinde à ſpeciali aliqua intentione: ergo vt valide conferatur ſacramentum debet miniſter habere intentionem. *Probatio 1.*

Secunda. Aſperſio v. g. quæ fit in baptiſmo, item verborum iſtorum, *Ego te baptizo &c.* prolatio, eſt indefinita, & indeterminata; poteſt enim reſpicere varios, & diuerſos fines: ergo deſideratur ſpecialis, & certa intentio in miniſtro baptiſmatis, ad hoc vt determinetur ablutio, & prolatio verborum ad effectum illius ſacramenti producendum. 2.

Tertia, in eo qui ſuſcipit ſacramentum aliquod, deſideratur ſpecialis intentio ſacramenti ſuſcipiendi, ſaltem ſi fuerit hic adultus, & compos rationis, vt communiter fatentur omnes, locis proximè citatis, & manifeſtè colligitur ex illo loco D. Auguſt. communiſſimo; *Qui fecit neſcientem, non iuſtificat niſi volentem:* ergo & in miniſtrante quoq; ſacramentum deſideratur ſpecialis intentio faciendi quod Eccleſia facit, vel quod Chriſtus inſtituit. 3.

Vltima ratio. Adminiſtratio cuiuſlibet ſacramenti cenſetur eſſe actus humanus; imputatur enim miniſtro ad culpam, ſi fuerit hæc adminiſtratio facta in ſtatu peccati mortalis, & item cenſetur eſſe hæc eadem meritoria, ſi fuerit facta ab homine conſtituto in gratia: meritum autem, & demeritum, ſunt proprietates actus humani, ex doctrina communi Theologorum de actibus humanis: ergo cum omnis actus humanus dicat certam aliquam intentionem operantis, intentio erit neceſſaria in miniſtro ſacramentorum. *Vlt.*

ROGABIS, *Cùm triplex ſit intentio*, ex doctrina communi Scholaſticorum, *habitualis ſcilicet, virtualis, & actualis, quænam ex iſtis ſit ſimpliciter neceſſaria ad validitatem ſacramenti?* Reſp. *habitualem nunquam ſufficere ad hoc vt ſacramentum de facto conſurgat:* eſt autem habitualis intentio ea quæ nunquam fuit extra ſuas cauſas, ſed tantum potuit poni, ſeu quod idem eſt, quæ *Intẽtio triplex habitualis, virtualis, & actualis. Dubium. Intentio habitualis quid ſit.*

Digitized by Google

haberi quidē poteſt à nobis, de facto tamen hunquam fuit habita, ac proinde dicitur habitualis.

Intentio actualis.

RESP 2. *Actualem intentionem, qualis eſt ea quæ de facto datur in nobis, quoties actu cogitamus, quid agimus dum ſacramenta volentes adminiſtramus, non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad validitatem ſacramenti*; hæc enim ob diſtractiones, quibus ſubijcimur, vix datur in vllo plane miniſtro dum ſacramenta adminiſtrat, neque tamen propterea ſacramenta, quæ nobis adminiſtrãtur, cenſentur eſſe inualida, omnium conſenſione.

Solutio. Virtualis intẽtio ſufficit ad ſacramenti valorem, & quid ſit.

RESP. VLTIMO, *intentionem virtualem ſatis eſſe ad ſacramenti cuiuſlibet validitatem*: hæc autem cenſetur eſſe ea quæ de facto extitit in nobis aliquando, actu verò minimè datur in nobis, virtute tamen manet, ratione impreſſionis in imaginatiua relictæ ex primo propoſito, quo quis humano modo ad agendum ſe applicuit, qua excitatur potentia motiua vt actus initio propoſitos perficiat. Ità authores proximè citati.

Notandũ.

Aduerte, nomine intentionis virtualis neceſſariæ ad validitatem cuiuſlibet ſacramenti in miniſtro ſacramenti, ſignificari internum aliquem actum elicitum à miniſtro ſacramenti, quo intendit verè facere, quod Chriſtus inſtituit, vel quod dictat Eccleſia eſſe faciendum: ità vt actus hic internus ſit neceſſariò exprimendus à miniſtro, quotieſcumque ſacramentum aliquod debet adminiſtrare, & quidem vel expreſſe, vel virtute.

Dubium.

ROGABIS, *An error perſonæ inualidet ſacramentum quod adminiſtratur, putà, quando quis intendit baptizare Petrum, & tamen is qui baptizatur non eſt Petrus, ſed Paulus.* Reſpond. *errorem perſonæ inualidare tantùm ſacramentum matrimonij*; idque quod conſenſus contrahentium habeat rationem, vel formæ, vel materię in matrimonio, & contrahentes illi, ſunt ſibi miniſtri illius ſacramenti: cùm ergo conſenſus contrahentis terminetur v.g. ad Liam, minimè verò ad Bertam, ideò error perſonæ inualidat matrimonium, omnium planè conſenſione, in tractatione de impedimentis matrimonij: in alijs verò omnibus ſacramentis, error perſonæ non facit ſacramentum adminiſtratum eſſe nullum, & inualidum. Ità docent communiter omnes Thomiſtæ ad art. 8. huius quæſtionis ſancti Thomæ. Deinde, qui cetera ſacramenta à matrimonio adminiſtrat, intendit ea conferre illi quem præſentem videt, ſiue fuerit hic Petrus, ſiue Paulus, vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis; *Ego te baptizo. Ego te abſoluo. Confirmo te &c. Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, hoc eſt corpus meũ. Indulgeat tibi quicquid per oculos peccaſti, &c.* verba enim iſta, quæ ſunt formæ ceterorum ſacramentorũ à matrimonio, arguunt materiam præſentem, vt conſtat ex pronomine, *te*, vel, *tibi*, ex iſtis, *Accepit panem*, & item. *Accipe poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti*; & rurſus, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c.* quæ ſunt verba quibus conſecratur aliquis ſacerdos: ergo.

Error perſonæ inualidat tantũ ſacramentũ matrimonij & quare.

Tertio, Si miniſter dum ſacramenta, matrimonio tamen excepto, adminiſtrat, intenderet conſecrare Petrum, v. g. & non Paulum quem præſentem habet, & cui adminiſtrat aliud ex his ſacramentis de facto, exponeret ſe periculo ſacrilegij maximi; non enim licet ſacramentum aliquod ex iſtis ſex abſenti adminiſtrare, vt definiuit Clemens VIII. de ſacramento penitentiæ, ante paucos annos, contra nonnullos Theologos qui putarunt penitentem abſentem poſſe abſolui per litteras. Deinde, quia diximus ſacramenta iſta poſtulare ex vi verborum præſcriptorum à Chriſto præſentiam materiæ, ſeu ſubiecti, quod ſacramentum recipit: ergo debet illud habere præſens.

Obiectio.

INQVIES; *Quid ſi miniſter ſacramenti velit tantum baptizare Petrum, nullo modo verò Paulum, etiamſi Petrus ſit præſens?* Reſpondeo, cum qui in data hypotheſi recipit baptiſmum nullo modo eſſe baptizatum; dicimus enim intentionem miniſtri eſſe ſimpliciter neceſſariam, ad hoc vt aliquis verè baptizetur: hypotheſis autem iſta ſupponit ſacerdotem hunc nullo modo velle baptizare Petrum, etiamſi Petrus fuerit præſens, ſed Paulum tantum; non ergo Petrus eſſet baptizatus in data hypotheſi: peccaret tamen ſacerdos grauiſſime, debet enim ſemper intendere conferre ſacramentum ei, quem præſentem habet: ità communiter omnes.

Reſponſio.

Soluuntur argumenta contraria.

Ad rationes vero dubitandi reſp. Ad 1. D. Auguſtinum eo in loco diſputare de eo, qui eſt ebrius habitu, minime vere actu; ſeu, quod idem eſt, de ebrioſo, qui ducit in conſuetudinem inebriari, aſſeritque de iſto, ſe non formidare ebrietatem eius, quando ſacramenta adminiſtrat idque quia tempore ebrietatis ſacramenta minime tractat, ſed tantùm vbi ab ebrietate eſt liberatus; extra enim ebrietatem eſt vere compos rationis, ac proinde cum debita intentione ſacramentum baptiſmi poterit hic adminiſtrare.

1.

Auguſtinus non timet ebrioſum adminiſtrare ſacramenta, bene tamẽ ebriũ, & cur.

Ad 2. Baptiſmum ioco, & ludicre tantum adminiſtratum eſſe nullum; baptiſmum tamen ab Athanaſio collatum in tenera ætate non fuiſſe tantum ioco, & delectationis gratia adminiſtratum, ſed ſerio: tum quia baptizauit hic non quoſlibet pueros ibidem exiſtentes, ſed ſolos catechumenos; tum eriam quia interrogatus ab Alexandro, Alexandriæ vrbis Epiſcopo, & à ceteris vicinis Epiſcopis, quidnam intendiſſet ille præſtare, dum Catechumenos baptizaret? Reſpondit, ſe voluiſſe facere illud idem quod facit Epiſcopus, dum ſacramentum baptiſmi confert: tum denique, quia fuit Athan. in ætate legitima, ad hoc vt valide ſacramentum baptiſmi conferre poſſet; erat enim eo tempore ſufficienter inſtructus in his quæ ſunt religionis Chriſtianæ, & attigerat ætatem adultam ex quorumdam ſententia.

2.

Baptiſma ludicrum non eſt ſacramentũ.

Ad 3. reſp. ex reſponſo Nicolai nihil contra communem ſententiam colligi poſſe: argumentum ſiquidem ab authoritate negatiue ſumptum, eſt nullum, omnium Logicorum conſenſu.

3.

Intentio intrinſeca adminiſtrandi ſacramentũ ad valorem ſacramenti eſt neceſſaria, & quo modo.

Ad vltimam reſp. præter intentionem externam, quæ nihil aliud eſt, quàm actualis prolatio verborum, & applicatio materiæ, deſideratur ad validitatem cuiuſlibet ſacramenti intentio intrinſeca de adminiſtrando ſacramento. Primùm, quia Concil. Florent. & Trident. præter materiã, & formam aiunt miniſtrum, & intentionem faciendi quod facit Eccleſia, neceſſariam eſſe ad validitatem ſacramenti cuiuſlibet. Deinde, quia poſita tali interna intentione ſacramenta maiori cum reuerentia pertractantur à nobis. Denique, ſi interna iſta intentio non eſſet neceſſaria ad validitatem ſacramenti, & ſufficeret externa, ſtultus, & dementatus valide conſecrare poſſet, ſi ex hypotheſi eſſet hic vere Sacerdos, quod tamen negant omnes.

Aduerte autem intentionem iſtam internam non eſſe neceſſario exprimendam formaliter, & expreſſe;

Digitized by Google

expreſſe; ſatis enim eſt ſi fuerit expreſſa virtute, exercendo, ſcilicet, aliquem actum, in quo virtute contineatur eiuſmodi formalis intentio, vt communiter docent omnes in 4. diſt. 6. Thomiſtæ verò ad articulum 8. huius quæſtionis D. Thom.

ARTICVLVS NONVS.

Virum fides miniſtri ſit de neceſſitate ſacramenti.

RESPONDET D. Thom. negatiue.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum intentio miniſtri recta, requiratur ad perfectionem ſacramenti.

RESPONDET ſub diſtinctione, intentionem videlicet miniſtri rectam reſpectu ipſius ſacramenti eſſe neceſſariam, non autem in ordine ad id quod ſequitur ſacramentum, nihil enim prohibet quominus quis baptizet v. g. propter vanam gloriam, aut turpe lucrum, & tamen baptiſmus erit validus, ſi fuerit adminiſtratus cum debita materia, & forma, & denique intentione faciendi quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus inſtituit.

DVBITATIO VNICA.

An ad valorem ſacramentorum vera fides ſit neceſſaria in eorum miniſtro.

AGRIPPINVS Epiſcopus Carthaginenſis referente Cyprianо, & alij Epiſcopi Numidiæ, docuerunt fidem eſſe ſimpliciter neceſſariam in miniſtro, vt videre licet epiſt. 61. & apud
Auguſt. D. Auguſt. lib. de vnico baptiſmo cap. 13. & lib. 2. de baptiſmo paruulorum contra Donatiſtas:
Vincent. Lirinenſ. & Vincentium Lirinenſem aduerſus prophanas
Cyprian. nouitates: placuit & hæc eadē opinio Cypriano, vt conſtat ex epiſt. proximè citata eiuſdem, & ex epiſt. 76. ex diſpoſitione Pamelij, & ex Euſebio in libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & ex Nicephoro. Subſcripſerunt & Donatiſtæ iſtis, vt author eſt D. Auguſt. libris contra eoſdem; Eunomiani, & Armenij referente Guidone Carmelita in opere de hæreſibus.

Cyprian. Probat Cyprianus: *Spiritus ſanctus ab illis tantum dari poteſt qui illum habent; at hæretici non habent Spiritum ſanctum:* ergo illi non poſſunt valide conferre ſacramenta, ità epiſt. 76. ratiocinatur.

Deinde, baptizati à Ioanne, fuerunt rebaptizati, vt conſtat ex Actis Apoſtolicis: ergo à fortiori qui ab hæreticis baptizantur. Tertiò, apud Iconum Phrygiæ vrbem, celebratum fuit Concilium in quo res hæc fuit ità definita, cuius meminit Cyprian. epiſt. 71.

Quarto, ſola ſponſa Chriſti filios eiuſdem generare poteſt; at hæreſis non eſt ſponſa Chriſti, ſed ſola Eccleſia vera. Quinto, ſacramenta eſſe tantum poſſunt in vera Eccleſia. Sexto, poteſtas remittendi peccata data fuit Apoſtolis, & ſolis ſucIoann. 20. ceſſoribus eorumdem, ex cap. 20. Ioannis; *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* hæretici autem non ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Denique, Athan. ſerm. 3. contra Arrianos, ait, eos poſſe tantum dare Spiritum ſanctum, qui rectè de Deo ſentiunt, & qui rectam fidem habent. Ambroſ. lib. de iis qui myſterijs initiantur, cap. 4. ait, ſacramenta malorum non purgare, ſed potius polluere.

CONCLVSIO. *Fides vera non eſt neceſſaria in miniſtro ſacramentorum ad hoc vt conferantur validè, neque etiam in ſuſcipiente.* Prima pars huius Concluſionis videtur definita in Concilio Tri- Concilia.
dent. ſeſſ. 7. can. 12. de ſacramentis in genere; damnantur enim illic tanquam hæretici, qui aiunt, ſacramenta non conferri valide à conſtitutis in ſtatu peccati mortalis: & in Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. & 10. ſimile quid habetur, & cap. 4. ſeſſ. 7. Cōcilij Trident. de baptiſmo, definitur boptiſmum collatum ab hæreticis eſſe validum, modo debitam formam, & materiam intentionémque faciendi quod Eccleſia facit, inter baptizandum retinuerint: & in Concil. Carthagin. 1. can. 1. & in Arelatenſi, cap. 17. ſimile quid definitum fuit.

Accedunt placita ſummorū Pontificum, maxi- Summi
mè vero Siricij epiſt. 1. ad Hymeriam, Innocen- Pōtifices.
tij I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, Gregorij Magni epiſt. 77. ad Anicetum, Anaſtaſij II. in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem.

Tertiò, ità docent Patres, Optatus Mileuitanus, in lib. contra Parmenianum, qui extat tom. 2. Bi- Patres.
bliothecæ veterum Patrum: Nazianzenus orat. de ſancto Baptiſmo, Hieronymus in dialogo con- Auguſt.
tra Luciferianos, & D. Auguſt. libb. contra Donatiſtas de baptiſmo paruulorum paſſim, lib. ſiquidem 1. docet ab Eccleſia Catholica recedentes, tranſeuntes ad hęreticos non amittere baptiſmum propterea, ſed tantùm modum & vtilitatem eiuſdem, & conſequenter non eſſe mirum ſi extra Eccleſiam poſſint huiuſmodi baptiſmum alicui alteri applicare: & lib. 4. ait, Eccleſiam nuncupari hortum concluſum, & fontem ſignatum, in ea tamen extare ſpinas diabolicas, zizanias eiuſdem; ac proinde non eſſe mirum ſi extra Eccleſiam recipiatur aliquid quod ſit Dei, cum intrà Eccleſiam recipiatur aliquid quod eſt dæmonis, & non Chriſti, & lib. 5. cap. 18. comparat aquam baptiſmi aquis diluuij; docétque quod quemadmodum aquæ diluuij alijs excidio, nēpe agentibus extra arcā Noë fuerunt, alijs vero profuerunt ad ſalutem, nempe conſtitutis intrà arcam Noë: ità aquæ baptiſmi conducunt exiſtentibus in Eccleſia ad vitam æternam, agentibus vero extra Eccleſiam ad ęternam damnationem: & lib. 6. & 7. docet, argumenta Cypriani probare ſacramenta à conſtitutis in ſtatu peccati mortalis eſſe inualida, non minùs quàm agentibus in hæreſi, & tamen Cyprianus docuit, ſacramenta adminiſtrata à malis miniſtris eſſe valida; ità ſentiunt D. Th. art. 9. huius quæſt. & interpretes eiuſdem omnes.

Secunda vero pars probatur. Simon Magus cen- *Probatio 2. partis.*
ſetur eſſe vere baptizatus in Actis Apoſtolorum, 1.
cap. 8. & tamen hic conſequutus eſt baptiſmum in ſtatu peccati mortalis, vt videtur colligi ex his quæ habentur in eodem capite. Deinde, baptizati 2.
ab hæreticis non rebaptizantur ab Eccleſia Catholica, argumento igitur eſt fidem veram non eſſe neceſſariam in eo qui baptizatur; etiamſi fuerit hic baptizatus in ætate adulta. Tertiò, tria de- 3.
finiuntur tantum neceſſaria ad hoc vt ſacramenta conſurgant, materia, forma, & intentio miniſtri; vt conſtat ex decreto Eugenij IV. quod extat poſt

vltimam ſeſſionem Concilij Florent. ità communiter omnes. A

Diſſoluuntur rationes contrariæ.

Ad rationes vero contrarias reſp. Ad 1. Spiritum ſanctum dari ab illis in quibus non exiſtit per ſuam gratiam formaliter, & intrinſecè, etiam ex mente Cypriani; concedit enim hic miniſtrum ſacramenti conſtitutum in ſtatu peccati mortalis, diuerſi ab hæreſi, valide conferre ſacramentum. Deinde, propoſitio iſta: *nemo dat, quod non habet*, cenſetur eſſe falſa, iudicio D. Auguſt. in lib. contra Pelagianos, ait enim illic parentes baptizatos tranſmittere peccatum originale per actum generationis naturalis in filios, & tamen peccatum hoc originale non eſt in parentibus baptizatis: vlterius cæcus generat videntem, & tamen in cæco non datur viſus. B

2. Ad 2. Baptizatos baptiſmo Ioannis merito fuiſſe rebaptizatos, quia baptiſmus Ioannis fuit tantum diſpoſitio ad baptiſmum Chriſti ſuſcipiendum, neque potuit hic baptiſmus Ioannis remittere peccata vlla.

3. Ad 3. Concilium huiuſmodi fuiſſe improbatum authoritate Eccleſiæ, & ſummi Pontificis, vt conſtat ex Concilijs ſupra cit. à nobis in confirmationem noſtræ Concluſionis.

4. Ad 4. Eum qui non eſt in Eccleſia propter peccatum hæreſeos, verè conferre medium, quo quis regeneratur ſpiritualiter, ac proinde quo ſit filius Dei; miniſter enim hæreticus, licet ratione propriæ perſonæ non ſit in Eccleſia; eſt tamen in eadem ratione functionis, & miniſterij quod exercet dum ſacramenta adminiſtrat. C

5. Ad 5. Sacramenta verè repetiri extra Eccleſiam, vt conſtat de ſacramentis baptiſmi, & matrimonij, hæc enim duo verè dantur apud Calumniſtas, ſaltem in illis locis in quibus Concilium Tridentinum non eſt publicatum; vnde poterunt validè iſti hæretici baptizare, cum miniſter baptiſmi ſit quilibet homo, vt probabitur alibi.

Aduerte, quòd licet ſacramenta vera recipiantur apud hæreticos, non eſſe tamen iſtis vtilia tamdiu, quamdiu manent in hæreſi, idque D propter peccatum hæreſis, in quo verſantur, & de quo nullam agunt penitentiam.

6. Ad 6. Poteſtatem remittendi peccata datam fuiſſe Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorumdem, medio ſacramento Ordinis presbyteratus, aut, vt alij volunt, media abſolutione ſacramentali; de hac enim explicatur cómuniter ab omnibus locus hic Ioannis; *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* vnde ex hoc ſolum colligere licet eum, qui non eſt Sacerdos, non poſſe remittere peccata media abſolutione ſacramentali, quod nos vltro cócedimus; poterit tamen medio baptiſmo aliquis etiam hæreticus remittere peccata, cum miniſter huius ſacramenti ſit quilibet homo ex E inſtitutione diuina; ſaltem in extrema neceſſitate.

Ioan. 20.

Vltima.

Ad vltimam, loca iſta ſanctorum Patrum intelligenda eſſe de hæreticis qui ſacramenta pertractant non retentis debitis formis, & materijs eorumdem, quales fuerunt Eunomiani, qui baptizabant in nomine Patris, & Filij, prætermiſſo Spiritu ſancto, quem putabant non eſſe Deum.

QVÆSTIO LXV.

De numero Sacramentorum.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. *ſeptem eſſe noua legis ſacramenta*, quæ doctrina eſt manifeſtè de fide Catholica: ità enim fuit hæc res definita in Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacramentis in genere, *Si quis dixerit non omnia noua legis ſacramenta eſſe à Deo noſtro Ieſu Chriſto inſtituta; aut, ea eſſe plura, aut pauciora, quam ſeptem, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, anathema ſit*: quæ res fuerat inſinuata in Concilio Florentino in decreto vnionis: idem docent omnes Patres, vt probabitur de quolibet ſacramento in particulari, ſuo loco. Concil. Trident.

Obijciunt hæretici noſtri temporis, qui putant duo tantum eſſe ſacramenta, *Baptiſmum*, ſcilicet, & *Cœnam*, vel *panem*, vt loquuntur Lutherani: Patres, inquiunt, duo tantum prædicta ſacramenta admittunt, vt conſtat ex D. Auguſt. epiſt. 118. ergo, cum in ſacris literis non habeamus ſeptem eſſe ſacramenta, doctrina D. Thom. non erit catholica. Móneo tamen, obiter Caluinum admittere ordinationem miniſtrorum, veluti tertium ſacramentum. *Obiectio.*

Reſp. Falſum eſſe D. Auguſtinum duo tantum admittere ſacramenta, *Baptiſmum*, ſcilicet, & *Euchariſtiam*; ità enim loquitur epiſt. illa citata; *Primo te tenere volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio dicit, leui iugo ſuo nos ſubdidiſſe farcina leui, vnde ſacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicut eſt baptiſmus, in nomine Trinitatis conſecratus, & communicatio ſanguinis, & corporis ipſius, & ſi quid aliud in Canonicis ſcripturis commendatur*: quæ particula poſtrema prætermittitur ab hæreticis, quotieſcumque locum hunc D. Auguſtini citant; vt ità facilius imponant ſimplicibus, & idiotis, ex qua tamen manifeſtè colligitur plura eſſe ſacramenta, quàm Baptiſmum & Euchariſtiam. Idem colligere licet ex lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 7. *Reſponſio.* *Locus celebris Auguſtini epiſt. 118. ad Ianuarium.*

2. Deinde, ſeptenarius numerus ſacramentorum non ideo aſſeritur à nobis, quod hic habeatur expreſſus in ſacris litteris, ſed quod ex iſtis colligatur, accedente traditione Apoſtolica, quæ non eſt minoris authoritatis, quàm ſit ipſa Scriptura ſacra: Et certè, ſi ſummo iure agatur cum hæreticis, ex illo fundamento ſequitur nullum dari ſacramentum, Matrimonio excepto; nam, nec de Euchariſtia, nec de baptiſmo ſcriptura dicit eſſe ſacramenta.

Porrò huius ſeptenarij numeri in ſacris codicibus præceſſere plures figuræ; ſignificatur quippe per ſeptem columnas exciſas, in domo Dei, *Prouerb.* 9. per ſeptem ſigilla obſignantia librum clauſum, *Figura ſeptem ſacramentorum.* Prouer. 9.

Digitized by Google

Apocal. 5. clauſum, *Apocal. cap.* 5. Per ſeptem ſtellas, *ibidem cap.* 2. per ſeptem tubas, *cap.* 8. per ſeptem oculos, Zachar. 4. quos vidit Zacharias ſuper lapidem, *cap.* 4. per ſeptem lucernas quibus inſtructum fuit candelabrum in templo Salomonis. *Exod.* 25. per ſeptem Exod. 25. lotiones, quibus Naamam mundatus eſt à lepra. 4. Reg. 5. 4. *Regum, cap.* 5. Per ſeptem ſpicas, quas vidit Pharao, *Geneſ. cap.* 4. Per ſeptem dies, quibus fiebat Genes. 41. expiatio peccatorum, *Numeror.* 28. Per ſeptem Nume. 27. tauros, quos ſacrificauerunt amici Iob, vt illis Iob. 42. peccata remitterentur, *cap.* 42. Denique, per ſeptem panes, quibus Chriſtus populum paſcit, & Matth. 15. reficit. *Matth.* 15.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An debitè ordinentur Sacramenta.

Debitè ordinantur 7. ſacramẽta.

RESPONDET debite ordinari ſacramenta eo modo, quo fuerunt à nobis adducta, articulo proximè antecedente: cùm enim vnitas ſit prior numero, & ſacramenta quinque priora reſpiciant ſalutem cuiuſlibet particularis; & duo poſteriora reſpiciant hominum ſocietatem, recte poſteriori loco hæc collocantur, illa verò ſibi primas ſedes vendicant.

ARTICVLO 3. docet Euchariſtiam eſſe omnium ſacramentorum præſtantiſſimam, ſi res in ea contenta aduertatur; continetur enim in Euchariſtia Chriſtus verus Deus, & verus homo: ſi tamen neceſſitas ſacramenti attendatur, Baptiſmus, & Penitentia ceteris omnibus ſunt præſtantiora: quemadmodum & Matrimonium ſi ſignificatio conſideretur; repræſentat enim hoc vnionem Chriſti cum Eccleſia. Si vero ſacramenta ſpectentur in ordine ad miniſtrum, Confirmatio, & Ordo primas partes ſibi vendicant, hæc enim duo ſacramenta poſſunt tantum ab Epiſcopo adminiſtrari ſaltem ordinariè.

ARTICVLO VLTIMO, tradit baptiſmum, & penitentiam eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, & item Ordinem, non tamen eodem modo; nam duo priora ſacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ſingulis in particulari ad vitam æternam obtinendam. Ordo verò non eſt neceſſarius ſingulis, ſed tantùm in vniuerſum toti Eccleſiæ, ad hoc vt Eccleſia ſalutem conſequatur: ſed de iſtis diſſereturſuo loco in particulari.

DE SACRAMENTIS IN PARTICVLARI.

QVÆSTIO LXVI.

De pertinentibus ad ſacramentum Baptiſmi.

In baptiſmo tria reperiuntur.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. in ſacramento Baptiſmi reperiri tria: ſacramentum, ſcilicet, rem, & denique ſacramentum, & rem ſimul. Primum, dicit eſſe ablutionem cum verbis iſtis; *Ego te baptizo*: hæc enim duo ſignificant, & nulla ratione ſignificantur, ac proinde recte ſacramentum dicitur, cum docuerimus ſupra quæſt. 60. ſacramentum, vt ſic, eſſe ſignum; ſeu, quod idem eſt, ſacramentum, vt ſic, ſignificare: res vero in baptiſmo eſt gratia gratum faciens, quæ producitur à ſacramento: vnde ſignificatur hæc, & quidem ità, vt nulla ratione ſignificet aliquid aliud ſacramentum, & rem in baptiſmo aſſerit D. Thom. eſſe characterem, idque quod character ſignificet gratiam regenerationis, & præterea ſignificetur hic ab ablutione, & verbis iſtis; *Ego te baptizo, &c.* licèt autem hæc tria in omni ſacramento nouæ legis reperiantur, non tamen hac eadem ratione explicantur in omnibus ſacramentis, vt conſtabit ex his quæ dicimus de Euchariſtia, in qua res ſacramenti, & ſacramentum, eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum, & ex his quæ communiter traduntur à Theologis de contritione; hæc enim & eſt ſacramentum, & res ſacramenti penitentiæ. Addit D. Thom. baptiſmum eſſe ablutionem corporis externam, factam ſub forma verborum præſcripta.

ARTICVLO 2. docet baptiſmum ante Chriſti paſſionem fuiſſe inſtitutum. Circa duos iſtos articulos, explicandæ ſunt Dubitationes ſequentes.

Digitized by Google

A

DVBITATIO PRIMA.

Quid significet hoc nomen baptismus; & quibus nominibus significetur sacramentum baptismi.

Baptismus vox Græca.

RESPONDEO 1. *Nomen baptismi, dictionem esse Græcam, quæ significat intinctionem, aut immersionem, aut etiam ablutionem, & quidem quamlibet vulgarem, & communem,* vt colligere licet ex
Iudith 12. his quæ habentur Iudith 12. dicitur enim de ea eo in loco, quod baptizaret se ad fontem.

Deinde, significat etiam afflictiones, miserias, & ærumnas, quas in hac vita sustinemus, vt ma-
Marc. 10. nifeste colligitur ex cap. 10. Marci; *Potestis*, in- B quit Christus ad filios Zebedæi, *bibere calicem quem ego bibiturus sum, aut baptizari eo baptismo quo ego baptizor?* ac si diceret: potestisne mori, & torqueri, quemadmodum ego morior & torqueor, vt patet ex verbis Lucæ 12.

Denique, baptismus denotat ablutionem mysticam quæ fit in sacramento baptismatis, seu, quod idem est, ipsummet sacramentum baptismi,
Marc. 16. vt probatur euidenter ex illo Marci 16. *Qui cre-*
Matth. vlt. *diderit, & baptizatus fuerit, &c.* & Matth. vltimo; *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* in hoc autem toto tractatu vsurpatur à nobis nomen baptismi iuxta vltimam significationem.

Baptismus dicitur lauacrum.

RESPONDEO 2. *Sacramentum baptismi* C *nuncupari lauacrum regenerationis:* ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus*
Tit. 3. *sancti:* interdum nuncupatur etiam hostia pro
Hebr. 10. peccatis, Hebræorum 10. *Volontariè enim peccantibus post acceptam veritatem non relinquitur amplius hostia pro peccatis,* id est, vt explicant plerique Patres, susceptо semel baptismate, & interueniente postea peccato mortali in eo qui baptismum suscepit, non potest hic amplius iustificari per baptismum.
Hostia.

Tertio. Nuncupatur nonumquam, *fidei sacra-*
D. August. *mentum,* vt constat ex D. August. epist. 23. Basi-
Fidei sacramentum. lio, in exhortatione ad baptismum, & Clemente, 7. Constitutionum Apostolicarum, cap. 23. D

Illuminatio.

Quarto, vocatur *illuminatio* apud Dionysium, cap. 3. cælestis Hierarchiæ, & apud Gregorium Nazianzenum, orat. 40. apud Clement. Alexandrinum lib. pædagogi, cap. 7. Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi 1. 6. & 9. Catecheses siquidem istas nuncupat *illuminationes*, est autem vox illa desumpta ex Paulo ad Hebræos 6. & 10. Di-
Gratia & vnctio. citur præterea, *gratia, & vnctio*, apud Tertullianum: gratia quidem, quod gratuito remittat sacramentum hoc in nobis omnem culpam, & omnem pœnam debitam peccato: *Vnctio* verò, quod medio hoc sacramento vnctionem internam Spiritus sancti consequamur, adscribamúrque proin-
1. Petr. 2. de inter filios Dei, qui dicuntur, *Gens sancta, po-* E *pulus acquisitionis, regale sacerdotium.* Vocatur item
Tit. 3. *regeneratio,* ad Titum cap. 3. & Ioann. 3. *Nisi quis*
Ioann. 3. *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in*
Regeneratio. *regnum cœlorum. Sigillum*, seu *signaculum*, ratione characteris quem imprimit, vt constat ex D. Th.
D. Thom. hoc loco: legendus autem est Damasc. lib. 4. de
Sigillum. fide, cap. 10. & Cyrillus Hierosolymitanus in præ-
Cyrill. fatione suarum catecheseon: ita enim loquitur illic de baptismo; *Baptisma*, inquit, *est captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, anima regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile; currus ad cœlum, deliciæ paradisi, regni cælestis conciliatio, & charisma adoptionis filiorũ.*

DVBITATIO SECVNDA.

Quid sit baptismus.

ADVERTE, Baptismum physicè definiri Dionys.
posse, & metaphysicè; posteriori modo dicitur, *sacramentum gratiæ regenerationis:* ità à Dionysio cap. 2. Ecclesiasticæ hierarchiæ, & à Catechismo authoritate Concilij Tridentini conscri- Trident.
pto, vbi sic loquitur: *Baptismus est signum, seu sa-* Synod.
cramentum gratiæ regenerationis per lauacrum aquæ, *Definitio*
& verbum vitæ, quæ definitio ex communi Theo- *baptismi.*
logorum opinione censetur esse optima; *sacramentum* enim locum generis obtinet, reliquæ verò particulæ locum differentiæ; per istas namque particulas separatur baptismus ab omnibus alijs sacramentis nouæ legis. A *Confirmatione* quidem, quoniam hæc confert gratiam, qua roboratur homo, vt militari modo tueatur fidem. Ab *Eucharistia*, quia hæc nutrit hominem vita spirituali, vt sic. A *Penitentia*, quia hæc restituit homini vitam spiritualem per peccatum mortale deperditam. Ab *extrema Vnctione*, quia hæc reliquias peccatorum, & imbecillitatem ex peccatis relictam destruit. Ab *Ordine*, quia hic gratiam confert, ad hoc vt quis sacramenta digne administret. Denique, *à Matrimonio*, quia hoc suppeditat gratiam ad onera matrimonij sustinenda; Baptismus verò confert gratiam, vt regeneremur in Christo; & ità in eo viuere incipiamus.

Dices, Tertullianum definiuisse baptismum. *Obiectio.*
Sacramentum aquæ, Clementem verò Alexandrinum, *id quo tincti illuminamur & illuminati in filios Dei adoptamur.*

Resp. Tertullianum descripsisse, non autem *Responsio.*
definiuisse eo in loco baptismũ. Clementem verò Alexandrinum idem dicere re, quod definitio à nobis supra posita: nam per particulam, *id quo*, intelligit sacramentum regenerationis, seu, quod idem est, genus sacramenti baptismi; per particulas vero istas, *(tincti illuminamur)* differentiam sacramenti baptismi; hæc enim est gratia regenerationis, vel potius principium, quod dicit ordinem ad gratiam regenerantem producendam: docuimus enim in antecedentibus sacramenta nouæ legis distingui inter se specie; & differentiam hanc specificam repetendam esse à formis varijs, & diuersis, quæ dantur in sacramentis, & ab effectis, quos producunt, & ad quos dicunt respectus & habitudines: forma autem baptismi sunt ista verba, *Ego te baptizo*, quæ intrinsecum, & essentialem ordinem dicunt ad gratiam regenerationis in nobis producendam; quocirca definitio hæc Clementis Alexandrini eadem plane est, cum ea quam nos posuimus ex Dionys. Areopagita, distinguitúrque tantùm solo nomine, seu verborum distinctione.

Physicè verò definitur baptismus; *Ablutio externa corporis facta sub forma verborum præscripta.* Circa quam sit,

DVBITATIO TERTIA.

An legitima sit hæc definitio.

RATIO dubitandi est. Tum quia materia *Definitio*
baptismi est aqua, ex illo Ioannis 3. *Nisi quis* *physicè ba-*
renatus fuerit ex aqua, &c. tum quia nulla pars *ptismi.*
enunciatur de suo toto; neque enim dicitur cor- Ioann. 3.

Digitized by Google

pus humanum eſſe pedem, definitio autem hæc dicit baptiſmum eſſe ablutionem, quæ tamen eſt pars vnica baptiſmi; tum quia, ſi quis baptizaret ſeipſum,& proferret iſta verba; *Ego te baptizo,&c.* etiamſi ex hypotheſi hic eſſet ſtultus, darentur in eo baptiſmate omnia illa quæ continentur in hac definitione: ergo non eſt rectè tradita.

Definitio baptiſmi recte tradita. CONCLVSIO. *Definitio proximè poſita baptiſmi, ſpectata phyſicè tantùm, eſt legitima.* Primùm, quia tradita eſt à D. Th. art. 2. huius quæſt. probatúrque, omnibus interpretibus eiuſdem, & *Probatio 1.* Sententiarijs; maximè verò Magiſtro, ex quo fuit deſumpta, diſt. 3. lib. 4.

2. Deinde, illa definitio phyſicè ſpectata cenſetur bona, quæ explicat materiam, & formam rei de- B finitæ; at definitio proximè poſita eſt huiuſmodi: dicemus enim articulo 3. huius quæſtionis ablutionem eſſe materiam proximam baptiſmi, formam verò verba iſta; *Ego te baptizo, &c.* ergo, cùm hęc duo explicentur in dicta definitione, hæc conſtabit ſuis numeris.

3. Tertiò, accedit ad rationem loquendi Pauli, Epheſ. 5. Epheſiorum 5. vbi hæc habet de baptiſmo; *Mundans eam*, ſcilicet Eccleſiam, *lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Solumntur rationes. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. aquam eſſe materiam remotam baptiſmi, ablutionem verò proximam, explicarique ſatis proinde in dicta definitione; neque enim ablutio baptiſ- C matis poteſt fieri aliter quàm in aqua naturali, vt probabitur inferius.

Deinde, aqua extra vſum, ſeu ablutionem, non eſt materia ſacramenti baptiſmatis, cum hoc ſit in vſu poſitum, ità vt tamdiu ſit, quamdiu adminiſtratur: vnde tamdiu quoque aqua erit materia iſtius ſacramenti, quamdiu abluet, & habebit adiunctam formam à Chriſto præſcriptam.

2. Ad 2. reſpondent aliqui baptiſmum rectè nuncupari ablutionem; quia licèt ablutio ſit altera tantum pars baptiſmi, continet tamen perfectiſſimè totam ſignificationem, quæ competit baptiſ- *Refellitur aliquorum reſponſio.* mo: Ceterùm hæc reſponſio nulla ratione defendi poteſt: ſignificatio ſiquidem, quæ competit D ſacramento baptiſmi, non ſolum exprimitur per ablutionem, ſed etiam per verba ſimul à Chriſto inſtituta, quæ habent rationem formæ, & quorum proinde ſignificatio pertinet etiam ad rationem ſacramenti. Deinde, ſignificare competit magis verbis, quàm rebus, definiuntur enim & determinantur res ad aliquod ſacramentum per verba, vnde quemadmodum corpus dicitur animatum, à forma viuente, ità & materia cuiuſlibet ſacramenti dicitur quodammodo ſignificare dependenter à verbis. Confirmatur, ex doctrina D. Auguſt. in lib. de doctrina Chriſtiana, vbi docet *verba eſſe magis apta ad ſignificandum quàm res.*

Germana reſponſio. Reſpondeo ergo, baptiſmum nuncupari defi- E nitione proximè commemorata, *ablutionem*, non quidem ſolam, ſed cum verbis coniunctam, hæc ſiquidem verè ponuntur in huiuſmodi definitione, non quidem expreſſe, ſed virtute & eminenter: & quoniam duæ ſunt tantummodo partes eſſentiales baptiſmi, ablutio, ſcilicet, & verba à Chriſto præſcripta, ideo baptiſmus rectè dicitur ablutio, cum verbis illis; partes enim omnes alicuius totius ſimul, rectè dicũtur totum ipſum, & contra, vt eſt per ſe notum.

Vltima diſſoluitur. Ad vltimam reſpondeo, eum qui ablueret ſeipſum, & proferret verba, *Ego te baptizo*, minime confecturum ſacramentum baptiſmi; nam verba,

ſeu forma baptiſmi debent eſſe ſimpliciter vera ad hoc vt baptiſmus conſurgat, in data autem hypotheſi, forma non eſt vera, hæc namque poſtulat, vt qui baptizatur ſit perſona diſtincta realiter à baptizante; vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis: *Ego te baptizo, &c.* debet præterea is qui ſacramentum adminiſtrat eſſe compos rationis neceſſariò: nam diximus miniſtrum ſacramentorum eſſe inſtrumentum animatum, & liberum Dei ordinatione, & conſequenter Baptiſmus nunquam celebrari poterit valide ab eo, qui caret vſu rationis: non fuit autem neceſſe duo hæc à nobis explicata collocare in definitione baptiſmi, hæc enim ſunt vnicuique peruia, aduertendo formam præſcriptam à Chriſto ſacramenti baptiſmatis, & ſuppoſita inſtitutione eiuſdem de miniſtris liberis ſacramentorum.

ROGABIS, *An ablutio hæc ſit actio, vel paſſio.* Reſp. *& eſſe actionem, & paſſionem, ac proinde vtroque modo pertinere ad cauſam materialem baptiſmi.* Primùm, quia de fide eſt ſacramenta nouæ legis facere quod ſignificant, facere autem, eſt agere. Deinde, gratia regenerationis quæ producitur in baptizatis, eſt à Deo tanquam à cauſa præcipua, & principali effectiua; à miniſtro verò & à ſacramento, tanquam ab inſtrumentis phyſicis. Tertiò, tot ſunt ſacramenta baptiſmi v. g. quot ſunt perſonæ, quibus baptiſmus fuit adminiſtratus. Rurſus, actio tranſiens, & paſſio non ſunt duæ res realiter diſtinctæ: ſed vna, & eadé: dicitur actio, vt eſt ab agente, paſſio vero, vt in patiente recipitur. Deniq; licet ablutio ſpectata vt eſt paſſio, nihil producat in corpore, ſed tantum recipiatur in eo; certum tamen eſt eam hoc modo conſideratam producere aliquid intrà animam illius, qui baptizatur, nempe gratiam regenerantem: Deus enim tam vere eleuat ablutionem, vt eſt paſſio, quàm vt eſt actio ad gratiam producendam: ergo ablutio & vt eſt actio, & paſſio ſimul, pertinet ad cauſam materialem baptiſmi.

Ablutio eſt actio & paſſio.
Probationes
1.
2.
3.
Vlt.

DVBITATIO QVARTA.

Quandónam baptiſmus fuerit inſtitutus.

SVNT qui putent inſtitutum fuiſſe quoad partem materialem ante Chriſti mortem, quando ſcilicet Chriſtus fuit in Iordane baptizatus, Matth. 3. quoad verò partem formalem poſt Chriſti mortem. Matth. vltimo: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes, &c.*

Quorundã opinio. Matth. 3. Matthæi vltimo.

Probant. Baptiſmus tunc temporis dicitur inſtitutus, quando forma eius fuit à Chriſto primùm inſtituta: at forma baptiſmi fuit primum à Chriſto inſtituta poſt reſurrectionem, ex loco proxime citato Matthæi: ergo tunc fuit inſtitutus.

Fundamẽta contraria. 1.

Deinde, ſacramenta nouæ legis ſuum robur conſequuntur à paſſione Chriſti exhibita, ſacramenta ſiquidem fluxerunt ex eius latere, ex doctrina ſanctorum Patrum communi. 2.

Denique, in baptiſmo fit peccatorum remiſſio: at poteſtas remittendi peccata data fuit Apoſtolis tantum poſt reſurrectionem Chriſti, ex cap. 20. Ioannis; *Accipite Spiritum ſanctum:* ità docent Rupertus ad caput 3. Ioannis, Leo epiſt. 4. cap. 3. Chryſoſt. homilia 28. in Ioannem, Theophylactus ad caput 3. & 4. Ioannis, & Tertullianus lib. de baptiſmo cap. 11. aiunt enim Apoſtolos bapti- 3. Ioann. 20. Rupert. Leo. Chryſoſt. Theophyl. Tertull.

Digitized by Google

zaſſe tantum baptiſmo Ioannis ante mortem Chriſti. A

Baptiſmus inſtitutus ante mortẽ Chriſti.

CONCLVSIO 1. *Baptiſmus fuit inſtitutus quoad omnes ſuas partes ante Chriſti mortem.* Primùm, quia Ioannis 3. dicitur de diſcipulis Chriſti, quod baptizarunt, & idem repetitur cap. 4. igitur tunc erat inſtitutus.

Ioann. 3.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, Apoſtolos baptizaſſe baptiſmo Ioannis. Ceterùm hæc reſponſio defendi non poteſt, nam baptiſmus hic adſcribitur Chriſto, non Ioanni. Deinde dicitur ibidem, excitaſſe querelas diſcipulos Ioannis contra Apoſtolos Chriſti, quod tamen non feciſſent ſi illi baptizaſſent baptiſmo Ioannis. Tertiò. Subiungitur ibidem pleroſque ex B diſcipulis Ioannis fuiſſe conuerſos ad Chriſtum. Quarto, ſunt qui dicant Chriſtum baptizaſſe per ſeipſum Diuam Virginem, & D. Petrum: ità Euſebius Emiſſenus. Item, certum eſt ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuiſſe ante mortem Domini, & prætereà Apoſtolos ſumpſiſſe de facto corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus conſe-

Matth. 26. cratis, vt manifeſtè colligitur ex cap. 26. Matth. Indubitatũ eſt etiam eoſdem Apoſtolos fuiſſe factos Sacerdotes in Cœna per iſta verba; *Hoc facite*

Luc. 22. *in meam commemorationem*: ità enim res hęc definita fuit in Concilio Trident. ergo cum character ordinis præſupponat characterem baptiſmi, debuerunt primo Apoſtoli baptizari, quàm fuerint C

Vltima probatio. ordinati. Demum, ità tradunt Patres; D. Auguſt. tractatu 15. in Ioannem; *Baptizabat*, in-

D. Auguſt. quit, *quia ipſe mundabat*, loquitur autem de Chriſto, *non baptizabat, quia ipſe non tingebat, præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adiutorium maieſtatis.* & epiſt. 108. ait, probabilius eſſe Apoſtolos baptizaſſe baptiſmo Chriſti, quàm

Cyrillus Alex. Ioannis: Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 57. *Baptizabat Chriſtus per diſcipulos ſuos*, certe non baptiſmo Ioannis, ſed ſibi proprio, explicat autem in eo loco caput 3. proxime citatum Ioannis.

Baptiſmus fuit inſtitutus in Iordane.

CONCLVSIO 2. *Baptiſmus fuit inſtitutus, quando Chriſtus fuit baptizatus in Iordane.* Probatur primo, quia ſancti Patres docent Chriſtum D tactu ſuæ mundiſſimæ carnis eo die vim ſanctificandi, & regenerandi contuliſſe aquis. Ità Hie-

Hieron. ronymus ad cap. 3. Matth. ad illa verba. *Tunc venit Ieſus. Triplicè ob cauſam*, inquit, *Saluator à Ioanne accepit baptiſmũ. Primùm vt, quia homo natus erat, omnem iuſtitiam & humilitatem legis impleret. Secundò, vt baptiſmate ſuo Ioannis baptiſma comprobaret. Tertiò, vt Iordanis aquas ſanctificans per deſcenſionem columbæ, Spiritus ſancti in lauacro credentium monſtraret aduentum.* D. Auguſtinus lib. 3. de mirabilibus ſacrę Scripturæ, cap. 5. *Ad baptiſmum deſcendit*

Auguſt. *Dominus Ieſus, nõ quòd baptiſmi ſacramẽto, & lauacro egeret, qui proprij, aut orginalis peccati nullam culpam* E *haberet, ſed vt aquas, quas quamuis in delicto Ada Deus non maledixerat terra, qua continebantur maledictione infectas purgaret.* Chryſoſt. homil. 13. in

Chryſoſt. Matthæũ, qui etiam ait baptiſmum noſtrum tunc temporis habuiſſe initium. Cyprianus ſerm. de

Cyprian. baptiſmo. Cyrillus Hieroſolym. catechet. 3. Hi-

Cyrill. larius cano. 2. in Matth. Beda, & alij ad cap. 3.

Beda. Matth. at aquæ non aliter eo die à Chriſto fuerunt ſanctificatæ, niſi quia aſſumptæ & deſtinatæ tanquam materia ſacramenti baptiſmi; non enim iſtis contulit Chriſtus vllam eo tempore qualitatem de nouo, per quam poſſint ſanctificare & regenerare homines, vt conuenit inter omnes: ergo tunc fuit inſtitutus baptiſmus.

Deinde, ſi Chriſtus dixiſſet aquam cum diſtincta inuocatione perſonarũ ſanctiſſ. Trinitatis futuram deinceps ſacramentum baptiſmi; concedendum eſſet baptiſmum eo tempore à Chriſto fuiſſe inſtitutum: atqui dixit Chriſtus aquam, & item inuocationem perſonarum Trinitatis futuram eſſe ſacramentum baptiſmatis, non quidem verbo, ſed facto: nam *Pater apparuit in voce, filius in carne, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ*, & humanitas Chriſti de facto fuit immerſa aquis Iordanis: deſcenſus item Spiritus ſancti ſuper Chriſtum effectum baptiſmi adumbrauit: ergo baptiſmus fuit eo die inſtitutus. Accedit quod plerique Patres ꝓcant feſtum luminum in huius rei memoriam fuiſſe obſeruatum: ità Nazianzenus, oratione de ſancto Baptiſmate.

Dices, baptiſmum vitam æternam conferre *Obiectio.* homini: ergo non fuit ante Chriſti mortem conſtitutus; nullus ſiquidem ante Chriſti mortem donari potuit vita æterna. Reſp. conceſſo ante- *Solutio.* cedente, nego conſequentiam: abſolutè ſiquidem, & ſimpliciter loquendo, quicumque caret peccato mortali, & veniali, & qui non tenetur ad aliquam ſatisfactionem temporalem poteſt ſtatim à morte cœlos repetere: ante mortem tamen Chriſti nullus de facto conſequutus eſt vitam æternam. Ceterùm hoc non prouenit ex defectu aliquo qui ineſſet baptiſmo, & alijs ſacramentis à Chriſto inſtitutis, ſed ex Dei ordinatione, qua ex omni æternitate conſtitutum fuerat, nequis donaretur beatitudine, antequàm ſolutum eſſet pretium redemptionis generis humani: hoc autem fuit factum in morte Chriſti, vnde ante eius mortem nullus de facto fuit in cœlis.

Cùm autem diximus baptiſmum fuiſſe in Iordane inſtitutum, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus Chriſtum præcepiſſe ſuis diſcipulis, vel alijs, vt deinceps baptizarent in aqua cum diſtincta expreſſione perſonarum ſanctiſſimę Trinitatis: nullos namque tunc temporis habuit Chriſtus diſcipulos, aut ſectatores ſuæ religionis; fuit ergo baptiſmus inſtitutus eo die, eo nomine, quod Chriſtus materiam, & formam iſtius ſacramenti determinauit.

Aduerte prætereà, neutram ex iſtis duabus *Neutra Concluſio explicata eſt de fide.* Concluſionibus pertinere ad dogmata fidei Chriſtianæ; tum quia contraria ſententia ſuos habet vindices, nempe Patres aliquos Eccleſiæ, tum quia ante tempora Magiſtri Sententiarum contraria ſententia Scholaſticis multis probata fuit. Denique, quia parum conducit ad ſalutem noſtram conſequendam ſcire, quo die, vel anno hoc ſacramentum fuerit inſtitutum; præſertim cum Eccleſia de hac re nihil definierit.

Aduerte inſuper, probabile admodum eſſe, Chriſtum ante ſuam mortem per ſeipſum baptizaſſe, baptiſmo à ſe inſtituto: ità enim tradunt Patres aliqui. Deinde, eadem facilitate qua Chriſtus Euchariſtiam à ſe confectam Apoſtolis communicauit, potuit etiam aliquos ex Apoſtolis ſimiliter baptizare.

Dices, Ioannis 4. dici, *Quamquam Ieſus non* *Obiectio.* *baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Reſpondeo hæc in- *Reſponſio.* telligenda eſſe communiter, & vt plurimum, interdum tamen, ſetſi rarò Chriſtus vere baptizauit. Lege Maldon. ad cap. 3. & 4. Ioan. & Ianſenium ad idem cap. 3.

Diſſolutio rationum contrar. 1.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. ex loco Matthæi probari tantum formam baptiſmi inſtitutam fuiſſe poſt Chriſti reſurrectionem,

Digitized by Google

nem, ritu publico, & ſolemni, quod nos concedimus; cum iſtis tamen rectè coliæret, vt hæc eadem forma fuerit anteà inſtituta à Chriſto ritu priuato, & particulari. A

2. Ad 2. Sacramenta conſequi vim ſuam à paſſione Chriſti, non quidem abſoluta, ſed inchoata, vel abſoluta. Ad id verò quod ſubiungitur, ſacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti. Reſp. hac ratione loquendi, quæ eſt ſatis familiaris apud Patres, probari tantum ſacramenta habuiſſe ortum à paſſione Chriſti, & morte eiuſdem, hoc ſolo nomine, quod mors ipſius fuerit vltimus terminus, & complementum omnium meritorum Chriſti, non autem quod ſacramenta conſequantur ſuam vim tantum à paſſione Chriſti præciſe B ſpectata, vt eſt mors Chriſti: nam communis eſt omnium opinio Chriſtum redemiſſe genus humanum per quamlibet actionem liberam, quam exercuit pro eo tempore, quo fuit in hac vita; & ratio hoc ipſum conuincit: quælibet enim actio libere elicita à Chriſto pro eo ſtatu quo fuit in hac vita mortali, habuit ortum à perſona ſimpliciter infinita, & proinde infinite Deo grata, & cui debebatur præmium infinitum, certum autem eſt peccata commiſſa, eſſe finita: ergo Chriſtus per quamlibet actionem liberam pleniſſimè ſatisfecit pro peccatis quorumcumque mortalium: ac proinde etiam ſacramenta ab iſtis actionibus Chriſti ſuam mutuantur dignitatem, & C efficaciam.

Qua ratione dicatur ſacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti.

3. Ad 3. Reſp. datam fuiſſe poteſtatem Apoſtolis remittendi peccata per ſacramentum Penitentiæ, Ioann. 20. Ioannis 20. mediis iſtis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* anteà tamen acceperant Apoſtoli poteſtatem remittendi peccata, medio ſacramento baptiſmatis; dicitur enim Ioannis 3. & 4. Apoſtolos baptizaſſe: non eſt autem credibile id eos feciſſe, antequam præceptum aliquod fuerit eiſdem impoſitum à Chriſto de baptiſmate adminiſtrando, licet non conſtet quando huiuſmodi præceptum fuerit primum impoſitum Apoſtolis.

Explicantur SS. Patres obiecti. Ad Patres, reſpondeo eos vere in ea fuiſſe ſententia, quos tamen poſſumus benigne interpretari, & intelligere de poteſtate baptizandi quoſlibet, & ſingulos mortales vbique locorum conſtitutos: ante ſiquidem Chriſti mortem poterant Apoſtoli tantum baptizare Iudæos, vel certe eos qui dederant nomen legi Moſaïcæ, vt manifeſte colligitur ex eo Matthæi 10. *In viam gentium ne abieritis*: & ex illo Matthæi 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* D

DVBITATIO QVINTA.

An baptiſmus ſtatim obligauerit atque fuit à Chriſto inſtitutus, & Circumciſio finem habuerit. E

Argumenta oppoſita.

1. Ioann. 3. RATIO dubitandi eſt neceſſitas baptiſmi, quæ colligitur ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* at verba hæc fuerunt à Chriſto prolata ſub initium prædicationis eiuſdem: ergo tunc obligauit.

2. Deinde, Iudæi audientes prædicationem Chriſti, debuerunt eidem credere, poſita ſufficienti propoſitione eorum quæ ſunt fidei Catholicæ; at certum eſt Chriſtum docuiſſe ante ſuam mortem, baptiſmum eſſe ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium, & item Euchariſtiam, Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Ioann. 6.

3. Denique, Conſilium de virginitate ſeruanda deſtruit præceptum de Matrimonio contrahendo & debitum petendo: ergo conſilium de baptiſmate ſuſcipiendo irritat præceptum de Circumciſione frequentanda.

Circumciſio obligauit vſque ad mortem Chriſti. CONCLVSIO 1. *Circumciſio habuit vim obligandi quoſcumque Iudæos ad vltimum vſque vitæ ſpiritum Chriſti.* Primo, quia ità tradunt communiter omnes, in 4. diſt. 5. & in tractatu de legibus.

Probationes 1. Deinde, tamdiu Circumciſio obligauit, quamdiu lex Moſaïca perſeuerauit in ſuo vigore: atqui lex Moſaïca durauit vſque ad vltimum ſpiritum Chriſti, ex Paulo Hebr. 7. & ex toto decurſu epiſtolæ ad Galat. ergo vſque ad illud tempus obligauit.

3. Tertiò, quamdiu Chriſtus fuit in hac vita mortali, honorem debitum ſacerdotibus legis Moſaïcæ contulit, vt colligitur manifeſtè ex narratione Euangeliorum Ioannis, Lucæ, Marci, & Matthæi, præcipuè verò ex cap. 8. *Vade, & offer munus tuum quod præcepit Moyſes*, alloquitur autem ibi Chriſtus leprоſum à ſe mundatum. Matth. 8.

4. Quartò, ſacramenta legis Moſaïcæ tamdiu fuerunt valida, quamdiu eorum ſignificatio fuit legitima: at ſignificatio Circumciſionis fuit veriſſima vſque ad mortem Chriſti; ſignificabat ſiquidem Circumciſio ipſum moriturum, & in virtute eiuſdem futuri & morituri, effectus ſuos producebat, vnde & ad vltimam vſque vitæ periodum Chriſti Circumciſio obligauit.

Baptiſmus in conſilio tantùm fuit ante Chriſti mortem. CONCLVSIO 2. *Baptiſmus fuit tantum in conſilio, non autem in præcepto ante Chriſti mortem.*

Ratio 1. Primùm, quia duæ leges quarum vna ordinatur ad deſtructionem alterius, nequeunt ſimul, & ſemèl obligare: ac proinde neque etiam eſſe in præcepto, atqui lex Moſaïca deſtruebatur ad poſitionem legis Euangelicæ, vt manifeſtè docet Paulus, Hebræorum cap. 7. ergo cum docuerimus Circumciſionē obligaſſe toto tempore quo Chriſtus fuit in hac vita mortali, non potuit lex baptiſmi obligare.

2. Deinde, non fuit conſonum rectæ rationi, vt duo media efficacia ſimul, & ſemel obligarent ad vnum, & eundem morbum expellendum; at Circumciſio ordinabatur ad deletionem peccati originalis, omnium conſenſione, reſpectu maſculorum: ergo cum baptiſmus ſimiliter reſpiciat deletionem peccati originalis, non potuit eſſe hic in præcepto cum Circumciſione: ità ſentiunt Bernard. epiſt. 77. Hugo à ſancto Victore, lib. 2. de ſacramentis par. 6. cap. 5. D. Thom. art. 2. huius quæſt. Caietanus, & recentiores ibidem Thomiſtæ.

Argumenta contraria diſſoluuntur. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. ex eo loco Ioan. probari certe neceſſitatem baptiſmi, non quidem pro eo tempore in quo hæc verba fuerunt à Chriſto prolata, ſed reſpectu temporis in quo lex Chriſti fuit ſufficienter promulgata; vt manifeſtè docet Bernard. epiſt. proximè cit. Deinde, id ipſum conuincit ratio, neque enim fieri poteſt, vt aliquid obliget antequàm fuerit à Deo inſtitutum; baptiſmus autem non erat inſtitutus, quando Chriſtus dixit Nicodemo; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* vt manifeſtè colligitur ex hiſtoria Euangelica. Item, illud idem videtur dicendum de neceſſitate Baptiſmi, quod de neceſſitate Euchariſtiæ, cæteris tamen paribus; at nullus eſt qui poſſit colligere Euchariſtiam, ſtatim obligaſſe ad 1. Ioann. 3.

Digitized by Google

Ioann. 6. ſui ſuſceptionem dum Chriſtus dixit Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* non enim fuit eo tempore Euchariſtia inſtituta, ſed tantũ in Cœna vltima, vt colligitur ex 27. Matth. 22. Lucæ, Marci 14. & 11. prioris ad Corinth.

2. Ad 2. reſpondeo, eos qui interfuerunt concionibus Chriſti, debuiſſe credere eum eſſe verum Meſſiam, & Legiſlatorem; minimè verò obligatos fuiſſe præcepto aliquo ad baptiſmatis ſuſceptionem; neque enim Chriſtus de hac re præceptum aliquod poſuerat reſpectu illius temporis in quo fuit in hac vita; imò admonebat omnes, & ſingulos Iudæos, vt legem Moſaïcam retinerent, quare de ſeipſo dicebat, Matth. 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Matth. 5.

3. Ad 3. reſpondeo, negando conſequentiam; conſilium enim virginitatis ideo deſtruit matrimonium, reſpectu illius qui illud conſilium ſequitur, quia hæc duo ſe deſtruunt ob contrarietatem quam inter ſe habent; conſilium autem de baptiſmo ſuſcipiendo nõ aduerſatur legi Moſaïcę, aut Circũciſioni; ac proinde potuit hoc conſiliũ ſtare cũ præcepto de Circũciſione frequentanda, nõ enim fuit Circũciſio tantùm ad deletionẽ peccati originalis, inſtituta, ſed etiam ad hoc vt aliquis computaretur inter filios Dei, & inter Iudæos.

Obiectio. Quæres, ſi Iudæus aliquis filium genuiſſet, cui ſacramentum Baptiſmatis contuliſſet ante octauum diem à natiuitate, an teneretur applicare paruulo ſibi nato Circumciſionem aduenientę octauo die eiuſdem.

Solutio. Reſpondeo paruulum hunc egere Circumciſione: Circumciſio ſiquidem nẽdũ peccatum originale delebat, ſed etiam conferebat paruulo, ad hoc vt inter filios Dei computaretur. Deinde, lex Circumciſionis obligauit ad mortem vſque Chriſti ex dictis, ac proinde ne violaretur præceptũ de frequentãda, debuit hic paruulus circũcidi.

DVBITATIO VLTIMA.

Quando lex de Baptiſmo ſuſcipiendo obligare cœperit, & Circumciſio cœpit eſſe inutilis, & inualida.

Quorumdã opinio circa tẽpus obligationis baptiſmi. SVNT qui putent Circumciſionem poſt Chriſti mortem fuiſſe in conſilio, minimè verò in præcepto, idque ad diem vſque Pentecoſtes, in quo putant legem de baptiſmate ſuſcipiendo fuiſſe promulgatam, ac proinde incœpiſſe eſſe ſub præcepto ab eo tempore.

Fundamentum 1. Probant, quia hæc eſt ſententia D. Bernard. epiſt. 77. Deinde, hoc ipſum videtur affirmare Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. ità enim loquitur;

2. Synod. Trident. *Quæ quidem tranſlatio, ſcilicet peccati ad ſtatum gratiæ, poſt Euangelij pradicationem, ſinè lauacro generationis fieri non potuit.*

3. Tertio, promulgatio eſt de ratione legis, lex autem Euangelij non fuit promulgata ante diem Pentecoſtes. Denique, non aliter innotuit mortalibus lex baptiſmatis poſt Chriſti mortem, quàm anteà: at ante Chriſti mortem lex hæc fuit tantum in conſilio, vt docuimus Dubitat. proximè antecedente: ergo toto dicto tempore ad illam homines minimè tenebantur: ità Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 4. art. 3. & nonnulli alij.

Circumciſio omnino inutilis à Chriſti morte. CONCLVSIO 1. *Lex Circumciſionis fuit omnino extincta, & inutilis ſtatim à Chriſti morte; ſeu, quod idem eſt, Circumciſio ſtatim à Chriſti morte non potuit ſuos producere effectus in illis, in quibus applicabatur.*

Prima probatio. Primò id videtur colligi ex verbis Chriſti, Ioannis 19. *Conſummatum eſt:* verba ſiquidem iſta explicantur à Patribus de conſummatione legalium, & eorum quæ fuerunt prædicta de Chriſto, & ex cap. 27. Matth. *Velum Templi ſciſſum eſt*; ſciſſio namque, ſeu fractio iſtius veli adumbrabat terminum legis Moſaïcę, & initium legis Euangelicę, ex multorum Patrum ſententia. Ioann. 19. Matth. 27.

Deinde, propterea D. Paulus docet eſſe nos liberos à ſeruitute, & iugo legis Moſaïcæ; quod liberati ſimus à peccatis, cap. 7. epiſt. ad Romanos: at liberati ſumus à peccatis in Chriſti morte, ex illo Petri. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine eius:* ergo. 2. 1. Petr. 1.

Tertiò. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis quoque tranſlatio fiat; at in Chriſti morte tranſlatum fuit ſacerdotium Aaronicum, in ſacrificium nouæ legis, ſeu, quod idem eſt, in Miſſam; hæc enim ſola eſt proprium ſacrificium legis Euangelicæ: ergo ab illo tempore ceſſauit lex Moyſis. 3.

Quartò, ità tradunt Patres, maximè verò D. Auguſt. & Hieronym. 11. & 19. inter epiſtolas D. Auguſt. D. Thom. art. 2. huius quæſt. ait enim ſacrificia legalia ceſſaſſe poſita morte Chriſti, & 1. 2. quæſt. 103. ad 2. docet in Chriſti obitu omnes legis ceremonias fuiſſe extinctas. 4. D. Auguſt. Hieron. D. Thom.

Obiectio. Reſponſio. Dices, Circumciſionem nuncupari fœdus ſempiternum in veteri Teſtamento. Reſpondeo attributionem iſtam dici de Circumciſione hoc ſolo nomine, quod eſſet multo tempore duratura; non autem quod eſſet in æternum manſura, illo eodẽ modo, quo ſolium Dauid dicitur æternum, cùm tamen certum ſit & ſolium Dauid non perſeueraſſe in æternum, ſed tantum ad multos annos.

Alia obiect. Matth. 11. *Solutio. Explicatur locus Matthæi.* Obijcies, Matthæi 11. dici, *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Reſp. ex hoc loco ſolum poſſe colligi legem Moſaïcam extinctam fuiſſe in aduentu Ioannis Baptiſtæ, reſpectu vnius tantùm effectus legis Moſaïcæ; nempe reſpectu illius, quo docebat lex iſta Moſaïca Chriſtum eſſe venturum; poſito ſiquidem aduentu Ioannis, lex, & Prophetę non poterant dicere Chriſtum eſſe venturum, quod ſexto poſt Ioannem menſe fuerit de Virgine Maria natus, ac proinde Prophetæ poterant tantum denunciare Chriſtum præſentem, non autem futurum; quemadmodum ante natiuitatem Ioannis Baptiſtæ.

Statim à Chriſti morte baptiſmus obligauit. CONCLVSIO 2. *Baptiſmus ſtatim à Chriſti morte cœpit obligare.* Primùm, quia docet Paulus cap. 3. ad Hebr. nouum Teſtamentum abrogaſſe vetus, nouum autem Teſtamentum incipit ſtatim à Chriſti morte, ex regula proximè citata Pauli Hebræorum 7o. *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat.* *Probat. 1.* Hebr. 7. 2.

Deinde, ſi lex Baptiſmi non obligaret ſtatim à Chriſti morte, ſequeretur eſſe aliquod tempus concedendum in quo nulli planè legi ſubijcerentur mortales, nempe totum illud tempus quod interijcitur poſt Chriſti mortem, & diem Pentecoſtes; hoc enim die contendunt authores contrariæ ſententiæ promulgatum fuiſſe legem de baptiſmi neceſſitate: at illatio iſtius maioris defendi non poteſt; ità enim ſequetur mortales caruiſſe medijs ſibi neceſſarijs ad ſalutem, ſtatuto & determinato tempore, quod nullus hactenus dixit.

Lex aliqua poteſt obligare licèt incognita. 3. Tertiò, D. Thom. quæſt. proximè citata. 1. 2. ait, legem aliquam obligare nos, etiamſi hæc ad noſtram cognitionem non peruenerit, ità vt videatur affirmare legem aliquam hoc ipſo quod emanauerit

Digitized by Google

emanauerit à legiſlatore, cum intentione obligandi ſubditos, de facto obligare, maximè ſi legiſlator hic fuerit Deus, vt admonet Vazquez diſp. proxime cit. fauet iſtis quod communiter docent omnes, eum qui facit contra legem, ſi id faciat ex ignorantia inuincibili, excuſari à peccato: ergo ſubiicitur legi, etiamſi de hac lege nihil plane audierit; neque enim quis poteſt excuſari à peccato commiſſo contra legem, niſi ſubiiciatur legi.

Vltima probat. Denique, ſi quæ moueret ratio, vt diceremus legalia eſſe in præcepto à Chriſti morte ad diem vſque Pentecoſtes, ea maximè eſſet; quia Baptiſmus non fuit anteà ſufficienter promulgatus reſpectu quorundam: at hæc ratio defendi non poteſt; Ioannis ſiquidem 3. neceſſitas baptiſmi fuit explicata Nicodemo ab ipſomet Chriſto, ſic enim alloquitur illic Chriſtus Nicodemum: Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Et cap. 4. eiuſdem dicitur, Apoſtolos baptizaſſe baptiſmo Chriſti: quis autem credat Apoſtolos adminiſtraſſe baptiſmum antequàm præceptum aliquod fuerit illis impoſitum de baptiſmate applicando. Rurſus, incredibile eſt Chriſtum non explicaſſe ante ſuam mortem quænam eſſent leges religionis Catholicæ, & quænam eſſent media; ac proinde concedendum eſt leges iſtas fuiſſe promulgatas à Chriſto conſtituto in hac vita, licèt de hac re nihil habeatur expreſſum in ſacris litteris, præſertim cum promiſerit tunc ſe daturum claues regni celeſtis Apoſtolis, Matth. 16. imò de fide eſt, Apoſtolos fuiſſe factos ſacerdotes ante Chriſti mortem, vt definit Concilium Tridentinum.

Vix creditur non explicaſſe Chriſtum leges noſtræ religionis.

Obiectio. Dices, Iudæus ex hypotheſi conſtitutus in remotis terræ partibus, in quibus nihil audire potuit de Chriſti morte, neque de eius vita, debuit filium maſculum, natum poſt Chriſti mortem circumcidere, & in circumciſione ſpem ſalutis collocare: ergo circumciſio non fuit extincta ſtatim à Chriſti morte, ac proinde neque lex baptiſmi cœpit ſtatim obligare.

Diſſoluitur. Reſpondeo Iudæum hunc in data hypotheſi debuiſſe circumcidere, non quidem ex vi præcepti de circumciſione frequentanda, idque quod huiuſmodi præceptum eſſet extinctum, & omnino ſublatum per Chriſti mortem: ſed ex dictamine conſcientiæ erroneæ, quæ obligat ad reatum peccati, omnium conſenſione: & illud idem dicendum eſt de illis omnibus qui vixerunt in lege naturali eo tempore, in eadem hypotheſi, qua ſcilicet, ſupponimus iſtos nihil audiſſe de Chriſti vita & morte, idque inculpabiliter; debuerũt enim iſti adminiſtrare ſacramẽta ſolita apud illos, ad hoc vt eorum paruuli conſequerentur remiſſionem peccati originalis. Moneo tamẽ ſacramenta hæc, poſita Chriſti morte, nulla ratione potuiſſe delere peccatum originale: quoniam eorum vis, & efficacia ſublata erat per Chriſti mortem, ſeu quod idem eſt, per poſitionem legis Euangelicæ: quare debuit Deus ſua ſingulari bonitate ſupplere defectum iſtorum ſacramentorum, & iuſtificare paruulos huiuſmodi quibus ſacramenta hęc fuerunt adminiſtrata, ſine vllo tamen ſacramento valido: non enim Deus deeſt in cauſis neceſſariis, neque vlli ianuam ſalutis claudit.

Sacramenta veterà etſi applicata in culpate poſt mortẽ Chriſti infirma & nulla.

Legalia extincta licita tamen aliquando. CONCLVSIO 3. *Licèt legalia omnia fuerint in Chriſti morte ſublata, potuerunt tamen hæc licitè obſeruari à primis Chriſtianis poſt Chriſti mortem.* Quia D. Petrus circumciſionem, & alia præcepta legalia retinuit, poſita Chriſti morte, ex ca. 2. Galatarum; ità enim alloquitur Petrum Paulus: *Si tu quum Iudæus ſis, gentiliter viuis, quomodo cogis gentes Iudaizare?* & in Actis Apoſtolorum, cap. 21. legitur Paulum aſcendiſſe Hieroſolymam, & purificaſſe ſe in templo ex conſilio D. Iacobi, obtulitſque ſacrificium pro ſe, & pro ſuis ritu Iudaïco, hoc autem contigit anno circiter 20. poſt Chriſti mortem, ſub initium imperij Neronis, vt facile colligitur ex hiſtoria Actuum, & ex Annalibus Baronij tom. 1. & certum eſt eumdem Paulum circumciſſe Timotheum, hoc nomine, quod ex parte matris ortum haberet ex Iudæis. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, qui vixit anno 150. poſt Chriſti paſſionem, fidem facit Chriſtianos ex Iudæis conuerſos obſeruaſſe legalia, vnà cum præceptis legis Euangelicæ, idque inculpate. Deinde, hæc eſt manifeſta ſententia D. Aug. epiſt. 11. & 19. & omnium plane Theologorum in 4. diſt. 3. & in tract. de legibus. Act. 21. 2

Obiectio. Obiicies, propterea negat D. Tho. legalia nunc poſſe obſeruari, quia hæc continent falſitatem, nempe Chriſtum eſſe moriturum; at falſitas à nullo exerceri poteſt ſine peccato: ergo nec poterant legalia obſeruari abſque peccato poſt mortem Chriſti.

Solutio. Reſpondeo, primos Chriſtianos nunquam obſeruaſſe poſt Chriſti mortem legalia ex conſilio, vt repræſentarent Chriſtum moriturum, ſed tantum vt ſynagoga commendaretur ſepulturæ cum aliquo honore, & vt diſtingueretur ab idololatria; quæ per ſe, & ſua natura mala eſt, & item vt hac ratione allicerentur Iudæi ad Chriſtianam religionem acceptandam, vt colligere licet ex D. Auguſt. locis proximè cit.

Sepeliendæ ſynagogæ cum honore.

Illicitus omnino vſus legalium quando. CONCLVSIO VLTIMA. *Vſus legalium non potuit eſſe licitus inter Chriſtianos, poſita ſufficienti promulgatione legis Euangelicæ.* Primo, quia ità dicitur Galatarum 5. *Ego*, inquit Paulus, *dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit:* & in Actibus Apoſtolorum cap. 15. ait D. Petrus ad cæteros Apoſtolos congregatos in Concilio primo Hieroſolymitano; *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.* Loquitur autem de iugo legis Moſaïcę. Galat. 5. *Probat. 1.* Act. 15.

Deinde ità ſentiunt patres, maximè vero Irenæus lib. 4. cap. 8. 9. & 10. Tertull. lib. contra Iudæos, Clemens Roman. lib. 6. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 10. 22. 23. *Baptiſmum*, inquit, *ſacrificium ſacerdotium, localem adorationem alio modo mutauit pro quotidiano baptiſmo, vnum ſolum baptiſmum inſtituit, qui in eius mortem perficitur pro vna tribus. Pro ſacrificio cruento, rationale & incruentum, ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis, & ſanguinis ſui celebratur: pro adoratione locali, ab ortu ſolis vſque ad occaſum in omni loco imperij ſui nomẽ ſuum celebrari ſtatuit.* Et Cyprianus contra Iudæos, Epiphanius hæreſi 30. & Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone. 2 Irenæus. Tertul. Clem. Ro. Cyprian. Epiphanius. Iuſtinus. 3.

Tertiò, nulli mentiri licet; eſt enim mendacium per ſe, & ſua natura deordinatum ex communi doctrina Ariſt. & Theologorum omnium; at qui retinet vſum circumciſionis, & legalium, poſita ſufficienti promulgatione Euangelij, is mentitur: hoc enim ipſo quod circumciſionem adminiſtrat Chriſtum moriturum eſſe dicit; hoc autem eſt falſum: ergo, ita D. Thom. & interpretes eiuſdem omnes.

Obiectio. Dices, in Actis Apoſtolicis cap. 15. Apoſtolos præcipere, vt abſtineant Chriſtiani à ſuffocatis, à ſanguine, ab idolothytis: at hæc omnia fuerunt *Reſponſio.*

Digitized by Google

prohibita ſimiliter in lege Moyſis: ergo.

Reſponſio. Reſpondeo, miſſis de hac re variis opinionibus, res iſtas prohiberi, non quia fuerunt prohibitæ in veteri teſtamento lege, & conſtitutione Moſaïca: ſed quia hæc omnia defenduntur iure naturali, ratio ſiquidem naturalis dictat, ne quid fiat in honorem Dæmonis: certum autem eſt Ethnicos, & prophanos homines antiquitus ſanguinem animalium, & item animalia ſuffocata diis, ſeu Idolis conſecraſſe, ex Euſebio lib. de præparatione Euangelica: propter hanc ergo cauſam vetitum fuit ab Apoſtolis, ne Chriſtiani comederent res iſtas.

Mouetur quæſtio. Rogabis, *quandónam Euangelium fuerit ſufficienter promulgatum.*

Incertum tempus promulgationis ſufficienter Euangelij. Reſpondeo, de hac re nihil certi definiri poſſe: diximus enim vſum legalium permanſiſſe vſque ad annum vigeſimum poſt Chriſti mortem, inter ipſoſmet Apoſtolos; ac proinde non eſt ſatis firma eorum opinio, qui aſſerunt legem Euangelicam fuiſſe ſufficienter promulgatam in die Pentecoſtes.

Deinde retulimus ex Iuſtino Martyre, omnes Iudæos conuerſos ad religionem Chriſtianam vnà cum lege Euangelica obſeruaſſe ceremonias legis veteris, idque inculpate: imò Caietanus credit Æthiopes minime peccare retinendo vſum circumciſionis cum baptiſmo; qua tamen in re meritò deſeritur ab aliis omnibus Scholaſticis: cum enim illi ſint ſchiſmatici, vix defendi poteſt quin ex malo aliquo fine circumciſionem ſibi adminiſtrent.

Denique, poſita ſufficienti Euangelij promulgatione, vſus legalium eſt ſemper coniunctus cum peccato mortali, ex communi doctrina Theologorum; at non poteſt aſſignari quando primùm vſus hic legalium fuerit coniunctus cum peccato mortali; ergo. Indubitatum tamen eſt ſeculo Hieronymi & D. Auguſtini legalia fuiſſe omnino antiquata, & nulla ratione obſeruata inter Chriſtianos, vt facile deprehendi poteſt ex epiſt. 11. & 19. D. Aug.

Hieron. D. Auguſt.

Satisfit fundamentis contrar. Ad rationes verò authorum contrariæ ſententiæ. Reſpondeo 1. propter D. Bernardi ſententiam non eſſe deferendam communem opinionem, præſertim cùm hæc nitatur teſtimoniis multorum aliorum patrum.

1.

2. Ad 2. reſpondeo, Concilium Tridentinum eo loco definire tantum neminem conſequi poſſe ſalutem ſine ſacramento baptiſmatis, in re, vel in voto ſuſcepto, de publicatione vero baptiſmatis nihil determinat ibi Concilium, ſed de ea loquitur in tranſitu: nam Concilium Tridentinum fuit congregatum maxime ad colendos errores hæreticorum. Certum autem eſt hæreticos noſtri temporis nulla pertractaſſe ex his quæ pertinent ad promulgationem legis Euangelicæ.

3. Ad 3. reſpondeo, promulgationem ſolemnem eſſe de ratione legis humanę poſitiuæ, vt communiter fatentur omnes in tractatione de legibus; ſatis tamen eſt ad legem diuinam ſtatuendam, publicatio legis priuata, ſine vlla ſolemnitate publica: deſideratur enim tantum ad iſtam legem diuinam ſtabiliendam, quod hæc emanauerit ab authore naturæ cum intentione obligandi quoſlibet ſubditos, & quod lex hæc innoteſcat ſubditis, vt docetur in tractatione de legibus ad 1.2.

Solutio vltimi argumenti. Ad vltimam, Chriſtum in hac vita conſtitutum explicaſſe, legem Euangelicam, reſpectu neceſſitatis baptiſmi, obligare poſt eius mortem ad reatum peccati, & eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem: ante vero mortem eiuſdem non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem, ſed habere tantum rationem conſilij; hoc autem colligimus ex eo, quod ſit incredibile Apoſtolos baptizaſſe ante Chriſti mortem, niſi impoſito ſibi præcepto à Chriſto, ac proinde niſi explicato modo ſeu ratione, qua baptiſmus obligabat eo tempore, & item poſt eius mortem, licèt de hac re nihil habeamus expreſſum in ſacris litteris.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum aqua ſit propria materia baptiſmi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum ad baptiſmum requiratur aqua ſimplex.

HI duo articuli explicantur ſequentibus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

An aqua ſit materia ſacramenti baptiſmatis.

DIFFICVLTATEM mouet locus iſte Matth. 3. *Ipſe baptizabit vos in Spiritu ſancto, & igne.* & item illud quod refert Nicephorus lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 37. narrat enim Iudæum quemdam morbo periculoſiſſimo correptum in vaſta ſolitudine, vbi nulla plane erat aqua, à Chriſtianis quibuſdam ſecum agentibus fuiſſe baptizatum in arena, ſine vlla plane gutta aquæ. Matth. 3. *Rationes duæ dubitandi.*

CONCLVSIO. *De fide eſt, aquam naturalem ſeu elementarem eſſe materiam remotam baptiſmi:* ità definitum fuit ab Eugenio IV. in decreto fidei quod extat poſt Concilium Florent. & in Concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de baptiſmo. *Aqua naturalis ſola materia remota bapt.*

Deinde ex cap. 16. Marci, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, & Matthæi vltimo, *Ite, docete omnes gentes baptizantes, &c.* baptizare autem idem eſt, quod abluere & irrigare aqua: & cap. Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Actuum 8. *Ecce aqua*, ait Eunuchus ad Philippum, *quid prohibet me baptizari?* & cap. 9. & 10. legimus Apoſtolos baptizaſſe aqua. Marc. 16. Matth. vlt. 2. Ioan. 3. Actor. 8.

Tertiò, hoc idem colligitur ex Patribus, qui propterea docent Deum opera præclara, & miraculoſa in aqua exercuiſſe, vt demonſtraret aquam elementarem futuram aliquando materiam baptiſmi: ità Tertullianus lib. de baptiſmo. Ambroſ. lib. de iis qui initiantur myſteriis, cap. 3. & ſequentibus. Chryſoſtomus homilia 26. in Ioannem: Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 3. Tertul. Ambroſ. Chryſoſt. Cyrillus.

Quartò, docent etiam Patres baptiſmum inſtitutum merito fuiſſe in aquis, propter proprietates aquæ, quæ affinitatem quàm maximam habent cum effectis baptiſmi: quemadmodum enim aqua extinguit ignem, ità baptiſmus deſtruit in nobis ardorem concupiſcentiæ: item ſicut aqua ſordes corporis abluit, ſic baptiſmus inquinatæ animæ omnes omnino culpas 4. *Proprietates aquæ baptiſmo conuenientes.*

Digitized by Google

culpas purgat : vti rurſus aqua terram aridam, & ſiccam humectat,& mollem reddit,ità obſtinatos, & peruicaces homines aqua baptiſmi ad meliorem mentem reuocat : & denique non ſecus ac aqua ob ſuam pelluciditatem radios ſolis extipit ; ità baptizatus medio baptiſmo documenta fidei noſtræ intelligit. Vide de hac re Chryſoſt. homil.24.in Matthæum,& Leonem ſerm.4. & 5. de natiuitate.

5. Quintò, hoc idem colligitur ex prophetijs baptiſmi ; Zachariæ 13. *In illa die erit fons patens domui Iacob,& habitantibus Hieruſalem : in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* & Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aqua mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vob ſpiritum nouum*, teſtimonia ſiquidem iſta explicantur communiter à Patribus de baptiſmo, maximè vero à Cypriano epiſt.76.

Zacha. 13.

Ezech. 36.

Vltima probatio.

Denique, baptiſmus cum ſit ſimpliciter neceſſarius ad vitam æternam obtinendam, non potuit in re magis commoda inſtitui, quàm in aqua elementari,quæ communiſſima eſt, ac proinde, cùm ex doctrina omnium plane Theologorum Scholaſticorum in 4. diſt. 3. materia remota alicuius ſacramenti ſit id, quod aſſumitur à miniſtro, ex Chriſti inſtitutione, ad ſacramentum aliquod conficiendum, vel in quo exercetur actio miniſtri, aqua naturalis erit materia remota ſacramenti baptiſmatis.

Aquæ arte factæ inutiles ad baptizandũ.

DIXI, *aquam naturalem eſſe materiam remotam baptiſmi*, quia aquæ arte extractæ ab herbis, aut ab alijs rebus naturalibus diuerſis ab aqua elementari, non ſunt materia huius ſacramenti.

Defectu aquæ naturalis aqua roſacea fortè non inanis.

Moneo tamen ſi daretur v. g. aqua roſacea, & nullo modo aqua naturalis, nec poſſet haberi, & periclitaretur baptizandus, poſſet baptiſmus conferri in aqua roſacea ; quia licet Concilia exigant ad validitatem baptiſmi aquas naturales, quales ſunt aquæ pluuiales, maris, & quorumcumque fontinum,& fluminum;non tamen definiuit hactenus Eccleſia in nullo plane caſu vllam aliam aquam à naturali non ſufficere ad validitatem baptiſmi. Deinde, quia aqua roſacea maiorem affinitatem videtur habere cum aqua naturali, quàm aqua quorumdam fontium.

Saliua, ſudores, & vrins inſufficienter ad baptizandum.

Indubitatum tamen eſt, etiam in extrema neceſſitate, ſaliuam, ſudores, & vrinas, nulla ratione poſſe ſufficere ad validitatem baptiſmi, vt conſtat ex cap. non apponeres. de baptiſmo & eius effectu. Extra controuerſiam etiam eſt glaciem, niuem, grandinem, & ſalem, non ſufficere ad confectionem baptiſmi ; licet enim hæc ſint eiuſdem rationis cum aqua naturali ex multorum ſententia, non tamen apta ſunt ad abluendum proximè:eſt autem ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt aliquid rationem materiæ baptiſmi habeat, quod proximè poſſit abluere; diximus enim art.1. huius quæſt. baptiſmum eſſe ablutionem. In extrema tamen neceſſitate ſatius eſſet applicare cum niue, vel glacie ſacramentum baptiſmatis, quàm adminiſtrationem prætermittere : Maior enim,& alij nonnulli putant ſufficere ad validitatem baptiſmi, quod aqua attingat baptizatum, etiamſi eumdem non abluat. Denique, aqua mixta, modo non fuerit extra terminos ſuæ naturæ educta,ſufficiet ad validitatem baptiſmi.

Matthæi explicatur optime locus

Ad locum vero Matthæi in quo dicitur baptizandos eſſe Apoſtolos in Spiritu ſancto, & igne. Reſpondent Eraſmus, & alij nonnulli Recent. particulam iſtam (igne) non extare in aliquibus codicibus Matth. ac proinde nihil ex eo loco poſſe colligi: Cæterum reſponſio hæc defendi nullo modo poteſt ; Concil. ſiquidem Trident. ſeſſ. 4. in decreto de libris Canonicis, definit editionem vulgatam tanquam Scripturam ſacram in omnibus & ſingulis eſſe retinendam : particula autem (igne) legitur in codicibus editionis vulgatæ. Tertio, eam referunt Hieronymus ad cap. 3. Matth. Chryſoſt. & alij nonnulli ſancti Patres ad deſcenſum Spiritus ſancti factum in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos; hic enim contigit in linguis igneis, vt teſtantur Actus Apoſtolorum, cap. 2. Denique, ſunt qui putent per particulam huiuſmodi ſignificari ignem purgatorij,ignem conflagrationis extremi iudicij,& etiam ignem anguſtiarum, & tribulationum, quas ſuſtinemus in hac vita mortali, idque quod conducant ad reliquias peccatorum deſtruendas in baptizatis.

Ad miraculum vero, & hiſtoriam Nicephori reſpondeo, Iudæum illum non fuiſſe baptizatum in arena, vt conſtat ex ipſomet Nicephoro, vere & valide ; nam aſſerit Dionyſium vrbis Alexandriæ Epiſcopum, vnà cum alijs Epiſcopis vicinis, declaraſſe baptiſmum adminiſtratum Iudæo iſti in arena, non fuiſſe verum baptiſmum, ac proinde fuiſſe baptizatum in aqua prædictum Iudæum : miraculum vero ſanitatis reſtitutæ Iudæo iſti non fuit factum ad confirmandum validum eſſe baptiſmum collatum in arena; ſed tantum ad aſſerendam fidem religionis Chriſtianæ, quam complexus fuerat Iudæus in neceſſitate conſtitutus.

Nequaquã fuit baptizatus Iudæus in arena. Nicephor.

DVBITATIO SECVNDA.

Quænam ſit materia proxima ſacramenti baptiſmatis.

RESP. *eſſe ablutionem factam in aqua naturali.* Primùm, quia illud videtur colligi ex illo Matth.vltimo; *Ite,docete omnes gentes,&c.* baptizare ſiquidem, idem eſt, ac abluere.

Ablutio materia proxima baptiſmi. Probat. 1. Matth. vlt.

Deinde, ſancti Patres aſſerunt accedente verbo ad elementum fieri ſacramentum : ità D. Auguſt. referente Magiſtro diſt.3. lib. 4. explicat autem Magiſter ſacramentum baptiſmi conſurgere accedente verbo non ad elementum, ſed ad ablutionem aquæ. 2.

Tertiò, materia proxima alicuius ſacramenti eſt ea, ex qua, & verbis à Chriſto præſcriptis conſurgit proximè, & immediatè ſacramentum, omnium conſenſione: at ſacramentum baptiſmi conſurgit immediate ex ablutione aquæ naturalis, & ex Chriſti verbis ; *Ego te baptizo*: nam ſi quis proferret verba proxime explicata, & aquam intrà vas aliquod retineret, nec tamen abluеret de facto baptizandum, hic nulla ratione ſacramentum baptiſmi conferret ; bene tamen ſi abluеret baptizandum, & formam baptiſmi proferret; vt fatentur communiter omnes in 4. diſt. 3. 3.

Quartò, dicimus cum D. Th. baptiſmum phyſice ſpectatum definiri, ex ablutione externa corporis, ſub forma verborum præſcripta: at partes phyſicæ baptiſmi ſunt materia, & forma: ergo cum in iſta definitione ponatur ablutio, hæc erit materia proxima baptiſmatis : ità D. Th. in 4. diſt.3. quæſt.1. art.1. quæſtiuncula 1. ad 2. Richardus quæſt.1. 4.

Digitized by Google

DVBITATIO TERTIA.

Qua ratione fieri debeat ablutio, ad hoc vt rationem proximæ materiæ habeat.

Ablutio valida facta per immerſionem, infuſionem, aut aſperſionem.

RESPONDEO, *Ablutionem iſtam debere fieri, vel per immerſionem, vel per infuſionem, ſeu aſperſionem:* Ità communiter omnes, diſt. 3. lib. 4. & D. Thom. art. 7. & 8. huius quæſtionis.

2. Deinde, probatur baptiſmum futurum validum per aſperſionem, ſeu infuſionem aquæ applicatum; nam multitudo illa cuius meminit hiſtoria Actuum cap. 2. ab Apoſtolis baptizata fuit per infuſionem, ſeu aſperſionem aquæ; vix enim fieri potuit vt tot homines per immerſionem abluerentur.

3. Tertiò, ſunt qui referant D. Laurentium imminente tempore ſui martyrij baptizaſſe aliquos per infuſionem aquæ.

Ezech. 36. Quartò, illud idem colligitur ex illo Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, &c.*

4. Denique, Eccleſia multos baptizauit per infuſionem, ſeu aſperſionem, vt conſtat ex vſu Eccleſiarum Gallicanarum.

Quod verò baptiſmus ſit ſimpliciter validus per immerſionem aquæ indubitatum eſt, ex communi doctrina Patrum: iſti enim aſſerunt temporibus primitiuæ Eccleſiæ baptiſmum fuiſſe adminiſtratum per immerſionem baptizati in aqua contenta intrà baptiſterium: ità Tertullianus de corona militis, cap. 3. Dionyſius Areop. cap. 2. lib. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Hieronymus in dialogo contra Luciferian. & can. 49. alias 50. Apoſtolorum. Deinde, Eccleſia Græca hactenus baptizauit per immerſionem triplicem omnium conſenſione. Tertiò, nullus hactenus dubitauit de validitate baptiſmi applicati per immerſionem. Denique, ità D. Thom. art. 7. & 8. huius quæſtionis.

Quilibet debet ſequi ritum ſuæ Eccleſiæ.

Licet autem vſus applicationis baptiſmatis per immerſionem fuerit maximè communis in Eccleſia Catholica; nullus eſt tamen qui teneatur conſuetudinem hanc ſemper retinere inter baptizandum: fatetur enim D. Thom. loco proximè citato quemlibet teneri ad retinendum vſum, & conſuetudinem illius Eccleſiæ, in qua agit. Rurſus, ſi non adſit copia ſufficientis aquæ, poteſt prætermitti immerſio; etiam illis in locis in quibus conſuetudo obtinuit, vt baptiſmus applicetur per immerſionem tantùm, maximè ſi immineat periculum aliquod baptizando. Item poteſt immerſio prætermitti propter ſolam indecentiam, qualis occurrit quando aliquis adultus baptizari debet: ità communiter authores ſupra citati.

DVBITATIO QVARTA.

An ablutio fieri debeat in toto corpore baptizandi; an verò in certa aliqua parte eiuſdem.

Non eſt neceſſe totum corpus irrigari.

CONCLVSIO 1. *Non eſt neceſſe ad validitatem baptiſmi totum corpus irrigari aqua.* Primùm, quia diximus, multitudinem illam cuius meminit hiſtoria Actuum 2. fuiſſe vere baptizatam ab Apoſtolis, & tamen non eſt credibile omnes, & ſingulas partes cuiuſlibet baptizati fuiſſe perfuſas aqua, præſertim cùm probabile ſit homines iſtos baptizatos fuiſſe per aſperſionem, minime verò per immerſionem.

Deinde, vix fieri poteſt, vt omnes omnino partes baptizati perfundantur aquâ.

Tertiò, ità docent omnes in 4. diſt. 3. & D. Thom. art. 7. huius quæſt. ait enim ſufficere ad validitatem baptiſmi, ſi caput fuerit aſperſum aquis.

CONCLVSIO 2. *Non ſufficit ad validitatem baptiſmi baptizandum irrigari aquis, quoad veſtimenta eiuſdem tantum:* nam D. Auguſtin. ait tractatu 5. in Ioannem, *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, &c.* debet ergo neceſſario aqua attingere corpus, ad hoc vt quis purgetur à peccatis medio baptiſmo.

D. Auguſt. *Non eſt ſatis ablui veſtimenta baptizãdi.*

Deinde, nemo dicitur ablutus, vbi veſtimenta alicuius fuerint tantum lota. 2. Tertiò, ſi baptiſmus eſſet validus reſpectu illius perſonæ, cuius veſtimenta fuerint tantùm tincta aquis, ſequeretur quoque legitimum eſſe baptiſmum pueri conſtituti in vtero materno, ſtante hac hypotheſi, quod mater ablueretur aquis: maiorem enim connexionem habet puer conſtitutus intrà vterum cum matre, quàm habeant veſtimenta, cum eo quem operiunt; at fatentur omnes puerum in vtero materno conſtiturum, non poſſe valide baptizari: ergo neque qui tantum ablueretur in veſtimentis. 3.

Quartò, fatentur plerique in tractat. de Euchariſtia, ſpecies panis reſeruatas intrà capſulam aliquam, maxime ſi diſtet hæc parumper ab altari, in quo Sacerdos facit ſacrum, non poſſe conſecrari, eo quod non cenſeantur ſpecies illæ præſentes ſacerdoti; quæ tamen præſentia neceſſaria eſt ad validitatem conſecrationis: ergo, neque etiam poterit aliquis baptizari valide, ſi eius indumenta fuerint aquis tantum perfuſa: ità communiter omnes diſt. proximè citata. 4.

CONCLVSIO 3. *In extrema neceſſitate poteſt quis valide baptizari in minima corporis parte, modò tamen hac extra vterum appareat.* Primum, quia ſacramentum baptiſmatis primum eſt à Chriſto inſtitutum, vt quis conſequatur remiſſionem peccati originalis, quod eſt in ſola anima; eſt enim peccatum originale, carentia iuſtitiæ originalis, quæ iuſtitia originalis ex multorum ſententia ſedem habet in animæ eſſentia: item baptiſmus eſt inſtitutus ad hoc vt quis gratiam ſanctificantem, & characterem conſequatur, vt conuenit inter omnes, & manifeſte colligitur, ex illo Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* at poteſt anima baptizandi conſequi remiſſionem peccati, & gratiam ſanctificantem, & denique characterem in minima corporis parte; eſt enim hæc tota, in toto, & tota in qualibet parte eius, ex doctrina Ariſtotelis & manifeſte conuincit ratio indiuiſibilitatis animæ.

In minima parte corporis valide baptizatur quis aliquando. *Probatio 1.* Marci 16.

Deinde, quælibet aqua quatumuis minima, modo tamen fuerit ſenſilis, ſufficit vnà cum verbis iſtis, *Ego te baptizo, &c.* & intentione miniſtri, ad validitatem baptiſmi; ſunt enim hæc tria neceſſaria, tantum ad valorem ſacramenti, vt definiuit Concilium Florentinum; at in minima parte corporis poteſt fieri ablutio, & quidem cum prolatione verborum præſcriptorum à Chriſto, & cum debita intentione: ergo baptiſmus ità applicatus erit validus. 2.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, præcipit tantum Deus, vt baptizetur aliquis; at rectè quis dicitur baptizatus, etiamſi minima eius pars fuerit tincta aquis: quemadmodum quis dicitur percuſſus verè, tactus, & vulneratus; quamuis fuerit læſus, aut tactus in minima corporis parte: ità ſentiunt plerique veteres Scholaſtici, & aliqui recentiores.

Obiectio. Obijcit Suarez ſect. 3. diſp. 20. manum nunquam dici ablutam verè, & purgatam aquis, in minima parte digiti eiuſdem.

Solutio. Reſp. antecedens eſſe falſum, vt conſtat ex ratione vltima allata in confirmationem huius noſtræ Concluſionis; diximus enim hominem fuiſſe vere percuſſum, aut tactum, etiamſi in minima corporis parte fuerit percuſſus. Deinde, licet antecedens daremus eſſe verum, non tamen propterea ſequeretur illud idem dicendum de eo qui baptizatus fuiſſet in minima corporis partes; cum enim baptiſmus ordinetur ad deletionem peccati originalis, quod in ſola anima ſedem habet, & anima ſit tota in minima corporis parte, poterit hæc in illa parte, tota perfectiſſime purgari à ſordibus peccati originalis.

Ablutio capillorum ſecundū aliquos ſufficiens. Ex iſtis colligunt aliqui, baptiſmum futurum legitimum in extrema neceſſitate, ſi baptizatus fuerit aſperſus aquâ in capillis tantum: ità Scotus, & alij nonnulli. Probat Scotus; quia, inquit, capilli ſunt partes hominis, viuúntque vitâ vegetante ad modum oſſium. Ceterùm, hæc ratio non admittitur à philoſophis communiter; credunt enim capillos eſſe tantum excrementa corporis humani, illo eodem modo quo vngues, pertinéntque tantum ad ornamentum capitis. Alij verò ſic probant. Capilli eodem modo ſe habent ad hominem quo cortex, & folia ad arborem: at ſi arbor eſſet capax baptiſmi diceretur hæc baptizata, ſi aſpergeretur aqua in cortice, vel in folijs, idque quod hæc ſint aliquid arboris: ergo cùm capilli ſint aliquid hominis, & ornent præcipuam eius partem, nempe caput, baptiſmus in iſtis adminiſtratus erit validus. Gabriel verò Vazquez propterea putat validum futurum baptiſmum in data hypotheſi, quod capilli ſint aliquid hominis; admonet tamen extra neceſſitatem vltimam neminem eſſe baptizandum in ſolis capillis tantum, idque quod dentur plerique Theologi qui contrariam tueantur ſententiam.

In capite vel aliqua præcipua parte applicandus baptiſmus. Conclvsio 4. *Extra caſum extremæ neceſſitatis baptiſmus debet applicari, vel in capite, vel in aliqua alia præcipua corporis parte.* Probatur primo, vſus obtinuit hactenus vtbaptiſmus applicetur in capite, quod admonet D. Thom. artic. 7. huius quæſtionis.

Secundo, in capite radix quorumcumque ſenſuum reſidet; ac proinde poterit in ea parte totus homo perfectiſſime baptizari. Denique, nullus eſt hactenus qui reuocauerit in dubium baptiſmum adminiſtratum in capite: ità communiter omnes, diſt. 3. lib. 4. qui addunt propterea Sacerdotem peccare mortaliter quotieſcumque prætermittit ablutionem capitis, extra vltimam neceſſitatem.

DVBITATIO VLTIMA.

An ablutio baptiſmi fieri debeat cum trina immerſione, aſperſione, ſeu infuſione.

Ratio dubitandi 1. Pelagius Pontifex Maximus, epiſtola ad Gaudentium, aſſerit extare præceptum Euangelicum de baptiſmate applicando cum triplici immerſione, & inuocatione perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis. *Argumēt. 1. contrar.*

Secunda, in can. 50. aliàs 49. Apoſt. indicitur pæna depoſitionis omnibus Epiſcopis, & Sacerdotibus, qui vnam tantum inter baptizandum retinuerint immerſionem. 2.

Vltima, ſancti Patres referunt inter traditiones Apoſtolicas vſum triplicis immerſionis, ità Dionyſius, Hieronym. locis Dubit. proximè antecedenti citatis, & alij multi Patres. 3.

Conclvsio. *Non eſt neceſſe ad validitatem baptiſmi, etiam extra caſum extremæ neceſſitatis, triplicem retinere aſperſionem, infuſionem, aut immerſionem.* Primùm, quia ità definit Gregorius Magnus conſultus à Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi, vt conſtat ex epiſt. 41. lib. 1. Regiſtri eiuſdem Gregorij, & in Concilio Toletano 4. can. 6. ex diſpoſitione quæ extat in Concilijs Hiſpanicis, editis à Loyſa Garſia: dicitur ergo in hoc canone, vnam ſolam immerſionem ſatis eſſe ad validitatem baptiſmi, ſignificaréque iſtam immerſionem deſcenſum animæ Chriſti apud inferos, poſtquam fuit anima ſeparata à corpore Chriſti in ara Crucis: & emerſionem vnicam baptiſmi ſignificare Chriſti reſurrectionem. Deinde, ità docet D. Thom. art. 8. huius quæſtionis & Interpretes eiuſdem ibidem omnes. *Trina immerſio non neceſſaria.* Gregor. Tolet. 4.

Accedit ratio. Ad validitatem baptiſmi deſideratur materia, forma, à Chriſto præſcripta, & intentio miniſtri, & denique perſona baptizanda: at poſita vnica immerſione, ſeu infuſione, vel aſperſione aquæ, ponitur debita materia baptiſmi, tam proxima, quàm remota: ergo cùm adſit forma ex hypotheſi, miniſter, & debita perſona ſuſcipiens baptiſmum, baptiſmus erit validus. *Fundamentum Concluſionis.*

Denique, tota ratio cur triplex aſperſio, aut immerſio deſideretur ad baptiſmum, hæc redditur ab omnibus; quia triplex iſta immerſio deſignat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis; at ſine hac triplici immerſione ſignificatur perfectiſſimè hoc myſterium, nobiſque innoteſcit in baptiſmo per verba; *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ergo triplex iſta immerſio non erit neceſſaria; maxime cùm non iteretur 3. aut 2. forma baptiſmi. *Aliud.*

Ad rationes vero dubitandi, reſpondeo. Ad 1. extare præceptum Euangelicum tantum de baptiſmate applicando, cum diſtincta expreſſione perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis, non autem de triplici aſperſione, vel immerſione retinenda inter baptizandum, vt manifeſtè colligitur ex cap. vltimo Matthæi; *Euntes, docete omnes gentes, &c.* vbi nulla fit mentio de vna; vel triplici immerſione, ac proinde quod dicit Pelagius de præcepto Euangelico baptizandi referendum eſt non ad triplicem immer- *Diſſoluūtur argumenta contraria.* Matth. vlt.

Digitized by Google

ſionem, ſed ad ſolam diſtinctam inuocationem perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis. Deinde, licet daremus Pelagium affirmare, extare præceptum Euangelicum de triplici immerſione obſeruanda: ex Concilio Toletano proxime citato ex definitione Gregorij Magni, manet explicatum præceptum hoc ratione tantum decentiæ, & congruitatis, non autem neceſſitatis baptiſmi. A

2. Ad 2. Reſp. Canonem illum inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis contra hæreticos aliquos, qui inter baptizandum vtebantur verbis iſtis, tanquam forma à Chriſto præſcripta; *Ego te baptizo in nomine Chriſti mortui pro nobis*, prætermittebántque formam aſſignatam à Chriſto, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vt manifeſtè colligitur ex verbis ſequentibus Canonis: ità enim legitur: *Non enim Chriſtus præcepit vt baptizaremus, in nomine Chriſti mortui pro nobis, ſed vt baptizaremus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* merito ergo præſcribitur in eo canone pœna depoſitionis contra Epiſcopos, & Sacerdotes, qui formam illam inter baptizandum retinebant; non autem quod vnam tantum retinerent inter baptizandum immerſionem. B

Inſtantia. Inſtabis, in Concilio Conſtantinopolitano primo, damnari Eunomium, tanquam hæreticum, quod vnam tantum immerſionem retineret. C

Præluditur. Reſpondeo, id verum eſſe, non quidem hoc nomine præciſe, quod vnam immerſionem tantum obſeruaret inter baptizandum, ſed quia iſtam vnam immerſionem ordinabat ad errores multos contrarios fidei aſſerendos.

Vltimum. Ad vltimam, Patres affirmare tantùm triplicem immerſionem vſu, & conſuetudine vſurpatam fuiſſe hactenus inter Chriſtianos; non docent autem triplicem iſtam immerſionem neceſſariam eſſe, aut vtilem ad validitatem baptiſmi: quando autem vſus triplicis immerſionis fuerit primum interruptus explicat Pamelius ad epiſt. 76. Cypriani. D

Obiectio. Dices, D. Thomam art. 2. affirmare eum, qui prætermittit trinam immerſionem inter baptizandum peccare mortaliter: argumento igitur eſt trinam immerſionem eſſe de neceſſitate baptiſmi.

Solutio. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſecutionem: quòd enim ait D. Thom. de triplici immerſione retinenda, explicandum venit de decentia, & conuenientia baptiſmi reſpectu illarum Eccleſiarum; in quibus conſuetudo obtinuit, vt baptiſmus applicetur, vel per triplicem immerſionem, vel per trinam aſperſionem, aut infuſionem: nam ex ſententia etiam D. Thom. baptiſmus poterit ſine vllo peccato applicari, & quidem valide cum vna tantum immerſione, aut infuſione. E

Ablutionẽ fieri in eodẽ inſtanti quo verba pronuntur nõ eſt neceſſe. Vt autem quæ hactenus dicta ſunt de ablutione baptiſmatis plenius intelligantur, duo ſunt aduertenda. Primum eſt ablutionem non debere fieri neceſſario in illo eodem inſtanti temporis mathematico, quo verba incipiunt proferri à Sacerdote, nempe; *Ego te baptizo*, &c. ſed ſatis eſt ſi fuerit ablutio peracta in eodem tempore moraliter loquendo. Primùm, quia vix dici poteſt, vt in eodem inſtanti temporis mathematico, eſſe incipiant, & definant ablutio, & prolatio verborum ſacramentalium. Deinde, illud idem videtur dicendum de iſtis, quod de materia ſacramenti penitentiæ, & forma: indubitatum autem eſt materiam ſacramenti penitentiæ, quæ ſunt peccata & actus penitentis, antecedere prolationem verborum abſolutionis, quæ tamen verba ſunt forma ſacramenti penitentiæ: ergo &c.

Tertiò, in homine ante quadrageſimum vel octuageſimum diem, anima rationalis non infunditur intrà embrionem: in rebus item arte factis, & moralibus, vna pars præcedit tempore aliam, vt conſtat ex domo v. g. cuius fundamenta antecedunt parietes: ergo, cum omnia ſacramenta nouæ legis ſint res aliquæ morales, & quaſi artificiales, non erit neceſſe partes ſacramenti baptiſmatis extare ſimul in eodem inſtanti temporis mathematico; præſertim cùm natura & eſſentia baptiſmi, & aliorum ſacramentorum, excepta Euchariſtia, ſit poſita in ſucceſſione; ſed ſatis erit, ſi partes iſtæ ſacramenti cuiuſlibet ſint ſimul ſimultate morali, vt loquúntur; ea autem dicuntur eſſe ſimul moraliter loquendo, quæ de facto ponuntur, licet vnum præcedat aliud modico tempore: hac ratione dixit Sapiens de rebus creatis, quod fuerunt ſimul factæ; *Qui*, inquit, *viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, cum tamen ex capit. 1. & 2. Geneſ. certum ſit diſtinctionem rerum factam fuiſſe intrà ſex dies naturales.

Obiectio. Dices, ſi ablutio non fuerit peracta, eo tempore cum prolatione verborum; *Ego te baptizo*, forma baptiſmi erit falſa: non enim abluet verè, quando dicet, *Ego te baptizo.*

Reſp. negando illationem maioris, quemadmodum enim Sacerdos vere abſoluit, & verba ab eo prolata ſunt veriſſima: licet verba iſta proferantur à Sacerdote poſt peccatorum confeſſionem, idque quod tempus interiectum inter confeſſionem, & abſolutionem, ſit admodum breue; ità verba prolata à Sacerdote poſt ablutionem, erunt etiam veriſſima propter modicum tempus, quod interijcitur inter hæc duo, non enim deſtruit tempus hoc interiectum ſimultatem moralem, quæ ſatis eſt ad hoc vt partes iſtæ dicantur complere & perficere ſacramentum baptiſmi.

Emerſio nõ eſt neceſſaria ad validitatem baptiſmi. Alterum not. eſt, in illis locis in quibus applicatur baptiſmus per immerſionem, emerſionem non eſſe neceſſariam ad validitatem baptiſmatis; materia ſiquidem, forma, miniſter, & perſona baptizanda, ſunt tantum ſimpliciter neceſſaria ad baptiſmum: hæc autem dari poſſunt ſine vlla emerſione, vt eſt per ſe notum, nihil enim repugnat quominus is qui immergitur, & baptizatur hac ratione, infortunio aliquo excidat è manibus baptizantis, & in baptiſterio ſuffocetur aquis, poſtquam Sacerdos verba protulerit, & poſtquam baptizandum immerſerit: ergo non eſt neceſſaria emerſio.

Deinde, emerſio ſignificat Chriſti reſurrectionem, quemadmodum & immerſio eiuſdem ſepulturam: at non eſt neceſſe ſignificari reſurrectionem Chriſti in baptiſmo: ergo.

Denique, valide baptiſmus applicatur per ſolam aſperſionem, & infuſionem, in quibus tamen nulla datur emerſio: ità communiter Interpretes D. Thom.

Sunt

Digitized by Google

Sunt qui hoc loco quærant, *quanta debeat eſſe aqua ad hoc vt in ea valide ſacramentum baptiſmi perficiatur.* Ceterùm res hæc manet ſatis explicata ex dictis; diximus enim baptiſmum habere pro materia proxima ablutionem aquæ naturalis, ac proinde ad veritatem baptiſmi tanta deſideratur aqua, quanta ſufficit ad ablutionem.

ARTICVLVS QVINTVS.

Virum hæc ſit conueniens forma baptiſmi; Ego te baptizo, &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

Virum in nomine Chriſti poſſit dari baptiſmus.

CIRCA hos duos articulos ſit,

DVBITATIO PRIMA.

Quæ ſit forma baptiſmi.

Forma baptiſmi quæ.

RESPONDEO, *Formam baptiſmi eſſe iſtam. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Primò, quia ità definiuit Eugenius IV. in decreto fidei quod extat poſt vltimam ſeſſ. Concilij Florent. & Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 4. definit in Eccleſia extare veras materias, & veras formas quorumcumque ſacramentorum nouæ legis.

Probat. 2. Deinde, illud idem dicitur in capite, Si quis puerum. de baptiſmo & eius effectu, & capite, Non vt apponeres. eodem titulo.

3. Tertiò, ità docent Patres à nobis citati Dubitationibus proximè antecedentibus, ad articulos 3. & 4. idque colligunt ex verbis iſtis Matthæi vltimo; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Moneo tamen Concluſionem noſtram non colligi ab illis ex ſolis verbis Matthæi proximè citatis, ſed ex his, ſuppoſita traditione.

Matth. vlt.

4. Quartò, illa cenſetur eſſe forma ſacramenti baptiſmatis, quæ effectum eiuſdem facit; eſt enim concors omnium planè ſententia, verba cuiuſlibet ſacramenti eſſe formam ſacramenti, & facere illud quod ſignificant: at verba iſta; *Ego te baptizo, &c.* ſunt ea quæ reperiuntur in baptiſmate, & quæ regenerationem ſpiritualem ſignificant, quam confert ſacramentum baptiſmi, omnium conſenſione, igitur illa eſt vera forma: ità omnes Scholaſtici in 4. diſt. 3. D. Thom. art. 5. huius quæſt. & Interpretes eiuſdem.

Obiectio. Dices, Græcos inter baptizandum vſurpare formam iſtam; *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Solutio. Forma quæ vtuntur Græci eadẽ cum noſtra. Reſp. hoc eſſe veriſſimum: ceterùm forma hæc eſt eadem planè formaliter loquendo, cum ea qua vtitur Eccleſia Latina, & quæ fuit à nobis tradita; eamdem ſiquidem habent ſignificationem duæ iſtæ formulæ. Deinde, quia Eccleſia præcipit vt Sacerdos Græcus formam Eccleſiæ Græcæ retineat inter baptizandum: Sacerdos verò Latinus formam in Eccleſia Latina vſitatam. Tertio, quia numquam Eccleſia rebaptizauit baptizatos iuxta formam Græcorum: licet Græci ſecùs præſtiterint, vt conſtat ex cap. licet, de baptiſmo & eius effectu; ac proinde non videtur verum quod refert Albertus Magnus in 4. diſt. 3. fratres ſui Ordinis religioſos fuiſſe rebaptizatos Romæ, hoc nomine, quod iſti fuiſſent baptizati retenta forma Græcorum; nam ſubiungit ibidem Albertus, Nicolaum, & Gregorium, Pontifices maximos non fuiſſe paſſos rebaptizari Dalmatas aliquos, qui tamen inter baptizandum retinent vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ Græcæ; ſi ergo fuerint iſti rebaptizati, ex alio capite fuerunt intincti ſecundo aquis; non autem quod baptiſmus fuiſſet illis adminiſtratus cum forma Græcorum.

DVBITATIO SECVNDA.

An forma à nobis tradita baptiſmi ſit neceſſariò retinenda quoad omnes & ſingulas partes, ad baptiſmi validitatem; ità vt nulla omitti poſſit ſinè diſpendio baptiſmi.

ADVERTE, Dubitationem iſtam poſſe intelligi iuxta ſenſum propoſitum; & item ad hoc vt miniſter nullam contrahat culpam, iuxta hunc poſtremum ſenſum.

Non poteſt inculpate omitti aliqua particula formæ excepto (ego)

RESPONDEO 1. *Sacerdotem in noſtris Eccleſijs ritu ſolemni, & publico non poſſe ſacramentum baptiſmi adminiſtrare ſinè culpa, niſi retentis omnibus particulis, ex quibus conſurgit forma à nobis tradita: excepta tamen particula (ego),* quia id videtur colligi ex capite, ſi quis puerum, ſupra citato.

Probatio 1. 2. Deinde, quia in omnibus Ritualibus, ſeu Ordinarijs præcipitur vt Sacerdos dicat inter baptizandum; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

3. Tertio, hæc omnia verba ſpectata formaliter, ſeu ſecundum ſuam ſignificationem, ſunt ſimpliciter neceſſaria ad validitatem baptiſmi, ex multorum ſententia: ergo illa omnia proferre tenetur.

Dixi, excepta particula (ego) quia ex Alberto, loco proximè citato, & ex multis Recentioribus, particula hæc omitti poteſt ſine vllo peccato, idque quod ex vſu, & conſuetudine loquendi hæc inſit in verbo, *baptizo.*

Deinde, quia prætermittitur à Græcis, & quidem inculpate, vt conſtat ex forma eorumdem poſita.

Tu baptizo non poteſt prætermitti.

RESPONDEO 2. *Iuxta 1. quæſtionem pariculam iſtam (baptizo) non poſſe prætermitti à ſacerdote ſinè diſpendio baptiſmi;* ità dicitur expreſſe in capite, ſi quis puerum, citato.

Ratio reſponſi. Deinde, actio miniſtri baptiſmatis eſt neceſſario exprimenda ad validitatem eiuſdem, in forma illius, vt docent Bonauent. Richardus, Durand. diſt. 3. in 4. & alij. Ratio idipſum conuincit; expreſſio ſiquidem actionis miniſtri baptizantis pertinet ad ſignificationem ſacramenti baptiſmatis: ſignificatio autem ſacramenti baptiſmatis, explicatur per formã baptiſmi; & vt aduertit D. Th. art. 5. ablutio ſacerdotis baptizantis eſt indefinita, & indeterminata ad multos fines: determinatur autem hæc ad certum aliquem finem, qualis eſt regeneratio vitæ ſpiritualis, per expreſſionem actionis miniſtri, & per alia quæ ſignificantur in forma baptiſmi. Cum ergo per

particulam (baptizo) ſignificetur & perſona, & actio miniſtri baptizantis, hæc particula non poterit omitti in forma baptiſmi ſine diſpendio eiuſdem; etiam in extrema neceſſitate. Monco tamen non eſſe neceſſe quod particula iſta explicetur in indicatiuo: poteſt namque efferri, vel in imperatiuo, vt conſtat ex forma Græcorum; Baptizetur ſeruus Chriſti, &c. vel in optatiuo, vt fatentur omnes communiter hoc loco. Addo in extrema neceſſitate poſſe explicari particulam iſtam in quocumque idiomate, modo verbum aſſumptum ſignificet illud idem quod apud Latinos (baptizo).

Poteſt exprimi τὸ baptizo in imperatiuo.

Forma Latinorũ longè præſtantior, forma Græcorum.

QVAERES; *An ratio loquendi Græcorum ſit anteponenda rationi loquendi Latinorum*, ac proinde, *an inter baptizandum dicendum ſit potius; baptizetur ſeruus Chriſti, &c.* an verò, *baptizo te, &c.* Reſp. formam Latinorum multis partibus accommodatiorem eſſe ad ea quę fiunt in baptiſmo explicanda & conſequenter retinendam eſſe potius quàm formam Græcorum; nam actio miniſtri, quam diximus eſſe neceſſario exprimendam inter baptizandum, explicatur magis per formam Latinorum, vt eſt per ſe notum.

Deinde, magis accedit forma Latinorum ad hæc verba, Matthæi vltimo; *Baptizantes eos, &c.* quàm faciat forma Græcorum. 3. ſi Chriſtus baptizaret proximè, & immediatè ſine vllo miniſtro, non diceret, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, ſed, *baptizo te.* Denique, forma Græcorum ità habet; *Baptizetur ſeruus Chriſti:* at baptizandus medio ſacramento baptiſmatis efficitur ſeruus Chriſti: ergo rectior erit forma Latinorum, ſiquidem vt rectè obſeruat Scotus, nemo cenſetur eſſe ſeruus Chriſti; niſi ſuſcepto baptiſmate.

Perſona baptizanda neceſſario exprimẽda. Fundam. 1.

RESPONDEO 3. *Perſonam quæ baptizatur eſſe neceſſario exprimendam in forma baptiſmi, ac proinde exprimendam particulam illam, (te) in forma baptiſmi:* ità definitum fuit ab Alexandro III. cap. Si quis puerum. de baptiſmo, & eius effectu; & idem colligunt communiter Scholaſtici ex verbis iſtis, *Baptizantes eos, &c.* Matthæi vltimo.

Matth. vlt.

2. Deinde, baptiſmus ordinatur ad remiſſionem peccati originalis, & ad gratiam gratum facientem concedendam; at certum eſt peccata non remitti in communi, ſed in perſona aliqua priuata, & particulari: gratia item gratum faciens, recipitur in aliquo certo, & determinato homine, vt eſt per ſe notum: ergo.

3. Denique, ſacramentum penitentiæ præſupponit ſimpliciter, & abſolute penitentem aliquem priuatum, vt colligitur ex iſta forma; *Abſoluo te*: ergo illud idem erit dicendum de ſacramento baptiſmatis; baptizatus ſiquidem debet eſſe perſona aliqua realiter diſtincta à baptizante, & debet eſſe præſens baptizanti, quando baptizatur, omnium conſenſione.

τὸ te nõ neceſſario exprimendũ, ſed æquiualens ſufficit.

Admonent tamen omnes, perſonam baptizati, non eſſe exprimendam neceſſariò, pronomine hoc demonſtrandi (te) ſi quis enim diceret inter baptizandum; *Ego baptizo Petrum in nomine, &c.* hic vere baptizaret.

Deinde, Græci vere baptizant, & tamẽ vtuntur formula iſta, *Baptizetur ſeruus Chriſti:* exprimenda eſt ergo perſona baptizanda in forma baptiſmi per particulam (te) quando baptiſma applicatur in Eccleſia Latina ritu ſolemni & publico: in caſu verò neceſſitatis ſatis erit explicare perſonam baptizandam aliquo nomine æquiualente pronomini (te).

Corollariũ. Nullus poteſt baptizare ſeipſũ.

Ex illis colligunt Scholaſtici omnes, neminem poſſe baptizare ſeipſum, quia videtur definitum in cap. debitum. de baptiſmo, & eius effectu. Deinde, fieri nequit, vt quis generet ſeipſum; quemadmodum neque fieri poteſt vt quis ſeipſum producat: at per baptiſmum generatur quis filius Dei, eſt enim baptiſmus regeneratio quædam ſpiritualis, per quam filij Dei adoptiui efficimur: ergo nullus poteſt valide ſeipſum baptizare.

τὸ nomine neceſſario exprimendum.

RESP. 4. *Particulam iſtam* (nomine) *eſſe neceſſariò exprimendam in forma baptiſmi, ità vt nullo modo liceat dicere* (in nominibus) *ſinè diſpendio baptiſmatis:* ità communiter Doctores.

D. Auguſt.

Deinde, hæc eſt Patrum ſententia, D. AUGUST. lib.3. contra Maximin. cap.22. *In nomine*, inquit, *non in nominibus, quia hi tres, vnus eſt Deus.* & AMBROS. 2. de ſacramentis, cap. 7. *In vno nomine baptizari nos iuſſit, hoc eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Ambroſ.

Tertiò, particula iſta, *nomine*, ſignificat, vel notitiam, ſeu fidem qua cognoſcimus Deum eſſe trinum, & vnum, vt volunt D. Thom. Hugo, & alij nonnulli, vel ſignificat virtutem, potentiam, & authoritatem, in qua baptiſmus applicatur: vt docent Origenes, & Hieronymus, ad cap.4. Epheſ. vel denique, inuocationem diuinitatis, vt placuit D. Auguſt. de Dogmat. Eccleſiæ, lib.3. & Clementi Rom. in ſuis Recognitionibus: atqui fides qua cognoſcimus myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis vna tantum eſt, ex illo D. Pauli, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma:* virtus item, & authoritas adminiſtrandi baptiſmum, vna tantum eſt ſuprema, omnium conſenſione: quemadmodum & inuocatio diuinitatis, vna tantum eſt: ergo (in nomine) dicendum erit, non autem in nominibus.

Exploditur opinio τὰ (in)ac (&) neceſſaria aſſerens.

Quintò, aliqui reſp. præpoſitionem (in) cum coniunctione copulatiua (&) eſſe neceſſariò retinendas ad validitatem baptiſmi, & pronuntiandas: ità Maior, & Gabriel in 4. diſt.3. Res tamen hæc non eſt ſatis mihi explorata, quia ex vſu & conſuetudine loquendi Latinorum, pro eodem ſumitur, *Nomine Patris, Filij, & Spiritus ſanctus* aliquid præſtare, atque *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Deinde, nulli alij præter iſtos duos Doctores rem iſtam obſeruarunt. Tertiò, ratio qua mouentur ad ſtabiliendam ſuam ſententiam eſt admodum infirma: nam propterea volunt particulas (in) ac (&) explicandas eſſe in forma baptiſmi, quia debet fieri in baptiſmo expreſſio diſtincta perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis, & identitate earumdem cum eſſentia diuina, ſimul explicanda: at diſtinctio perſonarum diuinarum, perfectiſſime exprimitur per particulas, *Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, quemadmodum & identitas earumdem in eſſentia perfectiſſime ſignificatur per particulam *nomine*: ergo perperam aſſeritur τὰ (in)ac(&) debere exprimi.

Obiectio.

Dices, Vigilium Pontificem maximum in epiſt. ad Eucherium, damnare aliquos qui inter recitandum verſiculum iſtum; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, prætermittebant particulam iſtam (&): ergo in forma baptiſmi eadem retinenda erit.

Solutio.

Reſp. iſtos merito damnari à Vigilio, ideò enim omittebant particulam (&) vt docerent opere externo, ſeu, quod idem eſt, de facto, Spiritum ſanctum non eſſe perſonam diſtinctam realiter

Digitized by Google

à filio, qui autem inter baptizandum prætermitteret particulam (in) aut (&) hic non omitteret particulas iſtas, vt errorem prædictum confirmaret; ſed tantum vt retineret modum loquendi Latinorum ſine vlla mala intentione ac proinde, & verus ſenſus formæ baptiſmi reſultaret abſque prædictis particulis, (in) ac (&) & vere quoque baptizaret is qui formam hanc vſurparet, *baptizo te nomine patris, filij, & Spiritus ſancti.* Addo tamen formam iſtam non eſſe vſurpandam propter præceptum Eccleſiæ, ſed adiiciendas eſſe particulas prædictas, iuxta ritum, & conſuetudinem eiuſdem Eccleſiæ.

Omnino proferenda voces patris filij & Spiritus ſancti. Matth.vlt. *Probationes.*

Vltimo Reſpond. *particulas Patris, filij, & Spiritus ſancti, non poſſe omitti ſine diſpendio ſacramenti baptiſmatis.* Primùm, quia Chriſtus ità loquitur Matthæi vltimo; *baptizantes eos, &c.* idem enim videtur dixiſſe, atque ſi præcepiſſet, vt baptizarent inuocato nomine *Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, vt videtur colligi ex illo 1. Corinth. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* idem enim eſt, ac ſi diceret Paulus; baptizatine eſtis inuocato nomine Pauli? & cap. 16. Marci; *In nomine meo Dæmonia eiicient*, ideſt, prolato, & inuocato meo nomine Dæmones expellentur: & Actuum 3. *Argentum* (inquit) *Petrus aut aurum, non eſt mihi; quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge, & ambula:* quod idem eſt ac, prolato, & inuocato nomine Ieſu, Surge, & ambula: ergo, quando dixit Chriſtus, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* idem eſt, ac ſi diceret baptiſmum conferendum eſſe inuocato, & explicato nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

1. 1. Cor. 1. Marc. vlt. Act. 3.

2. Deinde, ità definierunt Alexander III. in c. ſi quis puerum. de baptiſmo, & eius effectu. Pelagius de conſecratione diſtinct. 4. & ante iſtos Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 23. & lib. 3. cap. 16. idem habet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & refertur in cap. firmiter. de ſumma Trinitate, & fide Catholica: & Concilium Florentinum tria tantum requirit ad validitatem baptiſmi, aquam naturalem, intentionem miniſtri, & denique diſtinctam expreſſionem perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis.

3. Tertul. Origen. Ambroſ. D. Thom.

Tertio, ita tradunt Patres, Tertullianus aduerſus Praxean, cap. 26. ex diſpoſitione Pamelij; *Noniſſime mandans diſcipulis, vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non in vnum: nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tinguntur.* Origenes lib. 1. Periarchon cap. 3. Ambroſius 2. de ſacramentis, cap. 5. *Venit ſacerdos,* inquit, *precem dicit ad fontem, inuocat Patris nomen, præſentiam Filij, & Spiritus ſancti: vtitur verbis cæleſtibus*; Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti: *Si ergo ad hominis ſermonem, ad inuocationem ſancti adeſt præſentia Trinitatis: quantò magis ibi adeſt, vbi ſermo operatur æternus.* D. Tho. art. 6. huius q. & omnes Scholaſtici in 4. diſtinct. 3.

Reiicitur Caieta. baptiſmus cũ ſola inuocatione Trinitatis.

Ex illis colliges parum tutè docuiſſe Caietanum baptiſmum applicatum cum inuocatione nominis, Trinitatis, non expreſſis nominibus, *Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, futurum validum; nam docuimus, ex ſententia Conciliorum, ſummorum Pontificum & ſanctorum Patrum ad validitatem baptiſmi, diſtinctam inuocationem perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis requiri, quod non poteſt fieri in inuocatione ſolius nominis Trinitatis, ac proinde, quando legimus, de conſecratione, diſtinct. 4. baptiſmum applicatum cum inuocatione Trinitatis eſſe conſecratum, & ſanctum, hoc venit explicandum, de baptiſmate applicato, non in ſolo nomine Trinitatis, hoc enim indefinitum eſt ad tres patres, tres filios, & tres ſpiritus ſanctos, & ſic de aliis ſignificandos; ſed de expreſſione perſonarum diſtincta, patris, filij, & Spiritus ſancti, vt communiter docent Sententiarij, & interpretes recent. D. Thom. ad articulum 6. huius quæſt.

In 3. partem D. Thom.

Mouetur quæſtio.

Rogabis, *An baptiſmus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab vtroque, ſit legitimus.* Reſpondet D. Tho. art. 6. huius quæſt. & alij, baptiſmum ità collatum futurum nullum, & inualidum: idque quod ad validitatem baptiſmi, vt pluribus demonſtrat Vazquez diſp. 143. requirantur nomina *Patris, filij, & Spiritus ſancti* explicanda, non quouis modo; ſed per proprietates conſtitutiuas perſonarum, *Patris, filij, & Spiritus ſancti:* Nomen autem genitoris, & geniti, ſignificant notiones, non autem proprietates *patris, filij, &c.*

Opinio D. Thom. & Vazquiz.

Melior authoris; valere baptiſmum in nomine genitoris geniti & procedentis ab vtroque.

Cæterùm hæc opinio non eſt mihi ſatis comprobata; putarem enim futurum baptiſmum validum applicatum in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque.

Deinde nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, ſignificatur diſtinctè myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis: genitor enim nullus alius eſt quàm Pater in diuinis, quemadmodum genitus eſt ſolus filius, & Spiritus ſanctus ſolus procedit à Patre, & filio.

Item Concilium Florent. requirit ad validitatem baptiſmi aquam naturalem, debitam intentionem miniſtri, & denique expreſſionem diſtinctam perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis: hæc autem perfectiſſime exprimitur nominibus genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque.

Denique, ſi quis baptizaret, in nomine Patris, & filij, & denique paracliti: hic vere baptizaret, ſaltem ex ſententia Clementis Romani, lib. 7. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 27. quo loco vltimam particulam (paracliti) ait ſufficere ad validitatem baptiſmi, & tamen indubitatum eſt particulam iſtam, non ſignificare proprietatem perſonalem Spiritus ſancti, ſed effectum eiuſdem, qui eſt conſolari afflictos.

Diſſoluitur fundamentum Vazquezij.

Ad rationem vero contrariam reſpondeo, Non eſſe neceſſe perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis explicari per proprietates, ſed ſatis eſt quod perſonæ iſtæ fuerint diſtincte explicatę; nomina autem genitoris, geniti, &c. perſonas Patris & Filij. &c. ſignificant, vt diſtinctas inter ſe.

Addo tamen formam iſtam non eſſe vſurpandam, idque quod non liceat recedere à communi praxi Eccleſiæ, & à præcepto eiuſdem, ac proinde ſi quis ſub hac forma baptizaſſet, iterandum eſſet baptiſma cum conditione & prolatione verborum. *Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti*; cùm noſtra ſententia ſit dubia.

DVBITATIO VLTIMA.

An baptiſmus ſit validus ſubminiſtratus ſub hac forma; Baptizo te in nomine Chriſti.

Nullum baptiſma applicatum in nomine Chriſti tantum.

CONCLVSIO 1. *Sacramentum baptiſmi applicatum ſub illis verbis tantum;* Baptizo te in nomine Chriſti, *erit omnino nullum & inutile.* Dixi-

Digitized by Google

mus enim Dubit.proxime antecedente ad validitatem baptiſmi eſſe ſimpliciter neceſſariam, diſtinctam inuocationem perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis; in nomine autem Chriſti, continentur tantum virtute & implicite perſonæ *patris, filij, & Spiritus ſancti.*

Deinde, baptiſmus nequit conſurgere ſine debita materia, forma, & miniſtro, omnium conſenſione, & ratio manifeſtè conuincit; illius eſt enim tantum inſtituere media efficacia ad gratiam producendam qui eſt author gratiæ: at certum eſt ſolum Deum eſſe authorem primarium gratiæ: ergo cùm pro forma baptiſmi, à Deo conſtituta ſint verba iſta; *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij & Spiritus ſancti*, baptiſmus applicatus ſub iſta forma; *Baptizo te in nomine Chriſti* tantùm, erit inualidus omnino. Ita communiter omnes art. 6. huius quæſt. D. Thom.

Probabile eſt Apoſtolos non baptizaſſe in nomine ſolius Chriſti. D. Auguſt.

CONCLVSIO 2. *Probabile eſt Apoſtolos nunquam baptizaſſe in iſtis ſolis verbis*, Ego te baptizo in nomine Chriſti: *ac prætermiſſis his*; Baptizo te in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti. Primùm, quia ita docent plerique Patres, D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum. *Ideò*, inquit, *putas Dei ſpiritum non eſſe creatorem, proculdubio, nec in eius nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus, Agite pœnitentiam & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia non ait, & Spiritus ſancti: nec in Patris nomine, quia nec ipſe ibi eſt nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu ſancto, in nomine Ieſu Chriſti iuſſi ſunt baptizari: tamen intelliguntur non baptizati, niſi in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.* Et Baſilius de Spiritu ſancto, Baſil. cap. 12. *Non ideo*, inquit, *quis dicat perfectum eſſe baptiſma, in quo ſolum Spiritus nomen innocuum eſt; oportet enim inuiolabilem manere traditionem, quæ in vnuſquiſque data eſt. Sicut enim credimus in Patrem & filium & Spiritum ſanctum: ſic & baptizamur in nomine Patris, & filij & Spiritus ſancti.* Et Damaſcenus lib. 4. de fide. Damaſc. *Enimuero*, inquit, *quænam verborum forma adhibenda eſſet Dominus diſcipulis ſuis in hac verba expoſuit: Baptizantes eos in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti.*

Ratio concluſionis. 1. Deinde, ſi poteſt colligi ex aliquo loco ſcripturæ Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti tantum, maximè ex cap. 2. 8. & 19. Actuum; dicitur enim illic ipſos baptizaſſe in nomine Domini Ieſu: at ex iſtis locis hoc nequit euidenter colligi; nam dicitur ſimiliter in ſacris litteris, nos omnes in vno & eodem ſpiritu fuiſſe baptizatos Actor. 1. 1. Corinth. 12. & Actor. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*, & Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit* Matth. 3. *in Spiritu ſancto & igne*: at nullus fuit hactenus qui dixerit preterea baptiſmum applicatum, in nomine ſcilicet Spiritus ſancti, futurum validum, vnico tantum excepto Ambroſio lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. ergo idem aſſerendum eſt de baptiſmo collato in nomine Chriſti.

2 Tertio, non eſt veriſimile Apoſtolos defeciſſe à præcepto ſibi impoſito à Chriſto de baptiſmate conferendo: at præceptum impoſitum Apoſtolis continet expreſſe diſtinctionem perſonarum ſanctæ Trinitatis, Patris, filij, & Spiritus ſancti, vt conſtat ex Matth. vlt.

Obiectio. 1. Obiicies 1. cum authoribus contrariæ ſententiæ, inter quos eſt D. Thom. art. 6. huius quæſt. id Apoſtolos præſtitiſſe ex ſpeciali diſpenſatione diuina; (quam tamen non probat, neque euidenter probare poteſt) Actuum 8. dicitur; *Baptizabantur in nomine Domini Ieſu Chriſti.* & cap. 19. ſimile quid dicitur: & cap. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti.* Actor. 8.

Reſpondeo, miſſis aliorum variis reſponſionibus Apoſtolos baptizaſſe *in nomine Chriſti*, id eſt authoritate accepta à Chriſto, quæ enim regia authoritate fiunt, nomine regis fieri communiter dicuntur: vel certè baptizarunt Apoſtoli in nomine Chriſti: quod formæ præſcriptæ à Chriſto, adiecerint particulam iſtam Chriſti, ità vt inter baptizandum dixerint; *Baptizo te in nomine patris, & Chriſti & Spiritus ſancti*, ità enim potuit & commendari nomen Chriſti, quod illis temporibus erat Iudæis ingratiſſimum, & præterea peruenire in cognitionem eorum qui nihil de eo audierant. *Solutio explicans loca Actorum.*

Obiicies 2. Nicolaum III. conſultum à Bulgaris, reſpondiſſe baptiſmum collatum à Iudæo, ſeu pagano eſſe validum, modò fuerit hic adminiſtratus, vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti, vt refert Gratianus, de conſecratione. diſt. 4. cap. quodam Iudæo. *Obiectio 2.*

Reſp. prætermiſſis quatuor, aut quinque reſponſionibus, quas refert Vazq. diſp. 143. in reſponſione ad obiectiones adductas c. 1. ab eodé, Nicolaum fuiſſe tantùm conſultum, an baptiſmus collatus à Iudæo, vel pagano, eſſet validus, minime verò an collatus ſub nomine Trinitatis, aut nomine Chriſti; reſpondiſſéque proinde Pontificem, baptiſmum hunc eſſe validum, adieciſſe verò obiter ex propria ſententia, particulas proximè ſubſequentes, *modo tamen fuiſſet huiuſmodi baptiſmus applicatus in nomine Trinitatis, vel Chriſti*: ità reſpondet Canus lib. 6. de locis, cap. 8. & plerique alij recent. Citatur pro hac eadem ſententia Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. verùm non eſt hîc audiendus, ait enim baptiſmum collatum nedum in nomine Chriſti, ſed etiam in ſolo nomine Domini futurum validum, qua in re ab omnibus deſeritur. *Solutio.*

ARTICVLVS 7. & 8. fuerunt explicati art. 3. & 4. huius quæſt.

ARTICVLVS NONVS.

Virum baptiſmus poſſit iterari.

DOCET D. Thom. baptiſmum iterari nullo modo poſſe.

ARTICVLO 10. oſtendit ritum, quem Eccleſia tenet inter baptizandum, eſſe maxime conuenientem.

DVBITATIO PRIMA.

An baptiſmus iterari poſſit.

FVERVNT de hac re opiniones aliquę: nonnulli enim hæretici primitiuę Eccleſiæ docuerunt baptiſmum vni, & eidem poſſe ter applicari, idq; quod Chriſtus fuerit, & baptiſmo Ioannis, & ſuo baptizatus. *Variæ authorum opiniones.*

Alij verò, hominem baptizatum nomine demortui non baptizati intrà feretrum rebaptizauerunt, vt refert D. Auguſt. de hæreſib. & alij nonnulli idque probabant ex cap. 15. 1. Corinth. *Si mortui omnes non reſurgunt: quid facient illi, qui pro mortuis baptizantur?* D. Auguſt. 1. Cor. 15.

CONCLV-

Digitized by Google

Baptismus recte administratus iterari non potest.

CONCLVSIO 1. *Baptismus semel recte collatus iterari nullo modo potest* : hæc est de fide, definita expresse ab Eugenio in decreto fidei quod extat ad calcem Concilij Florent. & Concilio Trident. sess. 7. can. 9. de sacramentis in genere & can. 11. de baptismo.

Probat.

1. Symbol. Nicænum.

Deinde ex symbolo Concilij Nicæni, & Constantinop. *Credo vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Licet enim locus hic recte de vnitate specifica baptismi intelligi possit; indubitatum tamen est posse intelligi de vnitate numerica baptismi; ità vt semel tantum vni personæ conferri possit; sic enim D. Thom. & plerique alij nonnulli Scholastici locum Pauli Ephes. cap. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, interpretantur.

2. Ephes. 4.

3. Cyprian.

Tertiò, idem tradunt Patres, Cyprianus de ablutione pedum; *Baptismum repeti*, inquit, *Ecclesiastica prohibent regula: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, quia contumelia est Spiritus sancti si euacuari posset, quod ille sanctificat.* Tertullianus de Baptism. cap. 15. *Semel ergò lauacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet*, & plerique alij: præcipuè Damasc. lib. 4. de fide cap. 10. D. Augustt. tractatu 11. & 15. in Ioannem, & epist. 203. & 204. & frequentissimè in lib. contra Donatum. Et denique ex can. 46. Apostolorum. *Episcopus*, inquit, *aut presbyter si eum qui secundum veritatem habuerit baptisma, denuò baptizauerit, deponatur: tanquam deridens crucem & mortem Domini, &c.*

Tertul. Damasc. D. August.

4. Ioann. 4. Heb. 6. Hebr. 10.

Quartò, probatur locis scripturæ sacræ, supposita tamen primùm explicatione ac primo ex loco supra citato Ephes. & ex illo Ioannis 4. *Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* & ex cap. 6. ad Hebræos. *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam*, qui locus communiter explicatur de baptismo, & ex cap. 10. *Voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, non amplius relinquitur hostia pro peccatis*, id est, baptismus in quo (hostia pro peccatis) mysterium sanctissimæ Passionis Christi explicatur, adeo, vt omnis culpa & omnis pœna, peccato debita liberalissimè remittantur: ità Chrysost. orat. 20. locum hunc explicat, Theodoretus, Theophylactus, Damascen. lib. 4. de fide, cap. 10.

Chrysost. Theodor. Theoph. Damasc.

5. D. Thom.

Denique, hæc est sententia sancti Thomæ artic. 9. huius quæst. & interpretum eiusdem, necnon Sententiariorum in 4. distinct. 6.

Ex se, & sua natura iterari nequit baptismus.

CONCLVSIO. 2. *Baptismus nedum iterari nequit propter ordinationem diuinam, sed neque etiã ex se & sua natura*: hæc est contra Scotum, & sequaces eiusdem, qui putant propter solam Dei ordinationem non licere baptismum iterare. Primò,

1. Ioan. 3. Tit. 3.

quia baptismus est regeneratio quædam spiritualis, vt manifestè colligitur ex illo Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis; & renouationis Spiritus sancti*: atqui fieri nequit, vt quis bis generetur, saltem de lege communi, vno, & eodem modo generationis.

2.

Deinde, Baptismus ordinatur per se ad deletionem peccati originalis: at peccatum originale vbi fuerit semel deletum redire nullo modo potest; contrahitur enim hoc per solam generationem naturalem, vt definitum fuit in Concilio Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali: ergo neque baptismus iterari poterit.

3.

Tertio, Baptismus est assimilatio, & configuratio passionis, & resurrectionis Christi ex Paulo, cap. 6. Roman. *at semel tantum Christus mortuus est, semel item quoque resurrexit*: ergo semel baptizari debemus. Rom. 6.

Obiectio Scoti.

Obiicit Scotus, rationem istam nihil probare: Eucharistia siquidem est repræsentatio, & figura passionis Christi, & tamen certum est Eucharistiam donari vni, & eidem frequentissime.

Solutio.

Respondeo, Eucharistiam habere rationem cibi, indubitatum autem est cibum iterandum esse, ad hoc vt creatura sensilis possit protrahere vitam, baptismus vero non habet rationem cibi, sed est tantum figura & configuratio passionis, & resurrectionis Christi: vnde semel tantum alicui communicari poterit.

Denique, sacramenta quæ characterem imprimunt hoc ipso iterari nullo modo possunt; at baptismus characterem imprimit: ergo ex se, & sua natura iterari non poterit: ità tradunt communiter Scholastici dist. 6. lib. 4. & plerique Thomistæ ad art. 9. huius quæst.

Satisfit rationibus contrar.

AD rationes vero hæreticorum. Resp. ex facto Christi nihil posse colligi: non enim Christus bis suo baptismate fuit baptizatus, sed tantum semel. AD locum vero Pauli verbo *(baptizari)* significari eo in loco cruciari, torqueri, & affligi, vt manifeste colligitur ex verbis subsequentibus Pauli. *Vt quid & nos omni hora periclitamur*, & in eadem significatione vsurpatur Marci 10. & Lucæ 12. *Potestisne baptizari eo baptismo, quo ego baptizor?* alloquitur autem filios Zebedæi, à quibus petit an possint sustinere mortem, quemadmodum & ipse paratus erat ad hoc vt nomine quorumcunque mortalium moreretur: sensus igitur est; *Quid facient illi qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* id est, si non est futura mortuorum resurrectio, quorsum cruciantur aliqui, & pœnam subeunt pro mortuis, qui sunt adhuc in hac vita constituti, ità Catharinus, & plerique alij recentiores.

Marc. 10. Luc. 12.

DVBITATIO SECVNDA.

An pœna aliqua sit iure constituta contra rebaptizantes & rebaptizatos.

Rebaptizati & rebaptizãtes irregulares fiunt.

CONCLVSIO 1. *Rebaptizantes, & rebaptizati innodantur censura irregularitatis, si tamen baptismum iterauerunt scienter*: ità dicitur expresse de consecratione dist. 4. in cap. qui bis. imo adiicitur in hoc postremo cap. obligari rebaptizatum ad faciendam pœnitentiam septem annorum, si baptismum receperit secundo scienter: si verò ignoranter innodatur censura irregularitatis: idem fuerat anteà definitum ab Alexandro III. in epist. ad Abbatem sanctæ Genouefæ, & à Felice III. Pontifice, in epist. ad Episcopos Africanos, & in Concilio Africano, cap. 39. ità sentiunt Casuistæ omnes.

Rogabis, qui verum sit, eum qui rebaptizatur ignoranter irregularem constitui, cùm irregularitas hæc præsupponat peccatum, quod tamen dari non potest in eo qui ignoranter operatur: *nemo enim peccat nisi sciens, & volens.*

Duplex ignorantia, iuris, & facti.

ADuerte, ignorantiam aliam esse iuris, aliam facti: hæc est ea, quâ quis nullo modo scit, se esse baptizatum, ac proinde curat vt sibi baptismus applicetur: illa vero est ea, quâ quis nescit in iure esse prohibitum ne quis iterum baptizetur

Digitized by Google

perſpectum tamen habet cautum eſſe iure diuino ne quis ſecundo baptizetur: hoc ità conſtituto, conuenit inter omnes eum qui baptizatur ſecundo cum ignorantia iuris eſſe vere irregularem, & merito; hic enim peccat vere contequendo ſecundo baptiſmum: nam nouit ex hypotheſi hic qui rebaptizatur, vetitum eſſe de iure diuino, ne repetatur baptiſmus, licet neſciat indictam eſſe penam irregularitatis contra ſuſcipientes ſecundo baptiſmum, idque iure Canonico, ſeu Eccleſiaſtico.

Baptizatus cum ignorantia iuris, eſt irregularis.

Dubitatur autem an illud idem ſit dicendum de eo qui rebaptizatur cum ſola ignorantia facti.

Verior autem eſt eorum opinio, quæ aſſerit iſtum non fieri irregularem: hæc enim irregularitas præſupponit culpam, quæ tamen nequit habere locum in eo qui nullo modo ſcit, aut ſcire potuit, ſe eſſe baptizatum.

Rebaptizatus cū ignorantia facti non eſt irregularis.

Deinde, qui rebaptizat aliquem ignoranter, hic non propterea incurrit notam irregularitatis; vt conuenit inter omnes. Tertiò, qui ante ætatem rationis bis, imo ter, & pluries rebaptizatur non ideo eſt irregularis; excuſatur enim ob defectum libertatis, & ob ignorantiam inuincibilem quæ in eo datur, vt manifeſte colligitur ex cap. Cum itaque, de conſecratione, diſt. 4. ita ſentiunt Sotus hoc loco, Scotus, & alij.

Explicatur can. qui bis.

Ad id verò quod dicitur in can. Qui bis. Reſp. canonem illum intelligendum eſſe de eo qui rebaptizatur cum ignorantia iuris; hic enim verè innodatur cenſura irregularitatis, dum ſecundò rebaptizatur, aut etiam de eo qui laborat ignorantia facti craſſa, & ſupina, quæ datur in eo qui ſcire potuit ſe eſſe baptizatum, neque tamen voluit id aſſequi: hic ergo ex dicto can. cenſetur eſſe irregularis, minime vero is qui conſequitur baptiſmum ſecundo cum ignorantia facti inculpabili & inuincibili.

Curatus nullum baptizare debet, niſi conſtet non eſſe baptizatum.

Ex iſtis colliges, Curatum numquam debere baptizare quempiam niſi conſtet, vel certo, vel probabiliter baptizandum hunc non eſſe baptizatum: ſi tamen probabilius eſt quempiam non eſſe baptizatum, & de hac re conſtet Curato, erit hic vere baptizandus, ceterum cum conditione, vt definiuit Alexander III. in can. de quibus dub. de baptiſmo & eius effectu: quo fit, vt ſi detur aliquis prouectę ætatis inter Chriſtianos educatus, & natus, poſito quocunque ſcrupulo, hic nullo modo erit baptizandus, ex cap. Veniens. de presbytero non baptizato.

Deinde, ratio hoc ipſum docet: conſuetudo ſiquidem obtinuit inter Chriſtianos, vt quàm primum commode fieri poteſt, natus efferatur ad hoc vt baptizetur à Curato: conſuetudo autem iſta, cum ſit certiſſima & indubitata, omnē dubitationem de oppoſito deſtruit, ac proinde non erit hic vbi ad ætatem adultam peruenerit baptizandus, etiamſi ex hypotheſi cōſtanter affirmet ſe non eſſe baptizatum. Si vero non fuerit vir prouectæ ætatis inter Chriſtianos educatus, & natus, & velit religionem Chriſtianam profiteri, hic erit baptizandus etiam ſine conditione; eſt enim quàm maxime probabile hominem iſtum non eſſe baptizatum.

Corollarium 2. circa pueros expoſitos.

Colliges 2. pueros expoſitos non eſſe baptizandos, ſi conſtat de eorum baptiſmate ſcriptura aliqua, vel certo teſtimonio virorum fide dignorum; ſecus vero ſi non conſtet de eorum baptiſmate, vt docuit Gregorius in epiſt. ad Bonifacium, & refertur de conſecrat. diſtinct. 4. can. placuit, & Leo in epiſt. ad Ruſticum Narbon. & Concilium Africanum c. 39. volunt enim iſti canones pueros eſſe baptizandos, niſi conſtet de eorum baptiſmate teſtimonio virorum proborum, aut certe aliqua alia ratione.

Corollarium 3. circa paruulos domi ab obſtetricibus baptizatos.

Colliges vltimo, baptizatos domi ab obſtetricibus, vel ab aliis quibuſuis non eſſe rebaptizandos, niſi fortè cum conditione, quando videlicet error aliquis ſupponitur admiſſus à baptizante: in hoc autem caſu non innodatur baptizans cenſura irregularitatis, præſertim ſi intendat non conferre ſecundo baptiſmum, ſed ſupplere defectum commiſſum ab obſtetrice, vel ab alio inter baptizandum: ità Franc. à Victoria q. 36. de baptiſmo, & plerique alij Recentiores.

DVBITATIO VLTIMA.

Cuius ſit irregularitatem contractam ex iteratione baptiſmatis tollere.

Epiſcopus diſpenſat in irregularitate dicta, modo ſit occulta.

RESPONDEO, *pertinere ad Epiſcopum diſpenſare in huiuſmodi irregularitate ea lege, vt ſit occulta, & nulla ratione ad forum contentioſum deducta*, vt colligitur ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. dicitur enim illic Epiſcopum poſſe diſpenſare in omni irregularitate occulta; excepta tamen ea quæ naſcitur ex homicidio voluntario, modo non fuerit hæc deducta ad forum contentioſum: ità communiter recent. omnes; qui tamen addunt Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo declaraſſe, Epiſcopos illos non debere potiri fauoribus Concilij Trident. qui Concilium Tridentinum non receperunt.

Abſolute ſummus pontifex diſpenſat.

Reſp. 2. *Irregularitatem contractam ex baptiſmo iterato, abſolutè, & in vniuerſum diſpenſari authoritate Pontificis Romani.* Primo, quia ità habet vſus communis quarumcumque gentium. Deinde, quia hoc manifeſte colligitur ex Doctoribus ſupra citatis.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Vtrum conuenienter diſtribuantur tria baptiſmata.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Virum baptiſmus ſanguinis ſit potiſſimus inter alia baptiſmata.

DVBITATIO PRIMA.

Quot ſint baptiſmata.

CONCLVSIO. *Tria ſunt baptiſmata fluminis, flaminis, & ſanguinis*: ità D. Th. art. 1. huius quæſt. & Sententiarij omnes in 4. diſtinct. 4. Hugo lib. 2. de ſacramentis, parte 6. cap. 6. & 7. Alenſis 4. p. q. 22. Thomas VValdenſis, tom. 2. de ſacramentis cap. 96. & 97. Suarez diſp. 27. ſect. 11. & ceteri omnes interpretes D. Thomæ ad articulum 11. huius quæſt. Meminit autem ſcriptura baptiſmi *Fluminis*, Ioann. 3. Marci 16. & Matthæi vltimo, qui cenſetur eſſe id quod conſurgit ex verbis iſtis, *Ego te baptizo, &c.*

Baptiſmus fluminis. Ioann. 3. Marc. 16. Matth. vlt.

& ex

& ex aqua naturali baptiſmi autem *fluminis* : ſit mentio Actuum cap. 11. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies* : definitur autem baptiſmus flaminis : Votum, & deſiderium conſequendi ſacramentum baptiſmatis.

Actor. 11. *Baptiſmus flaminis.*

Denique, agit ſcriptura de baptiſmo *ſanguinis*, Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum; & baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Lucæ 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam.* Eſt vero baptiſmus ſanguinis ea paſſio, quam in ſe recipit quis, fundendo ſanguinem pro Chriſto ſponte & liberè, ſi adſit vſus rationis : quod ſi ratio locum non habeat, nec habuerit aliquando in eo qui occiditur propter Chriſtum, conſequitur rationem paſſionis tantum.

Marc. 10. *Baptiſmus ſanguinis.* Luc. 12.

B

Baptiſmus aquæ proprie baptiſmus : alia duo analogicè.

Porrò, inter hæc baptiſmata ſolum baptiſma aquæ verè & propriè rationé baptiſmatis ſortitur; hoc enim eſt, quod verè, & formaliter abluit, lauat & mundat ſordes corporis & animæ. Cetera verò duo per quandam ſimilitudinem, & analogiam rationem baptiſmatis obtinent ; putà quod in eo caſu in quo quis de facto baptizari nequit, & inter illas moras tollitur è vita, vel morte naturali, vel violenta per ſolum deſiderium quod habet de baptiſmate conſequendo, deletur in eo omnis culpa. Idem eſt dicendum de eo qui occiditur in odium Chriſti : præterea martyrium aufert omnem pœnam debitam peccatis quod tamen non facit baptiſmus flaminis ſemper, ſed interdum, & aliquando.

C

DVBITATIO SECVNDA.

An quodlibet ex iſtis tribus baptiſmatibus habeat rationem Sacramenti.

Placitum maioris, martyrium eſſe ſacramentum.

MAIOR in 4. diſtinct. 4. exiſtimat martyrium eſſe verè, & propriè ſacramentum, idque quod ſacramenta nouę legis remittant peccata ex opere operato : martyrium autem remittit peccatum quodlibet maxime originale ex opere operato ; vt manifeſtè conſtat ex ſanctis Innocentibus occiſis ab Herode in odium Chriſti, quos Eccleſia colit meritò, vt ſanctos.

D

Baptiſmi ſanguinis & flaminis non ſunt ſacramenta. Probat. 1.

CONCLVSIO. *Baptiſmi ſanguinis, & flaminis, nullo modo ſunt ſacramenta.* Primo, quia de fide eſt eſſe tantum ſeptem ſacramenta nouæ legis, vt definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 1. at inter hæc non computantur baptiſmata ſanguinis, & flaminis.

2

Deinde, omne ſacramentum eſt à Deo inſtitutum, & veluti quidem ceremonia aliqua ſenſilis gratiam ſanctificantem ſignificans ; diximus enim ſacramentum eſſe ſignum ſenſile, à Deo inſtitutum quod gratiam ſignificat : at nec martyrium, nec votum conſequendi baptiſmum ſunt ſigna ſenſilia à Deo inſtituta, vt gratiam ſignificent ; nam martyrium habet ortum à deprauata voluntate tyrannorum, minime vero à Deo : votum verò conſequendi baptiſmum, ſeu deſiderium, eſt actus internus, ac proinde inſenſilis; potéſtque cauſare tantum gratiam meritorie, non autem ex opere operato, quemadmodum faciunt ſacramenta nouæ legis : ergo.

E

3.

Tertio, extat præceptum de ſacramentis frequentandis omnium conſenſione : at nullum extat præceptum de martyrio inferendo alteri, aut ſubeundo : ergo.

4.

Denique ſacramenta non ſunt actus alicuius virtutis priuatæ, & particularis ; at martyrium eſt actus elicitus à fortitudine, & imperatus à charitate, ſaltem in adultis : votum quoque baptizandi poteſt habere ortum à fide Chriſtiana & Catholica, & item à charitate : ergo non ſunt ſacramenta.

CONCLVSIO 2. *Solus baptiſmus aquæ, rationem ſacramenti conſequitur* : hæc aſſeritur ab omnibus, locis proximè cit.

Baptiſmus aquæ tantum habet rationem ſacramenti.

Deinde, ad hoc vt aliquid rationem ſacramenti conſequatur, debet conſtare materia, forma, & miniſtro ex Chriſti inſtitutione : atqui ſolus baptiſmus aquæ habet hæc tria ex Chriſti inſtitutione; materia ſiquidem illius eſt aqua naturalis, forma, verba miniſtri; miniſter denique quilibet homo.

Diſſolnitur fundamentum Maioris.

Ad rationem verò Maioris reſpondeo, ſola ſacramenta nouæ legis non iuſtificare ex opere operato ; priuilegium ſiquidem hoc diuina virtute conceſſum fuit martyrio, vt probabitur inferius.

DVBITATIO POSTREMA.

Qua ratione baptiſmus fluminis, flaminis, & ſanguinis gratiam conferant : ſeu, quod idem eſt, qua ratione ſanctificent ; an ex opere operato, an verò ex opere operantis.

Baptiſmus fluminis ex opere operato iuſtificat hominem.

DVO ſunt in hac re certiſſima ; alterum eſt, baptiſmum fluminis iuſtificare hominem ex opere operato ; de fide ſiquidem eſt quodlibet ſacramentum nouæ legis iuſtificare, ex opere operato, vt definitur in Trid. ſeſſ. 7. can. 8. indubitatum autem eſt baptiſmum fluminis eſſe ſacramentum nouæ legis ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de ſacramentis in genere.

Baptiſmus flaminis iuſtificat ex opere operantis. 1. Cor. 13.

Alterum eſt, baptiſmum flaminis iuſtificare hominem ex opere operantis tantum ; minime vero ex opere operato : nam martyrium ſine charitate plane inutile eſt, ſaltem in adultis omnibus ex ca. 13. 1. Corinth. *Si tradidero corpus meum, ità vt ardeam ; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* atqui charitas non iuſtificat ex opere operato, ſed ex opere operantis, omnis enim actus charitatis ſumit ſuam dignitatem à dignitate perſonæ quæ elicit actum charitatis.

Baptiſmus flaminis, idē quod actus contritionis præſtat.

Deinde, eodem plane modo iuſtificat baptiſmus flaminis, quo actus contritionis ; at certum eſt actum contritionis habere rationem diſpoſitionis neceſſariæ ad gratiæ introductionem, non autem attingere effectiuè gratiam, niſi in ratione cauſæ diſpoſitiuæ : ergo.

Denique, ad hoc vt aliquid iuſtificet ex opere operato, requiritur quod ſit inſtrumentum aſſumptum à Deo ad gratiam producendam, idque infallibiliter : propter hanc enim cauſam ſacramenta nouæ legis, dicuntur producere gratiam ex opere operato : at baptiſmus flaminis, non eſt à Deo aſſumptus tanquam inſtrumentum, ad hoc vt gratiam producat infallibiliter : ſi enim quis ſummo deſiderio baptiſmum ſuſcipiendi teneatur, & poſſit de facto baptizari, & prætermittat ſuſceptionem baptiſmi aquæ, hic nequaquam iuſtificabitur ob ſolum deſiderium, quod habuit de baptiſmate ſuſcipiendo, vt conuenit inter omnes; ergo baptiſma flaminis ex opere operantis, non autem ex opere operato iuſtificat.

Digitized by Google

Quorũdam opinio circa cauſalitatẽ baptiſmi ſanguinis cum fundamento.

Dubitatur autem; *an baptiſma ſanguinis iuſtificet ex opere operato*: Adrianus enim & Armacan. aliique nonnulli exiſtimant baptiſmum ſanguinis iuſtificare tantum ex opere operantis, idque quod exiſtiment martyrium conſequi ſuam dignitatem ex actu interiori, elicito ab eo qui patitur martyrium, quod probant ex loco Pauli 1.Corinth.13. proxime citato; ac proinde docent Eccleſiam celebrare tantum feſtum eorum Innocentium qui paſſi ſunt pro Chriſto, conſequuta remiſſione peccati originalis, medio ſacramento circumciſionis, vel legis naturalis: niſi forte acceleratus fuerit vſus rationis in aliquibus paruulis, quod Luc.1. fieri potuiſſe probant ex illo Lucæ 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc infans ex vtero matris ſuæ*: iſtos etiam agnoſcunt velut martyres, putant enim accelerato vſu rationis, diuina virtute, exercuiſſe pueros iſtos actum aliquem charitatis ratione cuius conſequuti ſunt meritum, & præmium debitum martyrio.

1.Cor.13.

Alij vero, vt Sotus, exiſtimant martyrium conferre gratiam, vt medium operis meritorij, non autem ex opere operato.

Non fuit acceleratus vſus rationis in innocentibus.

CONCLVSIO 1. *Vſus rationis nullo modo fuit acceleratus in illis pueris, quos Herodes occidit propter Chriſtum.* Primo, quia hæc opinio videtur damnari à D. Thom. in 2. 2. quæſtio. 124. art. 1.

Probat. 1. Deinde, quia nihil de hac re habetur in toto 2. decurſu noui teſtamenti.

3. Tertio, quia Eccleſia celebrat feſtum ſanctorum Innocentium, hoc nomine, quod fuerint iſti necati in odium Chriſti, nulla facta diſtinctione inter eos, quibus peccatum originale fuerat remiſſum, vel per circumciſionem, vel per ſacramentum legis naturalis, aut denique eorum in quibus fuit vſus rectæ rationis.

4. Quarto; Eccleſia ita orat in Collecta de ſanctis Innocent. *Deus cuius hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.* hæc eſt manifeſta ſententia D. Auguſt. ſerm. 8. de ſanctis: ait enim de Innocentibus, quos Eccleſia vt ſanctos colit; *Neſcierunt*, inquit, *tacere, quia nondum didicerant formidare*: & Hilarius can. 1. in Matth.

D. Auguſt.

Hilarius.

Quinto, Eccleſia tria genera martyrum celebrat 1. eorum qui ex voto contracto ſanguinem ſuum fuderunt: in hac ſerie collocantur Stephanus, Laurentius, & alij innumeri. Secundo eorum qui tantum pro Chriſto vitam perdere concupierunt: cuius generis fuit D. Virgo ex illo Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſiuit, &c.* & D. Ioannes Euangeliſta, ex Hieronymo ad caput 20. Matthæi *Licèt*, inquit, *perſecutor non fuerit ſanguinem, vidimus tamen animo martyrium non defuiſſe, & Ioannem bibiſſe calicem confeſſionis.* Loquitur enim de D. Ioanne Euangeliſta.

Lucæ 2.

D. Hieron.

Vltima.

Poſtremo, eorum qui de facto mortui ſunt pro Chriſto, ſecluſo omni voto, & deſiderio interiori ſuſtinendi mortem pro Chriſto: in hoc ordine collocantur Innocentes, occiſi ab Herode propter Chriſtum: ità communiter omnes in 4. de martyrio, & ad 2.2.D.Th.

Innocentes ſunt martyres.

CONCLVSIO 2. *Omnes Innocentes de facto ſunt martyres, celebrantúrque merito, vt ſic, ab Eccleſia Catholica.* Primum, quia ita docent Patres; maxime vero Auguſtinus. *Non fruſtra*, inquit, *infantes illos, qui cum Dominus Ieſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia.* Et Bernardus ſer. 66. in Cantica, vbi aſſerit Eccleſiam dediſſe coronam infantibus pro Chriſto interfectis.

Aug.de libero arb. lib.3.c.23.

Deinde, Patres docent martyrium ſupplere vicem baptiſmi aquæ, ita tradunt D. Aug. de baptiſmo paruulorum, & locis ſupra cit. itém que ceteri Patres ſupra citati. 2. *Fundament.*

Tertiò, quæ dicuntur de baptiſmo aquæ, adſcribuntur martyrio in ſacris litteris: quemadmodum enim dicitur de baptiſmo, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ita dicitur de martyrio. Marci 8. & Lucæ 12. *Qui autem me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Angelis Dei.* & ibidem, *Qui me confeſſus fuerit, confitebor & ego eum coram Patre.* Dicitur item de baptiſmo, Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c. ità & de martyrio, Lucæ 9. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet illam*, & Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* 3. Ioan. 3. Marc. 8. Luc. 12. Marc. vlt. Luc. 9. Matth. 5.

Quarto, tota ratio cur baptiſmus aquę remittat peccata, hæc redditur ab omnibus, quia applicat nobis myſterium paſſionis Chriſti, & meritum eiuſdem, aut, vt alij loquuntur, quia nos conformat Chriſto: at ſimiliter martyrium confert nobis merita paſſionis Chriſti, & facit nos ſimiles Chriſto, idque perfectiori ratione quàm faciat baptiſmus aquæ: hic enim facit nos ſimiles tantũ Chriſto figurate: martyrium vero, vere, & de facto; ſuſtinendo enim vere mortem pro Chriſto morimur nomine eius: in baptiſmate vero aquæ tantum figurate Chriſto commorimur, vt eſt per ſe notum: ità communiter omnes locis ſuprà citatis. 4.

Martyrium ex opere operato iuſtificat.

CONCLVSIO VLTIMA. *Martyrium iuſtificat omnes paruulos, quibus infligitur non ex opere operantis, vel ad modum operis meritorij: ſed ex opere operato*: ità docent verbis expreſſis Richardus in 4. diſt. 4. Durand. quæſt. 8. diſt. 4. lib. 4, Gregorius de Valentia ad 1.2. D. Th. quæſt. 2. de martyrio, puncto 2. Dubit. 8. alijque multi recent.

Efficax ratio concluſionis.

Accedunt rationes aliquæ: AD hoc vt aliquis iuſtificetur per modum actus meritorij, vel ex opere operantis ſimpliciter, & abſolutè, requiritur, vt actus aliquis exerceatur, qui ſit bonus, & Deo gratus, & quidem ex dignitate perſonæ elicientis huiuſmodi actum; conuenit enim inter omnes actum meritorium debere eſſe liberum, & ex ſuo obiecto bonum, vel certe ex intentione operantis directum in honeſtum aliquem finem: at certum eſt extare aliquod martyrium, quod de facto iuſtificat hominem, & tamen in huiuſmodi martyrio nullus datur actus elicitus à perſona Deo grata, & accepta: vt manifeſte conuincitur ex martyrio eorum Innocentium, qui occiſi fuerunt in odium Chriſti, ab Herode: iſti enim cùm non fuerint capaces vſus rationis, nullum bonum actum potuerunt elicere, neque item id præſtiterunt carnifices puerorum, omnis enim actus qui ab iſtis habuit ortum, fuit Deo ingratus, cum non potuerint iſti tuta conſcientia occidere Innocentes: ergo martyrium iuſtificauit paruulos hos non ex opere operantis, neque ad modum operis meritorij: ergo ex opere operato; neque enim poteſt dici quanam alia ratione fuerint iuſtificati, ſancti Innocentes per martyrium.

Confirmatio.

Confirmatur hæc ſententia. Innocentes occiſi propter Chriſtum, fuerunt omnes ſancti: at nullum exercuerunt iſti actum internum quo ſe diſpoſuerint ad gratiam iuſtificantem, neque exercere

cere potuerunt, 'argumento igitur eſt eos fuiſſe iuſtificatos per martyrium ex opere operato.

2. Ratio. Secundo, Eccleſia quàmprimum audit, aliquem nomine Chriſti eſſe vere paſſum, ac proinde eſſe verum martyrem, eum pro ſancto D. Auguſt. colit, adeo vt dixerit D. Auguſtin. iniuriam facere, martyri eum qui pro martyre orat: de qua re legendus eſt ſermo 17. *Iniuria* ait *eſt pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare*: ergo ex opere operato conſequuntur martyres gratiam ſanctificantem.

Obiectio. Dices, per opus mere toleratum neminem poſſe iuſtificari; *Qui fecit neſcientem, non iuſtificat niſi volentem*, authore D. Auguſtin. ergo.

Reſponſio. Reſpondeo, ex opere mere tolerato non poſſe quempiam inter adultos iuſtificari, vt manifeſte colligitur ex loco proxime citat. D. Auguſtini: & præterea, quia docent communiter omnes Theologi adultum debere diſponi ad gratiam iuſtificantem media contritione, vel attritione cum ſacramento, aut denique media charitate ſupernaturali: cum iſtis tamen recte cohæret, vt paruuli qui nondum attigerunt vſum rationis ſalutem conſequantur ex opere tolerato tantum; modo tamen huiuſmodi opus toleratum habeat infallibilem promiſſionem diuinam de gratia concedenda: martyrium autem toleratum à paruulis habet huiuſmodi diuinam promiſſionem, vt colligunt Patres, maxime D. Auguſt. ex loco ſupra citato Lucæ 4.

Qua ratione opus toleratum pueros iuſtificet.

Ad rationem vero adductam ab authore prioris ſententiæ, reſpondeo, probare tantum in adultis, non poſſe producere ſuos effectus, niſi prævia diſpoſitione aliqua, quæ teneat ſe ex parte eorum, qui martyrium ſuſtinent pro Chriſto.

Ex iſtis colliges, eum qui occidetur in odium Chriſti ante vſum rationis conſequuturum remiſſionem peccati originalis propter ſolum martyrium, quod paſſus eſt propter Chriſtum: ita communiter authores ſupradicti.

DVBITATIO VLTIMA.

Quodnam ex iſtis tribus baptiſmatibus ſit ceteris anteponendum.

Baptiſmi ſanguinis dignitas. Cyprian. RESPONDEO *Baptiſma ſanguinis antecedere cetera baptiſmata præſtantia, & dignitate*: ità Cyprianus ſermone de ſtella: *Hi nuper cruore lacteo*, inquit, *leti, primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum animæ ſanguinem efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolemnibus aquas: maxime cum nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus vero ſanctus, & aquis, & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet, & abluit, quo baptizante, idem occiſio, quod merſio operatur.* Bernard. Et Bernardus ſermone de Innocentib. & denique D. Thom. art. vltimo huius quæſt. D. Thom. 2.

Deinde, martyrium eſt actus ſupremæ charitatis, ex verbis Chriſti, Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm qui animam ponit.* Ioann. 15.

Tertio, per martyrium conformamur, & aſſimilamur perfectiſſime morti Chriſti, per baptiſmum vero aquæ tantum figurate quod ipſum dicendum eſt de baptiſmate flaminis.

Probat. 4. Quarto, martyrium habet aureolam adiunctam, quod tamen dici nequit de baptiſmo aquæ, & flaminis.

5. Quinto, Eccleſia celebrat feſtum omnium martyrum, minime vero baptizatorum baptiſmo aquæ, & flaminis.

Ex quo colligunt Theologi communiter maiorem gratiam dari per martyrium, quam per ſacramentum baptiſmatis: non enim poteſt aſſignari aliqua ratio, cur potius Eccleſia celebret feſtum Martyrum, quàm baptizatorum: eſt enim æque de fide, eos qui moriuntur ante ætatem rationis ſuſcepto baptiſmate conſequi vitam æternam, atque de fide eſt martyres Chriſti donari etiam vita æterna.

Vltima. Denique, martyrium non inquinatur ſecundis ſordibus, vt obſeruat Damaſcen. bene tamen baptiſmus flaminis & fluminis, ſaltem vt plurimum.

Qua in re minus præſtans baptiſmus ſanguinis aqua lauacro. Cum iſtis tamen recte ſtat ex certa aliqua circumſtantia martyrium poſſe eſſe minus præſtans, quam cetera baptiſmata: baptiſmus enim aquæ imprimit characterem, quod tamen martyrium non facit: baptiſmus item aquę abſolute loquendo præſtantior eſt baptiſmo flaminis, aufert enim hic omnem pœnam: & culpã, characterem imprimit, tribuitque ius ſepulturæ Chriſtianæ, quod tamen non facit baptiſmus flaminis. Vide plura de hac re apud interpretes D. Thom. in 2. 2. q. 124.

QVÆSTIO LXVII.

De miniſtro baptiſmatis.

ARTICVLO 1. Docet Diaconum non baptizare ex officio.

ARTICVLO 2. Sacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti baptiſmatis ex officio, & extra neceſſitatem vltimam.

ARTICVLO 3. Poteſtatem baptizandi in neceſſitate non eſſe negandam laicis: imo neque mulieribus.

ARTICVLO 4. Neque denique non baptizatis.

ARTICVLO 5. Tradit non baptizatum poſſe baptizare.

Circa iſtos articulos duæ ſunt Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

Quis ſit miniſter ſacramenti baptiſmatis extra caſum neceſſitatis.

Epiſcopi ſũt miniſtri baptiſmi. Tertul. CONCLVSIO 1. *Poteſtas baptizandi ex officio eſt penes Epiſcopos extra caſum neceſſitatis.* Primo, ita docet Tertul. de Baptiſmo. *Dandi*, inquit, *quidem habet ius ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus*, (loquitur autem de ba-

---

1 In 3. partem D. Thom.

Clem.Ro. ptiſmo. Et Clemens Romanus lib. 3. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 11. *Sed*, inquit, *neque reliquos clericos baptizare permittimus, ſed ſolos Epiſcopos & presbyteros, miniſtrantibus illis Diaconis*: & Hieronym. in Dialogo contra Luciferianos. *Inde venit, vt ſine Epiſcopi iuſſione neque presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.*

Hieron.

Deinde, eadem eſt in Epiſcopis, quæ fuit in Apoſtolis, ſaltem ex eo capite, quod Apoſtoli fuerunt Epiſcopi, vt author eſt D. Auguſtin. in Pſalm. 44. ad hæc verba, *Principibus tuis*, id eſt, *Apoſtolis, nati ſunt tibi filij*, id eſt, Epiſcopi, at poteſtas baptizandi, data fuit Apoſtolis, Matthæi vltimo; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c. imo propter hanc cauſam legimus Apoſtolos baptizaſſe Actuum 2. 9. & 10. & D. Paulum 1. Corinth. 1.

D. Auguſt.

Matth.vlt.

1.Cor.1.

Obiectio. Dices, loco proxime citato D. Paulum, ità loqui de ſeipſo, *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.*

Solutio. Reſpondeo, verba hæc eſſe intelligenda per comparationem, non autem abſolutè: ità vt ſenſus ſit Paulum potius fuiſſe miſſum ad Euangelizandum, quàm ad baptizandum; docet enim in illo eodem capite ſe baptizaſſe certos aliquos homines, quos ibidem exprimit.

3. Probat. Tertiò probatur reſponſum: Principis alicuius reipublicæ eſt admittere exteros ad vnionem iſtius reipublicæ: certum autem eſt Epiſcopos eſſe principes religionis Chriſtianæ, iuxta illud Dauidis; *Conſtitues eos principes*, &c. ergo, cùm aditus Eccleſiæ nulli patere poſſit, niſi per baptiſmum, baptizare maxime pertinebit ad Epiſcopos.

Sacerdotes ſunt miniſtri. CONCLVSIO 2. *Poteſtas baptizandi ex officio extra neceſſitatem eſſe penès ſacerdotes iuriſdictionem habentes.* Primò, quia ita tradunt Patres, Clemens Romanus citatus, Ignatius epiſt. 13. Epiphan. hæreſi 79. Iſidorus lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis, cap. 24. *Patet*, inquit, *baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe traditum cuiuſque myſterium, nec ipſis Diaconibus explere eſt licitum abſque Epiſcopis, vel presbyteris, niſi illis procul abſentibus vltima languoris cogat neceſſitas.* & D. Thom. art. 2. huius quæſt. & interpretes eiuſdem omnes ibidem.

Ignatius. Epiphanius. Iſidorus. D. Thom.

2 Deinde, ità definit Eugenius IV. in decreto fidei, quod extat ad calcem Concilij Florentin. idémque dicitur in can. Diaconus diſtinct. 4.

3. Tertio, ſacerdotum eſt ex officio Euchariſtiam conficere, vt recte admonet D. Thom. hoc loco: ergo cùm per baptiſmum poſſimus accedere ad Euchariſtiam, ſacerdotum erit ex officio illum adminiſtrare. Adieci autem pertinere ad ſacerdotem modo iuriſdictionem habeat, in canone ſiquidem interdicimus 16. quæſtio. 1. ſtrictiſſime præcipitur ne ſacerdos extra caſum neceſſitatis baptizet non ſibi ſubditum, & in Clementin. vnica de priuilegiis, inducitur ſententia excommunicationis contra ſacerdotem qui alterius ſubditum baptizat extra caſum neceſſitatis, reclamante proprio Parocho.

Obiectio. Dices, reſponſionem primam deſtruere 2. miniſter ſiquidem cuiuſlibet ſacramenti debet eſſe certus, & definitus; nos autem volumus pertinere ad Epiſcopum baptizare ex officio, itémque ad presbyterum.

Solutio quæ conciliatur reſponſum 1. cum 2. Reſpondeo, Epiſcopum eſſe præcipuum miniſtrum ſacramenti baptiſmatis ex officio, presbyterum vero habentem iuriſdictionem ex diſpoſitione communi iuris Eccleſiaſtici, aut etiam accedente conſenſu & beneplacito Epiſcopi, eo quod Epiſcopi ſit decernere Curatos, & eorumdem Vicarios approbare.

Sunt etiam qui putent ſacerdotem primo cenſeri miniſtrum ex officio ſacramenti baptiſmatis, quod quilibet ſacerdos, hoc ipſo quod ſit ſacerdos, iure communi admitti poteſt ad ſacramenti baptiſmatis adminiſtrationem.

Diaconus ex commiſſione ſacerdotis miniſter eſt baptiſmi. Reſpondeo vltimo, *Miniſtrum ſacramenti baptiſmatis ex commiſſione ſacerdotis iuriſdictionem habentis, extra neceſſitatem eſſe Diaconum.* Primo, quia ita ſentit D. Thom. artic. 1. huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem.

Deinde, quia antiquitus ob penuriam ſacerdotum Diaconi baptiſmum impendebant cum ſolemnitate. Denique non magis repugnat Diaconum baptizare cum ſolemnitate, quàm Euchariſtiam adminiſtrare; docebimus autem in tractat. de Euchariſtia Diaconum adminiſtraſſe Euchariſtiam in publico conuentu Eccleſiæ: ergo multo melius poterit baptizare ex commiſſione.

Obiectio. Dices, docuiſſe nos in quæſtione de charactere, characterem baptiſmatis eſſe potentiam ordinatam ad ea quæ ſunt diuini cultus exercenda; hanc autem dari in omnibus Diaconis: igitur ſine commiſſione poterit adminiſtrare baptiſmum Diaconus.

Solutio. Reſpondeo, characterem baptiſmi incomplete tantum, & radicaliter conferre poteſtatem adminiſtrandi baptiſmum Diaconis; minime vero perfectè, & complete; hac enim ratione competit ſolis ſacerdotibus, & Epiſcopis ex officio, idque quod complementum poteſtatis adminiſtrandi ſacramentum baptiſmi de iure communi, ſit neceſſario repetendum à charactere ſacerdotali: ità communiter omnes art. 2. huius quæſt.

Diaconus baptizans in neceſſitate ſolemniter non fit irregularis. Aduerte, Diaconum in neceſſitate, abſente ſacerdote, ſine commiſſione ſacerdotis poſſe cum ſolemnitate baptizare, neque tamen propterea irregularem fieri: nam tantam confert neceſſitas facultatem baptizandi Diacono, quàm commiſſio presbyteri, vt obſeruant recentiores aliqui hoc loco: indubitatum autem eſt Diaconum nullam contrahere irregularitatem, quotieſcumque cum ſolemnitate baptizat, ex commiſſione Epiſcopi, aut presbyteri iuriſdictionem habentis; ac proinde, irregularitas quæ inducitur contra Clericum non ordinatum dum ſacramenta adminiſtrat; intelligenda eſt de eo qui adminiſtrat extra caſum extremæ neceſſitatis.

DVBITATIO SECVNDA.

Quiſnam ſit miniſter ſacramenti baptiſmatis in caſu extremæ neceſſitatis.

Quicumque homo ſufficiens baptiſmi miniſter. CONCLVSIO 1. *Quilibet homo, ac proinde maſculus vel femina, Chriſtianus, vel infidelis, conſecratus, vel non conſecratus eſt miniſter*

miniſter idoneus baptiſmatis in extrema neceſſitate: ita communiter Doctores hoc loco, & in 4. diſtinct. 4.

2. Deinde, res iſta definita fuit ab Eugenio IV. in decreto fidei. *In neceſſitatis caſu*, inquit, *non ſolum ſacerdos, vel Diaconus; ſed etiam laicus, vel mulier; imò & paganus, & hæreticus baptizare poteſt, dummodo facere intendat, id quod facit Eccleſia.*

3. Tertio, ſancti Patres Dubit. proxime antedente citati idem docent, cum D. Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. eo quod exiſtiment illud recte ab omnibus dari poſſe, quod ab omnibus ſuſcipi poteſt: baptiſmus autem ab omnibus planè hominibus ſumi poteſt, Matth.vlt. Matthæi vltimo; *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c.

4. Denique, baptiſmus habet materiam communiſſimam, eo quod ſit ſimpliciter ad ſalutem omnibus neceſſarius: ergo miniſter etiam iſtius ſacramenti debet eſſe quam maxime communis in caſu extremæ neceſſitatis.

Qui ſacri canones intelligendi dum iterãdum baptiſma à paganis datum dicunt.

Quod ſi ſacri Canones, itemque Patres aliqui doceant iterandum eſſe baptiſma collatum à paganis, id non eſt ſimpliciter intelligendum quaſi velint baptiſmum non poſſe conferri à paganis: ſed quia verendum eſt ne pagani inter baptizandum debitam intentionem non habuerint, aut etiam ne expreſſerint perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis diſtincte, propterea tradunt canones illi baptiſmum collatum à paganis eſſe iterandum: maxime cum conditione.

ARTICVLVS SEXTVS.

An plures poſſint vnum & eumdem baptizare.

DVBITATIO PRIMA.

An duo poſſint valide quempiam baptizare, quando neuter iſtorum eſt cauſa totalis & integra baptiſmi; ſed tantum partialis: puta quando mutus applicat aquam; & mancus profert verba hæc, Ego te baptizo, &c.

Baptiſmus collatus à duobus inualidus quãdo vnus eſt mutus & alter mancus.

RESPONDEO *Baptiſmum collatum ab iſtis duobus futurum inualidum*: ità D. Thom. in corpore articuli & ad 3. hoc loco, & communiter Sententiarij in 4. diſt. 4.

Probat. 1. Deinde, baptiſmus nequit eſſe validus, niſi forma cum qua fuit adminiſtratus fuerit vera, vt conuenit inter omnes: at quando mutus v. g. aquam porrigit; & mancus verba iſta profert; *Ego te baptizo*, forma baptiſmi non eſt vera: nam non baptizat mutus, aſpergit enim tantum ex ſuppoſitione baptizandum aqua: ergo baptiſmus ſic collatus minime eſt validus.

Reſponſio Caiet. Reſpondet Caietan. qui contrariam ſequitur ſententiam, formam baptiſmi in eo caſu veram futuram, ſi dicerent iſti duo; *Nos te baptizamus in nomine patris*, &c. aut ſi retinerent formam Græcorum, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, &c. aut ſi intelligerent ſe baptizare partialiter, illo eodem modo quo, ſtante hac hypotheſi, duos ſimul conſcripſiſſe librum aliquem, verum eſt dicere, ità vt vnus alteram medietatem, alius vero ſecundam ſcripſiſſet: tunc enim verus eſſet hic ſermo de iſtis; iſti duo librum hunc ſcripſerunt: ergo verum erit dicere de muto, & manco, quod hominem baptizarint.

Reiicitur ob triplicem rationem. Ceterum reſponſio hæc nihil plane dicit. 1. Primo, quia, *Baptizo te*, idem eſt atque ſacramentum baptiſmatis tibi confero: at nec mutus, nec mancus, ſacramentum baptiſmatis confert in data hypotheſi; conſurgit enim baptiſmus ex applicatione materiæ, & formæ facta ab vno, & eodem planè numero homine: quemadmodum & perſona Chriſti vna, & eadem planè non eſt in cauſa cur ſacramentum hoc ſuos conſequatur effectus.

2. Deinde, fatentur Logici propoſitiones diuiſiuas eſſe veras independenter à ſeipſis, vt conſtat ex iſta; *Nos Petrus, & Paulus ſumus homines:* Petrus enim eſt homo, & quidem ſine vlla dependentia à Paulo: & contra Paulus independenter à Petro; ergo ad hoc vt iſta propoſitio ſit vera; Mancus, & mutus baptizant, debent iſtæ duæ diuiſiuæ eſſe veræ, *mutus baptizat: & mancus baptizat*, ſine vlla dependentia vnius ab altera, quod tamen patet eſſe falſum, cum mutus aquam applicet tantum, mancus vero ſolam formam proferat.

3. Tertio, ſi liceret materiam applicari ab vno, & formam conferri ab altero, liceret formam quoque ipſam explicari à duobus; quod tamen nullus hactenus fieri poſſe dixit. Eadem quoque falſitas deprehenderetur ſi baptizarent mutus, & mancus in forma Græcorum: ſenſus enim illius eſt: Baptizetur ſeruus Chriſti, à Deo per actionem miniſtri applicantis integre ſacramentum baptiſmi, quod tamen non contingit in data hypotheſi.

Caietan ex natus. Vrget Caietan. in conſecratione ſacerdotis Archidiaconum applicare calicem cum vino, & patenam cum pane ſacerdotibus conſecrandis, quæ duo ſunt neceſſaria conſecrationi ſacerdotis, omnium conſenſione: Epiſcopum verò proferre verba conſecrationis; *Accipe poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti*, &c. & tamen in hoc caſu conficitur ſacramentum ordinis ſacerdotalis à duobus miniſtris: ergo & illud idem erit dicendum de iis qui baptizant, etiamſi vnus materiam: alius vero formam præbeat.

Infirmatur. Reſpondeo negando conſequentiam, propterea enim in conſecratione ſacerdotis conſurgit ordo ſacerdotalis, licèt partes iſtius adminiſtrentur à duobus, quia forma ſacramenti ordinis ſacerdotalis non ſignificat materiam, & formam ab vno, & eodem miniſtro applicari: forma vero baptiſmi ſignificat totum ſacramentum, ac proinde materiam, & formam ab vno, & eodem numero homine applicari debere, vt conſtat ex verbis iſtis; *Ego te baptizo*, &c.

Inſtantia. Inſtabis, ne dicamus in extrema neceſſitate non eſſe conſtitutum remedium pro aliquibus, poterimus affirmare mutum baptizare valide, applicando aquam, & explicando perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis diſtincte cum eſſentia diuina, ſignis aliquibus ſignificantibus illud idem quod iſta verba, *Ego te baptizo*, &c. Nec immerito, nam confeſſio nedum ſit verbis, ſed etiam ſignis: matrimonium item conſurgit

Digitized by Google

mediis ſignis quibuſdam exprimentibus mutuum consenſum contrahentium.

Satisfit.

Reſpondeo, licet ſacramentum penitentiæ, & matrimonij conſurgant de facto, ſine verbis expreſſis efformatis, ſaltem reſpectu partis confeſſionis, id tamen nullo modo poteſt habere locum in baptiſmo: iure ſiquidem diuino verbo ſcripto, & tradito conſtat, verba aliqua eſſe expreſſe retinenda inter baptizandum, Matth. vltimo. Non conſtat autem iure diuino verba quædam eſſe neceſſario retinenda inter confeſſionem exprimendam, aut inter contrahendum matrimonium: imò communis eſt Scholaſticorum ſententia, hæc duo perfici poſſe validè ſine vllis planè verbis formaliter expreſſis: ſed ſufficere ſi conſenſus innoteſcat ſignis, & peccata manifeſtentur ſimiliter notis quibuſdam diuerſis à verbis, vt communiter concedunt omnes.

Diſcrimen inter ſacramenta quædam & baptiſmum.

DVBITATIO SECVNDA.

An duo poſſint vnum, & eumdem numero baptizare, quando quilibet ex iſtis duobus cenſetur eſſe cauſa totalis, & integra baptiſmi applicati.

Plures poſſunt vnum & eumdem baptizare.

RESPONDETVR affirmatiuè, conuenit enim inter omnes vnam, & eandem numero ſpeciem panis conſecrari poſſe à pluribus ſacerdotibus, quod fieri docent, quotieſcumque ſacerdotes conſecrantur ab Epiſcopo: iſti namque omnes vnà cum Epiſcopo, qui eos conſecrauit, proferunt verba conſecrationis panis, ac proinde cum quilibet ex iſtis tantam habeat poteſtatem, reſpectu conſecrationis panis, quantam habet Epiſcopus, tam vere quilibet ex iſtis conſecrat, quàm faciat Epiſcopus qui ſacramentum conficit.

Deinde, in applicatione iſtius baptiſmatis reperiuntur omnia neceſſaria ad validitatem baptiſmi ex Concilio Florentino in decreto fidei: tria etenim deſiderantur tantum ad eſſentiam cuiuſlibet ſacramenti conſtituendam, materia ſcilicet, forma & miniſter: certum autem eſt in data hypotheſi repetiri materiam aquam elementarem, & formam, *Ego te baptizo*, & denique miniſtrum, eum ſcilicet, qui baptiſmum applicat: ità D. Thom. art. 6. huius quæſt. ergo verè & valide conficiunt baptiſmum.

Aduerte tamen, quod ſi vnus ex iſtis miniſtris baptiſmi prius baptizandum aqua aſperſiſſet, & prius etiam verba protuliſſet, hic baptiſmum conficeret, minime vero alius ſecundus.

Obiectio. Solutio. Vnum effectum poſſe pendere à pluribus cauſis totalibus inſtrumentalibus.

Dices: fieri non poſſe, vt vnius, & eiuſdem effectus dentur plures cauſæ totales, & adæquatę.

Reſpondeo, hoc eſſe verum de cauſis totalibus, & adæquatis præcipuis, minime vero de inſtrumentariis, qua ratione miniſtri plures applicantes baptiſmum cenſentur eſſe cauſæ totales, & adæquatæ baptiſmi applicati; tota enim repugnantia quæ aſſignatur à philoſophis in illis cauſis; reperitur tantum in ſolis præcipuis, & principalibus, quod illæ agant per virtutes ſibi connaturales; inſtrumentariæ vero cauſæ, ſaltem quæ mere ſunt tales, omnem vim operandi quam habent conſequuntur à cauſis præcipuis, & principalibus: quoniam eatenus operantur, quatenus à principali cauſa mouentur ad agendum.

Alia obiectio.

Dices, ex iſtis ſaltem colligi vnum ex præfatis miniſtris duobus baptiſmi, futurum fruſtra.

Soluitur.

Reſpondeo, hoc eſſe verum, ſi per particulam, fruſtra, intelligamus id quod non eſt abſolute neceſſarium ad hoc vt baptiſma de facto conſurgat; ſecus vero, ſi per particulam, fruſtra, intelligatur id quod de facto ſacramentum baptiſmi conficit: quilibet enim ex iſtis duobus miniſtris ſine vlla dependentia ab inuicem producit totaliter & adæquate ſacramentum baptiſmi, ac proinde neuter dicitur eſſe fruſtra.

Impugnatio ſolutionis.

Vrgebis, baptiſmum dicere actionem, ex dictis in ſuperioribus; vnde cum ſint duo miniſtri, qui ex hypotheſi baptizant integre & totaliter, erunt duo quoque baptiſmata.

Refellitur. Baptiſma à pluribus vnum.

Reſpondeo, negando illationem antecedentis; baptiſmus enim licet dicat actionem, non tamen propterea tot erunt numero diſtincta baptiſmata, quot ſunt miniſtri applicantes iſta baptiſmata; vnitas quippe actionis numerica repetenda eſt ab vnitate agentis, in ordine ad terminum productum per huiuſmodi actionem: certum autem eſt, quando plures miniſtri vnum & eumdem hominem ſimul baptizant, conferendo in eodem inſtanti temporis formam baptiſmi, & item ablutionem perficiendo, vnum tantummodo terminum produci, gratiam ſcilicet, & characterem, & item ſacramentum baptiſmi. Deinde, baptiſmus ità dicit actionem, vt tamen præſupponat neceſſario paſſionem; neque enim fieri poteſt vt detur baptiſmus, quin ſit etiam aliquis qui eumdem baptiſmum ſuſcipiat: at paſſio iſta vna non etiam in data hypotheſi eſt: ergo etiam erit vnus numero baptiſmus: ita communiter.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum in baptiſmo requiratur aliquis qui baptizatum leuet de ſacro fonte.

Patrini requiruntur in baptiſmo.

RESPONDET D. Thomas, *in baptiſmo deſiderari aliquos fideiuſſores, ſeu, quod idem eſt patrinos*, de qua re nullus eſt qui poſſit dubitare: ità enim obtinuit vſus ab ipſo exordio Eccleſiæ Catholicæ ad hodiernum vſque diem, nedum inter Catholicos, ſed etiam inter hæreticos, vt conſtat ex praxi quotidiana: antiquitas enim iſtius ceremoniæ comprobatur ex Tert. lib. de baptiſmo, c. 18. D. Aug. ſerm. 116. de tempore, & de peccator. meritis lib. 1. cap. 34. & alibi ſæpiſſime: ſponſores autem illi & leuantes, (vt alij loquuntur) debent eſſe iure antiquo vnus, vel vnà tantum, & quidem maſculus ſi puer fuerit maſculus, femina verò, ſi ſimiliter femina baptizanda ſit, idque propter decentiam, non autem propter neceſſitatem, maxime ſi baptizandi fuerint adulti: vel certè duo, maſculus, & femina vt conſtat ex Concilio Tridentin. ſeſſ. 24. capite 2. de reformatione matrimonij: debent præterea iſti eſſe Catholici, non autem hæretici, non

Tertul. D. Auguſt.

Quinam apti ſint ſponſores ſeu patrini.

Digitized by Google

1. non item Monachi, can. Non licet de conſecratione diſtinct. 4. neque denique eorum inſciſ, quæ ſunt fidei Chriſtianæ, & religionis; tenentur namque partim docere eum quem leuarunt in baptiſmo, articulos fidei Chriſtianæ, & alia neceſſaria ad vitam æternam obtinendam, quod præſtare nequeunt proxime explicati.

Ad quid teneantur patrin

ARTICVLO VLTIMO. *Docet ſuſceptores fidei teneri ad inſtruendum eum qui baptizatur.* Aduerte autem ex eo actu quo quis leuat quempiam in baptiſmo, contrahere cognationem ſpiritualem cum puero, & item parentes cum patrino, itémque puerum baptizatum: vt conſtat ex toto titulo de cognatione ſpirituali & ex Concilio Tridentino loco proxime cit. ità vt inter iſtos nulla ratione conſurgere matrimonium poſſit; ex eodem Concilio Tridentin. Moneo tamen hoc eſſe intelligendum cum baptiſmus fuerit applicatus cum ſolemnitate, & extra neceſſitatem: in caſu quippe neceſſitatis pater proprium filium baptizare poteſt; neque tamen propterea vllam contrahit affinitatem ſpiritualem cum vxore, quæ ſibi ex hypotheſi peperit baptizatum, vt pluribus obſeruat Suarez loco citat. præter autem ſupra explicatos contrahit eamdem planè affinitatem ſpiritualem baptizans, ſeu miniſter baptiſmi.

Sponſores contrahunt cognationẽ ſpiritualẽ cum puero.

QVÆSTIO LXVIII.

De ſuſcipientibus baptiſmum.

ARTICVLO 1. Docet D. Thom. baptiſmum eſſe omnibus, & ſingulis ad ſalutem neceſſarium.

ARTICVLO 2. Adultos ſine baptiſmo, aut in re, aut in voto ſaluari non poſſe.

ARTICVLO 3. Baptiſmum non eſſe differendum paruulis, bene tamen adultis accedentibus ad religionem Chriſtianam.

DVBITATIO PRIMA.

An baptiſmus ſit neceſſarius nedum neceſſitate præcepti, ſed etiam medij ad vitam æternam obtinendam.

Baptiſmus neceſſarius ſimpliciter ad ſalutem.

CONCLVSIO 1. *Baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, neceſſitate medij, ſeu remedij, vt loquuntur.* Probat primo, illud eſt neceſſarium neceſſitate medij ad vitam æternam obtinendam, ſine quo vita æterna nullo modo haberi poteſt ex communi ſententia: loquuntur enim de neceſſitate medij illa eadem ratione, qua communiter docent philoſophi reſpirationem, & alimenti ſuſceptionem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad vitæ ſuſtentationem in animalibus: at ſine baptiſmo nullus eſt qui poſſit conſequi vitam æternam

Ioann. 3. ex cap. 3. Ioannis; *Niſi quis renatus fuerit, &c.*

In 3. partem D. Thom.

A Reſpondet VViclef, & ſequaces eiuſdem locum hunc explicandum de aqua quæ fluxit ex latere Chriſti, eo extincto in cruce; ità vt ſenſus ſit neminem poſſe peruenire ad vitam æternam, niſi fuerit hic coniunctus per fidem, & charitatem aquis quæ fluxerunt à latere Chriſti.

Delirium VViclef.

Ceterùm hæc reſponſio nullo modo defendi poteſt; ſcripturæ ſiquidem ſemper ſunt ad literam intelligendæ, niſi ex eis ſequatur aliquid abſurdi, vt author eſt D. Auguſtin. in lib. de doctrina Chriſtiana: at licet locus Ioannis proxime citatus intelligatur de baptiſmo aquæ, nihil inde ſequitur abſurdi.

Explodi-tur.

B Deinde, Concilium Trident. ſtrictiſſime præcipit ne aliter explicentur Scripturæ ſacræ, quàm ſit mens communis ſanctorum Patrum: ſancti autem Patres locum hunc intellexerunt omnes de ſacramento baptiſmi, vt docuimus in antecedentibus: ergo, &c.

2. *Probatio concluſion.*

Probatur 2. Concluſio. Baptiſmus aquæ eodem planè modo eſt neceſſarius ad vitam æternam obtinendam, quo fides, vt fatentur communiter Doctores, & ratio id ipſum demonſtrat quemadmodum enim dicitur Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; & rurſus; *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*: ità dicitur de baptiſmo; *Niſi quis renatus fuerit*, &c. at fides

Hebr. 11.

C eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij, vt probant Theologi, in tractatu de fide; ità vt affirment fieri non poſſe, vt aliquis inter adultos conſequatur vitam æternam, niſi res aliquas ſupernaturales de facto crediderit à Deo reuelatas: ergo. in hac ſententia ſunt communiter interpretes D. Thom. hoc loco.

Baptiſmus in præcepto eſt.

CONCLVSIO 2. *Baptiſmus nedum eſt neceſſarius neceſſitate medij, ſeu remedij: ſed etiam neceſſitate præcepti.* Primò, quia præceptum de adminiſtrando baptiſmate omnibus &

Probat. 1. Matth. vlt.

ſingulis, habetur expreſſum Matthæi vltimo; *Euntes, docete omnes gentes baptizantes*, &c. Ergo

D quilibet etiam inter homines tenetur ad huius ſacramenti ſuſceptionem; neque enim credibile eſt eum obligaſſe Apoſtolos ad applicandum baptiſmum omnibus, & ſingulis, niſi etiam obſtrinxerit omnes & ſingulos ad huius baptiſmi ſuſceptionem.

2. Deinde, propterea dicimus circumciſionem fuiſſe in præcepto, in veteri teſtamento, quia ſcribitur Geneſ. 17. *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit delebitur de libro vitæ*, &c. at ſimiliter dicitur de baptiſmo; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c.

Geneſ. 17.

E Tertio, de re ſimpliciter neceſſaria extat præceptum aliquod, omnium conſenſione; at diximus baptiſmum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem.

Ioann. 3. 3.

4. Quarto, Apoſtoli nedum ſcripto, ſed etiam facto demonſtrarunt extare præceptum de baptiſmate ſuſcipiendo, Actuum quippe 2. ità loquuntur; *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum, & pœnitentiam agat in remiſſionem ſuorum peccatorum*; vbi quæritur ab eis quidnam oporteat facere ad hoc vt vitam æternam conſequantur, & capite 8. baptizatur Eunuchus, & capite 9. Paulus; & capite 10. Cornelius centurio, alijque nonnulli poſt acceptum Spiritum ſanctum.

Act. 2.

Ibidem.

Quintò, ſi baptiſmus eſſet tantum neceſſarius neceſſitate medij, ac proinde non neceſſitate præcepti, poſita gratia iuſtificante in aliquibus, poſſent hi prætermittere ſine vllo ſalutis diſpendio baptiſmatis ſuſceptionem, quod tamen negant ſancti Patres, maxime vero Baſilius lib. de baptiſmo, & nos docebimus poſteà, cum qui potuit de facto baptizari, & neglexit baptiſmi ſuſceptionem, culpa ſe oneraſſe, neque poſſe conſequi vitam æternam: ergo, &c. ità docent ſancti Patres, Tertullian. Tertul. libr. de baptiſmo per totum cap. 11. 12. & 13. D. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 23. & 24. & lib. 4. contra Donatiſtas, cap. D. Auguſt. 22. & denique Concilia ſacra Mileuitanum, Florent. & Tridentin. ſeſſ. 7. can. 5. de baptiſmo. *Si quis dixerit baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium, anathema ſit.* Synod. Trident.

DVBITATIO SECVNDA.

An votum baptiſmi ſatis ſit adultis ad ſalutem, an verò neceſſaria ſit realis ſuſceptio eiuſdem ad eorumdem ſalutem.

Proponitur ratio dubitandi ex authoritate patrum.

RATIO dubitandi eſt, quia Gregorius Nyſſenus, oratione in ſancta lumina, ait neminem poſſe conſequi ſalutem cum ſolo voto, & deſiderio baptiſmi; & Gennadius, de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap. 14. nullum inter catechumenos, licet obierit cum bonis operibus, poſſe obtinere vitam æternam, ſolis martyribus exceptis: & D. Auguſt. tractat. 13. in Ioannem ità loquitur: *Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portat, non illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum.*

Votum baptiſmi ſufficit adulto in caſu neceſſitatis.

CONCLVSIO 1. *Votum baptiſmi ſatis eſt adulto ad ſalutem conſequendam, quando neceſſitas non patitur actualem eiuſdem ſuſceptionem.* Primò, hæc videtur eſſe mens Concilij Tridentin. ſeſſ. 7. can. 4. de ſacramentis in genere. *Si quis*, inquit, *dixerit ſacramenta noua legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis aut eorum voto: per ſolam fidem homines poſſe ſaluari, anathema ſit*, & ſeſſ. 6. can. 4. *qua tranſlatio à ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ, poſt Euangelium ſufficienter promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Ex quibus locis colligitur manifeſtè, votum baptiſmi interdum ſufficere ad ſalutem obtinendam. Trident. *Probat. 1.*

2 Deinde hæc eſt manifeſta Patrum ſententia, Ambroſij in oratione funebri Valentiniani, imperatoris; *Audio vos dolere, quod non acceperit ſacramentum baptiſmi.* & paucis interiectis; *Atque etiam dudum hoc voti habuit, vt cum Italiam veniſſet initiaretur, & proximè ſe baptizari velle ſignificauit, & ideo me præ cæteris accerſendum putauit: non habet ergo gratiam quam deſideranit? non habet quod popoſcit? certè quod popoſcit accepit:* qui locus citatur à Bernardo epiſt. 77. quamquam ſententiam ibidem approbat D. Auguſtin. libr. 4. contra Donatiſtas de baptiſmo paruulorum cap. 22. *Inuenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionémque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt:* quod etiam ibidem probat exemplo Cornelij, & aliorum de quibus agit hiſtoria ſacra Actuum cap. 10. & lib. de adulterinis coniugiis 1. cap. vltimo; & lib. de natura boni cap. vltimo. D. Thom. articulo 2. huius quæſt. Bernard. D. Auguſt. Actor. 10.

3 Tertio, Quotieſcumque creatura auertitur ab iſtis rebus ſenſibilibus tanquam ab vltimo fine, & conuertitur in Deum tanquam in vltimum finem: de facto iuſtificatur à peccato mortali in quo agit, ea lege, vt nequeat ſacramenta frequentare, aut conuerſio hæc habeat rationem contritionis formalis, vel virtualis, vt communiter docent omnes in tractatu de gratia, & penitentia, & colligitur ex cap. 18. & 33. Ezechielis; *Si conuerſus fuerit impius de malis ſuis, iniquitatum ipſius non recordabor*, &c. & Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam* &c. at hæc conuerſio poteſt dari in homine adulto, ſine vllo planè ſacramento in re ſuſcepto; non enim Deus alligauit vim ſuam ſacramentis, ex communi doctrina, imò videtur colligi ex cap. 10. Actuum, ità enim dicitur illic ab Apoſtolis: *Quis prohibere poteſt, vt non baptizentur iſti qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos?* loquuntur autem illic Apoſtoli; ac proinde quemadmodum de iſtis concedendum eſt, quòd fuerint tunc temporis iuſtificati: ità illud idem dicendum eſt de Cornelio, & alijs qui nondum fuerant baptizati. Ezech. 18. & 33. Iſai. 55. Actor. 10.

Quarto, hoc idem colligitur ex cap. 16. Marci: *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*: quo loco obſeruandum eſt Euangeliſtam non dicere, *qui verò non fuerit baptizatus, condemnabitur*, ſed *qui non crediderit*: quia adultus non poterit ratione vlla ſaluari, niſi de facto crediderit aliquid ex reuelatis à Deo: bene tamen etiamſi in ſe de facto baptiſmum non ſuſceperit: neque enim veriſimile eſt Deum, quempiam ad impoſſibile obligaſſe; at fieri poteſt, vt quis in illis conſtituatur anguſtiis, in quibus nulla ratione poſſit baptiſmum conſequi: vt conſtat ex eo Iudæo in media ſolitudine conſtituto, qui ob defectum aquæ inſtante morte, in arena fuit à Chriſtianis baptizatus, cap. vltimo, lib. 3. Eccleſiaſt. hiſt. Nicephori. Marc. vlt. Niceph.

Quintò, voluntas pro facto reputatur, quando neceſſitas impedit operis externi executionem, vt conſtat de malis, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mœchatus eſt in corde ſuo.* De bonis vero ex cap. 8. poſter. ad Corinth. *Voluntas enim ſi prompta eſt, accepta eſt ſecundum id quod habet, non autem ſecundum id quod non habet:* at ſupponimus hominem adultum deſiderio teneri conſequendi baptiſmum, neque tamen illum conſequi poſſe: ergo in hoc caſu iuſtificabitur hic à peccato ſine actuali baptiſmi ſuſceptione: cùm illud idem fateantur omnes de eo qui vult ſacramentum penitentiæ conſequi: neque tamen illud aſſequi poteſt. Matth. 5. Cor. 8.

Denique, ſi opinio contraria eſſet vera, numquam diſtuliſſet Eccleſia Catholica applicationem baptiſmatis adultis, cuius tamen oppoſitum docebimus Concluſione vltima, idque ſine diſpendio ſalutis eorumdem: ità communiter Scholaſtici hoc loco.

CONCLVSIO 2. *Votum baptiſmi, quod*

Digitized by Google

Votum baptiſmi implicitũ ſufficit adulto.

diximus adultis eſſe neceſſarium ad vitam æternam obtinendam, non debet eſſe formale, & expreſſum; ſed ſatis eſt quod ſit virtuale, & implicitum: ità vt poſſit adultus interdum conſequi ſalutem, etiamſi nihil audiuerit aliquando de baptiſmo; modò tamen velit præſtare ea omnia, quæ Deus inſſit eſſe neceſſaria ad huiuſmodi vitam æternam conſequendam. Primò, quia

Probatio 1. diſpoſitio vltima ad gratiam iuſtificantem dari poteſt in nobis ſine expreſſo, & formali voto baptiſmi, vt colligitur ex D. Thom. art. 2. huius quæſtio. & articulo 4. quæſt. 69. huius partis ad 2.

2. Deinde, votum de baptiſmate ſuſcipiendo non eſt magis neceſſarium ad ſalutem, quàm votum de ſacramento penitentiæ frequentando, dum B quis poſt baptiſmum lapſus eſt in peccatum mortale: non enim fieri poteſt, vt quis poſito iſto peccato mortali, conſequatur remiſſionem illius ſine ſacramento penitentiæ in re, vel in voto, vt probatur in tractat. de penitentia: at fieri poteſt vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali commiſſo poſt baptiſmum, ſine formali, & expreſſo voto penitentiæ; fatentur enim omnes dilectionem Dei ſuper omnia, eſſe diſpoſitionem infallibilem ad gratiam iuſtificantem, quæ tamen non eſt formalis, ſed virtualis tantum contritio: ergo, cùm hæc dilectio poſſit conſiſtere in eo qui agit in peccato mortali, is iuſtificabitur ſine expreſſa penitentia.

3. Tertiò, fides actualis eſt magis neceſſaria adultis, quàm baptiſmus: vt docetur in tract. de fide: ergo, cùm adultus nequeat de facto iuſtificari, niſi explicite, & formaliter aliquid ordinis ſupernaturalis crediderit, poterit hic iuſtificari cum ſolo voto baptiſmi implicito.

Vlt. Denique, nihil prohibet quominus detur aliquis catechumenus, qui exerceat actum contritionis perfectæ, etiamſi nihil audiuerit vſpiam de neceſſitate baptiſmi, vt manifeſtè colligitur ex

Actor. 10. Actis, cap. 10. dicitur namque illic Cornelium & alios nonnullos ante baptiſmi ſuſceptionem Spiritum ſanctum eſſe conſequutos: ergo Catechumenus iſte, ſi in data hypotheſi moreretur, D vitam æternam conſequeretur, idque virtute voti baptiſmi, quod habuit implicite: in hac ſententia ſunt Canus, in relectione de ſacramentis in genere, p. 3. Vega, lib. 5. in Concilium Trident. cap. 14. & Recentiores.

Adultis neceſſarius baptiſmus in re, dum cõmode ſuſcipi poteſt.

CONCLVSIO VLTIMA. *Baptiſmus adultis quibuſuis eſt in re neceſſarius; quotieſcumque ab illis commodè recipi poteſt; ac proinde à fortiori, imminente probabili, vel euidente periculo vitæ.* Primò, quia ſancti Patres exiſtimant peccare adultum quotieſcumque differt de die in diem ſuſceptionem baptiſmi, data tamen occaſione de eodem ſuſcipiendo, ità Clemens Roman. lib. 6.

Probatio 1. Clemens Roman. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 15. *Qui*, inquit, *ob* E *negligentiam baptizari contemnit, veluti infidelis condemnabitur; & ei exprobrabitur velut ingrato: ait enim*

Ioann. 3. *Dominus; Niſi quis renatus, &c.* & rurſus; *Qui verò dicit, baptizabor, cum ad vitæ finem peruenero ne peccem, & baptiſmum inquinem, is Deum ignorat, & ſuæ naturæ eſt parum memor; noli differre conuerti ad Dominum, neſcis enim quid pariat ſequens dies.*

Nazianz. & Gregorius Nazianzenus, in oratione in ſanctum baptiſma quæ eſt quadrageſima; *Salutis*, inquit, *tuæ negotium ſemper age, atque omne tempus ad baptiſmi ſuſceptionem tibi certum, & definitum eſſe exiſtima:* ergo dum quis poteſt commode baptizari ad id tenetur.

In 3. partem D. Thom.

A Deinde, quilibet adultus tenetur ſub reatu peccati mortalis, aſſentiri rebus fidei Chriſtianæ; quamprimùm res iſtæ debitè, vt oportet, proponuntur, vt traditur in tractat. de fide: ergo qui poteſt commodè baptizari perſpecta neceſſitate baptiſmi, tenetur ſub reatu peccati mortalis ipſum ſuſcipere; eſt enim baptiſmus quædam profeſſio omnium myſteriorum fidei Chriſtianæ. 2.

Tertio, omne præceptum affirmatiuum obligat hominem pro eo tempore, quo eſt in hac vita mortali: at non poteſt dici quod ſit illud tempus in quo baptiſmus obligat, niſi ſit illud in quo poteſt quis commode baptizari: igitur tunc temporis aſtringitur. 3.

Denique, baptiſmus nedum eſt inſtitutus ad deletionem peccati originalis, ſed etiam ad hoc vt cetera ſacramenta frequentare poſſimus: at ſi baptiſmus differatur ad vltimum vſque vitæ ſpiritum, fruſtrabitur baptiſmus hoc 2. fine; non enim ſacramenta poſſumus aſſequi in altera vita: ergo. *Vltima ratio concluſionis.*

Non eſt tamen negandum, quin iuſtis de cauſis poſſit ſuſceptio baptiſmatis differri ab adultis: temporibus ſiquidem primitiuæ Eccleſiæ applicabatur hic tantummodo communiter bis in anno, nempe in vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, vt conſtat ex can. Duo tempora, & ex can. de catechumenis baptizandis, de conſecratione diſtinct. 4. & C hac ratione excuſandi ſunt illi, qui apud Patres dicuntur, baptizati vltimum vitæ ſpiritum agentes, & item qui multo tempore conuerſati fuerunt inter catechumenos antequàm baptiſmum ſint conſequuti. *Iuſtis de cauſis poteſt differri baptiſmus.*

Ad rationes verò dubitandi. Reſp. Nyſſenum non negare ſimpliciter votum baptiſmi, ſatis eſſe ad ſalutem, ſed tantum reſpectu eorum, qui commodè potuerunt baptizari; neglexerunt tamen actualem baptiſmi applicationem, hos vult author iſte non poſſe ſaluari, poſito in illis deſiderio baptiſmi; nos verò loquimur de iis qui voluerunt baptizari, neque tamen id aſſequi potuerunt. *Satisfit auctoritatibus SS. Patrũ.*

Ad Gennadium, & D. Auguſt. Reſp. Eos velle, neminem inter catechumenos, martyribus exceptis, ſine baptiſmo conſequi vitam æternam, medio deſiderio baptiſmi; quia contingit vt plurimum actum contritionis & deſiderium de baptiſmate ſuſcipiendo non eſſe tantæ dignitatis, vt omnis pœna debita peccatis tollatur, ac proinde propter pœnam hanc, quæ manet ſoluenda in hac vel altera vita, contendunt deſiderium baptiſmi non ſufficere ad ſalutem, quod tamen præſtat martyrium, & item baptiſmus aquæ.

DVBITATIO TERTIA.

An votum baptiſmi ſatis eſſe poſſit ad baptiſmum paruulorum; an verò deſideretur actualis receptio eiuſdem, ad hoc vt ſalutem conſequantur.

IOANNES Gerſon in concione habita in Concil. Conſtant. in die Natiuitatis D. Virginis, putat paruulos poſſe conſequi ſalutem, quando nequeunt de facto baptizari, cum ſolo voto emiſſo à parentibus de baptiſmate ſuſcipiendo; idipſum putant Gabriel in 4. diſt. 4. & Caietan. art. 2. & 11. huius quæſt. in primis editionibus ſuorum commentariorum; authoritate ſiquidem Pij V. Pontificis maximi expuncta eſt à locis pro- *Gerſonis placitum.* Gabriel. Caietan.

Digitized by Google

Caietani expuncta doctrina.

ximè cit. opinio ista Caietani, qui præter suprà dictos duos authores addebat votum cum ceremonia externa habere rationem medij, ordinarique respectu paruulorum, ad hoc vt in illis remitteretur peccatum originale, quandò de facto non poterant isti baptizari: contra hæc sit,

Baptismi actualis collatio omnino necessaria. Ioann. 3.

CONCLVSIO 1. *Paruuli nequeunt, consequi remissionem peccati originalis sine baptismo in re suscepto.* Primò, quia dicitur Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest,* &c. nulla facta distinctione inter adultos, & pueros.

Probatio 2. Deinde, quia res hæc videtur definita in Concil. Florent. in decreto de libris Canonicis, referentibus, Vega, & Alphonso à Castro, in lib. de hæresibus, verbo, Baptismus; *Circa,* inquit, *pueros, propter periculum mortis, quod potest sæpè contingere, cùm ipsis non possit alio remedio subueniri, quàm per sacramentum baptismi; admonet Concilium, non esse per quadraginta aut octoginta dies baptismum ipsorum differendum.* &c. Et in Concilio Tridentino sess. 7. can 4. de sacramentis in genere, & sess. 6. can. 5. verbis expressis; dicitur; post Euangelium promulgatum sufficienter, neminem posse consequi remissionem peccatorum, & vitam æternam, nisi medio baptismate, in re, vel voto suscepto: indubitatum autem est votum de baptismate suscipiendo, ob defectum vsus rationis non posse habere locum in paruulis.

3. Tertiò, sancti Patres inter disputandum contra Pelagium, docent baptismum esse necessarium simpliciter paruulis, nedum ad hoc, vt consequantur vitam æternã, quod admittebat Pelagius, sed etiam ad remissionẽ peccati originalis, habendã quę aliter obtineri nõ potuit, quàm per actualem baptismatis applicationem, vt manifestè colligitur ex D. August. in epist. ad Optatum 157. quod probat ex Innocentio, & Zozimo Pontificibus Maximis. & epist. 28. ad Hieronymum, & lib. 3. de origine animæ, cap. 9. *Noli,* inquit, *credere, noli dicere infantes antequàm baptizentur morte præuentos peruenire posse ad originalium remissionem peccatorum:* & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 19. Sinè ergo ista regeneratione saluos in æternum pueros esse posse, quis audeat affirmare, & plerique alij, quos citat Vazquez disp. 151. cap. 2.

D. Auguſt.

Error asseuere pueros saluari cum peccati originalis, medio voto parentum de baptismate suscipiendo, & interueniente ceremonia aliqua externa, tanquam per aliquod medium à Deo constitutum.

CONCLVSIO 2. *Citra manifestum errorem defendi non potest, paruulos posse consequi remissionem voto tantùm parentum baptismi.*

Probatio 1. Primò, quia de his quæ pendent à sola Dei voluntate, non aliter licet nobis opinari, quàm innotescant nobis per Scripturas, vel per traditionem, vt docet D. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 3. at nec Scripturis sacris, nec traditione nobis innotescit extare vllum aliud remedium ad paruulorum iustificationem, quàm baptisma, ex loco suprà citato Ioannis, & ex communi omnium Patrum interpretatione, qui sentiunt actualem baptismatis applicationem, necessariam esse ad hoc vt paruuli mundentur à peccato originali.

2. Deinde, Ecclesia pueros non baptizatos nunquam existimauit esse suos; non enim donat eos sepultura Ecclesiastica, neque item pro eis gratias agit Deo, neque vllius eorum nomine fundit orationes.

3. Tertiò, si votum parentum de baptismate suscipiendo, & ceremonia aliqua externa ab eisdem præstita iustificant paruulos, id faciunt, vel tanquam sacramenta, vel tanquam opus aliquod meritorium: primum dici non potest; de fide enim est extare tantum septem sacramenta, can. 1. sess. 7. Concilij Tridentini, inter quæ non computatur votum hoc baptismi; nec ista ceremonia externa celebrata à parentibus pueri qui baptizari nequit: neque item secundum quoniam conuenit inter omnes neminem posse alteri promereri primam gratiam de condigno; sed hoc competere soli Christo: ergo nullo modo ceremonia præfata cum voto parentum prodesse potest paruulis decedentibus absque baptismo.

Denique, ante Gersonem, & Caiet. ista opinio fuit maudita: ità Ledesma, & Sotus in 4. dist. 4. Alphonsus à Castro loco proximè cit. & Vega cap. 5. in Concilium Tridentinum.

Infertur absurdum ex prædicta doctrina.

Dices, ex istis manifestè colligi Deum deseruisse aliquos sine vllo remedio ad salutem necessario, nempe eos omnes qui moriuntur in vtero materno, secluſa omni culpa parentum, & item qui moriuntur extra vterum, antequam possit istis vlla industria humana baptismus applicari.

Solutio vindicans ab absurdo.

Resp. 1. id potuisse Deum præstare sine vllo vitio acceptionis personarum, & sine vlla iniustitia; certum enim est, Deum nemini teneri: indubitatum etiam est vitium acceptionis personarum admitti contra iustitiam, ex D. Th. in 2. 2. docuimus autem inter Deum, & creaturam non reperiri rationem iustitiæ propriè dictæ.

1.

Resp. 2. Deum non deseruisse istos paruulos sine remedio ad salutem necessario; habent enim isti baptismum tanquam remedium commune ad tollendum peccatum originale, & respectu quorumcumque hominum satis est quod remedium hoc possint omnes consequi; certum autem est omnes homines vt plurimum, & communiter posse baptizari: ergo, cùm paruuli isti verè computentur inter homines, habebunt remedium ordinarium a Deo ordinatum, ad eorum salutem.

2.

Denique, tam verè possunt isti pueri iuuari precibus Ecclesiæ, & item parentum ad hoc vt emittantur in lucem, protrahantque vitam ad baptismatis vsque susceptionem, quàm ceteri homines, vt rectè obseruant Castro, & Vega locis cit. ergo, quantum est ex se Deus sufficienter eis prouidit de remedio.

Obiectio.

Obijciunt authores contrariæ sententiæ, votum de baptismate suscipiendo satis esse ad salutem adultis, quando necessitas excludit actualem eius susceptionem: ergo illud idem erit dicendum de voto à parentibus emisso, respectu paruulorum, quando nulla industria humana, potest istis baptismus re ipsa applicari; neque enim magis absurdum est paruulos consequi salutem medio voto parentum pro ipsis, quàm media fide eorumdem. Certum autem est fidem alienam prodesse paruulis, vt constat quando de facto baptizantur; istis enim applicatur baptisma propter fidem offerentium: ergo & respectu consecutionis baptismi, proderit idem desiderium parentum.

Solutio.

Respondeo, posse votum de baptismate suscipiendo conducere adultis ad salutem, quia ex sacris litteris, Concilijs, & sanctis Patribus citatis Dubit. præcedenti constat Deũ iustificare hominẽ, quatenus auertitur hic à creatura tanquam ab vltimo fine, & conuertitur in Deum tanquam in vltimum finem supernaturalem, medio actu contritionis

tritionis perfectæ, aut dilectionis Dei ſuper omnia; nullus autem extat locus Scripturæ, aut Conciliorum, aut etiam Patrum, in quo dicatur puerulũ poſſe ſaluari per votũ emiſſum à parente de baptiſmate applicando ſi liceret; ac proinde non poſſumus nos affirmare medio iſto voto paruulos poſſe conſequi ſalutem.

Ad id vero quod dicitur, fidẽm offerentiũ, ſeu parentum, conducere pueris ad ſalutem (credunt enim iſti parentes, ſeu offerentes pro eis)

Fides aliena conducit parvulis per accidens.

Reſpondeo, fidem alienam conducere ad ſalutem paruulis, dum baptizantur actu, non quidem per ſe, ſed per accidens: putà quod fides aliena faciat, vt baptiſmus applicetur iſtis paruulis; quod tamen non fieret, ſi eorum parentes non crederent in Deum, vt oportet: ità vt pueros, credere apud D. Aug. fide aliena, nihil aliud ſit quàm baptizari de facto, quemadmodum, & pueros non credere apud eumdem, idem eſt, atque non baptizari, vt manifeſte docet idem D.

D. Auguſt. Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum: ità enim loquitur; *Nihil eſt autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc cum reſpondetur paruulum credere, qui fidei nondum habet affectum, reſpondetur fidem habere propter fidei ſacramentum, & conuertere ſe ad Deum propter converſionis ſacramentum, quia & ipſa reſponſio ad celebrationem pertinet ſacramenti.*

Rom. 6. *Sicut de ipſo baptiſmo Apoſtolus; Conſepulti, inquit, ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem. Non ait, ſepulturam ſignificamus: ſed prorſus ait, Conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non niſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit. Itaque paruulum, etſi nondum fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei ſacramentum percipiendo.*

Inſtantia. Inſtant, puerulum eſſe capacem martyrij, iuſtificarique medio martyrio, & tamen martyrium eſt actus carnificis; ac proinde actus alienus conducere poteſt vere ad ſalutem paruuli.

Satisfit. Reſpondeo, martyrium promouere ſalutem paruuli cui applicatur, non quidem eo nomine quod martyrium ſit actus alienus, ſed quia Deus contulit vim iuſtificandi martyrio ex opere operato, ad modum ſacramenti, vt docuimus in antecedentibus: votum autem parentis de applicando baptiſmate paruulis, quando paruuli de facto baptizari non poſſunt, vim iuſtificandi non habet ex opere operato, ex Dei ordinatione, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, ad hoc vt paruulus iuſtificetur hoc voto, & deſiderio, ac proinde recte negamus votum hoc ſufficere ad ſalutem paruuli.

Alia obiect. Vrgent, fidem parentum Chriſtianorum non eſſe minùs efficacem, quàm fides eorum qui vixerunt in ſtatu legis naturalis, & Moſaïcæ; fides autem iſtorum ſatis fuit ad iuſtificationem paruulorum, quando ſacramentum de facto filijs

Gregor. applicari non potuit, vt author eſt Gregorius, referente Magiſtro, diſt. 4. lib. 4. *Quod, inquit, facit apud nos baptiſma, illud idem præſtitit in lege naturæ fides parentum.*

Solutio. Reſpondeo, quemadmodum aliàs diximus, ſolam fidem parentum non iuſtificaſſe paruulos in lege naturæ ſine ſacramento: quia tamen ſacramentum hoc non fuit in ea lege determinatum, ſed liberum erat vnicuique hanc vel illam ceremoniã retinere, ideò dicunt Patres fidẽ iuſtificaſſe eo tẽpore, non tamen addunt, ſine ſacramento.

A Dices, ex iſtis ſaltem colligi, Deum maiorem prouidentiam habere de adultis, quàm de paruulis: nam adulti ſaluantur cum voto baptiſmi; minimè verò pueri. *Obiectio.*

Reſpondeo, nego illationem antecedentis: Chriſtus enim vnum, & idem remedium inſtituit pro adultis & pueris, nempe baptiſmum. *Reſponſio.*

Deinde, ſi adultus poſſit de facto baptizari, & negligit baptiſmatis ſuſceptionem, tam verè damnabitur adultus, ſi moriatur ſine baptiſmate, atque damnatur paruulus, qui moritur abſque eiuſdem ſuſceptione. *Omnibus prouidit Chriſtus de remedio neceſſario.*

Obijciunt denique, improbabile eſſe Deum voluiſſe obligare paruulos: ergo, quando non po- B terunt iſti baptizari ſalutem conſequentur medio remedio aliquo diuerſo à baptiſmate. *Vltima obiectio.*

Reſp. Deum non obligaſſe paruulos ad aliquid impoſſibile, ac proinde in eo caſu in quo baptizari non poſſunt iſti, non pereunt, quod faciant contra legem de baptiſmate ſuſcipiendo, ſunt enim incapaces præcepti, ſed quia moriuntur cum peccato originali: ſcribitur autem Apocalypſis 21. *Nihil coinqui natum intrabit in regnum cœlorum.* Deinde, docuimus Deum non deſeruiſſe iſtos paruulos ſine remedio ſaltem communi, & generali. *Reſponſio.* *Idèo damnantur paruuli quia moriuntur cum peccato originali.*

Aduerte, & in ſtatu legis naturalis & Moſaïcæ, & gratiæ perite pueros morientes in vteris maternis ex æquo, ità vt niſi de facto occidantur in odium Chriſti, nequeant ſalutem conſequi, ſaltem de communi lege; quod dico, quia non eſt negandum quin poſſint ſaluari medio aliquo alio remẽdio, ſi id ità viſum fuerit conueniens extraordinariæ prouidentiæ diuinæ. C

DVBITATIO VLTIMA.

Quid ſentiant Hæretici de neceſſitate baptiſmi reſpectu paruulorum.

Hæreticorum quorumdam crudelitas in paruulos.

RESPONDEO, pleroſque ex hæreticis ſeculi proximè antecedentis exiſtimaſſe baptiſmum non eſſe neceſſarium paruulis natis ex parentibus Chriſtianis; idque quod exiſtimarent illos ſanctificari in vteris maternis, ex vi diuinæ promiſſionis factæ Abrahæ. Geneſ. 17. Geneſ. 17.

Probant autem ex cap. 7. 1. ad Corinth. *Sanctificatur*, inquit Paulus; *vir infidelis per mulierem fidelem.* & rurſus. *Alioquin filij veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt.* & denique: *Si radix ſancta, & rami quoque ſancti*: parentes autem Chriſtiani rationem radicis conſequuntur reſpectu filiorum, quos hîc appellat Paulus ramos. 1. Cor. 7.

Deinde, ex loco proximè citat. Geneſ. inquit Deus ad Abraham; *Ero ſemini tuo Deus, &, item Deus tuus.* Anabaptiſtæ verò in ea ſunt opinione, vt credant paruulos non poſſe baptizari ante ætatem rationis, eo quod dicatur, Matth. vltimo. *Euntes, docete omnes gentes*, &c. Pelagiani verò, itémque alij nonnulli antiquitus putarunt pueros non eſſe baptizandos, ad hoc vt conſequerentur remiſſionem peccati originalis, idque quod negarent vllum dari peccatum originale in poſteris Adæ: crediderunt tamen iſti hæretici baptiſmum eſſe neceſſarium paruulis, ad hoc vt vitam æternam de facto conſequerentur, vt conſtat ex D. Auguſt. in lib. contra iſtos. Geneſ. 17. Matth. vlt. *Baptiſmus ſimpliciter neceſſarius paruulis.*

CONCLVSIO 1. *Baptiſmus eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſarius paruulis natis ex parentibus Chriſtianis.* Primùm, quia dicitur, Ioan. 3. *Niſi* *Probationes* Ioann. 3.

Digitized by Google

2. *quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Deinde, quia ità definiuerunt ſacra Concilia, Mileuitan. cap. 2. Lateran. ſub Innocentio III. & Florent. in decreto de libris Canonicis; dicitur enim illic, baptiſma paruulorum non eſſe differendum ad diem quadrageſimum vel octogeſimum natiuitatis eorumdem, ſed quamprimùm commode fieri poteſt applicandum eſſe baptiſma paruulis iſtis, &c.

3. Ambroſ. Auguſt. Tertiò, hæc eſt Patrum ſententia; maximè verò Ambroſ. lib. 2. de vocatione gentium, cap. 8. D. Auguſt. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 9. lib. 3. & ſerm. 14. de verbis Apoſt. cap. 10. vbi ait, quod qui renaſcuntur, vtique aſcendunt in cœlum; ceterorum nemo prorſus. & Chryſoſt. Bernard. Chryſoſt. homilia de Adam, & Eua. Bernard. ſerm. 66. in Cantica.

4. Quartò, ſi quæ eſſet ratio propter quam baptiſmus non eſſet neceſſarius filijs Chriſtianorum ad ſalutem, ea eſſet quæ adducitur à Caluiniſtis, nempe paruulos iſtorum fidelium ſanctificari in vteris maternis, ex vi diuinæ promiſſionis: at Epheſ. 2. hæc ratio eſt planè falſa; dicitur namque Epheſ. 2. *Iob ſecundùm verſionem ſeptuaginta.* *Eramus natura filij iræ.* & apud Iob. *Nemo mundus à ſordibus, neque infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram:* Confirmatur. Legimus in ſacris litteris Ioannem Baptiſtam in vtero materno fuiſſe ſanctificatum, Luc. 1. & Hieremiam ſimiliter, Luc. 1. Hierem. 1. Hieremiæ 1. argumento igitur eſt communiter alios homines non ſanctificari tamdiu, quamdiu manent in ipſo vtero materno.

Vltima probatio. Roman. 9. Denique, D. Paulus Roman. 9. ait, non omnes poſteros, ſeu filios Abrahæ ſanctificari, ſed eos tantum qui ſunt filij Abrahæ ſecundum promiſſionem; at nullus quantumuis ex parentibus Chriſtianis natus, eſt filius Abrahæ ſecundum promiſſionem diuinam, ſine actuali ſuſceptione baptiſmatis, vt manifeſtè colligitur, ex cap. 3. Ioan. Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c.

Validè baptizantur paruuli. Probationes 1. CONCLVSIO 2. *Paruuli ante atatem rationis, validè, & licitè poſſunt baptizari.* Primò, quia ità definiunt ſacra Concilia, Mileuit. can. 2. African. cap. 76. & refertur de conſecrat. diſt. 4. cap. placuit. Lateranenſe ſub Innocentio III. & refertur in cap. de ſumma Trinitate, & fide Catholica: Florentinum in decreto de lib. Canonicis: & denique Trident. ſeſſ. 7. can. 12. & 13. de baptiſmo.

2. Clemens Roman. Dionyſ. Secundò, hæc eſt expreſſa ſententia Patrum, locis ante citatis, & Clementis Romani lib. 6. Conſtitutionum Apoſtolic. cap. 15. & Dionyſ. cap. 7. lib. Eccleſiaſticę hierarchiæ.

3. Actor. 16. 1. Cor. 1. Tertiò, hæc eſt praxis Eccleſiæ Catholicæ: in Actis ſiquidem cap. 16. legimus, Apoſtolum Paulum Lydiæ domum baptizaſſe, &c. ſimile quid dicitur 1. Corinth. 1. de Stephanæ domo: incredibile autem eſt in illis duabus familijs nullos extitiſſe puerulos.

4. Matth. 19. Marci 10. Ioann. 3. Quartò, in veteri Teſtamento licuit octauo die à natiuitate Circumciſionem applicare pueris maſculis, ceremonias item alias vſu, & conſuetudine receptas; imo idem etiam fuit liberum perſeuerante lege naturali: ergo licebit etiam baptizare quoſcumque paruulos, præſertim cùm de illis dicatur, Matth. 19. & Marci 10. *Sinite paruulos, & nolite prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum*: non poteſt autem regnum cœlorum pertinere ad paruulos, niſi de facto baptizentur, ex cap. 3. Ioann.

CONCLVSIO VLTIMA. *Ratio cur baptiſmus ſit quibuſuis paruulis ad ſalutem neceſſarius eſt peccatum originale, cum quo naſcuntur:* ità D. Auguſt. locis anteà cit. & item ceteri Patres inter diſputandum contra Pelagianos. *Ratio neceſſitatis baptiſmi in paruulis eſt peccatum originale.*

Deinde, tota ratio cur paruuli, qui moriuntur ſine baptiſmate, fraudentur vita æterna, eſt peccatum originale, vt colligitur ex illo Apocal. vltimo; *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*, &c. ergo ſi nulla culpa daretur in paruulis, non priuarentur iſti beatitudine æterna: etiamſi ex hypotheſi non eſſent baptizati, vt conſtat de martyribus Innocentibus occiſis in odium Chriſti Domini. Apocal. vltimo.

Ad rationes contrarias reſp. Ad 1. ſanctitatem eſſe duplicem, proprie dictam, & impropriam: illa eſt gratia gratum faciens, ſeu charitas, per quã iuſtificamur & ſanctificamur formaliter, ex ſeſſ. 7. Concil. Trid. hæc vero dicitur de omnibus rebus cultui diuino quocumq; modo conſecratis: de hac loquitur D. Paulus, quando dicit virum infidelem iuſtificari per mulierem fidelem: ſperandum enim eſt, vt propter probitatem mulieris fidelis, vir infidelis iuſtificetur tandem: deſtinatur enim hic quodammodo religioni Chriſtianæ ab vxore Catholica: illud idem dicendum eſt de pueris iſtis. Sunt tamen aliqui qui dicunt, D. Paulum velle tantum filios ex iſtis parentibus natos eſſe ſanctos, id eſt, non ſpurios, & illegitimos, propter contractum matrimonij, qui interceſſit inter iſtos parentes. *Diſſoluuntur rationes contrariæ.* *Explicatur locus D. Pauli.*

Ad vltimam, nihil planè probare: ſubiungitur enim ibidem à Deo, *maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur*, &c. ac proinde promiſſio diuina non potuit filios Abrahæ iuſtificare ſine actuali ſuſceptione Circumciſionis: illud idem erit dicendum de baptiſmo reſpectu filiorum Catholicorum hominum. *Vlt.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Virum peccatores ſint baptizandi.

RESPONDET D. Thom. adultos poſſe baptizari ea lege, quod eos puniteat vitæ anteactæ; & quod in eis detur propoſitum de vita meliori inſtituenda.

ARTICVLO 5. pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem nullam iniungendam eſſe baptizatis; idque quod baptiſmus omnem omnino pœnam debitam peccatis remittat; licet ſint inter Patres aliqui, qui doceant ieiunium vnius, aut alterius diei præmittendum eſſe ſuſceptioni baptiſmi: non eſt tamen exiſtimandum baptizatum liberari ab omnibus ad quorum ſolutionem tenetur, vt recte admonet Nazianzenus, oratione in ſanctum baptiſma. *Nulla iniungenda pœnitentia baptizatis.*

ARTICVLO 6. docet confeſſionem peccatorum non eſſe præmittendam applicationi baptiſmatis; ſed ſatis eſſe ſi baptizandus animo tractet de peccatis antèà commiſſis, & de ijs doleat, ac proinde quod exerceat actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia, vel attritionis; altero enim ex iſtis actibus poſito, poterit baptizari adultus, vt videtur colligi ex illo Actorum 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm*, &c. *Nõ eſt præmittenda confeſſio ad baptiſmum.* Act. 2.

ARTICVLO 7. intentionem de baptiſmate ſuſcipiendo eſſe neceſſariam in adultis ad hoc, vt baptiſ- *Intentio in adultis neceſſaria.*

Digitized by Google

vt baptiſmus futurus ſit validus in ipſis; quod etiam docet D. Auguſt. lib.4. de baptiſmo contra Donatiſtas, c.24. & colligitur ex illo dicto eiuſdem Auguſt. *Qui fecit neſcientem, non iuſtificabit niſi volentem.*

Fides minimè neceſſaria in omni qui baptizatur.

Articvlo 8. tradit fidem non eſſe neceſſariam in omni qui baptizatur; de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm paruuli baptizentur, & tamen certum eſt iſtos non poſſe credere; tantum abeſt vt credant, imo neque fides iſta eſt abſolute neceſſaria in adultis ad hoc vt baptiſmum conſequantur: ſi enim adultus accederet volens ad baptiſmatis ſuſceptionem, de facto conſequeretur characterem baptiſmi, etiamſi ex ſuppoſitione ea quæ ſunt fidei Chriſtianæ ignoraret: gratiã tamen baptiſmatis nullus inter adultos conſequi poteſt, qui prius nõ dederit nomẽ fidei Chriſt. *Accedentem*, ſiquidem, *ad Deum credere oportet, quia eſt*, Hebr. 11. & Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Præter fidem quæ recipitur in intellectu tanquàm in ſubiecto; deſideratur in adulto (ad hoc vt gratiam baptiſmi conſequatur) dolor aliquis de peccatis commiſſis, qui habet ortum à voluntate eiuſdem: neque enim fieri poteſt, vt adultus iuſtificetur à peccato mortali actuali, quin auertatur hic à creatura, & conuertatur in Deum, tanquam in vltimum finem, vt colligitur ex illo Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos:* & ex illo Actorum 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum, & penitentiam agat.*

Hebr. 11. Marci 16. Zachar. 1. Actor. 2.

Articvlo 9. tradit adultos, & paruulos capaces eſſe ſuſceptionis baptiſmi, de qua re egimus art. 1. 2. & 3. huius quæſt.

ARTICVLVS DECIMVS.

Virum filij parentum infidelium ſint baptizandi illis inuitis.

Multiplex infidelium differentia.

Dvbitat, infideles eſſe in duplici differentia: alij namque ſunt qui nunquam fidei Chriſtianæ nomen dederunt, alij vero qui baptiſmate ſemel rite ſuſcepto, à fide Catholica defecerunt per hæreſim, vel apoſtaſiam: de iſtis conuenit inter omnes, quod poſſint eorum filij baptizari parentibus reclamantibus; habet enim Eccleſia ius agendi in iſtos ad ſupplicium vſque vltimum, vt obſeruent ea quæ ſunt fidei Chriſtianæ: & probant omnes communiter in tractatu de poteſtate Eccleſiæ, reſpectu Hæreticorum, & aliorum eidem ſubditorum. Omnis difficultas eſt de infidelibus primi generis, qui diſtinguuntur communiter, in eos qui nullis ſubijciuntur principibus Chriſtianis, & in eos qui ſubijciuntur eiſdem, idque vel ſubiectione tantum ciuili, & politica, vel ſeruitute pænali; vt loquitur D. Thom. vel vt alij, deſpotica, quæ tollit omne dominium, & libertatem circa bona temporalia reſpectu ſerui. De iſtis ergo omnibus quærimus hoc loco; an eorum filij poſſint baptizari, abſque eo quod inferatur iniuria aliqua parentibus, ſi baptizentur, iſtis inuitis, à Chriſtianis & Catholicis hominibus: ſit ergo de hac re,

DVBITATIO PRIMA.

An baptiſmus collatus filijs infidelium, inuitis eorum parentibus, ſit validus; ſeu, quod idem eſt, gratiam baptiſmi conſequantur iſti paruuli.

Durandi opinio.

Dvrandvs in 4. diſt.4. quæſt.7. & alij nonnulli exiſtimant baptiſmum applicatum iſtis paruulis in data hypotheſi, futurum inanem, & inualidum; idque quod exiſtiment neminem poſſe valide baptizari, niſi acceſſerit propria, vel aliena voluntas iuſta; ſed debita voluntas nequit eſſe in paruulis: ergo deſiderabitur aliena iuſta, ſeu debita: hæc autem eſt ſola voluntas parentum, cùm iure naturali inſtitutio, & educatio puerorum ſint penès parentes eorumdem.

Vera ſententia.

Contraria tamen ſententia eſt defendenda. Primò, quia diximus fidem non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad hoc vt aliquis baptizetur valide, etiam inter adultos: ergo multo minùs erit neceſſaria voluntas propria, vel parentum, ad hoc vt baptizentur pueri valide.

Deinde, authores contrariæ ſententiæ fatentur, filios infidelium qui ſubijciuntur principibus Chriſtianis, vel alijs priuatis Catholicis, ſeruitute deſpotica, ſeu pænali, poſſe baptizari, inuitis parentibus, valide, & cum omni effectu baptiſmi.

Tertiò, ſi occiderentur iſti paruuli in odium Chriſti, computarentur verè inter martyres: ergo. ità habet D. Auguſt. epiſt.23. *Vt*, inquit, *poſſit regenerari, per officium voluntatis alienæ, cùm offertur conſecrandus, facit hoc vnus ſpiritus, ex quo regeneratur oblatus: Non enim ſcriptum eſt, ſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate*, &c. & paucis interiectis, *ideò per hanc ſocietatem, vnius, & eiuſdem ſpiritus; prodeſt offerentium voluntas paruulo oblato.*

D. Auguſt.

Solutio argumentorũ.

Ad rationem verò authorum contrariæ ſententiæ reſp. Abſolutè voluntatem parentum non eſſe neceſſariam, ad hoc vt baptizentur eorum filij: dicemus enim filios infidelium, qui ſubijciuntur principibus Chriſtianis, ſeruitute pænali, poſſe baptizari parentibus inuitis, idque ſine vllo vitio, aut peccato.

DVBITATIO SECVNDA.

An filij infidelium, qui nulla ratione ſubijciuntur principibus Chriſtianis, poſſint baptizari parentibus inuitis, abſque eo quod inferatur iniuria parentibus.

Quorumdã opinio & fundamenta 1.

Svnt qui putent partem affirmantem eſſe veram; quoniam cap.2. lib. 1. Machab. dicitur, Mathathiam virum ſanctiſſimum, deuicto Antiocho circumcidiſſe omnes pueros, quos deprehendit in finibus Iudæorum; inter iſtos autem fuerunt plerique nati ex infidelibus, nulla ratione ſubditis Iudæis.

1. Mach. 2.

2.

Deinde, ius maius ſemper eſt anteponendum minori; certum autem eſt applicationem baptiſmatis eſſe de iure diuino reſpectu cuiuſlibet, Matthæi vltimo, *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes*, &c. ergo cùm de iure naturali ſit filios educandos eſſe à parentibus, & hoc ius nequeat conſiſtere cum eo quod eſt de baptiſmo applicando; poterit filius ſeparari à parente, & eo in-

Matth. vlt.

uito baptizari, idque inculpate, & sine vlla iniuria parentis.

3. Tertiò, si quis aduerteret parentem velle enecare filium, & item conspiceret parentem infidelem docere latrocinia, veneficia, & alia huius generis mala, posset è manibus parentis tollere filium, omnium consensione: ergo, cum ex eo quod nolit pater infidelis filium baptizari, sequatur mors æterna filij, poterit hic filius baptizari inuito parente.

Vltimum. Denique, experientia docuit hactenus, plerosque ex baptizatis, inuitis parentibus, sanctissimè vixisse: ergo. in hac sententia citatur communiter Scotus in 4. dist. 4. quæst. 9.

Non debet filius infidelis inuito parente baptizari. Probationes 1. CONCLVSIO. *Filius infidelis parentis, minimè subditi Christianis, nequit baptizari parentibus inuitis, quin violetur ius naturale, ac proinde sinè peccato.* Primò, quia cauetur iure Ecclesiastico ne quis cogatur ad fidem. 45. dist. cap. de Iudæo, & cap. Qui sincera, & idem docent D. Thom. hoc loco, & in 2. 2. quæst. 10. art. 12. Caietanus, Capreolus, Palud. Sotus in 4. dist. 5. Richard. dist. 6. art. 3. quæst. 3. & Maldonat. in tractat. de baptismo.

2. Deinde, filius infidelis nequit baptizari renuente parente, nisi separetur ab eo; idque propter periculum apostasiæ, vt fatetur etiam Scotus: at filius infidelis quamdiu est in tenera ætate, nequit separari à parente, quin inferatur parenti iniuria; educatio siquidem, & instructio pueri, iure naturæ incumbit parentibus: censentur item pueri bonâ quædam parentum, tamdiu quamdiu sunt expertes rationis: ergo.

3. Tertiò, si liceret filios infidelium, qui nulla ratione subijciuntur principibus Christianis, baptizare renuentibus parentibus, sequeretur Ecclesiam quoque posse indicare bellum quibusuis ethnicis; & infidelibus; idque iustè: etiamsi plenam facerent isti potestatem euulgandi Euangelium in eorum terris; vnum enim ex alio sequitur: at fatentur communiter omnes in tractat. de potestate Ecclesiæ, & pluribus, Franc. à Victoria in relectione de Iudæis, non posse Christianos infestare bello Ethnicos principes; quoties liberam patiuntur Euangelij publicationem in eorum dominijs: ergo non poterunt eorum filios baptizare.

4. Denique, damnantur communiter Turcæ, & Mahumetani, quod cogant filios Catholicorum hominum ad obseruationem sectæ Mahumetanæ.

Mouetur quæstio. ROGABIS, *Quod si vnus ex parentibus istius filij fuerit Catholicus, alius verò infidelis, poteritne hic baptizari reclamante altero parente, etiamsi neuter ex istis parentibus subijciatur principibus Christianis?*

Satisfit. RESPONDEO, *Filium hunc posse baptizari sinè iniuria parentis infidelis:* ità habetur expressum in cap. ex litteris, de conuersione infidelium. & cap. Iudæi. 28. quæst. 1.

Accedit ratio. Quilibet ex istis duobus parentibus vendicat sibi curam, & institutionem pueri, idque in solidum: ergo cùm vterque nequeat potiri suo iure, in fauorem fidei rectè adscribitur ius parenti Christiano, ac proinde eo promouente baptizabitur etiam iuste filius sine iniuria parentis infidelis.

Solutio argumentorũ. 1. Ad rationes vero contrarias respondeo Ad 1. Mathathiam circumcidisse tantũ pueros natos ex Iudæis, vel ex vernaculis, & emptitijs Iudæorum; idque quod lege diuina constitutum esset, ne Circumcisio applicaretur alijs ab illis, vt colligunt communiter Theologi ex cap. 17. Genes. ita respondet Maldonatus, loco cit.

2. Ad 2. baptizare esse tantum de iure diuino, filios vero institui à parentibus esse de iure diuino, & naturali; ac proinde cum duo vincula sint fortiora vnico, non poterit quis baptizari contra voluntatem parentis, quamdiu erit in tenera ætate.

3. Ad 3. Infidelitatem esse maius peccatũ, quàm sit homicidium, aut aliquid aliud contra seipsum, vel alium commissum; non tamen propterea poterit quis filium baptizare, inuito parente infideli: idque quod non constet iure naturali damnationem paruuli positam esse in omissione baptismatis eiusdem; notissimum est autem mortem consequi ex occisione, quæ ex hypothesi fit à parentibus. Deinde, parentes non habent potestatem adimendi vitam filijs iure naturali, sed tantum conseruandi: habent autem potestatem instituendi filios hoc, vel illo modo; iure naturali.

Vlt. Ad vltimam. Respond. non esse facienda mala, vt indeeueniant bona.

INSTABIS. *Sed quid si paruuli istorum infidelium conspiciantur morituri?*

Pueri infidelium in periculo mortis possunt baptizari nolente Patre. RESP. *istos posse baptizari inuitis parentibus, secluſa omni culpa, & iniuria.* Primò, quia non separantur à parentibus, licet baptizentur in data hypothesi: tota autem ratio cur non liceat pueros eorum infidelium, qui nullo modo subijciuntur principibus Christianis baptizare, parentibus inuitis, hæc redditur ab omnibus; quia non licet rem alienam vsurpare, & separare à Domino contra suam voluntatem. Deinde, cessat in data hypothesi periculum apostasiæ: supponimus enim quod de facto moriturus sit hic paruulus parentis infidelis.

Obiectio. Instabis, parentem abuti patria potestate, quotiescumque non vult filium baptizari à Christianis: ergo propter huiusmodi culpam poterit filius separari à patre, & baptizari eo inuito.

Soluitur. Pater nolẽs puerum baptizari minimè abutitur potestate patria. Respondeo, concesso antecedente, nego consecutionem: quilibet enim nostrùm, dum peccat abutitur natura, potentijs, & organis à Deo sibi datis; & tamen non priuat Deus hominem natura, neque item potentijs, aut organis, quibus vsus est inter peccandum. Deinde, princeps ciuilis non potest quælibet delicta emendare, sed ea tantum quæ sunt contraria honestati, & iustitiæ ciuili; in hunc enim finem ordinatur potestas ciuilis, omittere autem baptismum non est peccatum, quod pugnet cum honestate, & æquitate ciuili, vt est per se notum. Tertio, fieri non potest, vt puer consecretur Deo, prout Deus est author gratiæ, quin etiam dedicetur eidem, prout est author naturæ; gratia enim naturam supponit: ergo cum offerre filium Deo, competat iure naturæ parentibus; non poterit princeps Christianus tollere filium è sinu parentum infidelium minimè sibi subditorum, vt isti baptismum applicet: etiamsi ius diuinum dictet periculum filij positam esse in omissione, & negatione baptismatis; neque enim licet ius diuinum obseruare, nisi salua & retento iure naturali.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An liceat filios infidelium ſubditorum Chriſtianis baptizare, parentibus inuitis.

Filij infidelium ſubditorum principibus Chriſtianis ciuiliter,non debent baptizari illis reclamantibus.

Probationes

1. Epheſ.6.

CONCLVSIO 1. *Filij eorum infidelium, qui ſubijciuntur principibus Chriſtianis ſeruitute ciuili tantum, nequeunt baptizari parentibus inuitis, iure, ſeu, quod idem eſt, ſinè culpa.* Primò, quia conſecrare filiũ Deo, & edocere eum quæ ſunt pietatis, & religionis, iure naturæ competit parentibus, vt conuenit inter omnes: & videtur colligi ex eo quod parentes teneantur iure naturali ad educationem filiorum, corpoream, & ſenſilem, ex illo axiomate communi philoſophorum; *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe:* & denique ex cap.6. Epheſ. *Vos*, inquit, *patres educate filios veſtros in omni diſciplina, & correptione Domini.*

2. Deinde, filius infidelis parentis nequit baptizari, niſi ſeparetur ab eo, idque propter periculum apoſtaſiæ: at non licet rem alienam auferre, à legitimo Domino, & poſſeſſore eo inuito, omnium planè conſenſione.

3. Tertiò, ſi poſſent principes Chriſtiani baptizare filios infidelium ſibi ſubditorum ſeruitute ciuili tantum, contra parentum voluntatem, id poſſent vel ex vi, & natura poteſtatis ciuilis, quã habent in tales infideles, vel ex aliqua ſpeciali Dei conſtitutione: at neutrum horũ dici poteſt: non quidem primum, quia poteſtas regia, & ciuilis non eſt naturalis, nec coniuncta intrinſecè, & neceſſario cum iure naturali, neque item ſecundum; quia nullus extat locus in ſacris litteris, ex quo colligi poſſit principes Laicos habere poteſtatem baptizandi filios infidelium; imò neque hoc deduci poteſt ex traditione vlla, cùm vſus hactenus obtinuerit inter Chriſtianos, vt filij Iudæorum minimè baptizentur, parentibus inuitis, etiãſi viuant iſti Iudei in terris, & dominijs principum Chriſtianorum: ità ſentiunt D. Th. 2.2. quæſt. 10. art. 12. Caietan. Capreolus, Paludanus, Lorca diſp. 37. ad 2. 2. & alij.

Filij infidelium ſeruorum deſpoticè licitè poſſunt baptizari etſi nolint parentes.

Probationes

1.

CONCLVSIO 2. *Filij eorum infidelium, qui ſubijciuntur principibus Chriſtianis, vel alijs Catholicis, ſeruitute pœnali, aut iure deſpotico; vt loquuntur alij, poſſunt baptizari licitè, & ſinè culpa contra voluntatem parentum.* Probatur primò, quia ratio propter quam docuerimus filios infidelium non poſſe baptizari inuitis parentibus, hæc reddita fuit à nobis; quia filij ſunt bona quædam parentũ: at ratio hæc nullum planè habet locum in illis infidelibus, de quibus differit noſtra Concluſio: qui enim ſubijcitur ſeruitute pœnali caret omni dominio; ità vt nihil planè habeat quod non ſit domini ſui.

2. Deinde, poſſunt filij iſtorum infidelium vẽnumdari pecunia numerata ab hero; imo & occidi poſita atroci iniuria; niſi id vetitum ſit legibus principis.

3. Tertiò. Occurrimus periculo apoſtaſiæ ſufficienter; quando enim baptizantur paruuli iſti contra parentum voluntatem, ſeparantur ab iiſdem, & traduntur inſtituendi vel Epiſcopo, vel Curato, vel alicui alteri Chriſtiano.

Effugium.

Dices, ex iſtis colligi, parentes filiorum cogi quodammodo ad fidem acceptandam, perſpecta ſiquidẽ filiorum ſeparatione, eligerent potius fidei acceptationem ficto, & ſimulato animo, quàm tolerare ſeparationem filiorum propter applicationem baptiſmatis factam.

Præcluditur. 1.

Reſpondeo, coactionem directam nullum habere ortum inde; non enim baptizantur paruuli iſtorum infidelium eo conſilio, vt extorqueatur à parentibus conſenſus de fide Chriſtiana acceptanda, quod tamen eſt neceſſarium, ad hoc vt coactio per ſe intendatur; ſed tantum vt promoueatur ſalus iſtorum paruulorum. Reſp. 2. coactionem aliquam indirectam naſci ex applicatione baptiſmatis facta paruulis iſtorum infidelium, interdum, & aliquando; hæc tamen non eſt vitanda homini Chriſtiano; idque quod non ſit hęc intrinſecè mala, & conſequenter neque omittendum erit baptiſma reſpectu iſtorum paruulorũ. 2.

Inſtantia.

Inſtabis, verendum eſſe, ne vt peruenerint ad adultam ætatem declinent ad apoſtaſiam, & infidelitatem parentũ. Reſpondeo, periculũ hoc ſatis impediri, quandocumq; filij iſti traduntur Chriſtianis hominibus inſtituẽdi cauſa: experientia ſiquidẽ conſtat educatos in tenera ętate in his quę ſunt fidei Chriſtianæ, perſeuerare in eadem, vbi adoleuerunt, & quidem ad vltimũ vſq; vitæ ſpiritum: quod ſi interdũ ſecus contingat id non eſt magnopere curandũ, vt omnes fatentur hoc loco.

Solutur.

Obiectio.

Dices, Ethnicos idem facturos erga filios Chriſtianorum, quos detinent captiuos. Reſpondeo, ex iſtis nihil colligi; res enim ſatis tara, & inſolita inter Chriſtianos homines eſt. Deinde, certum eſt Turcas male audire apud omnes, quod de facto cogant filios Chriſtianorum captiuorum, ad profeſſionem impietatis Mahumeticæ contra voluntatem parentum, ac proinde, ſi ab ijs tantopere infeſtantur Catholici, quid mirũ ſi Chriſtiani baptizarent filios infidelium, contra parentum voluntatem, cum ius diuinum doceat ſalutem iſtorum paruulorum repetendam eſſe ex applicatione baptiſmi.

Reſponſio.

Non tenentur principes Catholics ſub culpa ſubditorum filios baptizare.

CONCLVSIO VLTIMA. *Principes Chriſtiani, aut etiam cæteri Catholici non tenentur applicare baptiſmum paruulis eorum infidelium, qui iiſdem ſubijciuntur ad reatum alicuius culpæ.* Primò, quia de hac re nullum extat præceptum. Deinde, quia poſſunt iſti paruuli vendi libere. Tertio, poſſunt donari libertate, aut reſtitui proprijs parentibus.

Obiectio.

Dices, ex iſta reſtitutione filiorũ facta parentibus infidelibus, ſequi dãnationẽ huiuſmodi paruulorũ, ad quam concurrit Chriſtianus, hoc ipſo quod reſtituat paruulos parentibus infidelibus.

Solutio.

Reſpondeo, damnationem paruulorum conſequi reſtitutionem proxime commemoratam non quidem per ſe, ſed per accidens; ac proinde non imputari Chriſtiano reſtituenti paruulum parenti proprio damnationem illius: hic enim exercet actum pietatis, & charitatis, hoc ipſo quod reſtituat filium parenti, & licet ex hac reſtitutione conſequatur educatio filij in paganiſmo, hæc tamen nequit imputari Catholico filium reſtituenti; neque enim tenetur iure naturali filium hominis infidelis inſtituere, ſed educatio iſtius pueri iure naturæ eſt penès parentem. Illuſtratur exemplo eius qui iurauit alicui ſe perſoluturum vſuras, hic tenetur ad ſolutionem vſurarum omnium conſenſione, etiamſi ſciat huiuſmodi vſurarium daturum iſtas pecunias fenori, idq. quod teneatur hic virtute iuramenti præſtiti ad ſoluendas vſuras: ſic etiam nõ peccat, is qui filiũ hominis captiui captiuo reſtituit, ſed actum charitatis, & liberalitatis exercet, ità communiter omnes hoc loco.

Filij Iudæorũ non ſunt baptizandi inuitis parentibus.

Ex iſtis colligere licet, filios Iudæorũ non eſſe baptizandos inuitis parentibus: neque enim ſubij-

Digitized by Google

ciuntur iſti Chriſtianis, ſeruitute pœnali, ſed tantũ ciuili, & tributaria: vt colligitur ex illo Lament.1. *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Thren.1.

ARTICVLO 11. docet filios non eſſe baptizandos, quamdiu ſunt in vteris maternis.

Amentes qui baptizandi. ARTICVLO 12. amentes baptizandos eſſe ſi dum vſi ſunt ratione, baptiſmum petierunt, ſecus verò minimè. Addo tamen ex Nauarro, & alijs nonnullis, idem eſſe iudicium de amentibus, in quibus nulla fuerunt lucida interualla rationis, quod de pueris quamdiu ſunt in tenera ętate; ac proinde quemadmodum iſti baptizantur citiùs, quam cõmode fieri poteſt: ità illud idẽ dicendũ erit de amentibus qui nunquã vſi ſint ratione.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus baptiſmi.

ARTICVLO 1. docet baptiſmum delere omnem culpam, ex cap. 36. Ezech. & ad Roman. 6. *Quicumq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius*, &c.

ARTICVLO 2. omnem pœnam, authoritate D. Ambroſij ad illud Rom.11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei.* Gratia inquit Dei in baptiſmo omnia condonat.

Summa textus. ARTICVLO 3. habere quidem virtutem auferendi omnes pœnalitates huius vitæ, ſed eas non auferre in præſenti vita.

ARTICVLO 4. conferre gratiam & virtutes omnes.

ARTICVLO 5. hominem à Chriſto illuminari per gratiæ infuſionem.

ARTICVLO 6. pueros in baptiſmo conſequi gratiam, & virtutes.

ARTICVLO 7. baptiſmum aperire regnum cœlorum baptizatis.

ARTICVLO 8. effectus qui ſunt à baptiſmo per ſe, eſſe in omnibus æquales; inæquales verò qui conſequuntur baptiſmum per accidens; ratione, ſcilicet, diſpoſitionis quæ datur in adultis, quando baptizantur.

ARTICVLO 9. fictionem, ſeu complacentiam peccati mortalis cum qua quis baptizatur, impedire effectum baptiſmi.

ARTICVLO VLTIMO, recedente fictione baptiſmum antèà collatũ ſuos producere effectus.

Circa hanc quæſtionem ſit,

DVBITATIO PRIMA.

An characteris impreſſio ſit effectus baptiſmi.

Baptiſmus imprimit characterẽ. Trident. CONCLVSIO affirmatiua ità enim definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ.7. can.9. de ſacramentis in genere: *Si quis dixerit per tria ſacramenta noua legis Baptiſma, Ordinem, & Confirmationem non imprimi characterem: anathema ſit.*

DVBITATIO SECVNDA.

An baptiſmus deleat quodlibet peccatum.

Baptiſmus delet omnem culpam. CONCLVSIO. *Baptiſmus delet culpam originalem, & omnem actua em, commiſſam ante eius ſuſceptio-*

nem. Primò, quia dicitur Iſaiæ cap.1. *Lauamini, mundi eſtote*, &c. & Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris:* hæc quippe teſtimonia explicantur communiter de baptiſmo à Patribus. *Probatio 1.* Iſaiæ 1.

Deinde, Rom.8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* & 1.Corinth.6. enumeratis multis peccatis, ſubiungit Paulus de baptizatis, *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis:* ac proinde cum ſanctitas iſta ſtare nequeat, cum peccato mortali, & data fuerit hæc per baptiſmum, baptiſmus ab omni peccato mundabit. 2. Roman.8. 1.Cor.6.

Tertiò, Baptiſmus nuncupatur, *Lauacrum regenerationis, & renouationis.* ad Titum 3. & *lauacrum aquæ.* Epheſ. 5. & ibidem de Eccleſia dicitur: *Quod ſit ſine ruga, & macula, quod ſit ſancta & immaculata,* 3. Tit. 3. Ephel. 5.

Quartò, hæc eſt expreſſa PP. ſententia; Auguſtini contra duas epiſtol. Pelagianorũ; lib. 3. c. 3. *Baptiſmus*, inquit, *abluit peccata prorſus omnia factorũ, dictorũ, cogitatorum, ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt.* Ambroſ. de officijs lib. 3. cap. 14. & ſerm. 31. Nazianzen. orat. in ſanctum Baptiſma, cap.7. *Atque hæc*, inquit, *baptiſmi gratia & facultas non orbem terrarum, vt olim, aquis obruens: ſed vniuſcuiuſque hominis peccatum purgans, cáſque obſtructiones, vel maculas quæ vitio contrahuntur prorſus abſtergens.* 4. Auguſt. Ambroſ. Greg. Nazianz.

Quintò, ità Florent. in decreto fidei, & Trident. ſeſſ.5. can.5. de peccato originali, & Symbolum Concilij Nicæni; *Credo vnum baptiſma in remiſſionem peccatorũ:* Extant de hac re plures can. de conſecrat. diſt.4. ità etiam D Th. art.1. huius quęſt. & interpretes eiuſdem contra Caluiniſtas, & Lutheranos, qui putant peccata nulla ratione deleri per baptiſmum: ſed tantum non imputari; qua de re pluribus differunt Theologi in tractatione de iuſtificatione. 5. Nicæn.

DVBITATIO TERTIA.

An baptiſmus tollat ab homine baptizato, omnem pœnam peccatis debitam.

RATIO dubitandi eſt, quia mors, laſſitudo, ſenectus, & alia huius generis manent in baptizatis, & tamen certum eſt ex cap 5. Roman. mortem eſſe pœnam peccatis noſtris debitam. *Argumentũ pro parte negatiua.*

CONCLVSIO 1. *Omnis pœna æterna, & temporalis debita peccatis noſtris commiſſis ante baptiſmum, perfectiſſimè, & pleniſſimè tollitur per baptiſmatis ſuſceptionem;* ità definiuit Eugenius IV. in decreto fidei, quod extat poſt vltimam ſeſſ. Concilij Florent. *Huius* inquit, *ſacramenti*, id eſt baptiſmi, *effectus eſt remiſſio culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœna, quæ pro ipſa culpa debetur.* Et Concilium Trident. ſeſſ.5. cap.5. de peccato originali, ait, per baptiſmum deleri in homine, totum illud quod habet rationem peccati; ità, vt nihil detur in baptizatis, quod eos remoretur ab ingreſſu cœli: at ſi aliqua pœna maneret in baptizatis poſt ſuſceptionem baptiſmi, hæc impediret baptizatum ab ingreſſu cœli, ex illo Matth. 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via, ne forte mittaris in carcerem; non exibis inde donec nouiſſimum quadrantem reddas:* & ſeſſ. 6. cap. 14. dicitur, iuſtificationem factam poſt baptiſmatis ſuſceptionem à peccato mortali commiſſo poſt baptiſmum non eſſe ſimilem iuſtificationi quæ fit in baptiſmo: in illa ſiquidem *Omnis pœna deletur vi baptiſmi.* Eugen.IV. Trident. Matth.5.

remanet

remanet aliqua pæna exſoluenda in hac, vel altera vita: in iuſtificatione verò quæ fit in baptiſmo, nulla remanet pæna: & idem dicitur ſeſſ.4. c.48.

Deinde, hæc eſt manifeſta SS. Patrum ſententia, Cypriani de ablutione pedum, Nazianzeni orat. in ſanctum Baptiſma, Clem. Alexandrin. lib.1. pędagog. cap.6. *Multis modis*, inquit, *vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, & lauacrum: lauacrum quidem per quod peccata abſtergimus, gratia autem, qua remittuntur pœna, quæ peccatis debentur.* Greg. Mag. lib.9. epiſt. ex Regiſtro, epiſt.39. & D. Thom. art.2. huius quæſt. & interpretum eiuſdem omnium ibidem.

Cyprian. Nazianz. Clemen. Alexand. Gregor. Magn. D. Thom.

Accedit ratio. Baptizatis nunquã inpoſita fuit: aliqua ſatisfactio, quod tamen ſit in ſacramento penitentię; argumento igitur eſt in baptiſmo omnem pœnam æternam, & temporalem liberaliter condonari.

Non delet baptiſmus pœnalitates huius vitæ.

CONCLVSIO 2. *Pœnalitates huius vitæ non tolluntur per baptiſmum:* ità D. Th. art.3. huius quæſt. & interpretes eiuſdem omnes ibidem. Deinde, nomine pœnalitatũ nihil aliud intelligunt Theologi: quam defectus illos, qui ità coniunguntur, cum humana natura, vt ſi poneretur hæc in ſtatu puræ naturæ, ſine vlla plane culpa, defectus iſtos reſumeret, non minùs quàm iam illos habeat; at mors, morbi, ſitis, laſſitudo, & ſimilia, verè dantur in quibuſuis hominibus; homines iſti carerent omni plane culpa, & ſecluſo dono iuſtitiæ originalis: ergo non deſtruuntur in nobis per baptiſmum; debentur enim naturæ humanæ, ex vi ſuæ conſtitutionis, ſeu compoſitionis. Cum autem diximus omnem pœnam peccatis debitam remitti per baptiſmum; id eſt intelligendum de pœnis iure humano, & ciuili peccatoribus præſcriptis: vt communiter aduertunt omnes ad articulum 3. huius quæſt. D. Thom.

Decet principes Catholicos remittere pœnam baptizatis.

Admonet tamen D. Th. decere principes, & reges Catholicos condonare pœnas iſtas baptizatis de nouo, quemadmodum & Deus ſua liberalitate pœnas quaſlibet relaxat principibus iſtis Chriſtianis: Addit idem D. Th. rem iſtam decere principes, quando crimina commiſſa à baptizatis non veniũt in diſpendium reipublicæ huius, vel illius principis: certum tamen eſt omnes irregularitates contractas ex delicto ante baptiſmum commiſſo deleri per baptiſmatis ſuſceptionem, excepta Bigamiæ irregularitate, vt conſtat manifeſtè ex diſt.26. apud Gratian. maximè vero ex capite, *Acutius*, & ex cap. *Vna tantum*, & denique ex capite. *Qui ſine crimine*. Deinde, hoc ipſum ſuadet ratio. Baptiſmus delet tantum commiſſa, & ea quæ conſequuntur peccata: at Bigamia non eſt peccatum, neque ſequitur ex peccato vllo neceſſario, ſed ex matrimonio legitimo bis contracto, vel ſemel cũ ea quę nupſit aliàs: vt fatentur omnes: ergo nõ tollitur hęc per baptiſmũ.

Soluitur argumentũ oppoſitũ de pœnalitatibus.

Ad rationem verò dubitandi. Reſp. mortem, infirmitatem, ſitim, & alia huius generis, nuncupari quidem pœnam peccati, idque quod non peccantibus primis parentibus iuſtitia originalis tranſmittenda erat in poſteros Adæ, quæ liberaſſet eos omnes à morte, ſiti, fame, & alijs incommodis humanæ naturæ; rectiùs tamen dicuntur hæ pœnalitates peccati, quàm pœna eiuſdem in nobis; idque quod hæc omnia ſint debita naturæ humanę ex vi compoſitionis naturalis eiuſdẽ; ac proinde D. Th. art.7. ad 3. huius quęſt. ait, morté reperiri in nobis non ob reatum perſonę, ſed ob ſtatum naturę, vt Concil. Trident. ſeſſ. 5. verbis

A expreſſis habet fomitem perſeuerare ad agonem, & ad alios fines, minimè vero tanquam pœnam peccati: & Athanaſ. in lib. de incarnatione Chriſti docet, mala cõmemorata reperiri in nobis, vt in illis imitemur Chriſtum, qui paſſus eſt pro nobis, & medijs illis malis libere toleratis promereamur nobis vitam ęternam. Habent ergo potius iſta omnia rationem pœnalitatis, quàm pœnæ peccatis noſtris debitę; licet non ſit negandum, hęc omnia nuncupari communiter pœnas peccati, quas contendunt D. Th. art.3. & interpretes eiuſdem omnes remitti in nobis beneficio gratię baptiſmatis, non quidem pro ſtatu huius vitæ, ſed in die reſurrectionis, idque virtute gratię

B conceſſę in baptiſmo.

DVBITATIO QVARTA.

An per baptiſmum infundantur gratia, ſpes, fides, charitas, & virtutes omnes morales.

Dat baptiſmus gratiã gratum facientem.

CONCLVSIO 1. *Per baptiſmum confertur gratia gratum faciens*, hęc eſt de fide, expreſſe definita in Concil. Trident. ſeſſ.7. can.6. *Si quis dixerit ſacramenta noua legis, non continere gratiam quam ſignificant, aut eamdem non conferre, non ponentibus obicem: anathema ſit.* De fide autem eſt, baptiſmum eſſe vnum ex ſacramentis no-

C uę legis, can.1. eiuſdem ſeſſ. Synod. Trident. *Probat.1.*

Deinde, docuimus Dubit.2. baptiſmum omnia peccata commiſſa remittere: at peccata nequeunt condonari, niſi infundatur gratia gratum faciens: opponuntur enim hęc duo inter ſe de lege communi, ità vt alterũ horum debeat ineſſe neceſſario homini conſtituto in hac vita: ergo infunditur in baptiſmo. 2.

Tertiò, Concil. Trident. ſeſſ.6. can.7. definit cauſam formalem noſtrę iuſtificationis eſſe gratiam, & charitatem: at de fide eſt baptiſmum ſanctificare, & iuſtificare homines: ergo & confert gratiam gratum facientem.

Omnes virtutes infunduntur omnibus baptizatis.

CONCLVSIO 2. *Fides, ſpes, charitas, & vir-*

D *tute: omnes morales, vt ſint habitus aliqui, & qualitates permanentes, infunduntur omnibus, & ſingulis baptizatis:* ità Concilium Vienenſe, & habetur in Clement. de ſumma Trinit. & fide Catholica, in fine: illic enim ità loquitur Clemens V. *Nos*, inquit, *attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, qua per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis: opinionem ſecundam, (quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum Doctorum modernorum magis conſonam & concordem ſacro approbante Concilio, duximus eligendam:* & in Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.7. *Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum*

Clemens Papa V. Trident.

E *hac omnia ſimul infuſa accipit homo*, ſcilicet baptizatus, *fidem, ſpem, & charitatem.* & cano.11. eiuſd. ſeſſ. *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quã iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei: Anathema ſit.* Loquitur autem de iuſtificatione facta per baptiſmum, vt manifeſtè conſtat ex cap.7. proxime cit.

Deinde, hęc eſt expreſſa Patrum ſententia: Cyprian. Cyprian. in epiſt. ad Donatum, D. Auguſt. 15. de Trinitate, cap.16. & D. Th. & interpretum eiuſ- D. Auguſt. D. Thom.

dem omnium, art.4. huius quęſtionis.

Digitized by Google

Denique, probatur ratione. Primò, iustificatio quæ fit in baptismo, respondet iustificationi, à qua excidit primus parens, peccando contra præceptum sibi impositum, vt videtur colligi ex cap.15. 1. Corinth. *Sicut in Adam omnes*, &c. & cap.5.Rom. *Vbi abundauit delictum: superabundauit & gratia*: at certum est primos parentes in eorum creatione consequutos fuisse omnia dona necessaria ad vitam æternam obtinendam; fuerunt enim creati in gratia gratum faciente, ac proinde habuerunt omnes virtutes necessarias, vt colerent Deum, vt Deus est author gratiæ, & naturæ: ergo easdem confert baptismus, ijs qui baptizantur.

1.Cor.15. Roman.5.

Paruulis infunduntur omnes virtutes.

CONCLVSIO VLTIMA. *Nedum virtutes ista infunduntur adultis in baptismo; sed etiam omnibus paruulis.* Primò, quia baptismus eosdem semper producit effectus, saltem ex se, quatenus talis est.

Probatio 1.

2. Deinde, opera Dei censentur esse perfectissima, nedùm in adultis; sed etiam in paruulis.

3. Tertiò, si virtutes Theologicæ, & morales non infunduntur pueris baptizatis, sequitur puerulos istos nunquam assequi huiusmodi virtutes, saltem si ante adultam ætatem contigerit eos obire.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ sententiæ: virtutes morales, & Theologicæ ordinantur ad actus; certum autem est in pueris non posse dari actus istarum virtutum.

Solutio 1. Respondeo, virtutes istas ordinari ad actus, tempore à natura constituto; eadem quippe ratione philosophandum est de istis virtutibus; qua de potentijs animæ, ceteris tamen paribus: Indubitatum autem est potentias; intellectum, scilicet, & voluntatem non minùs ordinari ad actus, quàm virtutes morales; & tamen intellectus & voluntas dantur in nobis adhuc constitutis in vteris maternis in quibus nullos possumus ex ercere actus intellectus, aut volùtatis.

Solutio 2. Resp.2. virtutes morales,& Theologicas,nedum ordinari ad actus sed etiam ad ornamentum hominis: certum enim est fortitudinem, temperantiam, & alias multas virtutes morales, perseuerare in beatis; & tamen in istis nusquam dabitur actus temperantiæ, aut fortitudinis; perficiuntur tamen beati ab istis habitibus, omnium consensione. Sunt autem qui hoc loco quærant; An sit de fide Catholica virtutes istas infundi per baptismum in ratione habitus & qualitatis permanẽtis, an verò in ratione actus tantum: Ceterùm res hæc explicatur commodiori loco in tractat. de iustificatione.

Gratia æqualis in omnibus baptizati paruulis secus in adultis.

QVAERES, *An gratia ista baptismi, sit in omnibus baptizatis equalis.* Resp. *Gratiam productam à baptismo, ex opere operato esse in omnibus equalem, secus verò productam ex opere operantis.* ità D. Thom. & ceteri omnes Scholastici cum eo, art. 8. huius quæst. & in 4. dist. 4.

Deinde, idem docet Nazianzenus, oratione in sanctum baptisma, & Damasc. de fide lib.4. cap.10.

Quamuis autem peccatorum remissio omnibus æquè per baptismum detur; spiritus tamen gratia,pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.

Tertiò, baptismus est institutus ad deletionem peccati originalis, quod in omnibus est æquale perfectissimè.

Quartò, omnes pueri qui moriuntur statim à baptismo susceptо, sunt perfectissimè æquales in beatitudine: argumento igitur est, æqualem omnes sortitos esse gratiam in baptismo.

Secũda vero pars responsionis probatur. Gratia producta in baptismo ex opere operantis, est repetenda ex dispositione, cum qua quis baptismum est consequutus ex veriori sententia: at dispositio ista est inæqualis vt plurimum in baptizatis: ergo & gratia quæ tunc illis confertur.

Corollariũ. Ex istis colliges quosdam Theologos minùs bene docuisse, inæqualitatem gratiæ, quæ datur in baptizatis, repetendam esse ex inæqualitate prædestinationis,aut ex inæqualitate eorum Angelorum qui defecerunt à beatitudine propria, aut etiam ex inæqualitate dignitatis offerentium quempiam ad baptismum, quod crediderunt aliqui inter veteres.

DVBITATIO VLTIMA.

An fictio impediat effectum baptismi; & an recedente fictione baptismus præteritus suos producat effectus.

Fictio impedit baptismi effectum. CONCLVSIO 1. *Fictio impedit effectum baptismi; ità vt baptizatus non consequatur gratia, & peccatorum remissionẽ.* Primò,quia ità docet D.Th. art.9.huius quæst.& ceteri omnes Scholastici.

Probatio 1.

2. Deinde,fieri nequit vt aliquis consequatur gratiam baptismi, aut alicuius alterius sacramenti, quamdiu adest complacentia peccati mortalis: nam ad hoc vt aliquis iustificetur simpliciter & absolute,requiritur vtdoleat de peccato cõmisso, exercẽatq;proinde actum contritionis,vel attritionis,vel dilectionis Dei super omnia:at nomine fictionis nihil aliud intelligit D.Th. art.9. & nos in nostra Conclusione, quàm complacentiam de peccato mortali commisso, vel quod committitur de facto: ergo impedit hoc peccatum, ne quis consequatur gratiam baptismi.

Fictio venialis non impedit effectum baptismi. Ex illis colliges, fictionem venialiũ, seu quod idem est,complacentiam de peccato veniali, non impedire effectum baptismi;licet enim actio hæc ex suo genere sit lethalis; est enim peccatum sacrilegij, quia tamen peccatum mortale paruitate materiæ,aut ex sufficienti inaduertentia rationis, fit veniale, omnium consensione; ideo cum delectatio,seu complacentia,cum qua quis baptizatur ex suppositione, sit de peccato veniali tantum, potest hæc minime impedire gratiam baptismi, peccatum enim veniale omnium consensus non opponitur gratiæ.

Baptismus fictione recedente efficax. CONCLVSIO 2. *Recedente peccato fictionis, baptismus à multo tempore præteritus suos producit effectus, ac proinde gratiam confert homini.* Primo,quia ità D. Th. art.10. huius quæst. & ceteri Scholastici in 4. dist.4. & alij.

Probatio 1. Deinde, id docent Patres; D. August. lib.1. contra Donatistas cap.12. *Quid si,* inquit, *ad baptismum ipsum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? eligant quod volunt, vtrumlibet elegerint sufficit nobis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in ipso facto ficto remissionem operatus est peccatorum? si dixerint peccata non esse dimissa, quæro, si posteà fictionem suam corde confesso, & vero dolore fateretur, denuo baptizandus indicaretur? Quod si dementissimum est dicere, fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor eius in malitia, vel sacrilegio perseuerans, peccatorũ abolitionem non sinere fieri:*

August.

fieri: atque ità intelligant in communionibus ab Eccleſia ſeparatis, poſſe homines baptizari, vbi Chriſti baptiſmus eâdem celebratione ſacramenti datur, & ſumitur: qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus vnitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo eius peccata tenebantur, & Cyprian. *dimitti non ſinebantur.* Et Cyprian. ſermone de ablutione pedũ, & ſerm. de paſſione Chriſti, vbi ait, *Et licèt indigni ſint qui baptiſma accipiunt, ſacramentorum tamen reuerentiam & propinquiorem ad Deum parat acceſſum; Et vbi redierint ad cor conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum.*

Tertiò, ratione. Fieri nequit, vt aliquis iuſtificetur à peccato originali, & ab alijs peccatis commiſſis ante baptiſmum, niſi dependenter à baptiſmo: eſt enim de fide Catholica, baptiſmum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem in re, vel in voto quibuſuis hominibus.

Quartò, gratia quæ datur homini baptizato, recedente fictione, eſt gratia baptiſmi, omnium conſenſione. Rurſus, tota pœna debita peccatis iſtius hominis, commiſſis tamen ante baptiſmum, tollitur recedente peccato fictionis, idque ſemper, ex communi doctrina: at nullum eſt ſacramentum nouæ legis quod ſemper, & ſua natura auferat omnem pœnam peccatis noſtris debitam præter baptiſmum: ergo & culpa originalis auſertur, ablata fictione.

Obiectio. Obijciunt, baptiſmum præteritum non poſſe producere ſuos effectus, quin prius peccatum fictionis fuerit ſublatum.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe veriſſimum: prius enim naturâ ſacramentum penitentię deſtruit peccatum fictionis, quàm peccatum originale, & cetera commiſſa ante baptiſmatis ſuſceptionem, deleantur in homine iſto, qui fuit baptizatus, cum complacentia peccati mortalis, ſeu, quod idem eſt, cum peccato fictionis: In eodem tamen inſtanti temporis peccatum fictionis, & originis & cetera omnia commiſſa ante baptiſmũ delentur per duo proximè commemorata ſacramẽta; ità, vt cõcedendũ ſit de gratia producta quod tota ſit, & à ſacramento penitentiæ, & à ſacramento baptiſmatis: neque enim implicat Deum vti duobus inſtrumentis, veluti cauſis totalibus, & adæquatis ad vnum & eumdem numero effectum producendum: vt manifeſtè colligitur ex tribus ſacerdotibus, qui ſimul, & ſemel verba conſecrationis panis proferunt, & abſoluunt circa vnam, & eamdem numero ſpeciem panis; quilibet enim ex iſtis eſt cauſa totalis & adæquata conuerſionis ſubſtantiæ panis in Chriſti corpus, vt fatentur communiter omnes in tractatu de Euchariſtia: ita gratia quæ datur, recedente fictione, homini anteà baptizato tota eſt & à ſacramento penitentiæ, & à baptiſmo ſine vlla dependentia vnius ab altero.

Baptiſmus & penitentia ſimul producunt gratiam, in adulto recedente fictione.

Inſtantia. Inſtabis, quî fieri poſſit, vt baptiſmus producat gratiam iſtam, cùm non ſit?

Satisfit. Reſpondeo, baptiſmum producere gratiam iſtam, nedum moraliter, ſed in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: docuimus enim aliàs non eſſe neceſſe ad hoc vt aliquid operetur phyſicè in ratione cauſæ inſtrumentalis; quod ſit in eſſe actualis exiſtentiæ, ſed ſufficere quod futurum ſit, vel certè futurum ſit, vel denique quod ſit æquè cauſa præcipua & principalis, & effectum producat independenter ab inſtrumento ex hypotheſi præterito, vel futuro. Deinde, docet D. Paulus, apud Deum nihil eſſe præteritum, Rom. 4. nihil futurum, ſed omnia eſſe præſentia: *Vocat*, inquit, *ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; ergo ſi poteſt Deus vti re aliqua præterita, vel futura, tanquam inſtrumento phyſico ad aliquid producendum phyſicè, quare non poterit re aliqua præterita, vel futura, veluti inſtrumento ad aliquid efficiendum phyſicè?

Ad cauſalitatem cauſæ inſtrumentalis phyſicæ ſatis eſt quod fuerit aliquando.

Cùm autem diximus eamdem gratiam eſſe à ſacramento penitentiæ, & baptiſmatis, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus ſolam gratiam debitam ſacramento penitentiæ, vel baptiſmatis produci; conuenit enim inter omnes in data hypotheſi gradum gratiæ debitum ſacramento baptiſmatis, & ſacramento penitentiæ, produci per iſta duo ſacramenta; quia tamen duæ iſtæ gratiæ à parte rei ſunt vna, & eadem numero entitas; ideò propter identitatem iſtam realem diximus gratiam hanc totaliter eſſe & à ſacramento baptiſmi; & à ſacramento penitentiæ, ſine dependentia vnius ab alio.

Obiectio. Dices, ſuſceptionem baptiſmatis, in eo qui cum fictione fuit baptizatus, eſſe mortalem culpam, quomodo ergo recedente fictione poteſt hæc ſuſceptio hominem viuificare?

Soluitur. Reſpondeo, ſuſceptionem iſtam baptiſmatis ſpectari poſſe, & vt eſt paſſio quædam recepta in homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis, & vt eſt actio à Deo, tanquam à cauſa præcipua, & principali; & à miniſtro, tanquam à cauſa minùs principali, & denique à ſacramento: primo modo, applicatio iſta non poteſt vlla ratione hominem viuificare, vt bene probat obiectio: poſteriori tamen modo recte poteſt hæc hominem viuificare; ità enim eſt actus omnipotens Dei, à quo longe abeſt omnis mors, & omnis plane culpa, quantumuis minima.

Bifariam baptiſmi ſuſceptio ſumitur.

QVÆSTIO LXX.

DIXERIT D. Thom. hac quæſtione de Circumciſione: de hac autem conſtanter aſſerendum eſt, quod fuerit vnum ex ſacramentis veteris legis; ac proinde, quod iuſtificauerit ex opere operantis tantum; nullo modo autem ex opere operato: imò ſunt qui putent Circumciſionem iuſtificaſſe tantum hominem legaliter, non autem ſanctitate oppoſita peccato propriè: & illud idem dicendum eſt de ceteris ſacramentis veteris legis, & de baptiſmo Ioannis: licet enim in Scripturis legatur, Ioannem baptizaſſe in remiſſionem peccatorum; id explicatur communiter à Patribus, Ioannem baptizaſſe in remiſſionem peccatorum, hoc ſolo nomine, quod baptiſmus Ioannis eſſet diſpoſitio aliqua ad Chriſti baptiſmi ſuſceptionem, quod vere, & de facto remittit peccata. Vide multa de hac re apud Vazquem diſp. 152. 153. 154. & 155. Marci 1.

QVÆSTIO LXXI.

Ritus baptiſmi in triplici differentia.

AGIT hic D. Th. de ritibus, & ceremonijs baptiſmi. Sunt autem huiuſmodi ceremoniæ in triplici differentia; aliæ antecedunt baptiſmum; aliæverò coniunctæ ſunt cum baptiſmo, aliæ denique ſequuntur. Antecedentes ſunt catechiſmus, & exorciſmus, & iſtæ rurſus habent annexas pleraſque alias ceremonias: de catechiſmo, nihil eſt hoc loco dicendum, cùm eius vſus reperiatur nedum apud Catholicos, ſed etiam apud Hæreticos: legendus eſt tantùm Iſidorus 2. de diuinis officijs, cap. 2.

De alijs autem nobis paucula ſunt dicenda, ac primò de exorciſmo, quia deſpiciatur ab hæreticis. Ità VValdenſes, vt author eſt Syluius cap. 35. lib. de origine Bohemorum, VViclef referente Thoma Valdenſi, de ſacramentalibus, cap. 35. Zuinglius lib. de Baptiſmo, Caluinus lib. 4. ſuæ Inſtitutionis cap. 15. ſect. 19. Chemnitius, in examine Concil. Trident.

Exorciſmis rectè vtitur Eccleſia.

Contra ergo iſtos omnes ſtatuitur hæc Concluſio. *Exorciſmi ſunt in Eccleſia retinendi.* Primò, quia Eccleſiæ data eſt poteſtas dæmones eijciendi & adiurandi, Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient.* & in Actis Apoſtol. cap. 19. quidam exorciſtæ ex Iudæis inuocato nomine Chriſti voluerunt dæmones à corporibus obſeſſorum expellere, quod tamen non pouterunt; ſecùs verò illi qui dederant nomen religioni Chriſtianæ.

Marci vlt.

Actor. 19.

Ex vſu exorciſmorũ probabant SS. Patres diuinitatem Chriſti.

Deinde, hoc argumento probarunt SS. Patres contra gentes, Iudæos, & Hæreticos, Chriſtum eſſe verum Deum, vt videre licet apud Cyprianum in lib. ad Demetrianum. *O* inquit, *ſi audire velles Deos tuos, & videre quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eijciuntur: quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes venturum iudicium confitentur.* Minutium Felicem in lib. ad Octauium; *Hæc*, inquit, *ſciunt plerique veſtrûm ipſos dæmones de ſemetipſis confiteri quoties à nobis de corporibus eijciuntur.* Iuſtinum Apologia 1. Tertullian. lib. de corona militis, & in lib. ad Scapulam, & in Apologetico, cap. 17. & in lib. de anima. Lactant. lib. 2. cap. 20. & lib. 4. cap. 27. & lib. 5. cap. 22. docet dæmones interrogatos reſpondiſſe vi & efficacia exorciſmorum.

Cyprian.

Minutius.

Tertul.

Lactant.

Vſus exorciſmorum in baptiſmo.

Quod autem antequàm baptizaretur catechumenus, aut etiam paruuli, in vſu fuerint Exorciſmi, patet ex Cypriano, epiſt. 7. lib. 4. *Quod hodie*, inquit, *etiam geritur, vt per exorciſtas voce humana & poteſtate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus: & cùm exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, id quod per Pharaonem prius geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam ſalutarem, atque ad Baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur. & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.* Leone primo epiſt. 4. cap. 6.

Cyprian.

Leo Mag.

Alia ceremonia baptiſmi.

1. Datio nominis.

A Iſtæ verò ceremoniæ habuerunt pleraſque alias annexas. Prima autem omnium fuit, Datio nominis proprij, vt author eſt D. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 12. *Dedit*, inquit, *nomen inter alios competentes*, & lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *Inde*, inquit, *vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret*, & lib. de fide & operibus cap. 6. vbi ait quod ſuis nominibus datis abſtinentia, ieiunijs, exorciſmiſque purgantur, & paucis interiectis; *Vt ad nomen Chriſti accedentes, catechumenorum gradus accipiant, cùm ad percipiendum baptiſmum ſua nomina iam dederunt.*

2. Scrutinium.

Secunda ceremonia, Scrutinium, quo nomine ſignificatur examen illud, quod fiebat ab Epiſcopis circa catechumenos, ad hoc vt conſtaret B an verè & ſyncerè crederent; an vero animo ficto & ſimulato: huius meminit Ordo Romanus, Leo epiſt. 4. citata, ad Epiſcopos Siciliæ. cap. 6. *Euidenter*, inquit, *agnoſcitis in baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & ieiunijs ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi.*

3. Fidei profeſſio.

Auguſt.

Tertia, Fidei profeſſio, huius meminit D. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 2. vbi refert hiſtoriam Victorini baptizati, qui cùm poſſet, ex concelſione Epiſcopi, Symbolum fidei voce demiſſa, & priuatim recitare, plr cuitvoce ſonora, & publicè, omnibus audientibus dicere. *Denique vt ventum eſt*, inquit, *ad horam profitendæ fidei; quæ verbis certis, conceptis, retentiſque memoriter de loco eminentiore in conſpectu populi fidelis, Roma reddi ſolet ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatum eſſe dicebat Victorino à Presbyteris, vt ſecretiùs redderet, ſicut nonnullis qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu Sanctæ multitudinis profiteri: non enim erat ſalus quam docebat in Rhetorica, & tamen eam publicè profeſſus erat. Quantominùs ergo vereri debuit manſuetum gregem tuum, pronuncians verbum tuum, qui non verebatur in verbis ſuis turbas inſanorum? Itaque vbi aſcendit vt redderet & vt pronunciauit ille fidem veracem præclara fiducia.* & de fide & operibus cap. 11. *Hæc igitur*, inquit, *omnia pertinere ad initia neophytorum ſatis apertéque ſcriptura teſtatur, diſceſſionem nempe à peccatis & pœnitentiam ab illicitis: propterea Symbolum eis tradimus, reddendúmque repoſcimus.* Origenes homil. 4. in Numer. Cyprianus lib. 1. epiſt. 12. Cyrillus Catecheſi 1. Hilarius can. 15. in Matth. Hieronym. in dialogo contra Luciferianos.

C D

Origen. Cyprian. Cyrillus. Hilar.

4. Appoſitio ſalis in ore baptizandi.

Hieron.

Quarta ceremonia. Apponitur parum ſalis in ore baptizandi, vt ſignificetur ſapientia doctrinæ Chriſtianæ, quæ illi offertur, de qua loquitur Concilium Carthaginenſe III. cap. 5. *Placuit, vt etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies ſacramentũ, hoc eſt, eulogię publicæ, ſeu panis benedictus ex* E *notatione Binnij, quæ lato modo ſacramentũ vocatur, quatenus eſt res ſacra, Catechumenis nõ detur, niſi ſolitum ſal. Quia ſi fideles per illos dies ſacramentũ non mutant, nec catechumenis oportet mutari:* & Auguſtinus lib. 1. Confeſſionum, cap. 11. *Audieram ego adhuc puer de vita æterna, nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri, deſcendentis ad ſuperbiam, & ſignabar iam ſigno crucis, & condiebar eius ſale, iam inde ab vtero matris meæ.* Beda in lib. Reg. *Sal ſapientiæ cœleſtis, quo modo initiantur catechumeni, in cunctis operum noſtrorum ſacrificijs offerre iubemur.* & D. Th. part. 2. quæſt. 71. art. 2. *Sal in os miſſum ſignificat receptionem doctrinæ.*

Carthag.

Auguſt.

Beda.

D. Thom.

Quinta. Contingit Sacerdos nares & aures,

Digitized by Google

5. *Cannalis auium & aurium.* Ambroſ.

paruuli ſaliua, dicendo Ephphetha quod eſt adaperire, Marci 7. vt aperiantur aures ad ſermonem & eloquium ſacerdotis, & nares, vt bonum odorem accipiat pietatis, inquit Ambroſius lib. de ſacramentis cap. 1. *Ergo quid egimus ſabbatho? nempe apertionem. Quæ myſteria celebrata ſunt apertionis, quando tibi aures tetigit ſacerdos, & nares, quod ſignificat in Euangelio Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cùm ei oblatus eſſet ſurdus & mutus, & tetigit aures eius & os eius. Aures, quia ſurdus erat: os, quia mutus erat; & ait, Ephphetha, quod Hebraicum verbum eſt, & Latinè dicitur, adaperire. Ideo ergo tibi ſacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad ſermonem, & ad eloquium ſacerdotis, &c. Nares, vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, & ſit in te fidei, deuotioniſque plena fragrantia.* Idem docet Gregorius Mag. lib. ſacramentorum ad catechizandum infantem: *Deinde vero tangat ei nares & aures (cum digito) de ſputo, & dicat ad aurem dextram, Ephphetha, quod eſt adaperire. Ad nares; In odorem ſuauitatis.* Idem habet D. Tho. parte 3. quæſt. 71. art. 2. *Sal in os miſſum & narium, & aurium ſputo linitio ſignificat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures, & approbationem, quantum ad nares, & confeſſionem quantum ad os.*

Gregor.

D. Thom.

6. *Abrenunciatio Diaboli.* D. Dionyſ.

Sexta eſt, Abrenunciare Diabolo, pompis & & operibus illius, de quo Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. *Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquantò priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius*, & alibi ſæpe, & ante ipſum Dionyſius Areopagita, Eccleſ. Hierarch. cap. 2. *Poſt ſacram precem pontifex illum qui baptizandus eſt, diſtingit quidem, & miniſtrorum manibus exuit, deinde Occidentem verſus illum ſtatuens, intendentem, manuſque impingentem, ad eamdem regionem conuerſus, inſufflare illum ter Sathanam iubet, ac prætereà abrenunciationem profiteri. Et poſt trinam abrenunciationis contemplationem, cùm tertiò ſe ille abrenunciare profeſſus fuerit, ad Orientẽ illum traducit, aſpiciẽtemque in cœlũ, atque intendentem manus, Chriſto, ſacrisque omnibus diuinitus traditis conſentire iubet.* D. item Auguſtinus in lib. de Symbolo, ſed præſertim lib. 4. cap. 1. *Diabolo vos renunciare profeſſi eſtis: in qua profeſſione, non hominibus, ſed Deo & Angelis eius conſcribentibus, dixiſtis; Renuncio. Renunciate non ſolùm vocibus, ſed etiam moribus, non tantùm ſono linguæ, ſed etiam actu vitæ, &c. Scirote vos cum callido, antiquo & veternoſo inimico ſuſcepiſſe certamen: non in vobis poſt renunciationem inueniat opera ſua, ne iure vos attrahat in ſeruitutem ſuam fidelis in nomine, aliud demonſtras in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem. Quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renunciaſti? noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter ſuos deputat profeſſores, quos cernit vitæ ſuæ deſertores.*

D. Auguſt.

7. *Vnctio in pectore.* Chryſoſt. Clem. Ro.

Septima, Vnctio in pectore, & ſcapulis, more athletarum, qui ſtadium erant ingreſſuri, inquit Chryſoſtomus homil. 6. in cap. 2. epiſtol. ad Coloſſenſ. eiuſdem ceremoniæ mentionem faciunt alij Patres: Clemens Romanus epiſtol. 3. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in aquis perennibus, nomine trinæ beatitudinis inuocato ſuper ſe, pervnctus primùm oleo per orationem ſanctificato, vt ità demum per hæc conſecratus, poſſit percipere locum cum ſanctis:* & pluribus aliis in locis: Dionyſius Areopagita Eccleſ. hierarchiæ cap. 2. *Cum illum, qui baptizatur, miniſtri perfecte exuerint, deferunt ſacerdotes ſanctum vnctionis oleum: At verò pontifex trino crucis ſancta ſignaculo vnctionem inchoans, inungendum iam ſacerdotibus toto corpore hominem tradit*, & tandem

Dionyſ.

A D. Auguſtinus lib. 15. de Trinitat. cap. 26. *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto: non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia.* D. Auguſt.

Octaua ceremonia, Abſtinentia vini & carnium, & etiam ab actibus matrimonij, non quidem per modum ſatisfactionis, ſed vt maiori cum reuerentia ad ſacramentum baptiſmi accederent: meminit huius ceremoniæ D. Auguſtin. lib. de fide & operibus cap. 6. *Quò (nempe ad baptiſmum) non admitterentur ſine dubio, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, ieiuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis, & veris vxoribus ſe concubituros* B *profiterentur; atque huius rei, quamuis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolemnibus diebus, nullam continentiam ſeruaturos.* 8. *Abſtinentia vini & carnium.* D. Auguſt.

Ceremoniæ autem quæ comitantur baptiſmum ſunt. Prima, nominis impoſitio, quæ ortum habet ex ritu, & conſuetudine Iudæorum; nam quemadmodum Iudæi in die Circumciſionis nomen imponebant pueris circumciſis, vt conſtat de Chriſto, Luc. 2. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero concideretur*: & de Diuo Ioanne, Luc. 1. & *vocatum eſt nomen eius Ioannes.* non fuit tamen hæc ceremonia perpetuo in Eccleſia obſeruata, ſaltem in ordine ad adultos, nam primis quingentis annis à Chriſti natiuitate certum eſt adultos eadem nomina retinuiſſe poſt baptiſmum, quæ habuerant anteà, vt conſtat ex Eunucho *Actorum* 8. Paulo, *Actorum* 9. Cornelio, *Actor.* 10. & Auguſtino, Ambroſio, & aliis innumeris. Poſt quingentos autem primos annos à Chriſti natiuitate vſus obtinuit, vt alicuius ſancti nomen imponeretur baptizato: extat hac de re Canon 30. Concil. Nicæni his verbis. *Vt fideles nomina gentilium ſuis filiis non imponant, ſed potius omnis natio ſuis nominibus vtatur, vt gentiles ſuis vtuntur, imponantúrque nomina Chriſtianorum in baptiſmo*, &c. Idem colligitur ex Euſebio lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 20. *Ceremonia concomitantes baptiſmum.* 1. *Nominis impoſitio.* Luc. 2. Luc. 1. Concil. Nicænum. Euſeb.

Secunda, vt habeant baptizandi Suſceptores, huius meminit Dionyſius Areopagita, cap. vltimo Eccleſiaſt. Hierarch. *Hoc*, inquit, *cum in mentem veniſſet diuinis noſtris præceptoribus, placuit admitti pueros hoc ſancto modo, vt naturales, pueri qui introferuntur, parentes, tradant filium alicui eorum qui initiati ſunt, bono puerorum in diuinis rebus informatori: ac deinceps ei puer det operam, vt diuino patri, ſponſorique ſanctæ ſaluetur.* Tertullianus, & Diuus Auguſtinus, quos retulimus ad art. 7. quæſt. 67. Duabus autem de cauſis adhibentur iſti. Prima, vt Eccleſia tutius baptizet acceptis quaſi cautionibus: deinde, ne detur aliquis Chriſtianus qui careat pædagogo, & Doctore, vt habet Dionyſius citatus. 2. *Suſceptores.* Dionyſ. 3.

Tertia, Trina merſio, quæ inſtituta videtur ad exprimendum myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, meminit autem huius conſuetudinis Canon 49. Apoſtolorum, *Si quis Epiſcopus, aut presbyter ex ordinatione Domini nõ baptizauerit in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſed in tribus ſine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis deponatur.* Dionyſius loco ſupra citato, Cyrillus, Baſilius de Spiritu ſancto, cap. 27. Chryſoſtomus homil. 24. in Ioann. & plerique alij. Quoniam autem quingentis ſexaginta circiter annis poſt Chriſti natiuitatem Arriani in Hiſpania abutebantur iſta ceremonia ad demonſtrandas tres naturas *Trina merſio.*

Digitized by Google

ARTICVLO 11. Differit de ritibus, & ceremoniis Confirmationis.

Circa hos articulos ſit,

DVBITATIO PRIMA.

An Confirmatio ſit ſacramentum.

NEGANT hæretici noſtri temporis: contendunt enim Confirmationem eſſe otioſam ceremoniam à Pontificibus Maximis excogitatam.

Confirmatio eſt ſacramentum. Synod. Trident. *Probat. 1.*

CONCLVSIO 1. *Confirmatio eſt vnum ex ſacramentis noua legis:* hæc eſt de fide, definita in Concil. Trident. ſeſſ. can. 1. de ſacramentis in genere & can. 1. de Confirmatione, *Si quis dixerit Confirmationem eſſe potius otioſam ceremoniam, quàm verum, & proprium ſacramentum noua legis, anathema ſit.* & in Concil. Florentin. in decreto fidei ſimile quid dicitur, & in cap. ad abolendam, de hæreticis.

2. Deinde, ità tradunt Patres: Clemens Roma-
Clem. Ro. nus epiſt. 4. *Omnibus, ergo* inquit, *feſtinandum eſt ſinè mora renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam percipere. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi ſpiritu gratia ab Epiſcopo confirmatus, quia aliter eſſe perfectus Chriſtianus nequaquam poterit.* Dionyſius lib. Eccleſiæ
Dionyſ. Hierarchiæ c. 2. *Sic inductus baptizatus ad Pontificem ducunt, ille diuino, ac deifico prorſus vnguento virum ſignans ſacratiſſima communionis participē facit.*
Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromatum. *Quare non amplius baptiſmus rationi conſentaneus, nec beatum ſignaculum (ſic vocat hoc ſacramentum) nec filius, nec pater, ſed eſt eis impia naturarum diſtributio.* Et Prudentius lib. de Pſychomachia, ſiue de compugnantia animi, tom. 8. Bliblioth. PP. circa medium.

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.
Vt teneat inceſſus veſtigia firmate verrat,
Sericáque infractis fluitent vt pallia membris,
Poſt immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipſa renaſci.

Et Euſebius lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 17. Confirmationem verbis expreſſis nuncupat ſacramentum. Vide innumera de hac re teſtimonia
3. ſanctorum Patrum apud Coccium art. 20. lib. 5.

Denique, quod eſt ſignum ſenſile gratiam ſanctificantem infallibiliter conferens, eſt ſacramentum nouæ legis; diximus enim *ſacramentum eſſe ſignum rei ſacræ, ſanctificantis nos*; in tractatione de ſacramentis in genere: at Confirmatio eſt ſignum ſenſile ſanctificans nos infallibiliter, eſt enim hæc; id quod conſurgit ex vnctione Chriſmatis ab Epiſcopo benedicti, & ex verbis iſtis: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.*
Ioann. 14. 15. & 16. habeatque promiſſionem infallibilem de danda gratia, ex cap. 14. 15. & 16. Ioann. ità D. Tho. art. 1. huius quæſtionis, & Sententiarij in 4. diſt. 12.

Confirmatio à Chriſto inſtituta. Synod. Trident. 1. CONCLVSIO 2. *Confirmatio fuit à Chriſto inſtituta.* ità definitum fuit in Trident. can. 1. ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere: *Si quis dixerit non omnia noua legis ſacramenta à Chriſto fuiſſe inſtituta, & ea eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, &c. anathema ſit.* & canon. 1. de Confirmatione ſimile quid dicitur.

Deinde, ſacramenta veteris legis fuerunt omnia à Deo inſtituta. 2.

Tertiò, illius eſt tantùm ſacramentum aliquod inſtituere, qui poteſt producere gratiam in ratione cauſæ præcipuæ, & principalis; ſed Chriſtus eſt cauſa præcipua, & principalis productiua cuiuſlibet gratiæ, ex illo Ioan. 1. *De plenitudine eius nos accepimus, gratiam pro gratia.* Ioann. 1. ità communiter omnes artic. 5. huius quæſtionis.

Ex dictis colliges eos turpiſſime fuiſſe lapſos, qui docuerunt Confirmationem fuiſſe inſtitutam in Concil. Meldenſi, & item eos qui putarunt fuiſſe primo traditam in Aurelianenſi Concilio: non enim eſt in poteſtate totius Eccleſiæ ſacramentum aliquod inſtituere, cùm hoc pertineat ad dignitatem capitis, quæ ſoli Chriſto competit. *Quorundã error circa tempus inſtitutionis Cõfirmationis.*

DVBITATIO SECVNDA.

Quando fuerit hoc ſacramentum à Chriſto inſtitutum.

SVNT qui putent inſtitutum fuiſſe quando Chriſtus impoſuit manus, & orauit ſuper pueros aliquos ſibi à Iudæis oblatos, Matth. 19. & quando dixit; *Sinite parvulos, & nolite prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum cœlorum:* cuius opinionis meminit D. Thom. in reſponſione ad 1. art. huius quæſt. *Quorundã opinio & fundamentum.* Matth. 19.

Probant. Sacramentum Confirmationis in ſacris litteris nuncupatur, Oratio, & manuum impoſitio: at impoſuit Chriſtus manus, & orauit ſuper iſtos pueros: ergo illos confirmauit.

Alij verò putant inſtitutam fuiſſe Confirmationem initiatiuè in Cœna; volunt enim Chriſtum confeciſſe tunc temporis ſacrum Chriſma, præſentibus Apoſtolis omnibus: quod probant ex epiſt. 2. Fabian. capite 1. completiuè verò, quando Chriſtus dixit Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* ità D. Thom. in 4. ſententiar. diſtinct. 7. & Suarez diſput. 32. ſect. 1. Quod probat ex eo quod adminiſtratio ſacramenti Confirmationis ſolis Epiſcopis conueniat: non fuerunt autem Apoſtoli Epiſcopi, antequàm verba iſta protulerit Chriſtus; *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. tunc enim facti ſunt completè, & perfectè ſacerdotes, ac proinde & Epiſcopi. *Aliorum ſententia circa tempus inſtitutionis Confirmationis.* Ioan. 20.

CONCLVSIO 1. *Confirmatio non fuit inſtituta quando Chriſtus impoſuit manus, & orauit ſuper pueros ſibi oblatos à Iudæis.* Primò, quia non eſt credibile Chriſtum confirmaſſe aliquos ante ſuos Apoſtolos: iſti autem tantum fuerunt confirmati in die Pentecoſtes, Act. 2.

Deinde, nullus poteſt confirmari ante baptiſmatis ſuſceptionem: at pueri iſti non fuerunt eo tempore baptizati; conuenit inter omnes Chriſtum in hac vita mortali conſtitutum neminem baptizaſſe ante ætatem rationis. *Concluſio 1. Oppoſita ſent. Act. 2.*

Denique Ioann. 7. verbis expreſſis dicitur, Spiritum ſanctum non fuiſſe datum ad robur (ſcilicet) ſeu, quod idem eſt, ad fidem publice profitendam audacter & intrepidè, quia Chriſtus nondum erat glorificatus: ex quo colligitur manifeſte neminem fuiſſe confirmatum ante Chriſti reſurrectionem; manus autem impoſitio, cuius Ioan. 7.

Digitized by Google

Matth. 19. meminit Matth.cap. 19. celebrata fuit ante Chriſti mortem.

2. *Concl. oppoſita ſent. Suaris.* CONCLVSIO 2. *Sacramentum Confirmationis non fuit inſtitutum à Chriſto in cœna initiatiuè: poſt reſurrectionem verò completiuè quando Chriſtus dixit Apoſtolis*, Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctũ*, &c. Euincitur primo, quia poteſtas quæ datur Ioann. 20. *Probat. 1.* eo in loco Apoſtolis, reſpicit peccata, vt eſt per ſe notum ex verbis Chriſti; in Confirmatione autem nulla remittuntur peccata ſaltem per ſe: eſt enim Confirmatio ſacramentum viuorum, non autem mortuorum.

2. Deinde, temporibus primitiuæ Eccleſiæ Confirmatio numquam fuit adminiſtrata, quin deſcenderet Spiritus ſanctus in confirmatum, ſub ſpecie aliqua viſibili, vt communiter fatentur omnes.

3. Tertio, licet verum ſit Chriſtum confeciſſe ſacrum Chriſma feria v. cœnæ ſuæ; ex eo tamen non licet colligere Confirmationem fuiſſe inſtitutam eo die; nam Chriſma deſervit nedum ſacramento Confirmationis, ſed etiam ſacramento Ordinis, & præterea conſecrationi Baſilicarum, altarium, vaſorum in quibus conficitur ſanguis Chriſti: ergo, &c.

4. Quarto, Spiritus ſanctus non fuit datus poſt reſurrectionem loco citato Ioannis Apoſtolis, ad fidem publice profitendam audacter, & intrepide: ſed tantum in die Pentecoſtes, vt conſtat ex cap. Act. 2. 2. Actuum: argumento igitur eſt Confirmationem non fuiſſe inſtitutam complete, quando Luc. 22. Chriſtus dixit; *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. Confirmatur. Apoſtoli conſequuti ſunt poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti in cœna, per iſta verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, vt definit Concil. Trident. per iſta vero verba; Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, fecit Chriſtus poteſtatem Apoſtolis remittendi peccata, omnium conſenſione: at duæ hæ poteſtates vnum, & eumdem planè numero characterem ſupponunt ex omnium ſententia: ergo nihil hîc actum fuit de ſacramento Confirmationis, quod inſtitutum eſt ad plenitudinem Spiritus ſancti concedendam, ad hoc vt quis conſtanter, & intrepidè militari modo fidem aduerſùs quoſlibet Tyrannos ſuſtineat & explicet.

Ante Chriſti mortem eſt inſtituta confirmatio promittendo. CONCLVSIO VLTIMA. *Confirmatio fuit inſtituta à Chriſto, non quidem exhibendo, ſed eam promittendo ante eius mortem, & paſſionem, puta* Ioannis 14. 15. & 16. *ſub his verbis: Niſi ego abiero Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos*, & Luc. 24. *Vos autem ſedete in ciuitate quoad vſque induamini virtute ex alto*, & in Actis cap. 1. *Et conueſcens præcepit eis, ne diſcederent ab Hieroſolymis, ſed expectarent promiſſionem Patris quam audiſtis, per os meum: quia Ioannes baptizauit aqua. vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies.* Conuenit autem inter Patres omnes, promiſſionem hanc fuiſſe completam in die Pentecoſtes, vt colligitur manifeſte ex cap. 2. Actuum, quo die Apoſtoli fuerunt verè confirmati: ità ſentit D. Thom. artic. 1. huius quæſt. in reſponſione ad 1. atque ità retractauit, quod docuerat in 4. diſtinct. 7. exiſtimauerat enim Confirmationem fuiſſe inſtitutam, quando impoſuit manus Chriſtus ſuper pueros ſibi oblatos à Iudæis.

Euertitur fundamentum 1. ſent. Ad rationem verò authorum prioris ſententiæ. Reſpondeo, non quamlibet manuum impoſitionem relatam in ſacris literis, eſſe ſacramentum Confirmationis; ſed tantum eam, quæ coniuncta eſt cum oratione, & cum vſu chriſmatis, itemque verbis iſtis; *Signo te ſigno crucis*, &c. hæc autem non fuerunt coniuncta cum ea manuum impoſitione, cuius meminit Matth. cap. 19.

DVBITATIO TERTIA.

Qua ſit materia ſacramenti Confirmationis.

Opinio Taper negantis Chriſtum inſtituiſſe aliquam materiam exploditur. TAPER, aliique nonnulli putant Chriſtum nullam inſtituiſſe materiam ſacramenti Confirmationis per ſeipſum proximè, ſed commiſiſſe poteſtatem iſtam Apoſtolis.

Verùm hæc opinio exploditur ab omnibus: eſt enim de fide, quodlibet ſacramentum eſſe à Chriſto inſtitutum: Concil. item Florentin. verbis expreſſis habet ſacramenta quælibet conſtare rebus, & verbis ex inſtitutione Chriſti determinatis.

Denique, conuenit inter omnes ſignum practicum, & efficax gratiæ à ſolo Chriſto potuiſſe habere ortum: materia autem ſacramenti Confirmationis vnà cum forma ſunt ſigna practica, & efficacia gratiæ: ergo à Chriſto debuerunt habere ortum.

Aliorum placitum refellitur. Alij verò autumant, materiam ſacramenti Confirmationis eſſe chriſma, cum manuum impoſitione & oratione: cæterùm Apoſtolos omiſiſſe vſum chriſmatis inter confirmandum diſpenſatione diuina retinuiſſéque tantùm manuum impoſitionem, & orationem cum verbis iſtis, *Signo te ſigno crucis*, &c.

At hæc opinio, quoad alteram partem, defendi nullo modo poteſt; non enim legitur in toto decurſu Scripturæ ſacræ, aut etiam apud ſanctos Patres, Chriſtum diſpenſaſſe cum Apoſtolis, vt inter confirmandum prætermitterent vſum chriſmatis.

Deinde, traditio docet Confirmationem numquam fuiſſe adminiſtratam ſine chriſmate, vt conſtat ex Patribus: maxime vero ex Cyrillo Hieroſolymitano, catecheſi 3. myſtagogica, & ex Clemente Romano locis Dubitat. proxime antecedente citatis, nec non ex praxi quotidiana. Cyrillus. Hieroſol. Clem. Ro.

Obiectio. Obiicies, in Actis Apoſtolicis fieri tantùm mentionem impoſitionis manuum, & orationis, non verò vnctionis chriſmatis.

Solutio. Reſpondeo hoc eſſe verum, ceterùm argumentum ab authoritate negatiuè ſumptum, eſt nullum.

Deinde, hoc ipſo quod Scriptura exprimit Apoſtolos impoſuiſſe, & oraſſe inter confirmandum, manifeſte datur intelligi, retinuiſſe quoque eoſdem vſum chriſmatis, præſertim cùm chriſma ſit ſimpliciter neceſſarium ad validitatem ſacramenti Confirmationis, vt probabitur inferius.

Adde, authores contrariæ ſententiæ niti falſo fundamento; aiunt enim Apoſtolos baptizaſſe ex diſpenſatione diuina in nomine Chriſti, prætermittendo formam iſtam; *Ego te baptizo in nomine patris, & filij*, &c. huius enim oppoſitum docuimus in tractatione de baptiſmo.

Materia Confirm. eſt Chriſma ex Conc. Fl. CONCLVSIO. *Materia ſacramenti Confirmationis eſt chriſma, id eſt, vnguentum ex oleo, & balſamo confectum:* ità definitum fuit in Concilio

Probat.1. lio Florentino. *Secundum ſacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cuius materia eſt chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem bonæ conſcientiæ, & balſamo, quod odorem bonæ famæ ſignificat per Epiſcopum benedicto*: quæ verba referuntur expreſſe in cap. vnico de ſacra vnctione.

2 Secundò, illud idem colligunt aliqui Patres, &
2.Cor.1. & Scholaſtici ex cap. 1. poſter. ad Corinth. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & vnxit nos, Deus qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*, qui locus explicatur ab Ambroſ. lib. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 7. de hoc ſacramento, & ab Anſelm. & Theophyl. ſimiliter, & ex cap. 2. 1. can. Ioannis: *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo maneat in vobis.* qui locus explicatur de ſacramento hoc à Cyrillo, catecheſi 3. ab Auguſt. tract. 3. in epiſtolam
1.Ioann.2. Ioann. & citatur ab Innocentio III. in cap. vnico, de ſacra vnctione: ità D. Thom. art. 2. huius quæſtionis, & interpretes eiuſdem ibidem omnes.

DVBITATIO QVARTA.

An Chriſma ſit materia ſacramenti Confirmationis, ità neceſſarium, vt ſine eo ſacramentum hoc conſurgere nequeat: an verò tantùm peccet is, qui ſacramentum hoc adminiſtrat ſine chriſmate cum ſolo oleo ab Epiſcopo tamen benedicto.

Quorundam opinio oleum ſufficere ad materiam. SVNT qui putent ſacramentum Confirmationis futurum validum adminiſtratum cum ſolo oleo ab Epiſcopo benedicto: ità docent Soto in 4. diſtinct. 7. Caiet. ad 3. partem D. Tho. art. 2. huius quæſt. Nauarrus cap. 22. num. 8. ſui Manualis, & Franciſcus à Victoria in ſumma de ſacramentis, tract. de Confirmat.

Fundamentum. 1. Probant. Innocentius III. conſultus, an ſa-
Innocent. 3. cramentum Confirmationis eſſet iterandum adminiſtratum ſine balſamo in ſolo oleo. Reſpondit, *cautè ſupplendum eſſe, quod incautè fuerat prætermiſſum*: minimè verò eſſe iterandum, vt conſtat ex cap. paſtoralis. de ſacramentis non iterandis.

2. Deinde, in ſacris litteris legimus Apoſtolos confirmaſſe, cum ſola manuum impoſitione, & oratione, Act. 8. & 9. Certum eſt etiam balſamum eſſe, quàm maxime rarum, & carum, ac proinde non potuiſſe Apoſtolos in ipſis initiis religionis Chriſtianæ, eius habere copiam ob eorum paupertatem: imo inter medicos ſunt plerique qui doceant non extare noſtris ſeculis balſamum verum, ſed tantum adulterinum.

Chriſma eſt de neceſſitate materiæ. CONCLVSIO. *Chriſma eſt ſimpliciter neceſſarium ad validitatem ſacramenti Confirmationis: ita vt, eo prætermiſſo, inane & nullum futurum ſit hoc ſacramentum.* Primo, quia diximus ex Concilio Florentino, materiam ſacramenti Confir-
Probat. 1. mationis eſſe chriſma ex oleo, & balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictum: & in cap. de ſacra vnctione, idem plane dicitur: nulla autem iſtis in locis fit diſtinctio inter id quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, & neceſſitate ſacramenti.

2. Deinde, forma ſacramenti Confirmationis eſt iſta: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: at, ſi Confirmatio conſurgere poſſet ſine chriſmate, forma iſta eſſet falſa, vt eſt per ſe notum: oleum enim ſolum non eſt chriſma, neque ſignificatur nomine chriſmatis.

3. Tertio, Concil. Tridentin. ſeſſ. 7. canon. 2. de Confirmatione ait, peccare qui dicunt eos eſſe iniurios Spiritui ſancto, qui affirmant, ſeu tribuunt vim aliquam ſacro chriſmati: at vis chriſmatis nulla alia eſſe poteſt quàm ſanctificandi & producendi gratiam; hæc autem non poſſet ſacro chriſmati competere, ſi hoc non eſſet materia ſimpliciter neceſſaria, ad validitatem ſacramenti Confirmationis: conuenit ſiquidem inter omnes formam, & materiam ſacramenti, vnà cum ſacerdote miniſtrante ſacramentum producere gratiam gratum facientem: ergo.

4. Quarto, traditio docet ſacramentum Confirmationis ſemper fuiſſe adminiſtratum cum chriſmate: ità enim habent ſancti Patres: Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. his verbis: *In hoc vnguento ſacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.* & Fabianus epiſt. 2. *Sicut*, inquit, *ipſius diei (cœnæ Domini) ſolemnitas per ſingulos annos eſt celebranda; ità ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda: quia nouum ſacramentum eſt per ſingulos annos, & iam dicto die innouandum*, & Cyrillus Hieroſolymitan. Catecheſi 3. myſtagogica; *Sicut panis Euchariſtiæ poſt illam ſancti Spiritus inuocationem non eſt amplius panis communis, ſed Chriſti corpus: ſic ſanctum hoc vnguentum non amplius eſt vnguentum nudum, neque (ſi quis ità appellare velit) commune, poſtquam tam conſecratum eſt: ſed eſt Chriſma Chriſti, quod aduentu Spiritus ſancti per ipſius diuinitatem energiam habet*, & Theodoretus in cap. 1. Canticorum, *Sacri baptiſmatis myſterium recordare, in quo qui initiantur, poſt Sathanæ abnegationem, & Dei cõfeſſionem, veluti ſigno, ac nota quadam regia, ſpiritualis vnguenti (chriſmate inuncti, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie inuiſibilem ſancti Spiritus gratiam ſuſcipiunt*: Et Concilium Laodicenum canon. 48. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt baptiſma inungi ſuper cæleſti chriſmate, & eſſe cæleſtis regni participes.* Ex iſtis igitur manifeſte infertur Chriſma eſſe ſimpliciter neceſſarium. In hac ſententia ſunt Paludanus in 4. diſt. 7. Durandus ibidem, Adrian. tract. de Confirmatione, diſtinct. 33. ſect. 1. & Turrecremata ad cap. nouiſſime, de conſecrat. diſt. 5. & communiter Canoniſtæ.

Cum autem diximus, chriſma eſſe materiam ſimpliciter neceſſariam ad validitatem ſacramenti Confirmationis, id non eſt intelligendum de materia proxima, ſed tantum de remota; proxima ſiquidem materia huius ſacramenti eſt vnctio, quæ fit ab Epiſcopo in fronte illius qui confirmatur, dum exprimit ſignum crucis: ita communiter omnes art. 2. & 3. huius quæſt. & in 4. diſt. 7.

Deinde, idem dicendum eſt de materia proxima Confirmationis, quod de materia proxima baptiſmatis, ex communi doctrina; certum autem eſt non aquam, ſed ablutionem eſſe materiam proximam baptiſmi: ergo vnctio quoque chriſmatis celebrata ab Epiſcopo in fronte confirmati erit materia proxima iſtius ſacramenti. *Materia proxima confirmat. eſt vnctio.*

Ad rationes vero authorum prioris ſententiæ, reſpondeo. Ad 1. Innocentium propterea non dixiſſe iterandum eſſe ſacramentum Confirma- *Diluuntur fundamenta 1. ſent.*

tionis adminiſtratum in ſolo oleo : quia quod nunquam fuit vere & de facto ſacramentum Confirmationis , id iterari minime poteſt: Confirmatio autem non poteſt conſurgere ex ſolo oleo ab Epiſcopo benedicto : propterea autem dixit , *caute ſupplendum eſſe , quod incaute fuit prætermiſſum* , quia debuit ſacramentum Confirmationis de facto applicari ; idque quod nulla ratione fuiſſet applicatum in ſolo oleo : ità authores proxime cit.

2. Ad 2. Reſp. Apoſtolos numquam confirmaſſe cum ſola manuum impoſitione, & oratione, neque id dici, quod authores iſti affirmant, in Actis Apoſtolicis , tantum enim habetur illic Apoſtolos confirmaſſe imponendo manus , & orando ; traditio autem docet eoſdem retinuiſſe vſum chriſmatis inter confirmandum.

Ad id vero quod dicitur , Apoſtolos ob paupertatem non potuiſſe comparare balſamum.

Reſpondeo , hoc aduerſari Fabiano epiſt. 2. cap. 1. ait enim Chriſtum in cœna conſeciſſe chriſma & docuiſſe Apoſtolos modum conficiendi huiuſmodi chriſma.

Actor. 4. Deinde certum eſt ex cap. 4. Actuum primos Chriſtianos omnes ſuas facultates depoſuiſſe ad pedes Apoſtolorum, quatenus iſtis vterentur ad placitum , & cap. 15. epiſt. ad Roman. ſcribitur , in Macedonia , & Achaia collectas inter Chriſtianos fuiſſe celebratas, quatenus eleemoſynas hac ratione erogarent in ſanctos agentes Hieroſolymis,& Tertul. in Apologetico , *Omnia* , inquit , *ſunt communia , & indiſcreta apud nos , præter vxores , quibus vtimur ac ſi ſorores eſſent :* ex quibus manifeſte colligitur facultates Apoſtolorum non ita fuiſſe mediocres , & tenues , vt non ſufficerent iſtæ ad balſamum comparandum : negari item nequit , quin detur balſamum in orbe: Hieronym. enim , qui vixit 4. ſeculo poſt Chriſtum ad cap. 17. Ezechielis , aſſerit tantam copiam balſami ſuo tempore extitiſſe in Palæſtina, vt mercatores iſtius regionis accederent ad nundinas exterarum nationum , maxime vero apud Tyrios huius vendendi cauſa : & Gregorius ad cap. 1. Canticorum , qui fuit poſterior Hieronymo duobus ſeculis , affirmat ſuo tempore in vineis Engaddi extitiſſe balſamum ; & Ioſephus lib. 8. Antiquitatum Iudaïcarum ſcribit Reginam Sabæ dediſſe dono Salomoni radicem balſami , & ab eo tempore arbores iſtas excreuiſſe, & multiplicatas fuiſſe mirum in modum in Iudæa ; ſcriptores denique Americæ narrant illis in partibus balſamum diuina prouidentia reperiri, quatenus hominibus iſtis de nouo ad veritatem religionis Chriſtianæ conuerſis , adminiſtretur ſacramentum Confirmationis : vide multa de hac re apud Bozium de ſignis Eccleſiæ, cap. de Confirmatione.

Petuerunt ſibi comparare balſamum Apoſtoli ad conficiendum Chriſma.

Fertilitas balſami.

Rom. 15.

Gregor.

DVBITATIO QVINTA.

An Chriſma debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo, ad hoc vt ſit debita materia huius ſacramenti.

Ordinariè ſolus Epiſcopus conficit Chriſma.

Respondetvr , *Ordinariè chriſma à nullo alio confici poſſe præterquàm ab Epiſcopo : ac proinde , inane & inualidum eſſe ſacramentum Confirmationis adminiſtratum in chriſmate non benedicto ab Epiſcopo.* Primo,quia ità dicitur in Concil. Florentin. in decreto fidei, & in cap. de ſacrâ vnctione. *Probat. 1.* 2.

Deinde, Canones ſacri prohibent ne chriſma conficiatur à presbyteris , & ſacerdotibus ſimplicibus : ità in canon. ſi iubet , & in canon. Presbyter. 26. quæſtio 6. & in Concilio Toletan. 8. & Carthaginenſi 2. & 3. & in cap. de ſacra vnctione.

Tertio , eiuſdem eſt ſanctificare , & præparare materiam ſacramenti , & ſacramentum adminiſtrare ; ſolus autem Epiſcopus eſt qui ſacramentum Confirmationis ordinariè adminiſtrat , vt probabitur poſteà. Propterea autem dixi ordinarie ; quia ex commiſſione Pontificis Maximi , ſimplex ſacerdos , vrgente neceſſitate , & poſita cauſa aliqua graui , poteſt ſacrum chriſma conficere , & cum eo valide ſacramentum confirmationis adminiſtrare , vt colligitur ex Concil. Florentin. loco proxime citato. 3.

Obiectio.

Obiicies , ſacerdotem ſimplicem poſſe conſecrare corpus Chriſti ordinarie ergo poterit confirmare , vel ſaltem chriſma conficere qui enim poteſt maius , poteſt minus. Reſp. conceſſo antecedente , negando conſecutionem. Ad probationem autem ; eum qui poteſt maius poſſe,etiam minus , ſi maius , & minus ſint eiuſdem ordinis ; conficere autem corpus Chriſti non eſt eiuſdem ordinis , cum poteſtate faciendi ſacrum chriſma ; hoc enim ſcilicet chriſma, pendet ordinarie à charactere Epiſcopali : conficere autem corpus Chriſti pendet à charactere ſacerdotali , ex communi doctrina ; vnde licet ſacerdos poſſit hoc ſecundum , non tamen poterit primum ; quemadmodum neque poteſt conſecrare Eccleſiam, calicem , aut altare , & alia ſimilia , quamuis hæc ſint minora quàm celebrare Euchariſtiam.

Soluitur. Explicatur propoſitio. Qui poteſt maius , poteſt minus.

DVBITATIO SEXTA.

Qua ſit forma ſacramenti Confirmationis.

Respondeo eſſe iſtam : *Signo te ſigno crucis , & confirmo te chriſmate ſalutis , in nomine Patris , & Filij , & Spiritus ſancti.* ità D. Thom. art. 4. huius quæſtio. & Sententiarij omnes in 4. diſtinct. 7. Prima autem particula *(Signo)* ideo apponitur, vt nobis innoteſcat , quæ ſit cauſa præcipua , & principalis huius ſacramenti ; hæc autem Deus ſolus eſt , vero , *te* , ideo ſubiungitur , vt intelligamus eum qui confirmatur debere eſſe præſentem , & diuerſam perſonam à confirmante. *Signo crucis* : quia ſignum hoc neceſſariò debet exprimi à confirmante,in fronte confirmati ; ità vt ſi fuerit prætermiſſum,confirmatio futura ſit omnino inualida: extant vero de hac re teſtimonia Auguſtin. ſermon. 101. de tempore;Crucis ſigno per manus impoſitionem, baptizati dona gratiarum accipiunt, & in Pſal. 14. *Videam ego* , inquit , *in frontibus regum crucem Chriſti : illa enim ſignum eſt humilitatis , & vſque adeo de cruce non erubeſco , vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti ; ſed in fronte portem*

Forma confirmationis. Explicatur particulæ forme.

D. Auguſt.

Digitized by Google

tem, ipſam ignominiam quodammodo, & quam Pagani deridenᵗ, in loco pudoris conſtituam. Non habeam igitur nudam frontem, tegat eam crux Domini mei; Particula vero; *Confirmo te chriſmate ſalutis*, adiicitur ad hoc vt actio miniſtri nobis innoteſcat, effectus item ſacramenti Confirmationis, qui eſt collatio characteris, & gratiæ, ad fidem audacter, & abſque timore confitendam, & vt conſtet de materia huius ſacramenti, quæ eſt chriſma.

Denique perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis diſtinctè explicantur in hac eadem forma, quia ſine explicatione iſtarum perſonarum eáque diſtincta, conſurgere ſacramentum hoc nullo modo poteſt.

Obiectio. Obiicies, Amalarium in Officio ſabbati ſancti affirmare Epiſcopum inter confirmandum retinere formam iſtam; *Signet te Deus ſigno crucis*, & poſteà vngendo frontem baptizati: *Confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti.*

Solutio. Reſpondeo, formam iſtam eſſe idem cum proxime explicata, non quidem ſono verborum, ſed ſignificatione eorumdem: particula ſiquidem iſta; *Signet te Deus*, idem denotat quod illa; *Signo te*, &c. diximus enim hanc ſignificare actionem cauſæ præcipuæ & principalis Confirmationis, quæ Deus eſt.

Obiectio 2. D. Ambr. Obiicies 2. Ambroſ. lib. 2. de ſacramentis, cap. 7. aliam referre formam ſacramenti Confirmationis, ait enim; *Veniſti ad ſacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam.*

Diſſoluitur. Reſpondeo, Ambroſium non differere eo in loco de ſacramento Confirmationis, ſed de ea vnctione quæ fit in vertice capitis, quoticſcumque quis baptizatur; vnctio verò quæ fit in Confirmatione debet neceſſariò celebrari in fronte illius, qui confirmatur.

DVBITATIO SEPTIMA.

Quis ſit miniſter ſacramenti Confirmationis.

Solus Epiſcopus miniſter huius ſacrament. Synod. Trident. RESPONDEO 1. *Miniſtrum ordinarium ſacramenti Confirmationis eſſe ſolum Epiſcopum:* ità definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione: *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis miniſtrum ordinarium, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſacerdotem ſimplicem, anathema ſit.*

Probat. 2. Actor. 8. Deinde, ex Actis apoſtolicis cap. 8. & 19. baptizati confirmantur per ſolos Apoſtolos: ità enim dicitur Actuum 8. *Cùm audiſſent Apoſtoli, &c.* & paucis interiectis: *nondum enim in quemquam illorum venerat Spiritus ſanctus, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.*

3. Tertio, Concil. Trident. ſeſſ. 23. can. 4. dicit quædam competere ſolis Epiſcopis, & inter hæc refert ordinare, & confirmare, & c. 7. eiuſdem ſeſſ. dicitur anathema illis omnibus qui affirmant poteſtatem conferendi ſacramentum Confirmationis competere Epiſcopis, & ſacerdotibus ſimplicibus.

4. Quartò, ità docent Patres; Clemens Roman. lib. 3. Conſtitutionum apoſtolicarum, cap. 16. *Poſteà*, inquit, *Epiſcopus liniat baptizatos vnguento*: Dionyſ. cap. 2. lib. Eccleſiaſt. Hierarch. his verbis; *Diuinus quidem Pontifex ſacroſanctam vnctionem orditur.* Et Cyprianus epiſt. 73. *Hoc apud nos*, inquit, *geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis offerantur, & per noſtram orationem, & manus impoſitionem*, (loquitur autem hîc de Epiſcopis) *Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*: & denique D. Thom. art. 11. huius quæſt. & Sentent. in 4. diſt. 7.

Cyprian.

Obiicies, 1. Timoth. 4. dici; *Noli negligere gratiam, quæ tibi data eſt, per impoſitionem manuum preſbyterij*: ergo, cùm nomine manus impoſitionis intelligatur Confirmatio, ex communi doctrina, confirmare competet presbytero ſimplici. 1. Tim. 4. *Obiectio.*

Solutio. Reſpondeo, legendum eſſe, presbyterij, quemadmodum habent codices emendati authoritate Sixti V. & Clement. VIII. quod nomen ſignificat dignitatem ſacerdotalem, non autem ſacerdotem præcisè, vt obſeruant recent. ad hunc locum Pauli. 2. Reſpondeo, licèt fateremur legendum eſſe presbyteri, nihil ex hoc loco colligi poſſet contra reſponſionem noſtram: nam manus impoſitio, de qua hîc loquitur Paulus, non ſignificat ſacramentum Confirmationis, ſed manuum impoſitionem, quæ fieri ſolet in ordinatione ſacerdotis, vt colligitur manifeſtè ex ipſo Paulo.

Obiectio 2. Diſſoluitur. Obiicies 2. Ananiam, licèt non eſſet Epiſcopus, confirmaſſe Paulum, 4. Actor. 9. vbi dicitur, quòd impoſuerit illi manus, vt impleretur Spiritu ſancto.

Reſpondeo, Paulum nullo modo fuiſſe confirmatum ab Anania: manus enim impoſitio, & item largitio Spiritus ſancti eo loci non Confirmationem ſignificant; ſed tantùm ordinata fuerunt ad donum ſanitatis reſtituendum Paulo, vt colligitur manifeſte ex iſtis verbis ſubſequentibus: *Et ſtatim ceciderunt ſquamæ, ab oculis Pauli.*

Obiectio 3. Obiicies rurſus, caput, Omni tempore. de conſecratione diſtinct. 4. in quo dicitur Epiſcopum debere ſignare baptizatum, vel certè ſacerdotem de licentia Epiſcopi.

Diluitur. Extraordinarius miniſter ſimplex ſacerdos ex Papæ diſpenſatione. Reſpondeo, conſignationem iſtam non eſſe conſignationem ſacramenti Confirmationis ſed baptiſmi, quæ præſente Epiſcopo debet ab eo celebrari, vel certè à ſacerdote celebrante, ceterùm de licentia Epiſcopi.

Reſpondeo 2. *Miniſtrum extraordinarium ſacramenti Confirmationis eſſe ſimplicem ſacerdotem, non autem aliquem alium inferiorem ſacerdote de licentia tamen ſolius Pontificis Maximi.* Prima pars reſponſionis probatur ex Gregor. lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 26. legitur enim illic, Gregorium ob defectum Epiſcoporum, feciſſe poteſtatem ſacerdotibus ſimplicibus confirmandi baptizatos: & in Concil. Florent. ità dicitur: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodùm cauſa ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc ſacramentum Confirmationis adminiſtraſſe*: ità tradunt communiter interpretes D. Thom. art. 11. huius quæſt.

Secunda verò pars reſponſionis probatur. Nuſquam legimus Epiſcopum feciſſe poteſtatem alicui ſacerdoti adminiſtrandi ſacramentum Confirmationis; argumento igitur eſt,

Epiſcopum id præſtare non poſſe. Deinde, quæ ſunt iuris diuini poſitiui, non aliter diſpenſari poſſunt, quàm ſit ipſomet iure diuino conſtitutum: at iure diuino conſtitutum eſt, miniſtrum ordinarium ſacramenti Confirmationis eſſe ſolum Epiſcopum; miniſtrum vero extraordinarium eſſe ſimplicem ſacerdotem, ex commiſſione ſolius Pontificis Maximi, vt conſtat ex locis ſuprà citatis Gregorij & Concilij Florentini, & ex traditione non ſcripta, quæ non eſt minoris authoritatis quàm ſit traditio diuina ſcripta, vt colligitur ex D. Auguſtin. epiſt. 118. ad Ianuarium, cuius verba retulimus in ſuperioribus.

D.Auguſt.

Obiectio. Obiiciunt. Confirmare, vel eſſe actum characteris Epiſcopalis, vel iuriſdictionis: ſi primum, nulli committi poteſt ab Epiſcopo; quæ enim ſunt characteris, nullo modo alteri committi poſſunt, ſi autem dicatur ſecundum: nedum presbytero: ſed etiam inferioribus clericis committi poterit adminiſtratio ſacramenti Confirmationis.

Reſponſio. Reſpondeo, characterem Epiſcopalem eſſe ſimpliciter neceſſarium, ad hoc vt quis ſit miniſter ordinarius ſacramenti Confirmationis; minime vero ad hoc vt quis ſit miniſter extraordinarius; ſufficit enim ad hoc character ſacerdotalis: hoc autem non aliter nobis conſtat quàm traditione, quæ eſt optimus interpres eorum quæ ſunt fidei Chriſtianæ: rectè namque ab Auguſt. dictum eſt, *Euangelio non crederem, niſi ad id me commoueret authoritas Eccleſiæ.* in epiſt. proximè cit. ac proinde,

Nihil immutat Papa circa miniſtrum Confirmationis. Aduertendum eſt diligenter Pontificem Maximum quando facit poteſtatem ſimplici ſacerdoti confirmandi baptizatos, nihil immutare circa miniſtrum ſacramenti Confirmationis: iure ſiquidem diuino miniſter huius ſacramenti ordinarius eſt ſolus Epiſcopus; extraordinarius verò, eodem iure diuino, eſt ſimplex ſacerdos, ex commiſſione tamen ſolius Pontificis Maximi.

DVBITATIO VLTIMA.

Qui ſint effectus ſacramenti Confirmationis.

Confirmatio imprimit characterem.

CONCLVSIO 1. *Confirmatio imprimit characterem realiter diſtinctum à charactere baptiſmi:* ità D. Thom. art. 7. huius quæſt. & Tridentin. ſeſſ. 7. canon. de ſacramentis in genere. Accedit ratio. Sacramentum Confirmationis iterari nequit, vt conſtat ex doctrina patrum citat. & producit characterem in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: ergo effectus hic debet eſſe realiter diſtinctus, ab effectu producto per ſacramentum baptiſmi realiter.

Gratia 2. eſt effectus huius ſacram.

CONCLVSIO 2. *Gratia non quidem prima, ſed ſecunda, eſt effectus ſacramenti Confirmationis.* Primum, quia de fide eſt ſacramentum quodlibet nouæ legis producere gratiam: at Confirmatio non eſt ſacramentum mortuorum, ſed viuorum.

Deinde, gratia Confirmationis perficit gratiam baptiſmi; eſt enim Confirmatio perfectio aliqua hominis baptizati, ex Clemente epiſt. 4. cuius verba retulimus in prima Dubitatione: ità communiter omnes loco proximè cit.

Clemens.

Quare qui eſt ſibi conſcius alicuius peccati mortalis commiſſi poſt baptiſmum, debet vel confiteri ſua peccata, vel exercere actum contritionis veræ, vel exiſtimatæ, antequàm accedat ad ſacramentum Confirmationis; alioqui gratiam debitam huic ſacramento obtinere minime poteſt. Dixi autem debere confiteri, vel exercere actum contritionis, quia nullum extat præceptum, quo teneatur præmittere confeſſionem ſuſceptioni huius ſacramenti.

AD

Digitized by Google

AD QVÆSTIONEM SEPTVAGESIMAM TERTIAM. DE AVGVSTISSIMO Euchariſtiæ Sacramento,

PROOEMIVM.

INTER ſeptem nouæ legis ſacramenta, venerandam admodùm Euchariſtiam primum ſibi vindicare locum nulli dubium eſt : illa enim dignitate, virtute, & efficacia ſuperat, cùm contineat non gratiam aduentitiam tantùm vt reliqua; verùm ſubſtantialem, increatam, omnium gratiarum creaticem, & conſeruatricem, Chriſtum ſcilicet, gratiæ B cuiuſlibet fontem : adeò vt omnium nobiliſſimum, excellentiſſimum, omniúmque operum mirabilium Dei memoriale meritò cenſeatur : vnde exclamat Regius Vates. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* De hoc igitur tanto ſacramento eiuſdem gratiâ ſuffulti à nobis agendum eſt.

Pſal.109.

QVÆSTIO LXXIII.

De Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ſe. C

ARTICVLO 1. Docet S. Th. Euchariſtiam eſſe ſacramentum.

ARTICVLO 2. Eſſe vnum tantùm ſacramentum.

ARTICVLO 3. Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad vitæ æternæ conſummationem.

ARTICVLO 4. Euchariſtiam variis nominibus appellari.

ARTICVLO 5. Euchariſtiam eſſe conuenienter inſtitutam.

ARTICVLO VLTIMO, præcipuam figuram ſacramenti Euchariſtiæ extitiſſe in veteri lege Agnum Paſchalem.

Quæſtio hæc ſequentibus Dubit. explicabitur.

In 3. partem D. Thom.

DVBITATIO PRIMA. A

An Euchariſtia ſit ſacramentum.

RESPONDEO affirmatiuè: ità enim definitum fuit ab Eugenio IV. in decreto fidei, quod extat poſt vltimam ſeſſionem Concilij Florentini, & in Trident. can. 1. de ſacramentis in genere, & ſeſſ. 13. can. 1. 2. 3. 4. dicitur, Euchariſtiam eſſe ſacramentum: & c. 2. & 3. eiuſdem ſeſſ. anteponitur ceteris omnibus ſacramentis.

Euchariſtia eſt noua legis ſacramentum. Concil. Florent. Trident.

Deinde, hæc eſt omnium plane Patrum ſententia, quos citabimus Dubit. proxime conſequente.

Patrum conſenſus.

Tertio, ad hoc, vt aliquid ſit ſacramentum nouæ legis debet eſſe ſignum ſenſile, & practicum, à Chriſto inſtitutum, habens infallibilem promiſſionem gratiæ, vt fatentur Doctores communiter, tam Catholici, quàm hæretici noſtri temporis : at Euchariſtia eſt ſignum ſenſile à Chriſto inſtitutum, ex cap. 11. prioris ad Cor. 26. Matth. 22. Lucæ, & 14. Marci: habet præterea infallibilem promiſſionem gratiæ ex ca. 6. Ioan. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* ergo eſt ſacramentum.

Fuit à Chriſto inſtitutũ. 1. Cor. 11. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14.

Denique ex tanta multitudine hæreticorum huius ſeculi, nullus hactenus negauit Euchariſtiam eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum : ità Sentẽtiarij in 4. d. 3. & ad D. Th. ar. 1. & 2. huius q.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit id, quod habet rationem ſacramenti in Euchariſtia.

MVLTA enim dantur in hoc ſacramento, panis quidem, & vinò, & verba conſecrationis. *Hoc eſt corpus meum : Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* & denique conſecratio, ſeu, quod idem eſt, actio illa ineffabilis, qua ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & ſubſtantia vini in ſubſtantiam ſanguinis, idque dum hoc ſacramentum conficitur; eo autem confecto dantur ſpecies conſecratæ & corpus Chriſti ſub ſpeciebus eiuſdem. Quærimus ergo, an hæc omnia, vel aliqua ex iſtis ſint ſacramentum Euchariſtiæ.

Subſtantia panis & vini non eſt ſacramentum Euchariſtia in facto eſſe.

CONCLVSIO 1. *Subſtantia panis, & vini non eſt ſacramentum Euchariſtia in facto eſſe.* Primùm, quia quod nullo modo eſt cum ſacramento Euchariſtiæ, materiam illius attingere

Digitized by Google

non poteſt: ſubſtantia autem panis, & vini nullo modo eſt cum ſacramento Euchariſtiæ de fide namque eſt ſubſtantiam panis, & vini per verba conſecrationis tranſmutari in ſubſtantiam corporis Chriſti; ità vt nihil planè ſubſtantiæ illarum remaneat: ergo.

Euchariſtiæ debetur cultus latriæ.

Deinde, ſacramento Euchariſtiæ debetur cultus latriæ, ex communi doctrina ſanctorum Patrum: at cultus latriæ nequit vlla ratione deferri ſubſtantiæ, panis, & vini, eo quod latria ſoli Deo debetur, vt probatum fuit in quæſtione de adoratione ſupra: ergo ſubſtantia panis non poteſt eſſe ſacramentum.

Actio conſecratiua, non eſt ſacramentum Euchariſtiæ.

CONCLVSIO 2. *Conſecratio, vt dicit actionem, per quam ſubſtantia panis, & vini conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, non eſt ſacramentum Euchariſtiæ.* Primum, quia Euchariſtia eſt res aliqua permanens, firma, & ſtabilis: conſecratio autem non eſt huiuſmodi, cum dicat ſucceſſionem.

Deinde, actio per quam ſubſtantia aliqua producitur, non eſt res producta: at per conſecrationem producitur corpus Chriſti quod vnà cum ſpeciebus conſecratis eſt ſacramentum Euchariſtiæ, vt probabitur inferiùs; ergo illa conſecratio nequit habere rationem ſacramenti: hæc eſt contra Gabriel, & alios nonnullos Nominales.

Forma conſecrationis non eſt ſacramentum Euchariſtiæ, nec pars eſſentialis illius. Florent. Concil.

CONCLVSIO 3. *Verba conſecrationis non ſunt de intrinſeca ratione ſacramenti Euchariſtiæ: ſed tantum de extrinſeca ratione eiuſdem; ac proinde in fieri, non autem in facto eſſe.* Probatur Concluſio. Eodem modo verba conſecrationis pertinent ad eſſentiam ſacramenti Euchariſtiæ, quo ſubſtantia panis, & vini, vt videtur colligi ex verbis Eugenij IV. in decreto fidei, ſupra citato: at docuimus ſubſtantiam panis, & vini, non pertinere ad eſſentiam intrinſece huius ſacramenti, ſed tantum extrinſece, eo ſcilicet nomine, quod ſubſtantia panis, & vini, per verba conſecrationis tranſubſtantiatur in corpus, & ſanguinem Chriſti, ex quibus vnà cum ſpeciebus conſecratis conſurgit ſacramentum Euchariſtiæ: ergo eadem ratione verba conſecrationis ſunt ſacramentum.

Deinde, principium productiuum alicuius rei numquam eſt de intrinſeca ratione rei productæ, at verba conſecrationis ſunt principia productiua ſacramenti Euchariſtiæ; ſeu, quod idem eſt, corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini.

Res permanens coalefcit ex partibus vel principiis permanentibus.

Tertio, principium conſtitutiuum alicuius rei permanentis debet eſſe res aliqua permanens: at verba conſecrationis non ſunt res permanentes, vt eſt per ſe notum.

Quarto, quod habet rationem ſacramenti Euchariſtiæ, debet in nobis producere gratiam gratum facientem: diximus enim in tractatione de ſacramentis in genere, ſacramenta nouæ legis facere id quod ſignificant, & præterea ſignificare gratiam gratum facientem: at verba conſecrationis producunt tantum ſub ſpeciebus panis, & vini, corpus, & ſanguinem Chriſti: conuenit enim inter omnes verba ſacramentorum nouæ legis facere id quod ſignificant; verba autem iſta, *Hoc eſt corpus meum*, denotant corpus Chriſti, quemadmodum & hæc, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, denotant ſanguinem eiuſdem: non ergo erunt verba iſta ſacramentum Euchariſtiæ; ſed tantum extrinſece & cauſaliter: ità ſentiunt Scholaſtici in 4. diſt. 5. maxime vero Richard. art. 1. quæſt. 1. §. ex his patet ad 3. argumentum. Capreol. q. 1. art. 3. ad 9.

Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ, inter quos eſt Suarez diſt. 42. ſect. 2. Concil. Florent. vel potius Eugenium IV. in decreto fidei affirmare, ſacramenta nouæ legis conſtare rebus, tanquam materia: verbis, tanquam forma, & denique miniſtro, & quidem ità, vt ſi vnum ex iſtis deficiat conſurgere nequeat vlla ratione ſacramentum; ergo verba conſecrationis erunt de intrinſeca ratione ſacramenti Euchariſtiæ. *Obiectio.*

Reſpondeo, Eugenium IV. nuſquam dixiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, aut aliquod aliud conſtare verbis tanquam forma, ſed tantum perfici rebus, verbis, & miniſtro: ac proinde nequit ex hoc loco colligi verba conſecrationis pertinere intrinſecè ad eſſentiam ſacramenti Euchariſtiæ. Eſt enim indubitatum apud omnes, res quaſlibet perfici duobus modis eſſentialiter ſcilicet, per partes eſſentiales, ex quibus res aliqua componitur; & cauſaliter; ac proinde extrinſece: quælibet enim res pendet à cauſis efficientibus, cùm nihil ſit quod ſeipſum producere queat: effectus enim & cauſa diſtinguuntur realiter inter ſe, ex illo Ariſtotelis, *Cauſa eſt id, ad cuius eſſe ſequitur aliud.* Verba ergo conſecrationis perficiunt ſacramentum Euchariſtiæ, non autem componunt; quare pertinent extrinſece, & cauſaliter tantum ad ipſum. *Solutio. Explicatur decretum Eugeny. Res bifariam perficitur eſſentialiter & cauſaliter.*

Inſtant, verba ſacramenti eſſe formam eiuſdem; forma autem ſpectat ad intrinſecam naturam rei productæ. Reſpondeo, verba conſecrationis eſſe formam, non quidem ſacramenti Euchariſtiæ: hæc enim eſt ſignificatio nutritionis ſpiritualis, quæ aduenit ſpeciebus conſecratis, & corpori Chriſti exiſtenti ſub ipſis: ſed tantum conſecrationis panis, & vini: panis enim determinatur per iſta verba; *Hoc eſt corpus meum*, ad hoc vt ſubſtantia illius conuertatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & illud idem dicendum eſt de verbis iſtis; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, reſpectu ſubſtantiæ vini. Quod ſi quis vrgeat, in omni ſacramento dari res, & verba. Reſpondendum eſt, hoc eſſe verum, vel in fieri, vel in facto eſſe: in ſacramento autem Euchariſtiæ dantur verba dum producitur tantùm, non autem dum productum eſt. *Inſtantia. Solutio. Verba non ſunt forma ſacramenti Euchariſtiæ. Obiectio. Solutio.*

CONCLVSIO 4. *Species conſecratæ vnà cum corpore Chriſti ſub eiſdem cõſtituto, rationem ſacramẽti Euchariſtiæ conſequũtur.* Prima pars huius Concluſionis probatur. Primum, quia ſpecies conſecratæ nuncupantur communiter à Patribus, ſacramentum Euchariſtiæ: ità Cyprian. ſermon. de cœna Domini; *Sicut*, inquit, *in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ità ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio.* D. Auguſt. contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 37. idem planè affirmat, & Ambroſ. lib. 4. de ſacramentis, cap. 4. *Author*, inquit, *ſacramentorum quis eſt, niſi Dominus Jeſus? de cœlo iſta ſacramenta venerum.* & paucis interiectis; *Panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* *Euchariſtia conſurgit ex ſpeciebus conſecratis, & corpore Chriſti ſub iiſdem contento. Cypri. D. Auguſt. Ambroſ.*

Deinde, propter hanc cauſam aſſerunt ſancti Patres, corpus Chriſti contineri in ſacramento Euchariſtiæ: ità Cyprian. epiſt. 54. ad Cornelium, & epiſt. 56. & Ambroſ. loco proxime citato.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertio Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. Eucharistiam docet eſſe ſacramentum viſibile; at nihil eſt in ſacramento Euchariſtiæ, quod ſenſibus externis percipiatur, præter ſpecies conſecratas, vt eſt per ſe notum: ergo illa pertinent ad rationem huius ſacramenti.

Quarto, de ratione cuiuſlibet ſacramenti eſt quod ſit ſignum ſenſile, vt docuimus in tract. de ſacramentis in genere: ergo cũ ſpecies conſecratæ ſint tantum ſenſiles in Euchariſtia, vindicabunt iſtæ ſibi rationem ſacramenti Euchariſtiæ.

Cur Euchariſtia ſit adorãda cultu latriæ.

Secunda verò pars probatur. Primo, quia ſacra Concilia definiunt ſacram Euchariſtiam adorandam eſſe latriâ: ità Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 5. & canon. 6. at propterea Euchariſtia adorari debet latriâ, quod contineat verè, & realiter Chriſtum verum Deum, & verum hominem: ergo.

Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis habent, corpus Chriſti & eius ſanguinem eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, vt multis probant Suarez & Vazquez.

Ioann. 3. Tertio, ſacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ſpiritualis animarum noſtrarum, ex illo Ioan. 3. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & ex cap. 26. Matth. Luc. 22. Marc. 14. & Marci 14. *Accipite, & manducate*: at quod Ioann. 6. nutrit animas noſtras, & cibat, eſt corpus, itemque ſanguis Chriſti, ex illo Ioann. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*: & ibidem. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Denique, ex corpore Chriſti & ſpeciebus conſecratis conſurgit vnum numero ſacramentum Euchariſtiæ: ergo.

Obiectio. Obiiciunt, ſacramentum omne debere eſſe ſenſibile ſignum; corpus autem Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, nulla ratione poſſe ſenſibus externis deprehendi. *Reſponſio.* Reſpondeo, ad hoc vt aliquid ſit ſacramentum ſatis eſſe, quod vel per ſeipſum, vel per aliquid aliud, cum quo dicit neceſſariam connexionem, ſenſibus externis deprehendatur, vt manifeſtè colligitur ex contritione, quæ eſt ſacramentum penitentiæ, vel potius ſacramenti penitentiæ pars aliqua; & tamen hæc contritio ſentiri nullo modo poteſt extrinſece per ſeipſam; niſi tantum ratione confeſſionis, aut ſatisfactionis: ità licèt corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, nullo modo ſenſu externo percipi queat, quia tamen in ordine ad ſpecies conſecratas cum quibus dicit neceſſariam connexionem reſpectu exiſtentiæ ſacramentalis, corpus hoc dicitur eſſe ſenſibile, vnde ratio ſacramenti illi competit.

Obiectio. Obiiciunt 2. Sacramentum nunquam eſſe rem ſacramenti; certum autem eſt corpus Chriſti eſſe rem ſacramenti. Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram de ceteris ſacramentis, ab Euchariſtia & penitentia diſtinctis; contritio ſiquidem, omnium conſenſione eſt pars materialis penitentiæ, & tamen hæc cenſetur eſſe res eiuſdem ſacramenti penitentiæ: ità corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis eſt ſacramentum, & præterea res ſacramenti: ſentitur enim per ſpecies, & vnà cum ſpeciebus gratiam in animam illius, qui Euchariſtiam conſequitur producit, ex illo Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Corpus Chriſti ſacramentum & res ſacramenti.

Ioan. 6.

Obiectio. Tertul. Obiiciunt, denique hæretici ex Tertullian. Euchariſtiam eſſe figuram corporis Chriſti: ergo cum ſignum arguat abſentiam rei ſignificatæ, corpus Chriſti, non erit ſacramentum Euchariſtiæ. *Reſpondeo.* Reſpondeo, corpus Chriſti conſtitutum in Euchariſtia repræſentare ſeipſum, prout fuit in ara crucis extenſum; ex illo, *Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*: atque iuxta hunc ſenſum dixit Tertul. (quamquam poſteà mentem Tertulliani aperiemus) Euchariſtiam eſſe figuram corporis Chriſti; non enim repugnat idem repræſentare ſeipſum diuerſa ratione: quilibet enim in ætate virili conſtitutus, ſeipſum repræſentat prout fuit in tenera: & præterea eſt ille idem numero qui fuit in cunis, ſaltem quoad partes eſſentiales; & ſpermaticas vt manifeſte conſtat ex anima rationali, quæ cum ſpiritualis ſit nullam patitur corruptionem. Columba item quæ apparuit in baptiſmo Chriſti, Matth. 3. fuit figura, ſeu ſignum Spiritus ſancti, & tamen Spiritus ſanctus fuit præſentiſſimus Chriſto, & item columbæ; idem dicendum eſt de linguis igneis, quarum meminit hiſtoria Actuum cap. 2. nam ſignificabant iſtæ Spiritum ſanctum; qui præſentiſſimus fuit Apoſtolis, & linguis iſtis igneis: poterit ergo corpus Chriſti verè eſſe in Euchariſtia, & eſſe ſignum, ſeu figura ſui ipſius iuxta modum explicatum. In hac ſententia ſunt communiter Sententiarij in 4. diſt. 8. interpretes vero D. Thom. q. 73.

1. Cor. 11. explicatur Tertul.

Signum & ſignatum figura & ſignatum poſſunt ſimul exiſtere.

Matth. 3. Actor. 2.

Vt autem res hæc plenius intelligatur aduerte, corpus Chriſti & ſpecies conſecratas producere gratiam in anima illius, qui Euchariſtiam ſumit; eſt enim de ratione cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis, quod producat gratiam; ac proinde denegari non poteſt Euchariſtiæ ſacramento, quod omnibus conuenit. *Notãdum.*

Deinde, non eſt magis abſurdum ſpecies conſecratas attingere productionem gratiæ, quàm aquam baptiſmi, & ceteras materias cuiuſlibet ſacramenti: docet autem D. Auguſtin. aquam baptiſmi vere producere gratiam in anima baptizati; *Vnde*, inquit, *tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* D. Auguſt.

Obiectio. Dices, Corpus Chriſti in Euchariſtia producit gratiam, ergo non ſpecies: patet conſequentia; quia neque vt cauſa principalis, vt conſtat, neque vt inſtrumentalis, cùm non poſſit ſubordinari Chriſto, qui eſt etiam inſtrumentum, &c.

Solutio. Reſpondeo, & corpus Chriſti & ſpecies conſecratas gratiam producere: corpus quidem, vt inſtrumentum coniunctum diuinitati, ſpecies vero vt ſeparatum, & non ratione ſubordinationis propriæ ad ipſum, ſed quatenus minimè aſſumerentur hîc, & eleuarentur ad cauſandam gratiam, niſi eſſent ipſi Chriſto in hoc ſacramento coniunctæ.

DVBITATIO TERTIA.

An ratio ſacramenti conueniat Euchariſtiæ antequàm ſacramentaliter, & de facto ſumatur.

Error hæreticorum eiuſque fundamenta.

HÆRETICI Lutherani in eo ſunt errore, vt putent Euchariſtiam eſſe tantùm ſacramentum, quando datur eius vſus; ità vt ve-

Digitized by Google

hoc loco, quæſt. 78. art. 1. primi generis eſt Eucharistia; poſterioris verò cetera omnia ſacramenta nouæ legis.

SS. Patres nunquam prohibuerũt plures ſpecies conſecrari in ſacrificio miſſæ.

Ad vltimam, ſanctos Patres nunquam prohibuiſſe, quin ad altare conſecrarentur ſpecies aliquæ, quæ aſſeruarentur in vſum infirmorum, aut aduenarum, & peregrinorum: docebimus enim in tract. de communione, antiquitus Eucharistiam fuiſſe adminiſtratam ægrotis, & item peregrinis aduentantibus, modo tamen conſtaret ex formulis, ſeu, quod idem eſt, litteris teſtimonialibus Epiſcopi, iſtos aduenas eſſe vere Chriſtianos & Catholicos; ſunt enim aliqui qui exiſtiment propter hanc cauſam communionem ſanctiſſimi Sacramenti nuncupatam fuiſſe antiquitus peregrinam, de qua re dicetur alibi.

Ad id verò quod obijcitur in eodem argumento, in Eccleſia Conſtantinopolitana, peractâ communione, reliquias ſpecierum conſecratarum fuiſſe adminiſtratas pueris innocentibus. Reſp. hoc eſſe tantùm verum de illis ſpeciebus, quæ non poterunt aſſeruari intrà Eccleſiam, vel in ædibus priuatis cum debito honore, & reuerentia, vel certè quæ non poterant eſſe vſui communioni fidelium, ob earum nimiam tenuitatem.

DVBITATIO QVARTA.

An ſacramentum Euchariſtiæ ſit vnum, vel plura.

Rationes partis negatiuæ.

RATIO dubitandi eſt: Poſitis diſtinctis materijs, & formis à ſe inuicem nullo modo dependentibus, ponuntur quoque plura ſacramenta; at dantur plures materiæ, itémque formæ ſacramenti Euchariſtiæ, quarũ vna nulla ratione pendet ab altera, vt conſtat ex pane, & vino, & ex iſtis verbis; *Hoc eſt corpus meum*, quibus ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & iſtis; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, quibus ſubſtantia vini tranſubſtantiatur in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, inde- D pendenter ab inuicem: ergo plura erunt Euchariſtiæ ſacramenta.

1.

2. Secundò, quilibet Laicus tenetur ad totum Euchariſtiæ ſacramentum ſumendum, vbi ad annos pubertatis peruenerit, ex communi doctrina: at datur iſtis vna tantùm ſpecies panis: ergo conſtituet hæc diſtinctum ſacramentum.

3. Denique, ſancti Patres, itémque Concilia loquuntur de Euchariſtia, tanquam de re quæ eſt plura ſacramenta: ità Concil. Africanum, cap. 4. Carthag. III. cap. 24. & 25. Cyprian. ſerm. de cœna Domini, & caput, competimus. caput, tribus. & caput, iteratur. de conſecratione diſt. 2.

Euchariſtia eſt vnũ ſpecie completũ ſacramentum.

CONCLVSIO. *Sacramentum Euchariſtiæ eſt* E *vnum totale completum, & integrum ſacramentum, non autem plura.* Probatur primò, quia Patres, itémque Concilia loquuntur de Euchariſtia communiùs; velut de vno ſacramento, quâ vt de pluribus, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 7. can. 1. dicitur enim illic eſſe tantùm ſeptẽ ſacramenta nouæ legis, & inter hæc computatur Euchariſtia, & ſeſſ. 13. can. 1. 2. & 3. & can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. ſimiliter, tanquam de vno ſacramento loquitur: & in decreto fidei, Eugenius IV. & in Catechiſmo authoritate Concilij Trident. edito, ita legitur; *Authoritate Eccleſiæ docti, vnum tantum confitentur eſſe ſacramentum Euchariſtiæ.*

Concil. Trident.

Concil. Flor. in litteris vnionis.

Deinde, vnitas rei artificialis, & materialis repetenda eſt ex fine in quem ordinatur res iſta, vt indicat D. Th. art. 2. huius quæſt. & manifeſtè colligitur ex domo, naui, & ſimilibus: at ſacramentum Euchariſtiæ eſt res aliqua moralis; conuenit enim inter omnes ſacramenta eſſe entia moralia: ergo cùm finis huius ſacramenti ſit vnus tantùm, refectio ſcilicet ſpiritualis; ſacramentum quoque hoc erit vnum totale, & adæquatum ſacramentum.

Tertiò, quandocumque dantur multa realiter inter ſe diſtincta, concurrentia ad vnum ſignum practicum gratiæ conficiendum, hæc vnum tantùm ſunt ſacramentum: at panis, & vinum, itémque verba iſta; *Hoc eſt corpus meũ: Hic eſt calix ſanguinis mei*, concurrunt ad vnum ſignũ practicum gratiæ conficiendum, quod de facto ſanctificat homines: ergo, cum hoc ſacramentũ ſit Euchariſtia, erit etiam vnum tantùm ſacramentum. Confirmatur. Vnitas ſacramenti cuiuſlibet repetenda eſt maximè ex vnitate formæ totalis, quæ datur in huiuſmodi ſacramento; conuenit enim inter omnes, formam dare eſſe rei; at in ſacramento Euchariſtiæ, datur vna, totalis, & adæquata forma, nempe ſignificatio nutritionis ſpiritualis, quæ, quia ſimilitudinem retinet cum nutritione corporea, quæ ad minus conſtat cibo, & potu, nutritio quoque ſpiritualis conſtare debet cibo, C & potu: quocirca cùm hæc duo reperiantur pleniſſimè in conſecratione panis, & vini, hinc Euchariſtia erit vna numero, quando dabuntur duæ ſpecies, panis, ſcilicet, & vini, ſimul conſecratæ. Ità D. Th. art. 2. huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem omnes.

Vnde præcipuè pendet vnitas ſacramenti.

Species panis & vini cõſecrata ſimul exiſtentes ſunt vnum numero ſacramentũ perfectum.

CONCLVSIO 2. *Sacramentum Euchariſtiæ eſt vnum numero completum, perfectum, & integrum, quotieſcunque dantur duæ ſpecies panis & vini ſimul conſecratæ, & exiſtentes.* Primum, quia ſub iſtis continetur totus Chriſtus, qui eſt vnus numero.

Deinde, quia vnum numero ſacrificiũ Miſſæ cenſetur eſſe illud quod conſurgit ex conſecratione ſpecierum panis, & vini, oblatione, & conſumptione earumdem, omnium conſenſione: at conuenit inter omnes Euchariſtiam habere rationem ſacramenti, & ſacrificij ſimul.

Tertiò, totalis & adæquata forma ſacramenti Euchariſtiæ, reperitur in duabus iſtis ſpeciebus conſecratis; nempe completa, & perfecta ſignificatio nutritionis ſpiritualis: ità communiter omnes locis proximè citatis.

Notandũ.

Ad horum tamen maiorem explicationem: aduerte vſu, & conſuetudine loquendi factitatum eſſe, vt quælibet ſpecies conſecrata, diſtincta ab alia realiter, cenſeatur eſſe vnum numero ſacramentum; quoniam quælibet huiuſmodi ſpecies totum Chriſtum continet, & eoſdem effectus producit in nobis, quos producerent ambæ ſpecies panis, & vini, ſi ex hypotheſi ſumerentur, vt docet Concilium Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. & 2. non eſt tamen concedendum eum, qui ex ſuppoſitione tres, aut etiam plures ſpecies conſecratas diſtinctas realiter aſſumeret, tria quoque ſacramenta Euchariſtiæ conſequi, ſed vnum tantùm numero: diximus enim plures ſpecies conſecratas non producere in nobis maiorem effectum, quàm producat vna, quando ſola ſumitur.

Qualibet ſpecies conſecrata ſeorſim ſumpta eſt vnum numero ſacramentum incompletũ.

Deinde, quia gratia quæ producitur in anima illius, qui plures iſtas ſpecies conſecratas ſumit, eſt tota, & totaliter à qualibet ſpecie conſe-

Digitized by Google

rum noſtrarum ſpiritualis, qui datur viuentibus, non autem mortuis, vt eſt per ſe notum. Confirmatur ex cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: & Ioannis 13. propterea dicitur Chriſtum lauaſſe pedes Apoſtolorum, antequàm eis ſacram ſynaxin adminiſtraret. 1. Cor. 11.

Extat præceptum de omni re ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

Tertio, quia ſi eſſet hęc neceſſaria ad ſaluté primam, extaret de hac re præceptum: de omni quippe re ſimpliciter neceſſaria ad gratiam, vel ad vitam æternam obtinendam, datur præceptum aliquod, vt conſtat de baptiſmo, penitentia, fide, & aliis nonnullis, ſine quibus ſalus haberi nequit; nullum autem apparet præceptum de Euchariſtia ſumenda ad hoc vt quis iuſtificetur à peccato mortali, & conſequenter vt obtineat primam ſalutem: ergo nulli neceſſaria eſt Euchariſtia ad habendam primam ſalutem.

Exaſperatis aduerſæ.

Refellitur.

Reſpondent Authores contrarię ſententię, rationibus iſtis probari Euchariſtiam non eſſe neceſſariam in re, minimè vero in voto: ceterùm hęc reſponſio infirma eſt: nam ſi Euchariſtia eſſet neceſſaria in voto ad primam ſalutem, ſequeretur quoque eſſe neceſſariam in re, ſaltem in eo caſu, in quo commodè ſumi poſſet; fatentur enim omnes ſacramenta baptiſmi, & penitentię eſſe in re neceſſaria, quando de facto comparari poſſunt, neque votum eorum ſufficere ad ſalutem in illo caſu: ergo illud idem dicendum eſſet de Euchariſtia; at concedunt authores iſti Euchariſtiam in re non eſſe neceſſariam ad primam ſalutem. Denique, fieri poteſt vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali cũ actuali deſiderio de non ſumenda Euchariſtia, vt patet in ægroto, qui ex hypotheſi ſacramẽta penitentię, & Euchariſtię ſuſcepiſſet, quanquã poſteà in peccatũ aliquod mortale incidiſſet, interueniente actu contritionis perfectæ, vel attritionis cum ſacramento penitentiæ iuſtificaretur ab eiuſmodi peccato mortali, etſi diceret, *nolo Euchariſtiam ſumere*, nam nullo præcepto tenetur hic ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Euchariſtia non eſt neceſſaria paruulis ad perſeuerandum.

Probatio 1. Concil. Trident.

2.

3.

CONCLVSIO 2. *Sacramentum Euchariſtiæ non eſt neceſſarium paruulis, ad perſeuerandum in gratia, aut ad vitam æternam obtinendam.* Primò, quia in Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. & can. 4. verbis expreſſis definitur; paruulis non eſſe neceſſariam communionem Euchariſtiæ, ad hoc vt conſequantur vitam æternam, antequàm perueniant iſti ad annos diſcretionis.

Deinde, ſi Euchariſtia eſſet neceſſaria paruulis ad perſeuerandum in vita ſpirituali, vel ad vitam æternam conſequendam, non negaretur eis vt fit, authoritate Eccleſiæ.

Tertiò, ſi Euchariſtia eſſet paruulis neceſſaria, ideò eſset quia produceret in iſtis effectum aliquẽ, ſinè quo vita æterna, aut perſeuerantia haberi nequit ab huiuſmodi paruulis: at nihil planè producit in nobis Euchariſtia, quod ſit ſimpliciter neceſſarium vel ad perſeuerantiam, vel ad vitam æternam conſequendam; gratia enim baptiſmi ſufficit, ad hoc vt aliquis ad beatitudinem perueniat, ſi moriatur cum ea, vt verbis expreſſis definitur in can. ſpiritus ſanctus, ſuperiùs citato, de conſecratione diſt. 5. & Tridentino: ergo non eſt neceſſaria ad perſeuerandum in gratia.

Reſponſio aduerſariorum.

Reſpondent Authores contrariæ ſententiæ, Euchariſtiam ideo paruulis eſſe neceſſariam in voto, quod hæc conſeruet in iſtis gratiam producta à baptiſmo: ceterùm reſponſio hæc, eſt impertinens; cum enim conſeruatio non ſit ſaltem neceſſariò, actio diſtincta realiter à productione, per quam aliquid producitur: quemadmodum productio gratiæ baptiſmatis eſt à baptiſmo, & nullo modo ab Euchariſtia; ità illud idem erit dicendum de conſeruatione eiuſdem. *Refellitur præcedens reſponſio.*

Deinde, gratia baptiſmi producta in pueris baptizatis, nõ minùs eſt firma, ſtabilis, & permanens, quàm ſit gratia producta à ceteris ſacramentis, aut etiam data à Deo, poſitis actibus meritorijs. Certum autem eſt gratiam ceterorum ſacramentorum pendere in conſeruari ab illis ipſis ſacramentis tantùm, à quibus fuit producta.

Tertiò, gratia gratum faciens per ſolum peccatum mortale deſtruitur, tam in adultis, quàm in pueris. Denique, perſeuerantia, ſaltem finalis, eſt effectus prædeſtinationis: non autem ſacramenti Euchariſtiæ, vt fatentur omnes in tract. de prædeſt. ergo.

Obiectio. Euchariſtia fons omnium bonorum, & cauſa effectuum vtcterorũ ſacramentorum.

Obijciunt, Patres interdum affirmare Euchariſtiam eſſe fontem bonorum omnium & cauſam vniuerſalem omnium effectuum cuiuſlibet ſacramenti; id enim verbis expreſſis affirmat Chryſoſt. homil. 45. in Ioannem. *Ex paradiſo*, inquit, *exiuit fons, à quo ſenſibiles fluuij emanarent: à menſa hac prodijt fons, qui fluuios ſpirituales diffundit: iuxta hunc fontem non ſteriles ſalices germinant, ſed arbores cœlum ipſum attingentes quæ fructibus tempeſtiuos & ſolidos producunt: ſi quis æſtuat, ad hunc fontem ſe conferat, & recreabitur. Mundat ſqualorem & ſordes, æſtus mitigat, non ſolares, ſed quos ignita ſagitta imprimunt. Etenim ortum ſuum ſupernè habes, inde radicem, vnde & irrigatur, hic fons lucis eſt, fons diffundens radios veritatis, huius ſuperna adſtituerunt virtutes fluũnum eius pulchritudinem inſpicientes, hic orbis terrarum datus eſt: hic eſt quo Chriſtus emit, quo vniuerſam ornauit Eccleſiam.* Chryſoſt. Secundum autem traditur communiter à Scholaſticis, in tract. de Euchariſtia: cum ergo non ſit neceſſaria paruulis in rẽ, erit eiſdem neceſſaria in voto.

Solutio argumenti & explicatio Chryſoſt.

Reſponſio 1. Ioann. 1.

Reſp. 1. loquutionem Chryſoſt. non eſſe intelligendam de ipſo Euchariſtiæ ſacramento, vt ſacramentum eſt; ſed de re exiſtente ſub ſpeciebus conſecratis, nempe de Chriſto, qui eſt cauſa cuiuſlibet effectus producti qui datur in nobis, ex illo Ioan. 1. *De plenitudine eius* (id eſt Chriſti) *accipimus omnes, gratiam pro gratia.*

2.

Quo pacto Euchariſtia ſit cauſa vniuerſalis effectuũ ceterorum ſacramentorum.

Secundo reſp. ſacramentum Euchariſtiæ nuncupari cauſam vniuerſalem effectuum ceterorũ ſacramentorum, non quidem vere, ſed tantum per ſimilitudinem, putà quod Euchariſtia producat aliquos effectus, qui ſimilitudinem quamdam retinent cum effectibus ceterorum ſacramentorum, vt patet ex effectu Confirmationis, qui eſt corroborare homines, ad hoc vt audacter fidem Chriſtianam profiteantur contra tyrannos: Euchariſtia vero producit hunc effectum per ſimilitudinem; corroborat enim & confirmat hominem in vita ſpirituali: quemadmodum præterea baptiſmus nos coniungit, & vnit Chriſto; ità Euchariſtia nos coniungit eidem, verumtamen altiori, & præſtantiori modo, ex illo D. Auguſtini. *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* & ex illo Ioann. 6. *Qui manducat me, in me manet & ego in illo.* *Auguſt. lib. 7. confeſſ. cap. 10.* Ioann. 6.

Alij verò reſpondent, gratiam baptiſmi datam paruulis ſpectari, vt eſt gratia præciſe, & vt eſt finalis gratia: poſteriori modo contendunt re-

Digitized by Google

neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate præcepti tantùm, quando autem præceptum hoc obligat ad reatum peccati, explicabitur quæſt.80. huius partis.

Cur & quamdiu in primitiua Eccleſia paruulis rationis vſu carentibus data fuit Euchariſtia.

Ad 2. reſp. temporibus primitiuæ Eccleſiæ, multos Patres in ea fuiſſe ſententia, vt crediderint præceptum de Euchariſtia frequentanda, nedum adultos, ſed etiam paruulos obligare; ac proinde datam fuiſſe paruulis tamdiù, quamdiù vigere hæc opinio inter Catholicos: ceterùm, quia hæc authoritate Eccleſiæ fuit ſublata, ideo quoque deſijt conſuetudo dandi Euchariſtiam paruulis, idque merito; nam præceptum hoc; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. 6. Ioann. ſolos adultos obſtringit. Et conſtat ex doctrina Pauli, cap.11. 1. ad Corinth. vbi probatio præmittenda eſt, ſuſceptioni ſanctiſſimi ſacramenti: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat:* hęc autem probatio nullum poteſt habere locum in paruulis, merito ergo ſanciuit Eccleſia, ne Euchariſtia daretur paruulis; cum neutra neceſſitate illis neceſſaria ſit vt oſtenſum eſt.

Ioann.6. locus expenditur.

1.Cor.11.

Altera explicatio loci Ioann.6.

Reſpondeo 2. Patres tranſire à ſacramento Euchariſtiæ ad rem contentam ſub ſpeciebus conſecratis, & quia res contenta ſub ſpeciebus ſimpliciter eſt omnibus, & ſingulis neceſſaria ad ſalutem; hæc enim eſt Chriſtus verus Deus, & verus homo, ſine quo fieri nequit, vt quis remiſſionem peccatorum conſequatur, & gratiam obtineat, ex cap.4. Actuum; *Non eſt aliud nomen ſub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi in nomine Domini Ieſu Chriſti:* ideo data fuit antiquitus Euchariſtia paruulis, licet non eſſet eis neceſſaria ad ſalutem, quod obſeruauit Petrus à Soto in commentario epiſtolarum ad Romanos. Notat enim Patres non affirmare, perire pueros, qui decedunt ſine communione, ſed qui moriuntur ſine participatione corporis, & ſanguinis Chriſti: hæc autem participatio corporis, & ſanguinis eiuſdem fieri poteſt ſine Euchariſtia, vt conuenit inter omnes.

Act. 4.

Ad vltimam. Vnionem Chriſti eſſe ſimpliciter neceſſariam ad hoc vt aliquis conſequatur ſalutem: ceterùm conſtanter affirmamus, nedum hominẽ vniri Chriſto media ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti; ſed etiam per fidem infuſam, ex cap. 1. Ioan. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius:* idem præſtat charitas, ex Ioann. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* quoniam ergo paruulo in baptiſmate infunditur fides, ſpes, charitas, & gratia gratum faciens: iſte coniungitur, quantum eſt ſatis Chriſto, ad hoc vt interueniente morte per Chriſtũ donetur beatitudine æterna; atque ità Euchariſtia, nec in re, nec in voto eſt iſti neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem.

Ioann.1.

DVBITATIO SEXTA.

Quando Euchariſtiæ ſacramentum fuerit inſtitutum.

Chriſtus inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ Luna 14. Martij veſperi.

RESPONDEO, inſtitutum fuiſſe à Chriſto Luna 14. veſpere poſt ſolis occaſum, pridiè quàm pateretur in cruce. Primùm, quia inſtitutio Euchariſtiæ facta eſt à Chriſto poſt comeſtionem agni Paſchalis, pridie quàm immolaretur in cruce pro nobis, vt manifeſte colligitur ex cap.22. Luc. 26. Matth. & 14. Marci: at Chriſtus agnum Paſchalem comedit cum Apoſtolis Luna 14. veſpere, poſt ſolis occaſum; iuxta præceptum legis Moſaïcæ, Exodi 12. *Immolabit eum*, ſcilicet agnum, *omnis multitudo filiorum Iſraël ad veſperam paſchæ; & edent carnes, & azymos panes, cum* &c. & Deuter.16. *Immolabit phaſe veſpere ad ſolis occaſum:* ergo eum Chriſtus in omnibus & ſingulis, morem geſſerit præceptis legis Moſaïcæ, pro eo tempore, quo fuit in hac vita mortali, & agnum Paſchalem comederit poſt ſolis occaſum, tunc etiam inſtituit, eo anno in quo paſſus eſt pro nobis, Luna 14. menſis Martij Euchariſtiæ ſacramentum.

Matth.26. Marci 14. Luc. 22. Exodi 12. Deut.16.

Deinde, ablutio pedum Diſcipulorum præceſſit inſtitutionem ſanctiſſimi ſacramenti; per hanc enim diſpoſuit Chriſtus Apoſtolos ad digne ſuſcipiendum tantum ſacramentum, vt communiter docent Patres ad cap. 26. Matthæi: at Chriſtus lauit pedes Apoſtolis, antequàm fuerit paſſus, poſt comeſtionem agni Paſchalis, vt colligitur ex loco Ioann.13. *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius,* &c. & ex locis proxime citatis. Tertio, propterea fatentur omnes, Latinos magis accedere ad vſum conficiendi Euchariſtiam retentũ à Chriſto, quàm Græcos; quia iſti conſecrant in fermentato pane, illi verò in azymo: at feſtum azymorum à Luna 14. menſis primi, ſeu Martij, ad 21. eiuſdem menſis celebratum fuit: ergo. Minor hæc habetur expreſſe Exodi 12. *Septem diebus azyma comedetis, in primo non erit fermentum in domibus veſtris, vſque ad ſeptimum.* Cum autem Euchariſtiam diximus fuiſſe inſtitutam poſt ſolis occaſum, Luna 14. menſis Martij, anno in quo Chriſtus paſſus eſt, non intendimus illâ eadem numero horâ, quæ proxime ſucceſſit occaſum ſolis, id factitatum fuiſſe, de hac enim re, nihil eſt hactenus à Doctoribus conſtitutum: volumus ergo poſt ſolis occaſum ſacramentum hoc fuiſſe quidem ante mediam noctem inſtitutum, neſcimus tamen certo, & indubitanter qua hora.

Ioann.13. Exodi 12.

Diſputant autem pluribus Recentiores in quânam veſpera diei decimæ quartæ fuerit inſtituta Euchariſtia: an ſecunda illius, & tendente ad decimam quintam diem; an vero prima, quæ fuit veſpera ſecunda diei decimæ tertiæ: hoc poſtremum multis & eleganter, & docte amplectitur noſter Luyſius Legionenſis quondam diuinorum librorum primus apud Salmanticenſes Interpres, in opuſculo peculiari de vtriuſque Agni typici, atque veri immolationis legitimo tempore. Quem poſteà impugnarunt plerique, ceterùm fuſe & optime parentem defendit eruditus Baſilius Legionenſis in eadem Academia Salmanticenſi Profeſſor, prima part. variarum diſputationum, diſp. 1.

DVBITATIO VLTIMA.

Quibus nominibus vocetur hoc Sacramentum.

Quid ſignificat Euchariſtia.

RESPONDEO 1. nuncupari *Euchariſtiam*, quod idem eſt ac, *bona gratia*, ſeu, *gratiarum actio*; idque quod Chriſtus, author omnium gratiarum ſub ſpeciebus conſecratis contineatur, & à nobis ſumatur: vel, vt alij volunt, quod Chriſtus inter conficiendum hoc ſacramentum, gratias egerit Deo Patri; vel deniq; quod dum ſit & ſumitur à nobis gratias de beneficijs acceptis, Deo

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

An vna ſpecies poſſit conſecrari ſine altera.

Rationes dubitandi.

1. RATIO dubitandi 1. Chriſtus ex multorum Patrum ſententia Luc.24. ſolam ſpeciem panis conſecrauit, & Cleophæ, alterique Diſcipulo dedit ſumendã: & in Actibus Apoſtolorũ, c.27. ſimile quid videtur præſtitiſſe Paulus.

2. Deinde, ſunt qui referant Innocent. VIII. Pontificem Maximum diſpenſaſſe cum Saxonibus, & alium quemdam Pontificem cum Norvegijs, ad hoc vt ſub ſpecie panis tantum Euchariſtiam conficerent, idque quod in iſtis locis nequeat vinum conſeruari ob frigiditatem regionis, ſed in naturam aceti ſtatim tranſeat.

Nunquam debet panis ſine vino, nec vinum ſine pane conſecrari.

CONCLVSIO 1. *Species panis nunquam eſt conſecranda ſinè ſpecie vini, neque è contrà.* Primùm, quia ità dicitur expreſſe in can. Comperimus. de conſecratione, diſt.2. Deinde, Sacerdos quilibet inter conſecrandum, obligatur ad ea præſtanda, quæ Chriſtus præſtitit dum Euchariſtiam conficeret, vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. idem enim eſt ac ſi diceret; Sacrificate (ea quippe eſt ſignificatio vocis, *facite*, ex communi Patrum ſententia) quod ego Chriſtus præſtiti: Chriſtus autem ſpeciem panis, & vini conſecrauit. Rurſus, Sacerdos inter conſecrandum ſuſtinet perſonam Chriſti: ergo.

Probationes
1.
2.
Luc. 22.

3. Tertiò, vſus ità hactenùs obtinuit, vt vna ſpecies non conſecretur ſine altera.

4. Quartò, ratio ſacrificij nouæ legis poſita eſt in conſecratione panis, & vini, oblatione, & conſumptione ſpecierum conſecratarum: vt colligitur ex illo Dauid. pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech:* hic enim panem, & vinum obtulit Deo in ſuis ſacrificijs, vt author eſt Paulus in epiſt. ad Hebræos, & habetur Geneſ.14. ergo, cum Sacerdos inter conſecrandum ſacrificet, debet hic vtramque ſpeciem conſecrare: ità D. Thom. art. 1. huius quæſt. ad 2. & communiter omnes ibidem, vel in tractatione de ſacrificio Miſſæ.

In quonam ratio ſacrificij nouæ legis ſita ſit.
Pſal. 109.

Vna ſpecies ſine altera à ſacerdote conſecrari poteſt.

CONCLVSIO 2. *ſi Sacerdos vnam tantùm ſpeciem conſecrauerit hac verè erit conſecrata, etiam ſi nolit, aut noluerit alteram ſpeciem conſecrare.* Primùm, quia vis iſtorum verborum; *Hoc eſt corpus meum*, nullo modo pendet à verbis his: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, neque contrà.

Deinde, verba proximè commemorata nedum ſunt theoretica, ſed etiam practica; ac proinde idem faciunt quod ſignificant, ſine dependentia vlla ab aliquo alio, præterquàm à Chriſto, & à miniſtro ſacramenti.

Tertiò, Chriſtus ambas ſpecies panis & vini ſimul minimè conſecrauit; ſed prius vnam, poſterius verò alteram.

Obiectio.

Obijcies, formas partiales alicuius ſacramenti non producere ſuos effectus, antequàm vltima fuerit explicata; vt manifeſtè colligitur ex ſacramento extremæ Vnctionis: ergo illud idem erit de Euchariſtia dicendum.

Solutio 1. Diuerſimode de forma Euchariſtiæ & extremæ Vnctionis

Reſp. 1. non eſſe parem rationem inter Euchariſtiam & extremam Vnctionẽ: hęc enim propterea ſuos producit effectus ex multorũ ſententia, poſt explicationem poſtremæ formæ, quia ſacramentum hoc ordinatur ad vnam numero gratiam producendam, cum ſpeciali Dei auxi-

A liõ neceſſario ad ægritudinis moleſtias toleran- *ſuos effectus*
das: Euchariſtia vero dum conficitur, non *producunt,*
ordinatur ad certum aliquem effectum, ſed ad *& quare.*
duos omnino contrarios, & diuerſos inter ſe; verba namque iſta; *Hoc eſt corpus meum*, ſubſtantiam panis conuertunt in ſubſtantiam corporis Chriſti, verba vero hæc; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſubſtantiam vini in ſanguinem eiuſdem mutant: quare licet formæ iſtæ ſint partiales, quęuis tamen ſuum effectum producit ſine vlla dependentia ab altera.

Reſp. 2. propoſitionem maiorem eſſe falſam; *2. Solutio*
ſeptem quippe ſunt ordines, qui habent ſpeciales *obiectionis.*
materias, & formas, & tamen quælibet forma ex
B iſtis ſuum effectum producunt independenter ab
alia, licet ordinentur ad vnum totale ſacramentum Ordinis conficiendum.

Validè ſed non licitè & abſque culpa mortali vna ſpecies ſine altera conſecratur.

CONCLVSIO 3. *Quamuis ſacerdos vnam ſpeciem ſinè altera conſecrare poſſit validè, non tamen ſinè peccato mortali.* Primum, quia tranſgreſſio cuiuſlibet legis, nedum diuinæ, ſed etiam humanæ, præſertim Eccleſiaſticæ, in re graui, ratione peccati mortalis conſequitur, vt docetur in materia de legibus: at de iure diuino eſt ne vna ſpecies conſecretur ſine altera à ſacerdote, vt colligunt Theologi ex cap. 22. Luc. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Probationes
1.

Deinde, conſecratio quæ fit à ſacerdote, de- 2.
bet myſterium paſſionis Chriſti repræſentare ex-
C plicite, ex cap. citato Luc. & 11. 1. ad Corinth. 1. Cor. 11.
Quotieſcumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis, &c. at conſecratio vnius tantũ ſpeciei paſſionẽ Chriſti explicite non repręſentat; ſed tantum interueniente diſcurſu creaturæ rationalis, quo concipit ipſum, quoad corpus, & ſanguinem contineri ſub huiuſmodi ſpecie, ſufficereq; ad perfectam refectionem ſpiritualem, & ad Chriſti paſſionis repræſentationem.

Tertiò, fatentur communiter Theologi conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe de intrinſeca ratione ſacrificij nouæ legis, quod colligunt aliqui ex cap. *Illud.* & ex cap. *Nihil.* 7. quæſt. 1.
D deprompta ex Concil. 1. & 2. Toletan. in qui- Concil.
bus dicitur: quod ſi contigerit ſacerdotem, cùm Toletan.
celebrationi vacabit deficere, vocandum eſſe alium presbyterum, qui ſacrificium ab alio inchoatum perficiat.

Extant plures can. de conſecratione diſt. 2. in quibus habetur Chriſtum conſecraſſe, & ſacrificaſſe ſub ſpeciebus panis, & vini ſimul, & in Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. habetur Concil.
laïcos, & Clericos non conficientes Eucha- Trident.
riſtiam, obligari ad alterius ſpeciei tantum communionem, ac proinde videtur docere Concil. ſacerdotes conficientes Euchariſtiam obli-
E gari ad vtriuſque ſpeciei ſumptionem: & ſeſſ. 22. cap. 1. docet Chriſtum in vltima Cœna con- *Chriſtus in*
ſecraſſe ſpeciem panis, & vini, & illud idem *vltima Cœ-*
præcepiſſe Apoſtolis, vt poſterum præſta- *na vtramq;*
rent, & cap. 2. eiuſdem ſeſſionis aſſerit Apoſto- *ſpeciem pa-*
los per iſta verba; *Hoc facite in meam commemo-* *nis & vini*
rationem, &c. inſtitutos fuiſſe ſacerdotes: Ex *conſecrauit.*
quibus omnibus ità arguimentamur: ſacerdos inter conſecrandum tenetur ad obſeruationem eorum, quæ Chriſtus præſtitit dum ſacrificium nouæ legis inſtituit, ex loco cit. Lucæ: at Chriſtus vtramque ſpeciem panis, & vini ſimul conſecrauit: ergo peccabit ſacerdos, quoties vnam ſpeciem, ſine altera conſecrabit. Ità communiter hoc loco, & quæſt. 80. art. 11.

Digitized by Google

huius partis, & in quæſtione de ſacrificio Miſſæ.

Quæſtio. ROGABIS, *Quinam in loco habeatur præceptum de vtraque ſpecie ſimul conſecranda à ſacerdote?* Reſp. extare Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* & 1. Corinth. 11. Marci 14. & Matth. 26. *in iſtis enim locis legitur Chriſtum inſtituiſſe ſacrificium Miſſæ.* Eſt autem incredibile, inſtituendo huiuſmodi ſacramentum, & ſacrificium, non dediſſe præceptum de tali ſacrificio, & ſacramento celebrando.

Reſpenſio. Extat præceptum inſtitutionis ſacramenti.

Deinde, traditio confirmat præceptum hoc: hactenus enim ſacrificium Miſſæ in Eccleſia celebratum fuit ſemper ſub ambabus ſpeciebus panis & vini; ità vt nuſpiam fuerit vna conſecrata ſine altera: ergo ſignum eſt de vtraque ſpecie conſecranda extare aliquod præceptum.

Aliquando vna ſpecies ſine altera conſecratur abſque peccato. CONCLVSIO 4. *Fieri poteſt vt Sacerdos vnam ſine altera ſpeciem conſecret inculpatè, putà quoties nequit alteram ſpeciem conſecrare ex impotentia phyſica, vel moralis.* Primùm, quia nihil verat quominus conſecratâ vnâ ſpecie tantum, tollatur è viuis ſacerdos, morte ſubita; aut quin corruat in terram correptus apoplexia, vel morbo epileptico, aut aliquo alio ſimili infortunio: at, quis credat ſacerdotem iſtum in hoc caſu peccare, cum peccatum omne ſit voluntarium & liberum? præteritio autem conſecrationis alterius ſpeciei, nequit eſſe libera reſpectu iſtius ſacerdotis, qui ex hypotheſi moritur poſt vnam ſpeciem tantum conſecratam.

Probatio 1.

2. Deinde, ſunt qui putent imminente manifeſtiſſimo periculo mortis, ſacerdotem conſtitutum ad altare, poſſe ab altari recedere inculpate, eâ lege quod ſi ſpeciem panis conſecrauerit eam aſſumat. Credunt enim præceptum de conficienda Euchariſtia ſub ambabus ſpeciebus non obligare cum tanto diſpendio ſemper, quantum eſt amiſſio vitæ præſentis.

3. Tertiò, poteſt quis inculpate vnam tantum ſpeciem conſecratam recipere, etſi ſacrum faciat; putà, quando ſacriſta ſacerdotem admonet ſanguinem conſecratum habere venenum lethale, admixtum, & item quando bona fide infudit intrà calicem ſolum aquam, quam putauit eſſe verum vinum, nec poteſt vlla ratione deprehenſo errore recuperare vinum, vt ſuppleat defectum commiſſum, aut ſi poſſit conſequi vinum, id tamen præſtare nequit ſine maximo ſcandalo, vel abſque manifeſtiſſimo periculo vitę: in iſtis ergo caſibus in confeſſo eſt apud Doctores ad articulum 2. huius quæſt. non peccare ſacerdotem, alteram tantum ſpeciem conſecrando, modo tamen intendat vtramque ſpeciem panis, & vini conſecrare.

Obiectio. Dices, ergo ſi quis comminetur mortem ſacerdoti, vt ſolùm ſpeciem panis conſecret extra altare, poterit hic ſine culpa ſolùm iſtam ſpeciem conſecrare, propter vitam conſeruandam.

Reſponſio. Reſp. negand. illationem antecedentis: adeſt enim præceptum negatiuum diuinum de non conſecranda vna ſpecie ſine altera, quod obligat ad ſemper, & pro ſemper; atque ità, vt in nullo plane caſu poſſit quis contra huiuſmodi præceptum facère ſine peccato: at in caſibus ſupra poſitis ſacerdos non facit contra præceptum negatiuũ: cum habuerit intentionem realem, & poſitiuam de ambabus ſpeciebus panis, & vini conſecrandis.

Mouetur quæſtio. A ROGABIS, *An ſaltem vrgente neceſſitate aliqua graui, vel poſita diſpenſatione Pontificis Maximi, poſſit ſacerdos vnam ſine altera ſpeciè conſecrare.*

Reſolutur. Non poteſt ſacerdos aliquis priuata authoritate intendere cõſecrare vnã ſpeciem abſque alia. RESP. 1. *Sacerdotem quemcumque vrgente neceſſitate non poſſe priuata authoritate accedere ad altare, cum intentione conſecrandi vnam tantùm ſpeciem.* Primo, quia nulli licet recedere ab his quæ ſunt iuris diuini, priuata authoritate: conſecratio autem vtriuſque ſpeciei eſt de iure diuino.

Deinde, licet daremus conſecrationem vtriuſque ſpeciei non eſſe de iure diuino, non tamen propterea ſequeretur ſacerdotem priuata B authoritate poſſe recedere à conſuetudine conſecrandi vtramque ſpeciem; ratio eſt, quia conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ obligat omnes, & ſingulos ad reatum peccati mortalis, ex communi doctrina.

Tertio, ſi poſſet ſacerdos priuata authoritate conſecrare vnam ſpeciem ſine altera, id maxime poſſet occurrente die Paſchatis: in hoc enim quilibet tenetur ad auditionem ſacri, & item ad communionem ſanctiſſimi ſacramenti, ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs, de remiſſion. at non poteſt in data hypotheſi ſacerdos vnam tantum ſpeciem conſecrare, non enim obligat præceptum de conficiendo, & audiendo ſacro, & de Euchariſtia ſumenda, niſi habeantur omnia quæ neceſſaria ſunt ad confectionem ſacri: inter hæc autem ſunt ſpecies ambæ panis, & vini, ità vt ſine iſtis nulla ratione poſſit inculpate fieri ſacrum: cùmque ſupponamus, ſacerdotem habere vnam tantùm ſpeciem non poterit in hac ſola conſecrare. C

Item, ſi careat ſacerdos veſtibus ſacris, aut etiam altari lapideo, etſi teneatur hic conficere ſacrum, non tamen id poteſt ſine peccato mortali.

Denique, ſacramentum Euchariſtiæ nulli eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ſed tantum neceſſitate præcepti affirmatiui, quod non obligat ad ſemper, & pro ſemper, ſed interdum, & aliquando: ergo in eo caſu in quo non poſſunt D haberi ambæ ſpecies ad hoc vt ſacerdos conſeceret, non obligabitur ſacerdos hic ad confectionem ſacramenti, neque item laïci ad ſumptionem eiuſdem, ſi nullę ſpecies panis extent conſecratæ.

Obiectio. Dices, maius bonum eſſe conſecrare vnam ſpeciem tantum, & communicare laïcos ſub illa ſpecie, quàm ſacramentum non conficere.

Reſp. 1. Reſp. negando antecedens; maius enim bonum eſt retinere conſuetudinem introductam à Chriſto de ſacro faciendo ſub ambabus ſpeciebus, quàm ab hac conſuetudine recedere.

Reſp. 2. Summus Pontifex nequit diſpenſare in illis quæ ſunt iuris diuini & naturalis, vtrumque tamen ius interpretari poteſt. Deinde, docuimus vnam ſpeciem tantum non poſſe conſecrari à ſacerdote, quin peccet mortaliter: cum ergo in nullo plane caſu liceat peccatum mortale admittere, non poterit ſacerdos, E etiam in die Paſchæ, vnam tantum ſpeciem conſecrare, dum altera recuperari non poteſt.

Secundo reſpond. Pontificem Maximum non poſſe diſpenſare cum ſacerdote, ad hoc vt accedat ad altare, vt in eo ſacramentum conficiat ſub ea tantùm ſpecie: primo, quia Pontifex Maximus non poteſt diſpenſare in his quæ ſunt iuris naturalis, aut diuini; licèt valeat interpretari ius diuinum, & item decernere, quandónam hoc obliget, vel non: eſt autem de iure diuino conſecratio vtriuſque ſpeciei, ex locis citatis,

Matth. & Luc. Deinde, diſpenſatio nunquam poteſt eſſe tuta, niſi ſubſit cauſa iuſta, & legitima: at non poteſt occurrere cauſa iuſta diſpenſandi cum ſacerdote, ad hoc vt vnam tantum ſpeciem conſecret: nam diximus communionem ſanctiſſimi ſacramenti non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, illud idem eſt indubitatum de auditione ſacri. Tertiò, nulla datur regio in orbe ità calida, vel frigida, in qua non poſſit aſſeruari vtraque ſpecies panis, & vini.

Quarto, dantur multæ nationes, in quibus nullum colligitur oleum oliuarum, & balſamum, & tamen non diſpenſat Pontifex Max. cũ iſtis, ad hoc vt ſacramentum Confirmationis, & Ordinis perficiantur ſine chriſmate: ergo. In hac ſententia videtur eſſe D Thom. & Interpretes eiuſdem, contra Gabriel Biel, lect. 53. in can. Miſſę, Claudium Sanctium repetitione 10. cap. 3. Simonem Vigoreum, & alios nonnullos ſeculi præteriti.

Reſpondetur rationibus dubitandi initio propoſitis. Reſp. ad 1.

Ad rationes vero dubitandi reſp. Ad 1. Chriſtum ex plenitudine poteſtatis, quam habuit, conſecraſſe vnam tantum ſpeciem eo in loco, idemque præſtitiſſe D. Paulum, Actor. 27. diſpenſatione diuina, ex quo non licet colligere, idem poſſe quemcumque alium ſacerdotem.

Reſp. ad 2.

Ad 2. Reſp. hiſtoriam huiuſmodi eſſe admodum ſuſpectam: non enim extant vlla veſtigia diſpenſationis iſtius apud Saxones. Deinde, Volaterranus lib. 7. ſuæ Geographiæ, cap. de Saxonibus, & alijs populis, ait, Innocentium VIII. dediſſe poteſtatem ſacerdotibus Saxonię conſecrandi calicem cum ſola aqua; quis enim ſibi hoc perſuadeat? præſertim cũ non latuerit Pontificem, ſolum vinũ ex Chriſti conſtitutione eſſe materiam conſecrationis calicis. Tertio, extant regiones multo frigidiores Saxonica, cum quibus tamen Pontifex Maximus non diſpenſat, aut diſpenſauit aliquando, vt ſacrum faciant in vna tantum ſpecie. Denique, vixit Volaterranus poſt Innocentium VIII. tempore Iulij II. Pontificis Maximi, neque tamen refert vllum authorem, ex quo hiſtoriam illam collegerit.

DVBITATIO TERTIA.

An ſpecies panis, & vini conſecranda, debeant eſſe in certa quantitate, & præſentes ſacerdoti, ad hoc vt valide conſecrentur.

Sacerdos poteſt quãlibet ſenſibilẽ quantitatem panis, & vini conſecrare valide, ſi ſit illi præſens.

CONCLVSIO 1. *Poteſt Sacerdos validè conſecrare quamlibet quantitatem panis, & vini.* Primo, quia contulit Chriſtus abſolute poteſtatem conſecrandi panem, & vinum ſine vlla determinatione ad hanc, vel illam quantitatem: vt colligitur ex verbis iſtis, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Probationes 1. Luc. 22.

Deinde, quælibet pars panis, & vini, ſi tamen fuerit hæc phyſicè ſenſibilis, ſeparata à ceteris partibus panis, & vini, conſecrari poteſt valide; deſideratur enim ad conſecrationem tantum, quod ſacerdos verba proferat circa ſubſtantiam panis, & vini ſenſibilem: ratio autem ſubſtantiæ panis, & vini, vere datur ſub qualibet quantitate phyſica panis, & vini; cum quæuis pars panis, ſit panis; & item quælibet

Quid requiritur ad conſecrationem.

pars vini, vinum ſit. Ità D. Thom. art. 2. huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem omnes, & in 4. diſt. 11.

Aduertentia 1.

Moneo tamen, ſacerdotem non debere plures conſecrare ſpecies, quàm ſint neceſſarię, vel ad confectionem ſacri, vel ad communionem eorum qui deſiderant communicare, vel denique vt ſeruentur in gratiam infirmorum: conuenit enim inter omnes ſacramentum Euchariſtiæ fuiſſe inſtitutum ad dandam vitam ſpiritualem hominibus, ex cap. 6. Ioann. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. Ioan. 6.

3.

Deinde, quia alioquin ſequeretur periculum putrefactionis ſanctiſſimi ſacramenti, quod admonent omnes vitandum eſſe accuratiſſime: cauendum eſt etiam ne conſecrentur ſpecies panis in ea paruitate, vt poſt conſecrationem nequeant deſeruire communioni Chriſtianorum: diximus enim conſecrationem ordinari ad ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti.

Præſentia panis & vini eſt neceſſaria ſacerdotis conſecranti.

CONCLVSIO 2. *Species panis, & vini debent eſſe neceſſariò præſentes ſacerdoti conſecranti.* Primò, quia vſus hactenus obtinuit, vt ſpecies illæ conſecrentur tantũ à ſacerdote, quæ ſunt eidem præſentes, adeo vt ſi fuerint abſentes reſpectu ſacerdotis, conſecratio cenſeatur nulla, & inualida; vt communiter dicunt omnes in 4. diſt. 11. D. Thom. ad articulum 2. huius quæſtionis, hócque videtur colligi ex verbis iſtis; *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei*: pronomina ſiquidem iſta; *Hoc*, & *Hic*, de re abſente nunquam enunciantur, ſed tantum de præſente. Confirmatur. Pronomen, *Hoc*, in forma conſecrationis panis, ſignificat totum illud quod continetur ſub ſpeciebus indefinitè, & indeterminatè, vt dicetur alibi: ergo cum ſacerdos proferat verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, circa materiam quam conſecrat, debet hæc neceſſario eſſe præſens, vt valida ſit conſecratio.

Probatio 1.

Significatio pronominis, Hoc, & Hic, in forma conſecrationis.

2.

Secundo, Clemens VIII. definit abſolutionem datam abſenti eſſe nullam, & inualidam, cuius rei hæc aſſignatur ratio à plerisque Scholaſticis, quod ſacerdos inter abſoluendum debeat neceſſario retinere verba iſta; *Abſoluo te*, particula autem, *Te*, eſt pronomen demonſtratiuum, quod deſignat penitentem neceſſario debere eſſe præſentem ſacerdoti abſoluenti: ergo illud idem erit dicendum de ſpeciebus panis, & vini, cum conſecrentur per iſta verba; *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt calix ſanguinis mei.*

Vltima.

Denique, ſi materia abſens poſſet conſecrari à ſacerdote valide; ſequeretur panem vbique locorum exiſtentem conſecrari poſſe, poſita ſaltem hypotheſi, quod ſacerdos per ſpecialem reuelationem ſciret huiuſmodi panem in hac, vel in illa parte vniuerſi extare: at illatio huius antecedentis, à nullo fuit hactenus propugnata vel tradita, & quidem merito, ità enim ſequeretur panes iſtos irreuerenter tractari, & dari non ieiunis; quæ tamen omnia citra ſummam impietatem dici non poſſunt.

Species debent eſſe præſentes ſimpliciter.

CONCLVSIO 3. *Nedum ſpecies panis, & vini, conſecranda debent eſſe præſentes quoad aliquam ſui partem, ſed ſimpliciter & abſolutè quoad omnes partes*: quia nulla poteſt aſſignari ratio, cur vna pars potius, quàm altera debeat eſſe præſens, ad hoc vt conſecretur valide.

Digitized by Google

Deinde, de tota materia quæ conſecratur dicitur à ſacerdote; *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt calix ſanguinis mei.* ac proinde nedum pars eius aliqua, ſed omnes omnino demonſtrantur.

Tertiò, licet ſpecies conſecrandæ non ſint neceſſario manibus ſacerdotis attrectandæ, neque item oculis conſpiciendæ, debet tamen ſacerdos certo ſcire has ſpecies panis, & vini eſſe ſibi conſecrandas: ergo debent ſpecies ſecundum ſe totas eſſe præſentes.

Excitatur quæſtio. ROGABIS, *Quanam abſentia ſit vitandá, ſeu diſtantia; & quæ propinquitas retinenda, ad hoc vt ſpecies conſecrandæ cenſeantur eſſe præſentes.*

Satisfit. RESP. *De hac re nihil eſſe conſtitutum à Theologis Scholaſticis:* putarunt enim id eſſe relinquendum iudicio & exiſtimationi viri prudentis. Conuenit tamen fere inter omnes, ſpecies exiſtentes extra Eccleſiam, aut reſeruatas intrà murum in capſula aliqua plurimum diſtanti ab altari, aut à tergo ſacerdotis, non poſſe conſecrari; eo quod deſinant eſſe præſentes ſacerdoti: ſecus vero ſentiunt de illis ſpeciebus quæ ſunt ante faciem ſacerdotis, aut etiam ab vtroque latere eiuſdem in altari conſtitutæ, vel etiam ſuper altari poſitæ in pyxide etiam clauſa, quia per ipſam pyxidem eas continentem, ſatis patent aſpectui, vt poſſint per particulam (hoc) deſignari. Deinde idem eſt iudicium de omnibus ſpeciebus exiſtentibus in altari, in quo ſacerdos facit ſacrum; quod de cibis appoſitis menſæ, in qua aliquam refectionem ſumunt; at omnes cibi appoſiti menſæ, cenſentur eſſe præſentes conuiuis: ergo illud idem erit dicendum de ſpeciebus conſtitutis ad altare.

DVBITATIO QVARTA.

An quilibet panis poſſit à ſacerdote conſecrari.

Solus panis triticeus, eſt materia neceſſariaex qua corpus Chriſti effitur. CONCLVSIO 1. *Solus panis triticeus eſt materia conſecrationis corporis Chriſti, ac proinde ſolus quoque conſecrari poteſt per iſta verba;* Hoc eſt corpus meum. Primum, quia in decreto fidei quod extat poſt Concil. Florent. materia huius ſacramenti dicitur panis triticeus: loquitur autem de ſacramento Euchariſtiæ.

Probatio 1. Florent. Deinde, docuimus quæſtione antecedente, Chriſtum conſecraſſe in pane azymo, Luna 14. pridie quàm pataretur: at panis iſte azymus fuit triticeus, ex communi Doctorum ſententia; & colligitur ex multis locis Scripturæ ſacræ,

2. Suarez. quos citat Suarez diſp.44.

3. Catechiſ. Trident. Tertiò, in Catechiſmo Concil. Trident. vel potius authoritate Cõcilij edito, dicitur hanc eſſe traditionem, vt Euchariſtia conficiatur in pane triticeo azymo.

4. Hierony. Quartò, ità ſentiunt Patres: Hieronymus ad cap. 31 Hieremiæ, ad hæc verba. *Confluent ad bona Domini ſuper frumento,* &c. *De quo* (inquit) *conficitur panis Domini, qui de cælo deſcendit.* & ad hęc verba Iſaię 62. *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis,* &c. *Triticum* (inquit) *de quo panis cæleſtis efficitur, illud eſt de quo Dominus loquitur; Caro mea verè eſt cibus.* & Damaſc. lib.4. Damaſc. cap. 14. de fide, ſimile quid habet. D. Thom. art. 3. huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem D. Thom. omnes.

Non eſt aperte de fide CONCLVSIO 2. *Non eſt tamen de fide Catholica euidenter ſolum panem triticeum eſſe materiam conſecrationis corporis Chriſti.* Primò, quia nullus extat locus Scripturę ſacrę, in quo id expreſſum habeatur, neque colligitur euidenti & neceſſaria conſecutione.

ſolum panẽ triticeũ eſſe materiam conſecrationis corporis Chriſti.

Deinde, nulla extat de hac re definitio Eccleſię. Tertiò, D. Thom. art. 3. huius quæſt. putat conſecrationem corporis Chriſti poſſe fieri valide in pane ſiligineo, ſeu, quod idem eſt, confecto ex ſiligine. Moneo tamen me neſcire quænam ſit ſpecies iſta tritici, quæ à D. Th. ſiligo dicitur: quod enim Gallicè dicimus *ſegle,* à Latinis *ſecale* nominatur, in hoc autem grano non poteſt conſecratio corporis Chriſti fieri, idque quod ex veriori ſententia, ſecale ſit ſpecies diſtincta à tritico, ſeu frumento.

Aduerte.

Ex ſecale non poteſt fieri panis idoneus conſecrationi, nec ex fare, ſpelta, typha, & lolio.

Quarto. Sunt etiam qui ſentiant conſecrationem futuram validam in pane confecto ex ſpelta, fare, typha, & lolio; exiſtimant enim grana hæc eiuſdem eſſe naturę, & ſpeciei, cum tritico, quæ res non vacat difficultate: diuerſitas ſiquidem ſpecifica colligitur ex diuerſitate accidentium; accidentia autem granorum commemoratorum, ſunt omnia fere diuerſa ab accidentibus tritici.

4.

Deinde, non ſatis conuenit inter authores quęnam ſint iſta grana, ſpelta, & far. Tertio, licèt triticum conuertatur in lolium, & è contrà, non tamen propterea ſequitur neceſſario lolium, & triticum pertinere ad vnam, & eamdem ſpeciem; nam actione caloris naturalis, cibi in ſtomacho animalis accepti conuertuntur in chilum, & in iecore in ſanguinem; & in alijs partibus corporis in naturam, & eſſentiã cuiuſcumque partis nutritæ; nullus eſt tamen propterea qui audeat affirmare omnes iſtos cibos pertinere ad vnam, & eamdem ſpeciem, quando ſunt in ſtomacho.

Errantẽ ac temerarium aſſerere panem triticeum, non eſſe materiam conſecrationis corporis Chriſti.

CONCLVSIO 3. *Licèt non ſit de fide, ſolam ſpeciem tritici eſſe materiam conſecrationis corporis Chriſti, res tamen hæc accedit ad fidem Catholicam: ità vt ſine manifeſto errore, & temeritate nullus ſecus ſentire queat:* quia diximus Concil. Florent. vel potius Eugenium IV. ità docuiſſe in decreto fidei.

Probatio 1. *2.*

Deinde, quia conſuetudo vniuerſalis Eccleſię hactenus obtinuit, vt conſecratio corporis Chriſti, fuerit tantum celebrata in pane triticeo.

Ex iſtis colligitur, conſecrationem non poſſe fieri in pane confecto ex grano milij, hordei, aut etiam ex caſtaneis, glandibus, & alijs quibuſuis fructibus, & leguminibus: cum hæc non ſint triticum. Illud idem dicendum eſt de amido, maico, quo vtuntur noui orbis incolæ. Colligitur etiam Euchariſtiam non poſſe confici in maſſa, ex qua fit panis triticeus: nam quemadmodum farina eſt ſpecies diſtincta à grano, ex quo conſurgit, ità maſſa ſpecie diſtinguitur à pane, qui ex ea conficitur.

Quæſitum. ROGABIS 1. *An conſecratio corporis Chriſti valide fieri poſſit in quolibet pane triticeo;* eſt enim *panis triticeus alius azymus, alius verò fermentatus.*

Reſp. 1. Conſecratio valide fieri poteſt in pane azymo vel fermentato triticeo. RESPONDEO 1. *Conſecratio corporis valide fieri poteſt, tam in pane triticeo azymo, quàm fermentato.* Primùm, quia ità dicitur in litteris vnionis Eugenij IV. in Florent. *Declaramus,* inquit, *in azymo & fermẽtato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici.*

Probatio 2. Concil. Florent.

Deinde, ſunt qui referant Leonem IX. Pontificem Maximum orta hæreſi, Ebionitarum & Nazaręorum prohibuiſſe, ne Euchariſtia conficeretur in pane azymo; ſed tantum in fermentato, eo quod crederent hæretici iſti Euchariſtiam

Digitized by Google

ſtiam valide conſecrari, tantum poſſe in azymo pane triticeo: ità Claudius Sanctius repetitione 10. cap. 4. ex Richardo à S. Victore. Cæterùm res hæc non extat apud Richardum Victorinum, neque item legitur in epiſt. Leonis IX. aut in actis eiuſdem, ac proinde hæc non vacat ſuſpitione falſitatis.

Secundo. Certum eſt Græcos temporibus Leonis, & Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani conſtituiſſe Euchariſtiam confici poſſe, tantùm in pane fermentato; ac proindè appellaſſe Latinos azymitas, vt conſtat ex epiſtola 6. Leonis quæ eſt 9. ad Michaëlem Imperatorem Conſtantinopolitanum.

Tertio, conſecratio valide fieri poteſt in ea materia, quæ non diſtinguitur ſpecie ab ea materia, in qua Chriſtus conſecrauit: at panis fermentatus eſt eiuſdem ſpeciei cum azymo pane triticeo in quo Chriſtus conſecrauit, ex dictis quæſt. antecedente D. Thom. ergo.

Quarto, ex ſcripturis ſolum habemus Chriſtum conſecraſſe corpus ſuum in pane: ex traditione verò conſtat panem hunc fuiſſe triticeum, & azymum; cum ergo panis triticeus fermentatus non diſtinguatur ſpecie, ſed ſolo accidente à pane triticeo azymo, conſecratio in iſtis panibus valida conſurget: ità communiter omnes art. 4. huius quæſt. D. Th. & Sentent. in 4. diſt. 11.

Reſp. 2. Reſp. 2. Conſecratio facta in pane azymo triticeo magis accedit ad factum Chriſti, & eiuſdem inſtitutionem, quam ea quæ fit in pane fermentato triticeo. Primùm, quia diximus quæſt. antecedente D. Thom. Chriſtum conſecraſſe Luna 14. menſis Martij, eo anno quo paſſus eſt: at eo tempore nulli fuerunt panes triticei fermentati in ædibus Iudæorum, ex præcepto Moyſis, Exodi 12.

Exod. 12.

Deinde, panis azymus magis ſignificat puritatem, & munditiam, tum Chriſti, tum eorum, qui ipſius corpus ſumere contendunt; quàm faciat panis fermentatus: hic enim ſignificat peccata, & hominum malitiam, vt obſeruauit Leo IX. aliàs VIII. in epiſt. 6. cit. ad Michaëlem Imperatorem, & ex illo cap. 5. Corinth. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi*, &c.

Leo. 1. Cor. 5.

Tertiò, prohibet Deus in veteri Teſtamento, ne ſibi offerantur oblationes fermentatę; ſed tantum azymæ, Leuit. 2. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiat*: ità fatentur doctores Latini Græcis exceptis, & hæreticis noſtri temporis qui proinde,

Leuit. 2.

Obiectio 1. Obijciunt, panem in quo Chriſtus conſecrauit appellari Græce, ἄρτος, à verbo, ἀείρω, quod idem eſt, atque attollo; panis autem fermentatus attollitur; non verò azymus.

2. Præterea vſus aymorum lege Moſaïca fuit introductus; hæc autem Chriſti morte fuit antiquata.

3. Denique, Chriſtus conſecrauit, vel in vino tantum albo, vel in alio, & tamen liberum eſt conſecrare ſanguinem Chriſti in altero ex duobus iſtis, idque inculpate: ergo idem erit dicendum de pane triticeo fermentato, aut azymo.

Diſſolutio obiectionis. Reſpondeo, obiectionem 1. nihil planè dicere: nam indubitatum eſt panem azymum attolli, licet non ità facile, neque ad tantam quantitatem ad quam attollitur panis fermentatus.

1. Deinde, differentia hæc non inducit diuerſitatem ſpecificam, ſed tantum accidentariam, quia tamen conſtat traditione, Chriſtum conſecraſſe in ſolo pane triticeo azymo, ideo conſuetudo hæc retinenda eſt.

Ad 2. vſum panis azymi ſimpliciter non pertinere ad legem Moſaïcam: ſed tantũ à Luna 14. ad 21. vſque menſis Martij; ac proinde, quoad hæc abrogatus fuit vſus azymorum interueniente morte Chriſti, manſit autem, & manebit vſque ad finem mundi vſus azymorum conſecrationis corporis Chriſti, quidquid dicant hæretici. 2.

Ad vltimam. Propterea libere ſanguinem Chriſti conſecrari in vino albo vel rubro; quia non conſtat, vel ſcriptura, vel traditione, vel Eccleſiæ authoritate in quonam vino Chriſtus conſecrauerit: certũ autem eſt Chriſtum confeciſſe Euchariſtiam in pane triticeo azymo, ac proinde in hoc tantum pane conſecratio debet fieri. 3.

Reſp. 3. Non licet ſacerdoti Latino conſecrare niſi in ſolo azymo, neque Græco niſi in fermentato, in ſuis propriis Eccleſijs.

RESPONDEO 3. *Licet ſacerdoti Latino conſecrare Chriſti corpus, ſolo tantùm pane azymo, ſicut ſacerdoti Græco, tantùm in fermentato, ſaltem quando agit in Eccleſia Græca.* Primùm, quia in vnionis decreto Eugenij IV. ſupra cit. verbis expreſſis dicitur, ſacerdotem in Euchariſtia conficienda, non debere mutare ritum ſuæ Eccleſiæ, nec ſimiliter Græcum vſum Eccleſię Græcę: certum autem eſt ex Concil. Florent. Græcos conficere corpus Chriſti in pane fermentato.

Deinde, in Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 9. præcipitur vt in omnibus illis locis in quibus dantur Chriſtiani diuerſo ritu Deũ colentes, conſtituantur ſacerdotes docti, & idonei, qui ſacramenta illis adminiſtrent Chriſtianis iuxta ritum, & conſuetudinem ſuæ gentis, & nationis.

Probatio 1. 2. Lateranẽſ.

Tertiò. Sunt qui affirment Patres Græcos & Latinos Ferrarię, itémque Florentię congregatos confeciſſe Euchariſtiam iuxta vſum Eccleſię Latinę, & Græcę: ità vt quilibet morem geſſerit conſuetudini ſuę Eccleſię: & videtur colligi ex principio Concil. Florent. 3.

Degradatur Sacerdos qui Brixiæ in fermentato cõſecrauerat. Quart⁹, in cap. litteras. de celebratione Miſſarum, ſacerdos Latinus, qui Brixiæ in pane fermentato conſecrauerat, decreto Honorij Pontificis Maximi, deponitur, & degradatur: hoc autem non præcepiſſet Pontifex, niſi grauem aliquam culpam ſacerdos iſte admiſiſſet. Ità recentiores fere omnes, ad 4. huius quæſt. D. Thomę.

Obiectio. Obijcies, neminem poſſe haberi Schiſmaticum ſine peccato: Græcos autem eſſe Schiſmaticos conuenit inter omnes.

Solutio. Cur Græci ſint ſchiſmatici. Reſp. Græcos non propterea cenſeri Schiſmaticos, quod conficiant Euchariſtiam in pane fermentato; conſtat enim hoc illis eſſe licitum ex Concil. Florent. loco cit. ſunt ergo Græci Schiſmatici in eo, quod doceant Latinos non conficere Euchariſtiam in pane azymo.

Interrogatio 2. QVAERES 2. *An ſaltem cogente extrema neceſſitate poſſit ſacerdos Latinus Euchariſtiam conficere in pane fermentato.*

Reſponſio illicitum eſſe Latino ſacerdoti in extrema etiam neceſſitate, in pane fermentato cõſecrare. Reſp. negatiue: dicimus enim ſuſceptionem ſanctiſſimi ſacramenti non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, neceſſitate medij, ſed tantum neceſſitate præcepti; ac proinde obligare præceptum hoc, quando Euchariſtia commode haberi poteſt: certum autem eſt Euchariſtiam commode haberi non poſſe, quando non datur panis azymus ad hoc vt à Sacerdote Latino conficiatur.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, extare præceptum diuinum de Euchariſtia ſumen-

Ioann. 6. da. Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem*, &c. præceptum autem de Euchariſtia conficienda in pane azymo reſpectu ſacerdotis Latini eſſe tantum de iure humano poſitiuo: ergo cum ius diuinum maiorem inducat neceſſitatem, quàm humanum, poſitâ extremâ neceſſitate, poterit ſacerdos Latinus conſecrare in fermento: & item Laïcos communicare in iſtis ſpeciebus ſine culpa.

Solutio. Præcepta diuina interdum ab Eccleſia modificantur.

Reſp. præceptum hoc de Euchariſtia conficienda modificari authoritate Eccleſiæ; illâ eâdem ratione, quâ modificatur præceptum diuinum de ieiunando, & orando: quare quemadmodum dicimus præcepta de ieiunio ſeruando, & de Deo colendo, eatenùs obligare, quatenus dictat modificatio Eccleſiæ; ità præceptum diuinum de Euchariſtia frequentanda, eatenus obligat, quatenus Eccleſia definiuit, & determinauit: hæc autem docet obligare præceptum diuinum de Euchariſtia ſumenda Latinos, quando ſpecies panis azymi conſecratæ dantur, vel certè quando conſecrare poſſunt, & occurrit feſtum Paſchatis, vel etiam imminens periculum probabile vitæ, vt pluribus alibi explicabitur.

DVBITATIO VLTIMA.

An quodlibet vinum poſſit eſſe materia conſecrationis calicis.

Varij errores Hæreticorum.

SVNT de hac re duo errores ex omni parte oppoſiti. Aquariorum, videlicet, Taranorum, & Ebionitarum, referente Epiphanio hæreſi 38. & 46. & D. Auguſt. lib. de hæreſibus; Prateolo, Alphonſo à Caſtro, & ceteris qui de hæreſibus ſcripſerunt: exiſtimarunt enim iſti ſolam aquam naturalem eſſe materiam conſecrationis ſanguinis Chriſti: contrà vero Armenij putauerunt ſolum vinum eſſe conſecrandum intrà calicem à ſacerdote ſacrificante.

Vinum vitigeneum, eſt materia ſimpliciter neceſſaria conſecrationis calicis. Probationes

CONCLVSIO 1. *Materia ſimpliciter neceſſaria ad conſecrationem calicis, & ſanguinis Chriſti, eſt ſolum vinum, ex vuis vitium confectum.* Primùm, quia in decreto Eugenij IV. quod extat poſt Concil Florent. ſic habetur, *Materia*, inquit, *huius ſacramenti eſt panis triticeus, & vinum de vite*: & in Trident. ſeſſ. 15 cap. 3. ſimile quid dicitur, & de conſecratione diſt. 2. can. Non oportet; & can. In ſacramento, & can. in ſanctificando, & in cap. firmiter, de ſumma Trinitate.

1.

2. Deinde, ſancti Patres docent, quod quemadmodum Melchiſedech obtulit Deo in ſacrificium panem, & vinum; ità quoque ſacerdos ſacrificium altaris conficere debet in pane, & vino; in hoc quippe, vi verborum iſtorum; *Hic eſt calix ſanguinis mei*; ponitur ſanguis Chriſti vere, & de facto: in illo vero, vi iſtorum verborum; *Hoc eſt corpus meum*, corpus eiuſdem Chriſti: ità verbis expreſſis Hieronymus in epiſt. ad Euagrium 126. *Neque* (inquit) *Melchiſedech, carnis & ſanguinis victimas immolauit, & bruterum animalium ſanguinem, dextra ſuſcepit, ſed pane & vino ſimplici, puróque ſacrificio, Chriſti dedicauit ſacramentum*: D. Auguſt. cap. 22. lib. 16. de Ciuit. *Primum* (inquit) *apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè poſt hoc factum dicitur ad Chriſtum per Prophetam; Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Hieron.

Auguſt.

Tertio. Ea eſt materia conſecrationis ſanguinis Chriſti in qua Chriſtus conſecrauit calicem; at Chriſtus conſecrauit calicem in vino vitis, ex cap. 22. Luc. & 26. Matth. & Marci 14. peracta ſiquidem conſecratione ſanguinis, ità Apoſtolos alloquitur: *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Maior ex eo patet, quod fateantur omnes materiam & formam cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis à Chriſto eſſe neceſſario inſtituram, quemadmodum ſolus Chriſtus eſt author gratiæ, quæ nobis per ſacramenta datur, veluti per inſtrumentis efficacia, vt docuimus in tractatione de ſacramentis in genere: ità communiter omnes cum D. Th. art. 5. huius quæſt, & Sententiarij in 4. diſt. 11. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.

Armacanus contrarium.

Armacanus contrariam ſequitur ſententiam, putat enim conſecrationem ſanguinis Chriſti non poſſe fieri niſi in vino aqua permixto, idque quod Chriſtus hac ratione ſanguinem ſuum conſecrauerit, & quod Patres plerique doceant conſecrationem ſanguinis non poſſe fieri, niſi in vino aqua diluto.

Reijcitur Armacanus & fundamentum diſſoluitur.

Reſp. ea omnia quæ Chriſtus præſtitit in Euchariſtia conficienda, non eſſe de neceſſitate eiuſdem, vt colligitur ex eleuatione oculorum, ex ablutione pedum diſcipulorum, & denique ex hora in qua Euchariſtiam inſtituit, ſed ea tantum ſunt de neceſſitate ipſius, quæ habent rationem materiæ, formæ, & miniſtri: tria namque hæc pertinent ad materiam, & eſſentiam cuiuſlibet ſacramenti, vt docet Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. aqua autem non pertinet neceſſariò ad materiam conſecrationis ſanguinis Chriſti, ex opinione omniù plane Patrum, Concil. & Scholaſticorum Theologorum, ſed tantum ad ſolemnitatem materiæ: quare quando Patres aliqui docent ſanguinem Chriſti non poſſe confici, niſi in vino, quod habeat admixtam aquam, intelligendi ſunt non quidem ſimpliciter, ità vt conſecratio ſanguinis conſurgere nequeat ſine admixtione aquæ, ſed quia non fit tunc conſecratio ſanguinis Chriſti, quin peccet Sacerdos mortaliter, quoties conſecrat in vino ſine admixtione aquæ, ità vt admixtio aquæ ſit de neceſſitate præcepti iuris humani, non autem de neceſſitate ſacramenti: de qua re ſequenti Concluſione.

Aqua ad ſolemnitatem vel integritatem materiæ calicis ſpectat, non verò ad eſſentiam.

Vino conſecrãdo aqua eſt miſcenda, & cur?

CONCLVSIO 2. *Vinum ità eſt materia conſecrationis ſanguinis Chriſti, vt tamen non debeat hoc conſecrari à ſacerdote, niſi fuerit aqua permixtum.* Primùm, quia ità præcipiunt ſacra Concil. Carthagineuſe III. cap. 24. *In ſacramentis corporis, & ſanguinis Domini, nihil amplius offertur, quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum*: Concil. IV. Aurelianenſe cap. 4. *In oblatione ſacri calicis nihil offeratur, niſi quod ex fructu vineæ ſeparatur, nec ſine aqua offerre præſumat: quia ſacrilegium indicatur aliud offerre, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit*: Concil. Antiſiodorenſe cap. 7. *Non licet*, inquit, *in altario in ſacrificio diuino mellitum, quod muſſum appellant, nec vllum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum offerre*: & Synod. VI. Conſtant. cap. 28. & 32. idem planè docuit.

Concil. Carthag. 3.

Concil. Aurelianenſe 4. *Probationes* 1.

Concil. Antiſiodo. 6. Synod. Conſtant. 2.

Secundò, ità tradunt Patres Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarchiæ, Iuſtinus Martyr in apologia ad Antoninum Imperatorem; *Offertur*, in-

Dionyſ. Iuſtinus.

Digitized by Goog

quit, *panis, & poculum aqua, & vini.* Clemens Alexand. lib. 4. ſtromatum, Irenæus, lib. 5. contra hæreſes, Cyprian. epiſt. 63. & ſerm. de cœna Domini, Hieronym. ad cap. 26. Matth. Ambroſ. 4. de ſacramentis. cap. 5. *Ante*, inquit, *verba Chriſti calix eſt vini, & aqua plenus; vbi verba Chriſti operata fuerint ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* & lib. 5. cap. 10. de ſacramentis, *Diximus*, inquit, *quod in altari conſtituitur panis, & calix, in calicem mittitur vinum, & quid aliud? aqua*, &c. D. Auguſtinus tract. 120. in Ioann. ad illa verba: *Vnde exiuit ſanguis & aqua: ille ſanguis, in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa, ſaluare illud temperat poculum; hæc & lauacrum præſtat & potum.*

Clemens. Alexand. Irenæus. Cyprian. Ambroſ. D. Auguſt.

A

B

3. Tertiò, Omnis Chriſti actio cenſetur eſſe noſtra inſtructio, ex Greg. Mag. at Chriſtus inter conſecrandum calicem, aquam vino admiſcuit, vt author eſt Clemens Romanus lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolic. cap. 12. his verbis: *Similiter & calicem poſtquàm miſcuit ex vino, & aqua, & ſanctificauit, dedit diſcipulis dicens, Hic ſanguis meus.* & Irenæo, lib. 4. contra hæreſes & denique Cypriano loco proximè citato.

Clem. Ro. Cyprian.

Obiectio. Obiicies, veritatem figuræ debere reſpondere: Melchiſedech autem cuius ſacrificium, fuit figura ſacrificij Chriſti obtulit tantum panem, & vinum: ergo.

Reſponſio. Reſpondeo, veritatem debere figuræ reſpondere, non quidem in omnibus; ſed in aliquibus; Chriſtus autem panem, & vinum de facto obtulit, quemadmodum, & Melchiſedech: ceterum adiecit aquam vino propter ſignificationem, & repræſentationem illius aquæ, quę fluxit ex latere ipſius in cruce. Deinde Chriſtus panem, & vinum obtulit, non quidem preciſe & ſimpliciter, ſed panem & vinum de facto conuerſa in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui: ac proinde ſacrificium Chriſti reſpondet quantum ſatis eſt ſacrificio Melchiſedech.

C

Aquæ vino permiſcendæ, debet eſſe modica. Conclvsio 3. *Aqua permiſcenda eſt vino conſecrando, debeique eſſe in parua quantitate.* Primò, quia in cap. Pernicioſius. de celebratione Miſſarum, conceptis verbis prohibetur, ne plus aquæ, quam vini intrà calicem, mittatur. Deinde Eugenius IV. in decreto fidei, præcepit; vt aqua modiciſſima fundatur intrà calicem; tres guttulæ aquæ, modo ſint ſenſiles verè & phyſicè ſufficiunt ad repræſentationem paſſionis Chriſti, & illius aquæ quæ fluxit ex latere eiuſdem vnà cum ſanguine.

D

Tertiò, aqua quæ apponitur intra calicem debet prius conuerti in vinum, quàm poſſit in ſanguinem Chriſti mutari: ſolum enim vinum eſt materia conſecrationis ſanguinis Chriſti: ergo, &c.

Quarto, qui plus aquę quàm vini in calicem fundit, hic materiam ſacramenti facit, vel nullam, vel dubiam.

E

Aqua calici miſcetur ex præcepto Eccleſiæ tantum. Conclvsio vltima. *Aqua eſt vino permiſcenda præcepto non diuino, ſed humano Eccleſiaſtico:* ità docent communiter omnes in 4. diſtinct. 11. & Soto diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 6. Gabriel lect. 33. in canon. Miſſę.

Concil. Trident. Concil. Florent.

Deinde, propter hanc cauſam Concil. Trident. ait rem hanc eſſe ab Eccleſia conſtitutam, & Concil. Florent. non propterea damnat Armenos quod prætermitterent vſum aquæ inter ſacrificandum contra præceptum diuinum: ſed quod recederent ab Eccleſiæ conſuetudine.

Tertio, ſi admixtio aquæ eſſet de præcepto diuino, nulla poſſet aſſignari ratio, cur hęc non eſſet de neceſſitate ſacramenti: neceſſitas quippe ſacramenti conſurgit ex inſtitutione, & præcepto Chriſti in ceteris aliis ſacramentis, omnium fere conſenſione: igitur, &c.

Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ, Patres, itémque Concilia affirmare, præceptum de aqua mittenda intra calicem cum vino, eſſe præptum ſanctiſſimum Saluatoris, inſtitutionem, traditionémque diuinam.

Explicantur Patres & Concilia. Cur permixtio aquæ dicitur præceptum & inſtitutio Chriſti. Reſpondeo, Patres iſtas loquutiones ideo retinere, quod mixtio aquæ cum vino conſecrandæ fuerit ab Eccleſia introducta, imitatione Chriſti conſecrantis ſanguinem ſuum: hic enim vere aquam vino conſecrando permiſcuit, vt conſtat ex Patribus ſupra citatis, non autem quod de hac re præceptum vllum dederit.

Deinde, non omnia quæ Chriſtus præſtitit in conſecratione ſanguinis; pertinent ad eſſentiam ſacramenti, ſed vinum, & verba iſta; *Hic eſt calix*, &c. hoc autem conſtat traditione, & communi doctorum ſententia, qui agnoſcunt ſolum vinum eſſe materiam conſecrationis ſanguinis Chriſti.

Quæres. Reſponſio. Rogabis, *quando præceptum hoc fuerit ab Eccleſia introductum.* Reſpondent aliqui id factum fuiſſe circa annum Chriſti 121. ab Alexandro I. Pontif. Max. vt colligi videtur ex canon. 10. de conſecratione diſt. 2.

Ceterum, hæc opinio vacat omni plane probabilitate. Primo, quia Alexander aperte dicit ſe à Patribus, & ab Apoſtolis didiciſſe hanc miſtionem eſſe faciendam.

Quando præceptum miſcendi aquam vino inceperit, Secundo, Clemens Romanus ante Alexandrum vixit, & tamen hic cap. 13. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum verbis expreſſis habet; ſanguinem Chriſti non conſecrari ſuo tempore ſine vino aqua permixto.

Tertio, ſacra Concilia, maxime verò Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 7. dicunt conſecrationem ſanguinis Chriſti in vino aqua permixto continere imitationem facti Chriſti.

Quarto, plerique Patres referunt inter traditiones diuinas vſum conſecrandi ſanguinem Chriſti in vino aqua permixto.

Renouauit hoc præceptum Alexander Papa. Denique, ex canon. illo 1. de conſecratione diſtinct. 2. ſolùm colligitur Alexandrum I. renouaſſe conſuetudinem de ſanguine Chriſti conficiendo, ſub ſpecie vini aqua permixti, non autem primum hanc rem inſtituiſſe, idque propter Ebionitas, qui eo tempore graſſabantur, & in eo erant errore vt Euchariſtiam conficerent in ſolo pane, & in aqua tantùm.

Præceptum permiſcendi aquam vino conſecrando, ab ipſis Apoſtolis originem duxit. D. Auguſt. Reſpondeo igitur, præceptum hoc habuiſſe ortum vnà cum religione Chriſtiana: idque opera Apoſtolorum, & ab illa regula à D. Auguſtin. tradita epiſt. 118. ad Ianuarium: *Qua*, inquit, *vniuerſalis obſeruat Eccleſia, & quorum prima inſtitutio ignoratur, hæc vel ab Apoſtolis ipſis, vel à plenariis Conciliis, quorum ſalubberrima eſt authoritas conſtat eſſe inſtituta: hæc autem in dubium reuocare, apertiſſimæ inſaniæ eſt.*

Corollarium. 1. Vna non expreſſe deficiunt à materia Euchariſtiæ. Ex dictis colliges, ſanguinem Chriſti non poſſe conſecrari in granis vuarum, quantumuis humor in illis contentus ad maturitatem peruenerit, vt dicitur verbis expreſſis in canon. cùm omnes, & canon. didicimus, de conſecratione. diſtinct. 2.

Deinde, quia humor contentus in huiuſmodi

granis vuæ, non eſt potabilis, ſed potius comeſtibilis; materia autem conſecrationis ſanguinis Chriſti debet eſſe vinum vitis potabile: ex illo Ioan. 6. Ioan. 6. *Sanguis meus verè eſt potus*, & Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.*

Corollarium. 2. *Agreſta ſiue omphacium non poteſt eſſe materia huius ſacramenti.* *Acetum & nectar valide conſecrari non poſſunt.* Colliges 2. non poſſe conſecrari ſanguinem Chriſti in omphacio, propter cruditatem, & acerbitatem: & quod ad naturam, & eſſentiam vini non peruenerit, vt admonet D. Thom. art. 5. huius quęſtionis, nec item in aceto, vino cocto, & nectare: hęc enim tria, licet aliquam vini naturam habuerint, de facto tamé non aſſequuntur, vt colligunt plerique de aceto ex lib. 8. Metaph. Ariſt. textu 11. & tradit D. Thom. art. 5. Ac proinde quando legitur apud Innocentium III. & alios nonnullos, conſecrationem ſanguinis Chriſti futuram eſſe validam in aceto: hoc applicandum venit de vino, quod incipit aceſcere; non vero de eo quod vere, & de facto formam aceti conſequutum eſt: cauere tamen debet ſacerdos ne conſecret in vino acetoſo, idque propter periculum ſacrilegij, cui ſe exponit quandocumque in huiuſmodi vino conſecrat. ità communiter omnes in 4. diſtinct. 11. dum docent vinum coctum feciſſe iacturam ſubſtantiæ naturalis vini, & nectar propter actionem caloris naturalis ignis, & admixtionem Cinnamomi, & ſacchari, aliarumque rerum.

Tacita obiectio. *Eius ſolutio.*

Vinum congelatum valide conſecratur. Sunt tamen qui dicant conſecrationem ſanguinis Chriſti futuram validam in vino congelato, idque quod ſit vere vinum naturale.

Deinde, quod regulæ Miſſalis præcipiant ſi contigerit ſanguinem congelari facta conſecratione, ſoluendam eſſe glaciem mediis pannis quibuſdam calidis, vel apponendo calicem intrà vas plenum aqua calida; non præcipiunt autem, vt ſoluta glacie iteretur conſecratio.

Tertio, glacies facile ſoluitur in ſpecie vini conſecrati apponendo huiuſmodi ſpeciem intrà os: quare habet rationem potus. Denique ſunt qui fateantur in extrema neceſſitate ſatius eſſe baptizare paruulum in glacie aut niue, quàm permittere, vt ſine vllo baptiſmo pereat: monent tamen omnes glaciem eſſe prius ſoluendam, quam conſecretur ſanguis, quia grauiter peccaret, qui tale vinum congelatum conſecraret.

Muſtum retens ex vuis expreſſum, nondum defecatum poteſt valide conſecrari. Addunt denique conſecrationem ſanguinis futuram validam in muſto non defecato, ſeparato tamen ab acinis: ità dicitur expreſſe in cap. Cùm omne crimen, de conſecratione. diſtinct. 2. Deinde, quia vſus multarum Eccleſiarum obtinuit, vt ex oblatis vuis feria 6. Auguſti, exprimatur humor ab huiuſmodi vuis ad hoc vt poſteà conſecretur in eo ſanguis Chriſti, quæ conſuetudo non eſt noua: meminit enim illius tertius, aut vt habet alia lectio 4. canon. Apoſtolorum. Vide plura de hac re apud Viualdum in Candelabro aureo: verbo, *Euchariſtia.*

Obiectio. 1. Obiiciunt Armilla, & Alanus. Primò, quia vinum dum congelatur ſubſtantialiter corrumpitur: ſed in vino corrupto non fit validè conſecratio: ergo neque in vino congelato.

2. Secundò, quia materia conſecrationis calicis debet eſſe potabilis; ſed vinum congelatum non eſt potabile: ergo.

3. Tertio, non poteſt fieri conſecratio in fecibus vini, ſed maxima pars muſti ſunt feces: ergo in illo nequit validè confici ſacramentum.

Reſponſio. 1. Ad 1. negatur maior, quia experientia conſtat vinum non corrumpi ſubſtantialiter quando congelatur, ſicut nec aqua, oleum & alij liquores; nam poſteà ſoluto gelu experimur eſſe verum vinum, aquam, oleum, & ſic de reliquis; communiter tamen per congelationem amittitur aliquid virium, & fit mutatio quædam accidentalis, ob quam non deſinit eſſe materia conſecrationis; ſi vero congelatio tanta eſſet vt mutaret ſubſtantialiter, tunc non eſſet materia ſufficiens conſecrationis.

Ad 2. Reſpondeo, conceſſa maiore, diſtinguo minorem: vinum congelatum non eſt potabile in actu ſecundo concedo minorem: in actu primo, ſiue ex ſua natura non eſt potabile, nego minorem, & hoc ſufficit vt vinum congelatum ſit materia proxima conſecrationis, quia hæc non conſiſtit in vſu ſacramenti, vt baptiſmus, ſed in confectione eiuſdem. 2.

Ad 3. Reſpondeo, conceſſa maiore negatur minor; licèt enim muſtum habeat aliquas fæces admiſtas, ac proinde peccaret qui ſine neceſſitate illud conſecraret; tamen quia eſt verum vinum vitigeneum, in neceſſitate licet in eo conſecrare, vt expreſsè docet Iulius Papa in epiſt. ad Epiſc. Ægypti, cap. cùm omne. 3.

QVÆSTIO LXXV.

De effectis Euchariſtia, ſeu conſecrationis panis, & vini.

ARTICVLVS PRIMVS.

An corpus Chriſti ſit in Euchariſtia.

DVBITATIO PRIMA.

An corpus Chriſti facta conſecratione panis, verè & realiter ſit ſub accidentibus panis.

Deliramenta hæreticorum. SACRAMENTARII noſtri temporis, qui ortum habuerunt ab Andrea Caroloſtadio circa annum Chriſti 1524. aut vt alij volunt 25. fatentur corpus Chriſti facta conſecratione repræſentari tantum ſub ſpeciebus panis, & vini, non autem vere, & realiter contineri, vt referunt Prateolus de vitis, & ſectis hæreticorum verbo, *Caroloſtadius*: Bellarminus lib. 1. de Euchariſtia cap. 1. Coccius art. 1. de Euchariſtia tomo 2. ſuorum operum. Alphonſus à Caſtro, verbo, *Euchariſtia*, & alij plerique. Andrea Caroloſt. Prateol. Bellarm.

Placuit, & hæc eadem hæreſis Caluino lib. 4. ſuarum Inſtitutionum cap. 17. & lib. cui titulus eſt, de ſuo conſenſu in re ſacramentaria cum Tigurinis: verba ſiquidem iſta; *Hoc eſt corpus meum:* ità explicat, id eſt ſignificat corpus meum. Addit lib. proxime cit. corpus Chriſti ſedere tantum in dextera Patris, ſymbola vero ſeu ſpecies conſecratas, reperiri tantum in terra: ac proinde concludit tantum diſtare corpus Chriſti à ſacramento Euchariſtiæ, quantum diſtat cœlum à terra: Caluinus.

non

non tamen ſibi cohæret: cap. quippe 19. lib. 4. Inſtitutionum per multas ſectiones docet, corpus Chriſti ſumi realiter & ſubſtantialiter quoties ſymbola conſecrata ſumuntur à nobis, cæterum per fidem, vnde docere videtur corpus Chriſti contineri in Euchariſtia magis quàm in re ſignificante: ſubiungit ſignum, & ſignificatum ſimul coniungi, & ſtare poſſe: ſymbola autem eſſe ſigna corporis Chriſti. Anno vero Chriſti 1370. Ioannes Hus in Anglia ſimile quid docuit, vt tradit Æneas Syluius, qui poſtea dictus eſt Pius 2. Pontif. Maxim. lib. de origine Bohemorum cap. 15. & Berengarius Archidiaconum Eccleſiæ ſancti Mauricij Andegauenſis anno circiter 1050. vt referunt Guidmundus Lanfrancus, eiuſdem contemporaneus eâdem plane hæreſim in Gallia primus euulgauit: habuit & hæc eadem culpa, vindices multos alios hæreticos, vt videre licet apud Coccium, & Bellarminum locis cit. & apud Claudium Sanctium in ſuis repetitionibus de Euchariſtia.

Berengarius.

Fundamenta Nouatorum.

Probant Sacramentarij innumeris argumentis: ceterum quæ pertinent ad rem præſentem, hæc paucula ſunt.

1. Primo, verbum, *Eſt*, eadem plane ratione debet explicari in verbis conſecrationis panis, & calicis, quibus Chriſtus eſt vſus inter conſecrandum, atque in iſtis propoſitionibus; *Ego ſum oſtium.* Ioan. 10. *Ego ſum vitis*, Ioan. 15. *Semen eſt verbum Dei.* Matth. 11. *Petra autem erat Chriſtus.* 1. Corinth. 10. nam duo priora loca ab ipſomet Chriſto proferuntur, quemadmodum & verba conſecrationis: certum autem eſt particulam, *Eſt*, in locis proxime citatis non poſſe ſumi iuxta formalem ſuam ſignificationem, ſed tantum ſecundum figuratam: neque enim Chriſtus eſt vere & formaliter oſtium, neque vitis; ſed ſignificatur per oſtium, & vitem: ergo verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, ita ſunt intelligenda: hoc ſignificat corpus meum.

Ioan. 15. Matth. 11.

Confirmatio.

Confirmant ex verbis quæ ſubſequuntur conſecrationem apud Lucam 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & cap. 11. prioris ad Corinth. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc*, &c. Ex quibus colligunt totam ſacramenti inſtitutionem referendam eſſe in paſſionis Chriſti repræſentationem.

Luc. 22.

2. Secundum argumentum. Sancti Patres, verbis expreſſis habent Chriſtum non dediſſe corpus ſuum verum, & reale in ſua cœna Apoſtolis, ſed tantum eius ſignum: ità D. Auguſtin. lib. contra Adimantum Manichæi diſcipulum cap. 12. *Dominus*, inquit, *non dubitauit dicere, hoc eſt corpus meum: cum ſui corporis daret ſignum*: & in enarratio. Pſalm. 3. *Miranda Domini patientia, quòd Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis, & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit, & tradidit.* & Tertullian. lib. 4. aduerſus Marcionem. cap. 40. *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum ipſum effecit dicendo, Hoc eſt corpus meum, hoc eſt figura corporis mei.* Confirmant. Patres verbis expreſſis docent corpus Chriſti in Euchariſtia repreſentari: ità Hieronym. ad caput 26. Matth. ſuper iſta verba: *Accipite & comedite hoc eſt corpus meum. Poſtquàm*, inquit, *typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſcha tranſgreditur ſacramentum, vt quomodo in prafiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentaret*, ergo quod repræſentatur in Euchariſtia non eſt in eodem realiter: neque enim imago cum ſuo prototypo in eodem plane loco conſiſtit.

D. Auguſt. Tertull. Luc. 22. Matth. 26.

Vltimma hæreticorum fundamentum. D. Auguſt.

Tertio, prohibet Chriſtus ſtrictiſſime, ne quis aſſentiatur ei qui dicit corpus eiuſdem eſſe hîc, vel illic, Matth. 14. *Si quis vobis dixerit, hîc eſt Chriſtus: nolite credere*: ergo non eſt credendum eſſe ſub ſpeciebus conſecratis: non enim hoc poteſt eſſe verum niſi de corpore Chriſti, dicatur eſſe hîc, & in illo loco.

Vltimo, Chriſti corpus ità ſedet in dextera Patris, vt ab ea non recedat ante diem iudicij, ex ſymbolo Apoſtolorum: *Sedet ad dexteram Patris, & ex D. Auguſt. tract. 30. in Ioannem. Donec ſeculum finiatur ſurſum eſt Dominus; corpus enim (Domini) in quo reſurrexit, in vno loco eſſe poteſt: veritas eius vbique diffuſa eſt*: & in epiſtola ad Dardanum 57. *Noli dubitare ibi eſſe nunc Chriſtum Ieſum hominem, vnde venturus eſt, ad mortuos, viuoſque iudicandos.*

Corpus & ſanguis Chriſti conſecratione peracta eſt ſub ſpeciebus verè & realiter.

Concil. Roman. Vercell. Turonenſ.

Albigenſes.

Concil. Lateran.

Conſtantienſe.

Florent.

Trident.

Reuincuntur hæretici locis ſcripturæ.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Conclvsio 1. *Corpus Chriſti facta conſecratione verè, realiter, & ſubſtantialiter eſt totum ſub ſpecie panis conſecrata: idem dicendum eſt de ſanguine poſita conſecratione vini*: hæc eſt de fide, poſita contra Berengarium in Concil. Rom. & Vercellenſi ſub Leone IX. celebratis, quæ tamen perierunt temporis iniuria, citantur vero ab authoribus qui ſcripſerunt contra Berengarium, & in Concil. Turonenſi ſub Nicolao II. celebrato, vt pluribus probat Baronius ad annum Chriſti 1050. contra eos qui putant conuocatum fuiſſe hoc Concilium ſub Vrbano II. In hoc abiurauit hæreſim ſuam Berengarius, vt conſtat ex Gratian. de conſecratione, diſtinct. 2. canon. Ego Berengarius, & denique in Concil. Roman. 6. celebrato ſub Gregorio VII. in eo ſiquidem conſtitutus Berengarius proprio ore, hæreſim ſuam vltimo abiurauit, ex actis ipſius Concil. quę extant tomo 3. Concil. parte 2. pagina mihi 1186. Poſteà vero Concil. Lateranenſe ſub Innocent. III. (& refertur in cap. firmiter. de ſumma Trinitate, & fide Catholica) contra Albigenſes, & Almaricum, aut, vt alij putant Americum, definiuit ſimiliter corpus Chriſti vere contineri in Euchariſtia *Chriſti*, inquit, *corpus, & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini, verè continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina: vt ad percipiendum myſterium vnitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro*: & in Concil. Conſtant. contra Ioannem Hus ſeſſ. 13. ità dicitur, *Firmiſſime credendum & nullatenus dubitandum integrum Chriſti corpus, & ſanguinem, tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri.* & in Concil. Florent. ſeſſ. vltima: *Ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis, & ſubſtantia vini in corpus, & ſanguinem Chriſti conuertuntur*, & denique Trid. ſeſſ. 4. can. 1. contra Lutherum, Caluinum, & alios huius generis hæreticos, dicitur: *Si quis negauerit, in ſanctiſſimo Euchariſtia ſacramento contineri vere, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute: anathema ſit.*

Ceterum, quia hæretici non recipiunt ſacra Concilia, ideo res hæc rationibus petitis ex ſacris literis probatur. Prima, ſumitur ex verbis Chriſti: Marci 14. Luc. 22. Matth. 26.

1.Cor. 11. & 11. prioris ad Corinthios: dicitur enim iſtis in locis Chriſtum conſtitutum in vltima cœna cum Apoſtolis, accepiſſe panem præ manibus, & gratias egiſſe, & benedixiſſe, ac tandem verba pronunciaſſe; *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum.* Ex iſtis ergo ità confirmatur Concluſio noſtra. Duo ſunt, quæ nos mouere poſſunt ne credamus Chriſtum dediſſe ſuum corpus verè, & realiter Apoſtolis; alterum eſt, quòd ipſe fuerit aliquando mentitus: alterum, quòd non fuerit tanta potentia præditus quanta neceſſaria eſt, vt ſubſtantia panis & vini, conuertantur in corpus, & ſanguinem Chriſti: at neutrum horum dici poteſt: non quidem primum, quia Ioan. 14. dicit Chriſtus de ſeipſo; *Ego ſum via, veritas & vita*: repugnat autem veritatem mentiri, quemadmodum & regulam deficere; omnium conſenſu. Neque item ſecundum, cum enim Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo propter vnitatem ſuppoſiti Verbi diuini: vti Deus, eſt ſimpliciter infinitus, & infinite potens: ita quoque in Chriſto datur potentia infinita vnde potuit facere vt ſubſtantia panis, & vini, in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui conuerteretur.

A

B

Ioan. 14.

Effugium Caluniſtarum præcluditur.

Reſpondet Caluinus loco citat. ſect. 3. non quæri inter Catholicos, & hæreticos de eo quod Chriſtus potuerit, ſed tantùm de eo quod voluerit verè, & de facto: Addit autem, non voluiſſe Chriſtum dare ſuum corpus Apoſtolis: ceterùm hæc cauillatio, mera impoſtura eſt: nam non aliter licet nobis opinari de Chriſti voluntate circa inſtitutionem ſanctiſſimi ſacramenti quàm innoteſcat per ſcripturas ſacras, vt eſt per ſe notum ex documentis ipſorum hæreticorum: putant namque ſcripturis ſacris in omnibus eſſe credendum: at ſcripturæ locis citat. verbis expreſſis habent Chriſtum de re conſecrata pronunciaſſe; *Hoc eſt corpus meum*: voluit ergo corpus ſuum dare. Confirmatur. Chriſtus voluit in vltima cœna Apoſtolis dare illud quod eiſdem promiſerat, Ioan. 6. at loco cit. pollicitus fuerat ſe daturum corpus, & ſanguinem ſuum in cibum, & in potum: *Panis*, inquit, *quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*: & rurſus: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; ergo Chriſtus voluit ſanguinem ſuum, & corpus verè, & realiter dare Apoſtolis, & reipſa dedit.

C

Ioan. 6.

D

Alia euaſio hæreticorum imaginaria, & multis impugnatur.

Reſpondent Sacramentarij: verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*: vſurpanda eſſe per figuram; ità vt ſenſus ſit; hoc ſignificat corpus meum. Affert Claudius Sanctius repetitione prima, capite vltimo interpretationes prædictorum verborum, quas videre poteris apud eumdem: at neque hæc reſponſio defendi vllo modo poteſt: hoc ipſum namque idem dedit Chriſtus Apoſtolis, quod de facto paſſum eſt pro nobis in ara Crucis, vt manifeſte euincitur ex verbis iſtis; *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum*: at certum eſt Chriſtum in proprio corpore fuiſſe vere paſſum: ergo eſt indubitatum tradidiſſe ſuum corpus Apoſtolis manducandum: aut reddant iſti rationem cur poſtrema verba, (*quod pro vobis tradetur*) ſint ad literam intelligenda, non autem antecedentia.

E

1.Cor. 11.

2. Secundo, fieri non poteſt vt aliquis ſit reus corporis, & ſanguinis Chriſti, niſi verè, & realiter corpus, & ſanguinem eiuſdem indignè ſumat; at qui Euchariſtiam accipit cum peccato mortali, hic cenſetur eſſe reus corporis & ſanguinis Chriſti, ex cap. 11. prioris Corinth. ergo verè corpus & ſanguinem ſumit.

3. Tertiò, vſus ſcripturæ obtinuit, vt poſita ambiguitate aliqua circa rem grauem, explicetur poſtea eiuſmodi ambiguitas, vt conſtat ex cap. 2. Ioan. cum enim verba iſta protuliſſet Chriſtus: *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, quæ poterant intelligi de templo Salomonis, ideo ſubiungit ibidem Euangeliſta, qua ratione locus hic eſſet intelligendus, *Hoc, autem*, inquit, *dixit, de templo corporis ſui*, & capite 4. *Si quis biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*: quia anceps, & dubia fuit, ideo ſubiungit ibidem; *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* & apud Lucam dicitur de Ioſeph, quòd ſit pater Chriſti; ne quis autem exiſtimaret Ioſeph eſſe patrem Chriſti naturalem, additur ibidem de Ioſeph, *qui putabatur pater Chriſti.* at inter dogmata fidei Chriſtianæ vix datur aliquid præſtantius myſterio ſanctiſſimi ſacramenti, quod à tribus Euangeliſtis, & à Paulo poſteritati traditum eſt, & tamen nullus ex iſtis verba conſecrationis aliter explicauit, quàm præ ſe ferebant: ergo vt ſonant ſunt intelligenda.

Ioan. 2.

Idem 4.

4. Quartò, quando Chriſtus verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix*, &c. pronunciauit, ſacramentum inſtituit, præceptum de eo frequentando dedit, & denique teſtamentum condidit omnium Catholicorum, & hæreticorum conſenſu; at præceptum, itémque teſtamentum conſtant verbis quàm maximè apertis, & explicatis: idque vt tollatur omnis occaſio litis, & diſſidij, & præterea ne detur occaſio declinandi à præcepto ſibi impoſito.

5. Denique, ſi Chriſtus, quando verba iſta protulit, *Hoc eſt corpus meum*, figuram tantùm corporis ſui Apoſtolis dedit, ad quid tam varias, & multiplices ceremonias exercuit, lauit pedes Apoſtolorum, Ioan. 13. eoſdem ad humilitatem & charitatem amplectendam eſt cohortatus, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci. ità & vos faciatis.* & alibi. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem adinuicem habueritis*: rem item iſtam intrà cœnaculum ſtratum præſtitit, & tandem ante huius ſacramenti inſtitutionem, Luc. 22. hæc verba pronunciauit, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*, &c. qui locus nequit intelligi de agno Paſchali: hunc enim aliàs frequenter cum Apoſtolis comederat, qui tantum fuit figura corporis Chriſti: ergo debuit Chriſtus hoc in loco aliquid dignius, & nobilius figura ſui corporis, & ſanguinis dare Apoſtolis.

Ioan. 13.

Luc. 22.

2. Argumentũ contra Caluniſtas.

Secunda ratio, ex ſcripturis ſumpta contra hæreticos eſt iſta: corpus Chriſti habet rationem cibi, quemadmodum & ſanguis rationem potus, idque vere & non figuratè, vt colligitur ex verbis illis Chriſti, Ioannis 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, &c. at non poteſt dici quanam in alia re corpus, & ſanguis Chriſti rationem habeant cibi, & potus; niſi conſequantur in ſolo Euchariſtiæ ſacramento quod ſub ſpeciebus panis, & vini conficitur: ergo.

Ioann. 6.

Solutio hæreticorum.

Reſpondent Sacramentarij, Chriſtum loco cit. Ioan. non differere de tali manducatione corporis ſui, ſed de ea quæ fit tantùm per fidem, quod

D. Auguſt. quod probant ex D. Auguſt. tract. 25. in Ioann. *Hoc eſt*, inquit, *ergo manducare cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam; vt quid paras ventrem, & dentem? crede & manducaſti.*

Deinde, quia idem D. Auguſt. tract. 16. in Ioann. hæc ex cap. 17. *Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt* explicat ſpiritualiter intelligenda eſſe.

Ceterum reſponſio hæc defendi non poteſt. Primò, quia pollicetur Chriſtus hoc in loco genus aliquod cibi, & potus multis partibus præſtantius, & dignius, eo quod fuit in veteri Teſtamento; vt colligitur ex verbis, quæ ibidem habentur; *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum*: at Patres veteris Teſtamenti corpus Chriſti, & ſanguinem eiuſdem manducauerunt per fidem, ex cap. 10. prioris ad Corinth. 1.Cor. 10. ità enim loquitur illic D. Paulus. *Omnes eamdem eſcam manducauerunt, & eumdem potum ſpiritualem biberunt, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Deinde, auditis verbis, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. & item; *Caro mea verè eſt cibus*, &c. patiuntur ſcandalum Capharnaitæ, ſubiungúntque proinde; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* quod potuiſſet Chriſtus vnico verbo tollere, ſi dixiſſet; verba proxime citata non eſſe intelligenda de naturali manducatione corporis, & ſanguinis proprij, ſed de ea quæ fit tantum per fidem, quod tamen non præſtitit: Sed contrà vrget; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, &c. Argumento ergo eſt aliquid præſtantius, & nobilius figura corporis ſui, & ſanguinis ibidem promiſiſſe; ac proinde non de manducatione ſpirituali, ſed de corporea loquutum fuiſſe Chriſtum videtur indubitatum. Tertio, locus hic explicatur communiter à Patribus de manducatione reali corporis, & ſanguinis Chriſti: ità D. Auguſt. tract. 26. in Ioann. quem conſequenter malè hæretici in confirmationem ſui erroris adducunt; *Qui*, inquit, *non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat (ſpiritualiter) carnem eius: nec bibit eius ſanguinem, (licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti,) ſed magis tanta rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præſumpſit, ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt.* Loquitur ergo de reali manducatione corporis, & ſanguinis Chriſti, nedum de ea quæ fit tantum per fidem: & Cyprian. in Oratione Dominica ad hæc verba; *Panem noſtrum quotidianum. Quod poteſt & ſpiritualiter*, inquit, *& ſimpliciter intelligi: quia & vterque intellectus vtilitate diuina proficit ad ſalutem. Nam panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt: & quomodo dicimus Pater noſter, quia intelligentium & credentium pater eſt: ſic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter (qui corpus eius contingimus) panis eſt.* & Hilarius in lib. de Trinit. Baſilius 7. in Leuit. Clemens Alexand. lib. 1. pædagogi, Damaſcen. 4. de fide, cap. 14. Leo ſermon. 6. de ieiunio, Ambroſ. in lib. de ſacramentis, & plerique alij, quos citat Maldonatus quæſt. 2. 2. partis de Euchariſtia, & Sanderus de viſibili Monarchia.

Manducatio corporis Chriſti duplex corporea & ſpiritualis.

Vt autem obiectionibus Sacramentariorum reſpondeamus: Aduerte manducationem corporis Chriſti eſſe duplicem, corpoream, & ſpiritualem: huius meminit Paulus, c. 10. prioris ad Corinth. *Omnes eamdem eſcam manducauerunt, & eumdem potum ſpiritualem biberunt*: illius vero idem Paulus cap. 11. eiuſdem epiſt. Matth. Marc. & Lucas locis ſuprà citatis: fit autem hæc quoties ſpecies conſecratas aſſumit: illa vero quoties quis aſſentitur rebus omnibus à Deo reuelatis ex pio affectu charitatis ſupernaturalis. Hoc ità cõſtituto, probabilis eſt eorum reſponſio, qui credunt D. Auguſt. hoc in loco loquutum de manducatione ſpirituali corporis, & ſanguinis Chriſti, ac proinde rectè dixiſſe D. Auguſt. non eſſe parandum ventrem, aut dentem, ad hoc vt quis ſpiritualiter manducet corpus, & ſanguinem Chriſti, cò quòd ad iſtam manducationem ſpiritualem minimè iuuet dens, aut venter. *Explicatur Auguſtini locus.*

Ceterum rectius alij ſentiunt D. Auguſt. loquutum fuiſſe de manducatione corporali corporis Chriſti, non quidem qualibet, ſed vtili, ac proinde docuiſſe ad huiuſmodi manducationem corporalem, & realem corporis Chriſti, non eſſe parandum ventrem, aut dentem, non quidem ſimpliciter ſed comparate tantum, idque quod dens, aut venter non ità conducant ad manducationem realem vtilem corporis Chriſti: quemadmodum fides, quæ per charitatem operatur, nemo quippe poteſt vtiliter corpus, & ſanguinem Chriſti ſumere, quin actum fidei perfectæ formatæ exercuerit, ſaltem ſi ad ætatem rationis peruenerit; vt colligitur ex cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. poteſt autem Euchariſtiam realiter, & vtiliter ſumere, etiamſi operatio dentium non concurrat ad ſumptionem iſtam. 1.Cor. 11.

Dices, reſponſionem hanc pugnare cum verbis D. Aug. *Crede & manducaſti.* *Obiectio.*

Reſpondeo, non adieciſſe D. Auguſt. particulam excluſiuam, *tantum*, ità vt dixerit crede tantum; & manducaſti: quod tamen fuit ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt dicamus D. Auguſt. loquutum fuiſſe de manducatione tantum ſpirituali corporis Chriſti. Deinde, ex loco antèà à nobis citat. conſtat D. Auguſtin. de manducatione corporali corporis Chriſti eſſe loquutum. *Solutio.*

Inſtant Sacramentarij: non eſſe veriſimile Chriſtum loquutum fuiſſe de ea manducatione corporis ſui, cùm ſit inutilis ex omni parte, & otioſa ad vitam æternam obtinendam; manducatio enim carnis Chriſti corporalis, inutilis plane eſt, ad ea quę pertinent ad gloriam promerendam, vel conſequendam ex cap. 6. Ioann. *Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui viuificat.* *Inſtantia.* Ioann. 6.

Reſpondeo 1. nomine carnis illic ſignificare Chriſtum, iudicium, quod ſequitur affectum appetitus ſenſilis, vt ſentiunt Patres, Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioann. cap. 23. Theophyl. Euthym. in Ioan. Cyprianus, de cœna Domini: atque ità certum eſt carnem Chriſti inutilem plane eſſe ad vitam æternam; iudicium enim hoc nihil aliud eſt quàm exiſtimare carnem Chriſti ſumptam illo eodem modo, quo ceteri cibi ſumuntur communiter, conducere ad viſionem beatam. *Solutio. 1.* Cyrill. Alexand. Theophyl. Euthym. Cyprian.

Reſpondeo 2. nomine carnis eo in loco ſignificari corpus Chriſti, vt fatentur communiter Patres: maximè verò illi, qui interfuerunt celebrationi Concil. Epheſini contra Neſtorium, Tertullian. de reſurrectione carnis: Cyprian. & Chryſoſt. homilia 46. in Ioannem, & D. Auguſt. in pſalm. 98. & tract. 27. in Ioan. & 2. ſerm. de verbis Apoſtoli. *Solutio. 2.* Tertull. Cyprian. Chryſoſt. D. Auguſt.

Hilarius. Baſilius. Cle. Alex. Damaſc. Leo Mag. Ambroſ. Cyprian. Matth. 6. 1.Cor. 10. Ioan. 9. Ibidem. D. Auguſt.

Ceterum de hac carne Chriſti ſtatuendum eſt, quod poſſit ſpectari duobus modis. Primo, in ſe, & vt ſeparata à diuino Verbo: altero vt perſona ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis vnita hypoſtaticè: priori modo certum eſt carnem Chriſti non poſſe prodeſſe ad vitam æternam: bene tamen poſteriori modo: eadem quippe facilitate, qua caro illa ſuo contactu ſocrum Petri curauit, Luc. 4. & voce ſua Lazarum reſuſcitauit, Ioan. 11. poterit etiam contactus carnis eiuſdem vnitæ Verbo diuino vitam ſpiritualem conferre, & tandem vitam æternam exhibere. Poterit etiam reſponderi carnem Chriſti ſpectatam, & ſumptam, vt in macello ceteræ carnes venduntur, & in corpore dilaniantur, inutilem eſſe ad vitam æternam: ſecus vero vt hæc eadem caro ſumitur in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento; ineffabili ſiquidem ratione manducatur illic à nobis. Vide plura de hac re apud Sanctium.

Vrgent. Inſtant adhuc Sacramentarij: ſcripturam eſſe ſemper per figuram intelligendam, quoties præcipitur in ea aliquid quod habet rationem flagitij, & facinoris, ex documento D. Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 6. veſci autem carnibus humanis, maius flagitium eſt quàm hominem occidere; ex communi doctrina, in tractatu de homicidio.

Reſpondeo. Reſpondeo, non poſſe negari quin ea ſint ad litteram intelligenda interdum, & aliquando quæ præcipiuntur à Deo, etiamſi præ ſe ferant ſpeciem mali, & grauiſſimi alicuius peccati, vt colligitur ex c. 22. Gen. præcipitur namque illic vt occidatur Iſaac innocens, & vnigenitus, idque à proprio parente, quo nihil videtur magis alienum à recta: ratione iniungitur etiam Iſaiæ prophetæ ab ipſomet Deo c. 2. ſuæ hiſtoriæ vt nudus omni ex parte incedat, & Ezech. cap. 4. vt panem ex ſtercore confectum manducet: *Ecce dedi tibi ſimum boum, pro ſtercoribus humanis, & facies panem tuum in eo*, & Oſeæ cap. 1. præcipitur vt contrahat matrimonium cum meretrice; ac proinde quando D. Auguſt. ait præcepta iſta eſſe per metaphoram intelligenda, non autem ad litteram, ſenſus iſtius documenti eſt, nulli mirum videri debere, ſi Deus interdum præcipiat aliqua quæ habent ſpeciem facinoris, & ſceleris horrendi: hæc enim ità præcipiuntur à Deo, vt ſub iſtis lateant myſteria aliqua quæ tandem innoteſcunt mortalibus, vnde quia myſteria hæc, & arcana per præcepta iſta ſignificantur, ideo ait D. Auguſt. continere loquutiones figuratas, idque meritò: quando enim per rem aliquam aliquid aliud ſignificamus, præter rem ipſam, loquutio iſta recte dicitur eſſe figurata.

2. Reſpondeo 2. in hoc præcepto, *Niſi manducaueritis*, &c. non contineri facinus aliquod, aut imperari: non enim veſci carnibus humanis rationem præcepti habet ſimpliciter, & abſolute, ſed tantum, vt veſcimur carnibus humanis, concoquendo, frangendo, & dentibus eaſdem atterendo, ad inſtar ceterorum ciborum, quibus communiter veſcimur: in ſanctiſſimo autem Euchariſtiæ ſacramento, licèt vere, & realiter carnes Chriſti manducemus; non tamen id facimus illo eodem modo, quo quando veſcimur communiter carnibus brutorum; ſed ineffabili; & mira ratione: continetur enim perfectè corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, idque per modum ſacramenti, modo aliquo indiuiſibili, & impatibili, & conſequenter ſumendo ſpecies, & eaſdem atterendo dentibus, ſumimus quoque corpus, & ſanguinem Chriſti, idque ſine vlla culpa: ſed contra, actum quàm maximè honeſtum, & nobis vtilem ad vitam æternam conſequendam exercemus: Illud idem dices ad confirmationem ex iſtis verbis deductam: *Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*: hæc enim ideo ſpiritualiter explicantur à D. Auguſtin. quod ſumptio corporis Chriſti in ſacramento altaris: non fiat ad inſtar ſumptionis cibi, & potus communis, ſed ineffabili, & inenarrabili aliqua ratione iuxta modum explicatum.

Ex iſtis colliges non bene ſentire eos, qui caput Ioan. 6. exiſtimarunt non eſſe intelligendum de reali participatione corporis Chriſti; ſed de ea quæ fit tantum per fidem. Ioan. 6.

3. Argumẽtum pro veritate Catholica. Tertio, probatur Concluſio, ex Patribus, qui tergiuerſationem, reſponſionem, & ceteras cauillationes omnes hæreticorum iſtorum verbis expreſſis damnãt. Damaſc. quidem 4. de fide, c. 14. *Nec verò*, inquit, *panis & vinum corporis Chriſti figura ſunt (abſit enim hoc) verum ipſummet corpus Domini diuinitate affectum, cùm ipſe dixerit, Hoc eſt corpus meum: non corporis mei ſignum: ſed corpus, non ſanguinis ſignum, ſed ſanguis*, & Theophyl. ad hæc verba Ioan. *Panis quem ego dabo: ſignificatio eſt carnis; transformatur enim panis ille arcanis verbis per myſticam benedictionem, & acceſſionem Spiritus ſancti, in carnem Chriſti.* & Cyprian. ſerm. de cœna Domini, *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus factus eſt caro omnipotentia verbi*, & Euſeb. Emiſſ. homilia 5. de Paſchate. *Recedat*, inquit, *omne infidelitatis ambiguum: inuiſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate conuertit, ità dicens, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*: & D. Auguſt. epiſtol. 86. ad Caſſulanum. *Neſcis*, inquit, *panes propoſitionis hîc poni ſolere*, id eſt, in menſa Domini, *& inde te accipere partem de agni immaculati corpore*. & li. 2. contra litteras Petiliani, c. 37. *Aliud eſt Paſcha quod adhuc Iudæi de one celebrant, aliud quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus*: & lib. 9. cap. 13. & in epiſt. 44. ad Maximinum, & 118. ad Ianuarium, & 20. ad Honoratum, & Iulianum, ſimile quid dicit. Damaſc. Theophyl. Cyprian. Euſeb. Emiſſen. D. Auguſt.

Vltimum argumẽtum ex miraculis. Denique probatur Concluſio ex miraculis in confirmationem exiſtentiæ realis corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, factis: ex iſtis autem refert quatuor Cyprian. in lib. de lapſis. Optatus lib. 2. contra Parmenianum vnum, Amphilochius in vita Baſilij, alterum: Nazianzenus in Oratione funebri de ſorore ſua, aliud: & Nicephor. lib. 8. Eccleſ. hiſtoriæ, Ignatius in epiſt. ad Epheſ. Proſper. lib. 4. prædictionum. De iſtis autem miraculis vide plura apud Sanctium repetitio. 2. apud Thomam VValdenſem, tomo 2. de ſacramentis c. 62. & 63. Bellarminum lib. 3. c. 8. de Euchariſtia, Coccium art. 8. de Euchariſtia tomo 2. qui narrat miracula per Euchariſtiam facta ab anno Chriſti 80. ad 1591. vſque. Cyprian. Optatus. Amphilochius. Nazianzenus.

Reſpondent hæretici, miracula hæc, vel non eſſe vera miracula, ſed dæmonum incantationes, vel ſi ſint vera, fuiſſe factitata ad demonſtrandam nobilitatem & excellentiam tanti ſacramenti, vel ad reprimendam audaciam, & temeritatem eorum, qui indigne accedunt ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum.

Ceterùm reſponſio, hæc quoad primam partem defendi non poteſt: nam fides potius adhibenda eſt

eſt patribus, quàm hęreticis iſtis; patres autem docent hæc miracula fuiſſe factitata, ad hoc vt innoteſceret nobis veritas realis exiſtentiæ corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis. Deinde, ſi verum eſt quod docent hęretici, miraculum nullum celebratum fuiſſe hactenus in confirmationem huius veritatis loco ſummi miraculi habendum eſt exiſtentiam realem corporis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis acceptatam fuiſſe in toto orbe à quibuſuis philoſophis, ſine vllo miraculo, vt argumentatur D. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei, ca. 5. vt probet veritatem religionis Chriſtianæ, & articulum reſurrectionis quorumcumque mortalium: idem argumentum repetit epiſt. 3. ad Voluſianum. D. Auguſt.

Tertio, indubitatum eſt Chriſtum in hac vita conſtitutum miracula aliqua vera præſtitiſſe & præterea conceſſiſſe poteſtatem Apoſtolis, vt miracula ſimiliter multa facerent, ex Marc. 16. ergo hoc idem præſtare poterit humanitas Chriſti conſtituta ſub ſpeciebus conſecratis. Denique, licet demus hæreticis aliqua miracula fuiſſe factitata per Euchariſtiam, ad demonſtrandam tantam dignitatem huius ſacramenti, & ad coërcendam audaciam multorum, qui abſque debita reuerentia ſacramentum hoc frequentant, negare tamen non poſſunt, quin multa fuerint facta ad confirmandam exiſtentiam realem corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: vt colligitur manifeſte ex quàmplurimis quæ referuntur à Coccio citato.

Diſſoluũtur fundamenta hæreticorum.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. negando maiorem; ſi enim hæc vera eſſet, propoſitiones iſtæ; *Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt*, eſſent per metaphoram intelligendæ, quod tamen dici non poteſt, quin reuocentur hęreſes Arij, Neſtorij, & aliorum, qui putarunt diuinum Verbum non eſſe vere incarnatum, ſed apparenter tantum. Ioan. 1.

Deinde, propoſitiones iſtæ; *Ego ſum vitis vera*, & aliæ illic explicatæ, ideo figurate intelliguntur, quòd nequeant vlla ratione ſtare cum proprio ſenſu literæ; at propoſitiones iſtæ; *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt calix ſanguinis mei* poſſunt.

Tertio ſancti patres, & ſacra Concilia præcipiunt ne quis aliter intelligat, aut explicet Scripturam ſacram, quàm dictet Spiritus ſanctus, & authoritas Eccleſiæ Chriſtianæ præcipiat: hæc autem hactenus docuit propoſitiones proximè cit. eſſe ad literam intelligendas, & nullo modo per figuram.

Vrgent Sacramentarij, verba iſta: *Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti*: neceſſario intelligenda eſſe per metaphoram; neque enim calix eſt ſanguis Chriſti realiter, & vere, neque item ſanguis eſt teſtamentum Chriſti.

Reſpondeo, metaphoram vocis (*calix*) explicatam eſſe Marc. 14. & Matth. 26. ac proinde figuratam loquutionem ſublatam eſſe: ità enim loquuntur; *hic eſt ſanguis meus*, &c. Ad id verò teſtaquod dicitur de voce, *teſtamenti*, aduerte, mentum interdum ſignificare voluntatem teſtatoris diſponentis de hereditate in fauorem Petri vel Pauli. Interdum verò inſtrumentum illud, ſeu tabulas, ex quibus probat quis euidentiſſime ſe inſtitutum eſſe heredem; proindeque habere ius ad hereditatem: priori modo certum eſt ſacramentum Euchariſtię non eſſe teſtamentum Chriſti, vt eſt per ſe notum: ſecus tamen poſteriori modo: Euchariſtia ſiquidem eſt inſtrumentum Matth. 26. Marc. 14. *Metaphora in calix explicatur.*

aliquod, in quo vere, & realiter continetur Chriſtus ipſe: vnde quoties ſumitur à nobis, confert ius ad hereditatem æternam, & impertitur nobis vitã ſpiritualem, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, &c. Niſi manducaueritis, non habebitis vitam*, ſcilicet ſpiritualẽ, *in vobis*. Denique, ſacramentum Euchariſtiæ eſt commemoratio effuſionis ſanguinis Chriſti, & paſſionis eiuſdem: ergo teſtamentum Chriſti pleniſſime confirmauit; non enim valet teſtamentum, niſi mors intercedat teſtatoris, ad Hebręos 9. Ioan. 6.

Ad confirmationem dico, probare tantum ſacramentum Euchariſtiæ repræſentare paſſionem Chriſti. Ceterum cum iſtis recte cohæret, vt in hoc eodem ſacramento vere, & realiter contineatur corpus eiuſdem, illo eodem modo, ceteris tamen paribus, quo aqua fluuij Garumnæ vere eſt aqua illius, nihilominus hæc aqua ſignificat, eam aquam quæ anteà extitit in eodem: aut quemadmodum homo conſtitutus in virili ætate eſt ille idem qui fuit in cunis, licet repræſentet ſeipſum, prout extitit. *Confirmationis ſolutio.*

Ad ſecundum reſpondeo, patres iſtos ideo appellare Euchariſtiam figuram corporis Chriſti, non quod exiſtiment corpus Chriſti non eſſe vere, & realiter ſub ſpeciebus conſecratis; ſed quia corpus Chriſti conſtitutum vere ſub ipſis, repræſentat ſeipſum, prout fuit in ara crucis extenſum, & illic pro nobis cruci affixum. Vide aliam reſponſionem apud Bellarminum libr. 2. de Euchariſtia. cap. 7. *2. Fundamenti diſſolutio.*

Quod vero ad Tertullianum attinet, perpendenti modum loquendi ipſius conſtabit, nullo modo hæreticis in loco obiecto fauere: Nam vt rectè Pamelius numero 662. nihil ibi de veritate corporis Chriſti detrahitur, cùm verba citata non ad ſacramentum Euchariſtię nouum referantur, ſed ad panem, de quo Hierem. 11. qui figura corporis Chriſti extitit. Et vt clariùs veritas eluceſcat referenda ſunt verba Tertulliani, qui poſtquàm varias contra Marcionem figuras legis antiquæ in Chriſto adimpletas fuiſſe retulit, ſubdit. *Profeſſus itaque ſe concupiſcentia concupiſſe edere Paſcha, vt ſuum (indignum enim vt quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit; Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei: figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Ceterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet. Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vnitatem Marcionis vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat? & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Hieremiam. Aduersùs mei cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, coniiciamus lignum in panem eius, ſcilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum quod tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem. Sic & in Calicis mentione teſtamentum conſtituens, ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantia corporis confirmauit. Nullus enim corporis ſanguis poteſt eſſe, niſi carnis. Nam etſi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certè ſanguinem niſi carnea non habebit. Ità conſiſtit probatio corporis de teſtimonio carnis, probatio carnis de teſtimonio ſanguinis. Vt autem & ſanguinis veterem figuram in vino recognoſcas, aderit Eſaias. Quis, inquit, qui aduenit ex Edom? rubor veſtimentorum eius ex Boſer, hic decorus in ſtola vinolenta cum forti-* Hierem. 11. Eſaïas 63.

tudine? Quare rubra veſtimenta tua? & indumenta A *ſunt de foro torcularis pleno, conculcato? Spiritus enim propheticus velut iam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, vt in ea paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum rubore deſignat, conculcata & expreſſa vi paſſionis, tanquam de foro torcularis, quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcendant. Multò manifeſtius* Geneſ. 49. *Geneſ. 49. in benedictione Iudæ, ex cuius tribu, carnis cenſus Chriſti proceſſurus iam tunc Chriſtum in Iuda delineabat. Lauabit, inquit, in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum: ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.*

Iam verò ex hoc loco ſatis patet mentem Tertulliani non fuiſſe; Chriſtum feciſſe panem figuram corporis ſui, iamptidem enim panis erat figura corporis Chriſti, vt ipſemet oſtendit: ſed potius id quod erat figura corporis ſui, Chriſtum feciſſe corpus ſuum; alioquin, quid illud eſſet quod Tertullianus ait Chriſtum concupiſcere edere Paſcha vt ſuum? ſi enim hæc fuiſſent edere Paſcha vt figuram corporis ſui, iam comediſſet Paſcha vt ſuum, qui ſæpe ederat Paſcha vt figuram corporis ſui. Non agit ergo de figura ſacramentali corporis exiſtentis, ſed de figura legali: & de pane cuius mentio in veteri teſtamento, quique Chriſtum figurabat: vnde verba Tertulliani C ità componi debent. *Panem acceptum diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit dicens, hoc*, id eſt, figura corporis mei, *eſt corpus meum:* Simili enim modo loquendi vtitur Tertullianus lib. 4. contra Praxean, *Chriſtus mortuus eſt, id eſt vnctus.* cùm debuiſſet dicere, *Chriſtus, id eſt vnctus, mortuus eſt*, ſimiliter per metatheſin & hyſteron proteron dixit, *hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei*, cùm debuiſſet dicere *hoc*, id eſt panis, de quo proxime loquutus fuerat, *figura corporis mei, eſt corpus meum:* quemadmodum, vt oſtenderet vinum fuiſſe antiquitus figuram ſanguinis Chriſti, dixit; *Ità & tunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit*, quaſi oppoſito ſenſu D etiam loquens, debebat enim dicere, *qui ſanguinem in vino figurauit.* Quod verò talis debeat eſſe conſtructio illorum verborum patet ex ſcopo Tertulliani per totum librum; is enim eſt, vt oſtendat contra Marcionem docentem Chriſtum fuiſſe phantaſma, & deſtruxiſſe veterem legem & figuras, potius eas in ipſos adimpletas, cúmque eaſdem obſeruaſſe, ac proinde addit; *figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Ceterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Vnde & ob eamdem rationem affert plura ſcripturæ loca, præcipuè illud Hieremiæ 11. *Non intelligens*, inquit, *veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti dicentis per prophetam: Venite mittamus* E *lignum in panem eius, ſcilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem*, &c. Ex quibus & aliis euincitur, intentum Tertulliani fuiſſe Chriſtum non corpus phantaſticum habuiſſe, ſed verum, vt pote qui figuras legales illum repræſentantes terminauerit, quaſi diceret panem corpus ſuum effecit; at panis erat figura legalis corporis Chriſti: ergo ille impleuit figuras legales: vel aliter inuertendo argumentum: Chriſtus debebat implere figuras legales, ſed panis erat figura legalis corporis, ergo recte eſt operatus dum panem corpus ſuum fecit.

Ad loca vero in quibus dicitur repræſentari corpus Chriſti. Reſpondeo, repræſentare apud probatos authores, & Iuriſconſultos idem eſſe; atque præſentem ſe exhibere, ſiue præſentiſſime ſiſtere, aut aliquid aliud ſimile, verè, & realiter exhibere: vt conſtat ex Lexicis iuris ciuilis, & Canonici: certum autem eſt aliquos ex ſanctis patribus fuiſſe exercitatos in iis quæ iuris ciuilis ſunt, ac proinde, iuxta hanc rationem loquendi Iuriſconſultorum, docent corpus Chriſti repræſentari in Euchariſtia, & vere & de facto in eadē cōtineri. *Repræſentare quid ſignificet.* 1.

Ad tertium, reſpondeo eſſe manifeſtiſſimum ſophiſma: indubitatum namque eſt eo in loco Chriſtum differere de aduentu ſuo ad iudicium generale, & de Antichriſto; *Surgent*, inquit, *Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna*, &c. quoniam autem Antichriſtus vindicabit ſibi nomen, & honorem Chriſti, ideo monet, ne quis aſſentiatur falſis iſtis prophetis, quoties dicent: *Hic eſt Chriſtus.* 3. *Fundamentum ridiculum.*

Ad vltimum reſpondeo, corpus Chriſti obtinere ſibi certam, & conſtitutam ſedem in dextera patris, à qua ante diem iudicij non recedet, & ita explicanda eſſe omnia teſtimonia, quæ in hoc argumento citantur; ità vt viſibiliter, & in ordine ad locum nullibi præterquàm in hac ſede circumſcriptiuè conſpiciatur humanitas Chriſti; præter tamen hunc modum eſſendi Chriſti in dextera patris exiſtit in ſacramento altaris vere, & realiter, ceterum modo ineffabili, & inexplicabili. *Ad vltimum.*

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit illud, quod conſtituit corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus conſecratis.

CALVINVS, & alij nonnulli ſequaces illius, putant corpus Chriſti conſtitui præſens ſub ſpeciebus conſecratis, quandocumque hæ ſpecies ſumuntur à Chriſtianis per fidem, idque quod ea ſit vis, & energia fidei, vt res abſentes conſtituat præſentes. *Caluini error.*

CONCLVSIO 1. *Vis conſtitutiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis ſumenda eſt à verbis iſtis*, Hoc eſt corpus meum: *quemadmodum & ratio per quam conſtituitur ſanguis Chriſti præſens ſub ſpecie vini, à verbis iſtis*, Hic eſt calix ſanguinis mei: hæc eſt de fide expreſſe definita in Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. dicitur enim illic, vi, & efficacia iſtorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, totam ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, & per concomitātiam cetera omnia quæ pertinent ad Chriſtum: vi vero iſtorum verborum *hic eſt calix ſanguinis mei*, totam ſubſtantiam vini conuerti in ſanguinem Chriſti. *Vi verborū conſtituitur corpus Chriſti præſens ſpeciebus.* 1.

Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis habent ſacerdotē, inuiſibilem Chriſtū, viſibiles creaturas, panem, & vinum, omnipotentia verbi conſecrationis conuertere in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti; ità Euſeb. Emiſs. homilia 5. de Paſchate, & Cyprian. ſerm. de cœna Domini. 2.

Tertio, verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix*, &c. nedum ſunt theoretica, vnde non tantum ſignificant corpus Chriſti eſſe totum illud, quod continetur ſub ſpeciebus panis conſecratis, ſed ſunt etiam practica; ac conſequenter faciunt, id quod ſignificant; ergo cum pro eo tempore, in quo proferuntur verba à ſacerdote, ſignificent totum illud quod continetur ſub ſpeciebus panis, eſſe corpus Chriſti, facient illud eſſe 3.

Digitized by Google

vere,& realiter ſub iſtis ſpeciebus.

Fides impotens ad conſtituendum Chriſtum ſub ſpeciebus. 1. CONCLVSIO 2. *Fides ſola, nec facit, nec facere poteſt, vt corpus Chriſti conſtituatur præſens ſpeciebus ſanctiſſimi ſacramenti etiam in eo tempore in quo ex hypotheſi ſpecies iſta ſumuntur à fidelibus.* Primùm, quia ſi præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti circa ſpecies conſecratas eſſet petenda à fide eorum, qui ſumunt huiuſmodi ſpecies, ſequeretur Euchariſtiam per ſexcentos annos temerè, & inutiliter datam fuiſſe paruulis ante ætatem rationis; non enim crediderunt iſti, neque credere potuerunt.

2. Deinde, fides non poteſt producere effectum ſeipſa præſtantiore m; præſtantia ſiquidem effectus tota ſumitur à nobilitate cauſæ, in ratione B cauſæ efficientis; at corpus Chriſti conſtitui præſens ſub ſpeciebus conſecratis, eſt effectus infinitis partibus præſtantior fide: tum quia fides eſt accidens ordinis ſupernaturalis, Chriſtus autem eſt ſubſtantia ordinis ſupernaturalis ratione ſubſiſtentiæ,quam habet,& qua ſubſiſtit; tum etiam quia conuenit inter omnes modum exiſtendi corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis eſſe ineffabilem.

Comminantur hæretici ex propria doctrina. Denique, ex dictis hæreticorum probatur Concluſio: Caluinus ergo docet humanitatem Chriſti ſedere in dextera patris, & ab ea non recedere ante diem iudicij, ſymbola autem ſanctiſſimi ſacramenti tantum extare in terra: ex quibus C colligit tantum diſtare corpus Chriſti à ſymbolis,quantum diſtat cœlum à terra. Deinde fatentur interdum per omnipotentiam Dei fieri non poſſe, vt vnum corpus ponatur in pluribus locis. Ex iſtis ita ratiocinamur.Corpus Chriſti non deſerit,neque deſerere poteſt ante diem iudicij dexteram patris: ergo licet quis credat perfectiſſime accedendo ad ſymbola ſanctiſſimi ſacramenti,non tamen propterea conſtituetur præſens corpus Chriſti: ità enim ſequeretur vnum corpus locari in pluribus locis ſimul,& ſemel;quod tamen negat Caluinus.

Euaſio nouatorum quàm infirma. Reſpondent, quæ diſtant inter ſe ſummo interuallo poſſe coniungi virtute diuina, & efficacia fidei: Sed contrà: quia hoc eſt verum ea lege D quod tollatur diſtantia inter hæc duo, qua inter ſe diſtant, ſecus vero non; illud namque dicitur diſtare ab alio,quod non coniungitur eidem propter ſpatium interiectum inter hęc duo;quemadmodum & illa dicuntur contigua, quę non patiuntur inter ſe interpoſitionem alicuius alterius corporis; cum ergo fateatur Caluinus corpus Chriſti non recedere à dextera patris, & ſpecies conſecratas eſſe tantum virtute fidei illius qui ſpecies ſumit,non poterit fides efficere, vt Chriſtus manens in dextera patris ſit vere & realiter præſens ſub ſpeciebus,etiam per fidem.

Diſſoluitur ratio contraria. Ad rationem vero hæreticorum reſpondeo, falE ſum eſſe fidem conſtituere rem abſentem præſentem:alioquin dies iudicij,& dies creationis eſſent nobis præſentes;hos enim perfectiſſime credimus. Deinde,ſi propoſitio hæc hæreticorum eſſet vera, ſequeretur patres veteris teſtamenti tam vere ſumpſiſſe ſacramentum,quàm nos:eſt enim vna, & eadem fides noſtra,& illorum patrum,licet hęc ſit in nobis magis explicita,quam fuerit in illis.

Oppoſitio Bezæ, 1.Cor. 10. Obiicit Beza cap.10.prioris ad Corinth.*Omnes eamdem eſcam manducauerunt,& eumdem potum ſpirituálem biberunt*: loquitur autem de patribus veteris teſtamenti, quos ait ſumpſiſſe eamdem Euchariſtiam.

In 3.partem D. Thom.

A Reſpondeo, Paulum affirmare quidem omnes *Reſponſio.* Patres veteris teſtamenti, eamdem eſcam ſpiritualem manducaſſe, & eumdem potum ſpiritualem bibiſſe: ceterum inter ſe, non autem nobiſcum;ac proinde locus hic non probat,eadem planè ratione ſumptam fuiſſe Euchariſtiam à Patribus veteris teſtamenti, & ab illis qui vixerunt tempore legis gratiæ. Denique, fides,vt ſit, facit tantú nos aſſentiri rebus à Deo reuelatis,vt oportet: non verò vt hęc, vel illa ſint nobis præſentia.

DVBITATIO TERTIA.

An ex eo quod corpus Chriſti conſtituatur præſens realiter ſub ſpeciebus conſecratis, poſſit quis colligere corpus Chriſti eſſe vbique. B

Vbiquiſtarũ hæreſis & fundamenta. HÆc Dubitatio proponitur propter Vbiquiſtas, qui ortum habuerunt à Brentio,ex multorum ſententia,de qua re legendus eſt Greg. de Valentia, in ſuis Controuerſiis contra iſtos hæreticos qui hæreſim ſuam ità probare nituntur. 1. Quando dantur duo aliqua ità coniuncta, vt ab inuicem nequeant ſeparari,vbicumque eſt vnum, ibi quoque eſt alterum, humanitas Chriſti eſt ità coniuncta Verbo diuino, vt hæc vniatur ei indiuiſibiliter:ergo cũ Verbum ſit vbique, erit etiam & humanitas Chriſti,quod aſſerit Damaſcen. in lib.de fide, ait enim humanitatem Chriſti eſſe in omni loco,in quo & diuinitas.

Deinde,docet fides humanitatem Chriſti ſedere in dextera patris;at dextera patris eſt vbique,ex 2. illo Pſal.138.*Si aſcendero in cœlum, tu illic es:ſi deſcendero in infernum ades.* ergo, &c. Pſal.138.

Tertio, ad Epheſ. cap. 4. ait Paulus Chriſtum 3. aſcendiſſe cœlos, vt impleret omnia. Denique, Patres verbis expreſſis docent Chriſtum eſſe vbique,& omnia replere:ità Chryſoſt.homilia 17.in epiſtolam ad Hebræos,Cyrillus,epiſt.1.& Ambr. lib.7. in Lucam, Hieronymus contra Vigilant. & denique D.Aug.ſerm.14.de verbis Apoſtoli.

CONCLVSIO 1. *Nec humanitas, nec corpus Chriſti,ſunt vbique.* Primo, quia dicitur verbis ex- *Humanitas Chriſti non eſt vbique.* preſſis, Ioan. 11. à Chriſto; *Lazarus amicus noſter mortuus eſt: & gaudeo propter vos,quia non eram ibi.* Ioan.11. & Ioann. 6. *Sciens turba,quia non erat ibi Ieſus*, & *Probat. 1.* Matthæi vlt.*Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum,* Ibidem. *nõ eſt hic ſurrexit:* rurſus ex iiſdem ſcripturis ſacris notiſſimum eſt Chriſtum in ſolo vtero B. Virginis fuiſſe conceptum,Luc.2.*Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,*&c.poſita item Chriſti morte, dicitur Luc.2. de corpore eiuſdem Ioan.20.fuiſſe poſitum in ſepulchro nouo,*in quo nondum quiſquam poſitus erat.* & item quod die quadrageſimo poſt Chriſti reſurrectionem cœlum conſcenderit, Actuum 1. *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus* Ioan.20. *qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum,*&c. & Hebr.item Hebr.4. 4.*Habentes ergo pontificẽ magnũ qui penetrauit cœlos.* & Epheſ.4.*Aſcendit ſupra omnes cœlos*: & demum Epheſ.4. conſtat Chriſtum in hac vita conſtitutum ex vno loco in alium migraſſe, *Luc.4.& Ioan.6.*

Reſpondent Vbiquiſtę: rationibus iſtis pro- *Solutio Vbiquiſtarum infirma.* bari humanitatem Chriſti, non eſſe vbique localiter,non verò modo diuino, & ſpirituali, qua ratione aſſeritur ab ipſis illam eſſe vbique. Ceterum hęc reſponſio nullo modo defendi poteſt; eſſe namque vbique, modo diuino, vel eſt eſſe vbique circumſcriptiue, vel definitiue, vel repletiue: non enim extant plures eſſendi modi in loco, ex communi doctrina Theologorum, &

Digitized by Google

Philosophorum: at nullo ex istis modis dici potest humanitatem Christi esse vbique: nam esse circumscriptiuè in loco est sic esse in eo, vt partes corporis locati respondeant partibus locantis perfectissime, ità vt nulla pars corporis locati sit extra corpus locans: si autem hac ratione dicatur humanitatem Christi esse vbique, propositio hæc destruit seipsam; nam non est hæc humanitas in eo loco, in quo est corpus locans. Neque item secundum dici potest: esse siquidem definitiue in loco, est ità esse hîc, vt alibi non sit: neque item tertium quia repletiuè esse in loco soli Deo competit propter eius summam immensitatem, quæ nec datur, nec dari potest in humana natura Christi.

Solutio Viquistarum. 2 impugnatur.

Respondent 2. humanitatem Christi non posse esse vbique per se, hoc enim soli Deo competit: bene tamen per accidens. Sed neque hæc responsio speciem veritatis continet: neque enim potest magis competere humanitati Christi per accidens esse vbique, quàm per accidens posse creare: vtrumque enim ex istis attributis exigit infinitam potentiam, vt docet D. Thom. de attributo Creatoris 1. parte q. 45. at certum est humanitatem Christi per accidens non posse dici creatricem ex doctrina D. Thom. cit. Denique tota ratio cur Deus sit vbique repletiuè, ex multorum sententia hæc redditur: quia Deus est causa rerum omnium, repugnátque aliquid fieri, nisi id sit à Deo, veluti à præcipua causa, & principali vniuersali, & consequenter quod suis effectis omnia repleat, conseruet, & in suos fines dirigat: at humanitas Christi, etiam per accidens, non potest esse causa rerum omnium quæ fuerunt. maxime ea non existente. Denique, non explicant qua ratione conueniat humanitati Christi esse vbique per accidens.

3. Probatio conclusionis.

Tertio probatur Conclusio: Posita humanitate vbique, destruitur plenè sanctissimum Eucharistiæ sacramentum; ità enim sequeretur verba consecrationis non esse necessaria simpliciter ad confectionem ipsius: corpus namque Christi ex hypothesi est vbique vere. Deinde, nulla potest assignari ratio, cur potius species panis essent adorandę cúltu latriæ, quàm species alicuius alterius rei naturalis, corpus siquidem Christi vere est in omnibus rebus istis naturalibus ex istorum opinione. Item sequeretur sumptis quibusuis alimentis, realiter quoque sumi corpus Christi, quę tamen omnia citra summam impietatem dici nequeunt. Demum, ità sentiunt Sancti Patres Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. Cyrill. in suis catechesibus frequenter, Chrys. ad caput tertium Ioan. D. August. tract. 78. in Ioan. *Sed*, inquit, *à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus homo est Deus, ergo & ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat, ibat per id quod vno loco erat, manebat, per id quod vbique erat.* & Leo serm. 2. de Ascens. *Ineffabili modo per ascensionem scilicet, cœpit esse diuinitate præsentior, qui humanitate factus est longinquior.* & Theodoretus, dialog. 2. & 3. & Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum cap. 17. Vide Claudium Sanctium, repet. 4. cap. 8.

Ambros. Cyrill. Chrysost. D. August. Leo Magn. Theodor. Fulgent.

Non potest humanitas Christi vlla ratione esse vbique.

Conclvsio 2. *Per omnipotentiam Dei fieri non potest vt humanitas Christi sit vbique.* Primo, quia tota ratio cur Deus sit vbique est eius immensitas (vt docuimus ad primam partem) at immensitas hæc, est ita propria Deo, siue diuinæ essentiæ, vt nulli alteri possit communicari formaliter & intrinsece.

Deinde, ad hoc vt aliquid sit repletiue inomni loco, debet esse infinitum simpliciter; at nihil est præter Deum, quod sit vel esse possit simpliciter infinitum, quod dico; quoniam non desunt multi qui putent posse dari infinitū in quantitate discreta, & continua: ceterum hoc non esset infinitū simpliciter, sed in certo aliquo genere tantū.

Obiectio.

Dices, nullum dari plane spatium, in quo non non posset collocari aliqua species panis, quæ proinde à sacerdote consecrari poterit: ergo saltem in eo casu corpus Christi esset vbique.

Solutio.

Respondeo, concesso antecedente, negando consecutionem: non enim propterea humanitas Christi repleret omnem locum: accidentia siquidem sanctissimi sacramenti locum tunc temporis occuparent, ex doctrina Aristotelis; substantia enim censetur esse circumscriptiue in loco per quantitatem quam habet.

Dissoluūtur hæreticorum rationes.

Ad rationes vero contrarias respondeo. Ad primam. Quæ sunt ità inter se coniuncta vt abinuicem numquam separentur, esse ex æquo in omni loco, in quo contingit vnum ex istis versari, si ista æque late pateant: non vero si vnum ex istis non sit alteri æquale, vt colligitur ex sole, & ex manu corporis humani: licet enim sol vniatur perfectissimè suo cœlo, & itēmanus proprio corpori; non tamen licet propterea affirmare, in eo omni loco, in quo est cœlū solis, illic esse solem; aut manum vbi est corpus eiusdem: ità etiam licet humanitas Christi vniatur perfectissime diuino Verbo, quod vbique vere est, non tamen propterea colligere licet, eam esse vbique, sed tantum diuinum Verbum vniri hypostaticè humanæ Christi naturæ vbicumque humanitas Christi existit.

Exponitur Damasc.

Ad Damascen. vero, propterea affirmare humanitatem Christi vniri semper diuinitati, & in omni loco, quod diuinitas Verbi sit simpliciter impartibilis & indiuisibilis; non tamen vult humanitatem vniri diuinitati pro eo omni loco, in quo agit diuinitas, sed tantum pro eo solo in quo humanitas reperitur.

Ad 2.

Ad secundum respondeo, nomine dextræ aliquando intelligi alteram partem corporis humani, à quo incipit motus, ex opinione Arist. aliàs vero significatur beatitudo æterna, aliàs potestas, maiestas, & gloria Dei: in hac significatione vsurpatur in hoc articulo fidei; *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, ex multorum Patrum sententia: vnde respondeo, per ascensionem humanitatem Christi fuisse assequutam sessionem ad dexteram patris non quidem in seipsa; sed in diuino Verbo: quod vere est vbique, idque quod non tam late pateat quemadmodum natura, & essentia Verbi. Respondeo secundo, humanitatem Christi sedere in dextera patris ratione potestatis iudiciariæ, quam obtinuit, & obtinet super omnem plane creaturam rationalem, ex illo: *Inde venturus est iudicare*, &c. item ratione beatitudinis maioris quæ datur in anima Christi supra omnem omnino creaturam humanam, & Angelicam.

Symbol. Apostol.

Ad 3.

Ad tertium, D. Paulum affirmare humanitatem Christi conscendisse cœlos, non vt adimpleret omnia loca sua præsentia, cum de hac repletione locali nihil plane habeat: sed vt impleret omnia quæ fuerunt prædicta à Prophetis, & sanctis Patribus de ipsomet Christo, quare obiectio ista est vel hominis imperiti, vel certe male feriati.

Ad

Ad vltimam reſpondeo, ſanctos Patres differe-
re de preſentia diuinitatis Chriſti, non autem hu-
manitatis eiuſdem, vt fatentur ipſi hæretici, ma-
xime vero Philippus Melanchthon, qui ait vbi
quitatem humanitatis Chriſti incognitam fuiſſe
venerandæ antiquitati ſanctorum Patrum.

DVBITATIO VLTIMA.

Quidnam ſit illud à quo denominatur corpus Chriſti formaliter præſens ſpeciebus conſecratis. An videlicet modus aliquis ſubſtantialis aduenies illi de nouo per conſecrationem, An verò actio quædam: An denique relatio?

Corpus Chriſti non denominatur formaliter præſens, à ſubſtantia propria vel accidentibus.

IMPRIMIS certum eſt apud omnes, id quo denominatur formaliter preſens non eſſe ſubſtantiam propriꝰ corporis, vel aliquod accidens ex iis quæ habet in dextera patris. Nam corpus Chriſti præſentiam ad ſpecies conſequitur per conſecrationem: at conſecratio non producit ſubſtantiam corporis Chriſti, neque item aliquod accidens ex iis quæ habet in cœlo, vt oſtendetur ad art. 2. proxime ſequentem: ergo non poteſt denominari præſens à dicta ſubſtantia vel accidentibus.

Deinde corpus Chriſti amittit præſentiam ſacramentalem per deſitionem ſpecierum conſecratarum abſque vlla propriæ ſubſtantiæ corruptione, vel etiam ſine diminutione alicuius accidentis ex iis, quæ illi inhęrent in dextera patris: ergo nequit denominari præſens ſpeciebus formaliter à ſubſtantia corporis, vel ab accidentibus quibus exornatur in cœlo. Dubitatio igitur procedit de his quorum mentio facta eſt in titulo. Circa quod.

Quorumdã opinio & fundamenta. 1.

Sunt qui putent, corpus Chriſti eſſe formaliter præſens in Euchariſtia per modum ſubſtantialem, quem conſequitur per tranſſubſtantiationem. Probant. Subſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti per conſecrationem; at conſecratio, ſeu tranſſubſtantiatio eſt motus ad ſubſtantiam: ergo cùm corpus Chriſti de facto non producatur, efficietur ſaltem aliquis modus ſubſtantialis, à quo formaliter dicetur præſens in Euchariſtia.

2. Deinde, fides docet corpus Chriſti per tranſſubſtantiationem ſuccedere in illum eumdem locum, in quo erat ſubſtantia panis; at officium panis, nullum aliud fuit quàm ſuſtinere & conſeruare accidentia: ergo illud facit corpus Chriſti. Cùm igitur ſuſtinere accidentia, ſit modus aliquis ſubſtantialis, ab hoc dicetur corpus Chriſti præſens.

3. Denique, ſancti Patres docent, maxime vero D. Thom. corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ: Concil. verò Tridentin. ſeſſ. 13. eſſe ſubſtantialiter: ergo in illa erit præſens per modum ſubſtantialem.

Aliorum ſententia.

Alij probant præſentiam corporis Chriſti deſumendam eſſe ab actione ſacramentali formaliter. Conſecratio, inquiunt, eſt via per quam corpus Chriſti, de facto ponitur ſub ſpeciebus conſecratis: ergo ab hac quoque dicitur præſens ſpeciebus conſecratis. Deinde ſubſtantia debet eſſe neceſſario præſens loco, vel per quantitatem, vel per actionem; at corpus Chriſti, non eſt præſens ſpeciebus conſecratis, per quantitatem, quia non eſt modo quantitatiuo in hoc ſacramento, omnium conſenſu: ergo erit præſens per actionem.

3. Sentent. Alij denique contendunt præſentiam iſtam prouenire à relatione, idque quod omne præſens, ſit alicui alteri præſens.

Corpus Chriſti non eſt præſens per modum ſubſtantialem. 1.

CONCLVSIO 1. *Corpus Chriſti non eſt formaliter præſens ſpeciebus conſecratis per modum aliquem ſubſtantialem, qui ei adueniat per actionem ſacramentalem.* Primò, quia omnis modus ſubſtantialis, vel pertinet ad compoſitionem, vel ad complementum ſubſtantiæ, vt patet ex vnione animæ cum corpore, exiſtentia, & ſubſiſtentia cuiuſlibet ſubſtantiæ: at præſentia, quæ dicitur de corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis, nec pertinet ad compoſitionem, nec ad complementum humanitatis Chriſti; nam humanitas Chriſti per ſe, & perfectiſſimè eſt completa in dextera patris, neque producitur de nouo in hoc ſacramento.

2. Deinde, tria poſſunt conſiderari in corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus: alterum quod proxime, & immediate coniungatur illis 2. quod ſit modo indiuiſibili ſub iiſdem. Denique quod vniatur perfectiſſime iſtis ſpeciebus; at nullum horum dici poteſt modus ſubſtantialis corporis Chriſti: ergo. Non quidem primum, quia Angelus cenſetur proxime, & immediate coniunctus puncto illi indiuiſibili in quo agit, nec tamen eſt aliquis, qui hactenus dixerit modum hunc exiſtendi Angeli in hoc vbi, eſſe modum ſubſtantialem. Neque ſecundum: quemadmodum enim eſſe in loco, modo diuiſibili, non eſt modus ſubſtantialis, ſed accidentalis: hic namque petitur à quantitate, ex doctrina communi Ariſtot. ità eſſe modo indiuiſibili, non erit modus ſubſtantialis: opponuntur ſiquidem iſti duo modi; oppoſita autem pertinent ad idem genus. Nec denique tertium, quia vnio iſta corporis Chriſti, cum accidentibus panis, non eſt res aliqua realiter diſtincta ab ea actione per quam corpus Chriſti conſtituitur præſens ſpeciebus conſecratis: ergo cum preſentia hęc non ſit modus ſubſtantialis, corpus Chriſti non dicetur præſens formaliter ab iſta vnione.

Obiectio. Dices, vnionem animę cum corpore eſſe modum ſubſtantialem: ergo illud idem erit dicendum de vnione ſubſtantię corporis Chriſti cum accidentibus panis.

Solutio. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſequentiam: propterea enim vnio animæ cũ corpore eſt modus ſubſtantialis, quia ex hac vnione conſurgit vere, & realiter totum aliquod ſubſtantiale: ex vnione autem ſubſtantię corporis Chriſti cum accidentibus non reſultat ens aliquod ſubſtantiale per ſe, ſed tantum per accidens, licet conſurgat vnum omnino ſacramentum partiale: quocirca vnio corporis Chriſti cum accidentibus panis non eſt modus ſubſtantialis.

Nec actio, nec relatio conſtituunt præſens corpus Chriſti. CONCLVSIO 2. *Id à quo denominatur formaliter corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus conſecratis, non eſt actio, neque item relatio.* Prima pars huius concluſionis probatur. Ab actione denominatur quis agens, non præſens. 1.

Deinde, duæ res rectè coniunguntur, etiamſi nulla detur actio inter iſtas duas res. 2

Tertiò, ſunt qui negent corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis vllam exercere actionem circa illas; nullus eſt autem qui neget corpus Chriſti eſſe illis præſens. 3.

Digitized by Google

4. Quarto, nulla datur actio ſine termino producto : at non poteſt dici quid ſit terminus productus per præſentiam corporis Chriſti ſub ſpecibus conſecratis : ergo, &c.

2. Partis probat.

Secunda verò pars probatur. Relatio nulla per ſe producitur ; ad relationem ſiquidem non eſt motus : at præſentia corporis Chriſti producitur ſub ſpeciebus conſecratis per actionem tranſubſtantiationis, omnium patrum conſenſu.

1.

2.

Deinde, nulla datur relatio, quæ non verſetur inter duo extrema ſibi oppoſita ; at non poteſt dici, quod ſit aliud extremum præſentiæ corporis Chriſti : nam hoc nequit eſſe ſpecies conſecratæ ; nihil enim repugnat, quominus conſeruet Deus corpus Chriſti in illo loco, in quo ex hypotheſi ſunt ſpecies conſecratæ, iſtis deſtructis ibidem ; quamobrem tam verè eſſet præſens corpus Chriſti illi ſpatio poſt deſtructionem ſpecierum conſecratarum, quam antea : ergo.

3.

Tertiò, quælibet relatio vindicat ſibi fundamentum aliquod cum quo eſt idem realiter ex veriori opinione : at non poteſt aſſignari fundamentum præſentiæ corporis Chriſti conſtituti ſub ſpeciebus conſecratis : imò docetur communiter præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis fundare relationes propinquitatis, & diſtantiæ : ergo cum vna relatio, non ſit fundamentum alterius relationis, ſtatuendum eſt præſentiam corporis Chriſti, non eſſe relationem.

Vbi ſacramentale formaliter conſtituit corpus Chriſti ſub ſpeciebus.

CONCLVSIO VLTIMA. *Id à quo denominatur formaliter corpus Chriſti præſens in ſacramento altaris, eſt vbi ſacramentale.* Probatur primò. Nam propterea corpus Chriſti dicitur præſentiſſimum, & indiſtans, ſeu vicinum, & contiguum ſpeciebus conſecratis, quia eſt in vbi ſub illis: ergo.

1.

2.

Deinde, vbi nihil aliud eſt, quàm modus aliquis intrinſecus qui aduenit alicui rei ex eo quod res hæc, ità eſt hîc, vt alibi non ſit : at corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis eſt : ergo ab hoc vbi, erit repetenda præſentia illius, formaliter loquendo.

3.

Tertio, modus quo corpus Chriſti exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis, imitatur modum illum, quo Angeli & ſubſtantiæ ſpirituales ſunt in loco præſentes ; eſt enim corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, totum in toto, & totum in qualibet parte ; ergo quemadmodum Angeli ſunt præſentes ſpatio alicui per vbi intrinſecũ, quod in ipſis exiſtit, ità illud idem erit dicendum de præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus.

Denique, præſentia hęc neceſſario reuocari debet ad aliquam categoriam realem : non poteſt autem reuocari ad vllam, præterquàm ad vbi: nam non eſt hæc ſubſtantia, nec modus ſubſtantialis, nec relatio, nec actio, vt probatum eſt, nec quantitas, quia non dicit partes extra partes, nec paſſio ; hæc enim non diſtinguitur realiter ab actione ; nec ſitus, quia hic ſupponit vbi quantitatiuum, quod non habet corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia : nec quando ; hoc enim dicit vel tempus extrinſecum, vel internam durationem, quæ non eſt aliquid diuerſum realiter à re, quæ durat ; neque habere, hoc namque ſignificat modum aliquem externum cum ſubiecto : ergo, erit neceſſario vbi: hæc ſententia eſt D. Thom. in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. art. 3. quęſt. 3. ad primum, & multorum Thomiſtarum ibidem; Ferrarienſis, lib. 2. contra Gentes, cap. 63. & item illorum omnium qui communiter docent corpus Chriſti eſſe in pluribus locis per vbi.

In qualibet corpore locato datur

Vt autem res hęc plenius intelligatur, Aduerte, quod quemadmodum in corpore locato, præter locum, qui eſt ſuperficies corporis ambientis, datur modus aliquis ſibi internus ; à quo dicitur formaliter præſens, quique tamdiu manet vnus & idem, quamdiu corpus locatum immotũ manet: corrumpitur verò quàm primum contingit corpus locatum moueri: ità de corpore Chriſti concedendum eſt quòd habeat modum aliquem ſibi internum à quo dicitur formaliter præſens ſpeciebus conſecratis, ità vt modus hic ſit diſtinctus realiter, ab eo, quem habet idem numero corpus Chriſti conſtitutum in dextera patris : ab hoc ergo modo quem conſequitur ex eo quòd ſit ſub ſpeciebus conſecratis, denominatur formaliter præſens iiſdem, & ſpatio, in quo ſunt huiuſmodi ſpecies.

vbi.

Diſſoluũtur rationes ſent. 1.

Ad rationes authorum prioris ſententiæ reſpondeo. Ad primã, negando conſequentiam; neque enim fieri poteſt vt aliquid conſequatur rationem modi ſubſtantialis, niſi ſit quid pertinens vel ad compoſitionem, vel ad complementum naturæ ſubſtantialis : certum autem eſt, id quod aduenit corpori Chriſti, à quo denominatur formaliter præſens ſpeciebus conſecratis, non eſſe quidpiam quod pertineat vel ad compoſitionem, vel ad complementum corporis Chriſti ſubſtantiale : diximus namque præſentiam iſtam prouenire ab vbi ſacramentali, quod aduenit corpori Chriſti, ex eo quod ponatur ſub ſpeciebus conſecratis, vi verborum conſecrationis.

1.

Ad ſecundã. Subſtantiam corporis Chriſti, ſuccedere quidem in locum ſubſtantiæ panis, non tamen propterea recipere in ſe accidentia panis; etenim de fide eſt, accidentia ſanctiſſimi ſacramenti eſſe ſine ſubiecto. Deinde, licet daremus ſubſtantiam corporis Chriſti, exercere illud idem officium circa accidentia panis, quod ſubſtantia panis præſtabat ; ſeeluſa tamen omni imperfectione, & inhærentia, non tamen ideò ſequeretur præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis ſumendam eſſe formaliter ab officio iſto ex hypotheſi ſubſtantiali, quod ſubſtantia corporis Chriſti exercet circa accidentia panis: nam officium hoc, vt ſic, non facit, nec facere poteſt formaliter præſens corpus Chriſti ſpeciebus, licet præſupponat exiſtentiam ipſius ſub illis; prius namque eſt aliquid eſſe alicubi, quàm operetur ibidem: præſentia ergo hæc petenda eſt ab vbi ſacramentali, vt diximus.

2.

Ad vlt. Reſp. corpus Chriſti in ſacramento altaris eſſe illic per modum ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantialiter : non autem per modum ſubſtantialem: hæc enim duo ſunt omnino varia, & diuerſa : ad hoc enim vt quidpiam ſit modus ſubſtantialis, deſideratur, ſicut ante monuimus, vt pertineat vel ad compoſitionem, vel ad complementum naturæ ſubſtantialis ; hoc autem dici nequit de præſentia corporis Chriſti, vt ſic, ſub ſpeciebus conſecratis : ad hoc autem vt aliquid ſit per modum ſubſtantiæ, vel ſubſtantialiter ſatis eſt, quod afficiat ſubſtantiam modo aliquo ſibi proportionato, & conueniente; non autem prout poſtulat natura alicuius alterius rei, putà accidentis, ſi ſermo ſit de eo quod habet modum ſubſtantiæ: etiamſi nullo modo pertineat ad compoſitionem, vel complementum naturæ ſubſtantialis, hoc autem modo dicitur eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis per modum ſubſtantiæ.

3.

Digitized by Google

Soluio rationum 2. ſent. Ad rationes verò authorum 2. ſententiæ, reſpondeo. Ad 1. tranſſubſtantiationem verè eſſe, & propriè actionem, non tamen propterea colligere licet ab illa actione denominari formaliter præſens corpus Chriſti: nam terminus formalis tranſſubſtantiationis, non eſt præſentia corporis Chriſti, vt ſic, ſed ipſummet Chriſti corpus, cum modo aliquo ſubſtantiali producto de nouo in illo, prout exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis, vt probabitur articulo ſequenti D. Thom.

1.

2. Ad vltimam. Reſp. negando maiorem propoſitionem: falſum enim eſt illud omne quod eſt in loco, eſſe in eo, vel per quantitatem, vel per actionem: Angelus ſiquidem, itemque anima ſeparata à corpore, eſt ſon loco, & tamen nulla datur quantitas in anima rationali, vel in Angelo; non eſt etiam neceſſe Angelum, vel animam operari in hoc, vel illo loco, vt eſt per ſe notum; nec tamen propterea dicimus de anima, vel de Angelo, quod non ſint in loco.

Fundamentum 3. ſent. diſſoluitur. Ad rationem verò authorum 3. ſententiæ. Reſp. præſentiam corporis Chriſti, circa ſpecies conſecratas, non eſſe relationem; ſed fundamentum tantùm relationis propinquitatis, & diſtantiæ, quæ relationes propinquitatis, & diſtantiæ dicuntur de corpore Chriſti, & ſpeciebus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in hoc ſacramento, ſubſtantia panis & vini remaneat poſt conſecrationem.

DVBITATIO PRIMA.

An tranſſubſtantiatio ſit vera, & realis actio.

Tranſſubſtãtiatio vera & realis actio. 1. RESPONDEO affirmatiuè: dicitur enim trãſubſtantiatio; mutatio totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti; & mutatio totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, facta vi & efficacia verborum ſacramentalium: vt colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. can. 4. at definitio hæc vera eſſe nequit, niſi tranſſubſtantiatio ſit vera & realis aliqua actio, per quam aliquid verè, & realiter producatur.

2. Synod. Florent. Deinde, de fide eſt tranſſubſtantiationẽ eſſe veram conuerſionem, ex Concil Florent. in decreto fidei: *Panis*, inquit, *ſubſtantia in corpus, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertitur*: & Trident. loco cit. *Declarat ſancta Synodus; per conſecrationem panis & vini, fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti.* & Patres; Cyprian. de cœna Domini: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* & Cyprian. Euſeb. homilia 5. & D. Aug. referente Gratiano Euſebius D. Auguſt. de conſecrat. diſt. 5. cap. vtrum in figura, idem plane dicunt: at vera conuerſio eſt actio. Confirmatur. Vbicumque datur motus aliquis, per quem terminus à quo realis, & poſitiuus, conuertitur in terminum ad quem ex vi iſtius motus, hic quoque datur actio vera, & propriè: at in tranſſubſtantiatione datur terminus à quo realis, nempe ſubſtantia panis, & vini realis, quæ conuertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: ergo.

Item, verba conſecrationis ſunt veriſſima, & indubitata, ergo faciunt id quod ſignificant, cum ſint practica: ergo producunt per veram actionem, & cauſalitatem ſuum effectum: ita communiter Doctores hoc loco, & in 4. diſt. 11. Nomine verò tranſſubſtantiationis hoc loco, non intelligimus prolationem verborum, factam à conſecrante ſacerdote præciſe ſpectatam; hæc enim eſt actio ſenſilis recepta in aëre, tamquàm in ſubiecto, vt eſt per ſe notum: tranſſubſtantiatio autem eſt actio ſpiritualis, & omnino inſenſilis, facta ſub ſpeciebus, ſeu accidentibus panis, & vini. Deinde, prolatio verborum eſt actio naturalis; tranſſubſtantiatio verò eſt ea ſupernaturalis. Denique, tranſſubſtantiatio eſt à prolatione verborum ſacramentalium, tanquam ab inſtrumento: ita D. Thom. quæſt. 78. art. 4. huius partis, & communiter interpretes eiuſdem.

3.

DVBITATIO SECVNDA.

Quis ſit formalis terminus tranſſubſtantiationis.

1. Opinio terminum tranſſubſtãtiationis formalẽ eſſe corpus Chriſti. VARIANT hac in re explicanda Scholaſtici, ſunt enim qui putent terminum formalem tranſſubſtantiationis eſſe ipſummet Chriſti corpus & ſanguinem eiuſdem; quæ producuntur de nouo, vi verborum conſecrationis ſub ſpecie panis, & vini; non tamen conuenit inter iſtos qua ratione corpus Chriſti producatur de nouo ſub ſpecie panis. Sunt ergo qui exiſtiment corpus Chriſti ideò eſſe terminum formalem tranſſubſtantiationis; quod producatur vere de nouo, ſub ſpecie panis; idem dicunt de ſanguine, ſub ſpecie vini.

Fundamentum 1. Probant 1: Quia ſancti Patres docent, ſubſtantiam panis tranſire in ſubſtantiam corporis Chriſti, & ex pane fieri corpus Chriſti: ita Cyprian. lib. de cœna Domini, Euſeb. Emiſſenus homilia 5. de Paſchate, aliique multi.

2. Deinde, poſita hac ſententia rectè intelligitur quomodo tranſſubſtantiatio ſit actio ſubſtantialis, non autem accidentalis.

3. Denique, verba conſecrationis debent eſſe veriſſima; ſunt autem hæc nedum theoretica, ſed practica: ergo cum hæc ſignificent, totum illud quod eſt ſub accidentibus panis, eſſe corpus Chriſti; & item totum illud quod eſt ſub accidentibus vini eſſe ſanguinem eiuſdem, ſequitur illud totum eſſe terminum formalem.

Reiicitur 1. opinio 1. Ceterùm, hæc opinio nulla ratione defenda videtur: repugnat enim produci de nouo aliquid, & eſſe productum; corpus autem Chriſti vere productum eſt, eſt enim in dextera Patris, & erit illic in æternum.

Reſponſio ad argumẽta infirma. Reſpondent authores huius ſententiæ, repugnare vt producatur; id quod eſt productum ſimpliciter, & abſolutè, non autem vt producatur in hoc, vel in illo loco; in quo non eſt: corpus autẽ Chriſti producitur ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ conſecrantur de nouo. Ceterùm, reſponſio hæc nihil plane dicit; neque enim fieri poteſt, vt aliquid de nouo producatur, vbi antea nõ erat, niſi tranſeat de non eſſe, ad eſſe; at corpus Chriſti quãdo ponitur de nouo ſub ſpeciebus cõſecratis habet eſſe in dextera Patris. Ad hoc reſpõdẽt, corpus Chriſti per tranſſubſtãtiationẽ trãſire

Alia ſolutio ineffica x oſtenditur.

Digitized by Google

de non esse, non quidem simpliciter, sed de non esse sub speciebus consecratis, ad esse sub speciebus consecrandis; in istis namque incipit esse de nouo: sed neque hæc responsio satisfacit; nam si corpus Christi inciperet esse de nouo, per veram & realem aliquam productionem sub speciebus, ità vt transeat de non esse hîc id fieret, vel per creationem, vel per generationem, vel per emanationem, seu eductionem: neque enim agnoscimus alias actiones ordinis naturalis, quibus res incipiant esse; vel denique per transubstantiationem: at nullum ex istis dici potest: non quidem 1. quia ità terminus à quo productionis corporis Christi sub speciebus consecratis, non esset substantia panis, sed nihil; hoc enim est terminus à quo creationis, cùm creatio, sit productio totius entis ex nihilo. Neque item 2. ità enim concedendum esset, materiam panis perseuerare, vnà cum corpore Christi sub speciebus consecratis: est enim idem subiectum sub vtroque extremo, seu termino generationis, omnium consensu: De fide autem est totam substantiam panis desinere esse sub speciebus consecratis. Neque 3. propter causam proximè commemoratam, & quia quod producitur, per emanationem, seu eductionem recipitur in eodem subiecto, ex quo educitur, vt constat ex proprietatibus sequentibus essentiam rei, & ex gratia, & alijs donis habitualibus supernaturalibus, quæ recipiuntur in anima rationali, ex qua educuntur, omnium consensu. Neque denique 4. quia de ratione transubstantiationis est (vt sumitur hæc à Theologis hoc loco) vt tota substantia panis, quæ habet rationem termini à quo, esse desinat simpliciter & absolutè; ità vt nihil illius sit cum corpore Christi, quod ponitur illo eodem loco, in quo erat substantia panis: ergo, cùm non explicet ista opinio, quid sit illud ex quo producitur corpus Christi, non potest etiam dici transire de non esse, ad esse in hoc sacramento; ità vt hîc vere producatur. Denique, sancti Patres, & sacra Concilia nusquam hactenùs dixerunt, corpus Christi produci per veram conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi. Patet. Produci hîc, nihil aliud est, quàm consequi præsentiam aliquam localem, non autem de nouo consequi existentiam & essentiam proprie, vt colligitur ex particula, *hîc*, quæ vbi, vel locum significat.

Christus nõ incipit esse de nouo, ità vt transeat de non esse ad esse.

Produci hîc, quid significet.

Dissoluuntur rationes 1. opinionis.

1.

Ad rationes vero contrarias resp. Ad 1. ex istis locis sanctorum Patrum nihil probari: non enim aiunt corpus Christi de nouo produci sub speciebus consecratis; quod tamen intendunt authores huius opinionis. Deinde, quando Patres aiunt substantiam panis transire in corpus Christi, & panem fieri corpus Christi, nihil aliud volunt, quam per transubstantiationem substantiam corporis Christi constitui vere & realiter sub illis eisdem accidentibus, sub quibus erat ante substantia panis, idque vi, & efficacia verborum consecrationis: hoc autem fieri potest, etiamsi de nouo non producatur corpus Christi per consecrationem.

2.

Ad 2. posita sententia istorum authorum, facile explicari qua ratione transubstantiatio sit actio substantialis; terminus siquidem illius vere est substantia: ceterùm ex huius positione, sequitur dubium quàm maximum, quod tamen non percipiunt authores isti; nempe, quî fieri possit vt vere producatur de nouo, quod de facto existit, repugnat enim aliquid produci de nouo, & esse productum, corpus autem Christi productum est, & agit in dextera Patris.

Vltima.

Ad vltimã. Verba consecrationis esse verissima, licet in ea, vel per eam non sequatur productio de nouo corporis Christi, sub speciebus consecratis; satis enim est ad hoc vt verba ista; *Hoc est corpus meum* sint vera, quod illis prolatis totum illud quod continebatur sub speciebus sit corpus Christi verum: hoc autem indubitanter contingit, etiamsi non producatur illic de nouo, vt probabitur inferiùs.

Aliorũ explicatio 1. opinionis.

Alij verò putant corpus Christi esse terminum transubstantiationis formalem, quod per illam potuerit produci de nouo, sub speciebus consecratis, ità vt si non esset productum, efficeretur vere de nouo sub speciebus huiusmodi: quare corpus Christi producibile, ex istorum opinione est terminus formalis transubstantiationis.

Minus probabilis. 1.

Ceterùm hæc opinio minùs placet: Quoniam primò, terminus formalis cuiuslibet actionis realis, & positiuæ, debet quoque esse res aliqua realis, & positiua: actio namque nihil aliud est, quàm ipsemet terminus productus, vt est in fieri, at transubstantiatio est actio realis, & positiua: ergo debet habere terminum realem, & positiuum per eumdem productum: huius autem generis non est corpus Christi producibile, vt est per se notum. Confirmatur. Actualis operatio terminum formalem & actualem postulat existentem.

Cõfirmatio.

2.

Rursus, de formis in quibus datur tantum actus secundus, non verò primus, non licet concedere, quod reperiatur in illis terminus aliquis in potentia, sed debet hic necessariò existere, vt patet in visione, auditione, ambulatione, calefactione, & alijs innumeris; at transubstantiatio est forma: ergo admittit tantum actum secundum, & nullo modo primum; dicit enim actionem momentaneam, quæ desinit esse per vltimum sui esse, in illo eodem instanti, in quo incipit esse.

3.

Item, habet vt sic rationem actualis operationis: ergo, nequit habere hæc pro termino formali corpus Christi, prout produci potest de nouo, sub speciebus consecrandis.

Aliorũ eiusdem 3. opinionis expositio.

Alij 3. contendunt corpus Christi esse terminum transubstantiationis, non quidem quod corpus Christi producatur de nouo sub speciebus panis, sed quod conseruetur de nouo sub accidentibus eiusdem, conseruatione omnino distincta ab ea, qua conseruatur in dextera Patris: hæc autem conseruatio omnium consensu, est modus substantialis cùm versetur circa substantiam corporis Christi, & consequenter ab hac conseruatione, recte dicitur transubstantiatio actio substantialis.

Et fundamenta. 1.

Probant suam sententiam ex Patribus, qui docent corpus Christi creari in Eucharistia: ità Cyprian. serm. de cœna Domini, & D. Augustin. referente Gratiano, dist. 2. de consecrat. can. vtrum sub figura. & Canon Missæ, ità habet: *Domine hæc dona semper tua, & sanctificas*: ergo cum corpus Christi non creetur secundum suam essentiam de nouo sub speciebus consecratis, debet conseruari sub istis distincta conseruatione ab ea, qua conseruatur in dextera Patris: etenim conseruatio substantiæ, modus substantialis est, omnium consensu, qui proinde poterit esse terminus transubstantiationis.

Secundo

Digitized by Google

Secundo probant. Corpus Chriſti non adducitur;ità enim tranſſubſtantiatio eſſet actio accidentalis, terminaretur namque ad vbi: neque item ſublocatur in illo eodem ſpatio, in quo erat anteà ſubſtantia panis, ità ſiquidem tranſſubſtantiatio nō eſſet actio ſubſtantialis;ſed trāſlocatio,ac proinde actio accidentalis: ergo per tranſubſtantiationē conſeruabitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, longe aliter quàm conſeruetur in cœlis: nam in cœlo conſeruatur modo ſibi connaturali; ſub ſpeciebus verò conſecratis modo ſupernaturali: maior autem vis eſt neceſſaria ad conſeruationem ſupernaturalem, quàm ad naturalem. 2.

Tertiò, negari nequit, quin corpus Chriſti, conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, poſſit conſeruari, per conſeruationem diſtinctam omninò ab ea, qua conſeruatur in dextera Patris: certum eſt enim vnum, & eumdem omnino effectum produci poſſe à pluribus cauſis totalibus adęquatis,vt conſtat ex vna hoſtia,quę à pluribus ſacerdotibus in eodem tempore proferentibus verba conſecrationis, conſecratur totaliter à quolibet ex iſtis ſacerdotibus, ex communi doctrina: ergo, cùm poſita iſta noua conſeruatione corporis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis, facilè explicetur qua ratione tranſſubſtantiatio ſit actio ſubſtantialis, ſtatuendum erit tranſubſtantiationem habere pro termino formali, conſeruationem corporis Chriſti de nouo productam, præſertim cum aliter non explicetur, ſatis commode: qua ratione tranſſubſtantiatio ſit actio ſubſtantialis. 3.

Sed neque illā rem bene explicat.

Verùm hæc explicatio, licèt ſit ſubtilis, & vindices habeat viros litteratiſſimos, non tamen propterea plene ſatisfacit. Primò, quia nihil repugnat, quominus Chriſti corpus conſeruetur ſub ſpeciebus conſecratis, per eamdem numero conſeruationem, qua conſeruatur in dextera Patris; nam ſi aliquod corpus per omnipotentiam Dei poneretur in pluribus locis ſucceſſiue, non ideò diceremus de illo, quod conſeruaretur in iſtis per diſtinctas conſeruationes, ſed per vnam, & eamdem numero: idque quod conſeruatio rei alicuius, non ſit res aliqua diſtincta à productione prima qua res producitur, ex communi doctrina:ergo conſeruatio iſta, quæ adducitur ab iſtis authoribus, non eſt neceſſaria ad tranſubſtantiationem explicandam.

Effugium contrariorū.

Reſpondent authores huius opinionis, antecedens eſſe veriſſimum: ceterum quia de potentia abſoluta Dei fieri poteſt, vt vna numero res conſeruetur diſtinctis, & diuerſis conſeruationibus; idcirco videtur admittenda noua conſeruatio corporis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis; propter rationes allatas.

Præiudicatur. 1.

Sed hæc reſponſio infirma eſt: ſubſtantia ſiquidem panis non conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti vi, & efficacia actionis, ſeu præſentiæ ſubſtantialis, quæ aduenit corpori Chriſti, ex eo quod ſuccedat ſubſtantiæ panis, in officio aliquo ſubſtantiali, quod ſuſtinet circa accidentia panis, illo eodem modo, ceteris paribus, quo exercebat illud ſubſtantia panis, quando aderat: ergo conſeruatio iſta noua ſub ſpeciebus conſecratis, non eſt neceſſaria ad tranſubſtantiationē explicandā. Antecedēs probatur. Subſtantia panis,vt ſic,non eſt incompoſſibilis cū ſubſtantia corporis Chriſti; nam per omnipotentiam Dei non minùs poſſunt duæ iſtæ ſubſtantiæ, in vno, & eodem loco ſimul conſeruari, quàm duæ aliæ res ſubſtantiales completæ; repugnantia ergo corporis Chriſti & ſubſtantiæ panis, ſub ſpeciebus conſecratis, perpendenda eſt ex eo quod ſubſtantia panis habeat rationem termini à quo tranſſubſtantiationis, & ſubſtantia corporis Chriſti, cum modo ſubſtantiali qui illi aduenit, rationem termini ad quem. Certum autem eſt terminum à quo non poſſe ſtare cum termino ad quem ſimul, & ſemel; & conſequenter ſubſtantia panis nequit eſſe cum ſubſtantia corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, ex natura actionis tranſſubſtantiationis, quæ eſt commutatio totius ſubſtantiæ panis, qui eſſe deſinit, in ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ eſſe incipit ſub ſpeciebus conſecratis, & de nouo conſtituitur illic præſens ex modo aliquo ſubſtantiali qui producitur in corpore Chriſti, vi tranſubſtantiationis.

Deinde. Actio tranſubſtantiationis eatenùs aſſeritur à Concil. & Patribus, quatenùs hæc eſt neceſſaria ad verificanda verba iſta: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*: at verba hæc ſunt veriſſima, etiamſi non conſeruetur corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, per conſeruationem aliquam diſtinctam ab ea, qua conſeruatur in dextera Patres: nam ſatis eſt ad veritatem prædictorum verborum, quod prolatis verbis conſecrationis, totum illud quod continetur ſub ſpeciebus ſit Chriſti corpus, vel certe Chriſtus, quod ſine noua conſeruatione veriſſimum eſſe poteſt, vt eſt per ſe notum, ex dictis. 2.

Tertiò. Actio ſacramentalis non attingit corpus Chriſti conſtitutum in dextera Patris: nam alioquin haberet illic eſſe ſacramentale: ergo, neque conſeruatur de nouo, ſub ſpeciebus conſecratis per actionem ſacramentalem; conſeruatio namque non eſt actio diſtincta à productione, qua producitur corpus Chriſti, omnium conſenſu. Conſtat autem corpus Chriſti, non produci de nouo per actionem ſacramentalem, ſub ſpeciebus conſecratis, ſed tantum incipere eſſe, vbi ante non erat, & ſimiliter eſſe præſens de nouo illis ſpeciebus. 3.

Quartò. Actio ſacramentalis terminatur ad id quod manet, peracta conſecratione: ordinatur enim hæc ad conſectionem ſacramenti Euchariſtiæ, quod non in vſu conſiſtit, ſed rationem rei permanentis conſequitur, vt definiuit Concil. Trident. ſeſs.13. atqui ſubſtantia corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis non poteſt permanere, neque conſeruari, vi actionis tranſubſtantiationis, cum ſit actio inſtantanea, quæ deſinit eſſe per vltimum ſui eſſe, in eodem inſtanti, in quo incipit: quod autem non eſt, non poteſt eſſe cauſa conſeruationis rei actualis exiſtentis: ergo. 4.

Vltimo.

Denique, ſtante hac hypotheſi, quæ communiter admittitur ab omnibus omnem actionem ſacramentalem, & item omne ſacramentum pendere ab humanitate Chriſti, veluti ab inſtrumento coniuncto diuinitati, & actionem tranſubſtantiationis pendere à verbis conſecrationis, veluti à cauſa inſtrumentali ſeparata; ab humanitate vero Chriſti, veluti à cauſa inſtrumentali coniuncta: fieri non poteſt vt vnum, & idem ſeipſum producat, vel conſeruet: ità namque præſupponeretur ſibi ipſi, ad hoc vt produceretur: atqui actio tranſubſtantiationis eſt effectus humanitatis Chriſti; & conſequenter eſt conſer-

Digitized by Google

uatio eiusdem humanitatis sub speciebus consecratis; dato quod conseruetur illic de nouo per actionem sacramentalem: ergo vere non conseruatur corpus Christi de nouo in sacramento noua conseruatione.

Satisfit rationibus in contrarium allatis.

Ad rationes vero contrarias respondeo. Ad 1. sanctos Patres non affirmare corpus Christi creari de nouo, vel produci simpliciter per transsubstantiationem, aut, quod idem est, per actionem sacramentalem: sed tantum creari, aut produci in sacramento Eucharistiæ, vel in altari: hoc autem recte fieri potest, etiamsi non producatur de nouo, transeundo de non esse ad esse, nec conseruetur conseruatione distincta ab ea, qua conseruatur in cœlis; modo tamen incipiat esse vere præsens de nouo, vbi antea non erat præsens, & adueniat illi modus aliquis substantialis, quem non habet in dextera Patris, vt colligitur ex ea ratione loquendi satis populari inter probatos, & Latinos authores: aiunt enim Socratem v. g. creatum fuisse Consulem, vel Episcopum, licet Socrates per huiusmodi creationem non transeat de non esse ad esse, vt est per se notum: quia tamen ei aduenit de nouo dignitas aliqua; ideo in ordine ad huiusmodi dignitatem dicitur de hoc Socrate, quod creatus sit Episcopus, vel Consul; pari modo, quia corpus Christi incipit esse realiter sub speciebus consecratis per consecrationē, sub quibus tamen anteà nō erat, & ei aduenit modus aliquis substantialis per istam consecrationem, cum præsentia sacramentali; ideo in ordine ad hos effectus dicitur à Patribus creari in Eucharistiæ sacramento, vel in altari.

1. Explicantur SS. PP. dicentes creari corpus Christi in Eucharistia.

Ad id verò quod dicitur de Canone Missæ. Resp. nulla ratione fauere authoribus istis; loquitur enim Canon non de corpore Christi, sed de sacramento, seu sacrificio Missæ, quod quia constat materia panis & vini, vel speciebus eorumdem, ideo appellat duas istas res diuersas, bona creata.

2. Ad 2. concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem autem, corpus Christi habet duplicem modum existendi, prout est in dextera Patris, & in sacramento: in hoc enim sacramento existit ad modum substantiæ, & ex consequenti indiuisibili, & impartibili aliqua ratione, ità vt totum sit sub tota hostia consecrata, & totum sub qualibet parte hostiæ, seu speciei: illic autem modo agit corpus Christi, in dextera Patris per quantitatem extensam in ordine ad locum, ità vt partes illius respondeant partibus spatij in quo est: licet autem duo isti modi insint corpori Christi constituto in dextera Patris, & in sacramento; non ideo tamen existimandum est conseruari in sacramento, conseruatione distincta realiter ab ea, qua conseruatur in dextera Patris; sed est vna, & eadem numero; quemadmodum est vna, & eadem numero productio corporis præcise spectati secundum suam substantiam, in sacramento, & in dextera Patris.

Vltima diluitur.

Ad vltimam resp. Nihil repugnare, saltem de potentia Dei absoluta, Christum conseruari in Eucharistia, per conseruationem distinctam realiter ab ea qua in dextera Patris: ceterùm de facto vna & eadem conseruatione conseruatur in Eucharistia, & in dextera Patris, ob rationes explicatas. Non est item necessaria noua ista conseruatio corporis Christi sub speciebus ad transsubstantiationis mysterium explicandum, vt constabit ex nostra sententia, quam paulò post subijciemus.

2. Sententia de termino formali.

Alij putant terminum transsubstantiationis formalem, esse præsentiam corporis Christi sub speciebus consecratis; adæquatum vero & totalem esse corpus Christi eisdem præsens: hæc tribuitur Scoto in 4. dist. 11. nonnullis item Thomistis, maximè Paludano, quæst. 2. art. 1.

Sed an hæc sit mēs Scoti, difficile est ex eo colligere; constituit enim duas actiones in transsubstantiatione, adductiuam, scilicet, & conuersiuam: illius terminum formalem ait esse præsentiam corporis Christi; huius verò ipsum corpus Christi: non explicat autem quānam ratione duæ illæ actiones se habeant ad transsubstantiationem. Moderni tamen vsum hunc loquendi retinent, idque quod videatur satis facilis ad explicandum mysterium transsubstantiationis, aduersus nostri temporis hæreticos: ità ergo sentit Bellarminus lib. 2. de Eucharistia, cap. 18. Sanctius repet. 7. cap. 6. Gabriel Parisiensis, tract. de Eucharistia, cap. 1. & alij.

Fundamentum istorum authorum est, transsubstantiationem esse, vel conuersionem vnius substantiæ in aliam, vel successionem vnius substantiæ in locum alterius sub ijsdem accidentibus; ità vt mutatio hæc dici possit, vel substantialis, vel substantiarum.

Explodum etiam illa sententia.

Ceterùm, licet hæc opinio ità explicata, sit satis accommodata ad respōdendum hæreticis nostri temporis, non tamen difficultates, quæ in scholis proponuntur tollit, & adimit; ac proinde neque etiam videtur amplectenda: nam terminus adductionis est præsentia, hæc autem computatur inter accidentia, non ergo transsubstantiatio esset actio substantialis, sed accidentalis. 1.

Deinde, denominatio transsubstantiationis in ista opinione non petitur à termino formali transsubstantiationis; sed à subiecto circa quod, vel in quo vna substantia succedit alteri: hoc autem recedit à communi opinione, & ratione loquendi philosophorum, & Theologorum. 2.

Vltima sententia, explicabitur sequentibus Conclusionibus. 3.

Accidens nō potest esse terminus formalis transsubstantiationis.

Conclvsio 1. *Transsubstantiatio nequit habere pro termino formali vllum accidens, sed postulat necessario substantiam, vel modum substantialem.* Probatur. Quia cuiuslibet actionis substantialis terminus debet esse substantia aliqua; actio siquidem nihil aliud est, quàm ipsemet terminus, prout est in fieri, vt constat ex calefactione; hæc namque est calor prout hîc fit: atqui transsubstantiatio est actio substantialis, ex Concil. Lateranensi, sub Innocent. III. Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 4. & Florent. in decreto Eugenij, §. de Eucharistiæ sacramento: ergo non potest habere pro termino formali accidens. 1.

Terminus formalis est corpus & sanguis.

Conclvsio 2. *Terminus formalis transsubstantiationis est Christi corpus, & sanguis eiusdem:* hæc videtur indubitata; dicitur enim in Conc. Lateranensi, & refertur in cap. firmiter, de summa Trinit. &c. & Trident. sess. 13. cap. 4. & in decreto Eugenij citato, substantiam panis & vini per consecrationem transsubstantiari, & conuerti in substantiam corporis, & sanguinis Christi; at hæc vera esse non possunt, nisi terminus formalis transubstantiationis sit corpus Christi, & sanguis eiusdem: terminus siquidem formalis cuiuslibet actionis debet esse is qui producitur, 1.

Digitized by Google

ducitur, vel certe ponitur per eiuſmodi actionem, vt conſtat ex intenſione alicuius qualitatis, & ex mutatione locali, aliiſque ſimilibus: eſt autem de fide corpus, & ſanguinem Chriſti poni de nouo ſub ſpeciebus quæ conſecrantur, idque vi, & efficacia verborum ſacramentalium: ergo.

2. Deinde, ſancti Patres, ſupra citati verbis expreſſis docent, per tranſſubſtantiationem ſubſtantiam panis, & vini conuerti, mutari, & tranſire in naturam corporis, & ſanguinis Chriſti; at ratio iſta loquendi ſanctorum Patrum nequit eſſe conſona veritati; niſi tranſubſtantiatio habeat pro termino formali ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti: propoſitio ſiquidem iſta; *Panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti*, ſignificat terminum formalem iſtius conuerſionis eſſe corpus Chriſti, quemadmodum & hæc: *Lignum mutatur in ignem*, deſignat terminum formalem iſtius conuerſionis eſſe ignem: ergo terminus formalis tranſſubſtantiationis eſt corpus, & ſanguis Chriſti.

Corpus Chriſti cum ſit corpus, non eſt terminus formalis tranſſubſtantiationis, ſed cum modo ſubſtantiali qui ei aduenit de nouo per conſecrationem; hic autem modus ſubſtantialis aduenientis quilis nullus alius eſt, quàm conſeruatio accidentium panis; ita vt corpus Chriſti ſuccedat vi conſecrationis ſubſtantiæ panis, exercendo illud idem officium ſubſtantiale erga accidentia panis, quod præſtabat ſubſtantia panis quando aderat: hæc theſis duas habet partes. Prima probatur. Cuiuſlibet actionis realis de nouo productæ, datur terminus realis de nouo ſimiliter productus; hæc enim tria ſunt relata, ac proinde neceſſariò ſimul, agens, actum, & actio: at tranſſubſtantiatio eſt noua, & realis aliqua actio omnium conſenſu: ergo, cum per iſtam non producatur de nouo corpus Chriſti, ſed conſtituatur tantum præſens ſub ſpeciebus conſecratis, non poterit corpus Chriſti ſolum, eſſe terminus formalis tranſſubſtantiationis; ſed deſiderabitur prætereà modus aliquis ſubſtantialis productus de nouo per tranſſubſtantiationem.

CONCLVSIO VLTIMA. | *Terminus formalis tranſſubſt. Probatio 1. partis 1.*

2. Deinde, terminus formalis tranſſubſtantiationis eſt, quo poſito ex natura rei deſtruitur ſubſtantia panis ſub accidentibus eiuſdem: eſt enim de ratione tranſſubſtantiationis, quod effectiuè deſtruat ſubſtantiam panis, dixi enim verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, eſſe practica, ac proinde facere, quod ſignificant: atqui præſentia corporis Chriſti, vel ſubſtantia eius præciſe ſpectata, non deſtruit ſubſtantiam panis, vt monuimus in antecedentibus: ergo ſola ſubſtantia corporis Chriſti non eſt terminus formalis tranſſubſtantiationis.

3. Tertiò. Conſecrationes diſtinguuntur inter ſe numero, omnium conſenſu: at non poſſunt iſtę diſtingui numero, reſpectu ſubſtantiæ corporis, & ſanguinis Chriſti; cùm ſub qualibet ſpecie conſecrata panis, & vini, vna & eodem numero ſubſtantia corporis Chriſti exiſtat vere: ergo diſtinguuntur ratione modi commemorati ſubſtantialis.

4. Denique, Conſecratio ordinatur ad eſſe ſacramentale perficiendum; at eſſe ſacramentale, non conſurgit ex ſolo Chriſti corpore, alioquin in dextera Patris corpus Chriſti haberet rationem ſacramenti Euchariſtiæ, quod nullus eſt qui dicere audeat: ergo præter corporis exiſtentiam admittendum eſt aliquid aliud.

2. Pars ſuadetur.

Secunda verò pars Concluſionis probatur, primo. Subſtantia panis non deſtruitur ſub ſpeciebus conſecratis, ex vi poſitionis ſolius corporis Chriſti, ſed ex vi poſitionis eiuſdem, vt cõſeruat accidentia panis: nam abſolutè loquendo ſubſtãtia panis & ſubſtãtia corporis Chriſti poſsũt ſimul exiſtere per omnipotẽtiã in Dei; poſita verò prę ſentia ſubſtãtiali corporis Chriſti cõſeruantis accidẽtia panis, fieri nequit vt ſubſtãtia panis ſit cum corpore Chriſti: repugnat enim hoc corpus ſupplere defectũ panis ſubſtantię erga accidentia eiuſdem, & ſubſtantiam illam panis, illis eſſe verè præſentem, ſaltem de communi lege: ergo terminus formalis tranſſubſtantiationis erit conſeruatio accidentium panis & vini, facta à corpore Chriſti ſupplente defectum ſubſtantiæ panis, erga ſpecies conſecratas: patet hæc conſequentia: nam terminus formalis tranſſubſtantiationis cenſetur eſſe id, quo poſito ſequitur deſtructio ſubſtantiæ panis ſub ijſdem accidentibus: tranſſubſtantiatio ſiquidem eſt mutatio totius ſubſtantiæ panis, & vini, in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, facta vi, & efficacia verborum conſecrationis; verba autem hæc non producunt de nouo corpus Chriſti, ſed faciunt vt de nouo ſit præſens, vbi anteà non erat, & item vt conſeruet accidentia panis & vini eo modo, quo conſeruabat ſubſtantiã panis, & vini, quando aderat: ergo.

1.

2. Deinde, præter corpus Chriſti & ſanguinem eiuſdem, debemus aſſignare aliquid aliud, quod ſit terminus formalis tranſſubſtantiationis: hæc enim cùm ſit vera, & realis quædam actio, debet aliquid vere, & realiter producere de nouo; non producit autem corpus Chriſti, nec ſanguinem eiuſdem: ergo quiddam aliud, hoc autem nihil aliud eſſe poteſt, quàm conſeruatio ſpecierum conſecratarum, quæ eſt modus ſubſtantialis aduenies corpori Chriſti, & ſanguini eiuſdem, per actionem tranſſubſtantiationis.

Sola conſeruatio ſpecierum poteſt eſſe terminus formalis tranſſubſtantiationis.

Minor hæc probatur: In corpore Chriſti non poteſt admitti alius modus productus per tranſſubſtantiationem, quàm conſeruatio accidentium, ſeu ſpecierum conſecratarum; nam modi iſti tantùm dari poſſunt in corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis, exiſtentia, ſubſiſtentia, vnio animæ Chriſti cum corpore eiuſdem, vnio humanitatis cum Verbo, conſeruatio humanitatis Chriſti ſub ſpeciebus, & denique, harum conſeruatio ad modum ſubſtantiæ panis (præter iſtos enim modos nulli alij concipi poſſunt, qui ſint ſubſtantiales in corpore Chriſti) at priores modi nulla ratione producuntur per tranſſubſtantiationem; exiſtentia ſiquidem humanitatis præſupponitur, ſubſiſtentia vero eiuſdem eſt increata, quare non producitur per tranſſubſtantiationem. Rurſus, vnio animæ cum corpore fit per generationem, vnio vero humanitatis cum Verbo, per actionem incarnationis, conſeruatio tandem eiuſdem humanitatis ſub ſpeciebus, eſt eadem cum ea qua conſeruatur in dextera Patris, quæ proinde nullo modo poteſt eſſe à tranſubſtantiatione: ergo ſola conſeruatio ſpecierum conſecratarum erit, id, quod de nouo producitur per tranſubſtantiationem in corpore Chriſti, qua conſtituitur de nouo præſens ſub ſpeciebus conſecratis.

Vltima ratio.

Denique, actio ſacramentalis, ſeu tranſubſtantiationis ordinatur ad eſſe ſacramentale producendum, & ad illud idem eſſe collocan-

Digitized by Google

dum in corpore Chriſti: at eſſe ſacramentale non pendet præciſè ex ſolo corpore, ſed ex illo & ex modo ſubſtantiali, qui ei aduenit per tranſſubſtantiationem: ergo cum tranſſubſtantiatio producat tantum in corpore Chriſti modum hunc ſubſtantialem, qui dicitur conſeruatio accidentium panis, & vini, facta illo eodem modo, quo id præſtabat ſubſtantia panis, quando aderat, formalis terminus tranſſubſtantiationis erit corpus Chriſti cum iſto modo ſubſtantiali.

In hac ſententia ſunt Michaël de Palatio in 4. diſt. 11. Concluſione 2. Alanus lib. 1. de Euchariſtia, cap. 35. & 37. Oxomenſis in Comment. ad hanc quæſt. D. Th. art. 3. & 4. Hentic. in ſua Summa Morali, lib. de Euchariſtia, cap. 24. & 25.

Moneo tamen hos authores non vti, ſaltem omnes, nomine conſeruationis accidentium ad modum ſubſtantiæ panis, ſed vnionis corporis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis; ità vt doceant de illa vnione, quod ſit modus ſubſtantialis productus per tranſſubſtantiationem: citatur D. Thom. pro hac ſententia; art. ſiquidem 5. quæſtionis ſequentis, ità loquitur: *Corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento vt in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, eo ſcilicet modo, quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus. Succedit enim ſubſtantia corporis Chriſti in hoc ſacramento, ſubſtantia panis,* & in hoc docet conuerſionem terminari, vt ſubſtantia corporis Chriſti ſit præſens in hoc ſacramento: vnde clare colligitur ex hac doctrina D. Thom. terminum formalem huius conuerſionis eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti, quatenus eſt præſens in hoc ſacramento, non quidem præſentia locali, ſed ſubſtantiali, quâ eſt præſens quantitati, & alijs accidentibus panis.

D. Thom.

Vt aliquid ſit terminus actionis realis non eſt neceſſe quod producatur de nouo.

Vt autem hęc ſententia, pleniùs intelligatur. Aduerte non eſſe neceſſe ad hoc vt aliquid ſit terminus formalis alicuius operationis realis, quod de nouo producatur, ſed ſatis eſt quod id vel producatur de nouo, vel certe aliquid ei adueniat de nouo, per eiuſmodi actionem realem, vt colligitur ex Chriſto; hic enim omnium conſenſu, cenſetur eſſe terminus incarnationis, quæ eſt vera, & realis actio: & tamen certum eſt totum Chriſtum non produci de nouo per incarnationem; natura ſiquidem diuina eſt improducibilis per actionem creatam quę pertinet ad Chriſtum, cùm concurrit ad eius compoſitionem, non vt pars, ſed vt componibile: quia tamen per incarnationem aduenit humanę Chriſti naturę modus aliquis productus per illam: ideò incarnatio cenſetur eſſe vera, & realis aliqua actio. Ità etiam tranſſubſtantiatio eſt realis operatio, & eius terminus formalis completus, corpus Chriſti cum modo ſubſtantiali, qui ei aduenit de nouo; etiamſi Chriſti corpus non producatur recenter ſub ſpeciebus conſecratis, ſed tantum conſtituatur illis præſens.

Conſeruatio bifariã ſpectatur.

Aduerte 2. conſeruationem ſpecierum, de qua hactenus egimus, poſſe ſpectari bifariam, nempe in actu 2. & in actu 1. priori modo, nihil aliud eſt, quàm actio vera, & realis producta à corpore Chriſti circa ſpecies; quæ de facto conſeruantur ab ipſo: poſteriori verò modo eſt ipſummet Chriſti corpus, prout intelligitur verè; & realiter potens ad conſeruanda accidentia panis, & vini: hac ergo ratione contendimus, conſeruationem ſpecierum conſecratarum eſſe terminum formalem tranſſubſtantiationis, vnà cum Chriſti corpore; non autem priori: nam actio hæc cùm terminetur ad accidentia, verè eſt accidens; & conſequenter nequit eſſe ſubſtantialis modus: conſeruatio tamen ſpectata in actu 1. rationem modi ſubſtantialis conſequitur, eò quod producatur verè & realiter per tranſſubſtantiationem: explicatur verò hic modus ſubſtantialis, ſub nomine conſeruationis; quia hæc nobis notior eſt, quàm ſit vis, quæ aduenit corpori Chriſti per tranſſubſtantiationem, & per quam media aliqua actione conſeruat accidentia panis, & vini, illo eodem modo, quo id faciebat ſubſtantia panis.

Obiectio.

Dices, corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus vi conſecrationis, conſeruare accidentia panis in ratione cauſæ inſtrumentalis, omnium conſenſu; at cauſa inſtrumentalis nihil habet in ſe reale ſuorum effectuum quos producit, præter aſſiſtentiam, & motionem cauſæ præcipuæ, & principalis, vt patet ex calamo quo quis ſcribit: ergo.

Solutio. Cauſa inſtrumentalis habet vim quandam qua effectum attingit.

Reſpond. cauſam inſtrumentalem ſaltem aliquam, præter motionem, & aſſiſtentiam principalis cauſæ, habere in ſe vim, & potentiã per quã ſuos effectus attingit, vt colligitur ex intellectu cuiuſlibet beati; hic enim licèt reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, ſit cauſa inſtrumentalis, (nam actus viſionis eſt ſimpliciter ſupernaturalis; intellectus autem beati relictus intrà terminos propriæ naturæ eſt ordinis naturalis, vnde nequit eſſe cauſa præcipua & principalis viſionis diuinæ eſſentiæ, vt eſt ſupernaturalis actus) quia nihilominus habet in ſe, & vt eſt ordinis naturalis, potentiam quamdam remotam & imperfectam ad eliciendum actum diuinæ viſionis, qua completur & perficitur aduenientе lumine gloriæ, quod eſt qualitas aliqua ordinis ſupernaturalis, hinc fit vt ſimul cum illa intellectus feratur in viſionem Dei claram: ergo licet corpus Chriſti ſit cauſa inſtrumentalis reſpectu conſeruationis accidentium panis, & vini, poterit tamen habere in ſe modum aliquem ſubſtantialem per quem in actu 1. conſtituitur potens ad eaſdem conſeruandas.

Inſtantia.

Inſtabis, ſubſtantiam panis non corrumpi per modum hunc ſubſtantialem, ſpectatum in actu 1. ſed per actualem conſeruationem ſpecierum conſecratarum.

Reſponſio.

Reſp. hoc eſſe falſum; corpus enim Chriſti hoc ipſo quod ponitur ſub ſpeciebus conſecratis per verba conſecrationis, conſequitur modum hunc ſubſtantialem, nempe gerere officium ſubſtantiæ panis, circa accidentia eiuſdem, quare hoc ipſo quod habeat huiuſmodi modum & in actu 1. ſpectatum, cenſetur corpus Chriſti ità affectum, vt neceſsariò ſequatur deſtructio ſubſtantię panis, & conſequenter actualis conſeruatio accidentium panis, repugnat enim Chriſti corpus gerere officium ſubſtantię panis circa accidentia, & ſubſtantiam eiuſdem, & ſubſtantiam eamdem panis reuera illud idem officium exercere.

Alia inſtantia.

Inſtabis rurſus: Deum negare ſuum concurſum Chriſti corpori conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis cum modo iſto ſubſtantiali ſpectato in actu 1. eſt enim Deus quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extrà: ergo, ſaltem in hac hypotheſi, corpus Chriſti cum præfato modo non deſtrueret ſubſtantiam panis: ergo.

Satisfit.

Reſp. hac ratione probari tantum de potentia Dei abſoluta, corpus Chriſti, & modum hunc ſubſtan-

Digitized by Google

ſubſtantialem ſpectatum in actu 1. productum per tranſſubſtantiationem, quem diximus eſſe conſeruationem accidentium panis, & vini, non deſtruere ſubſtantiam panis; ſecus tamen contingit iuxta legem ordinariam: debetur enim concurſus Dei actioni tranſſubſtantiationis, & item ei actioni, quam exercet corpus Chriſti regulariter circa accidentia panis, & vini.

Obiectio. Obijcies, conſeruationē commemoratam ordinari ad accidentia panis, & vini: ergo potentia iſta erit accidens in corpore Chriſti; actus enim & id à quo producitur, putà potentia, ad eamdem plane ſpeciem pertinent.

Solutio. Potentia propriè dicta eiuſdem categoria cum actu illius. Reſp. potentiam propriè dictam, qualis eſt ea quæ cenſetur cauſa principalis alicuius actionis propriè dictæ, pertinere ad eamdem ſpeciem, ad quam actus ab ea productus; vt patet ex viſiua potentia, & auditiua: duæ namque iſtæ potentiæ collocantur in categoria qualitatis; quemadmodum & omnes actus viſionis, & auditionis: potentia tamen impropriè dicta, & item inſtrumentalis non conſtituitur ſemper in illa eadem categoria, in qua iidem habent actus producti: nam proprietates omnes cuiuſlibet rei naturalis producuntur ab eſſentijs, quarum ſunt proprietates, & tamen hæ ponuntur in categoria qualitatis: natura vero ſubſtantialis in categoria ſubſtantiæ. Deinde, ſubſtantia quælibet poteſt eſſe inſtrumentum omnipotentiæ diuinæ productionis caloris: quidquid enim poteſt Deus media re aliqua creata, illud etiam poteſt media aliqua certa alia re creata; in hac autem hypotheſi calor pertinet ad categoriam qualitatis, & cauſa productiua caloris pertineret ad ſubſtantiam: hæc vero conſeruatio ſpecierum conſecratarum producta à corpore Chriſti, non eſt ab eo tanquam à potentia propriè dicta; ſed velut à cauſa inſtrumentali.

Inſtantia. Inſtabis, ſubſtantiam panis nihil aliud præſtare circa accidentia propriq; ſubſtantiq; quàm ſubeſſe illis, & contineri ſub eiſdem. *Diluitur.* Reſp. hoc eſſe falſum; nam præter hæc duo, conſeruat accidentia: quare corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, vi conſecrationis, poterit hoc idem officium præſtare circa eadem accidentia panis.

Obiect. 2. principalis. Obijcies 2. ex noſtra ſententia colligi terminum tranſſubſtantiationis formalem, eſſe ens per accidens: conſeruatio enim accidentium panis, & vini, facta à corpore Chriſti hîc, eidem aduenit conſtituto, & completo in natura ſua ſubſtantiali: quod autem aduenit enti completo, facit ens per accidens, omnium conſenſu; imo, conſeruatio hæc, erit accidens verum corporis Chriſti, cum poſſit abeſſe & adeſſe ipſi ſine interitu eiuſdem: ergo.

Diſſoluitur. Corpus Chriſti cum modo nō eſt ens per accidens. Reſp. ex modo, & re modificata nunquam fieri ens per accidens quando modus eſt eiuſdem generis, & ordinis cum re modificata, vt colligitur ex modo vnionis animæ cum corpore, vnionis item humanitatis Chriſti cum Verbo: diximus autem conſeruationem productam per tranſſubſtantiationem in corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus, eſſe modum ſubſtantialē & conſequenter eiuſdem planè ordinis ſubſtantiæ cum illo, vnde neque faciet ens per accidens, ſed vnum per ſe cum corpore Chriſti.

Ad id verò quod dicitur, modum hunc ſubſtantialem aduenire corpori Chriſti completo in ſuo eſſe ſubſtantiali, & quod aduenit enti completo facere ens per accidens. Reſp. modum productum aduenire corpori Chriſti conſiderato in eſſe ſubſtantiali completo abſoluto tantùm, non autem reſpectiuo; ac proinde non facere ens per accidens, ſed per ſe, eâdem quippe ratione loquendum eſt de corpore Chriſti, prout eſt hîc, qua loquimur de anima rationali, ceteris tamen paribus: quemadmodum ergo anima rationalis cenſetur eſſe completa in ratione ſubſtantiæ abſolutæ, quamprimùm ponitur extra ſuas cauſas per creationem, cùm conſequatur illud eſſe per eiuſmodi creationem, quod pertinet ad complementum ſuæ naturæ, & eſſentiæ; in eſſe tamen reſpectiuo ſubſtantiali, quod eidem aduenit, non completur, niſi quando de facto informat corpus. Similiter etiam corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, habet eſſe ſubſtantiale abſolutum, & quidem illud idem quod habet in dextera Patris; præter quod eſſe abſolutum ſubſtantiale, dicit aliud eſſe reſpectiuum, quod illi aduenit per tranſſubſtantiationem, in ordine ad accidentia panis, & vini conſeruanda: hoc autem eſſe ſubſtantiale, recte dicitur reſpectiuum; quemadmodum in anima rationali, eſſe illud quod habet ad informandum corpus, eſt eſſe ſubſtantiale eiuſdem reſpectiuum: ſicut ergo ex modo iſto ſubſtantiali, ſeu eſſe animæ rationalis, & ex anima rationali coniuncta cum corpore, conſurgit vnum ens per ſe, non autem per accidens: ità idem erit dicendum de corpore Chriſti, & de conſeruatione, quam exercet circa accidentia panis & vini.

Modus productus per tranſſub. aduenit corpori abſoluto non reſpectiuo.

Duo eſſe conſiderantur in corpore Chriſti.

Modus autem hic, licet poſſit abeſſe, & adeſſe ſine interitu corporis Chriſti abſolute, & ſimpliciter loquendo; non tamen propterea eſt accidens corporis Chriſti conſtituti ſub ſpeciebus conſecratis: tum quia producitur hic per actionem ſubſtantialem in corpore Chriſti, tum etiam quia nequit ab illo ſeparari tamdiu, quamdiu corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus conſecratis: accidens autem debet ſeparari à ſubiecto ſuo. Denique, modus hic non ineſt corpori Chriſti per modum inhæſionis, ſed per modum informationis, identificatur enim perfectè cum eodem corpore Chriſti, ità vt ſit idem realiter cum eo, prout eſt ſub ſpeciebus conſecratis: omne autem accidens, abſolutum ſaltem, diſtinguitur à ſubſtantia cui ineſt realiter.

Obiectio 3. principalis. Obijcies 3. totam conſeruationem accidentium panis, & vini, eſſe terminum formalem tranſſubſtantiationis; hæc quippe ſola producitur per tranſſubſtantiationem.

Solutio. Reſp. negando antecedens: ad probationem autem, verum quidem eſſe per tranſſubſtantiationem non produci de nouo corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: vnde non ſolum conſeruatio accidentium panis in actu 1. ſpectata, ſed etiam corpus Chriſti erunt terminus formalis tranſſubſtantiationis. Aduerte autem non eſſe abſurdum actionem aliquam proprie dictam, eſſe terminum ſecundarium tranſſubſtantiationis.

Obiectio vltima. Obijci poteſt vltimò, corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus conſecratis eſſe terminum formalem tranſſubſtantiationis, vt colligitur ex D. Th. & alijs cit. Reſp. corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus conſecratis realiter idem eſſe,

atque corpus contineri ſub ſpeciebus conſecratis, vt rectè obſeruat Oxonienſis hoc loco; & conſequenter nihil ex iſtis contra noſtrã ſententiam colligi poſſe.

Quædam corollaria ex præcedẽti doctrina.

Aduerte, ex prædictis manifeſte inferri, primo tranſſubſtantiationem eſſe actionem ſubſtantialem, non autem accidentalem; habet enim pro termino formali ſubſtantiam, non vero accidens.

Deinde, tranſſubſtantiationẽ nedum eſſe actionem conuerſiuam, ſed etiam productiuam: hæc enim ſubſtantiam panis conuertit in ſubſtantiam corporis Chriſti, & præterea producit in eadem modum ſubſtantialem, de quo hactenus.

Denique, ſubſtantiam corporis Chriſti affectũ modo producto ſubſtantiali, poſitam ſub ſpeciebus conſecratis vi conſecrationis, incompoſſibilẽ eſſe ex natura rei cum ſubſtantia panis, quæ idcirco expellitur à ſuo loco vi ſubſtantiæ corporis Chriſti, affectæ modo ſubſtantiali proxime commemorato, quod explicabitur in ſequentibus.

DVBITATIO VLTIMA.

An aliquid ſubſtantiæ panis maneat cum corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis.

Durandi opinio.

DECEPTI ſunt aliqui Catholici in hac re: Durandus ſiquidem in 4. diſt. 11. q. 4. exiſtimauit tranſſubſtantiationem fieri ad modũ generationis naturalis; ac proinde, quemadmodum in generatione naturali manet idem ſubiectum ſub formis corrupta, & de nouo producta, ità materiam panis vult perſeuerare cum corpore Chriſti peracta conſecratione.

Reijcitur Durandus.

Ceterùm hæc opinio defendi nullo modo poteſt, ſacra quippe Concilia definiunt totam ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti. Deinde, ſequeretur Chriſtum habere aliquid in ſacramento, quod non haberet in dextera Patris, nempe materiam panis, quod vlla ratione ſuſtineri nequit; cùm ſit de fide idem numero corpus Chriſti, quod eſt in cœlo, eſſe etiam in Euchariſtia.

Lutheri error & fundamentum.

1. Lutherus vero, & item Berengarius ex multorum opinione, docuerunt corpus Chriſti perſeuerare in Euchariſtia vnà cum tota ſubſtantia panis; quare voluerunt Chriſtum eſſe in pane, & cum pane. Probant ex omnibus illis locis ſcripturæ, in quibus dicitur, quod ſacramentum Euchariſtiæ ſit panis, & vinum. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. Matth. 26. & 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc.* & ibidem. *Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne,* &c. & cap. 10. eiuſdem epiſt. *Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* & in Actor. 2. Actis Apoſtolicis: *Erant perſeuerantes in communicatione & fractione panis*, qui locus explicatur communiter de ſacramento Euchariſtiæ.

2. Deinde, Cardinalis Cameracenſis referente Annibale Roſello, de Euchariſt. docuit ſubſtantiam panis manere in Euchariſtia, ne accidentia ſint ſine ſubiecto.

3. Tertio, quantitas panis, & vini, ſapor, color, odor, & cetera accidentia manent de facto poſt conſecrationem: ergo illud idem erit dicendum de ſubſtantia panis & vini.

Vltimum.

Deniq; ſancti Patres docent Euchariſtiam cõſtare duplici ſubſtantia cœleſti, & terrena; nomine autem ſubſtantię cœleſtis ſignificatur diuinitas Chriſti; nomine verò terrenę, ſubſtantia panis, & vini: ità Irenæus lib. 4. contra Hæreticos, cap. 24. D. Auguſt. referente Magiſtro, in 4. diſt. 10. ait ſubſtantiam corporis Chriſti, & ſanguinis manducari in Euchariſtia ſub forma panis, & vini, idem docent nonnulli alij Patres.

Subſtantiæ panis nihil remanet in Euchariſtia poſt conſecrationem.

CONCLVSIO *Subſtantia panis nulla ratione perſeuerat cum ſubſtantia corporis Chriſti facta conſecratione, ſed ſecundum ſe totam ſimpliciter & abſolutè eſſe deſinit:* hæc eſt de fide, definita in Concil. Trident. ſeſſ. 13. can. 2. *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento ſubſtantiam panis, & vini, remanere vnà cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti: negauerítque mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, anathema ſit;* & in Concil. Lateran. ſub Innocent. III. in quo vtraque Eccleſia tam Græca, quàm Latina adfuit, cuique interfuerunt Patriarchę Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, Epiſcopi 42. Abbates 12. nec non Imperatoris, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & aliorum Principum Chriſtianorum legati, & refertur in cap. firmiter. de ſumma Trinitate, & fide Catholica; & Concilium Florentinum in decreto Eugenij IV. verbis expreſſis habet: ſubſtantiam panis totam conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti.

Probatio 1. Trident. Synod.

2. *Quid denotent* τὰ hoc *&* hic.

Secundò, pronomen, *hoc*, & *hic*, antequàm cetera verba conſecrationis proferantur, ſignificant vagè, & indefinitè totum illud quod habetur ſub accidentibus panis, & vini; prolatis verò ceteris verbis formę, pronomen, *hoc*, ſolum ſignificat diſtinctè corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis: pronomen vero, *hic*, ſanguinem diſtinctè totum ſub accidentibus vini, vt docent Patres cit. & colligitur ex connexione pronominum *hoc*, & *hic*: illud enim cum ſit neutrius generis, nequit conuenire cum pane, qui eſt maſculini generis; bene tamen cum corpore Chriſti, vt eſt per ſe notum: particula item, *hic*, rectè conſtruitur cum ſanguine Chriſti; non autem cum vino, vt patet: ergo ſub accidentibus panis, & vini, peracta conſecratione, nihil eſt plane ſubſtantiæ eorumdem, ſed tantum corporis Chriſti, & ſanguinis eiuſdem.

3. Tertiò. Verba hæc; *Hoc eſt corpus meum*; *Hic eſt ſanguis*, &c. nedum ſunt theoretica, ſed etiam practica, ac proinde faciunt id quod ſignificant; at ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti tantùm, demonſtrántque totum illud quod continetur ſub ſpeciebus panis, & vini, peracta conſecratione: ergo nihil præter corpus Chriſti erit ſub ſpeciebus panis; ſicut nihil planè vini, ſub ſpecie vini conſecrati, ſed ſolùm ſanguis Chriſti.

Vltimo.

Denique, ſi aliquid ſubſtantiæ panis maneret cum corpore Chriſti, prolatis verbis conſecrationis, ſequeretur ſumpta ſpecie panis, non poſſe ſumi vini ſpeciem conſecratam à ſacerdote, ſine culpa; ſumeret ſiquidem portionem panis aliquam vnà cum corpore Chriſti: ſacri autem Canones vetant ne ſpecies ſacramenti vlla ſumatur ab eo qui non eſt ieiunus.

Diſſoluũtur fundamenta Lutheri, 1.

Ad rationes verò Lutheranorũ reſp. Ad 1. Euchariſtiam appellari panem iuxta modum, & rationem loquendi Hebræorum: vocant enim iſti panem, illud omne quod conducit ad vitæ humanæ ſuſtentationem, vt colligitur manifeſtè ex cap. 6. Matth. *Panem noſtrum quotidianum*, &c. Matth. 6. non enim precamur illic, vt detur nobis ſolus panis,

Digitized by Google

panis, ſed omne neceſſarium ad vitam præſentem conſeruandam, vt communiter explicant Patres ibidem.

Reſp. 2. Euchariſtiam appellari panem, non quemlibet, ſed viuificum, præcipuum, & maximè præſtantem; iuxta illud Ioannis 6. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Ioann. 6.

Reſp. 3. appellari panem Euchariſtiam, quod hæc ſpeciem panis, & ſimilitudinem præ ſe ferat: illo eodem modo, quo ſerpens æneus appellatur ſerpens, Numer. 21. & Angeli qui apparuerunt Abrahæ & Loth, Geneſ. 18. & 19. dicuntur homines. Denique, reſp. eam eſſe rationem loquendi ſcripturæ, vt res poſt earum conuerſionem appellet iiſdem nominibus, quibus fuerant donatæ ante earum conuerſionem, vt coſtam de Eua, Geneſ. 2. hæc enim appellatur os, quod ex oſſe Adæ, ſeu coſta fuerit confecta, *Hoc os*, ait Adam loquendo de Eua, *ex oſſibus meis, & caro de carne mea eſt.* Eccleſ. 12. quilibet noſtrûm appellatur puluis, idque quod ex puluere facti fuerimus; *Puluis*, inquit, *es, & in puluerem reuerteris.* Exodi ité 7. Virgæ Magorum, & Moyſis poſtquam fuerunt conuerſæ in ſerpentes, vocantur virgæ: & Matth. 11. dicitur de ſuſcitatis, & illuminatis à Chriſto: *Cæci vident, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Similiter quia Euchariſtia antequam conficeretur, erat panis: ità poſtquam facta eſt retinet illud idem nomen in ſacris literis, & item apud aliquos Patres; licèt in ea nihil planè ſubſtantiæ panis exiſtat, ſed ſolum Chriſti corpus.

Num. 21. Geneſ. 18. & 19. Ibidem 2. Eccleſ. 12. Exod. 7. Matth. 11.

2. Ad 2. Reſp. Cardinalem Cameracenſem nuſquam aſſeruiſſe ſubſtantiam panis manere in ſacramento Euchar. ſed tantùm non repugnare per omnipotentiam Dei, quin ſubſtantia panis ſtare queat cum ſubſtantia corporis Chriſti ſub accidentibus panis; nos autem loquimur de facto, contendimuſq; in Euchariſtia nulla ratione exiſtere ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti, ſed deſinere eſſe ſimpliciter ſecundum quodlibet ſui.

3. Ad 3. accidentia panis, & vini ideò manere quod ſacramentum Euchariſtię debeat eſſe res aliqua ſenſilis, & permanens: conſurgit autem ſacramentũ hoc ex corpore, & ſanguine Chriſti, & ex accidentibus panis, & vini. Reſp. 2. manere accidentia panis, & vini, quod hæc effectum ſacramenti Euchariſtiæ debeant manifeſtare.

Vltimo ſatisfit. Ad vltimam, ſacramentum Euchariſtiæ conſtare duplici ſubſtantia cæleſti, & terrenæ: nomine verò terrenę ſubſtantię non ſignificant Patres eſſentiam panis, & vini: ſed tantũ materiam, & eſſentiam accidentium panis, & vini: nomine verò formæ panis, non intelligit D. Auguſt. & alij nonnulli Patres ſubſtantiam panis, quando dicit ſub forma panis recipi corpus Chriſti, ſed accidentia ſola panis, ſub quibus ideo ſumitur Chriſti corpus, quod hoc vere, & realiter ſub iſtis contineatur.

A corporis Chriſti ſub iiſdem accidentibus.

Probant. Id quod terminatur ad nihil, eſt annihilatio: at deſitio panis terminatur ad nihil; deſinit enim eſſe ſimpliciter, & abſolute ſubſtantia panis: ità vt neque in ſacramento, neque in corpore Chriſti; neque in toto orbe, hæc vlla ratione conſeruetur: ergo ibi erit annihilatio.

Quod ſi reſpondeas, propterea non annihilari ſubſtantiam panis, quia ſuccedit corpus Chriſti in illum eumdem locum, vbi antea erat ſubſtantia panis. Contrà. Quod conuenit, inquit, alicui per accidens non poteſt deſtruere, aut etiam tollere id quod conuenit illi per ſe: at deſitioni panis conuenit per ſe, vt terminetur ad nihil; B adductio autem corporis Chriſti in illum eumdem locum, in quo antèà erat ſubſtantia panis, ſe habet ad deſtructionem panis per accidens tantum: ergo non facit quominùs deſitio panis non ſit annihilatio.

2. Secundo probatur. Tota ratio cur forma in generatione naturali non annihiletur, hæc videtur eſſe, quod forma quæ corrumpitur manet in poteſtate materiæ; ità vt actione agentis naturalis poſſit adduci iterùm de ea; non autem quod forma aliqua noua producatur: ergo licet corpus Chriſti ſuccedat immediate in illum eumdem locum, in quo erat antèà ſubſtantia panis, non tamen propterea faciet vt deſitio panis non C ſit annihilatio: neque enim manet materia ſubſtantiæ panis quemadmodum contingit in generatione naturali.

Non annihilatur ſubſtantia panis. CONCLVSIO. *Subſtantia panis minimè annihilatur per tranſſubſtantiationem.* Primùm, quia quod in aliud mutatur, nõ annihilatur; terminus ſiquidem annihilationis debet eſſe nihil; at ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, ex illo Cypriani, ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte, quẽ diſcipulis Dominus porrigebat nõ effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* *Probatio 1.* Cyprian.

2. Deinde, terminus cuiuſlibet actionis realis, & poſitiuæ, nequit eſſe nihil: at tranſſubſtantiatio eſt actio realis, & poſitiua cuius terminus à D quo, eſt deſitio panis: ergo, cùm hæc deſitio ordinetur ad terminum tranſſubſtantiationis ad quem, qui nullus alius eſt quam corpus Chriſti, non erit dicenda annihilatio. Ità docent D. Th. hoc loco, & interpretes eiuſdem, & Sententiarij in 4. diſt. 11.

Soluuntur fundamenta Scoti. Ad rationes verò Scoti, reſp. Ad 1. conceſſa maiore, negando minor. ad probationem autem contra reſponſionem ibidem adductam dico, falſum eſſe tranſſubſtantiationem admittere duas actiones, quarum vna ſit deſitio panis, altera adductio corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: eſt enim vna tantum actio, illa eadem ratione, qua generatio naturalis cenſetur eſſe tantum vna actio ad cuius poſitionem ſequuntur E tum vna actio ad cuius poſitionem ſequuntur duo effectus; corruptio, ſcilicet, formæ præexiſtentis in materia, & productio formæ quæ de nouo adducitur intrà materiam: ità tranſſubſtantiatio eſt vna numero actio, ad cuius poſitionem ſequitur deſtructio ſubſtantiæ panis, & poſitio corporis Chriſti ſub illis iiſdem accidentibus, ſub quibus erat antèà ſubſtantia panis: quoniam conſtanter aſſerendum eſt ſubſtantiam panis deſtrui per tranſſubſtantiationem, quatenus conſtituit præſens corpus Chriſti de nouo ſub ſpeciebus conſecratis, & producit in eodem effectiuo modum aliquem ſubſtantialem, qui non conuenit eidem prout eſt in dextera Patris.

1.

ARTICVLVS TERTIVS.

Virum ſubſtantia panis & vini annihiletur quando in ſubſtantiam corporis Chriſti conuertitur.

Scoti placita & fundamenta. SCOTVS in 4. diſt. 11. & ſequaces ipſius partem affirmantẽ tuentur: aiunt enim tranſſubſtantiationem conſurgere ex duplici actione, quarum 1. eſt deſitio panis: 2. vero adductio

1.

2. Ad 2. Resp. formam quæ corrumpitur in generatione naturali, non ideò non annihilari, quod hæc maneat in materia, posítque actione agentis naturalis iterum excitari; sed quod ordinetur hæc ad formam quæ de nouo producitur, veluti in terminum suum ad quem; vnde desitio substantiæ panis, licèt contingat simpliciter, & absolutè sub speciebus consecratis, non tamen dicitur annihilatio, cùm ordinetur ad productionem corporis Christi, quod verè & realiter constituitur de nouo præsens illis speciebus consecratis.

ARTICVLO 4. docet D. Thom. panem posse conuerti in corpus Christi, idque meritò; ad hunc enim effectum producendum satis est, omnipotentia diuina & institutio eiusdem.

Summa textus.

Deinde, ex doctrina cõmuni potest Deus quodlibet in quodlibet conuertere, qua tamen ratione propositio hæc sit intelligenda explicat multis Suarez disp. 5. sect. 3. & Vazquez disp. 184.

ARTICVLO 5. tradit accidentia panis, & vini remanere peracta consecratione.

ARTICVLO 6. formam panis non remanere posita consecratione.

ARTICVLO 7. transsubstantiationem esse actionem instantaneam: addunt interpretes, S. Thom. substantiam panis desinere esse sub speciebus consecratis per 1. sui non esse, & corpus Christi incipere sub ijsdem accidentibus per 1. sui esse, quæ res satis est explicata, suppositis illis quæ docent philosophi de modis inceptionis, & desitionis formarũ per se permanentium.

Quæ propositiones admittendæ quæ verò non.

ARTICVLO VLTIMO, ait, propositiones illas esse admittendas inter explicandum mysterium transsubstantiationis, quæ significant transitum vnius extremi, in aliud extremum; ac proinde propositiones istæ sunt verissimæ: *Ex pane fit corpus Christi, & ex vino fit sanguis Christi: Panis conuertitur in corpus Christi, & vinum mutatur in sanguinem Christi.*

Addit propositiones illas nequaquam esse admittendas, quæ significant identitatem materiæ, seu subiecti sub eodem extremo, seu extremis: quare vult propositiones istas esse falsas, *De pane fit corpus Christi, de vino fit sanguis eiusdem*, particula quippe, *de* nedum significat ordinem vnius extremi, seu termini ad aliud; sed arguit idem subiectum, seu materiam tam in termino à quo, quàm in termino ad quem: fides autem docet nihil substantiæ panis stare cum corpore Christi constituto sub speciebus consecratis.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus existit in Eucharistia.

ARTICVLO 1. docet totum Christum esse in Eucharistia.

ARTICVLO 2. totum Christum esse sub qualibet particula consecrata.

ARTICVLO 3. & interueniẽte diuisione speciei alicuius consecratæ totum Christum perseuerare sub qualibet parte speciei consecratæ diuisæ.

DVBITATIO PRIMA.

An totus Christus contineatur in Eucharistia, & sub qualibet specie consecrata.

DE *fide est, sub qualibet specie consecrata totum Christum contineri:* ità enim dicitur de consecratione, dist. 21. can. Vbi pars, & can. Singulæ. & in Concil. Constant. sess. 13. Basil. sess. 30. Florent. in decreto Eug. IV. & Trident. sess. 13. cap. 3. & can. 1. & 3. & sess. 21. *Totus Christus sub qualibet specie.*

Deinde, ità tradunt Patres, Ambros. lib. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 9. Dionys. cap. 3. lib. Ecclesiast. hierarchiæ, Cyrillus Hierosolym. catechesi 4. mystagogica propter hanc causam appellat eos Christiferos qui sanctum Eucharistiæ sacramentum recipiunt: ità enim loquitur: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis, vt sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corvis & sanguinis; Christophori enim sumus hoc est Christũ ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* D. Thom. art. 1. huius quæst. & Interpretes eiusdem, & Sententiarij in 4. dist. 11. Cyrillus.

Accedunt rationes. Prima. Christus in Eucharistia constitutus, est verus Deus, & verus homo: atqui propositio hæc nequit esse vera, nisi totus sit verè sub qualibet specie consecrata; est enim hic Deus propter vnionem hypostaticam, & verus homo, propter humanam naturam perfectam, & completam, quæ in eo datur. *Rationes.* 1.

Deinde, partes Christi corporis se mutuò, & quidẽ naturaliter consequuntur; Christus enim ità viuit, vt mors nullũ in eo locum habere possit. Roman. 6. *Christus mortuus est, mors illi vltrà non dominabitur.* 2. Rom. 6.

Tertiò, Ecclesia consueuit laïcis vnam tantum speciem consecratam, nempe panis tradere: at id præstare non posset sine iniuria laïcorum stante hac suppositione, quod totus Christus non contineatur sub qualibet specie. 3.

Denique, si totus Christus non continetur sub qualibet specie consecrata, sequetur esse falsum id quod ait Paulus cap. 11. prioris ad Corinth. eum qui indigne Eucharistiam consequitur, reum esse corporis, & sanguinis Christi: esset enim reus solius corporis, vel solius sanguinis; illatio autem maioris defendi non potest, vt per se est notum: hæc est contra hæreticos nostri temporis, qui putant solum corpus Christi esse sub speciebus panis, vel significari solum sanguinem eiusdem esse sub speciebus vini, vel certè significari tantum. 4.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua ratione totus Christus constituatur sub qualibet specie consecrata.

CONCLVSIO 1. *Vi, & efficacia istorum verborum*, Hoc est corpus meum, *sub specie panis constituitur solum Christi corpus: per concomitantiam vero sub specie eadem, sanguis, anima, & diuinitas Christi: vi verò, & efficacia verborum*, Hic est calix sanguinis mei, *ponitur sub specie vini, totus Christi sanguis, per concomitantiam vero corpus, anima, & diuinitas.* Hæc Conclusio duas habet partes. Prima probatur ex Trident. sess. 13. cap. 3. ex D. Th. art. 2. huius quæst. & ex omnibus Sententiarijs in 4. dist. 11. *Quid vi verborum ponatur sub speciebus, quid etiam per concomitantiam.*

Deinde

Digitized by Google

Deinde, vi verborum conſecrationis collocatur id quod verba ſignificant: at verba hæc; *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant tantum totum hoc quod continetur ſub ſpecie panis conſecrati eſſe corpus Chriſti, verba verò illa; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, denotant totum illud quod continetur ſub ſpecie vini conſecrati eſſe ſanguinem Chriſti: ergo vi verborum iſtorum; *Hoc eſt corpus meum*, ponitur ſolum Chriſti corpus ſub ſpecie panis, & vi iſtorum; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſolus eiuſdem ſanguis.

Probatio 2. parte. Secunda verò pars huius Concluſionis probatur; nempe, per concomitantiam poni ſub ſpecie panis, ſanguinem, animam, & diuinitatem Chriſti: per concomitantiam enim ea ponuntur in ſacramento Euchariſtiæ, quæ dicunt naturalem connexionem cum Chriſti corpore, & item cum ſanguine eiuſdem, vt docet Trident. ſeſſ. 13. at ſanguis, anima, itémque diuinitas Chriſti naturalem dicunt connexionem cum ipſius corpore; cum enim hoc verè viuat, debet neceſſariò verè informari anima rationali: debet præterea habere ſanguinem; eſt enim hic vnus ex quatuor humoribus, qui pertinent ad integritatem corporis animalis: ex doctrina communi philoſophorum. Indubitatum eſt etiam corpus Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentia increata Verbi diuini, quod propterea habet neceſſariam connexionem cum illo: ergo hæc tria ſunt in ſacramento per concomitantiam reſpectu ſpecici panis.

Obiectio. Dices, diuinum Verbum eſſe verum Deum, ac proinde ſimpliciter infinitum, & immenſum: ergo eſt vbique; vnde non conſtituitur præſens ſub ſpecie panis, vel vini per concomitantiam.

Solutio. Reſp. nego conſecutionem, licèt enim Verbum æternum, & item diuinitas ſit vbique per ſuam immenſitatẽ, poteſt tamen nouo modo fieri præſens ſpeciebus conſecratis, nempe per vnionẽ hypoſtaticam, ratione cuius neceſſariam dicit connexionem cum corpore Chriſti, & ſanguine: Imò hoc idem concedendum eſt de perſonis Patris, & Spiritus ſancti, iſtæ enim identificantur perfectiſſime cum diuina eſſentia. Sunt præterea ab inuicem inſeparabiles propter circuminſeſſionem, vt colligitur ex illo Ioan. 14. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* & rurſus: *Qui videt me, videt & patrem*. Sunt ergo duæ iſtæ perſonæ Patris, & Spiritus ſancti, per concomitantiam ſub ſpecie vini: ſunt & corpus, anima, & diuinitas Chriſti, hæc enim tria neceſſariò coniunguntur cum ſanguine Chriſti.

Ioann. 14.

2. Deinde, eodem modo ſe habet Chriſtus in ſacramento, quo in dextera Patris, reſpectu eorum quæ pertinent ad eſſentiam, & integritatem illius, vt author eſt D. Thom. art. 2. huius quæſt. certum autem eſt in dextera Patris corpus coniunctum eſſe cum ſanguine, cum anima, & diuinitate; ità vt hæc ab inuicem nuſquam ſeparentur: ergo idem dicendum erit in hoc ſacramento.

Totus Chriſti ſanguis ponitur ſub ſpeciebus vini. 1. Quod autem totus Chriſti ſanguis ponatur ſub ſpecie vini, non autem ille ſolus, qui effuſus eſt in ara crucis, vt volunt aliqui, probatur 1. quia Concil. Trident. loco cit. abſolutè docet ſanguinem Chriſti vi verborum conſecrationis poni ſub ſpecie vini, nulla facta reſtrictione ad ſanguinem, qui fuit effuſus, vel qui manſit in

A venis, & in hepate. Rurſus, verba hæc: *Hic eſt calix*, &c. eodem modo videntur intelligenda quo iſta, *Hoc eſt corpus meum*; at verba hæc ſignificant totum corpus Chriſti, faciúntque illud præſens quoad omnes ſuas partes ſub ſpecie panis: ergo illud idem erit dicendum de ſanguine Chriſti. Tertio, verba iſta: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, ex multorum ſen- 3. *Canõ Miſſ.*
tentia non pertinent ad eſſentiam formæ conſecrationis calicis, ſed tantum ad integritatem & ſolemnitatem eiuſdem. Denique, verbũ, *effundetur*, poteſt per ſynecdochen explicari: ità vt quod dicitur de parte, intelligatur de toto ſanguine: hæc eſt ſententia communis Thomiſt. art. 2. huiusquæſtionis.

B ROGABIS, *Quid nomine corporis ſignificetur in conſecratione panis, ſeu in iſtis verbis:* Hoc eſt corpus meum. RESP. *Significari corpus humanum perfectum, & completum, conſtans ex ſuis omnibus partibus, carne, oſſibus, neruis, muſculis, manũ percartilaginibus, ligamentis, & aliis ſimilibus: prout fœtum, &c. tamen eſt vel viuum, vel mortuum diſiunctim:* ità recent. plerique. *Nomine corporis ſignificatur corpus humanum Probantes*

Deinde, ſancti Patres docent in Euchariſtia eſſe illud idem numero corpus, quod natum eſt de Virgine, paſſum eſt in cruce, ſurrexit tertia die à morte, & aſcendit ad cœlos quadrageſimo die poſt reſurrectionem, ſedétque ibi in dextera
C Patris: at corpus hoc, corpus Chriſti humanum eſt perfectum, & completum. Tertio, nomine corporis ſignificatur in iſtis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, quod informatur ab anima rationali: definitur autem anima actus corporis organici, potentia vitam habentis.

Deniq; nomine corporis denotatur in verbis conſecrationis, panis, vel ſpecies interiecta generis ſubſtantiæ, quæ dicitur corpus; vel materia affecta quantitate, vel corpus quod ſedem habet in categoria quantitatis, vel denique id quod nos diximus: at certum eſt non ſignificari corpus quod eſt ſpecies interiecta ſubſtãtię, hæc enim latiùs patet corpore humano, vt eſt per ſe
D notum, neque item denotatur materia affecta quantitate: quia quod ſignificatur per particulam *corpus*, vi verborum ponitur ſub ſpecie panis, quantitas autem corporis Chriſti, vi verborum; *Hoc eſt corpus meum*, non collocatur ſub ſpecie panis; ſed tantum per concomitantiam, vt probabitur art. 4. huius quæſt. neque item corpus quod conſtituitur in quantitate, nam tranſſubſtantiatio terminatur ad rem per ſe ſubſiſtentem: corpus autem quod pertinet ad categoriam quantitatis, non eſt res per ſe ſubſiſtens, cùm ſit accidens: propterea autem dixi nomine corporis ſignificari corpus humanum, perfectum, & completum, prout tamen hoc eſt, vel viuens, vel mortuum; quia ſi quis in triduo mortis conſecraſſet vi iſtorum verborum poſitum fuiſſet cor-
E pus Chriſti ſub ſpecie panis; ceterùm ſine anima, & ſanguine; & item vi verborum iſtorum: *Hic eſt calix*, &c. poſitus fuiſſet ſanguis Chriſti abſque corpore & anima eiuſdem: ità D. Thom. art. 2. huius quæſt. & communiter interpretes eiuſdem ibidem. Deinde, corpus Chriſti in ſacramento eodem modo ſe habet, quo eſt in exiſtentia naturali: at in triduo mortis corpus Chriſti fuit ſeparatum realiter ab anima, & ſanguine; ſanguis item fuit ſeparatus à corpore, & anima: ergo nomine corporis, non ſignificatur præciſe in verbis conſecrationis panis, corpus humanum

perfectum, viuens; sed corpus humanum perfectum, vel viuens, vel mortuum.

Aduertte tamen hæc esse de lege communi intelligenda: absolute siquidem & per omnipotentiam Dei fieri potest, vt corpus Christi constituatur in esse sacramenti, etiamsi ex hypothesi non esset in sua existentia naturali: nam corpus Christi est indefinitum, & indeterminatú ad esse sacramentale, & ad esse naturale: existentia siquidé sacramentalis corporis Christi nõ pendet simpliciter, & absolutè ab existentia naturali eiusdé.

Deinde hæc verba; *Hoc est corpus meum*, cùm sint practica habent vim efficiendi quod significant; vnde concedunt communiter Scholastici, quod si corpus Christi non esset verè effectum in B sua existentia naturali, produceretur in sacramento per ista verba; *Hoc est corpus meum*: ergo. ità docent Scotus in 4. dist. 11. quæst. 4. & interpretes eiusdem.

Dices, si produceretur corpus Christi sub speciebus, transiret de non esse ad esse: ergo nedum esset hoc in esse sacramenti; sed etiam in esse naturalis existentiæ.

Resp. concesso antecedente, neg. consecutionem: satis enim est ad hoc vt corpus Christi habeat esse sacramentale, quod tranſeat, in data hypothesi de non esse sacramentali, ad esse sacramentale: dixi enim illud esse indefinitum, & indeterminatum ad esse sacramentale, & naturale. C

DVBITATIO VLTIMA.

An corpus Christi maneat sub qualibet parte speciei consecratæ; posita diuisione eiusdem speciei.

RESPONDEO, *Totum Christum manere sub qualibet parte diuisa:* hæc est de fide, habetur enim expresse in Trident. sess. 13. cap. 3. *Totus, inquit, & integer Christus sub panis specie, & sub quamis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie & sub eiusdem partibus existit.*

Totum corpus manet sub qualibet particula diuisa. Trident.

Deinde, ex cap. singuli, & ex cap. vbi pars, de consecrat. dist. 2. Tertiò, ex cap. 22. Luc. D consecrato siquidem calice ità alloquitur illic Christus Apostolos; *Accipite & diuidite inter vos:* ergo &c. Quartò, hæc est sententia D. Thom. art. 3. huius quæst. & interpretum eiusdem: & in prosa de sacramento Eucharistiæ dicitur.

Probationes

Fracto demum sacramento
Ne vacilles, sed memento
Tantum esse sub fragmento
Quantum toto tegitur. Et rursus.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantùm fit fractura,
Qua nec status, nec statura.
Signati minuitur.

Prosa sanctissimi sacramenti.

Illustratur exemplo speculi, & corporis quod E ei obijcitur; quamdiù enim speculum manet integrum, vna datur similitudo tantum corporis, quod obijcitur speculo: posita verò fractione speculi, tot sunt corporis obiecti repræsentationes, quot frustula speculi. Comprobatur etiam exemplo animæ rationalis; quemadmodum ergo hæc tota est in toto, & tota in qualibet parte corporis; ità corpus Christi est totum in tota hostia, & totum sub qualibet parte hostiæ; ac proinde, hac interueniente actuali diuisione speciei consecratæ.

Explicatur exemplo speculi.

Accedit ratio. Corpus Christi vi verborum consecrationis ponitur totum sub qualibet parte

Respensio ratio.

A speciei consecratæ; ità vt totum sit sub tota hostia, & totum sub qualibet parte quantumuis minima: nam verba hæc; *Hoc est corpus meum*, sunt practica, ac proinde faciunt quod significant: ergo posita diuisione speciei consecratæ, perseuerat totus Christus sub qualibet parte diuisa, vi, & efficacia consecrationis, non autem vi diuisionis speciei consecratæ: diuisio siquidem illius speciei est tantum conditio sine qua non multiplicaretur præsentia sacramentalis corporis Christi sub istis speciebus.

ARTICVLVS QVARTVS.

An tota quantitas dimensiua Christi corporis sit in hoc sacramento.

CONCLVSIO 1. *Quantitas corporis Christi existentis in cælo, est in hoc sacramento, non quidem vi, & efficacia verborum sacramentalium, sed tantùm per concomitantiam.* Prima pars Conclusionis est D. Thom. & interpretum eiusdem hoc loco. Deinde, Patres & Concilia citata in antecedentibus habent, totum Christum esse in hoc sacramento; quantitas autem dimensiua corporis Christi est aliquid pertinens ad integritatem eiusdem: habet enim Christus naturam diuinam, & humanam completam, & perfectissimam. Indubitatum est etiam naturam humanam non consurgere sine quantitate. Denique, ex eorum opinione, qui putant eos non futuros hæreticos, qui dicerent corpus Christi esse realiter in Eucharistia, etiamsi non haberet eamdem quantitatem, quam habet in dextera Patris.

Quantitas est in hoc sacramento per concomitantiam.

Probationes Conclusionis.

Aduerte tamen istorum opinionem non esse defendendam: nam Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. definit totum Christum integrum sumi sub qualibet specie consecrata, ac proinde cùm quantitas pertineat ad integritatem corporis humani, sine manifesto errore defendi non potest, eam non existere in Eucharistię sacramento. Trident.

Tertia pars probatur. Per concomitantiã illud est in Eucharistiæ sacramento, quod dicit necessariam connexionem cum corpore Christi, vt diximus: atqui quantitas dimensiua corporis Christi naturalem connexionem dicit cum eodem; hoc enim verè, & formaliter quantum est, occupátque verè spatium in dextera Patris ex modo sibi connaturali: èrgo.

Ostenditur 3. pars Conclusionis.

Deinde, partes corporis Christi integrales sunt per se organa; vt constat ex capite, oculo, manu, & alijs; at ratio organi saltem aliqua ratione pendet à quantitate.

Tertio, Corpus Christi, & sanguis eiusdem, vt sunt sub speciebus consecratis, habent rationem cibi & potus: Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*, &c. at ratio cibi & potus sine quantitate consistere nequit. Denique, cetera accidentia, quæ habet corpus Christi in dextera Patris simpliciter necessaria ad constitutionẽ, sunt in hoc sacramẽto, omnium consensu: ergo & quantitas, cùm hæc ex veriori sententia censeatur esse subiectum istorum proximum. Ioann. 6.

Obijcit Vazquez, qui putat vi verborum consecrationis quantitatem collocari in sacramento: *Obiectio Vazquez.*

Digitized by Google

Partes corporis Chriſti organicæ nequeunt eſſe organicæ, niſi dependenter à quantitate: ergo cum vi verborum ponatur corpus Chriſti ſub ſpecie panis, ponetur & quantitas eiuſdem.

Solutio 1. Duplex organizatio ſubſtantialis & quantitatiua.

Reſpondeo primò, organizationem eſſe duplicem; ſubſtantialem ſcilicet, & quantitatiuam, vt colligitur ex partibus eſſentialibus cuiuſlibet totius phyſici naturalis: hoc enim conſurgit ex materia, & forma veluti ex duabus partibus, quæ ab inuicem diſtinguuntur realiter, antequàm vlla eis adueniat quantitas: quidquid enim eſt, hoc ipſo quod eſt, vnum eſt, & diſtinctum in ſe, & à quolibet alio. Alia verò organizatio eſt quantitatiua, vt conſtat ex capite, oculo, manu, & aliis ſimilibus: partes ſiquidem iſtę, ad hoc vt poſſint ſuas exequi functiones, & operationes, poſtulant certã aliquã quantitatem, ſine qua nihil agerent, vt eſt per ſe notum ex oculo poſito in indiuiſibili ex hypotheſi: prima ergo illa organizatio ponitur vi verborum in ſacramento Euchariſtiæ, poſtrema vero tantum per concomitantiam.

Solutio 2.

Reſpondeo ſecundò, hoc dato, quod omnis organizatio ſit à quantitate, quod tamen non admittimus, non propterea ſequeretur quantitatem collocari in ſacramento vi verborum; licet enim quantitas foret inſeparabilis, à partibus organicis Chriſti corporis phyſice, non tamen eſſet inſeparabilis ab iſtis metaphyſice; vnde hac ratione ſaltem per concomitantiam quantitas corporis Chriſti collocaretur in Euchariſtię ſacramento.

Quantitas corporis Chriſti extenſiua eſt per modum ſubſtantiæ in ſacramento.

Conclvsio 2. *Quantitas corporis Chriſti extenſiua eſt in Euchariſtiæ ſacramẽto per modũ ſubſtantiæ; non autẽ per modũ quantitatis, ſeu modo quantitatiuo.*

Duo munia quantitatis.

Aduerte quantitatem ſortiri duo munia & officia erga ſubſtantiam 1. eſt ſeparare partem à parte, 2. extendere ſubſtantiam in ordine ad locum: ità vt pars ſubſtantiæ corporeæ reſpondeat parti ſpatij, & tota ſubſtantia corporea toti ſpatio, quod eſt ità coniunctum cum quantitate, vt ab ea diuelli non poſſit, etiam de potentia Dei abſoluta: ſecundum autem ſeparatur in hoc ſacramento à quantitate corporis Chriſti, hæc namque eſt tota in toto, & tota in qualibet parte hoſtiæ conſecratæ, eo modo quo ſubſtantia denudata omni quantitate eſt in loco. Hoc ità conſtituto.

Probat. 1.

Probatur Concluſio, primò. Quod collocatur alicubi per actionem ſubſtantialẽ debet eſſe illic ad modum ſubſtantiæ; at quantitas corporis Chriſti exiſtentis in cœlis collocatur in Euchariſtia per tranſubſtantiationem, quæ eſt actio ſubſtantialis: ergo.

2.

Deinde, eſſe alicubi modo quantitatiuo eſt eſſe illic per extenſionem partium in ordine ad locum: ſed quantitas corporis Chriſti non eſt extenſa in Euchariſtia in ordine ad locum; ſed tantum in ordine ad partes ipſiuſmet quantitatis, ità vt vna non ſit alia, ergo eſt in illa ad modum ſubſtantiæ.

Potuit ponere Deus quantitatẽ corporis Chriſti abſque extenſione locali. oſtẽditur 1.

Quod autem potuerit Deus ponere quantitatẽ corporis Chriſti in Euchariſtia ſinè extenſione eiuſdem ad locum. Probatur 1. Non eſt difficilius loca e alicubi quantitatẽ ſine extenſione ad locũ; quàm duo corpora in vno, & eodem loco conſtituere: at fides docet duo corpora fuiſſe in vno, & eodem loco ſimul, & ſemel, vt conſtat ex cap. 20. Ioan. dicitur enim illic Chriſtum fuiſſe ingreſſum ad diſcipulos, ianuis clauſis: ex myſterio quoque natiuitatis Chriſti, exiit ſiquidem Chriſtus ex vtero B. Virginis clauſo, nulla interueniente in eodem vtero mutatione ſeu fractione, ex illo D. Greg. *Virgo ante partum, in partu, & poſt partum.* Certum eſt etiam Chriſtum ſepulchri lapide immoto ſurrexiſſe à mortuis, & cœlos item penetraſſe in die Aſcenſionis; qui tamen ſunt incorruptibiles, ex communi doctrina philoſophorum.

D. Gregor.

Deinde, ſi poſſet dari penetratio dimenſionum, totus mundus in grano milij collocari poſſet, ex doctrina Ariſtotelis lib. 4. phyſicorum: apud Matthæum item dicitur camelum intrare poſſe per foramen acus.

3.

Tertiò, non magis implicat collocari alicubi modo indiuiſibili diuiſibile, quàm indiuiſibile poni in loco diuiſibili: at anima rationalis, quæ eſt indiuiſibilis, recipitur in corpore diuiſibili per informationem eiuſdem. Denique, prius eſt quantitatem habere partes extra partes, quàm eamdem extendi in ordine ad locum, prius autem poteſt conſeruari ſine poſteriori, omnium conſenſu, ſaltem quando poſterius non eſt de eſſentia prioris, quod contingit in re poſita: ergo poterit extenſio in ordine ad locum, ſeparari ab extenſione partium quantitatis in ordine ad ſe.

Corollariũ.

Ex iſtis colliges, partes corporis Chriſti in Euchariſtia vindicare ſibi propriam quantitatem, quam habent in dextera patris, ſine vlla extenſione, quam ibidem habent ad locum, & conſequenter concedendum eſſe de iſtis partibus, quod ſint hîc impermixte, & inconfuſè: ità vt quælibet retineat ſuam naturam ſine admixtione alicuius alterius partis: adeò vt caput non ſit pes, vel è contrà, & ſic de aliis: non eſt tamen concedendum de partibus iſtis quòd ſint per penetrationem in eodem vbi; quia quæ ſunt per penetrationem alicubi occupant locum, & ſunt inter ſe permixta, & confuſa; quod non eſt admittendum de partibus quantitatiuis corporis Chriſti, prout ſunt in hoc ſacramento.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum corpus Chriſti ſit in Euchariſtia, tanquam in loco.

DE hac re conuenit inter omnes Catholicos, vnum, & idem numero corpus Chriſti eſſe circumſcriptiuè in dextera patris, & ſub multis ſpeciebus conſecratis per modum ſacramenti: nam enim docet Chriſtum ſedere in dextera patris, & illic permanſurum ad diem vſque iudicii, ex ſymbolo Apoſtolorum: *Sedet ad dexteram patris*, &c. eadem quoque fides docet ſub qualibet ſpecie conſecrata eſſe totum Chriſtum, vt probauimus art. 1. 2. & 3. huius quæſtionis.

Symbol. Apoſtol.

DVBITATIO.

Tamen eſt, An idem numero Chriſti corpus, vel aliud quodlibet poſſit in pluribus locis circumſcriptiuè locari.

Pars negatiua D. Th. & aliorum.

DE qua re D. Thom. & ſequaces eiuſdem itémque Vazquez diſp. 189. cap. 5. & 6. aliique recent. nonnulli, partem negatiuam tuentur.

Oppoſita ſententia verior.

Contraria tamen videtur verior: & probatur

Digitized by Google

eſſe ſub vna ſpecie conſecrata, quando hæc corrumpitur: & nihilominus nō deſinere eſſe in aliis ſpeciebus conſecratis, quamdiu manent integræ, nec item in dextera Patris. Denique non eſt abſurdum vnam & eamdem numero materiam informari diuerſis formis omnino contrariis, quando materia iſta ponitur in pluribus locis: nam hęc repugnantia, vel eſt effectiua, vel formalis: ſi prima præter identitatem ſubiecti debent quoque formæ iſtæ contrariæ eſſe in vno & eodem loco: agens ſiquidem, & patiens debent eſſe ſimul reſpectu ſphęrę actiuitatis ſaltèm: ſi autem ſit poſtrema, multò magis debent duę iſtæ formæ oppoſitæ eſſe ſimul, vt conſtat ex albo, & nigro: hæc enim nuſquam ſe expellunt, niſi in vno ſubiecto, & loco recipiantur ſucceſſiue: ità Suarez diſp. 48. ſect. 2. & plerique alij Recent.

Alia aliorū reſponſio.

Sunt etiam alij qui putent propoſitionem prædictam non eſſe admittendam: idque quod mens humana concipere nequit vnum & idem numero corpus eſſe & cōſurgere ex vnione vnius, & eiuſdem animæ, itémque corporis, & hanc animam ſeparari ab iſto corpore in vno loco, non verò in alio: vnitas ſiquidem numerica corporis eiuſdem, repetenda eſt ab vnitate, quæ conſurgit ex vnione animæ cum corpore: ergo ſi moritur in vno loco tollitur iſta vnitas numerica: ſupereſt igitur explicandum quomodo hæc vnitas intacta, & illæſa maneat in altero loco.

Deinde, licet per abſciſſionem capitis corporis agentis Toloſę, non amputetur caput corporis agentis Romæ; ac proinde licet per iſtam peremptionem non moriatur Romæ, moritur tamen illic etiam ex ea hypotheſi quod anima, & corpus vna, & eadem plane vnione vniantur Romæ, & Toloſæ, & vnio hæc deſtruatur Toloſæ per iugulationem.

Denique, viuere, & mori non pendent abſolutè à loco; ergo locus diuerſus nequit impedire mortem corporis occiſi in tali loco: eligat lector quam volet reſponſionem.

Continuatio reſponſionis ad obiect. 2.

Ad duas vltimas propoſitiones reſpondeo, non poſſe admitti de homine conſtituto in duobus locis: meritum ſiquidem, & demeritum ſunt actiones imperatæ, vel elicitæ à voluntate, quemadmodum & beatitudo formalis eſt actus elicitus ab intellectu, & voluntate, omnium conſenſu, nullóque modo proinde actiones iſtę pendent à loco: repugnat autem eumdem numero intellectum videre Deum, vt in ſe eſt, & amare eumdem, & non videre, aut non amare Deum: ergo non poſſunt habere locum in vno, & eodem ſimul, & ſemel.

Mouetur quæſtio. Satisfit

ROGABIS, *An corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis poſſit dici eſſe ſub iſtis, tanquam in loco.* Reſpondeo non poſſe dici quod ſit, tanquam in loco definitiue: eſſe ſiquidem in loco definitiue, eſt ita eſſe hic, vt alibi non ſit; corpus autem Chriſti eſt ſub omnibus ſpeciebus conſecratis, & in dextera patris, permanétque ſub vtraque ſpecie etiamſi vere eſſe deſinat ſub alia quando corrumpitur. Non eſt item circumſcriptiue corpus Chriſti in Euchariſtia quia eſſe hac ratione in loco, eſt habere partes reſpondentes partibus loci, ità vt nihil locati ſit extra locum, ſed locatum ſit in toto loco, & pars parti ſpatij reſpōdeat: corpus autem Chriſti eſt totum in toto, & totum in qualibet parte ſpecici conſecratæ. Neque item repletiue, quia ſolus Deus eſt in loco repletiue, propter ſuam immenſitatem, quæ nulli alteri cō-

Corpus Chriſti non poteſt eſſe definitiue in loco.

municari poteſt: præterea corpus Chriſti replet tantummodo ſpatium in quo ſunt ſpecies conſecratę. Non eſt tamen negandum quin corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento aliqua ratione tanquam in loco: nam vere hoc ipſo quod ponitur ſub ſpeciebus panis & vini, conſequitur præſentiam de nouo, ratione cuius dicitur præſens ſpatio illi in quo ſunt ſpecies: quare proprie loquendo corpus Chriſti non eſt ſub ſpeciebus conſecratis tanquam in loco; ſed tantùm ad modum ſacramenti, & vt vere ſub ſpeciebus conſecratis ſacramentaliter præſens eſt, vnde improprie tantum dicitur eſſe in loco per modum ſacramenti.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum corpus Chriſti poſſit moueri, vt eſt in Euchariſtia.

DVBITATIO PRIMA.

An corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis moueatur localiter.

Aliquorum ſententia.

SVNT qui putent corpus Chriſti poſſe mouere ſe localiter per ſe, vt eſt in hoc ſacramento: eo quod habeat facultatem motricem, & omnia neceſſaria ad motum localem, cùm ſit illud idem numero corpus, quod eſt in dextera patris: ità Okam, & Nominales ferè omnes in quartum diſt. 10.

Corpus Chriſti in ſacramento non mouetur per ſe. 1.

CONCLVSIO 1. *Corpus Chriſti conſtitutum in hoc ſacramento non mouetur à ſeipſo per ſe:* Nam ad hoc vt aliquid moueat ſeipſum per ſe motu locali, deſideratur quod ſit res aliqua extenſa in ordine ad locum: at corpus Chriſti non eſt extenſum ſub ſpeciebus conſecratis in ordine ad locum, vt dictum eſt: ergo non mouetur localiter per ſe.

2.

Deinde, corpus quod mouetur motu locali naturali, ex doctrina Ariſt. lib. 5. Phyſic. prius eſt in termino à quo, quàm in termino ad quem, & quo magis accedit ad terminum ad quem, eo quoque magis recedit à termino à quo: atqui corpus Chriſti numquam recedit ab ſpeciebus conſecratis, ſed in iſtis manet quamdiu integræ perſeuerant, nec vllam extenſionem dicit in ordine ad locum, ad hoc vt dicatur magis, vel minus accedere ad terminum ad quem: ergo, ità D. Tho. hoc loco, & interpretes eiuſdem.

Corpus Chriſti in ſacramento per accidens mouetur.

CONCLVSIO 2. *Corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis mouetur localiter ad motum ſpecierum, per accidens tantum, non autem per ſe:* ità interpretes D. Thom. hoc loco.

Deinde, ſacra Concil. definiunt corpus Chriſti circumferri, & circumgeſtari, proponíque populo ad adorandum: ità Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 5. & in cap. Ego Berengarius, de conſecratione, diſt. 20. legitur de corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus cōſecratis, quod manducetur, quod tangatur, quod alteretur: ſancti item Patres verbis expreſſis habent corpus Chriſti interdum attolli, & eleuari aliàs deprimi, interdum portari: at loquutiones iſtæ nequeunt eſſe veræ, niſi corpus de facto moueatur localiter ad motum ſpecierum

Digitized by Google

consecratarum,& consequenter per accidens.

2. Tertio,quia quod ita incipit esse hîc, vt ibi antea non esset,& desinit esse vbi anteà erat,mouetur necessariò motu locali, vel per se, vel per accidens:at corpus Christi incipit esse in hoc spatio ad quod defertur species consecrata, & desinit esse in illo loco,in quo erant anteà species consecratæ: ergo cum id non consequatur per motum localem per se,vt constat ex prima Conclusione, assequetur illud per motum locum per accidens.

Vltimo. Denique, motis nobis, moueantur ea omnia quæ sunt in nobis necesse est: at corpus Christi continetur sub speciebus, quæ vere, & realiter mouentur motu locali: ergo & Christi corpus.

Obiectio. Obiicies, fieri non posse, vt aliquid moueatur per accidens ad motum alterius, nisi coniungatur eidem, vel tamquam actus vel tanquam potentia, vel media aliqua connexione: corpus autem Christi neutro ex istis modis coniungitur speciebus consecratis.

Solutio. Respondeo, propositionem maiorem absolute esse falsam, homo enim qui agit in naui, aut musca quę coniungitur rotę;coniunguntur istis contingenter tantum & tamen mota rota mouetur & musca per accidens,& similiter mota naui,mouetur & constitutus in eadem.

Secundo respondeo, Christi corpus coniungi necessario,supposita institutione sanctissimi sacramenti, speciebus consecratis:licet enim per omnipotentiam Dei fieri possit vt corpus Christi separetur à speciebus; de lege tamen communi id fieri nullo modo potest: est namque de fide tamdiu manere corpus Christi sub speciebus, quamdiu hæ incorruptæ permanent.

Dissoluitur 1. sententia fundamentum. Ad rationes vero authorum prioris sententiæ. Respondeo, corpus Christi constitutum in Eucharistia habere organa necessaria ad motum localem; & item facultatem motricem;retinet enim omnem perfectionem in sacramento,quam habet in dextera patris; neque idcirco potest mouere seipsum, eo quod ad motú hûc localé desideretur simpliciter, & absolute præter proxime commemorata,extensio quantitatis in ordine ad locum.

Alia obiectio. Dices,si Angelus esset sub speciebus consecratis posset eas mouere: ergo illud idem præstabit corpus Christi.

Solutio. Respondeo,concesso antecedente, nego consecutionem:Angelus enim ideo mouet corpus cui coniungitur,quia facultas motrix eiusdé,ex multorũ sententia,non distinguitur realiter ab intellectu,& voluntate eiusdem:at vero facultas motrix corporis Christi est distincta realiter ab intellectu,& voluntate illius, pendétque simpliciter ab organis sensibilibus extensis in ordine ad locum: quare,cum non extendatur in Eucharistia respectu loci, nihil plane mouere poterit,prout est in illa; quod dico, quia certum est corpus Christi vt instrumentum diuinitatis posse mouere & species consecratas,& quodlibet aliud corpus naturale.

DVBITATIO SECVNDA.

An possit corpus Christi pati à re aliqua sensili, vel etiam agere actione aliqua corporea, prout est in Eucharistia.

Corpus Christi non RESPONDEO, *Nec posse pati ab vlla re sensili extrinseca, nec posse similiter actionem aliquam corpoream exercere, vt est in hoc sacramento.* Probatur prima pars. Ad passionem,& actionem desideratur extensio quantitatis in ordine ad locum,vt docet D. Thom. hoc loco, & communiter interpretes eiusdem ibidem,& Sententiarij in 4. dist. 10. *potest pati ab aliqua re sensibili nec agere corporaliter.*

Deinde, ad hoc vt corpus sensile patiatur ab aliquo,non est satis quòd hæc duo coniungantur inter se,vt patet ex oculo:hic enim non potest videre corpus,quod est sibi contiguum,sed desideratur debita approximatio: at certum est nullum plane corpus proximum speciebus consecratis, aut etiam distans ab iisdem, posse coniungi debite & vt oportet corpori Christi prout existit sub illis: hoc enim est illic modo indiuisibili, & impartibili: corpus autem extra species consecratas est diuisibile, & extensum in ordine ad partes & in ordine ad spatium.

Probat. 2. partis. Secunda vero pars probatur, si posset Christi corpus operationes aliquas in Eucharistia extra se exercere,id maxime mediis qualitatibus sensibilibus, quas in se habet:putà medio calore calefacere posset,& medio frigore, frigefacere: at id dici nullo modo potest; quemadmodum enim qualitates istæ sunt in se materiales, & sensiles, ità quoque ad hoc vt operentur videntur postulare extensionem in ordine ad locum:corpus autem Christi vt est in Eucharistia, est inextensum in ordine ad locum:ergo.

Deinde, corpus Christi hactenus, nec species consecratas alterauit, neque item eos qui easdem sumpserunt: vt est per se notum, ex experientia quotidiana.

Tertio, in re graui, & dubia non est recedendum à communi opinione:communis autem sententia hactenus fuit,corpus Christi nec pati, nec agere posse actione aliqua sensili, & corporea, prout est in sacramento: ità docent Recent.

Obiectio. Obiicies,aliquos docere, corpus Christi de facto videre clericos cantantes in Ecclesia,& sacerdotem sacrificantem, etiam provt est in sacramento,eo quod retineat facultatem videndi, audiendi, palpandi, & similes. Deinde,quia hoc excitet sacerdotem, itémque quemlibet alium ad maiori cum reuerentia sanctissimum sacramentum frequentandum,& pertractandum.

Solutio. Respõdeo, corpus Christi habere omnes facultates in sacramento, quas habet in dextera patris. Ceterum non posse hîc ob defectum extensionis in ordine ad locum producere actiones videndi, audiendi, palpandi & similes.

Quod vero subiungitur ex positione actuum facultatis, videndi audiendi, &c. excitari pium affectum erga venerationem sanctissimi sacramenti. Respondeo,affectum hunc excitari similiter in omni plane homine ex eo quod verissimum & indubitatum sit Christum, prout est in dextera patris audire clericos cantantes, & eorum preces perfectissime assequi, itémque omnes & singulas eorumdem actiones. Imo intellectus Christi constitutus sub speciebus consecratis præfatas actiones sacerdotum intelligit, quo fit vt non sint aliæ sensiles ad hunc effectum producendum necessariæ.

ARTICVLVS

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento, poſſit videri ab aliquo oculo corporeo, ſaltem glorificato?

Corpus Chriſti in ſacramento non eſt viſibile ab oculo corporeo.

ONCLVSIO 1. *Corpus Chriſti conſtitutum in hoc ſacramento, non eſt viſibile reſpectu oculi corporei, & ſenſilis naturaliter.* Probatur 1. Corpus Chriſti nequit videri, niſi quoque poſſit formare ſpeciem ſui ipſius, & tranſmittere eamdem ad oculum videntem: certum autem eſt, prout eſt in Euchariſtia, non poſſe producere ſpeciem ſui ipſius; de ratione ſiquidem iſtius ſpeciei eſt, quod ſit extenſa, & ſenſilis, cum exeat ab obiecto prout in ſe eſt; corpus verò Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, eſt ad modum ſubſtantiæ, & conſequenter ſine vlla extenſione in eadem ad locum: ergo.

Deinde, corpus Chriſti eſt ad modum ſubſtantiæ, ſub ſpeciebus conſecratis; ſubſtantia autem, vt ſic, eſt extra latitudinem obiecti adæquati ſenſus cuiuſlibet: igitur & Chriſti Corpus, cum ſit ibi modo indiuiſibili.

Non poteſt corporeo oculo corpus Chriſti videri. 1.

ONCLVSIO 2. *Modus quo corpus Chriſti exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis, nequit videri ab oculo corporeo per omnipotentiam Dei, etiamſi ſupponamus oculum huiuſmodi, illuſtratum eſſe auxilio aliquo ordinis ſupernaturalis.* Primum, quia fieri non poteſt, vt aliquid videatur ab oculo corporeo, quocumque auxilio ſupernaturali illuſtrato: quando res hæc eſt extra latitudinem ſui obiecti adæquati, quod exigit lumen & colorem: corpus autem Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, non eſt luminoſum & coloratum in ordine ad locum: neque item modus quem habet in ſacramento eſt vlla ratione luminoſus, & coloratus: ergo non poteſt videri ab oculo corporeo.

Modus item qui aduenit corpori Chriſti per tranſſubſtantiationem ſub ſpeciebus conſecratis eſt omnino indiuiſibilis, & impartibilis, & ex conſequenti eſt inſenſibilis; diximus enim huiuſmodi modum eſſe ſubſtantialem, eſſéque terminum formalem actionis tranſſubſtantiationis, vnà cum corpore Chriſti: at inſenſile, & impartibile eſt extra latitudinem obiecti adæquati cuiuſlibet ſenſus, ex doctrina communi philoſophorum.

Confirmatio.

Confirmatur. Propterea ſubſtantia in ratione ſubſtantiæ non poteſt agnoſci per ſenſum internum, vel externum, quia hæc eſt extra latitudinem obiecti adæquati ſenſus: ergo illud idem erit dicendum de modo corporis Chriſti exiſtentis ſub ſpeciebus conſecratis.

Oculus corporeus glorificatus nequit videre corpus Chriſti. 1. 2.

ONCLVSIO 3. *Corpus Chriſti per omnipotentiam Dei non poteſt videri ab oculo corporeo glorificato, vel non glorificato, illuſtrato quocumque dono ordinis ſupernaturalis ſub ſpeciebus conſecratis.* Probatur primo, rationibus omnibus quibus præcedens Concluſio confirmata eſt.

Secundo, ſi corpus Chriſti videretur ſub ſpeciebus conſecratis ab oculo corporeo, vel videretur cum modo ſacramentali: quem illic habet, vel ſine modo iſto: neutrum dici poteſt; non quidem primum, quia concretum nequit videri intuitiue; niſi videatur forma per quam conſtituitur huiuſmodi concretum in ratione talis concreti: vt conſtat exemplo albi, quod numquam conſpicitur, niſi videatur albedo, vnà cum ſubiecto quod afficitur albedine: at corpus Chriſti conſtituitur ſub ſpeciebus per actionem tranſſubſtantiationis & per hanc eamdem habet modũ aliquem ſubſtantialem verè corpori Chriſti inhærentem, vt eſt ſub iſtis ſpeciebus, qui non poteſt videri ab oculo corporeo per omnipotentiam Dei, ex Concluſione proxime antecedente: ergo non poterit etiam videri corpus Chriſti cum iſto modo ſacramentali, quem habet. Neque item ſecundum: viſio ſiquidem intuitiua terminatur ad rem præſentem, vt eſt in ſe, & vt preſens eſt; ità vt ſi alterum horum deſit, viſio non poſſit dici intuitiua: at ſupponimus corpus Chriſti videri ſine modo quem habet in hoc ſacramento: ergo non videretur intuitiue ab oculo corporeo.

Obiectio Vazquiz.

Obiicit Vazquez qui contrariam ſequitur ſententiam: indiuiſibile dicit negationem extenſionis; at negatio non poteſt impedire quominus corpus Chriſti videatur ſub ſpeciebus conſecratis, cum ſit luminoſum & coloratum, coloratum autem eſſe ibi ſub ſpeciebus conſecratis nullus eſt qui poſſit negare, cum retineat in hoc ſacramento omnes perfectiones quas habet in dextera patris, minimè repugnantes cum exiſtentia ſacramentali: ergo.

Soluitur.

Reſpondeo, non eſſe ſatis ad hoc vt corpus Chriſti videatur ſub ſpeciebus conſecratis, quod ſit vere coloratum in ordine ad ſe; deſideratur enim vlterius, vt color hic ſit extenſus, quemadmodum & potentia viſiua ſenſilis, & ad organorum modo quantitatiuo effectum determinata; quare ratio indiuiſibilitatis, (quę nõ dicit meram negationem, vt vult Vazquez, ſed arguit perfectionem aliquam veram, & realem in corpore Chriſti exiſtentem, prout eſt in hoc ſacramento) impedit ne oculus corporeus, auxilio etiam ſupernaturali illuſtratus, videat corpus Chriſti conſtitutum in Euchariſtia. Non eſt tamen negandum, quin Deus poſſit ſe ſolo mittere intrà oculum corporeum ſpeciem productam ſine vlla dependentia à corpore Chriſti; qua videatur corpus Chriſti ab huiuſmodi oculo corporeo. Ceterum viſio hæc non eſſet intuitiua reſpectu corporis in Euchariſtia exiſtentis, eo quod prout eſt in ſe non eſſet præſens potentię viſiuæ; ſed tantum quodammodo abſtractiua, vel imperfecte, & incomplete intuitiua: eſſet enim per propriam ſpeciem corporis Chriſti productam non ab obiecto; ſed à Deo: qua ratione viſio hæc diſtingueretur ab abſtractiua, quæ fit per alienas ſpecies, eſſétque tantum incompleta, quia corpus Chriſti non foret per ſeipſum præſens potentiæ viſiuæ ſub ea ratione, qua eſt in ſacramento.

Non poteſt intelligi naturaliter corpus Chriſti prout eſt in ſacramento. 1. 2.

ONCLVSIO 4. *Corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis, & modus eius, nequeunt intelligi ab homine, vel Angelo naturaliter.* Primo, quia Angelus naturaliter intelligit per ſpecies tantum ſibi concreatas & conſequenter ſibi naturaliter debitas: at corpus Chriſti & modus eius ſacramentalis non continetur intrà latitudinem obiecti naturalis angelici; ſunt enim hæc duo ordinis ſupernaturalis.

Deinde, homo naturaliter intelligit per ſpecies emendicatas, ab obiectis, nihil ſiquidem eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, &

Digitized by Google

item oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata; at corpus Chriſti conſtitutum in Euchariſtia, nequit producere ſpeciem ſui ipſius, & illud idem dicendum eſt de modo, quem illic habet, propter modum indiuiſibilitatis, qui datur in illis: ergo non poterit intellectus Angeli, aut hominis, corpus in ſacramento exiſtens videre.

Cum auxilio Dei Angelus & homo intelligunt corpus Chriſti.

CONCLVSIO VLTIMA. *Non eſt tamen negandum quin intellectus Angeli, & hominis auxilio ſupernaturali aliquo præditus, & corpus Chriſti, & modum eiuſdem intelligant, vt eſt in Euchariſtia: imò probabile eſt beatos agentes in cœlis hæc duo perfectiſſime videre.* Prima pars probatur. Corpus Chriſti, & modus eiuſdem ſacramentalis ſunt abſolute & ſimpliciter loquendo cognoſcibilia; habent enim rationem entis: ergo poterunt intelligi ab intellectu creato illuſtrato auxilio aliquo ſupernaturali, præſertim cùm magis hæc accedant ad intellectum creatum, quàm faciat diuina eſſentia, vt in ſe eſt quæ tamen à quolibet beato conſpicitur in cælis medio lumine gloriæ.

Probat. 2. partis.

Secunda vero pars probatur. Viſio reſpondet fidei, ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* at quilibet noſtrum in hac vita conſtitutus credit corpus Chriſti eſſe modo ſacramentali, ſub ſpeciebus conſecratis: ergo illud idem videbit in gloria.

Confirmatur. Quilibet meretur aſſentiendo huic articulo: *Corpus Chriſti eſt in ſacramento*, modo tamen aſſenſum hunc eliciat in hac via, & in gratia, ſeu charitate conſtitutus, omnium plane conſenſu: ergo debet quoque mercedem aliquam conſequi in cœlis propter huiuſmodi actum executioni demandatum: merces autem iſta nedum eſt poſita in viſione diuinæ eſſentiæ ſed etiam in viſione iſtius corporis, & modi, ſaltem accidentaliter, & ſecundariò: ergo.

Aduerte nihilominus agentes in cœlis ex noſtrâ ſententia, non videre in Verbo, ſeu intrà diuinam eſſentiam corpus Chriſti, & modum eius ſacramentalem, ſed media ſpecie aliqua ſibi diuinitus impreſſa, quæ perfectiſſime repræſentat corpus, & modum eiuſdem exiſtendi ſacramentalem: vnde hæc cognitio non eſt ſimpliciter intuitiua; ſed tantum ſecundum quid, quia non terminatur ad corpus Chriſti prout exiſtit in ſemetipſo, & prout eſt præſens potentiæ viſiuæ, ſed tantum per ſpeciem à Deo productam fit præſens.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum, quando in hoc ſacramento apparet miraculosè caro, vel puer, ſit ibi verè corpus Chriſti.

CIRCA hunc articulum obſeruandum eſt, quod quando ſpecies ſanctiſſimi ſacramenti mutantur, ità vt in illis appareat, vel pes, aut aliqua alia pars corporis humani, vel etiam maſſa aliqua carnis de qua re legendi ſunt Paſchaſius, Coccius, de Euchariſtia, & alij, corpus Chriſti vere perſeuerare ſub iſtis ſpeciebus quando hæ in ſeipſis vere non ſunt completæ, & mutatæ: ſed tantum mutatio contingit in oculis eorum, qui ſpecies conſecratas vident ſub ratione manus, vel pedis, vel pueri, &c. De fide namque eſt corpus Chriſti tamdiu permanere realiter ſub ſpeciebus conſecratis, quamdiu illæ manent incorruptæ: ſupponimus autem eas non eſſe in ſeipſis corruptas, ſed mutationem omnem tenere ſe ex parte eorum, qui illas intuentur. Indùbitatum eſt etiam corpus Chriſti nullo modo eſſe ſub ſpeciebus conſecratis in data hypotheſi, quando ſunt corruptæ, quoad ſuam quantitatem, & qualitatem, quas antea habebant, cum doceat fides deſtructis ſpeciebus panis, & vini, deſinere eſſe corpus Chriſti, & ſanguinem eiuſdem ſub iiſdem.

Aduertendum eſt præterea, quod videtur tunc temporis, non eſſe corpus Chriſti, vel partem corporis eiuſdem exiſtentis in ſacramento: nam quod videtur, eſt diuiſibile: corpus autem Chriſti, prout eſt in ſacramento eſt indiuiſibile, in ordine ad ſpatium, ſeu locum.

Deinde, partes corporis Chriſti exiſtentis in Euchariſtia, ſunt ità inter ſe connexæ, vt ab inuicem nulla ratione ſeparentur: videtur autem ex hypotheſi pes, vel manus, quantitas item pueri, quæ non eſt eadem cum quantitate corporis Chriſti.

Aduerte denique, in hac hypotheſi in qua ſpecies conſecratæ ſunt vere mutatæ, ità vt ſit vere maſſa carnis, vel pes aliquis, qui apparet, ſpecies iſtas non eſſe ſumendas à ſacerdote, ſed aſſeruandas in aliquo loco proprio, & maxime religioſo: rectè enim ab Euſeb. homilia 5. de Paſchate dictum eſt: Corpus Chriſti ſub ſpecie panis poſitum eſſe, non autem per ſeipſum ſine vllo velamine, quoniam refugit homo carnes crudas, maxime vero humanas comedere.

QVÆSTIO LXXVII.

De accidentibus Euchariſtiæ.

CIRCA hanc Quæſtionem duæ ſunt difficultates explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An quantitas ſpecierum conſecratarum, & qualitates earumdem ſint ſine ſubiecto.

RESPONDEO, *Quantitatem ſpeciei conſecratæ panis, & vini eſſe ſine vllo ſubiecto.* Primo, quia ſacra Concil. docent totam ſubſtantiam panis, & vini conuerti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis per verba conſecrationis, vt conſtat ex locis citatis in quæſtione de tranſubſtantiatione, & item accidentia panis, & vini eſſe ſine vllo ſubiecto.

Quantitas panis & vini eſt ſine ſubiecto in ſacramento. 1.

Deinde, licet accidentia naturaliter nulla ſint ſine ſubiecto vllo, in Euchariſtia tamen per omnipotentiam Dei ſunt ſine vllo ſubiecto, neque 2.

Digitized by Google

neque enim inhęrere actu, eſt de ratione accidentis; ſed tantum poſſe inhærere, ſeu, quod idem eſt, dicere ordinem ad ſubſtantiam, vt communiter probant Metaphyſici Chriſtiani, in tractatione de accidente: ità Sententiarij omnes in quartum, diſtinct. 12. & D. Thom. art. 1. huius quęſtionis. A

Qualitates ſpecierum in quantitate ſubiectantur.

Reſpondeo 2. *Saporem, odorem, colorem, & ceteras qualitates ſanctiſſimi ſacramenti eſſe in quantitate tamquam in ſubiecto*: ità D. Thom. articulo ſecundo huius quæſt. & interpretes eiuſdem ibidem, & in 4. diſt. 12.

2. Deinde, qualitates ſpecierum conſecratarum eodem modo ſe habent ad quantitatem, quo ante conſecrationem, vt conſtat ex ſenſibus externis: at ante conſecrationem iſtę qualitates erant in quantitate, tanquam in ſubiecto proximo propriæ inhæſionis: ergo & poſt conſecrationem. B

3. Tertio, qualitates iſtę ſunt extenſæ: at extenſio omnis, ex multorum ſententia, eſt à ſola quantitate. Item qualitates huiuſmodi cùm ſint patibiles, inferunt ſenſui paſſionem aliquam: at illatio iſtius paſſionis, nequit eſſe niſi cum dependentia à quantitate, propter extenſionem quam poſtulat natura iſtius paſſionis: ergo habent pro ſubiecto immediato eamdem quantitatem.

Poſſunt abſolute qualitates ſpecierum conſeruari abſque ſubiecto.

Sunt autem qui dubitent, *An qualitates iſtæ de potentia Dei ſeparari poſſint à quantitate, ità vt ex ſe poſſint ſine quantitate exiſtere.* Quidam partem negantem tuentur. Contraria tamen opinio videtur verior: accidens enim quodlibet abſolutum, poteſt diuina virtute conſeruari ſine vllo alio ſimiliter accidente abſoluto: qualitates autem ſaporis, odoris, & coloris ſunt accidentia quædam abſoluta, & item quantitas: ergo poterunt ſeparatim ab omni ſubiecto conſecrari. C

Deinde, falſum eſt quòd ſupponunt aduerſarij, vnitatem numericam qualitatum proximè commemoratarum repetendam eſſe à ſubiecto cui inſunt: hęc ſiquidem petitur ab ipſiſmet qualitatibus, aut, vt alij volunt, ab vbi intrinſeco, quod datur in omni planè qualitate. Rurſus, extenſio ſaltem quæ pendet à quantitate, non eſt ſimpliciter neceſſaria, vt qualitates iſtæ ſenſibus inferant paſſionem aliquam: ad id enim ſatis eſſe videtur ratio ſenſilis, quæ competit iſtis qualitatibus quatenus tales ſunt. D

DVBITATIO SECVNDA.

An ſpecies conſecratæ poſſint mutare, & agere in materiam externam, & an ex iſtis aliquid generari poſſit. E

Species conſecratæ mutare poſſunt res extra ſe.

RESPONDEO 1. *Indubitatum eſſe ſpecies conſecratas mutare poſſe res extra ſe poſitas*: Certum enim eſt vini ſpeciem conſecratam mutare in ſubſtantiam vini guttulam aquæ ſibi admixtam, licet ſub iſta guttula conuerſa in ſubſtantiam vini non ſit ſanguis Chriſti: non enim ſanguis ponitur ſub ſpecie, niſi per prolationem verborum conſecrationis calicis, quę tamen hìc non interuenit.

In 3. parte autem D. Thom.

Deinde, nullus eſt qui negare queat ſpecies conſecratas poſſe admiſceri rebus minimè conſecratis, & item quin ex iſtis poſſit conſurgere tertia quædam entitas omnino varia, & diuerſa ab ſpecie panis, & vini.

Ex accidentibus generatur ſubſtantia aliando.

Reſp. ſecundo, *Ex accidentibus panis, & vini conſecratis generari ſubſtantiam interdum, & aliquando*: fatentur enim omnes ex ſpeciebus panis generari vermes: indubitatum eſt etiam pleroſque vitam protraxiſſe nedum ad multos dies, ſed etiam menſes, & annos ſine ſumptione alicuius alterius alimenti, præter ſpecies conſecratas, de qua re legendus eſt Palladius in vitis Patrum, & Gregorius Nazianzenus de obitu patris ſui. Item, ſpecies conſecratæ panis, tam vere poſſunt comburi, quàm ſpecies non conſecratæ eiuſdem: certum autem eſt ex ſpeciebus non conſecratis panis generari cineres, interueniente combuſtione earumdem: ità docent communiter omnes, cum D. Thom. articulo 4. 5. 6. & 8. huius quæſtionis. *qui* Palladius. Gregor. Nazianz.

Difficultas verò occurrit explicanda: *Quî fiat, vt ex iſtis accidentibus nutriatur verè homo, & generentur vermes, aliaque res ſubſtantiales.*

Explodituꝛ aliquorum expoſitio.

Sunt qui putent res iſtas generari ex aëre circumſtante & ambiente ſpecies conſecratas: quod caret omni probabilitate; aër namque eſt planè ineptus ad hoc vt conuertatur in cineres, interueniente actione combuſtionis.

2. Explicatio reiicitur.

Alij putant ſubſtantiam panis, & vini redire diuina virtute, & ex hac generari vermes, nutriri hominem, qui ſpecies conſecratas ſumpſit. Verum neque iſti aliquid dicunt; quod enim conuerſum eſt in ſubſtantiam corporis Chriſti, & quod ſimpliciter eſſe deſinit, nequit redire, niſi per aliquam productionem de nouo à Deo factam; tranſitus enim de non eſſe ad eſſe, non fit ſine aliqua mutatione: at non poteſt dici quæ ſit illa actio per quam producatur ſubſtantia deperdita panis, & vini.

D. Thom.

D. vero Thom. propterea putat ex accidentibus ſanctiſſ. ſacramenti generari ſubſtantiam, quòd hæc conſequatur modum conuertibilem ſubſtantię. Ceterum hæc opinio non eſt ſatis explicata: nam ex non quantitate nequit fieri ſubſtantia, licèt ſupponamus quantitatem habere in ſe modum aliquem ſubſtantiæ, vel virtutem eiuſdem: ergo ex quantitate panis & vini conſecrati nuſquam poterit conſurgere ſubſtantia aliqua.

Multa inferuntur abſurda ex ſent. relata.

Secundo, ſequuntur ex illa ſententia quàm plurima inconuenientia. Primum. Ex ſubſtantia & accidente, & conſequenter ex rebus ad diuerſa prædicamenta ſpectantibus, poſſe conſurgere vnum per ſe ſubſtantiale, quod philoſophi omnes refugiunt concedere. Secundum: Animam rationalem immediate informare quantitatem, cùm hac poſita in noſtro caſu, nutriatur homo ſumens ſpecies. Tertium: Cùm depereant partes aliquæ animalis ſemper poſſe deueniri ad talem ſtatum, vt ſi quis ſolis ſpeciebus conſecratis nutriretur, nihil materiæ reperiretur, ſed tantum quantitas: atque ità homo ille conſtaret ſola anima rationali, & quantitate, quo quid abſurdius?

Digitized by Google

Quartũ ſequeretur etiam materiam & quantitatem continuari poſſe ſupernaturaliter, quòd repugnat omnino philoſophiæ, quæ docet illa quę differunt ſpecie, non poſſe continuari. Adde, videri implicare contradictionem, quantitatem alteri quantitati continuari, non continuata vtriuſque materia, cui ex ſententia multorum ineſt immediate quantitas. A

Vera ſent. Deũ creare de nouo materiam.

Reſpondeo ergo: Deum creare de nouo materiam in illo eodem inſtanti in quo corrumpuntur ſpecies conſecratæ; & ex hac materia de nouo creata, actione agentis naturalis, generari ſubſtantiam vel vermis: vel hominis, ità communiter Recentiores rationem ſubiungunt:

Ratio vera reſponſionis.

Quoniam pertinet ad ſummam Dei prouidentiam ſupplere defectum cauſarum ſecundarum, quando cauſæ ſecundæ nequeunt producere ſuos effectus, præſertim ſi ordo naturæ poſtulet effectum cauſarum ſecundarum produci, quod probant exemplo hominis generantis hominem: ideo enim Deus ſe ſolo creat animam rationalem, quod nequeat homo concurrere ad actum creationis per quem producitur anima rationalis: anima autem rationalis ità à ſolo Deo creata, aſſumitur ab agente naturali, & vnitur corpori humano; vt tam vere dicatur homo generare hominem, quàm quodlibet aliud animal dicitur generare ſibi ſimile: non ſecus inquiunt quando corrumpuntur ſpecies conſecratæ, & ex iſtis generatur vel vermis, vel nutritur creatura rationalis, producetur, ſeu creabitur materia de nouo à Deo, adeo vt ex iſta materia generetur vermis actione agentis naturalis, vel aliqua alia ſubſtantia. B C

Obiectio diſſoluitur.

Dices, quod creatur annihilari. Reſpondeo, hoc eſſe verum, ſi res creata deſinat eſſe ſecundum ſe totam; certum autem eſt materiam iſtam creatam à Deo de nouo, non deſinere eſſe, ſed mutari in ſubſtantiam hominis, qui ſpecies conſecratas ſumpſit, vel etiam in materiam vermis, informaturque proinde forma vermis. D

Excitatur dubium.

ROGABIS, *An quando ſpecies conſecrata vini admiſcetur alteri vino minime conſecrato, quod eſt in maiori quantitate, quàm ſit vinum conſecratum, deſinat eſſe ſanguis Chriſti ſub hac ſpecie conſecrata per huiuſmodi admixtionem.* Sunt qui putent partem affirmantem eſſe veram, quam tuetur D. Thom. incorpore articuli vltimi huius quæſtionis & alij Thomiſtæ eò quòd ſpecies conſecrata vini, poſita admixtione prędicta, non ſit eadem numero quæ fuit antea.

D. Thom. ſententia.

Deinde, quoniam per diuiſionem vſque ad minutiſſimas partes, deſtruitur huiuſmodi ſpecies conſecrata; deſtructis autem ſpeciebus conſecratis, non eſt ibi amplius ſanguis Chriſti. E

Sanguis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpecie, quando hæc admiſcetur dolio vini.

CONCLVSIO. *Sanguis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpecie conſecrata vini, etiamſi ſpecies iſta fuerit admixta dolio vini non conſecrato.* Primum quia ſpecies conſecrata vini, addita alteri ſpeciei non conſecratæ vini, non facit vt deſinat eſſe ſanguis Chriſti ſub iſtis ſpeciebus, omnium planè conſenſu.

1. 2. Deinde, per eam diuiſionem, & alterationem deſinit eſſe ſanguis Chriſti ſub ſpecie conſecrata, per quam deſineret eſſe ſubſtantia vini ſi adeſſet: at certum eſt ſubſtantiam vini non deſinere eſſe per admixtionem alterius vini; non enim ſibi ſimile deſtruit: ſed potius conſeruat, vt conſtat ex guttula aquæ permixta alteri aquæ.

3. Tertio, licet ſpecies iſta conſecrata diuidatur vſque ad minutiſſimas partes, quando permiſcetur alteri vino non conſecrato; certum tamen eſt partes iſtas vniri inter ſe in illo eodem puncto, in quo diuiduntur, & ex conſequenti conſeruari in ſuo eſſe: eſt autem de fide tamdiu corpus Chriſti manere ſub ſpeciebus conſecratis, quamdiu ſpecies integræ perſtant: ergo, poſita mixtione prædicta erit illic ſanguis Chriſti vere, & realiter.

Obiectio.

Dices, non poſſe diſcerni, & ſeiungi ſpeciem conſecratam à non conſecrata: ergo ſignum eſt, &c.

Solutio.

Reſpondeo, ex iſtis nihil poſſe colligi contra noſtram ſententiam: ſi enim ex hypotheſi detur cumulus hoſtiarum non conſecratarum, & huic miſceatur vnà ſpecies conſecrata, non propterea deſinit eſſe corpus Chriſti ſub hac ſpecie conſecrata, etiamſi hæc nequeat deprehendi, & diſtingui à non conſecratis: ità illud idem eſt dicendum de ſpecie vini conſecrata, admixta dolio vini non conſecrati: in hac ſententia ſunt communiter Scholaſtis in 4. diſt. 10. & alij 12.

Addunt autem plerique ob ſpeciem conſecratam vini admixtam, dolio vini non conſecrati, aſſeruandum eſſe dolium illud magna cum reuerentia, & tradendum vel innocentibus, vel certe vſui futurę conſecrationis calicis deſtinandum, cum enim ſuperabundent partes non conſecratæ poterunt hæ vere deſeruire conſecrationi calicis: ità Sotus, diſtinct. 10. lib. 4.

Rationes oppoſitæ diluuntur.

AD rationes vero contrarias reſpondeo. Ad primam, antecedens eſſe certiſſimum: ex eo tamen non licet colligere ſanguinem Chriſti deſinere eſſe ſub huiuſmodi ſpecie: nihil enim prohibet quominus ſpecies conſecrata panis ſecetur in quatuor partes, ac proinde non erit vna numero, quemadmodum anteà, & tamen ſub qualibet parte diuiſa erit totum Chriſti corpus, ex illo D. Thom.

1. D. Thom.

Fracto demum ſacramento,
Ne vacilles ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.

Ad ſecundam, per huiuſmodi diuiſionem partium, non deſtrui ſpeciem conſecratam vini, vniuntur enim partes diuiſæ in illo eodem inſtanti, in quo diuiſio facta eſt: idque propter identitatem ſubſtantiæ vini, quæ fuit antea ſub ſpecie conſecrata, & quæ de facto datur ſub ſpecie non conſecrata vini, quæ permiſcentur ex hypotheſi inter ſe.

2.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXXVIII

De forma ſacramenti Euchariſtiæ.

ARTICVLO 1. Docet formam conſecrationis panis eſſe iſtam, *Hoc eſt corpus meum*: conſecrationis vini, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c.

ARTICVLO 2. formam conſecrationis panis conuenientem, eſſe; *Hoc eſt corpus meum.*

Summa textus.

ARTICVLO 3. formam conuenientem conſecrationis calicis eſſe; *Hic eſt calix ſanguinis*, &c.

ARTICVLO 4. Ineſſe vim formis proxime explicatis faciendi quod ſignificant.

ARTICVLO 5. Verba conſecrationis panis, & vini eſſe veriſſima, ſignificareque proinde totum illud quod continetur ſub ſpecie vini, eſſe ſanguinem Chriſti; totum vero quod continetur ſub ſpecie panis eſſe corpus Chriſti.

ARTICVLO VLTIMO. Contendit formam conſecrationis panis ſuos conſequi effectus independenter à forma calicis: & contrà, formam conſecrationis calicis attingere ſuos effectus ſine vlla dependentia à forma conſecrationis panis.

Circa hanc quæſtionem ſit

DVBITATIO PRIMA.

Quæ ſit forma conſecrationis panis.

Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi eſt. Innocentius III. in libro de myſteriis miſſæ, docet Chriſtum conſecraſſe benedictione; quod etiam probari videtur hac vnica ratione. Quod Chriſtus Apoſtolis in cœna dedit, hoc corpus eius extitit, vt colligitur manifeſtè ex c. 20. Matth. Luc. 22. Marci, 14. primæ Corinth. 11. at antequam Chriſtus protulerit illa verba, ſpeciem panis Apoſtolis dedit, vt conſtat ex iſtis verbis: *Accepit Ieſus panem, & gratias agens fregit, benedixit, deditque diſcipulis ſuis.*

Matth. 20. Luc. 22. Marc. 14. 1. Cor. 11.

2.

Deinde, Græci inter ſacrum conficiendum prolatis verbis iſtis; *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix ſanguinis mei*, precantur Deum, vt eorum Euchariſtiam perficere dignetur. Denique Euchariſtiam nuncupant patres, preces, & orationes.

Forma conſecrationis panis hoc eſt enim corpus meum.

CONCLVSIO 1. Forma conſecrationis panis, ſunt hæc verba, *Hoc eſt enim corpus meum.* Probatur primo, quia ità dicitur in cap. Matthæi de celebratione Miſſarum. Deinde, conſentiunt Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. & Trident. ſeſſ. 13. cap. 1.

2.

3.

Nyſſenus. Iuſtinus. Chryſoſt.

Tertiò, ità docent Patres, Nyſſen. oratione Catechetica, c. 37. poſt medium. *Panis*, inquit, *ſanctificatur per verbum. Hoc eſt corpus meum.* Iuſt. apolog. 2. pro Chriſtianis, Chryſoſt. homilia de perditione Iudæ: *Sacerdotis*, inquit, *ore, verba proferuntur, & Dei virtute conſecratur ſubſtantia, ſcilicet panis, & vini, idonea verbis iſtis, Hoc eſt corpus meum.* ſubiungit ibidem, quod quemadmodum animalia poſita eorum creatione per iſta verba; *Creſcite, & multiplicamini* conſequuta ſunt vim producendi ſibi ſimile ità per hæc verba; *Hoc eſt corpus meum*, quotieſcumque à ſacerdote proferuntur, ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & homilia 2. in epiſt. ad Timoth. & Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14. Subſcribunt & Latini Patres, Cyprian. ſerm. de cœna Domini, & in epiſt. ad Cæcilium, de ſacramento Domini, & Tertul. lib. 4. contra Marcionem cap. 14. Ambroſ. 4. de ſacramentis cap. 5. & D. Auguſt. ſerm. 28. de verbis Domini.

Geneſ. 2.

Damaſc. Cyprian. Tertul. Ambroſ. D. Auguſt.

4.

Quartò, Forma conſecrationis panis eſt illa, quam Chriſtus inter conſecrandum retinuit: eſt enim ille author omnium ſacramentorum nouæ legis, ex Tridentin. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacramentis in genere: at Chriſtus inter conſecrandum panem vſus eſt verbis iſtis; *Hoc eſt corpus meum*, vt authores ſunt Patres relati, & indicant Concilia, Florent. & Trident. locis citatis.

Vltima.

Denique Eccleſia, nullam aliam retinet formam inter conſecrandum panem, ergo: ità Sententiarij omnes, in quartum diſt. 10. & alij 12. & D. Thom. art. 1. & 2. huius quæſtionis.

Moneo tamen, particulam, *enim*, hèmque verba iſta; *Qui pridie quam pateretur accepit panem*, &c. eſſe tantum de neceſſitate præcepti: non autem de neceſſitate ſacramenti: iſtis enim verbis omiſſis, & prolatis; *Hoc eſt corpus meum*, ſequeretur vera, & realis præſentia corporis Chriſti ſub ſpecie panis; peccaret tamen ſacerdos ſi prædicta verba prætermitteret: ità communiter omnes.

Potuit Chriſtus abſque verbis tranſſubſtantiationem efficere, non tamen id fecit.

CONCLVSIO 2. *Chriſtus licèt potuerit ſubſtantiam panis in ſubſtantiam ſui corporis conuertere ſine verbis iſtis:* Hoc eſt corpus meum, *non tamen id præſtitit, ſed uſurpauit, atque eorum vi ſubſtantiam panis in ſubſtantiam proprij corporis tranſubſtantiauit.* Ratio prioris partis Concluſionis eſt, Chriſtus poteſt ſe ſolo, illud omne quod poteſt media re aliqua creata: mediis autem verbis iſtis, *Hoc eſt corpus meum*, attingit effectum conſecrationis panis. Deinde, eſt axioma communiſſimum, Deum non alligaſſe vim ſuam ſacramentis.

Prioris partis probat. 1.

1.

2.

Ratio poſterioris partis eſt, authoritas ſanctorum Patrum, pro Concluſione proximè antecedente citatorum. Deinde, id dicitur verbis expreſſis in cap. cum Matthæi, ſuprà citato, & indicat Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. & Eugenius IV. in decreto fidei. Tertio, ea cenſetur eſſe forma alicuius ſacramenti à Chriſto adminiſtrati, quam Chriſtus inter adminiſtrandum illud retinuit; at Chriſtus retinuit iſta verba; *Hoc eſt corpus meum*, inter conſecrandum, ex Euangeliſtis.

2. pars probat. 1.

Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.

3.

Nec preces nec concionatoria verba habent rationem formæ.

CONCLVSIO VLTIMA, *Nullæ preces, nulla item verba concionis poſſunt habere rationem formæ conſecrationis panis, aut calicis.* Primum, quia diximus formam conſecrationis à Chriſto præſcriptam eſſe: *Hoc eſt corpus meum.* Deinde preces, & orationes nobilitatem ſuam conſequuntur à dignitate perſonæ orantis; formæ vero ſacramentorum à Chriſti inſtitutione omnem ſuam potentiam mutuantur. Demum forma ſacramenti cuiuſlibet nouæ legis, conſtat verbis nedum theoreticis, ſed etiam practicis; ità vt infallibiliter operentur, id quod ſignificant: hæc autem dici non poſſunt de vllis orationibus, aut etiam de verbis concionatorijs prolatis à ſacerdote. Vide hos errores apud Bellarminum, lib. 4. de Euchariſtia.

Digitized by Google

Forma verba effectus producunt quando ſignificatio eſt completa ſufficienter.

RESPONDEO 2. *Verba conſecrationis panis & calicis, ſortiri ſuos effectus, quando eorum ſignificatio eſt completa, non quidem totaliter, ſed ſufficienter.* Probatur primo. Significatio verborum formæ accedit ad elementum ad hoc vt ſacramentum conſurgat, ex D. Auguſtino loco proxime citato: at forma nequit eſſe quoad ſignificationem completa, niſi hæc fuerit abſoluta vel ſufficienter, vel totaliter, vt patet ex Ariſtot. in libro de interpretatione: ait enim propoſitionem non efficere ſenſum donec attributum, & ſubiectum vnà cum copula fuerint explicata: propterea autem dixi ſufficienter, non totaliter: quia non eſt neceſſarium ad hoc vt verba conſecrationis ſuum ſortiantur effectum, quod eorum ſignificatio fuerit totaliter completa; ſed ſatis eſt ſi fuerit ſufficienter abſoluta: quando autem ſit ſignificatio hæc ſufficienter abſoluta, & in quo inſtanti, certò nouit Deus, quemadmodum & illius tantum eſt eleuare ſacramentum ad hoc vt ſuum effectum producat.

DVBITATIO VLTIMA.

Quid ſignificet pronomen, Hoc, *& Hic in formis conſecrationis panis, & calicis.*

Prima opinio non placet.

SVNT qui putent pronomine demonſtrandi, *Hoc*, ſignificari ſubſtantiam panis, vel accidentia eiuſdem. Ceterum opinio hæc defendi nullo modo poteſt: ità enim propoſitio hęc, *Hoc eſt corpus meum*, quæ profertur à ſacerdote, nomine Chriſti, falſa eſſet; non enim verum eſt ſubſtantiam panis, vel accidentia eiuſdem eſſe corpus Chriſti, vt eſt per ſe notum.

2. Opinio refellitur.

Alij vero putant pronomine, *Hoc*, ſignificari corpus Chriſti, ſed neque iſti ad veritatem acceſſiſſe videntur, ſaltem pro eo tempore in quo pronomen, *Hoc*, profertur à ſacerdote: tunc ſiquidem certum eſt id quod præſens eſt ſub ſpeciebus conſecrandis panis, eſſe ſubſtantiam panis, minimè verò corpus Chriſti.

Reiicitur aliorum placitum.

Alij putarunt verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, proferri à ſacerdote recitatiue tantum, ſeu hiſtorice, vel materialiter; non autem ſignificatiue, ac proinde non arguere rem aliquam præſentem. Verùm neque iſti vlla ratione ſunt ſequendi: D. ſiquidem Thom. artic. 5. huius quæſtionis & interpretes eiuſdem, docent propoſitionem iſtam; *Hoc eſt corpus meum*, ſumi ſignificatiuè, non autem recitatiue; ita vt ſignificet hæc propoſitio neceſſario rem aliquam præſentem, quæ vnà cum materia concurrat ad Euchariſtiam conficiendam. Deinde, vt admonet D. Auguſtinus loco proxime citato, ſacramentum nequit conſurgere, niſi accedat verbum ad elementum; ergo nomine verbi debet neceſſariò ſignificari res aliqua præſens.

Tertio, ex Concil. Florentin. materia, forma, & miniſter, ſunt ſimpliciter neceſſaria ad conſtitutionem ſacramenti: at verba iſta; *Hoc eſt corpus meum*, habent rationem formæ reſpectu confectionis Euchariſtię: ergo non ſumentur hęc verba recitatiue, ſed enunciatiue, ſeu ſignificatiue: ac proinde ſignificabunt rem aliquam præſentem.

Vera ſententia oſtenditur.

Dico ergo, *Pronomen*, Hoc, *in forma conſecrationis panis quando profertur à ſacerdote, ſignificare, pro eo inſtanti in quo profertur ab eo, totum illud, quod continetur ſub ſpecie panis. Ceterùm vagè, confuſe, & indiſtinctè: pro eo verò inſtanti, in quo omnia iſta verba*, Hoc eſt corpus meum, *ſufficienter prolata ſunt, ſignificant diſtinctè ſolum Chriſti corpus.* Prior pars huius reſponſionis probatur. Pronomen, *Hoc*, pro eo inſtanti in quo profertur, rem præſentem ſignificat; vſurpatur enim ſignificatiue, non autem recitatiue: at non poteſt ſignificare rem aliquam definite, & determinate præſentem: Ariſtoteles enim in libro peri hermenias verbis expreſſis habet, verbum, *Eſt*, in oratione ſignificare compoſitionem, quam nullus eſt qui poſſit inueſtigare certo antequàm explicatum fuerit verbum, *Eſt*, & attributum ſubiecti propoſitionis: ergo cum ſupponamus verbum, *Eſt*, & *corpus meum*, non eſſe à ſacerdote prolata: ſed tantum pronomen *Hoc*, pronomen *Hoc*, diſtincte nihil ſignificabit, ſed tantum vage, & confuse. 1.

Deinde, pronomen, *Hoc*, antequàm ei aliquid aduenial, indefinitum eſt ad hanc, vel ad illam rem præſentem ſignificandam, vt eſt per ſe notum: ergo pro eo inſtanti quo profertur à ſacerdote, confuſe, & indiſtincte totum illud quod continetur ſub ſpecie panis, eſt corpus Chriſti. Rurſus ſignificatio iſtorum verborum; *Hoc eſt corpus meum*, illis prolatis eſt perfectiſſime completa, ac proinde diſtincta à qualibet alia propoſitione: ergo τὸ, *Hoc*, prolatis verbis conſecrationis panis ſufficienter, ſignificat determinate, & certò ſubſtantiam corporis Chriſti præſentem. 2.

τὸ Meum dicitur de corpore Chriſti.

Aduerte pronomen, *Meum*, dici de corpore Chriſti non autem de ſacerdote: proferuntur enim hæc verba à ſacerdote, hoc nomine, quod ſuſtineat, & repræſentet perſonam Chriſti.

Denique, aduerte illud idem dicendum eſſe de pronomine, *Hic*, in forma conſecrationis calicis, quod diximus de pronomine, *Hoc*.

QVÆSTIO LXXIX.

De effectis Euchariſtiæ.

HÆc quæſtio 8. habet articulos, qui ſatis ſunt facjles, qui autem videntur habere aliquam difficultatem explicantur ſequentibus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

An peccata mortalia, & venialia deleantur per Euchariſtiam.

Rationes dubitandi.

RATIO dubitandi eſt, quia Chriſtus totus continetur in Euchariſtia: dicitur enim de eo quòd ſit *Agnus Dei, & quod tollat peccata mundi.* Ioannis primo: ergo auferet peccata omnia. 1. Ioan. 1.

Solutio rationū, Aduerſariorū.

Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad 1. totum Chriſtum conſtitui ſub ſpeciebus conſecratis, non remittere tamen ſub illis ſpeciebus vlla ratione peccata mortalia, ſaltem per ſe, idque quod lex ſit ab eo conſtituta, ne quis accedat ad ſumptiònem ſanctiſſimi ſacramenti, cum conſcientia peccati mortalis; vt colligunt Theologi, ex cap. 11. 1. ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c.

1.

1. Cor. 11.

2.

Ad 2. ſanguinem Chriſti contentum ſub ſpecie vini conſecrata, non dici teſtamentum nouum, ſed tantum vt ſanguis iſte fuit effuſus in ara crucis, & quia vt effuſus in ara crucis, continet pretium redemptionis noſtræ, veluti cauſa quædam vniuerſalis, quod pretium nobis applicatur per ſacramenta: ideò dicunt Euangeliſtæ de hoc ſanguine, quod ſit effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & præterea quia nobis impetrat remedia, per quæ liberamur à peccatis mortalibus. Non deſunt etiam qui aliter reſpondeant; Euchariſtiam nempe vt habet rationem ſacrificij conducere ad remiſſionem peccatorum mortalium, & ità explicandos eſſe Euangeliſtas, quando dicunt in forma conſecrationis calicis; *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: negant tamen effectum hunc adſcribendum eſſe Euchariſtię, quatenùs ſacramentum eſt.

Canon Miſſæ.

3.

Ad 3. nihil plane probare; Concil. enim Trident. verbis expreſſis habet Euchariſtiam liberare à peccatis venialibus, & præſeruare à lethalibus: præſeruare autem, non eſt remittere, vt eſt per ſe notum.

Explicātur SS. Patres.

Ad Patres. Reſp. intelligendos eſſe de peccatis venialibus: hæc enim vere tolluntur per Euchariſtiam, modo non adſit eorum actualis complacentia.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſacramentum Euchariſtiæ conferat primam gratiam.

Euchariſtia per ſe nunquam confert primā gratiam.

Conclvsio 1. *Sacramentum hoc per ſe nunquam producit primam gratiam: ſed tantum augmentum eiuſdem.* Prima pars probatur ex illis omnibus locis, quibus Dubit. proximè antecedente docuimus Euchariſtiam per ſe non delere peccata mortalia.

Ioan. 6.

Secunda verò pars probatur, ex cap. 6. Ioan. *Qui manducat me, vinet propter me*: loquitur autem de manducatione corporis Chriſti exiſtentis ſub ſpeciebus panis, & vini, vt communiter docent Patres ibidem.

Deinde, res hæc eſt ità determinata in Concil. Florent. in decreto fidei: Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. & refertur in Clement. vnica, de reliquijs & veneratione ſanctorum: & denique Lateran. ſub Innocent. III. Idem docent Patres, quos citauimus in quæſt. de tranſſubſtantiatione.

Subiungitur ratio. De fide eſt omne ſacramentum nouæ legis conferre gratiam; at Euchariſtia non confert primam gratiam per ſe: ergo debet neceſſariò conferre ſecundam; præſertim cum ſit ſacramentum viuorum, & non mortuorum, habeátque rationem cibi, & potus ſpiritualis.

Obiectio.

Dices, Confirmationem, Ordinem, & alia ſacramenta quædam conferre ſimiliter augmentum gratiæ: ergo.

& Solutio.

Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: Euchariſtia ſiquidem longè aliter confert augmentum gratiæ; quàm faciant cetera ſacramenta: hæc enim conferunt auxilia quædam ad certos aliquos effectus producendos tempore, & loco, homini debita ex vi ſuſceptionis iſtorum ſacramentorum: Euchariſtia verò ideò dicitur producere per ſe augmentum gratiæ; quia ex ſe, & quatenus tale ſacramentum eſt, ordinatur ad augendam gratiam & charitatem in nobis, idque propter ipſammet charitatem. Deinde, vnit nos Euchariſtia Chriſto, ſpeciali, & ineffabili aliqua ratione; ità vt mutemur quodammodo in naturam Chriſti per ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti, ex illo D. Auguſt. in lib. Confeſſionum; *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*, &c. quod magis mirandum eſt, deſtructis ſpeciebus conſecratis perſeuerare vnionem aliquam inter Chriſtum, & eum qui Euchariſtiam ſumpſit, quæ etiam à nullo mortalium poteſt explicari: de hac autem re legendus eſt Vazquez diſp. 204. cap. 1. 2. & 3. quoniam ergo effectus iſti debentur Euchariſtiæ per ſe; minimè vero alijs ſacramentis, ideo de hoc ſacramento dicimus quod per ſe producat augmentum gratiæ in nobis.

Cur Euchariſtia producat augmentum gratiæ.

Auguſt.

Quando Euchariſtia producat augmentum gratiæ.

Conclvsio 2. *Euchariſtia in nobis producit, augmentum gratiæ in eo inſtanti temporis in quo ſpecies conſecratæ tranſeunt ad partes primas interiores ſtomachi, non autem toto illo tempore quo verſantur in ſtomacho.* Primo, quia gratia ſacramēti Euchariſtię debetur manducantibus; habet enim rationem cibi, & potus, *Ioann. 6. & 1. Corinth.* 11. at quamprimùm ſpecies conſecratæ perueniunt ad primas partes interiores ſtomachi, ſpecies iſtæ vere manducantur ab homine.

Ioan. 6. 1. Cor. 11.

2.

Deinde, gratia cuiuſliber ſacramenti producitur in inſtanti, non autem in tempore.

3.

Tertio, nulla poteſt aſſignari ratio cur cetera ſacramenta producant gratiam in eo inſtanti, in quo ſufficienter completur eorum ſignificatio: & quod Euchariſtia non præſtet illud idem quamprimùm hæc conſequitur rationem manducationis: hæc autem ratio vere dicitur de ſpeciebus conſecratis, quando ſpecies iſtæ perueniunt ad partes interiores ſtomachi.

Peccatum veniale nequit impedire effectū primum ſacramenti.

Conclvsio 3. *Peccatū veniale, etiam coniunctū cum actuali complacentia, non poteſt impedire effectum primarium ſacramenti Euchariſtiæ, qui eſt collatio augmenti gratiæ*: nam conuenit inter omnes peccatum veniale non opponi gratiæ. Deinde, quia licet feruorem charitatis peccata venialia remittant: certum tamen eſt peccata venialia multiplicata ex hypotheſi in infinitum, non poſſe deſtruere gratiam: ergo cum ſacramentum Euchariſtiæ ex ſe & ſua natura conferat augmentum gratiæ, peccatum veniale non impediet hunc effectum: ità D. Thom. art. 8. huius quæſtionis, & communiter ceteri omnes.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXX.

De vsu, & sumptione huius sacramenti.

Duplex sumptio sacramenti spiritualis & sacramentalis.

ARTICVLO 1. docet D.Th. duplicē esse sumptionē sacramēti, spiritualē & sacramētalē: ceteriverò ferè omnes tertiā constituunt, quos sequitur Concil. Tridt. sess. 13. in his verbis, cap. vltimo; spiritualem, scilicet, sacramentalem: & denique spiritualem, & sacramentalem simul. *Quo ad vsum, rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, vt peccatores; Alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto proposito illum cœlestem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt. Tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter: hi autem sunt, qui ità se prius probant, & instruunt vt vestem nuptialem induti ad diuinam hanc mensam accedant.* Prima censetur esse ea qua quis effectum sacramenti sine sacramento consequitur. Secunda, qua sacramentum non autem effectum sacramenti obtinet, qualis est ea quæ fit à constitutis in statu peccati mortalis: isti enim verè consequuntur Christum cum sacramento; effectum verò sacramenti minimè: peccat quippe mortaliter sumendo huiusmodi sacramentum, vt colligere licet ex Paulo, 11. prioris ad Corinth. Quod est diligenter obseruandum, propter hæreticos nostri temporis, qui putant constitutos in peccato mortali non sumere Christi corpus; etiamsi isti sumant sacramentum Eucharistiæ. Rationes vero istorū nihil plane probant: ac proinde prętermittuntur à nobis; docent enim tantū Patres, & scripturæ quæ citantur ab istis, Christū susceptum sub speciebus consecratis manere in illis, qui eumdem sumunt; si corpus, vel sacramentum fuerit ab istis digne frequentatum. Vltima denique sumptio est illa qua quis sacramentum & præterea effectum sacramenti consequitur.

Trident.

ARTICVLO 2. docet hominem aut Angelum esse capacem susceptionis Eucharistiæ.

ARTICVLO 3. nedum iustum; sed etiam peccatorem Eucharistiæ participare.

ARTICVLO 4. eum qui in statu peccati mortalis Eucharistiam sumit, peccare mortaliter; quod tamen est intelligendum de eo qui sibi conscius est peccati mortalis; minime vero de eo, qui præmisso districto examine, non potuit recordari peccati mortalis commissi & debuit, vel Eucharistiam conficere, vel certe eamdem consequi.

ARTICVLO 5. peccatum quod committitur ab eo qui indigne Eucharistiam consequitur, esse quidem graue, extare tamen alia aliqua multò grauiora; putà quæ sunt directè contra virtutes Theologales, & contra obiecta formalia illarum virtutum.

ARTICVLO 6. notorio, & publico peccatori negandam esse Eucharistiam, nisi constet de eius penitentia; secus verò peccatori occulto, saltem quando petit hic Eucharistiam publicè.

ARTICVLO 7. pollutionem culpabilem lethaliter, impedire sanctissimi sacramenti sumptionem ex necessitate; inculpabilem verò vetare eamdem ex decentia.

ARTICVLO 8. tradit Eucharistiam non esse porrigendam minimè ieiunis.

ARTICVLO 9. ne Eucharistia detur paruulis.

ARTICVLO 10. contendit communicare quotidie homini bene disposito esse quàm maximè vtile.

ARTICVLO 11. extare præceptum de frequentanda Eucharistia.

ARTICVLO VLTIMO. Eucharistiam porrigendam esse laïcis sub specie panis tantum, & item sacerdotibus rem sacram non facientibus. Circa hanc quæst. sit

DVBITATIO PRIMA.

An extet præceptum de Eucharistia sumenda.

RESPONDEO 1. *Negari minimè posse quin extet de hac re præceptū diuinum:* nam Ioan. 6. dicitur. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,* &c. & cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem seipsum homo,* &c. præceptum autem hoc Pauli esse diuinum, probant Theologi ex verbis istis Pauli: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis,* &c. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* licet enim per verba ista institutos fuisse Apostolos sacerdotes, definiat Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. indubitatum tamen est verba hæc continere præceptionem de conficienda, & item de sumenda Eucharistia, vt probant Patres, quos citabimus in tractatione de sacrificio Missæ. Certum est etiam extare præceptum Ecclesiasticum de hac eadem Eucharistia frequentanda, quod tamen non semper idem permansit in Ecclesia Catholica, nam tempore primitiuæ Ecclesiæ omni plane die quilibet Christianus reficiebatur sacramento Eucharistiæ, vt colligitur ex cap. 2. Actuum: *Erant,* inquit, *perseuerantes in fractione panis:* vbi per τὴ *fractionis panis,* significatur sumptio corporis Christi sub speciebus consecratis in sacris litteris, vt manifestè colligitur ex cap. 10. prioris ad Corinth. *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* & Luc. cap. 24. *Cognouerunt eum in fractione panis,* id est, in sumptione sanctissimi sacramenti: quod autem locus ille Actuum loquatur de Christianis, indubitatum est ex littera illius Capitis: postea vero singulis tantum diebus Dominicis porrecta fuit Eucharistia quibusuis Christianis, vt colligere licet ex cap. Quotidie, de consecratione, dist. 2. hoc autem contigit sub finem quarti seculi à Christi natiuitate: canon siquidem ille desumptus est ex D. August. qui obijt anno 430. ex Chronologia Baronij. Fabianus vero Pontifex Maximus tepescente Christianorum pietate, & religioso affectu erga Eucharistiam, præcepit posteà vt in die Paschæ, Natalis Domini, & Pentecostes Eucharistia daretur omnibus, & singulis Christianis, vt constat ex cap. Etsi non frequentius, de consecratione, dist. 2. Tandem vero in Concil. Lateran. sub Innocentio III. constitutū fuit, vt quilibet inter adultos baptizatos sacram communionem consequatur, præmissa confessione

Extat præceptum de communione facienda. Ioann. 6. 1. Cor. 11. Luc. 22. Actor. 2. 1. Cor. 10. Luc. 24.

Varia statuta circa tempus cōmunionis faciendæ.

Digitized by Google

confeſſione de manu proprij ſacerdotis, idque in Paſchate, vt conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentijs, & remiſſionibus: hoc autem noſtris ſeculis viget, obligátque vnumquemque ad reatum peccati mortalis.

ROGABIS, *Quis vſus communionis vtilior ſit homini Chriſtiano?*

Vtilius eſt frequenter ad Euchariſtiam accedere quàm raro.

RESPONDEO, *Ei magis vtile eſſe, & meritorium quotidie Euchariſtiam ſumere, quàm interdùm, & aliquando: modo tamen fuerit hic rectè diſpoſitus quando ad Euchariſtiam accedit.* Prima pars probatur: quia Chriſtiani temporibus primitiuæ Eccleſiæ quotidie communicabant, ex cap.2. Actor. 2. Actuum.

Deinde, Euchariſtia nuncupatur panis quotidianus; ità enim explicant aliqui Patres petitionẽ iſtam orationis dominicę: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: imò Matth. cap.6. legitur, Matth. 6. *Panem ſubſtantialem*, & D. Hieronymus vertit *excellentem*.

Tertiò, Euchariſtia habet rationem cibi, & potus ſpiritualis, cauſátque in nobis nutritionem ſpiritualẽ, liberationem à peccatis venialibus, & impedit nos à mortalibus culpis, ex Concil. Trident. ſeſſ.13. ergo cum vita corporea nequeat ſuſtineri ſine ſumptione cibi quotidiani, illud idem erit quoque dicendum de conſeruatione vitæ ſpiritalis: ità communiter Doctores ad articulum 9. huius quæſt. D.Th.

Probatio 2. partis.

Secunda vero pars probatur: actiones noſtræ eo ſunt magis meritoriæ, quo ortum habent à perfectioribus virtutibus (ceteris tamen paribus) frequens autem communio habet ortum à charitate, qua quis fertur erga Deum: ceſſatio verò à communione proficiſcitur à timore.

Deinde, ſumptio ſanctiſſimi ſacramenti per ſe bona eſt, & effectus longe præſtantiores producit in nobis, quàm faciat abſtinentia à ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti. Item laudatur Caſſius Narnienſis Epiſcopus apud Gregorium homilia 37. in Euangelia, paulo poſt medium, hoc nomine quod quotidie ſacrum faceret, & communionem conſequeretur, hortatúrque illic ipſemet Deus in viſione eius preſbyterum, vt id quod agebat ageret; *Vade*, inquit, *& dic Epiſcopo; Age quod agis, operare quod operaris, in Natali Apoſtolorum venies ad me, & mercedem tuam retribuam tibi.*

Caſſius Epiſcopus quotidie ſacrum agebat.

Gregor. Magn.

Obiectio.

Dices, ſi eſſet magis vtile, & laudabile homini bene diſpoſito, Euchariſtiam frequenter ſumere, quàm interdum, & aliquando; ſequeretur intrà vnum, & eumdem diem poſſe quempiam pluries communicare; vſus autem Eccleſiæ nunquam talis fuit.

Solutio.

Reſp. in die natalis Chriſti, & antiquitùs in feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ, liberum fuiſſe varia ſacra cuilibet ſacerdoti celebrare; ac proinde ter Euchariſtiam ſuſcipere intrà vnum, & eumdem diem, & conſequenter, prohibitione ſecluſa Eccleſiæ, nihil mali in iſtis admitteretur: iuſto tamen titulo poſita eſt prohibitio, ne bis communio alicui intrà diem naturalem concedatur: ſumptio ſiquidem vna ſanctiſſimi ſacramenti vnicam Chriſti paſſionem repræſentat; ad quam tamen deſignandam ordinatur manducatio corporis Chriſti. Deinde, propter varias huius vitæ occaſiones vix fieri poteſt, vt quis ter, quatérue debitè, & vt oportet ſe diſponat ad tanti ſacramenti ſuſceptionem. Denique, vnica manducatio corporis Chriſti pluſquàm ſufficiens eſt ad refectionem ſpiritualem in nobis producendam.

Obiectio. 2.

Oijbcies, viros ſanctiſſimos abſtinuiſſe à communione ſanctiſſimi ſacramenti; vt conſtat ex D. Benedicto, Franciſco, & Marco Euangeliſta: duo enim iſti poſteriores, noluerunt promoueri ad ſacrum preſbyteratus ordinem, vt refert de D. Franciſco, Bonauent. in eius vita, & de Marco Baronius, ad annum Chriſti 45. & 46. pagina mihi 357.

Diſſoluitur.

Reſpondeo, ex illis nihil planè colligi contra communẽ ſententiam: D.enim Benedictus abſtinuit à communione eo tempore quo verſabatur in ſolitudine, ſegregatus ab omni hominum conſortio, poſteà vero vt conuentum religioſorum congregauit, dedit operam communioni ſatis frequenti, vt communiter aſſerunt ſcriptores ordinis D. Benedicti: imo in corpore iuris Canonici ſtat clare præceptum, quo omnes Benedictini adſtringuntur ſemel in menſe ad minùs communicare. Duo vero poſtrema exempla nihil planè probant; fabuloſum enim eſt, quod enarratur de D. Marco Euangeliſta, præſcidiſſe ſcilicet ſibi pollicem ne rogante Petro Apoſtolo promoueretur ad preſbyteratus ordinem, & ad Epiſcopatum; hoc enim habet ortum à Marco quodam Anachoreta viro ſanctiſſimo; vt pluribus docet Baronius loco proximè citato: docet autem Baronius D. Marcum inter ſacrum perficiendum à cultoribus idolorum fuiſſe trucidatum: D. autem Franciſcum ſumpſiſſe Euchariſtiam, indubitatum eſt ex eius regulâ. Denique, facta ſanctorum alia ſunt à nobis imitanda, alia vero cum admiratione cogitanda, & inter hæc computatur ceſſatio à ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti, qui enim abſtinet ab Euchariſtia propter tepiditatem, quam in ſe experitur, ſimilis eſt ei qui ægrotat, & non vult medicum aduocari, donec perfectè conualuerit, aut ei qui tempore hiberno frigore tabeſcit, neque tamen propterea ad ignem accedit, donec prius caluerit, vt rectè admonet Gerſon in tractatione de præparatione ad Miſſam.

Fabuloſum quod de D. Marco dicitur.

Baronius.

DVBITATIO SECVNDA.

Qui tenentur præcepto communionis.

Paruuli nõ obligantur ad communionem.

RESPONDEO, *Paruulos ante ætatem rationis, nulla ratione obligari ad communionem*: non enim poſſunt iſti ſeipſos probare, quod tamen neceſſe eſt ex cap.11. 1. ad Corinth. Deinde, Euchariſtia fuit data à Chriſto illis ſolis qui poterant manducare, bibere, & inter ſe ſanctiſſimum ſacramentum partiri; *Accipite*, inquit, *manducate, bibite, & diuidite inter vos*, locis ſuprà cit. Marc. Matth. Luc. & Pauli. Tertio, à tempore Gregorij Magni, paruulis non fuit adminiſtrata Euchariſtia. Denique, ità docet Trident. ſeſſ. 21. cap.4. & can.4. de communione.

1. Cor. 11. Marc. 14. Matth. 16. Luc. 22.

Obiectio.

Dices, per ſexcentos annos, vt obſeruat Maldonatus in quæſt. de communione, Euchariſtiam datam fuiſſe paruulis; idque ſtatim à publicatione Euangelij Chriſti. Reſp. conſuetudinem iſtam vere viguiſſe in Eccleſia; huius enim meminit Dionyſ. de cæleſti hierarchia, cap.2. & 7. Cyprian. ſerm. de lapſis, D. Auguſt. epiſt. 23. Conſtanter tamen affirmo conſuetudinem iſtam non fuiſſe ab omnibus, & ſingulis Eccleſijs obſeruatam: anno ſiquidem 189. à Chriſti natiui-

Solutio.

Dionyſ. Cyprian. Auguſt.

reuerentiæ erga ſacramentum, quod relinquitur A iudicandum arbitrio ſacerdotis Curati, & propterea quod conſtet huiuſmodi amentem fuiſſe bene affectum(eo tempore quo factus eſt amens) erga ſacramentum Euchariſtiæ.

Obſeſſis à dæmonibus danda Euchariſtia.

Addo, nedum iſtis adultis, ſed etiam obſeſſis à dæmonibus porrigendam eſſe ſacram communionem; ſuppoſitis tamen duabus conditionibus proximè explicatis. Primo, quia vſus ità obtinuit; ſolet tamen exigi ab iſtis penitentia antequam detur communio.

1.

2. Secundo, liberantur interdum à dæmonis oppreſſione, beneficio participationis ſanctiſſimi ſacramenti.

3. Denique, pœna quam patiuntur à dæmone poſſet eis eſſe vtilis ad vitam æternam B præſidio ſanctiſſimi ſacramenti: ità communiter omnes locis proximè citat. Quod ſi interdum ſecùs docent Patres, itémque ſacra Concilia. Reſpondendum eſt eos loqui de illis ſolis energumenis, qui nondum ſunt baptizati, vel certe ſi ſacramentum baptiſmatis ſunt aſſequuti, ſermonem inſtituunt de illis dæmoniacis, qui obſidentur, & poſſidentur à dæmone, propter peccata commiſſa fœdetiſſima, quibus annexa eſt excommunicatio Eccleſiaſtica, vel aliqua alia cenſura: ergo iſtis ante abſolutionem, vel baptiſmi ſuſceptionem non eſt danda Euchariſtia ex iſtorum Patrum, & Conciliorum ſententia.

DVBITATIO TERTIA.

Quandónam obligent præcepta de communione facienda.

Obligat cõmunio ſemel in anno.

RESPONDEO 1. *Obligare ad reatum peccati mortalis ſemel in anno; idque in Paſchate:* ità cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentijs & remiſſionibus, & Trident. ſeſſ. 13. can. 9. in illo enim dicitur verbis expreſſis, vt quilibet vtriuſque ſexus, ſemel in Paſchate, de manu proprij ſacerdotis, vel de eius licentia ſumat ſacram Euchariſtiam.

Synod. Trident.

Et quoties imminet periculũ mortis.

RESP. 2. *Obligare quotieſcumque imminet periculum mortis probabile, aut euidens, etiamſi communio eo anno fuerit celebrata:* ità dicitur in can. de ijs. 26. quæſt. 6. quod depromptum eſt ex can. 12. Concil. Nicæni: refertur autem hic Canon in Concil. Arelatenſi II. can. 12. Arauſicano I. can. 3. & ante in Concil. Ancyrano. can. 22. præcipitur ſiquidem illic, vt nulli moribundo negetur vltimum, & neceſſarium vitæ viaticum. D

2. Deinde, quilibet Curatus tenetur ad reatum peccati mortalis ægrotis ratione iuriſdictionis, adultis tamen, Euchariſtiam adminiſtrare, ex locis proximè cit. ergo tenentur etiam à fortiori ægroti iſti ſumere Euchariſtiam; propter enim iſtorum vtilitatem, & neceſſitatem imponitur hoc præceptum Curatis, & alijs quibus incumbit ex officio ſacramentorum adminiſtratio. E

Denique, communio ſanctiſſimi ſacramenti, dicitur vltimum & neceſſarium viaticum, locis ſupra citatis: ergo cum de re neceſſaria ad ſalutem extet præceptum aliquod, ſtatuendum erit moribundos omnes, in ætate adulta conſtitutos, obligari non minùs ad communionem, quàm ad penitentiam agendam, ſi ſint ſibi conſcij peccati mortalis, qua de re dicetur in tractatu de Penitentia.

DVBITATIO QVARTA.

An præceptum de communione facienda obliget ad vtriuſque ſpeciei ſumptionem?

Nouatorũ hæreſis & fundamenta.

HÆRETICI noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant obligari omnes & ſingulos ad vtriuſque ſpeciei communionem, idque quod Chriſtus vtramque ſpeciem inſtituerit & communicauerit Apoſtolis.

1.

2. Deinde, quia præceptum de communione facienda conceptum fuit à Chriſto verbis iſtis; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Ioann. 6.

3. Tertiò, tenentur Chriſtiani ad illud idem præſtandum, quod Chriſtus fecit, ex cap. 22. Luc. *Hoc facite in meam commemorationem:* at Chriſtus vtramque ſpeciem ſumpſit, & Apoſtolis ſimiliter tradidit, ex loco proximè citato. Luc. 22.

4. Quartò, ſumptio ſanctiſſimi ſacramenti ordinatur ad Chriſti paſſionis repræſentationem, ex illo Pauli 1. Corinth. cap. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc*, &c. *mortem Domini annunciabuis*: at paſſio Chriſti nequit repræſentari media ſumptione alterius ſpeciei tantùm; nam paſſio Chriſti ſeparauit corpus eiuſdem à ſanguine, & ſanguinem à corpore, quod tamen C non contingit in ſumptione vnius ſpeciei conſecratæ. 1. Cor. 11.

Vltimum.

Denique, qui manducat corpus Chriſti indignè, cenſetur eſſe reus corporis & ſanguinis eiuſdem, ex loco citato ad Corinth. at ſi altera tantùm ſpecies ſumatur indigne, ſumẽs reus erit vel corporis tantùm, vel ſanguinis; participat enim tantum corpori Chriſti, vel ſanguini eiuſdem. Subiungunt & innumera Patrum teſtimonia in huius erroris confirmationem, quæ nihil, vel parum admodum probant, quæque explicantur & ſoluuntur à pleriſque Recentioribus.

Communio datà ſub ambabus ſpeciebus panis & vini.

CONCLVSIO 1. *Negari nequit communionem antiquitus fuiſſe datam ſub ambabus ſpeciebus panis, & vini.* Probatur primò, quia de hac re fidem faciunt Cyprianus, ſermone de lapſis. *Quomodo*, inquit, *ad martyrium populum idoneum faciemus, ſi non eſſet prius ad bibendum in Eccleſia pocula Domini?* Hieronymus epiſt. ad Ruſticum Monachum, qui de Exuperio Epiſcopo Toloſano ita loquitur; *Nihil illo dicitis, qui corpus Domini in caniſtro vimineo, & ſanguinẽ portat in vitro.* Cyrillus Hieroſolymit. Catechel. 4. myſtagogica. *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, vt ſumpto corpore & ſanguine Chriſti efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis*, &c. 1. Cyprian. Hierony. Cyrillus.

2. Deinde, indubitatum eſt paruulis edentulis, temporibus primitiuę Eccleſię, datam fuiſſe ſpeciem vini conſecratam, poſt baptiſmi ſuſceptionem: ità enim loquitur Proſper Aquitanicus lib. 4. cap. 6. de prædictionibus, & promiſſionibus, cuius verba Dubitatione ſeptima afferentur; & Cyprianus loco proxime citato, ſimile quid refert de alia quadam puella. Proſper.

3. Tertiò, vſus hactenus obtinuit inter Græcos, vt communio perficiatur ſub vtraque ſpecie; neque de hac re fuerunt damnati in Concilio Florentino à Latinis, quemadmodum de multis alijs rebus, quas contra fidei Chriſtianæ libertatem retinent. Certum eſt etiam, Diaconum maiorem adſtantem Pontifici Maximo, ritu ſolemni celebranti, communionem ſub vtraque ſpecie Concil. Florent.

ſumere noſtris ſeculis. Certum quoque eſt Reges Galliæ, quando conſecrantur, vtramque ſpeciem ſumere, quod priuilegium conceſſum fuiſſe Regibus Angliæ à Clemente VI. Pont. Max. ſcribunt aliqui recentiores, inter quos Vazquez diſp. 216. Imò non deſunt qui affirment in monaſterijs quibuſdam ordinis Diui Benedicti conſuetudinem hanc retineri interdum, & aliquando, etiam noſtris temporibus, & D. Th. art. vltimo huius quæſt. affirmat ſuo tempore in Eccleſijs quibuſdam Latinorum vſum communicandi ſub vtraque ſpecie perſeueraſſe.

In initio Eccleſiæ vna tantùm ſpecies eáque panis fidelibus data eſt.

CONCLVSIO 2. *Licèt ambæ ſpecies fuerint aliàs traditæ Chriſtianis quibuſuis, non tamen id ſemper obtinuit vſus, in omnibus & ſingulis Eccleſijs, ſed ab initio vna tantùm ſpecies, eáque panis fuit communiter adminiſtrata laïcis & clericis, minimè ſacrificantibus.* Primò, quia certum eſt Chriſtum communionem dediſſe in Emaüs, *Luca* 24. vt docet D. Auguſtinus cap. 25. & Author operis imperfecti in Matth. homil. 17. in fine: imò hoc videtur colligi ex verbo, *Benedicere*, quod idem eſt, atque benefacere; neque enim hoc legitur pronunciaſſe Chriſtum, quin ſtatim ſubſecutus fuerit ſingularis aliquis effectus diuinæ bonitatis, & omnipotentiæ. Item ſi porrexiſſet Chriſtus ſolum panem in communione, non poterat hic aperire mentes Cleophæ, & alterius diſcipuli, ad hoc vt agnoſcerent Chriſtum, quod tamen contigit ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti; *Cognouerunt eum*, inquit Euangeliſta, *in fractione panis*: at dicitur illic Chriſtum conſecraſſe panem, nulla facta mentione de calice: ergo non eſt cur negemus datum fuiſſe corpus Chriſti ſub vnica ſpecie panis.

1. Luc. 24. D. Auguſt. Author operis imperfecti.

2. Deinde, temporibus primitiuæ Eccleſiæ, quando conuentus Chriſtianorum non poterat eſſe liber, data fuit, cuilibet Chriſtiano ſola ſpecies panis conſecrata, ad hoc vt eam vel apud ſe, vel in proprijs ædibus aſſeruaret quatenus vrgente neceſſitate, vel etiam pietate tantum mouente, communicaret, vt manifeſtè colligitur ex Tertul. lib. 2. cap. 5. ad vxorem. Clemente Alexandrino lib. 1. ſtromatum. Cypriano ſerm. de lapſis. Hieronymo in epiſt. contra Iouinianum. Baſilio, in epiſt. ad Cæſaream patritiam. Quod autem ſola ſpecies panis fuerit iſtis tradita, ex eo colligitur, quod ſpecies vini conſecrata aſſeruaretur tantùm intrà vaſa conſecrata, quæ poterant tangi à ſolis Sacerdotibus & Diaconis, vt conſtat ex Cypriano loco proximè citato, Athanaſio, & alijs innumeris.

Tertul. Clemens Alexand. Cyprian. Hierony. Baſilius.

3. Tertio, vbi fuit liberum Chriſtianis Eccleſias conſtruere, & in eis libere conuenire, aſſeruata fuit ſemper Euchariſtia in vſum ægrotorum, & peregrinorum, vt docent Clemens Rom. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarũ cap. 13. Euſebius lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticę, cap. 36. atqui ſpecies panis fuit tantùm aſſeruata, non enim vinum potuit conſeruari, cùm facile aceſcat, & in materiam aceti tranſeat: certum autem eſt nulla ratione ſub aceto eſſe poſſe ſanguinem Chriſti: ergo &c.

Clemens Roman. Euſebius.

4. Quarto, Communio præſanctificatorum fuit tam apud Latinos, quàm apud Græcos, vt conſtat ex Concilio Laodiceno cap. 49. his verbis; *Quod non oportet in quadrageſima panem offerri, niſi ſabbato, & ſolis dominicis.* & ex 6. Synodo in Trullo celebrata, & ex Innocentio I. epiſt. 1. cap. 4. & ex Greg. Magno in officio Paraſceues, & denique ex Ordine Romano, ante octingentos annos facto: at hæc communio celebrata fuit tantùm ſub ſpecie panis omnibus ferijs quadrageſimę, excepto tantùm ſabbato & dominico die apud Græcos: in die vero Veneris ſancto ſemper apud Latinos. Dicitur autem hæc communio præſanctificatorum, quod celebraretur in ſpeciebus panis conſecratis altero die, in quo ſpecies iſtę ſumebantur à Chriſtianis.

Laodicen. Synod. 6. Gregor. Magn.

Denique, probatur Concluſio ex Euſebio cap. 36. hiſtorię Eccleſiaſticę, lib. 6. narrat enim Euchariſtiam datam fuiſſe Serapioni periculoſiſſimè ęgrotanti, idque ſub ſpecie arida panis, ac proinde intinctam fuiſſe ſpeciem conſecratam vino, quatenus faciliori negotio ſumeretur à Serapione: & ex Nicephoro lib. 3. cap. 7. & Sozomeno lib. 8. cap. 5. dicitur enim illic in Eccleſia Conſtantinopolitana de manu D. Chryſoſtomi mulierẽ quamdam vnà cum ceteris Chriſtianis acceſſiſſe ad communionem, ficto tamen animo; hæc enim hęreſi Macedonij infecta erat, vt tamen faceret rem gratam marito, ſimulauit ſe eſſe Chriſtianam: vnde ſolam ſpeciem panis ab Epiſcopo accepit, quando tamen ancillę tradidit, & huius loco panem communem, quem ſecum habebat ori appoſuit, ſtatim Deo vindicante eius culpam in lapidem eſt conuerſus: ſic fraus eius detecta permanſit. Et Leo, homil. 4. quadrageſimę, ſcribit Manichęos, vt ſimularent hęreſim ſuam vnà cum alijs Chriſtianis ſolam ſpeciem panis ſumpſiſſe, & Hoſius in dialogo de communione ſub vtraque ſpecie, tradit in Eccleſia Cracouienſi, quę eſt ciuitas metropolis Polonorum nunquam datam fuiſſe Euchariſtiam laïcis vel ſacerdotibus non ſacrificantibus, ſub vtraque ſpecie, ſed tantum ſub ſpecie panis.

Vltima probatio. Euſebius. Nicephor. Sozomen. Leo Mag.

CONCLVSIO 3. *Tenentur laïci & ſacerdotes ad communionem iure diuino, non tamen ad vtramque ſpeciem determinatè, neque item ad ſpeciem panis, vel vini tantùm, ſed id relictum eſt iudicandum arbitrio Eccleſiæ Catholicæ.* Prima pars probata fuit in antecedentibus; diximus enim extare præceptum diuinum de Euchariſtia frequentanda, reſpectu cuiuſlibet hominis vtentis ratione.

Tenentur laïci ad communionem alterius ſpeciei panis aut vini.

Secunda vero pars ſuadetur: Si eſſet de iure diuino ſumptio vtriuſque ſpeciei, nunquam præcepiſſet Eccleſia, vt vna tantum ſpecies panis daretur Chriſtianis, minimè ſacrificantibus, vt rectè obſeruat D. Auguſtinus, epiſt. 118. ad Ianuarium (non enim poteſt Eccleſia ea quę ſunt iuris diuini irritare & immutare) at extat præceptum de ſpecie panis frequentanda, conſtitutum in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. & Baſilienſi ſeſſ. 30. & multo expreſſius ſeſſione 21. Concil. Trident. cap. 2. his verbis; *Agnoſcens ſancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione ſacramentorum authoritatem, licèt ab initio Chriſtianæ religionis, non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè iam mutata illa conſuetudo, grauibus & iuſtis cauſis adducta hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit, quam reprobare, aut ſinè ipſius Eccleſiæ authoritate pro libito mutare non licet.*

2. Partis concluſionis prima probatio. D. Auguſt. Concil. Conſtant. Baſilienſe. Trident.

Porrò, vt ſciat Lector occaſionem quæ Eccleſiam mouit ad legem ferendam, de communione ſub vnica ſpecie panis in ordine ad laïcos, & Sacerdotes non facientes ſacrum; res paulò altiùs repetenda eſt.

VVenceſlai

Quid Eccleſiam impulerit ad legem condendam de communione ſub vnica ſpecie panis.

VVenceſlai regis Bohemorum & Romanorum ætate, orta eſt apud Pragam Bohemiæ vrbem, inter Germanos, qui Academiæ præerant, & Bohemos grauis digladiatio; quo tempore Ioannes Hus vir contentioſus, multa moliri cœpit, vt Germanos ab Academia detruderet. Cùm verò nihil magis accommodatum putaret ad exercenda in inimicos odia, tandémque è ſede & authoritate deturbandum, quàm noua dogmata in vulgus promulgare, multos errores, quos ex libris Ioannis VViclef ex Anglia ſibi tunc allatis hauſerat, diſſeminare cœpit, quibus non grauatim nomen dedere nonnulli publicæ pacis oſores: præſertim vero VValdenſes, qui à Valdo municipe Lugdunenſi nuncupati ſunt: qui & alio nomine Leoniſtæ, & pauperes de Lugduno appellati ſunt. Sic in errorum veluti cloacam prolapſus Ioannes Hus, & ſua, & VValdenſiũ dogmata promulgauit: nempe, Biblia ſacra vernaculo idiomate eſſe ab omnibus legenda. Deinde, Credere aliquid, quod ſacris in literis expreſſe, & explicitè non contineretur, eſſe impoſturam. Tertiò, Eſſe vnicum Epiſcopum Chriſtum, qui ſpirituale ſacerdotium exigit, ideoque tam feminam, quàm virum laicum prolatis iſtis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, &c. ſacrificium efficere, idque paſſim citra loci, aut temporis delectum. Quarto, Salutarem non eſſe Euchariſtiæ communionem, niſi ſub vtraque ſpecie fieret. Quinto, Non eſſe Euchariſtiam faciendam, niſi dum communicandum eſt, ne illotis manibus, & impuris ſacerdotum contaminetur. Sexto, Vere quidem eſſe Chriſti corpus in Euchariſtia, ceterum panis ſubſtantiam in corpus Chriſti nulla ratione tranſſubſtantiari. Septimo, Euchariſtiam, quoniam Chriſtus in ea tanquam in figura aliqua eſt, non eſſe adorandam. Octauo. Miſſas & alias oblationes mera eſſe hominum commenta & figmenta. Quia vero illo ſeculo abominandum ſchiſma in Eccleſia intoruenerat: nam quamuis in Concilio Piſano Alexander legitimus Chriſti vicarius pronunciatus eſſet, & verus Petri ſucceſſor, quidam nihilominus Balthaſar Coſſa, qui Ioannes XXIII. dicebatur, vi & potentia Pontificiam dignitatem occupauit, reſiſtente Concilio, maximæque diuiſionis & ſchiſmatis ſeminarium fuit; tres enim fuere tunc Papæ, primus Gregorius XII. quem Ladiſlaus vi & fauore promouerat; ſecundus Ioannes XXIII. poſt prædicti Alexandri mortem electus, tertius Benedictus, vel Petrus de Luna, qui tum in Hiſpanijs agebat: Ideò ſtudio & authoritate Sigiſmundi optimi Imperatoris Concilium generale Conſtantiam conuocatum eſt; cui interfuere Patriarchæ numero quinque, Cardinales triginta tres, Epiſcopi ducẽti viginti octo, & Archiepiſcopi multi; Magiſtri in Theologia ducenti decem & ſeptem, Iuris Canonici doctores trecenti ſexaginta vnus. Et quia apud Bohemos hi præſertim articuli exagitabantur videlicet; Corpus Chriſti vbique paſſim conſecrari debere, & ijs qui cibo refecti erant porrigi; Communionem ſub vtraque ſpecie, neceſſariam eſſe ad ſalutem, alioqui ſacrilegium eſſe, non ſacramentum. Ideò, articulos hos Concilium diligentiſſimè examinauit, & ſeſſ. 13. reſoluit, cuius ſummarium eſt. Primùm, quod licet Chriſtus à cœna Euchariſtiam inſtituerit, & ſub vtráque ſpecie adminiſtrarit Diſcipulis; hoc tamen non obſtante, ſacrorum Canonum authoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat quod huiuſmodi ſacramẽtũ nõ debet confici poſt cœnã, neq; à fidelibus non ieiunis recipi, niſi in caſibus neceſſitatis, à iure, vel Eccleſia conceſſis 2. Quod conſuetudo vnius ſpeciei ad euitanda ſcandala rationaliter introducta ſit. 3. Quod licet in primitiua Eccleſia aliter factum ſit, tamen ſub vtraque ſpecie ſeparatim totus Chriſtus continetur. 4. Quod ea conſuetudo, rationabiliter introducta, ſit habenda pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare. 5. Quod exiſtimare conſuetudinem Eccleſiæ de vnica ſpecie eſſe ſacrilegium, ſit erroneum. 6. Oportet prædicta aſſerentes tanquam hæreticos eſſe arcendos & grauiter puniendos. Tandem ſeſſ. 15. omnes articuli Ioannis Hus examinati, & condemnati fuerunt, ipſéque degradatus, & poteſtati ſeculari traditus publica authoritate, vnà cum Hieronymo à Praga crematus, cortimque cineres, ne à falſæ doctrinæ ſectatoribus impiè venerarentur in lacum proiecti fuerunt, anno milleſimo quadringenteſimo decimo quinto. Poſt modum Pontificiæ dignitatis, vſurpatores authoritate Concilij amoti fuere, & in verum, & legitimum Petri ſucceſſorem ſuffectus fuit, & electus Otto Columna Romanus, ipſo die diui Martini, ob eámque cauſam Martinus V. appellatus eſt.

Hus errores

Vltimo ſupplicio affectus Ioan. Hus.

Schiſma in Eccleſia.

Zelus Sigmundi.

Patres Concilij Conſtãtienſis.

Decreta prædicti Concilij.

Tertia denique pars oſtenditur. Illud idem eſt dicendum de determinatione præcepti communionis, quod de determinatione præcepti confeſſionis; ſunt enim hæc duo præcepta ex æquo iuris diuini, & verſantur circa ſacramenta, vt eſt per ſe notum: at tempus in quo obligat præceptum penitentiæ ab Eccleſia eſt determinatum, vt conſtat ex cap. Omnis vtriuſque ſexus: ergo.

3. partis probatio.

Deinde, in Tridentino ſeſſ. citata dicitur expreſſis verbis, ambas ſpecies non eſſe neceſſarias, ad hoc vt quis vel ſalutem conſequatur, vel ſatisfaciat præcepto de communione facienda, idque quod totus Chriſtus contineatur ſub qualibet ſpecie conſecrata, vnde videtur affirmare Concilium quemlibet Chriſtianum ſatisfacere præcepto de communione facienda, ſi ſub altera tantùm ſpecie communicauerit. Trident.

CONCLVSIO 4. *Non datur maior gratia ex opere operato per ſumptionem ambarum ſpecierum conſecratarum, quam per alteram tantùm: quocirca nulla irrogatur iniuria laicis, quando communio illis datur ſub ſpecie tantum panis.* Primò, id colligiturex Trident. ſeſſ. 21. can. 1. *Si quis vtriuſque dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis ſpecies. omnes & ſingulos Chriſti fideles vtrámque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere, Anathema ſit.* & cap. 4. ait totum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecie conſecrata. *Non datur gratia maior ex opere operato ex ſumptione* Trident.

Deinde, gratia ſacramentalis Euchariſtię nedum producitur per ſpecies ſacramentales, & per id quod ponitur ſub ſpeciebus conſecratis, vi & efficacia verborum ſacramentalium; ſed etiam per illud quod ponitur per concomitantiam, vt obſeruat Caietanus, & plerique alij recentiores: atqui totus Chriſtus ſatis eſt commodentibus alteram ſpeciem ad gratiã ſacramentalem producendam. Confirmatur. In ſacris literis quod adſcribitur ſanguini Chriſti, tribui-

tus etiam corporis eiuſdem: de ſanguine enim dicitur; *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*: de corpore ſimiliter; *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, cuius liuore ſanati ſumus*. & ité de ſanguine dicitur; *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. & Luc. 22. de corpore item ſcribitur; *Accipite & manducate hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*. Ex his ità diſputamus: Illud idem eſt dicendum de ſpecie panis, quæ ſumitur cõſecrata, quod de ſpecie vini, & è contrà: atqui de ſpecie panis conſecrata dicitur quod remittat peccata & ité de ſpecie vini: ergo ſatis erit ad effectus Euchariſtiæ omnes conſequendos alteram tantùm ſpeciem conſecratam ſumere.

Apocal. 1. 1. Petr. 2. Luc. 22.

Vltima probatio.

Denique, ex Tridentino ſeſſ. 13. effectus ſanctiſſimi ſacramenti ſunt nutritio ſpiritualis, & coadunatio cum Chriſto, remiſſio peccatorum venialium, & præcautio à peccatis mortalibus: at tres iſtos effectus per ſuſceptionem ſolius ſpeciei panis conſequimur, ex Conſil. citat. ſeſſ. 21. cap. 4. dicitur enim illic totum Chriſtum verè contineri ſub qualibet ſpecie: quare cùm Chriſtus ſit cauſa præcipua, & principalis productiua effectus ſacramenti Euchariſtiæ, ſpecies hæc vnica ſatis erit ad effectus omnes iſtos producendos: in hac ſententia ſunt D. Thom. opuſculo 58. cap. 29. & art. 12. huius quæſt. & alij.

Trident.

Obiectio.

Obijciunt contrarij authores, inter quos eſt Vazquez diſp. 21. ſacramentum Euchariſtiæ conſurgit ex duplici ſpecie, quarum quælibet ſibi propriam & peculiarem ſignificationem habet; ſpecies enim panis ſignificant nutritionem ſpiritualem per modum cibi, ſpecies verò vini per modum potus: ergo cùm de fide ſit ſacramenta nouæ legis facere quod ſignificant: maior gratia dabitur per ſumptionem ſpecierum panis & vini, quàm per ſumptionem ſolius ſpeciei panis.

Solutio.

Reſpondeo ſpecies conſecratas panis & vini non ſignificare res diuerſas, ſed vnam & eamdem plane, nempe nutritionem ſpiritualem, ſeu, quod idem eſt, coniunctionem, & incorporationem cum Chriſto; & denique paſſionem eiuſdem: ceterùm diuerſo modo, & diuerſa ratione, vt bene probat argumentum: ac proinde, licet modus ſignificandi ſit varius & diuerſus, & item magis explicatus per duas ſpecies panis & vini, non tamen propterea ſequetur maior gratia; quemadmodum licet Trinitatis expreſſio ſit magis explicata in eo qui baptizatur cum triplici immerſione, quàm in eo qui baptizatur cum vna tantum, non tamen propterea maiorem conſequetur ille gratiam baptiſmi.

Mouetur quæſtio.

ROGABIS, *A quanam ſpecie conſecrata producatur gratia Euchariſtiæ, in eo caſu, in quo contingit plures ſpecies ſumi ab vno, & eodem, & quidem ita vt inter ſumptiones iſtas interijciatur mora aliqua notabilis.*

Reſolutio.

RESPOND. *Gratiam produci, ab ea ſpecie, quæ primo loco ſumitur*: Nam Euchariſtia habet rationem manducationis, & nutritionis ſpiritualis, ex cap. 6. Ioann. at quamprimùm ſpecies conſecrata peruenit ad interiores partes ſtomachi, Euchariſtia hæc conſequitur rationem manducationis: verum eſt enim affirmare de illa, quod manducetur: ergo.

Ioann. 6.

Deinde, de fide eſt ſub qualibet ſpecie conſecrata totum Chriſtum contineri, & quamlibet ſimiliter ſpeciem nutrire hominem ſpiritualiter, ſine vlla dependentia ab altera: ergo cùm nullus detur obex, ex hypotheſi, in eo qui ſumit iſtâ ſpeciẽ, de facto dabitur gratia per eam.

Obiectio.

Dices, ex hac ratione manifeſte colligi ceteras ſpecies fruſtrà ſumi; non enim vllum conſequuntur effectum. Reſpond. non propterea concedendum eſſe fruſtra ſumi alias ſpecies: poſſunt ſiquidem hæ effectum ſuum producere, & de facto producerent, niſi productus fuiſſet ab ea, quæ primo loco ſumpta eſt. Deinde, licet ſpecies iſtæ per ſe nullam conferant homini gratiam, per accidens ſaltem conferunt aliquam in eo caſu, in quo contingit hominem hunc ſpeciali charitate & affectu accedere ad ſpecies conſecratas. Denique, illud idem dicendum eſt de iſta gratia Euchariſtiæ, quod de productione corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis ab Epiſcopo, & ab illis qui ordinantur ſacerdotes; certum autem eſt in hoc caſu, qui primo loco verbà conſecrationis protulit, produxiſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus, reliquos verò minimè, licet potuerint vtrè conſecrare ſine vlla dependentia vnius ab alio: ità & in hoc caſu gratia ſacramenti Euchariſtiæ producitur à prima ſpecie quæ ſumitur.

Soluit.

Notabile.

Aduerte autem, omnes huiuſmodi ſpecies habere rationem vnius ſumptionis & refectionis ſpiritualis, moraliter loquendo; idque quod vnum & eumdem plane habeant effectum realiter, & phyſicè productum ab vna tantum ſpecie, qui tamen produci potuit à qualibet ex illis ſeorſim ſumptis.

Iuſte Eccleſia laicis negat communionem ſub vtraque ſpecie.

CONCLVSIO VLTIMA. *Iuſtiſſimè de cauſa, negat & negauit Eccleſia laicis, itemque ſacerdotibus non conficientibus Euchariſtiam, vtramque ſpeciem.* Primum, quia vinum nequit conſeruari in certis quibuſdam partibus Vniuerſi, ob nimiam frigiditatem, quæ in illis datur.

1.

Deinde, quia licet vinum vbique locorum conſeruari poſſit (quod videtur probabilius, quàm contrarium) eſſet tamen difficile tantam vini copiam deprehendere (præſertim in partibus ſeptentrionalibus in quibus nullum colligitur vinum) quanta eſt neceſſaria ad communicandos populos iſtarum regionum.

2.

Tertiò, nequit vinum conſeruari in vſum ægrotorum, facile enim aceſcit.

3.

Quartò, adminiſtratio ſpeciei vini vix poteſt ſeparari à periculo profanationis; facile namque delabi poteſt, cum ſit fluidum. Quod Rudolphus Pius, qui viuebat ante quadringentos ſexaginta annos, apud Trithemium lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. de ſancto Trudone Abbate expreſſit pulchre, his verſibus.

4.

Hic & ibi cautela fuit, ne presbyter agris,
Aut ſanis tribuat laïcis de ſanguine Chriſti:
Namque poteſt fundi leuiter, ſimplexque putaret,
Quòd non ſub ſpecie leſus ſit totus vtraque.

Quintò, ſunt aliqui qui non poſſunt ſuſtinere odorem vini, vt conſtat ex abſtemijs.

5.

Sextò, debet eſſe diſcrimen aliquod inter communionem ſacerdotum ſacrificantium, & inter non ſacrificantium.

6.

Addunt aliqui ſeptimo, communionem ſimilem negatam fuiſſe laicis, ex eo quod extarent hæretici aliqui, qui contendebant ſub ſpecie panis eſſe ſolũ corpus Chriſti: & ſub ſpecie vini ſolum ſanguinem; vt ergo conſtaret omnibus totũ Chriſtum

7.

Digitized by Google

Chriſtum integrum, & perfectum contineri ſub ſpecie qualibet panis & vini, prohibuit Eccleſia ne laicis daretur ſpecies vini conſecrata, ſed ſolum ſpecies panis. Ceterùm hæc reijcitur à Vazquezio & alijs nonnullis: Eccleſia namque antequàm aliquid audiretur de huiuſmodi hæreſi vſum calicis negauit laicis, vt conſtat ex dictis.

Obiectio. Obijciunt hæretici, ſi potuit Eccleſia prohibere vſum calicis, poterit etiam prohibere vſum ſpeciei calicis, ac proinde tollere omnino Euchariſtiam.

Solutio. Reſpondeo negando conſecutionem, nam diximus communicare eſſe de iure diuino: & conſequenter cùm ius diuinum nequeat abrogari authoritate Eccleſiæ, non poterit hæc negare laicis communionē vnius aut alterius ſpeciei, bene tamē poterit determinate negare ſpeciem vini v.g. eo quod præceptum diuinum de communione faciēda ſufficientiſſimè impleatur reſpectu laicorum per communionē ſpeciei panis, & illud idem dicendum eſt de ſpecie vini, ſi hæc daretur laicis, & negaretur ſpecies panis, authoritate Eccleſiæ. Aduerte, ſacerdotem inter ſacrificandum obligari ad conſecrationem ſpecierum panis & vini, & ad ſumptionem earumdem, vt probauimus in quęſtione de natura & eſſentia huius ſacramenti.

Diſſoluuntur fundamenta hæreticorum. Ad rationes verò contrarias hæreticorum reſpond. Ad primam, Chriſtum conſecraſſe & dediſſe Apoſtolis, itémque ſibi ipſi ſpecies panis & vini, idque quod ſacrificaret eo loco, & quod ſacerdotes Apoſtolos inſtitueret; tenentur autem ſacerdotes inter ſacrificandum ad vtriuſqüe ſpeciei ſumptionem.

1.

2. Ad 2. Reſpondeo, particulam, *Et*, in illo præcepto, non eſſe intelligendam copulatiuè, ſed diſiunctiuè, vt colligitur ex verbis Chriſti in illo cap. ità enim ait de eo qui ſumit ſolam ſpeciem

Ioann. 6. panis: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me, &, qui manducat hunc panē viuet in æternum*: ſenſus ergo iſtorum verborum eſt, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem*, &c. & item, vel, *Niſi biberitis calicem Domini non habebitis vitā in vobis.* Confirmatur ex verbis Pauli 1. Co-

1.Cor.11. rinth.11. *Itaq; quicumq; manducauerit panē, vel biberit calicem Domini indignè*, &c. & hæc ſolutio eſt iuxta mentem Trident. Concilij ſeſſ.21. cap.1.

Ioann. 6. *Sed neque*, inquit, *ex ſermone illo apud Ioannem 6. reēte colligitur vtriuſq; ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, vecumq; iuxta varias ſanctorū Patrū & doctorum interpretationes intelligatur: namque qui*

Ibidem. *dixit*: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis: *dixit quoque*: Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. *Et qui dixit*: Qui

Ibidem. manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: *dixit etiam*; Panis,

Ibidem. quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Et denique qui dixit*: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nihilominus*: Qui manducat hunc panem, viuet in ęternum.

3. Ad 3. reſpondeo, præceptum iſtud, *Hoc facite in meam commemorationem*, obligare ſolos ſacerdotes ſacrum facientes, non autem ceteros; illud quippe idem dicendum eſt de hoc præcepto, quod de

Matth.vlt. illo; *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Matth. vltimo: non enim magis alloquitur Chriſtus ſolos Apoſtolos in vno, quàm in alio loco, vt colligitur ex contextu Euangeliorum: at verba illa; *Docete omnes gentes*, ſolos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores contingunt, non autem quoſlibet de plebe; prohibet namque Scriptura verbis expreſſis, ne mulieres in Eccleſia doceant. Fauet & iſtis, quod non omnia quę fuerunt illic à Chriſto præſtita teneantur Chriſtiani ſeruare inter cōmunicandum; nam alioquin edendus eſſet agnus Paſchalis, & lactucę agreſtes, abluendi pedes, arcendę mulieres à communione, duodecim tantùm eſſent communicandi, vel ad ſummum tredecim; hæc enim omnia obſeruauit Chriſtus, & denique communio eſſet poſt cœnam ſumenda, quæ tamen omnia non obſeruant iſti hæretici.

4. Ad 4. reſpondeo, paſſionem Chriſti repræſentari perfectiſſimè per ſumptionem alterius ſpeciei tantùm, vt colligitur manifeſtè ex verbis

1.Cor.11. Pauli 1. Corinth. cap. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro* &c. & rurſus; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. ac proinde non peccat laicus quando vnam tantùm ſpeciem ſumit. Igitur argumentum illud hæreticorum tantùm probat paſſionem Chriſti magis explicari per ſumptionem ſpecierum panis & vini, quàm per ſumptionem vnius tantum ſpeciei, quod nos vltrò concedimus; negamus tamen nō repræſentari paſſionē Chriſti per ſumptionem vnius ſpeciei tantum.

Vltimum. Ad vltimam, eum qui indigne vnam tantùm ſpeciem conſequitur eſſe reum corporis & ſanguinis Chriſti, non autem ſolius corporis Chriſti; quoniam & corpus & ſanguis, ceteráque omnia quæ pertinent ad Chriſtum continentur ſub ſpecie qualibet conſecrata, quam ex hypotheſi conſequitur is qui agit in peccato mortali.

DVBITATIO QVINTA.

Quanam diſpoſitiones ſint neceſſaria ad communionem ſanctiſſimi ſacramenti: tam ex parte animæ, quàm corporis.

Conſitendū mortale peccatum ante communionem. Trident. 1. 2. 1.Cor.11. CONCLVSIO 1. *Qui conſcius eſt ſibi peccati mortalis, non poteſt communicare dignè, niſi prius ſua peccata apud ſacerdotem fuerit confeſſus ſacramentaliter:* Ità determinatum eſt in Trident. ſeſſ.13. cap.7. *Eccleſiaſtica*, inquit, *conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati abſq; præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.*

Deinde, ex Paulo cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, licèt enim Paulus confeſſionis ſacramentalis non meminerit verbis expreſſis, id tamen fecit ſufficienter: probatio ſiquidem ſumptionis dignæ ſacramenti Euchariſtiæ nullibi commodiùs fieri poteſt, quàm in ſacramento penitentię.

3. Tertiò, ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs & remiſſionibus: præcipitur namque illic, vt Euchariſtia ſemel in anno ſumatur, idque in Paſchate, & præmiſſa ſacramentali confeſſione: ergo ſi pluries eſſet communicandum in anno ex vi illius præcepti, teneremur etiam pluries ſacramentum confeſſionis præmittere ad ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti.

4. Quarto, ſancti Patres ſtrictè præcipiunt ne quis accedat ad Euchariſtiam proprio iudicio & exiſtimatione, ſed cum arbitrio & ſententia ſacerdotis. ità D. Auguſt. epiſt. 118. his verbis: *Si tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda ſint ex authoritate quiſque an-*

Auguſtin.

tuſtitus debet ab altario remoueri, ad agendam penitentiam, & eadem authoritate reconciliari; hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere penitentiam, non vt arbitrio ſuo cùm libet, vel auferat ſe communioni, vel reddat.

Quintò, Eccleſia nuſquam hactenùs ſuſtinuit peccatores notorios ſine penitentia ad Euchariſtiam accedere, vt conſtat ex Concilio Niceno I. Nicænum. Ancyran. cap.11. Ancyrano cap.4. & alijs multis. Imò Euſebius. Euſebius lib.6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.27. & Nicephor. Nicephorus lib. 5. cap. 25. referunt Philippum huius nominis primum imperatorem Chriſtianum præmiſſa confeſſione ſacramentali participem fuiſſe factum communionis Euchariſtiæ, his verbis. *Philippum aiunt ex imperatoribus primum* B *ad Chriſtum acceſſiſſe, cùmque vltimo Paſchatis priuilegio de reliquis orationum in Eccleſia participare voluiſſe, non prius tamen in conuentum accedere fidelium, impedimento eius qui tum Eccleſia præfuit Epiſcopi, permiſſum eſſe, quàm confiteretur & penitentium numero, qui ordine & loco ſuo ſegregati, diſciplina certa explorabantur aggregaretur, quod non aliter licere ille diceret, niſi hoc feciſſet:* ergo præmittenda eſt confeſſio ſacramentalis ad Euchariſtiæ ſumptionem; Ità communiter omnes cum D. Thom. art. 4. huius quæſt. & in 4. diſt.17.quæſt.3.art.1.& lectione 7. ad cap.11. 1.Corinth.

Obiectio. Dices, contritionem delere quodlibet peccatũ mortale,& attritionem cum ſacramento ſatis eſſe C ad hoc vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali: ergo attritus ſaltem poterit ad Euchariſtiam accedere, etiamſi ſit ſibi conſcius peccati mortalis, ſine confeſſione ſacramentali: Ità Caietanus qui contrariam ſequitur ſententiam.

Solutio. 1. Reſpondeo,in alijs ſacramentis ab Euchariſtiã rationem Caietani eſſe admittendam,in Euchariſtia vero nullo modo, propter ea quæ habet Tridentinum loco proxime citato; hoc enim neceſſarium eſt in eo qui conſequitur Euchariſtiam,vt videlicet non ſit ſibi conſcius peccati mortalis,ac proinde vt certus ſit(non quidem certitudine diuina, quæ habetur per ſpecialem reuelationem, neq; certitudine phyſica, quæ per demonſtratio- D nes veras)ſed certo per ſcientiam experimentalẽ, & certitudine morali, quod ſit in gratia, & charitate conſtitutus: hęc autem certitudo moralis verè datur in eo, qui præmiſſo diſtricto examine conſcientię confeſſionem ſacramentalem verè præmiſit.

2. Conclvsio 2. *Præceptum hoc de confeſ-*
Præceptum de cõfeſſione præmittenda diuinũ. *ſione præmittenda communioni, non tam eſt Eccleſiaſticum,quàm diuinum:* ità ſentiunt Soto in 4. q.1. art.4. Canus in relectione de penitentia, Suarez & alij. Deinde, in Concil. Trident. ſeſſ.13. cap.
1. 7. dicitur in verbis iſtis D. Pauli: *Ego enim accepi*
Trident. *à Domino*, &c. contineri præceptum diuinum,
2. additúrque ibidem conſuetudinem hactenùs ob- E
1.Cor.11. tinuiſſe in Eccleſia Catholica, ne cui detur communio, niſi priùs confeſſione eius audita. Deni-
D.Auguſt. que,ex doctrina D.Auguſtini,illud eſt de iure diuino,quod in omni planè Eccleſia ſeruatur, præſertim quando res hæc non eſt conſtituta vel ab Apoſtolis, vel à Concilijs: at certum eſt conſuetudinem hanc de præmittenda confeſſione ſumptioni Euchariſtiæ obſeruatam hactenùs fuiſſe in omnibus,& ſingulis Eccleſijs Catholicis, neque etiam fuit præcepta ab Apoſtolis, neque item à Concilijs antiquis, argumento igitur eſt quod ſit præcepto diuino introducta.

Licet autem hæc ſint indubitata, & ad praxim communiter reuocanda, concedendum A tamen eſt in eo caſu, in quo Sacerdos teneretur ad ſacri confectionem, poſſe ipſum conficere prætermiſsâ confeſſione, eâ lege quod careat copia ſacerdotis, cui confiteatur peccatum mortale, de quo eſt ſib conſcius, & præterea quod eliciat actum contritionis veræ, vel exiſtimatæ: quod dico, quia ſola attritio, cognita vt attritio, non eſt ſatis ad dignam participationem ſanctiſſimi ſacramenti, etiam in eo caſu,in quo non datur copia ſacerdotis. Vide de hac re Nauarrum, & Sylueſtrum verbo, *Euchariſtia.* *Aliquando poteſt ſacerdos, abſque confeſſione ſacrificium celebrare.*

Conclvsio 3. *Euchariſtia non eſt adminiſtranda notorio, & publico peccatori, ante penitentiam & abſolutionem ſacramentalem.* Primo,quia dicitur Matth.7. *Nolite dare ſanctum canibus*; ni- Matth. 7. hil autem eſt ſanctius Euchariſtia, in hac quippe continetur totus Chriſtus, verus Deus & verus homo. 3.

Deinde, ſacri canones prohibent ne iſtis peccatoribus detur Euchariſtia: ità Concil. Nicænum cap.11. & 12. Ancyranum cap.4. aliáque nonnulla. 2.

Tertio, quilibet noſtrũm tenetur impedire peccatum proximi quando poteſt, vnicuique enim mandauit Deus de proximo ſuo:at notorius Eccle. 17. peccator hoc ipſo quod ſine penitentia accedat ad Euchariſtiam, peccat: facit enim contra præceptum diuinum, Dubitatione proxime antecedente explicatum: ergo. 3.

Denique, qui reddit proximo, id quod debet iure ei negare,peccatum admittit, præſertim ſi ex re data ſequatur culpa proximi: at ex eo quod quis Euchariſtiam tradit peccatori publico impenitenti, conſurgit peccatum nouum iſtius impenitentis, indigne ſiquidem communicat. In hac ſententia ſunt D. Thom. art. 6. huius quæſtionis, & alij communiter.

Nomine autem peccatoris publici, & notorij *Quis ſit notorius peccator.* ſignificatur is, cuius crimen comprobari poteſt teſtimonio decem hominum ex quibuſdam, ex aliorum vero opinione,cuius peccatum declaratum fuit, vel propria confeſſione, vel per ſententiam iudicis legitimi.Rectius tamen illi qui aiunt eum,nuncupari peccatorem notoriũ,cuius culpa ità nota eſt, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, idque propter notorietatem facti. Sunt denique & alij qui putant rem iſtam eſſe definiendam iudicio & exiſtimatione viri prudentis: iſtis ergo omnibus neganda eſt Euchariſtia, niſi fuerint abſoluti ab huiuſmodi peccato notorio. Poſita autem abſolutione eſt eis adminiſtranda, ſaltem vbi ſunt conſtituti in probabili vel euidenti periculo mortis, vt colligitur manifeſte ex illis locis in quibus Euchariſtia nuncupatur viaticum & neceſſarium viaticum. E

Conclvsio 4. *Euchariſtia non eſt neganda pec-* *Occulto peccatori non neganda.*
catori occulto, quando exigitur hæc publicè à proprio ſuperiore, & incumbit neceſſitas adimplendi præceptum de communione celebranda. Ita in canon. Non prohibeat, de conſecratione, diſt.2. 1.

Deinde,Chriſtus notiſſimum habuit peccatum Iudæ, non tamen propterea negauit ei communionem cum ceteris Apoſtolis. 2.

Tertiò, ità tradunt Patres, Chryſoſt. homil. 83.in Matth. Leo, ſerm.7.de Paſſione,his verbis Chryſoſt. Leo Mag. 3.
Diſcumbentibus diſcipulis ad edendam myſticam cenam, cùm in Chriſto atrociaretur,quomodo Chriſtus poſſet occidi: ille corporis & ſanguinis ordinans ſacramen-

ſacramentum, docebas qualis Deo hoſtia deberet offerri: nec ab hoc quidem myſterio tradituro ſubmoto, vt oſtenderetur nulla iniuria exaſperatus, qui in voluntaria erat impietate perſiſturus. Ipſe enim ſibi fuit materia ruinæ, & cauſa perfidiæ, ſequens diabolum ducem, & volens Chriſtum habere rectorem, & D. Auguſtinus in pſal. 10. *Chriſtus, quid*, inquit, *vobis fecit quis traditorem ſuum tanta patientia pertulit, vt ei primum Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut ceteris Apoſtolis traderet, qui eumdem traditorem, quem diabolum nominauit, cum ceteris diſcipulis ad prædicandum regnum cœlorum miſit, vt demonſtraret dona Dei pertinere ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit per quem accipiunt, qualis fuit Iudas.*

Auguſt.

4. Quartò, quilibet Chriſtianus adultus & baptizatus tenetur ad communionem ſanctiſſimi ſacramenti ſemel in anno, idque in Paſchate, ad reatum peccati mortalis: ergo non poterit ſacerdos hominem peccatorem arcere à communione, etſi eius peccatum ſciat, ſed ex hypotheſi occultum; cùm nullus debeat proximum diffamare, & peccatum eius prodere quando eſt ità occultum, vt alicuius alterius teſtimonio manifeſtari minime poſſit.

Obiectio. Dices, ſalutem ſpiritualem anteponendam eſſe ſaluti corporeæ: ergo quemadmodum quis negaret enſem furioſo, ad hoc vt ſeipſum, vel alium occidat; ità poterit optime ſacerdos negare communionem ſubdito agenti in peccato mortali, etiam in eo caſu in quo peccatum hoc, eſt iſti ſoli ſacerdoti notum; ex communione ſiquidem data conſurgit damnatio æterna iſtius hominis.

Solutio. Reſpondeo, hæc eſſe omnino diſparata; ſi enim æque innoteſceret lumine naturali mortem ſpiritualem poſitam eſſe in ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti; quemadmodum eſt notiſſimum mortem corpoream ſitam eſſe in collatione gladij, reſpectu furioſi; certe non poſſet ſacerdos hic adminiſtrare ſubdito communionẽ poſtulanti publice, & agenti in peccato mortali ſibi noto; res autem hæc, nullum habet fundamentum in lumine naturali, ſed tantùm in reuelatione diuina: non eſſe autem proximũ diffamandum; aut etiam illi quod ſuum eſt reddendum, eſt de iure naturali, & diuino ſimul; quare cum ius diuinum, & naturale ſimul ſint anteponenda ſoli diuino iuri, ideo danda erit Euchariſtia iſti peccatori, licet furioſo non ſit reddendus enſis, quando vult ſeipſum occidere, vel alium.

Quomodo ſe gerere debeat ſacerdos erga peccatorem occultum.

Deinde, nihil vetat quominùs peccator iſte occultus peccatum ſuum apud alium confeſſione explicauerit, & ab eo abſolutionem obtinuerit, quo in caſu fecit illud omne quod debuit, ad hoc vt digne Euchariſtiam conſequeretur; non potuit ergo Curatus iſte negare Euchariſtiã, iuxta tamen datas conditiones; quod eſt diligenter aduertendum: quia ſi peccator occultus extra caſum in quo quis tenetur cõmunicare petat Euchariſtiam, poterit proprius Curatus negare; vtetur enim hac excuſatione, dabo tibi communionem tempore & loco debito, putà quando præceptum de communione faciendа erit tibi adimplendum: ſi peteret autem non à proprio ſacerdote, poſſet iſte negare legitime Euchariſtiam, affirmando ſe non habere ſpecies conſecratas plures, quàm ſint illi neceſſariæ ad certos aliquos communicandos, quibus dedit fidem de communione iiſdem danda; denique poſſet eum admonere vt aditet proprium Curatũ.

Obſeruanda eſt præterea alia conditio, ſi communionem petat publice: nam ſi peteret eam priuatim, etiam à proprio Curato debet ei negari, & admonendus eſt, vt prius eum poeniteat, peccati commiſſi, & condignam agat de eo penitentiam, qua peracta poterit ſacedos date iſti communionem. *Obſeruãda alia cõditio.*

Sunt autem qui hoc loco quærant, an Euchariſtia ſit porrigenda reo alicui, ad hoc vt ſe probet de crimine, de quo diffamatus eſt apud iudicem, vel legitimum ſuperiorem.

Conuenit inter omnes rem hanc nulla ratione eſſe executioni mandandam, licet oppoſitum iure antiquo fuerit confirmatum: etenim Canones omnes iſti contraria conſuetudine fuerunt abrogati.

Deinde, hæc videtur vetari cap. 11. prioris ad Corinthios: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Cor. 11.

Conclvsio 5. *Is qui vult conſequi Euchariſtiam, ieiunus debet eſſe, ieiunio nedum Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, quod excludit ſumptionem cuiuſlibet cibi, & potus; idque à puncto mediæ noctis, vſque ad hanc partem illius diei proximè ſequentis, in qua contendit Euchariſtiam ſumere.* Ità docent ſacra Concilia Carthaginenſia, III. can. 29. & refertur à Gratiano, de conſecratione diſt. 1. canon. de ſacramento altaris, & can. 8. Concilij Africani ſub Bonifacio I. & alibi; In iſtis ergo locis ſtrictiſſimè præcipitur, vt ſolis ieiunis exhibeatur Euchariſtia extra caſum infirmitatis. *Ieiunii communicandi.* Concil. Carthagi. African.

Deinde, hæc conſuetudo nata eſt ſimul cum Eccleſia Catholica, vt colligere licet ex D. Auguſtino epiſt. 118. his verbis. *Liquidò apparet, quando primum acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid propterea calumniandum eſt vniuerſa Eccleſia, quod à ieiunis ſemper accipitur? & hoc enim placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi: nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* Auguſtin.

Tertiò, ità docent Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 5. *Non ſciet*, inquit, *maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Epiphanius lib. 8. contra hæreſes cap. vltimo. Chryſoſtomus homil. 27. in epiſt. ad Corinth. 1. *Tu autem*, inquit, *priùs quàm accipias ſanctam Euchariſtiam ieiunas, vt aliquo modo dignus communicare videaris.* Tertull. Epiphan. Chryſoſt.

Obijciunt hæretici, Chriſtum inſtituiſſe ſacramentum hoc poſt cœnam. *Obiectio 1. hæreticorũ.*

Reſpondeo, hoc eſſe verum, eò quod Chriſtus debuerit priùs agnum Paſchalem ex præcepto legis Moſaïcæ comedere, & quod commeſtio agni Paſchalis eſſet figura communionis ſanctiſſimi ſacramenti: rite autem hoc ſumitur à Chriſtianis ieiunis, propter maiorem venerationem tanti ſacramenti, vt explicat D. Auguſtinus, epiſtola ſupra citata ad Ianuarium. *Solutio. Cur Chriſtus ante inſtitutionem comederit.*

Deinde, quia licet circa naturam ſacramentorũ nihil poſſit eccleſia; circa tamen vſum eorumdem multa poſſe indubitatum eſt, ex cap. 11. 1. Corinth. *Cetera autem*, inquit, *cum venero diſponam*, loquitur autem de recto vſu ſacramenti euchariſtiæ. 1. Cor. 11.

Obijciunt 2. Cyprian. itémque Eccleſias Africanas in die cœnæ Domini communicaſſe ſacramentum Euchariſtię non ieiunis, de quare *Obiectio 2.*

pendit in cruce, hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere: alloquitur autem ſanctus pater quos libet adultos, nulla facta diſtinctione inter ſacerdotes & laicos: & Proſpero, referente Gratiano diſtinct. 2. canon. Cum frangitur hoſtia, *Dum ſanguis*, inquit, *de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiuſque ſanguinis de eius latere effuſio deſignatur. Nos autem, in ſpecie panis, & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, carnem & ſanguinem honoramus*: & ex con. Comperimus, qui eſt Gelaſij pontificis, quo loco querelas excitat in eos qui ſumpta ſpecie ſpanis conſecrata, abſtinebant à ſumptione calicis inter communicandum.

Proſper.

Moneo tamen, non deeſſe qui putent querimonias iſtas eſſe concitatas ab iſto ſummo Pontifice contra ſacerdotes ſumentes tantum alteram ſpeciem, eámque panis inter conſecrandum.

2. Secundo, rem hanc docent ſancti Patres iſtis omnibus citatis antiquiores, Cyprianus epiſt. 52. Hieronymus epiſtola ad Ruſticum Monachum de ſancto Exuperio Epiſcopo: ità loquitur; *Exuperius Toloſæ Epiſcopus vidua Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente ſeiunus, fame torquetur aliena; nihil enim illo ditius, qui omnem ſuam ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit. Corpus Chriſti in caniſtro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.* & Cyrillus Catecheſi 4. myſtagogica. *Sub ſpecie panis tibi datur corpus, & ſub ſpecie vini ſanguis Chriſti, vt ſumpto corpore & calice efficiaris particeps corporis & ſanguinis*; & Catecheſi 5. *Accedens ad communionem, & ſumpto Chriſti corpore, accede ad calicem ſanguinis illius*: ex quo loco colligitur nedum antiquitus datas fuiſſe ambas ſpecies laicis, ſed etiam ſpeciem panis conſecratam datam fuiſſe cuilibet intrà palmam manus dexteræ; cum hoc tamen diſcrimine, quòd maſculi intrà nudam manum, feminæ vero intrà eamdem, ceterum opertam linteo aliquo candido Euchariſtiam ſumerent, vt colligitur clare ex D. Auguſtino ſermon. 252. de tempore. *Omnes*, inquit, *viri quando communicare deſiderant lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant*: & ex Concilio Antiſiodorenſi: præcipitur ſiquidem illic vt nulli plane feminæ porrigatur Euchariſtia, quę ſuum Dominicale non habuerit; nomine vero *Dominicalis*, intelligunt omnes hoc loco, linteum aliquod candidum & mundum, in quo feminæ ſacram ſpeciem panis conſecratam reponebant, quatenus eam tamdem ſibi communicarent. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis epiſt. 2. ad Titum, de hac eadem re aliquid habet; ait enim antiquitus neminem apud Gallos conſecratum fuiſſe ſacerdotem, qui in die ſuæ conſecrationis non acciperet Euchariſtiam ſub vnica ſpecie panis, abſumendam intrà dies tres proxime ſequentes; additque illam ſpeciem datam fuiſſe ſacerdotibus intrà membranam, aut pergamenum, vt ipſe loquitur cuius verba ſunt: *Porrò noſtro tempore, quidam inter ceteros ad ſacerdotalem gradum admiſſus, hoſtiam quoque ſicut & alij, de manu Epiſcopi ſuſcepit, quam in pergameno, in hos vſus parato inuolutam quotidiana celebratione ſeluebat, & portiunculam paruam, iuxta inſtantium dierum numerum conjuratam ſumebat.* D. Thom. etiam art. 12. quæſtionis 80. huius partis, fatetur Euchariſtiam ſuo tempore in pleriſque Eccleſiis Latinorum adminiſtratam fuiſſe laicis, ſub ambabus ſpeciebus panis & vini: non ergo verum eſt, vt tandem ex iſtis omnibus aliquid colligamus, communionem ſacerdotalem eſſe eam, quæ ſub duabus, laicam vero quæ ſub vna tantum ſpecie panis fuit antiquitus adminiſtrata.

Cyprian. Hieron. Cyrillus. Hieroſol. D.Auguſt. Antiſiod. Fulbertus. D. Thom.

3. Tertiò probatur: Euchariſtia nedum adminiſtrata fuit adultis, ſed etiam paruulis, ante vſum rationis, temporibus primitiuæ Eccleſiæ ſub ambabus ſpeciebus, vt conſtat ex Proſpero Aquitanico, l. 4. de promiſſionibus & prædictionibus, c. 6. Narrat enim filiam in tenera ætate conſtitutam, & à Dæmone poſſeſſam liberatam fuiſſe à tanta tyrannide ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti, ſub ſpecie vini conſecrata: *Suggeſtum eſt*, inquit, *à quodam Diacono, Epiſcopo, vt gutturi puellæ ſalutarem calicem applicaret, quod vt factum eſt, Dæmon partem illam quam obſederat Saluatoris imperio reliquit.* Narrat & aliquid iſtis ſimile Cyprianus, lib. de lapſis, paulo poſt medium: *Filia*, inquit, *ex Chriſtianis parentibus nata, à perfida nutrice delata fuit ad ſimulacra Deorum, illic polluta fuit.* & paulo poſt. *Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis, eam ſecum mater inferret: Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam factí in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus eius aduenit, faciem ſuam parunla inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare: Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de ſacramento calicis infudit, tunc ſequitur ſingultus & vomitus, ſanctificatus in Domini ſanguine potus de pollutis viſceribus erupit, tanta eſt poteſtas Domini, tanta Maieſtas.* Proſper.

Conſtat etiam vſu quàm maxime populari in primitiua Eccleſia: etenim nulli admittebantur ad communionem qui haberent vnde ſe & ſuos alerent, niſi prius iſti panem & vinum ad altare attuliſſent, quatenus hæc poſteà à ſacerdote conſecrarentur, & tandem vſibus ſacratiſſimæ communionis deſeruirent, vt patet ex D. Auguſtino ſerm. 215. de tempore: *Oblationes*, inquit, *quæ ad altare conſecrentur offerre, erubeſcere debet vir idoneus*, id eſt, mediocriter diues, *ſi de aliena oblatione communicauerit.* & Cyprianus lib. de opere & eleemoſynis, paulo poſt medium: *Locuples & diues es, & dominicum celebrare te credis*, (id eſt ſacram communionem) *quæ corbonam omnino non reſpicis?* (nomine Corbonæ ſignificatur hoc loco Gazophylacium, ſecretarium, ſeu, quod idem eſt, locus is in quo oblationes panis & vini factæ à Chriſtianis deponebantur, ad hoc vt poſteà in altari conſecrarentur, vt tradit Binnius ad 4. Apoſtolorum canonem, tomo 1. Conciliorum) *Quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis?* (id eſt Eccleſiam, interprete Pamelio ad hunc locum) *quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit ſumis?* Loquitur autem Cyprianus de femina quadam ditiſſima, non tamen ſatis addicta officiis charitatis: & Poſſidonius in vita D. Auguſtini cap. 24. refert aliquando Diuum parentem fuiſſe conqueſtum, quòd hoc negligeretur Gazophylacium, ſecretarium.

Auguſt. Cyprian.

Non negant etiam aliqui, ex hac eadem conſuetudine vſum offerendi placentulas ante communionem ſacram, fuiſſe introductum, & item morem offerendi denarium aliquem: illud aduertit Georgius Caſſander; hoc Honorius in Gemma animæ, cap. 66. qui addit denarium hunc

ideo offerri adhuc à communicantibus, vt quilibet tunc aduertat Chriſtum quibuſdam denariis fuiſſe appretiatum, & venditum, vt ità genus humanum à Satanæ tyrannide liberaretur. Si ergo tot panes ad altare fuerint antiquitus conſecrati, ſi tanta vini copia in ſubſtantia ſanguinis Chriſti conuerſa, indubitatum eſt diſcrimen aſſignatum ab authoribus contrariæ ſententiæ inter communionem laicam, & ſacerdotalem non eſſe verum & legitimum.

Communio laica quæ extra cancellos: ſacerdotalis, quæ ante altare.

CONCLVSIO 2. *Communio ſacramentalis apud Patres, & in ſacris Conciliis cenſetur eſſe ea participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quæ facta fuit à ſacerdotibus, leuitis, & ceteris aræ ſacræ miniſtris, ante altare. Laica verò ea communio corporis Chriſti & ſanguinis eiuſdem, quæ data fuit extra cancellos, ſeu locum illum quem vulgò appellamus Chorum, in illis ipſis locis in quibus rem ſacram audiebant laici: in his enim poſtea communicabant.* Vt autem Concluſio hæc probetur, & faciliùs innoteſcat, obſeruandum eſt ædes omnes ſacras tam apud Græcos, quàm apud Latinos antiquitus fuiſſe in varias ſtationes diuiſas; ità vt nobilior, qualis erat quæ magis altari aſſiſtebat, ſolos manifeſtaret Sacerdotes, & leuitas altaris miniſtros. Secunda, ſolos admittebat Clericos, & alios diuinas laudes celebrantes, ritu ſolemni. Tertia denique reliquam multitudinem ſurſum continebat, & quidem non promiſcuè & confuſe: maſculi quippe coniugati à ſiniſtris, feminæ verò matrimonio copulatæ à dextris: virgines tamdem innuptę loco omnino diuerſo ſecernebantur, ex Clemente Rom. lib. 2. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 61.

Notabile. Diuerſæ ſtationes intrà Eccleſiam.

Cle. Rom.

Fauet & iſtis in aliquibus Ambroſius ad virginem lapſam, & Hieronym. ad cap. 43. Ezechielis ad hæc verba: *Et murus erat inter me, & inter eos: Vt ſacerdotalia ſacrificia*, inquit, *& loca ſacramentorum corporis, & ſanguinis Chriſti, breuiſſimus murus diuideret. Et polluerunt, &c. Quid prodeſt habitationis vicinia, & medius inter cellulam noſtram, & altare Domini paries, cùm in iis quæ ſecretò facimus, & quæ turpe eſt etiam dicere, contaminetur & polluatur nomen Domini?* & ad cap. 42. eiuſdem prophetæ ait, in omnibus Eccleſiis aliàs extitiſſe duo ad minus paſtophoria, id eſt, thalamos, vt ipſe explicat, eáque hinc inde apud abſidem deſita fuiſſe aſſerit Paulinus, epiſt. 12. ad Seuerum, quorum quis eſſet vſus duo hæc diſticha, ab eodem deſuper inſcripta declarant.

Hieron.

A dextra abſidis.

Hic locus eſt, veneranda penus quo conditur, & quo
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

Paulinus Nolanus.

A ſiniſtra abſidis.

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Et Nicephorus 12. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 41. & Theodoretus lib. 5. cap. 17. narrat Theodoſium Imperatorem poſt oblatum munus ſuum ad altare, hæſiſſe intrà cancellos, ſeu, quod idem eſt, intrà Chorum, & ab iſtis locis fuiſſe repulſum, præcipiente Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo per primarium Diaconum: verba autem Theodoreti ſunt hæc: *Cùm dona vti ſolebat*, Theodoſius imperator ſcilicet, *obtuliſſet, intus prope cancellos mãſit. At rurſus magnus ille Ambroſius non conticuit quidem, ſed locorum differentiam eum docuit. Ac primùm ſciſcitatur: Ecquæ re egeret? Et cùm reſpondiſſet imperator: ſe expectare diuinorum myſteriorum perceptionem: ſignificauit illi per primarium Diaconum,* *qui ei miniſtrabat, ad loca interiora ſolis ſacerdotibus aditum patere, eademque aliis omnibus inacceſſa eſſe, nec debere tangi. Iubet igitur vt exeat, & cum reliquis laicis conſiſtat. Nam purpura*, inquit, *imperatores, non Sacerdotes efficit.* Obſeruandum tamen eſt morem hunc de non admittendis laicis ad altare, & intrà Chorum cum tempore apud Latinos fuiſſe omnino ſublatum.

Nicephor. Theodor.

His ita conſtitutis, probatur Concluſio, ex canon. 19. Laodicenſis Concilij. *Solis*, inquit, *altaris miniſtris licebat ad altare accedere, & ibidem communicare*, & ex cap. 18. Concilij 4. Toletani: *Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri hoc ordine ab omnibus ſumatur, ſacerdos & leuita ante altare communicent, in Choro clerus, extra Chorum populus:* ergo communio ſacerdotalis eſt ea quæ celebrata fuit ante altare, & in choro à ſacerdotibus, & ab aliis Clericis: laica vero quæ extra cancellos adminiſtrabatur.

Probatio concluſionis. Concil. Laodicenſ. Toletan.

Deinde ſacerdotes, & ceteri omnes clerici propter turpem aliquam culpam & peracta penitentia de huiuſmodi culpa, cogebantur antiquitus non cum ſacerdotibus, & clericis communicare ante altare, vel in choro, ſed tantùm cum laicis, quaſi laici eſſent: & tamen communio hæc dicta fuit laica, vt manifeſte colligitur ex cap. 1. Concil. 1. Toletani. *Reconciliatus*, inquit, *per penitentiam, communices cum laicis:* Loquitur autem de clerico lapſo in grauem culpam, & peracta penitentia de huiuſmodi culpa, & in Concil. Agathenſi cap. 5. *Si Epiſcopus, presbyter, aut Diaconus, crimen capitale commiſerit, aut Chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit: ab omni honore depoſitus intrà monaſterium includatur, & illic communionem tantùm laicam conſequatur, idque toto tempore vitæ.* Et in Concil. Sardicenſi cap. 2. idem dicitur de Epiſcopo ambitioſo: Quo in libro ſeueriùs punitur Epiſcopus ambitioſus: negatur enim ei ſacra communio pro eo tempore, quo agit in hac vita: ità vt etiam non admittatur ad laicam communionem: & canon. 15. Apoſtolorum, Sacerdos qui receſſit à propria Parochia, inconſulto Epiſcopo, donatur tantùm communione laica.

Idem. Agathenſ. Sardicenſ.

Extant de hac eadem re multa ſanctorum patrum teſtimonia, maxime vero Cypriani epiſtol. 52. ad Antonianum fratrem, & 68. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quo loco indicat futurum Baſilidi Epiſcopo macula libelli polluto, rem gratam, ſi liceret ei cum laicis, quaſi laicus etiam communicare. *Baſilides Epiſcopus nefando idololatriæ libello contaminatus, adhuc inſuper præter libelli maculam, cùm infirmitate decumberet in Deum blaſphemauit, & confeſſus eſt ſcelus, & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens ad agendam penitentiam converſus eſt, Deum deprecans & ſatis gratulans ſi ſibi vel laico communicare contingeret.* Et epiſtola 72. quæ eſt 2. ad Stephanum Papam non tam ex propria, quàm omnium Epiſcoporum totius Africæ ſententia, ſacerdotes ordinatos à Pſeudoepiſcopis & hæreticis, aut etiam apud Latinos Epiſcopos ceteros, transfugas & deſertores ſui miniſterij vel fidei, poſt penitentiam admittendos eſſe tantum ad communionem laicam, idque propter fœditatem culpæ quam commiſerant. Si ergo ſacerdotes & alij clerici propter peccata commiſſa priuantur, ne communionem conſequantur cum ceteris ſacerdotibus, etiam poſt peractam ſuorum peccatorum penitentiam, ſed coguntur cum laicis, quaſi laici eſſent communicare,

Cyprian.

Digitized by Google

nicare, ab hac locorum diuerſitate, in quibus data fuit communio repetendum eſt diſcrimen, inter communionem ſacerdotalem & laicam: ità Binnius, & recentiores aliqui.

Ad ſecundum, locum Concilij Sardicenſis, & ſimiles, ſi qui ſunt reſpondeo, intelligendos eſſe per comparationem, non autem ſimpliciter & abſolute; ità vt ſenſus ſit: ſi fieri poſſet vt ambitioſus Epiſcopus in vltimo vitæ ſpiritu ſtaret intrà Eccleſiam vnà cum laicis, non tamen propterea porrigenda eſſet ei laica communio cum laicis, idque propter grauem culpam quam commiſit ambiendo Epiſcopatum.

DVBITATIO SEPTIMA.

Quid nomine communionis peregrinæ intelligant Patres, & ſacra Concilia.

Aliquorum ſententia.

SVNT qui putent ſignificari participationem corporis & ſanguinis Chriſti factam à viatoribus, cùm veſte aliqua peregrina, aut etiam ea quæ tranſmiſſa fuit ad ipſos peregrinos agentes adhuc in itinere, vt refert Claudius Sanctius repetitione 10.

Verâ explicatio.

Ceterùm hæc opinio defendi nullo modo poteſt: primò, quia non poſſunt hoc probare authores iſti. Deinde, quia ſancti patres docent datam fuiſſe antiquitus Euchariſtiam quibuſuis Chriſtianis & Catholicis, ad hoc vt eam ſibi vel in propriis ædibus, vel alibi ſumerent occaſione vel neceſſitate aliqua cogente: ità Cyprianus ſermon. citato de lapſis, & Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. myſtagogica & alij multi. Si ergo habuerunt apud ſe Chriſtiani ſacram Euchariſtiam, quis credet iſtam fuiſſe tranſmiſſam ad aduenas agentes in itinere?

Cyprian. Cyrillus Hieroſol.

Baronius.

Tertiò, Baronius tom. 5. ſuorum annalium, pagina ex editione Romana 112. & 113. probat multis, aduenas & ceteros homines fuiſſe quidem admiſſos intrà Eccleſiam, cum ceteris Chriſtianis, non vero ad communionem, donec ex formulis conſtaret de probitate, & integritate vitæ huiuſmodi aduenarum, vt conſtat ex can. 34. Apoſtolorum, vel 32. *Nullus Epiſcoporum peregrinorum, aut presbyterorum, aut Diaconorum, ſine commendatitijs ſuſcipiatur epiſtolis. Et cùm ſcripta detulerint, diſcutiantur attentius, & ità ſuſcipiantur, ſi prædicatores pietatis extiterint. Sin minùs, nec quæ ſunt neceſſaria, ſubminiſtrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptionem multa proueniant.* & ex canon. Non oportet miniſtros altaris, de conſecratione, diſt. 5.

Communio peregrina eadem cum laica.

Dico, ergo communionem peregrinam eamdem eſſe cum laica: oſtenditur primo, quia id docet Gloſſa ad cap. Contumaces, diſtinct. 50. Deinde, quia tantum fuerunt duo ordines antiquitus communicantium, ſacerdotum ac laicorum: ac proinde peregrini, ſi eſſent ſacerdotes in Choro cum ſacerdotibus, ſi vero laici, cum laicis communicabant.

Tertio, vox iſta, peregrinus, nedum aduenam & viatorem ſignificat, ſed etiam illud omne, quòd eſt ab aliquo alienum vt obſeruat Vazquez diſp. 216. cap. 3. ad quæſtio. 80 huius partis: Certum autem eſt alienum à ſacerdote eſſe, & à ceteris clericis, ſpectata dignitate iſtorum omnium, communionem laicam ſumere. Meminit communionis peregrinæ Concilium Agathenſe canone 5. *Si clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.*

Corollarium.

Ex quo colligimus communionem peregrinam interdum vſurpari, non ſolum pro communione laica Euchariſtiæ, ſed etiam pro ea gratia, quam conſequebantur exteri, vt admitterentur intrà Eccleſiam cum Chriſtianis, vt Deum laudarent, & prætereà orarent.

QVÆSTIO LXXXI.

De modò quo Chriſtus vſus eſt hoc ſacramento.

ARTICVLO 1. Tradit Chriſtum ſumpſiſſe proprium corpus, & ſanguinem ſub ſpecie panis, & vini; de qua re lege Hieronymum in epiſtola ad Hedibiam.

ARTICVLO 2. Chriſtum dediſſe Apoſtolis corpus ſuum, & ſanguinem ſimiliter.

Summa textus.

ARTICVLO 3. Dediſſe corpus paſſibile, modo tamen impaſſibili, ſub ſpeciebus conſecratis.

ARTICVLO VLTIMO: ſi quis ſpeciem conſecratam à Chriſto in cœna aſſeruaſſet, Chriſtum reuera moriturum ſub huiuſmodi ſpecie, de qua re nullus ſupereſt dubitandi locus: cum pro certo habeatur corpus Chriſti eodem modo ſe habere in ſacramento, quo in exiſtentia naturali: in hac autem vere anima ſeparata fuit à corpore & item ſanguis in cruce: ergo & hęc eadem ſimiliter contigiſſent in corpore illo conſecrato.

QVÆSTIO LXXXII.

De miniſtro huius ſacramenti.

PATITVR duas Dubitationes præcipue.

DVBITATIO PRIMA.

Quis ſit miniſter huius ſacramenti reſpectu confectionis eiuſdem.

HÆC facillimo negotio ſoluitur. Conuenit inter omnes ſolum ſacerdotem ſacrum hoc conficere poſſe, vt colligitur manifeſte ex verbis Chriſti, Lucæ 22. ità enim illic ſolos Apoſtolos affatur: *Hoc facite in meam commemorationem*: per hęc enim verba, nedum Apoſtolos ſacerdotes conſtituit, vt docet Tridentin. ſeſſ. 22. ſed etiam eiſdem contulit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, ità vt verba illa contineant præceptum de facienda Euchariſtia, in ordine ad quemcumque ſacerdotem: vnde docent omnes grauiter peccare

Luc. 22. Solus ſacerdos conficere poteſt Euchariſtiam.

Digitized by Google

eum sacerdotem, qui characterem sacerdotis habet, neque tamen vspiam facit sacrum.

Deinde, potestas consecrandi est eadem cum potestate peccata remittendi: realiter siquidem dependent ab vno, & eodem numero charactere, magis tamen extenso: at certum est potestatem remittendi peccata inesse solis presbyteris ex cap. 20. Ioann. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* ergo & potestas sacram Eucharistiam consecrandi. Ità docet D. Thom. artic. 1. huius quæst. & eius interpretes ibidem.

Ioan. 20.

DVBITATIO SECVNDA.

Quis sit minister huius sacramenti quando est confectum.

Diaconus potest aliquando administrare Eucharistiam.

CONCORS est omnium sententia solum sacerdotem iurisdictionem habere ministrandi eucharistiam, respectu speciei panis, extra necessitatem; in necessitate vero illud idem potest Diaconus, ex præscripto tamen episcopi, vel sacerdotis: ità Concil. Carthaginense IV. cap. 18. *Diaconus*, inquit, *potestate presbyteri Eucharistiam corporis Christi populo administret, si necessitas cogat:* Addo, Diaconum esse ministrum ordinarium sanguinis Christi existentis in calice, vt colligitur, ex Clement. Roman. lib. 8. Constitutionum Apostolicarum, & ex Cyprian. sermon. de lapsis: hinc responsum D. Laurentij ad Sixtum Pontificem maximum; *Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti pretiosi corporis & sanguinis dispensationem*, &c. Fauet & consuetudo ecclesiæ Romanæ: Diaconus enim maior qui famulatur Pontif. max. sacrificanti ritu solemni & publico, sanguinem ei administrat, vbi seipsum propriis manibus communicauit, respectu speciei panis.

Concil. Carthag.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius sacramenti, seu de Missa sacrificio.

ANTEQVAM articulos huius quæstionis explicemus, duæ sunt breuiter præmittendæ Dubitationes circa sacrificium in communi sumptum.

DVBITATIO PRIMA.

Qua ratione sacrificium distinguatur ab oblatione.

1. Opinio.

SVNT qui putent sacrificium proprie dictum distingui ab oblatione, quod hæc nedum Deo, sed etiam hominibus fiat: sacrificium vero proprie dictum soli Deo debeatur.

Refellitur.

Ceterum istorum sententia nullo modo defendi potest. Primo, quia sacrificium proprie dictum nedum soli Deo, sed etiam ei, quem putamus esse Deum offerri potest: non quidem inculpate, licet cum propria ratione sacrificij, vt obseruat Vazquez disp. 220. cap. 2.

Deinde, quia quando sancti Patres docent sacrificium soli Deo deberi, vt D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 19. & epistola 49. illud venit intelligendum de sacrificio rite, & vt oportet celebrato.

Tertiò, negari nequit, quin sacrificia fuerint aliàs Diis alienis oblata. Denique ratio sacrificij propriè dicti posita est in significatione subiectionis, quam creatura dicit ad Deum, & in significatione supremæ authoritatis quæ datur in Deo supra omnem creaturam; at nihil impedit quominus quis hac intentione, & significatione rem aliquam offerat ei, qui non est verus Deus: ergo daretur illic ratio veri sacrificij, & tamen sacrificium hoc non esset verè Deo oblatum.

2. Opinio.

Alij vero sacrificium aiunt distingui ab oblatione, quod oblatio possit creaturis deferri, sacrificium vero minime.

Reiicitur.

Ceterum hæc responsio est nimis longe petita: non enim illud omne quod offertur Deo, sacrificium esse potest, vt patet ex adoratione, laudationibus, gratiarum actionibus & aliis innumeris quę Deo opt. max. offerimus, quæque deficiunt à ratione sacrificij.

3. Opinio.

Alij sacrificium ab oblatione distinguunt, quod de ratione sacrificij sit repræsentare, seu significare sacrificium crucis Christi: de ratione vero oblationis minime.

Non placet.

Sed neque isti sunt audiendi: sacrificare siquidem est de iure naturali, Christus autem non pertinet ad ordinem naturę, sed gratiæ; ac proinde neque sacrificium crucis Christi.

Deinde, in statu innocentiæ fuerunt sacrificia propriè dicta ex communi sententia: at perseuerante statu innocentiæ non fuisset Christus incarnatus, saltem ex doctrina D. Thom.

Tertio, de ratione sacrificij est, quod sit nota subiectionis creaturæ, respectu Dei, & omnipotentiæ diuinæ, per quam potest Deus cuncta destruere, & item destructa reparare pro sua voluntate; at res hæc nihil habet commune essentialiter, saltem cum sacrificio Christi facto in ara crucis.

Quarto sequeretur sacrificium crucis Christi non esse verè sacrificium; non enim hoc repræsentat seipsum.

Obiectio. 1. Cor. 10.

Dices, D. Paulum affirmare omnia sacrificia veteris legis repręsentasse sacrificium Crucis Christi. *Omnia*, inquit, *contingebant illis in figuris.*

Solutio.

Respond. hoc quidem esse verum: ceterum non ex se, & sua natura quatenus erant sacrificia; sed ex lege, & ordinatione diuina: Deus enim est qui constituit, vt sacrificia veteris legis, respicerent futuram Christi passionem, & vt ab ea omnem vim, quam in se haberent, mutuarentur.

4. Opinio.

Alij verò distinguunt oblationem à sacrificio: quòd hoc sit summus cultus Deo debitus, & quod res sacrificata immutetur: Oblatio vero sit inferior aliquis cultus Deo debitus, in quo res oblata minùs mutatur.

A veritate aliena.

At neque isti difficultatem præsentem explicuerunt: Primo, quia negari non potest quin adoratio sit aliquis cultus supremus soli Deo debitus, & tamen adoratio non est sacrificium proprie dictum.

2.

Deinde, nihil vetat quominus quis offerat sacrificium Deo, & quia Deus est, & quia bonus, iustus, sapiens, omnipotens, & quin similiter offerat

Digitized by Google

offerat illi quidpiam nomine ſimplicis oblationis propter aliquod ex attributis proxime commemoratis: ergo cum inter iſta attributa, vnum non ſit nobilius, aut perfectius altero, ſacrificium proprie dictum non diſtinguetur à ſimplici oblatione, quod ſacrificium ſit ſummus cultus, oblatio vero minor aliquis Deo debitus.

Tertiò, licet verum ſit, rem quæ ſacrificatur debere immutari, & deſtrui, minimè vero id quod offertur per ſimplicem oblationem, non tamen ex his poteſt peti diuerſitas iſtorum duorum: idem namque primùm eſt conſtitutiuum alicuius rei, & diſtinctiuum eiuſdem: certum autem eſt ſacrificium, & oblationem non conſtitui in ratione ſacrificij, & oblationis, per id quod mutatur in ſacrificio, hoc enim habet rationem in eo materiæ, non autem formæ: & illud idem dicendum eſt de eo quod offertur oblatione ſimplici.

Vera ſententia & eius probatio.

Dico igitur, *Sacrificium proprie dictum diſtingui ab oblatione ſimplici, in ratione ſignificandi:* ità docent D. Auguſtin. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. & D. Thom. in 2. 2. quæſtione 85. ait enim. *Sacrificium externum ſignificare ſacrificium internum, quo quis ſe, & omnia ſua vouet, & conſecrat Deo.*

D. Auguſt.

D. Thom.

Deinde, ratio ſacrificij poſita eſt in illo eodem in quo omnis natura ſacramenti: at ratio ſacramenti eſt poſita in ſignificatione, vt conuenit inter omnes: ergo ratio ſacrificij, &c.

Maior nititur hoc fundamento, quod quemadmodum ſacramentum omne verum, eſt ab authore naturæ inſtitutum, ità & ſacrificia vera ſunt ab authore naturæ inſtituta, ac proinde quemadmodum ſacramenta ſignificant gratiam ſacramentalem: ità, & illud idem dicendum eſt de veris ſacrificiis, iſtis enim colitur Deus veluti author necis, & vitæ, & vt habet pleniſſimam poteſtatem producendi, vel deſtruendi, res quaſlibet: ità authores proxime citati, & communiter, interpretes D. Tho. ad articulum 2. q. 85. in 2. 2.

Notabile.

Aduerte autem ſignificationem iſtam, non eſſe in verbis, ſed tantum rebus, quæ ſacrificantur, ſacrificium enim laudationis non eſt vere, & propriè ſacrificium, vt probabitur poſteà; hoc autem continetur in verbis: res vero quæ proprie ſacrificantur debent eſſe permanentes, vt colligitur manifeſte ex capite 8. Geneſ. *Obtulit holocauſtum ſuper altare*, & cap. 22. *Offeres filium tuum in holocauſtum*: & Hebræorum 9. *Per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum*: ergo diſtinguetur ab oblatione, quod ſacrificium ſit nota, ſeu ſignum omnipotentiæ diuinæ, qua Deus eſt author necis, & vitæ, & in eius poteſtate eſt pro ſuo nutu cuncta vel deſtruere, vel conſeruare: vel denique ſignum ſummæ ſubiectionis, quam creatura dicit ad Deum: ac proinde res quæ ſacrificatur, debet mutari, & deſtrui ad hoc vt duo proxime commemorata ſignificentur: oblatio vero, nec ſignificat demiſſionem, & ſubiectionem creaturæ, nec omnipotentiam diuinam, quatenus eſt author vitæ & mortis, ſed ſolum vniuerſale dominium, quod Deus habet in res omnes, & ideo non eſt neceſſe vt res oblata conſumatur, ſed tantum vt offeratur Deo, quatenus eſt Dominus rerum omnium vniuerſalis.

Geneſ. 22.

Hebr. 9.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit ſacrificium proprie dictum.

Definitio ſacrificij, ſeu potius deſcriptio.

CONCLVSIO 1. *Sacrificium dicitur communiter oblatio externa rei alicuius permanentis, & ſenſilis ritu myſtico conſecrata, & tranſmutata, facta ſoli Deo, à legitimo miniſtro, ad noſtræ infirmitatis, & diuinæ maieſtatis proteſtationem:* ità Recentiores: definitio tamen hæc potius deſcriptio, quam vera definitio cenſeri debet; continet enim multa, quæ nec ſunt genus nec differentia ſacrificij proprie dicti, nec item materia, & forma eiuſdem, vt facilè colligi poteſt ex his, quæ Dubitatione proxime antecedente attulimus; omnis autem definitio ſi ſumitur metaphyſica, proprio genere, & differentia conſtat: ſi vero phyſica, per materiam, & formam explicatur. Oblatio ergo locum generis obtinet, omne enim ſacrificium oblatio eſt, non tamen è conuerſo, vt manifeſte colligitur ex cap. 5. Hebr. donum enim, quod idem eſt ac oblatio, diſtinguitur illic à ſacrificio: *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.*

Explicatur.

Hebr. 5.

Deinde indubitatum eſt maſculos, & feminas in veteri Teſtamento, peractis diebus purificationis matris, oblatos fuiſſe in templo Salomonis, & tamen nullus eſt hactenus qui dixerit, puerulos iſtos tunc temporis fuiſſe ſacrificatos, ſacrificio proprie dicto: ceteræ vero partes locum differentiæ obtinent.

Additur: *externa, & rei ſenſilis; permanentis*, ad hoc vt à ratione ſacrificij proprie dicti arceantur omnes actiones fidei, ſpei, charitatis, miſericordiæ, & ceterarum virtutũ, quod eſt diligenter obſeruandum, propter hæreticos, qui putant actum contritionis, laudationis, gratiarum actionis, pertinere ad ſacrificia proprie dicta: ex Dauide Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c. & ex illo D. Auguſt. cap. 6. lib. 10. de Ciuit. *Sacrificium verum*, inquit, *eſt omne opus quod agitur vt ſancta ſocietate Deo inhæreamus relatum ad illum finem boni, quò veraciter beati eſſe poſſimus.*

Pſal. 50.

D. Auguſt.

Erronea explicatio hæreticorum refellitur.

Oſeæ 6.

1. Reg. 15.

Pſal. 50.

Ceterum errant toto cœlo iſti, quia actiones virtutum ſeparantur à ratione ſacrificij in ſacris literis: Oſeæ quippe 6. dicitur à Deo: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, & 1. Regum 15. *Melior eſt obedientia, quam victima*, & Pſalm. 50. ſupra citat. *Si voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique holocauſtis non delectaberis*, ergo, &c.

Deinde, ſacrificium proprie dictum, *eſt actus elicitus virtutis religionis*, vt eſt in confeſſo apud omnes: actus vero ceterarum virtutum imperari quidem poſſunt à virtute religionis, minime vero ab eadem elici. Denique ſacrificium, vt ſic, poſtulat rem aliquam ſenſilem, & permanentem quæ dum ſacrificatur, vere mutatur, & deſinit eſſe, vt conſtat ex holocauſtis in lege Moſaïca, & probatum fuit Dubitatione proxime antecedente.

Rationes hæreticorum diluuntur.

Ad rationes vero hæreticorum. Reſpondeo, cor contritum nuncupari ſacrificium apud Dauid, non quidem proprie, ſed improprie: quatenus, ſcilicet ſacrificium dicit oblationem quamlibet Deo factam, etiamſi res iſtas oblata minime ſit vere ſenſilis, vel mutata per oblationem.

Digitized by Google

Ad D. Auguſt. vero. Reſpondeo, diſputare illic eum de ſacrificio improprie dicto, quod plurimum ſuum effectum conſequitur: gratiora ſiquidem interdum habet Deus ſacrificia improprie dicta, eo quod habeant ortum, ab homine grato, & accepto Deo, quàm ſacrificia proprie dicta: contingit enim hęc priuari ſuis effectibus propter peccata eorum, pro quibus offeruntur.

Adiicitur (*ritu myſtico conſecrata*) quia res quæ ſacrificatur ex prophana, fit ſacra, vt colligitur manifeſtè ex verbo, *ſacrificare*, quod idem eſt ac ſacrum facere. Deinde in veteri Teſtamento, quando ſacrificabatur, certis quibuſdam ceremoniis id fiebat, vt putat ex libb Leuit. & Exod. (*Falſa ſoli Deo*) quia licet abſolute ſacrificium proprie dictum alicui à Deo offerri queat, rite tamen, & ſine peccato nulli alteri à Deo id fit: & ità explicandus eſt D. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 5. *Sacrificium eſſe ab homine offertur, res tamen diuina eſt*, & cap. 19. *Non cadauerinis amoribus, ſed diuinis honoribus gaudent dæmones, quando eis ſolicet ſacrificatur.* & lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum, cap. 18. *Dæmon ſibi ſacrificium non exigeret: niſi hoc vero Deo deberi ſciret.*

Sequitur (*à legitimo miniſtro*) quia licet abſolute loquendo ſacrificium proprie dictum, poſſit eſſe ab homine, priuata authoritate, vt conſtat ex cap. 4. Genes. Abel enim & Cain illa ſacrificarunt, & quidem independenter ab authoritate publica; poſita tamen ordinatione diuina, vel humana, ſola publica perſona ſacrificium celebrare poteſt; quod eſt obſeruandum contra hæreticos noſtri temporis ſecùs ſentientes; dicitur enim Hebr. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, &c.* & rurſus. *Nemo aſſumit ſibi honorem, niſi vocatus à Deo, ſanquam Aaron.* & Pſal. 54. & Num. 16. Core, Dathan, & Abiron, deſcenderunt in infernum viuentes, quod poteſtatem ſacrificandi vſurparent, & ſecundo Paralipomenon 26. Ozias rex ob ſimilem culpam lepra commaculatur in fronte: Fauet & iſtis quod in veteri Teſtamento ſoli filij Leui officio ſacerdotis fungebantur, & in lege naturę, ſoli primogeniti: in ſtatu vero gratiæ presbyteri ab Epiſcopis ordinati. Contra hanc partem,

Obiectio. Obiiciunt hæretici: primæ Petri, cap. ſecundo de omnibus Chriſtianis, & Catholicis dicitur: *Gens ſancta, populus acquiſitionis, regale ſacerdotium:* & Apocalyp. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotium:* ergo miniſter ſacrificij proprie dicti non eſt perſona aliqua publica, ſed quilibet Chriſtianus.

Solutio. Reſpondeo, hoc argumento nihil plane probari: teſtimonia quippe iſta eodem modo docent Chriſtianos eſſe ſacerdotes, quo ſunt reges: indubitatũ autem eſt Chriſtianos non eſſe proprie reges, ſed eo ſolo nomine, quod quiſque ſibi imperet, liberéque exerceat, eliciatque quoſlibet actus honeſtos, non autem quod de facto detur in quolibet Chriſtiano authoritas regis: ergo ex iſtis locis ſolum colligere licet Chriſtianos quoſuis eſſe improprie ſacerdotes: ac proinde, poſſe tantum ſacrificia improprie dicta celebrare, qualia ſunt actus contritionis; ex Dauide, Pſalm. 50. laudationes, gratiarum actiones, Pſalmodiæ, & alia huius generis innumera. Ità reſpondent communiter Recentiores cum Baſilio.

Tandem ponitur (*ad noſtra infirmitatis, & diuina maieſtatis proteſtationem*) quia per illam particulam ſignificatur, quæ ſit ratio formalis conſtitutiua ſacrificij, in ratione ſacrificij proprie dicti: hæc enim eſt, ſignificare omnipotentiam diuinam ſecundum quam poteſt Deus omnia deſtruere, vel conſeruare: ità vt de ratione rei ſacrificatæ ſit, quod deſtruatur, & quòd ſignificetur ſupremæ illa poteſtas reſpectu cuiuslibet creaturæ, vnà cum ſubiectione creaturę ad Deum.

Aliorum definitio ſacrificij difficultatem patitur.

Alii vero ſacrificium proprie dictum, definiunt ratione formæ, *notam qua datur in re, per quam profitemur Deum eſſe auctorem necis, & vitæ pro ſuo nutu, & voluntate:* ratione vero materiæ dicitur ab eiſdem, *res quæ per ſuam mutationem Deo offertur, & dicatur:* ità multi recentiores.

Hæc tamen definitio vnicam difficultatem patitur nempe: Melchiſedech obtuliſſe verum ſacrificium in lege naturæ, vt probat Hieronym. in epiſtol. ad Euagrium 126. Certum autem eſt panem, & vinum ſacrificata à Melchiſedech non fuiſſe immutata, & illud idem eſt aſſerendum de panibus propoſitionis, qui tamen rationem ſacrificij habuerunt, vt conſtat ex Leuit.

Panis & vini Melchiſedech ſacrificij immutata.

Reſpondeo, indubitanter eſſe aſſerendum panem, & vinum ſacrificata à Melchiſedech fuiſſe vere mutata per actionem ſacrificandi: licet enim de hac re nihil habeamus in ſacris literis; id tamen facile colligitur ex iiſdem: fuerunt ſiquidem apud Iudæos, tria genera ſacrificiorum, holocauſtum, hoſtia pro peccatis, & hoſtia pacifica, quæ ratione materiæ interdum victimæ, immolationes, & denique libamina nuncupantur; holocauſtum autem totum comburebatur, vnde ob id dicitur *holocauſtum*, (quaſi totum vſtum:) hoſtia vero pro peccatis in duas diuidebatur partes. Prima dabatur Deo, & hæc tota comburebatur, altera verò cedebat in vſum ſacerdotis: hoſtia verò pacifica in tres partes ſecabatur. Prima in gloriam Dei conſumebatur, ſecunda ſacerdoti, tertia ei qui ſacrificium fecerat dabatur.

Tria genera ſacrificiorum apud Iudæos.

Ex iſtis ergo colligimus reliqua ſacrificia inter ſacrificandum fuiſſe mutata. Deinde, fatentur communiter Theologi, animalia fuiſſe à ſacerdotibus mactata: immolata vero, ſimiliter media aliqua actione contrita, & contuſa. Imò non deſunt qui exiſtiment panes omnes ſacrificatos in veteri Teſtamento, opera ſacerdotum fuiſſe concoctos in clibano: quare nihil vetat quominus etiam affirmemus, panem oblatum à Melchiſedech fuiſſe per aliquam veram actionem ab eo mutatum, libamina item fuiſſe aſperſa, & effuſa, patet ex his, quæ habentur in Leuitico, locis proxime citat. Vide plura de hac re apud interpretes D. Thom. tertia parte, quæſt. 84. & in 2. 2. quæſt. 85. & Abulenſem ad caput proxime citat.

ARTICVLVS

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus in hoc ſacrificio immoletur.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine Miſſæ ſignificetur, & ad quod idioma pertineat vox iſta.

Miſſa ſacrificium noua legis.

RESPONDEO, *Nomine Miſſæ ſignificari ſacrificium auguſtiſſimum noua legis quod conſurgit ex conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpecibus panis, & vini, oblatione, conſumptione, & Chriſti mortis repræſentatione*, hoc reſponſum conſtabit ex dicendis in ſequentibus.

Exploditur opinio Alberic.

Reſpondeo ſecundo, Albericum verbo *Miſſa*, putare nomen Miſſæ eſſe Græcum, quod ſignificat ex eius opinione interpellationem: Verum hæc opinio ab omnibus reprobatur: idque quod Græci ſacrificium Miſſæ λειθυργιαν & συναξιν hactenus vocarunt: numquam autem Miſſam.

Aliorum opinio.

Alij vero putant eſſe dictionem Hebræam, deriuatam à *Maſach*, cuius meminit cap. 12. Exod. & ſignificat panem azymum, mutata littera A, in I. quod facile contingit in pleriſque dictionibus.

Exod. 12.

3. Opinio.

Alij vero dicunt deriuari nomen hoc à *Miſſach*, cuius meminit cap. 17. Deuteron. ſignificatque oblationem, vel à *Miſſac*, iuxta cap. 15. Deuteron. quo loco denotat beneficium, ſeu ſubleuamen: ità vt exiſtiment Miſſam ideo donari hoc nomine, quod ſit libera, & ſpontanea oblatio, vel quod ſit beneficium, quo miſeria, & calamitas humana, mirum in modum ſubleuatur.

Deut. 15.

Obiectio.

Obiicies, ſi ità res haberet, dicendum eſſet *Miſſach*, cum aſpiratione. Reſpondeo, euphoniæ gratia aſpirationem eſſe prætermiſſam, quemadmodum in pleriſque aliis.

Obiectio 2.

Obiicies ſecundo, retenta fuiſſet hæc vox à Græcis quemadmodum *Hoſanna, Alleluja, Amen. Sabbaoth*, & ſimilia vſurpata à Latinis.

Solutio.

Reſpondeo, tam vere Latinos per ſeipſos potuiſſe vſurpare dictionem iſtam ex hypotheſi Hebræam, quàm retinuerunt Græci authoritate propria, nomina alia Hebræa, proxime commemorata.

4. Opinio.

Alij denique ſentiunt eſſe dictionem Latinam non tamen conuenit inter illos vnde petatur huius nominis deriuatio. Magiſter, diſtinct. 13. lib. 4. ſentit hoc nomine donari ſacrificium altaris, quod Angelus à Deo mittatur, ad hoc vt interſit ſacrificio, & ad nos Chriſtus diuina bonitate, & miſericordia: per conſumptionem vero ſpecierum conſecratarum mittatur à nobis Chriſtus ad Deum Patrem, quatenus officio mediatoris, nomine noſtro illic fungatur. Ceteri vero communiter, quod peracto Miſſæ ſacrificio populus dimittatur; ac proinde ab emiſſione nuncupatur ſacrificium hoc Miſſa: ità ſentiunt Iſidorus, Rupert. Hugo à ſancto Victore, Bellarmin. lib. 1. de ſacrificio, cap. 1. Suarez in 3. p. D. Tho. Vazquez & alij.

Vt Miſſa, eſt nomen Hebræum & Latinum.

Ex iſtis colliges, non eſſe abſurdum ſacrificium Miſſæ, donari nomine Hebræo & Latino ad ſignificanda myſteria diuerſa quæ in ſe continet, illo eodem modo, quo nomen (*Cephas*) ad ſignificandos varios effectus vſurpatum eſt à ſcriptoribus ſacris: Hebraice, ſiquidem ſignificat Petram; Græce vero caput: nomen autem *Cephas*, de Petro, ad exprimendam eius dignitatem eſt vſurpatum in ſacris literis. Idem docent de nomine *Paſchatis*, quod tranſitum, alias liberationem ſignificat.

Addo; vſum nominis Miſſæ eſſe quam maxime antiquum: huius enim meminit Clemen. Roman. epiſt. 2. *Non vtique miſſas, ſine eius ſcilicet Epiſcopi iuſſu, quiſquam presbyterorum agat*; & paucis interiectis, *in aliis locis ſacrificare & miſſas celebrare non licet*. & Euariſtus Papa, referente Burchardo, li. 3. ſui decreti cap. 27. *Omnes*, inquit, *Baſilicæ, cum Miſſa debent ſemper conſecrari*, & Gratiano, de conſecratione diſt. 2. ex eodem Pontif. can. In ſacramentorum, & canon. In nocte, ex Teleſphoro, de conſecrat. diſtinct. prima. *Nocte*, inquit, *ſanctæ Natiuitatis Domini ſaluatoris Miſſas celebrent*, & canon. Omnes, eadem diſtinct. nomen *Miſſæ* ſimiliter exprimitur ad ſignificandum auguſtum altaris ſacrificium: vtuntur, & hoc eodem nomine ad hanc eamdem rem demonſtrandam Ambroſius epiſtol. 33. ad Marcellinam ſororem ſuam. *Ego*, inquit, *manſi in numero, & Miſſam facere cœpi*. & D. Auguſtinus ſermone de tempore 91. & 251. his verbis. *In die verò nullius ſe à ſacra Miſſarum celebratione ſeparet, neque otioſus quis domi remaneat, ceteris ad Eccleſiam pergentibus, neque in venatione ſe occupet, & Diabolico mancipetur officio*, & paucis interiectis. *Adhuc quoque quod deteſtabilius eſt, ad Eccleſiam aliqui venientes, non intrant, non inſiſtunt precibus, non expectant cum ſilentio ſanctarum Miſſarum celebrationem.* & alibi ſæpe. Hieronym. ad cap. 11. Prouerb. *Mortui*, inquit, *iuuantur, & precibus ſuorum, & eleemoſynis, Miſſarumque celebrationibus.* Aliique innumeri adeò vt pudere debeat hæreticos noſtri temporis rem primis Chriſtianis notiſſimam, & ab illis ad nos tranſmiſſam negare, crederéque non eſſe verum & proprium ſacrificium. Quod multis aliis nominibus apud primos Patres nuncupatur: Tertullianus namque in lib. de orat. vocat ſacrificium Miſſæ, *communium Dominicum*, & libr. de fuga, *Dominica ſolemnia, Collectam diuinam*, lib. de corona militis. Cyprian. vero ſerm. de cœna Domini, *Myſteria diuina, ſacra officia, & ſacra myſteria*, epiſt. 68. & 77. *dicitur etiam vita, conſummatio, & perfectio ſacramentorum, omnium auguſtiſſima ſacroſancta, cœleſtia, & venerandiſſima myſteria*, apud alios.

Perantiquū Miſſæ vocabulum. Cle. Rom. Euariſt. Ambroſ. D. Auguſt. Hieron. Tertul. Cyprian.

DVBITATIO SECVNDA.

An in lege gratiæ detur verum & proprium aliquod ſacrificium.

PARTEM negantem tuentur hæretici noſtri temporis: contendunt enim Chriſtum nullum aliud celebraſſe, aut inſtituiſſe ſacrificium præter ſacrificium crucis. Quod probare contendunt ex illo Pauli, Hebr. 10. *Una oblatione conſummauit in æternũ*, &c. Certũ autem eſt ex litera Pauli, ſermonem inſtitui eo in loco de ſolo ſacrificio crucis Chriſti: igitur præter ſacrificium crucis nullum aliud eſt admittendum.

Hæreticorũ error & fundamentum. Hebr. 10.

CONCLVSIO. *In lege gratiæ datur verum, & proprium ſacrificium, diſtinctum à ceteris ſacrificiis legis Moſaïcæ, naturæ, & ſtatus innocentiæ, ſi*

Lex gratiæ habet diſtinctum ſacrificium.

Digitized by Google

perſeueraſſet. Hęc eſt de fide, definita in Conc. Trid. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. dicitur quippe illic, *Vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur*; & paucis interiectis ait, hoc ſacrificium eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, & duraturum in æternum, & c. 2. addit, eſſe diuinum, in eóque immolari totum Chriſtum, non minus quam in cruce. Ceterum modo incruento, & præterea eſſe propitiatorium: & canon. 1. eiuſdem ſeſſ. damnantur anathemate omnes, qui docent in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium ſacrificium, & can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium non eſſe propitiatorium, ſed eſſe nudam commemorationem ſacrificij, in cruce peracti, anathema ſit*: & in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnatur VViclef hoc nomine, quod negaret Miſſam eſſe verum, & proprium ſacrificium.

2. Deinde, ſancti Patres, vnanimiter affirmant Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, & celebraſſe proinde ſacrificium ſimile ſacrificio Melchiſedech: ità Cyprian. epiſt. Cyprian. 63. ad Cęcilium; *Quis*, inquit, *magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idē, quod Melchiſedech obtulerat, panem, ſcilicet, & vinum, ſuum corpus, & ſanguinem*: & paulò ante hoc idem probat, aſſeritque de huiuſmodi ſacerdotio quod eſſet futurum æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: & ſerm. de cœna Domini: *Perpes*, inquit, *eſt hoc ſacrificium, & ſemper permanens holocauſtū*, & D. D. Auguſt. Aug. ſerm. 11. de ſanctis: *Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt? quàm ſub illa area requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternū ſecundū ordinē Melchiſedech.*

1. Ratio concluſionis. Probatur tertio, rationibus: *Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, vt legis quoque tranſlatio fiat*, ex Paulo Hebr. 7. Hebræor. 7. at poſita Chriſti morte tranſlata fuit lex Moſaïca in legem gratiæ; vt conſtat ex innumeris locis ſcripturę, & fatętur ipſimet hæretici: ergo, & ſacrificium quoque tranſlatum fuit: ergo in noua lege datur verum, & proprium aliquod ſacrificium: vult enim Paulus hoc in loco, legem ſine ſacrificio ſtare non poſſe, nec è contrà ſacrificium ſine lege; ſunt quippe hæc tria ſacerdos, lex, & ſacrificium relata, quæ mutuo ſe ponunt & tollunt.

Effugium hæreticorū. Reſpondent hęretici, morte Chriſti abrogatum fuiſſe ſacrificium legis Moſaïcæ; & legem gratiæ fuiſſe ſubrogatam in eius locum, conſtaréque ſacrificio non ſenſili, ſed ſpirituali, cordis, ſcilicet contriti, gratiarū actionis, laudationis, & ſimiliū.

Præcluditur. Hebr. 7. Verum reſponſio hæc eſt omni ex parte impertinens: Paulus enim ait: *Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſſe, vt legis tranſlatio fiat*: at ſacerdotium cordis contriti, laudationis, & ſi quæ ſint alia, non fuerunt tranſlata per Chriſti mortem: hæc namque tam vere fuerunt in lege naturæ, & Moſaïca, quàm in noſtra; immerito ergo ad hęc confugiunt hæretici. Denique ſacrificium legis alicuius eſt ità proprium huic legi, vt nulli alteri competat, alioquin non bene Paulus diceret: *Tranſlato ſacerdotio*, &c. Sacrificium autem ſpirituale cordis contriti non fuit proprium legi Moſaïcæ.

2. Ratio. Secunda ratio: Sacrificium externum eſt ſummus, & ſupremus cultus Deo debitus: ergo ſi in lege gratię non datur ſacrificium proprie dictum, priuatur Deus ſummo cultu ſibi debito.

Secunda vero pars Concluſionis hac vnica ratione probatur: lex vna diſtinguitur ab alia per ſacrificium ſibi proprium, ex c. 7. Hebr. *Tranſlato ſacerdotio*, &c. at lex gratiæ diſtinguitur à lege naturali, & Moſaïca: ergo & ſacrificium ità communiter omnes hoc loco.

Conclvsio 2. *Sacrificium proprium legis Euangelicæ non eſt ſacrificium crucis Chriſti, vtſt volunt aliqui ex hæreticis.* Probatur 1. quia ſacrificiū crucis fuit vtile omnibus, & ſingulis mortalibus; non enim fieri poteſt vt quis conſequatur ſalutem ſine dependentia à valore ſacrificij crucis, ex illo: *Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Hebr. 10. at ſacrificium legis Euangelicæ ſolis Chriſtianis, & Catholicis conducere poteſt; præſupponit ſiquidem hoc baptiſmatis ſuſceptionem: ergo.

Miſſa non est ſacrificium crucis Chriſti. 1. Hebr. 10.

2. Deinde, ſacrificium coniunctum cum formali, & expreſſa mactatione, diſtinguitur ab eo in quo datur mactatio myſtica: at ſacrificiū crucis Chriſti eſt coniunctum cum vera, & formali mactatione, vt eſt per ſe notum: ſacrificium autem cœnę Chriſti habet admixtam mactationem myſtice tātum; putà, quia vi, & efficacia verborum ſacramentalium, ſub ſpecie vini ponitur ſanguis Chriſti: ſub ſpecie verò panis, corpus eiuſdem. Vnde quia hoc ſacrificium conſurgit ex oblatione corporis, & ſanguinis Chriſti, & conſumptione ſpecierum conſecratarum vnà cum repræſentatione Chriſti paſſionis, ideo myſticam mactationem eiuſdem Chriſti continet: igitur illa ſacrificia ex modo ſignificandi ad minus diſtinguuntur.

Obiectio. Dices, ſanctos patres aliquos affirmare, ſacrificium Melchiſedech & ſacrificium crucis Chriſti eſſe vnum, & idem: nomine autem ſacrificij Melchiſedech intelligunt ſacrificium cœnæ Domini.

Solutio. Reſpondeo, cum Trid. ſeſſ. 22. c. 2. *Vna*, inquit, *eadémque eſt hoſtia; idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa*: ac proinde volunt patres iſti cœnæ & crucis Chriſti ſacrificia eſſe vnum, & idē, quod attinet ad hoſtiam immolatam, & ad præcipuum, & principalem offerentem, qui eſt Chriſtus: non autem quod attinet ad ipſa ſacrificia in propria ſpecie ſpectata; diſtinguuntur enim hęc inter ſe ex modo offerendi, & ex diuerſis modis, quibus ſignificatur paſſio Chriſti in ſacrificio cœnæ. Trident.

Replica. Inſtabis, vnitatem ſacrificij repetendam eſſe ab vnitate cultus Dei exhibiti dependenter à virtute religionis: certum autem eſt eadem plane ratione fuiſſe perſolutum cultū Deo, dependenter à virtute religionis, & in cruce, & in cœna: ſacrificia quippe iſta eo nomine fuerunt à Chriſto celebrata, vt teſtaremur Deū eſſe ſimpliciter omnipotentem, ac proinde authorem necis, & vitæ pro ſuo nutu, & volūtate, & denique vt agnoſceremus ſubiectionem illam, quam dicit creatura ad Deum.

Reſpondeo, hoc argumento probari tantum ſacrificium crucis, & cœnę in ratione generica, eſſe vnum, & idem, quod nos vltro concedimus: in ratione tamen ſpecifica diſtinguuntur hæc duo inter ſe: nam ſacrificium crucis, vt ſic, ad alteram ſpeciem variam, & diuerſam à ſacrificio cœnæ pertinet; diuerſitas enim ſpecifica ſacrificiorum petitur à diuerſitate rerum, quæ ſacrificantur, vel à diuerſitate modi, quem retinemus inter ſacrificandū: modus autē ſacrificandi cœnæ Chriſti eſt omnino varius & diuerſus à modo ſacrificij crucis Chriſti, cùm hic ſit cruentus, ille autem incruentus: In ſacrificio autem Miſſæ continetur valor ſacrificij cruenti, & nobis applicatur dependenter à ſacrificio crucis, idque finita ratione,

Digitized by Google

Obiectio. Hebr. 5.

ne, licet valor ſacrificij crucis ſit ſimpliciter infinitus.

Obiiciunt denique Paulum cap. 5. Hebr. affirmare Chriſtum conſtitutum in cruce fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech: ergo ſacrificia illa non diſtinguuntur.

Soluſio.

Reſpondeo Paulum, non eſſe intelligendum de ſacrificio Melchiſedech præciſe ſumpto, quaſi voluerit Chriſtum ſacrificaſſe in ara crucis ſacrificio Melchiſedech: hoc enim patet manifeſte falſum eſſe, cum, ex eodem Paulo, Melchiſedech panem, & vinum ſacrificauerit: loquitur ergo Paulus de perſona Chriſti quatenus media humana natura ſacrificauit in cruce: de hac ergo perſona docet quod ſit ſacerdos ſecũdum ordiné Melchiſedec, quia potuit ſacrificare iuxta ordinem Melchiſedech, ſicut de facto ità ſacrificauit in cœna. Eſt præterea vere ſacrificans in ara crucis ſacrificio aliqua ex parte Aaronico: quod dico, quia certum eſt ſacrificium crucis non fuiſſe ſimpliciter, & abſolute ſacrificium Aaron, cùm hoc debuerit offerri tantũ à filiis Leui, vt cõſtat 3. Nu. Deinde, ſacrificium Aaronicum, nemini potuit conferre perfectam ſalutem ex cap. 10. Hebr. ſacrificium autem crucis omnibus vitam æternam, & remiſſionem peccatorum contulit, ex eodem cap. 10. dicitur ergo Aaronicum, hoc nomine, quod fuerit cruentum, & quod fuerit holocauſtum, hoſtia pacifica, & hoſtia pro peccatis, nobiliori, & perfectiori modo, quàm eſſent iſta ſacrificia in lege veteri, vt probat D. Thom. art. 2. q. 22. huius partis in corpore articuli.

Sacrificium crucis partim Aaronico ſacrificio ſimile.

Diſſoluitur hæreticorum fundamentum.

Ad rationem vero hæreticorum in principio allatam. Reſpondeo, Chriſtum medio ſacrificio crucis conſummaſſe redemptionem noſtram ſufficientiſſime, ac proinde nullum aliud eſſe neceſſarium ſacrificium ad rem iſtam producendam.

Ceterum, quia valor, & meritum iſtius ſacrificij crucis peruenire ad nos debet, & per media à Chriſto inſtituta: ideò concedendum eſt extare in Eccleſia ſacramenta aliqua, & item ſacrificium ab eo inſtituta, quibus gratiam, quam nobis promeruit Chriſtus in cruce, conſequamur; ſacrificium autem hoc dicitur à nobis ſacrificium Miſſæ, vt probabitur Dubitatione proxime ſequenti.

DVBITATIO TERTIA.

Quódnam ſit ſacrificium proprium, & peculiare legis Euangelicæ.

Lutherani & Caluiniſtæ.

LVtherani, & Caluiniſtæ, in ea ſunt hæreſi, vt credant nulla ratione eſſe ſacrificium, tantùm abeſt vt exiſtimẽt eſſe ſacrificium propriũ nouæ legis: hoc autem probare intendunt infinitis propemodum argumentis, quæ nos breuitati conſulentes ad quatuor capita reuocabimus.

1. Caput argumentorum hæreticorum.

Pſal. 109.

Ex primo ergo capite ſic argumentãtur. Chriſtus dicitur ſacerdos in ęternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, pſal. 109. ergo cum Chriſtus ſit ſacerdos ęternus, nullus alius dabitur ſacerdos pręter Chriſtum: ac proinde etiam nullum ſacrificium. Confirmant. Conditiones ſacerdotis noui Teſtamenti nulli alteri à Chriſto competere poſſunt: ità enim loquitur Paulus,

Hebr. 7.

Hebr. cap. 7. *Decebat, vt talis nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, immaculatus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus:* at conditiones iſtæ in nobis non reperiuntur: *Nemo*, quippe, *mundus à ſordibus, neque infans, cuius eſt vnius diei vita*

Iob. 7. ex verſ. 70.

ſuper terram. Denique, idem eſt mediator, & ſacerdos noui Teſtamenti: nam pertinet ad officium ſacerdotis interpellare, & ſacrificia pro peccatis populi offerre, ex doctrina Pauli in epiſt. ad Hebr. cap. 5. *Omnis Pontifex*, &c. at ſolus Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum, 1. Timoth. 2. *Solus accedit ad interpellandum per ſemetipſum pro nobis*, Hebr. 7. *Solus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi*, 1. Ioann. cap. 2, ergo nulli alij dari poſſunt proprie ſacerdotes.

Hebr. 5. 1. Tim. 2. Hebr. 7. 1. Ioann. 2.

2. *Caput.*

Secundo, probant hæretici, ex his quæ conueniunt Euchariſtiæ, vt eſt ſacramentum, ità ergo diſputant. Nihil eſt in Euchariſtia noſtra, quod non fuerit in Euchariſtia Chriſti; at tantum abeſt, vt hæc fuerit ſacrificium, vt etiam nullum veſtigium ſacrificij habuerit: nam Euchariſtia illa data fuit à Chriſto Apoſtolis per modum cibi, & potus tantùm, ex cap. 22. Luc.

2.

Deinde, non potuit habere rationem ſacrificij, niſi operatus quoque fuiſſet hac Euchariſtia ſalutem, & redemptionem noſtram, ſiquidem ſacrificium hoc æque gratum, & acceptum Deo extitiſſet: ac ſacrificium crucis, cum haberet ortum à perſona ſimpliciter Deo grata, infinita, & ſubſtantialiter ſancta, continerétque illam eamdem numero hoſtiam, quæ oblata fuit in ara crucis; at illatio maioris nullo modo defendi poteſt; cum ſit de fide Chriſtum conſummaſſe redemptionem noſtrã in ara crucis. Heb. c. 10. ergo. Prętereà, ſi Euchariſtia eſt ſacrificium, id eſt, vel ex eo quod conſummauerit redemptionem noſtram, vel quod merita ſacrificij crucis Chriſti applicauerit: primũ dici nequit, vt conſtat ex cauſa proxime explicata, quia non potuit Euchariſtia applicare meritum illius ſacrificij, quod nondum erat adimpletum; certum autem eſt mortem Chriſti poſteriorem fuiſſe inſtitutione ſacramẽti Euchariſtiæ. Deinde debuiſſet ſacrificium hoc cœnæ, repræſentare Chriſti mortem præteritam: at hoc dici nullo modo poteſt; ità namque ſignificatio iſtius ſacrificij fuiſſet falſa; & conſequenter ſacrilega. Ex hoc eodem capite diſputant ſecundo: In omni ſacrificio proprie dicto, deſideratur vera, & realis mactatio, propter hanc quippe cauſam dicuntur hæc ſacrificia victimæ: at in cœna, nulla fuit realis occiſio, ſed tantum myſtica, vt eſt per ſe notum. Denique ratio ſacrificij, & ſacramenti opponuntur inter ſe, vnde vni, & eidem rei minime competere poſsũt, vt conſtat ex definitionibus ſacramenti, & ſacrificij; at de fide eſt Euchariſtiam eſſe ſacramentum: ergo non poteſt ſortiri rationem ſacrificij.

Ex eodem 2. cap. aliud argument.

Ex tertio vero capite ità argumentãtur. Vbi datur remiſſio peccatorum, ibi nulla eſt neceſſaria pro peccatis hoſtia, Hebr. 10. & ibidem ſubiungitur; *Voluntariè peccantibus nulla relinquitur hoſtia pro peccatis*, & rurſus: *Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*: ergo, nullus dabitur ſacerdos, nullum item ſacrificium prætер ſacrificium crucis Chriſti, quia hoc toti mundo contulit remiſſionem peccatorum.

3. Caput argumentorum. Hebr. 10.

Denique, ſcripturę hoc aſſignant diſcrimen inter ſacerdotes veteris teſtamenti, & noui; quod illi fuerint neceſſario multiplicandi; propter conditionem mortalem, quæ in illis extitit: ſacerdos autem noui teſtamenti, non patitur multiplicationem, quod hic ſit immortalis. *Plures*, inquit, Paulus, *facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem, idcirco quod morte prohiberentur per manere, Chriſtus eo quod ma-*

Digitized by Google

proptie ſacrificium, hoc enim eſt, quod vere perſeuerat in Eccleſia Catholica.

Denique, hæc eſt expreſsa Patrum ſententia: Clem. Rom. lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 63. *Quam excuſationem afferre poteſt Deo, qui in hoc die, ſcilicet Dominico, non conuenit ad audiendum ſalutarem de reſurrectione ſermonem, in quo prophetarum lectio habetur, prædicatio Euangelij, & ſacrificij oblatio, atque ſacri cibi diſpenſatio?* & alij innumeri qui referuntur paſſim à Doctoribus.

Cle. Rom.

Hæreticorũ obiecta diſſoluuntur.

Ad rationes vero hæreticorum reſpondeo. Ad primam primi capitis ex eo loco Dauidis, ſolum poſſe colligi, nullum extare ſacerdotem præter Chriſtũ qui habeat ſacerdotium, & ſacrificium ſibi propriũ, & peculiare, quod nos vltrò concedimus: cum iſtis tamen recte cohæret, vt dentur aliqui ſacerdotes qui ſacrificium inſtitutum à Chriſto adminiſtrent; idque ordinatione, & conſtitutione ipſiuſmet Chriſti: hæc autem inſtitutio habetur expreſsè Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, per verba namq; hęc facti ſunt ſacerdotes Apoſtoli, & conſequuti ſunt poteſtatem offerendi, & conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, vt definit Trid. ac proinde ſacerdotes Teſtamenti noui per poteſtatem acceptam à Chriſto repetunt, & verè conficiunt ſacrificium incruentum, inſtitutum in cœna & ibidem celebratũ; ad eumdem modum, quo licet Chriſtus ſit author baptiſmi, Apoſtoli tamen, & ſucceſsores eorum poteſtatem habent baptizandi, & vere conferunt baptiſmum, quamuis Chriſtus ſolus ſit qui principaliter baptizat.

1.

Luc. 22.

2. Ad 2. Conditiones ſacerdotis, quas illic recitat Paulus, eſse conditiones non cuiuſlibet ſacerdotis, ſed illius tantum, qui ſibi propria & peculiari victima vult vere Deum placare; ità vt vel ex opere condignitatis, vel ex æquitate iuſtitiæ, vel ex vi ſuæ productionis non poſſit Deus non acceptare huiuſmodi victimam, talis autem ſacerdos fuit Chriſtus, verus Deus, & verus homo: hic namque propter vnionem hypoſtaticam fuit innocens, immaculatus, ſegregatus à peccatoribus, & ſubſtantialiter, nedum accidentaliter Deo gratus infinitè; ac proinde per propriam victimam, & ſibi peculiarem pro peccatis quorumcumque mortalium ſacrificauit, & obtulit hoſtiam ſufficientiſſimam Deo patri, quam non potuit non acceptare Pater, pro redemptione generis humani; iſtæ autem conditiones non ſunt neceſſariæ in his ſacerdotibus, qui & alienam hoſtiam, & per poteſtatem ſibi delegatam adminiſtrant, quales ſunt ſacerdotes noui Teſtamenti.

2.

3. Ad vltimam, mediatores alios eſse redemptionis, & interceſſionis ſimul; alios vero interceſſionis tantùm: teſtimonia ergo, quæ illic referuntur probant tantum ſolum Chriſtum eſſe mediatorem redemptionis, & interceſſionis ſimul quorumcumque mortalium; hic quippe ſolus *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*: non licet autem ex iſtis colligere ſacerdotes non eſse mediatores, interceſſionis tantum quando & ſacrificant nomine generis humani, & ſacramenta conficiunt, & preces in Eccleſia fundunt, tanquam miniſtri publici.

3.

Apoc. 1.

2. Capitis obiecta diſſoluuntur.

Ad argumenta ſecundi capitis reſpond. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorem; in actione quippe quam Chriſtus exercuit in cœna, apparent quædam manifeſta ſigna ſacrificij; ſacrificare namque eſt, *ex re prophana, ſacram facere*. Certum autem eſt panem, & vinum in rem ſacram fuiſſe conuerſa. Deinde, de fide eſt ſubſtantiam panis, & vini tranſijſſe in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti. Tertio, ex vi iſtorum verborum; *Hoc eſt corpus meum*, ponitur ſub ſpecie panis, ſolum Chriſti corpus: vi vero iſtorum: *Hic eſt calix*, &c. ponitur ſub ſpecie vini ſolus ſanguis Chriſti, vnde repræſentantur per actionem iſtam Chriſti, eius mors, & paſſio, quæ fuit vere ſacrificium: ergo cum inter rem ſignificantem, & ſignificatam debeat eſse ſimilitudo aliqua, actio quam Chriſtus exercuit in cœna erit ſacrificium; quemadmodum, & mors Chriſti.

A

Ad id vero, quod ſubiungitur, ex iſtis colligi ſacrificium hoc cœnæ, compleuiſse redemptionem generis humani. Reſp. hoc eſse falſum; idem ſiquidem eſt dicendum de hoc ſacrificio Miſsæ, quod de ceteris actionibus honeſtis, & liberis Chriſti, factis in hac vita ante ſuam mortem: conuenit enim inter omnes, actiones iſtas extitiſse Deo quã maxime gratas, & ſatis fuiſse ad generis humani redemptionem: quia tamen diuina ordinatione conſtitutum fuerat, vt redemptio illa, compleretur morte, & paſſione Chriſti, ideò per iſtas actiones non fuit completa generis humani redemptio: illud ergo idem eſt dicendum de hoc ſacrificio cœnæ; quod fuit infinitæ dignitatis, quodque eandem hoſtiam habuit, quam ſacrificium crucis.

B

Ad id vero quod ſubiungitur, ſacrificium hoc debuiſse repræſentare paſſionem Chriſti, vt perfectam. Reſp. hoc eſse veriſſimum, neque tamen propterea ſequitur repræſentationem iſtam eſse falſam, & ſacrilegam, quia fuit paſſionis Chriſti futuræ, ſicut modò eſt repræſentatio mortis præteritę.

C

Ad 2. Reſpon. ſacrificium proptie dictum non poſtulare mactationem formalem & expreſsam, ſed hoc tantum deſideratur in victima: nam immolatio & libamen fuerunt vera ſacrificia in veteri teſtamento, & tamen hæc non poterant vlla ratione mactari: imo addo, victimam non poſtulare mactationem formalem, ſed myſticam vel formalem; myſtica autem datur in ſacrificio cœnæ Chriſti.

2.

D

Ad vltimam. De vno, & eodem poſse dici, quod ſit ſacrificium, & ſacramentum: ſacrificium quidem vt eſt res nota, quæ eſt per quam ſignificamus, & proteſtamur Deus eſse authorem, & vitę, & necis: ſacramentum vero quatenus hæc eadem res eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: duæ autem iſtæ rationes formales, ſpeciebus conſecratis ſimul ſumptis recte conueniunt.

3.

3. Capitis obiectorum ſolutio.

Ad argumenta tertij capitis reſp. poſita remiſſione peccati non eſse amplius hoſtiam nouam neceſsariam ad peccati remiſſionem: & ità vna oblatione cruenta crucis Chriſtum compleuiſse redemptionem noſtram: Cetertùm quia fructus iſtius hoſtiæ debet ad nos peruenire per ſacramenta & ſacrificia, ideo dicimus de ſacrificio Miſsæ, quod detur in Eccleſia, & quod ſit ſacrificium, & ſacramentum.

E

Ad illud vero *(voluntariè peccantibus.)* Reſpondeo, explicari de baptiſmi iteratione: ità vt ſenſus ſit eum qui ſemel iuſtificatus eſt per baptiſmum, non poſſe per illum eumdem aliàs iuſtificari. Theodor. vero putat hoc eſſet intelligendum de Iudęis exiſtimantibus Chriſtum iterum venturum, ad hoc vt ſalutem eorum operetur.

Ad vltimam. Reſpondeo, aliud eſſe, quempiam eſse ſucceſſorem alterius, & aliud, eſse mi-

Digitized by Google

Sacerdotes non successores sed ministri Christi.

nistrum; qui enim successor est alterius, eandem habet cum eo potestatem, & authoritatem, qui vero minister est, caret authoritate superioris: hinc sacerdotes noui Testamenti, nulla ratione sunt successores Christi: hic enim est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, sed sunt tantum ministri eiusdem respectu administrationis sacramentorum, & confectionis augustissimi sacrificij Missæ, quocirca locus ille Pauli, nihil facit contra doctrinam Catholicam: nam sacerdotes veteris testamenti, alij, aliis successerunt, vere & proprie, quia æquales in potestate, ac proinde non eorum ministri qui præcesserant: sacerdotes autem noui Testamenti quotquot fuerunt personam ministrorum Christi reuera sustinuerunt, vt pote inæquales longe in potestate.

DVBITATIO QVARTA.

In quanam actione posita sit ratio sacrificij Missæ.

Multæ actiones in sacrificio.

CONVENIT inter omnes sacrificium Missæ repetendum esse ex actionibus, quas Christus exercuit in vltima cœna constitutus. Sed quia contingit sacerdotem inter celebrandum sacrificium Missæ, primo, offerre panem, & vinum, deinde, hæc duo consecrare. Tertio, consecrata offerre. Quarto, speciem panis diuidere, consecratam frangere, & partem aliquam speciei panis intrà calicem consecratum mittere, & denique sanctissimum sacramentum sumere, adstantibusque interdum administrare; ideo quæritur hoc loco, an in istis omnibus actionibus, vel in aliquibus tantum ex illis posita sit essentia sacrificij Missæ.

Sacrificium non est positum in oblatione.

CONCLVSIO 1. *Substantia, & integritas sacrificij Missæ, non est repetenda ex oblatione panis, & vini, quæ fit à sacerdote ante consecrationem.* Primo, quia Christus oblationem istam non retinuit, & tamen sacrificium Missæ, perfectũ, & completum obtulit.

Deinde, oblatio hęc introducta fuit authoritate Ecclesię ad hoc vt maiori cum directione & præparatione accederemus, ad confectionem sacrificij Missæ: ità sentiunt Alanus lib. 3. de sacrificio Missæ, cap. 18. & alij.

Oblatio non est de essentia sacrificij.

CONCLVSIO 2. *Oblatio quæ fit à sacerdote post consecrationem specierum panis & vini, nulla ratione pertinet ad essentiam, seu integritatem sacrificij Missæ.* Probatur primo, quia per oblationem istam, nihil plane fit circa species consecratas.

1. Deinde, oblatio hæc consequitur rationem orationis, & deprecationis extrinsecę, quæ secluso præcepto Ecclesiæ posset iterari frequentissime.

2. Tertio, non sunt hæc retenta à Christo inter sacrificandum in cœna: ac proinde creduntur ab omnibus introducta authoritate Ecclesiæ: certum autem est sacrificium Missæ, quoad suam essentiam, & integritatem nulla ratione pendere ab authoritate Ecclesiæ, sed à sola Christi institutione.

3. Denique, potestas consecrandi, & offerendi non sunt duæ res distinctæ inter se in sacerdote, sed vna, & eadem numero qualitas, seu character, vt conuenit inter omnes: ergo per illum eumdem numero actum quo sacerdos consecrat panem, & vinum, offert etiam sacrificium cœnæ Domini: ità communiter Recentiores.

Obiectio.

Obicies: De ratione sacrificij est, quod sit oblatio: imò sacrificium Missæ, censetur esse illud quod consurgit ex speciebus panis, & vini Deo oblatis.

Solutio.

Respondeo, hæc omnia esse indubitata; ceterum statuendum est oblationem istam non esse aliquid varium, & diuersum à consecratione panis, & vini, sed idem cum consecratione, ità vt hoc ipso quod sacerdos consecrat panem, & vinum, offerat etiam corpus, & sanguinem Christi Deo patri: est enim Christus terminus sacrificationis istius, ex vetiori sententia.

Notabile.

Aduerte, non esse necesse ad hoc vt aliquis vere sacrificet, quod proferat ista verba. *Offero, Sacrifico*, vel aliqua alia æquiualentia, neque necesse est, vt quis oblationem aliquam antecedenter vel consequenter celebret, respectu sacrificij Missæ: sed sufficit quod de facto consecret substantiam panis, & vini per verba à Christo instituta, &c. & quod huiusmodi species de facto sumat posteà.

Obiectio 2.

Obiicies 2. Tridentinum distinxisse potestatem offerendi, & consecrandi sess. 23. cap. 10. canon. 1.

Solutio.

Respondeo, hoc esse verum; ceterum id fecisse Concilium solius maioris explicationis gratia, non autem quod crediderit, potestatem offerendi, & consecrandi esse duas in sacerdote potestates realiter distinctas.

Secundo, licet negandum non sit quin potentia absoluta diuina, possint duæ istæ facultates ab inuicem realiter separari, de facto tamen sunt vna, & eadem entitas numero, Apostolis data, per hæc verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, ac proinde quoties consecrat sacerdos, offert simul, & sacrificat.

Nec fractio nec mixtio est de essentia sacrificij.

CONCLVSIO 3. *Fractio speciei panis consecratæ, & mixtio eiusdem intrà calicem, non sunt de specierum, essentia, neque integritate sacrificij Missæ.* quia D. Thom. art. 6. huius quæst. verbis expressis habet sacrificium Missæ non futurum mutilum, & tia sacrificium mancum; licet prætermissa fuerit fractio speciei *cij.* panis. 1.

2. Deinde, in Liturgia D. Basil. nulla fit mentio istius fractionis, licet secus habeat Liturgia D. Iacobi & Chrysostomi; ac proinde creditur actio introducta authoritate Ecclesiæ, in sacrificio Missæ perficiendo: & fractio panis, cuius meminit scriptura, non de specie panis consecrata, sed consecranda à Christo, videtur explicanda.

3. Denique docent Theologi inculpate posse fractionem prætermitti à sacerdote, si species panis, consecrata casu aliquo decidat in calicem consecratum: ità omnes communiter hoc loco & in 4. dist. 13.

Obiectio.

Dices, actiones has pertinere ad cultum Dei, & ex Concil. Ephesino significare Christi passionem resurrectionem, & ascensionem, ergo si consecratio pertinet, &c.

Solutio.

Respondeo, actiones istas præcise sumptas non significare Christi mortem, resurrectionem, & ascensionem, sed quatenus coniunguntur cum consecratione panis, & vini, & ità explicandum est Concil. Ephesinum.

2. Respondeo 2. pertinere actiones istas ad cultum Dei, non quidem ex institutione Christi: sed ex determinatione vniuersalis Ecclesiæ, ac proinde non pertinere ad essentiam, & integritatem istius sacrificij Missæ, quod à solo Christo fuit institutum.

Distributio sacramenti non est de essentia sacrificij.

CONCLVSIO 4. *Distributio sanctissimi sacramenti facta à sacerdote laicis inter sacrificandum*

Digitized by Google

non eſt de eſſentia ſacrificij Miſſæ, neque item de integritate eiuſdem. Primò, Concil. Trident definit Miſſas in quibus ſolus ſacerdos communicat, eſſe vera, & propria ſacrificia; ità ſeſſ. 22.

1. 2. Deinde, dicit anathema idem Concil. illis omnibus, qui offerre dicunt, nihil aliud eſſe, quam nobis dare ad manducandum corpus Chriſti.

3. Tertiò, ſacramentum altaris, eſt verum ſacramentum extra omnem vſum: ergo erit etiam ſacrificium Miſſę verum ſacrificium, etiamſi ſpecies panis conſecrata, non fuerit data audientibus Miſſam, à ſacerdote celebrante.

4. Quartò, ratio ſacrificij Miſſæ à ſolo ſacerdote celebrari poteſt; eſt enim ſolius ſacerdotis ſacrificare, cum ſacrificium, & ſacerdotiũ ſint relata, ex communi doctrina: at diſtributio ſanctiſſimi ſacramenti, etiam dum ſacerdos celebrat, legitimè fieri poteſt ab eo qui non eſt ſacerdos, nempe à Diacono ex cauſa iuſta; imò noſtris temporibus Diaconus qui adeſt Pontifici Max. facienti ſacrum ritu ſolemni, ſpeciem vini illi porrigit, & hoc etiam familiare fuit temporibus primitiuæ Eccleſiæ in illis Eccleſijs, in quibus vſus communionis ſpeciei panis, & vini fuit introductus.

Vlt. Denique, participatio victimæ factæ à populo, ſemper fuit celebrata poſt ſacrificium completum, & peractum.

Conſecratio ſpecierũ eſt de eſſentia ſacrificij.

CONCLVSIO PENVLTIMA. *Conſecratio ſpecierum panis, & vini eſt de intrinſeca ratione ſacrificij Miſſæ.* Probatur primò: Chriſtus ſacrificauit per actionem conſecrationis, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & 3.

1. 2. Deinde, paſſio Chriſti repræſentatur per conſecrationem panis, & vini, myſtica ratione: nam quemadmodum ſanguis Chriſti in paſſione ſeparatus eſt ab eius corpore, ità & vi verborum iſtorum; *Hoc eſt corpus meum:* ponitur ſolum corpus ſub ſpecie panis, & vi iſtorum; *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ponitur ſolus ſanguis ſub ſpecie vini: ergo cum actio repræſentatiua paſſionis Chriſti pertineat ad naturam ſacrificij Miſſę, conſecratio erit de eſſentia Miſſæ.

3. Tertiò, ſacrificium Miſſæ conſtituitur maximè in eſſe ſacrificij Euangelici per eam actionem, quæ competit maximè Chriſto: eſt enim Chriſtus præcipuus offerens, & ſacrificans in hoc ſacrificio ex doctrina D. Thom. art. 1. huius quæſt. & art. 10. quæſt. 82. & ex alijs in 4. diſt. Pſal. 109. 13. & colligitur ex pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum*, &c. nedum, quia Chriſtus ſacrificium hoc inſtituit; vt putat Vazquez, ſed quia vtitur ſacerdote tanquam miniſtro: atqui actio præcipua quæ fit in hoc ſacrificio, quàm maximè conueniens Chriſto, eſt actio conſecrationis: hæc namque præſupponit omnipotentiam in ipſo, vt eſt per ſe notum; neque fieri poteſt, vt ſubſtantia panis, & vini, mutetur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti virtute verborum ſacramentalium, niſi detur vis infinita in eo, qui vtitur verbis huiuſmodi ad effectum hunc producendum: ergo.

4. Quarto, conſecratio reſpicit primum & præcipuum munus ſacerdotis; omnis enim poteſtas quam habet ſacerdos in corpus Chriſti myſticum, præſupponit poteſtatem quam hic idem habet in corpus Chriſti verum; ex communi opinione Theologorum: ergo cum poteſtas in corpus Chriſti verum executioni mandetur per conſecrationem; hæc erit de eſſentia ſacrificij Miſſæ.

Respondent authores contrariæ ſententiæ, rationibus iſtis probari tantùm conſecrationem antecedenter deſiderari, ad ſacrificium Miſſæ perficiendum: non autem intrinſecè, & eſſentialiter; nam quod præcedit ſacrificium Miſſæ, nequit eſſe de eius eſſentia: at conſecratio præcedit ſacrificium Miſſę illo eodem modo, quo incarnatio præcedit ſacrificium crucis, & productio agni Paſchalis, immolationem eiuſdem. *Solutio contrariorum.*

Sed contrà, nam falſum eſt, conſecrationem eodem modo ſe habere ad ſacrificium Miſſæ, quo ſe habet incarnatio ad ſacrificium crucis, aut vt generatio agni, ad ipſius immolationem: Chriſtus ſiquidem quatenùs homo viuus, fuit materia ſacrificij cruenti crucis, & item agnus Paſchalis materia immolationis; ac proinde prius debuit Chriſtus eſſe in propria exiſtentia, & item agnus Paſchalis, quàm potuerint ſacrificari; vt vero eſt ſub ſpeciebus conſecratis, non eſt materia ſacrificij Miſſæ, & ideo non præſupponitur exiſtens ſub iſtis ſpeciebus ad hoc vt immoletur, ſed eſt terminus ſacrificationis, & immolationis incruentę; ac proinde per ipſammet conſecrationem conſtituitur, & immolatur ſub ſpeciebus conſecratis. *Reſtituitur.*

Obijcies, ſine conſecratione ſacrificium Miſſę conſurgere poteſt, in die quippe paraſceues Eccleſia vere ſacrificat, vt colligitur clare ex illis precibus, quę dicuntur eo die à ſacerdote, *Orate pro me fratres, vt meum, ac veſtrum ſacrificium*, &c. & ex iſtis, *Suſcipe ſancte Pater ſacrificium:* & ex D. Auguſt. epiſt. 118. quo in loco, ait Eccleſiam omni plane die ſacrificare, & in Concil. Laodiceno, cap. 49. & in 6. Synodo dicitur verbis expreſſis eo die Eccleſiam offerre: ergo cum indubitatum ſit conſecrationem non fieri in die veneris ſancto à ſacerdote, conſecratio non erit de eſſentia ſacrificia Euangelici. *Obiectio.* Canon Miſſę.

Reſp. Eccleſiam in die veneris ſancto, non offerre ſacrificium incruentum, vt admonet D. Thom. art. 2. ad 2. idque quod paſſio Chriſti myſtica & expreſſa, vno, & eodem die celebraretur. Deinde, quia de ratione ſacrificij Euangelici eſt, vt perficiatur ſub ſpeciebus panis, & vini: certum autem eſt ſacerdotem non attingere ſpeciem vini eo die, ſed tantum ſolam ſpeciem panis conſecratam die proxime antecedente. Ad teſtimonia vero contraria reſpondeo, nihil plane probare: non enim dicitur in illis ſacerdotem ſacrificare ſacrificio propriè dicto; ſed tantum ſacrificare, & offerre; voces autem iſtæ dicuntur de omni plane oblatione propria, & impropria, quare voces illę ſumuntur illic impropriè; ità vt ſignificent quodlibet ſacrum myſterium Deo oblatum, non autem ſacrificium propriè dictum. *Solutio.* *Diſſoluuntur obiecta.*

CONCLVSIO VLTIMA, *Sumptio ſpecierum conſecratarum, quæ fit à ſacerdote inter celebrandũ, eſt de intrinſeca ratione ſacrificij Miſſæ.* Probatur primo, quia de natura, & eſſentia rei ſacrificatę eſt, vt mutetur, & eſſe deſinat vel ſecundum ſe totam, vel ex parte aliqua; at Chriſtus ſine ſumptione non deſinit eſſe ſub ſpeciebus conſecratis. *Sumptio ſpecierum à ſacerdote eſt de ratione ſacrificij.* 1.

Reſpondent, ſatis eſſe ad hoc vt aliquid rationem ſacrificij conſequatur, quod res oblata eſſe deſinat myſticè, Chriſtus autem ex vi ſolius conſecrationis myſtice eſſe deſinit; ſeparatur enim ſanguis à corpore vi verborum conſecrationis. *Solutio contrariorum.*

Digitized by Google

Enervatur. Ceterùm, hæc reſponſio non ſatisfacit; illud namque eſt dicendum de re ſacrificata in Miſſa, quod de rebus ſacrificatis in veteri Teſtamento, & in ara crucis, cum ſacrificium Euangelicum in ratione ſacrificij conueniat perfectiſſime cum ceteris ſacrificijs, vt holocauſtis, hoſtia pacifica, hoſtia pro peccatis, quæ fuerunt ſacrificia veteris legis, quæ fuerunt mutata verè, & realiter in ſeipſis: ergo mutatio myſtica non erit ſatis, ſed deſiderabitur vlterius deſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, ad veritatem ſacrificij Miſſæ.

Probatio 2. Probatur 2. Sacerdos tenetur vtramque ſpeciem conſecrare, & vtramque ſumere inter ſacrificandum; nedum iure humano poſitiuo, ſed etiam diuino, ex veriori ſententia, quod ius licet non ſit formaliter expreſſum in ſacris literis, tamen colligitur ex obligatione intrinſeca ſacrificij Miſſæ: ergo ſumptio erit eſſentialis ſacrificio. In hac ſententia eſt clarè Concil. Toletanum XII. cap.5. dicitur quippe illic repugnare ſacrificij naturæ res oblatas, & conſecratas non ſumi à ſacerdote ſacrificante: *Quale*, inquit, *erit ſacrificium, cui nec ipſe ſacerdos particeps eſſe dignoſcitur?* D. Auguſt. 17. de Ciuit. vbi ait, manducare panem, ſacrificium Chriſtianorum eſſe, &c. fauet Concil. Neocæſarienſe, vocat enim communicare, offerre, cap. 13. & D. Thom art. 6. præcipit, quod ſi venenum intrà calicem conſecratum ceciderit; ac proinde nequeat ſumi ſpecies conſecrata vini, ſumatur à ſacerdote aliud vinum, quod conſecret, vt illud ſumere poſſit: reddit autem cauſam iſtam; *Ne*, inquit, *ſacramentum remaneat imperfectum:* ità ſentiunt verbis expreſſis Sotus in 4. diſt. 15. Henricus lib.6. Summæ Moralis, cap.9. Bellarm. lib.1. de ſacrificio Miſſæ, cap.7.

Notabile. Aduerte, non eſſe negandum quin in ſola conſecratione potuerit inſtitui & perfici ratio ſacrificij Miſſæ: tota namque ratio iſtius rei repetenda eſt ex inſtitutione, ſeu voluntate Chriſti: de facto tamen ſacrificium hoc conſurgit eſſentialiter ex conſecratione aliarum ſpecierũ; ſi tamen contingat defendere nos rationem ſacrificij conſiſtere in ſola conſecratione, negandum erit pertinere ad naturam, & eſſentiam rei ſacrificatæ, quod mutetur in ſe vere, & realiter, ſed ſufficere quod ſacrificata mutetur myſtice, vel in ſe realiter.

Obiectio. Obijcient contra vltimam Concluſionem, authores illi qui putant in conſecratione ſola conſiſtere rationem ſacrificij Miſſæ; ſancti Patres conſecrationem appellant oblationem, & ſacrificationem: ergo &c.

Solutio. Reſpondeo, ex hoc antecedente nihil colligi: non enim dicunt Patres iſti, conſecrationẽ ſolam eſſe oblationem ſacrificij Miſſæ. Deinde, conſecratio reſpicit intrinſece poſitionem corporis Chriſti & ſanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini, ac proinde ordinatur hæc ad ſumptionem intrinſece; nam ratio cibi & potus competit intrinſece ſacramento Euchariſtiæ; ex cap.6. Ioan. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. ergo, cùm ſacramentum nunquam perficiatur ſine ſacrificio, ſacrificium hoc, nedum dicet conſecrationem, ſed etiam ſumptionem ſpecierum conſecratarum.

Obiectio 2. Obijcies 2. Chriſtum eſſe præcipuum offerentem in hoc ſacrificio; ac conſequenter rationem ſacrificij iſtius poſitam eſſe in actione aliqua, quæ ſit maxime propria Chriſto: talis autem eſt conſecratio: ſumptio vero ſpecierum conſecratarum, nulla ratione competit Chriſto, ſed ſoli ſacerdoti ſumenti ſpecies.

Solutio. Reſpondeo, Chriſtum eſſe quidem præcipuum offerentem, non tamen proximum, & immediatum, ſolus ſiquidem ſacerdos eſt, qui proxime, & immediate ſacrificium Miſſæ perficit, & ideò in actionibus ſacerdotis, recte collocatur ratio ſacrificij Miſſę; præſertim cum conſecrationis cauſa præcipua, & principalis ſit Chriſtus, & intrinſece, & eſſentialiter ordinetur hęc conſecratio ad ſumptionem ſpecierum conſecratarum ex Chriſti inſtitutione.

Obiectio. 3. Obijcies denique, D. Th. art.4. huius quæſt. & art.4. antecedentis affirmare conſecrationem eſſe ſacrificium Miſſæ; cetera vero quę dantur in Miſſa, referri ad honorem Dei, & eſſe preces ordinatas ad hunc finem, vt dignetur Deus acceptare huiuſmodi ſacrificium, & præterea facere, vt hoc ſit vtile hominibus. Reſpond. ex iſtis nihil plane poſſe colligi, neque enim aſſerit D. Thom. ſolam conſecrationem eſſe totum ſacrificium Miſſæ. Deinde, quia mens D. Thom. eſt ſolam conſecrationem eſſe præcipuam actionem, per quam victima huius ſacrificij conſtituitur præſens, ad hoc vt de facto immoletur.

Solutio. Aduerte autem ſacrificium debere eſſe ſenſile: atq; ità concedendũ eſſe de conſecratione quod ſit ſenſilis: ſentitur autem hæc, non quidem ratione effectus, ſed ratione verborum, quibus conſecratio hæc perficitur.

DVBITATIO QVINTA.

An ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium, ſeu expiatorium, & impetratorium.

Hæreſis Caluiniſtarum, & fundamentum. COMMVNE eſt omnibus Hæreticis huius temporis, hac ſtante hypotheſi, quòd Miſſa ſit ſacrificium, eam nulla ratione expiare peccata, ac proinde neque eſſe ſacrificium propitiatorium. Nituntur hoc vnico argumento: Vbi datur remiſſio peccati pleniſſima, & perfectiſſima, illic nulla relinquitur hoſtia pro peccatis, ex 1. Hebr. at per ſacrificium crucis Chriſti, peccata quælibet fuerunt ſimpliciter & abſolute remiſſa, ex illo Hebr.10. *Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos:* ergo nullum dabitur ſacrificium propitiatorium. Hebr.10.

Sacrificium Miſſæ propitiatorium. 1. CONCLVSIO 1. *Sacrificium Miſſæ eſt verè & propriè propitiatorium, & expiatorium.* Primò, quia D. Paulus de quolibet ſacrificio proprie dicto fatetur, quod ſit propitiatorium pro peccatis. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Hebr. 5.

2. Deinde; de ſacrificio Miſſę, dicitur Luc.22. & 1.Corinth.11. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Luc. 22. 1. Cor. 11.

Tertiò, res hæc definita fuit in Concil. Trident. ſeſſ.22. cap.2. *Sancta*, inquit, *Synodus docet ſacrificium hoc verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno: huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* &c. can. 3. citato idem aſſerit, & antèà ab Alex. III. epiſt. 1. Trident.

Digitized by Google

epiſt. 1. ad orthodoxos, & à Iulio epiſt. ad Epiſcopos Ægypti.

4. Chryſoſt. Quartò, ità docent Patres: Chryſoſtomus in liturgia ſua his verbis. *Emitte ſpiritũ tuũ ſuper nos & ſuper propoſita dona hæc, & ſacpanem quidem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, & quod eſt in Calice iſto pretioſum ſanguinem filij tui in remiſſionem peccatorũ.* Baſilius. Hierony. Eadem habet Baſilius in liturgia etiam. Hierony. ad cap. 1. epiſt. ad Titum. *Si laïcis*, inquit, *imperatũ eſt, vt propter orationem ſe abſtineant, ab vxorum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas?* loquitur autem illic de ſacrificio Miſſæ.

5. Quintò, accedit ratio Concil. Trident. loco citat. In ſacrificio Miſſæ eſt idem offerens, & eadem hoſtia quæ fuerunt in ſacrificio Crucis; & fructus huius ſacrificij peruenit ad nos vſque, per ſacrificium Miſſæ; at ſacrificium crucis fuit verè propiatorium: ergo idem dicendum erit de ſacrificio Miſſæ.

Denique, quod conuenit ſarrificijs legis naturalis & Moſaïcę, conuenit & ſacrificio legis Euangelicę: hoc enim nobiliori ratione habet perfectionem, quæ fuit in illis, ex doctrina ſanctorũ Patrũ, quos ſupra citauimus; at certum eſt ſacrificia legis naturalis & Moſaïca fuiſſe expiatoria peccatorum, ex cap. 1. Iob. dicitur enim illic; *Iob obtuliſſe holocauſtum ſingulis diebus pro peccatis ſuorum filiorum*; hic autem vixit in lege naturali: & ex 45. 46. 47. Leuit. vbi fit mentio ſacrificiorum pro peccatis Iudæorum. Iob. 1. Leuit.

Quæ ratione propitiatorium Miſſæ ſacrificium. Cum autem diximus ſacrificium Miſſæ, eſſe propitiatorium pro peccatis, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus illud proximè, & immediatè per ſeipſum remittere peccata, illa eadem ratione, qua faciunt ſacramenta baptiſmi, & penitentię; non enim ſacrificium Miſſæ applicatur nobis illa eadem ratione, qua ſacramenta: remittit ergo peccata huiuſmodi ſacrificium, quod impetret nobis ſufficientem diſpoſitionem: putà contritionem, & penitentiam, per quam volumus de facto conſequi ſacramentum aliquod: ità docent omnes, quod ipſum ratio ſuadet; nam eodem plane modo debet in nobis remittere peccata efficaciter ſacrificium Miſſæ, quo remiſit ſacrificium crucis, cùm ſufficienter ſacrificium Miſſæ nobis applicet valorem ſacrificij crucis; at hoc eatenus nobis remittit peccata, quatenùs impetrauit nobis omne donum neceſſarium ad remiſſionem peccatorum: ergo idem præſtabit Miſſæ ſacrificium.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi ſacrificium Miſſæ eſſe tantùm impetratorium; non autem propitiatorium pro peccatis. *Reſp.* nunquam eſſe concedendam illationem iſtam; de fide quippe eſt ſacrificium eſſe propitiatorium pro peccatis: ità definit Trident. loco cit. Deinde, ſacrificium idem dicitur impetratorium, quod impetret quælibet bona neceſſaria ad vitam æternam, præſcindendo à remiſſione peccatorum: propitiatorium verò, ſiue expiatorium, quod ordinetur ad remittenda peccata, quocumque modo id contingat: propitium nempe & placatum reddendo Deum. *Soluțio.*

Notabile. Aduerte, peccata venialia eodem plane modo remitti per ſacrificium Miſſæ, quo mortalia; ac proinde nunquam hæc venialia condonantur nobis, medio hoc ſacrificio, niſi celebratio huius ſacrificij fuerit ordinata ad delectionem venialium & conſequenter, niſi detur aliquis actus in nobis, qui opponatur iſtis actibus mortalibus, vel ratione ſui ipſius, vel ratione alterius. Sunt tamen nonnulli qui exiſtimant peccata venialia deleri dignitate ſacrificij Miſſæ, nullo alio actu interueniente in eo, in quo dantur peccata huiuſmodi venialia. Ceterùm contraria opinio eſt tutior; non enim iuſtificat Deus quempiam, niſi ſuppoſito aliquo actu libero, ex parte illius qui iuſtificatur ex illo D. Auguſt. *Qui fecit ſine te, non iuſtificabit niſi volentem.*

Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium pro pœnis. Conclvsio 2. *Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium pro pœnis peccatis debitis:* ità Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. can. 3. D. Th. quæſt. 79. huius partis, art. 5. & 7. Bellarm. lib. 1. de Miſſa. Accedit ratio. 1. de ratione ſacrificij propitiatorij eſt, nedum remittere culpam, ſed etiam pœnam: hæc namque duo reperiuntur in omni plane peccato; dicitur autem de ſacrificio propitiatorio, quod deſtruat omne peccatum. Deinde, de fide eſt animas defunctorum iuuari ſacrificio Miſſæ; at peccata mortalia non poſſunt omnibus iſtis remitti; neque item venialia, ex quorumdam opinione (putant enim remitti omnia peccata venialia, in eo qui moritur in gratia, per actum acceptationis mortis, vel contritione, vel dilectione Dei ſuper omnia) ergo remittit ſacrificium Miſſæ in iſtis ſolam pœnam. Trident.

Sacrificium eſt impetratorium. Conclvsio vltima. *Sacrificium Miſſæ nedum eſt propitiatorium, ſed etiam impetratorium:* ità Trident. loco cit. Deinde, non eſt negandum ſacrificio Miſſæ, quod eſt tributum ſacrificiis veteris legis Moſaicæ, & item naturalis: cùm doceant Patres omnem perfectionem quæ fuit in iſtis ſacrificiis, reperiri in ſacrificio Miſſę, nobiliori, & perfectiori modo, ità Chryſoſt. in in pſal. 59. Leo ſerm. 8. de paſſione, & alii plerique at ſacrificia legis naturalis fuerunt impetratoria, vt conſtat ex cap. 10. & 43. Iob. & ex cap. 7. Leuit. & ex vltimo lib. 2. Regum.

Quæſtio excitatur. Rogabis, *Quánam ratione ſacrificium Miſſæ effectus ſuprà commemoratos producat in nobis.*

Reſoluitur ex opere operato Miſſam attingere ſuos effectus. Respond. *Eos attingere ex opere operato, non verò ex opere operantis*, id eſt, dependenter à Chriſti meritis, non verò à meritis ſacerdotis ſacrificantis: ità fatentur authores multi contra, Caietanum, & alios nonnullos. Deinde, ſacrificium Miſſę eodem planè modo operatur, quo ſacramenta à Chriſto inſtituta (ceteris tamen paribus) at Trident. ſeſſ. 7. definit ſacramenta nouæ legis ex opere operato conferre gratiam: ergo idem facit Miſſę ſacrificium. 1. 2. Trident.

Tertiò, Conuenit inter omnes Miſſam ſacerdotis mali, non minùs conducere, quàm faciat Miſſa ſacerdotis boni, ei qui curat huiuſmodi celebrari: at ſi ſacrificium Miſſę vim ſuam conſequeretur ex opere operantis, maior hæc nullo modo ſuſtineri poſſet; nam ex opere operantis ſacrificium Miſſę celebratum ab homine iuſto, plus iuuat, quàm faciat celebratum ab homine conſtituto in peccato mortali omnium conſenſu: ergo, 3.

Conducit ad bona ſpiritualia & temporalia impetrãda. Aduerte, ſacrificium Miſſę nedum conducere ad commemorata conſequenda, ſed etiam ad quęlibet bona ſpiritualia impetranda, vt docet Concilium Trident. cap. 2. ſeſſ. 22. citatę in ſuperioribus: Clem. Roman. lib 8. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 18. Iuuat præterea ad bona temporalia impetranda, non quidem per ſe, ſed per accidens; quatenùs ſcilicet bona iſta temporalia Trident. Clemens.

Digitized by Google

conducunt ad vitam æternam obtinendam: ità A
Cyrillus Hieron. Cyrillus Catecheſi 5. myſtagogica. *Deinde, verò*, inquit, *quàm confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro ſocijs, pro agrotis, & afflictis, & in ſumma pro ijs omnibus qui egent auxilio. Rogamus te*, inquam, *nos omnes, & hoc ſacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt.* Deinde, poſſunt hæc bona temporalia, media oratione de Deo acceptari, vt author eſt D. Auguſt. epiſt. 121. Chryſoſt. homilia 20. in Matth. D. Thom. quæſt. 85. art. 3. in 2. 2. & in
Proue. 30. 4. diſt. 15. & colligitur ex cap. 30. Prouerbiorum: ità enim orat Salomon: *Diuitias, & mendicitatem ne dederis mihi*, &c. at ſacrificium Miſſę quatenùs impetratorium eſt, conſequitur aliquo modo rationem orationis: igitur.

Offertur pro omnibus exceptis excommunicatis. Aduerte denique, ſacrificium hoc poſſe offerri pro quibuſuis mortalibus, (ſolis excommunicatis exceptis) idque propter prohibitionem Eccleſię; poteſt tamen ſacerdos in priuata illa oratione, quam perficit ante recitandum *Memento*, orare pro excommunicatis, ſecluſa omni culpa: ità Nauarra, & alij.

Fit ſatis fundamento hæreticorũ. Ad rationem vero Hæreticorum, reſponſum eſt aliàs, fructum ſacrificij cruenti Chriſti peruenire ad nos per ſacrificium Miſſæ, & per ſacra- C
menta à Chriſto inſtituta; idque ex ordinatione eiuſdem, ac proinde nullam irrogari iniuriam per ſacrificiũ cœnæ Domini, ſarificio crucis Chriſti.

DVBITATIO SEXTA.

An vtraque ſpecies panis, & vini ſint de ratione intrinſeca huius ſacrificij.

Veriuſque ſpeciei conſecratio eſſentialis ſacrificio. CONCLVSIO *affirmatiua*: diximus enim cõſecrationem panis, & vini, & ſumptionem iſtarum duarum ſpecierum perficere naturam, & eſſentiam huius ſacrificij. Deinde, Miſſæ ſacrificium eſt eiuſdem rationis cum ſacrificio Melchiſedech; *Tu es ſacerdos*, &c. at Melchiſedech ſimiliter panem, & vinum obtulit. *Geneſ.* 14.
Pſal. 109.
Geneſ. 14. Tertiò, ſacramentum altaris completum, & integrum, non datur ſine ſpeciebus panis, & vini ſimul: verior eſt ſiquidẽ opinio eorũ, qui putant Pontificem MAX. non poſſe diſpenſare cum ſacerdote, ad hoc vt in vna tantum ſpecie conſecret, idque quod de iure diuino ſit, ſacramentum Euchariſtiæ nuſquam confici, niſi ſacrificando: ex inſtitutione autem Chriſti conſtat vtramque ſpeciem eſſe conſecrandam, & prætereà ſumendam, ex Luc. 22. *Bibite ex eo omnes, accipite & comedite*,
Luc. 22. &c. Ità D. Thom. quæſt. 80. art. 12. ad 1. & 2.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, vnum neceſſariò ſacrificium E
Miſſæ, eſſe illud quod celebratur ab vno ſacerdote, in ordine ad duas ſpecies panis, & vini, conſecrandas, & ſumendas ſimul; ſimultate non quidem phyſica, ſed morali: cùm vnitas huius ſacrificij deſumenda ſit ab vnitate termini producti per conſecrationem.

DVBITATIO SEPTIMA.

An valor ſacrificij Miſſæ ſit infinitus.

Caietani opinio & fundamẽtũ. CAIETANVS, Paludanus, aliíque nonnulli putant partem affirmantem eſſe indubitatam, ſdque quod dignitas, ſeu valor cuiuſlibet ſacrificij petatur à dignitate ſacerdotis celebrantis, & ab hoſtia quę immolatur; at ſacrificans præcipuus, & principalis eſt Chriſtus, itémque res oblata, quę ob dignitatem ſuppoſiti diuini, eſt infinita: ergo & valor erit infinitus.

Reſponſio communis impugnatur. Dices, dignitatem ſacrificij repetendam eſſe à præſtantia non ſacerdotis præcipui, & principalis, ſed proximi, & immediati; hic autem non eſt infinitus, eſt enim creatura pura.

Sed contrà, abiectio, & vilitas perſonę miniſtri ſacrificij, nequit quidpiam detrahere de dignitate præcipui ſacrificantis, vel de præſtantia hoſtię, vt clarè colligitur ex ſeruo, qui nomine B
Domini dat eleemoſynam, quia licet ſacerdos ſit pura creatura, non tamen faciet, quominus ſacrificium oblatum à Chriſto ſit ſimpliciter infinitum.

2. Deinde, in canone Miſſę, recitantur nomina Summi Pontificis, Epiſcopi localis, Principis, ſaltem in Gallia, & in communi eorum omnium, qui interſunt ſacro; ergo Miſſa debet eſſe infinita, alioquin minima portio, imò nulla poſſet obuenire multis præſentibus. Item de conſecratione diſt. 5. can. Non mediocriter dicitur ex D. Hieronymo; *Dum*, inquit, *pro* D. Hieron.
cunctis animabus pſallimus, vel Miſſa dicitur, nihil minùs, quàm ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur accipitur: ergo Miſſa erit infinita quoad valorem. C

Valor Miſſæ in triplici differentia. Aduerte, valorem, ſeu portiones Miſſę eſſe in triplici differentia: prima portio dicitur ſpecialis, quę debetur ſacerdoti ſacrificanti. 2. generalis, quę reſpicit quoſlibet Chriſtianos, & Catholicos; vltima appellatur media; hæc autem eſt in arbitrio ſacerdotis, vt eam cui volet applicet: ità ſentiũt Sotus quodlibeto 20. Adrian. quodlibeto 2. de orat. Nauarr. in Manuali cap. 25. num. 42. & aliqui alij recentiores.

Valor Miſſæ non eſt infinitus. CONCLVSIO 1. *Valor ſacrificij Miſſæ non eſt infinitus.* Primò, quia valor cuiuſlibet ſacrificij ſumendus eſt ex dignitate perſonæ offerentis, quemadmodum & demeritum cuiuſlibet D
actionis, ex dignitate perſonæ, contra quam culpa commiſſa eſt, vt dicitur in tractat. de ſatisfactione Chriſti; at ſacerdos proximus, & immediatus ſacrificij Miſſæ, eſt perſona finita, vt eſt per ſe notum. Prætereà, ratio ſacrificij Miſſæ 2.
conſurgit ex conſecratione, & ſumptione ſpecierum conſecratarum panis, & vini, facta à ſacerdote: at actiones iſtæ, vt ſunt ab iſto ſacerdote, ſunt omnes finitæ, & determinatæ: ergo & valor erit finitus & determinatus. Tertio, ſi 3.
ſacrificium Miſſæ eſſet infinitum, vnico ſacrificio Miſſæ poſſet euacuari purgatorium, & adæquaret ſacrificium Miſſæ, ſacrificium crucis Chriſti, hoc autem propterea nequit iterari, ex Paulo
Hebr. 10. Hebr. 10. quod ſit ſimpliciter infinitum, celebratum à perſona Chriſti proximè, & immediatè ſimpliciter infinita; ſacrificium autem Miſſæ quotidie iteratur: argumento igitur eſt quod ſit finitum ſecundum ſuum valorem. E

Obiectio. Dices, Chriſtum eſſe perſonam infinitam, & habere rationem præcipui offerentis in ſacrificio Miſſæ. *Reſpond.* actionem Chriſti definiri, & *Solutio.* modificari per actionem ſacerdotis, qui eſt proximus, & immediatus offerens; illo eodẽ modo, (ceteris tamẽ paribus) quo cauſę ſecũdę definiũt, & determinant actionem cauſæ primæ naturaliter operando. Deinde, actio qua operatur in nobis ex motione ſancti Spiritus, non eſt infinita,

ted

ſed finita, & in ratione entis, & in ratione meriti, omnium conſenſu: ergo illud idem erit dicendum de ſacrificio Miſſæ, licet hoc fuerit à ſacerdote dependenter à Chriſto, veluti à cauſa præcipua, & principali. Tertiò, valor ſacrificij Miſſæ repetendus eſt maximè ex Chriſti inſtitutione, quemadmodum & valor cuiuſlibet ſacramenti: at voluntas Chriſti eſt, vt merita ſacrificij incruenti perueniant ad nos, finito, & determinato modo, vt fatentur omnes: ergo & valor hic erit finitus. Denique, Chriſtus, ſeu Deus in ſacrificijs noſtris aduertit ad dignitatem perſonæ offerentis, & ſacrificantis, ex cap. 4. Geneſ. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem non reſpexit*: argumento ergo eſt, valorem ſacrificij deſumendum eſſe, à dignitate perſonæ ſacrificantis, hæc autem in omni planè ſacerdote, excepto Chriſto, finita eſt: igitur &c.

Geneſ. 4.

Portio debita ſacerdoti ſpecialis eſt finita.

CONCLVSIO 2. *Portio ſpecialis ſacrificij Miſſæ, debita ſacerdoti, finita eſt, nedum intrinſecè, ſed etiam extrinſecè*: id eſt nequit applicari multis, quin minor pars adueniat vnicuique ex iſtis: quod tamen non accideret, ſi vni tantùm applicaretur. Probatur hac ratione. Omne finitum quo pluribus applicatur, eo quoque fit minus in illis quibus applicatur; diximus autem valorem ſacrificij Miſſæ ſumptum in communi eſſe vere finitum: ergo quo pluribus applicabitur, minùs ex fructu illis aduenier.

Media portio ſacrificij finita eſt.

CONCLVSIO 3. *Media portio ſacrificij Miſſæ eſt finita intenſiuè, & extenſiuè.* Primo, quia eſt eiuſdem rationis cum ſpeciali, quæ debetur ſacerdoti ſacrificanti.

1.

2. Deinde, quia ſi aliter res haberet, fas eſſet ſacerdoti acceptare plura ſtipendia à diuerſis non ſubordinatis, pro celebratione ſacri, quod tamen negant Doctores communiter: nedum ratione ſcandali, ſed multo magis quia cuilibet ex iſtis, pro quibus ſacerdos ſacrificat ex hypotheſi, & à quibus accepit ſtipendia iuſta, non tantum aduenit ex fructu ſacrificij, quantum ſi pro illo ſolùm offerretur.

3. Tertio, ſi Miſſę valor ſit infinitus quoad mediam iſtam portionem; & communitates, & quilibet ſacerdos priuatus vnico ſacrificio ſatisfacere poſſet pro quibuſuis fundationibus, & obligationibus introductis pia teſtatorum voluntate; at illatio hæc eſt contra propenſionem, & inclinationem communem cuiuſlibet hominis; vnuſquiſque enim poſtulat, vt plura, & diuerſa ſacrificia eius nomine celebrentur, ad hoc vt ſatisfacere poſſit pro peccatis commiſſis: imo Concil. Trident. mandat Epiſcopis quibuſuis, vt ſolicite curent Miſſas præſcriptas à teſtatoribus celebrari per ſacerdotes, ne fruſtrentur voluntates iſtorum, quod tamen non faceret ſi crederet Miſſam eſſe infinitam in ordine ad ſuum valorem.

Vlt. Denique, nolunt Doctores ſacerdotem penuria laborantẽ, accipere plura ſtipendia iuſta, pro celebratione ſacri inculpate: in hac ſententia eſt Sotus de iuſtitia, & iure, Nauarr. in Manuali cap. 25. numero 92.

Valor generalis Miſſæ finitus quomodo.

CONCLVSIO VLTIMA. *Valor Miſſæ generalis, intenſiuè finitus eſt, extenſiuè verò infinitus*; id eſt meritum, quod reſpondet ſacrificio Miſſæ in ordine ad omnes Chriſtianos, ſecundum ſuam extenſionem finitum eſt, reſpectu tamen eorum quibus applicatur, vel applicari poteſt, ex æquo omnibus applicatur, etiamſi ex hypotheſi iſti quibus applicatur, eſſent infinities infiniti; ac proinde hac ratione portio iſta, ſiue valor generalis dicitur infinitus.

A

Probatio 1. Probatur. Non eſt abſurdum, vnum, & idem multis, vno, & eodem modo, idque æquiualenter applicari; vt conſtat ex anima rationali, quę ſingulas partes corporis humani ex æquo informat: ex ſole, qui ex æquo omnes illuminat, ex candela quę ſuum lumen alijs infinitis communicare poteſt, ſine diſpendio vnius, vel alterius.

2. Secundò, Eccleſia admonet omnes, & ſingulos parochianos, vt interſint ſacro parochiæ, quod tamen non faceret ſi fructus Miſſæ vniuerſalis ex æquo non perueniret ad omnes audientes: ſatius enim eſſet intereſſe ei ſacro cui pauciores intereſſent.

B

Solutio fundamentorũ. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. quemadmodum illic reſponſum eſt. Ad probationem verò contrariam: exemplum huiuſmodi non eſſe ad rem, nam ſeruus qui dat eleemoſynam nomine Domini, non eſt author huius eleemoſynæ, vel dator; danda quippe eſt eleemoſyna, de ſua ſubſtantia, ex doctrina Tobiæ: res autem quæ datur non pertinet ad ſeruum, ſed tantum ad Dominum: ſacrificium autem Miſſæ eſt proximè, & immediatè à ſacerdote ſacrificante, nedùm à Chriſto; ac proinde valor iſtius ſacrificij finitus eſt, quemadmodum perſona ſacerdotis

C ſecundum ſuam dignitatem, finita eſt.

2. Ad 2. Dico multos in canone, imò infinitos poſſe recitari à ſacerdote, diximus namque portionem generalem reſpondentem ſacrificio Miſſæ, eſſe infinitam extenſiuè, id eſt, poſſe infinitis mortalibus ex æquo applicari.

3. Ad 3. fauere noſtræ ſententiæ, neque enim negari poteſt quin meritum recitationis pſalmi ſit finitum.

DVBITATIO VLTIMA.

De Miſſa priuata.

Nulla miſſa priuata propriè.

D MISSA priuata proprie loquendo nulla eſt, nam omnis Miſſa ſemper eſt publicum ſacrificium. Primò, ratione aſſantium: ſemper namque aliquis ſacerdoti adſtat, qui ei inſeruit, & vices populi ſupplet. Secundò, quia etiamſi nullus actu, & reipſa communicet cum ſacerdote; omnes tamen ſi vellent communicare poſſunt, atque propterea ſemper eſt communio publica: quemadmodum, & domus illa dicitur publica non tantum in quam omnes, & ſinguli ingrediuntur, ſed & ea quam omnes pro arbitrio & nutu ingredi poſſunt: cum ergo Miſſæ ſacrificium, priuata Miſſa dicitur, ideò ità appellatur, aut quia fit in oratorio priuato, aut etiam quia nomine alicuius priuati hominis, aut quia non in toto Eccleſiæ cœtu, ſed in aliquorum tantùm præſentia fit; aut quia profeſtis diebus quibus nulli, aut pauci admodum intereſunt, aut quia præter Miſſam ſolemnem parœciæ, aliæ multæ dicuntur, eadem die; aut denique, quia in ea ſolus ſacerdos communicat.

Cur miſſa priuata.

E

Hæreticorũ argumenta. Atque hoc multis ac varijs, modis impugnatur ab hæreticis. Primò, quia Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, vt eſſet actio non vnius priuatæ perſonæ, ſed totius Eccleſię, ac propterea vocatur communio. 1.

Secundò, Chriſtus quando Euchariſtiam inſtituit, eandem Apoſtolis communicauit: at in 2.

Digitized by Google

Miſſa priuata ſolus ſacerdos communicat: ergo. A

3. Tertiò, ſi Miſſa priuata eſſet licita, poſſent Chriſtiani celebrationi illius intereſſe ſine propriæ conſcientiæ ſcrupulo: at non poſſunt Chriſtiani intereſſe Miſſæ priuatæ ſine conſcientiæ detrimento, ſaltem illi quæ dicitur priuata, quia ſolus ſacerdos communicat: Nam Anacletus Papa ita definiuit, epiſt. 1. circa medium. *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus*, vnde ſubdit; *Sic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.*

4. Chryſoſt. Quartò, quoniam ex ſententia Chryſoſtomi homil. 3. in epiſt. ad Epheſios. *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari, & nemo eſt* B *qui participet*, & paulò inferiùs. *Dic mihi, ſi quis ad conuiuium inuitatus manus lauerit, & accubuerit & ad menſam paratus fuerit, & deinde non fuerit eius particeps; an non contumelia afficit eum qui inuitauit? an non eſſet melius eum non adſuiſſe quidem:* vnde præſtat non intereſſe Miſſæ priuatæ, quàm adeſſe, & Deo irrogatur iniuria, ſi non communicatur: ergo Miſſæ priuatæ, in quibus non communicatur, non ſunt licitæ.

Stabilitur vſus Miſſæ priuatæ.

VERVM *Miſſa priuata multis capitibus probatur.* Primò. Miſſa non tantùm eſt cõmunio, & ſacramentum, verùm & ſacrificium: atqui ſacrificium non requirit præſentiam multorum, & 1. multo minùs communionem eorumdem: ſacerdos quippe in veteri lege ſacrificabat, etiamſi C
Luc. 1. nullus adeſſet: & Luc. 1. dicitur, quod ſacrificante Zacharia, populus foris ſtabat: ergo, Chriſtus item in domo priuata primus omnium Miſſam inſtituit. Et Apoſtoli in domo priuata, Actuum 2. frangebant panem, ſcilicet Euchariſtiam.

2. Secundo, quia hæc conſuetudo familiaris erat temporibus primitiuæ Eccleſiæ, vt conſtat ex
Nicephor. Nicephoro lib. 8. cap. 31. Sozomeno lib. 7. hiſt. cap. 5. *Is*, inquit, *in exigua quadam cellula eatum ſuũ colligebat* (loquitur autẽ de Gregorio Nazianzeno) *quæ per quoſdam ſuæ fidei homines tum ipſi, tum ijs qui conſimilem religionem amplectebanturin domum precatoriam conſtructa erat; ſed eadem poſteà* D
D. Auguſt. *templum effecta eſt.* & D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. vbi ait. Aliquem ex ſuis ſacerdotibus ſe abſente feciſſe ſacrum in ædibus priuatis alicuius hominis, idque quoniam in ea maximos excitarent noctu ſtrepitus dæmones, qui tamen finita Miſſa nuſquam auditi ſunt: Ex Leontio in vita S. Ioannis Eleemoſynarij, qui ante mille annos vixit: refertur enim B. Ioann. ſacrum facientem animaduertiſſe populum ab Eccleſia ſtatim Euangelio lecto diſcedentem, atque altari relicto eumdem populum in cœmeterio otioſis fabulis vacantem comperiſſe, ipſumque territum, & ſtupefactum nouitate rei, verbis iſtis compellaſſe; Filioli, vbi oues, illic & paſtor, aut E intrate intrò, & ingrediemur, aut manete hîc, & ego quoque manebo: ego propter vos deſcendo in ſanctam Eccleſiam, nam poteram mihi facere Miſſam in Epiſcopio. Et ex hiſtoria tripartita, lib. 9. cap. 8. vbi dicitur: Gregorium Nazianz. in paruo quodam oratorio ſacra facere ſolitum eſſe.

3. Tertio, præceptum Chriſti de Miſſa facienda, eſt omnino indefinitum: non enim addidit aliquam conditionem, aut loci, aut temporis, aut perſonarum, ſed abſolute dixit; *Hoc facite in meam commemorationem:* quod accurate obſeruauit D. Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuarium: ergo
D. Auguſt. poterit Miſſa fieri nomine vnius præſentibus aliquibus tantùm, ſolo ſacerdote communicante.

Solutio argumentorũ. Ad argumenta autem in contrarium reſpondeo. Ad 1. quod quouis modo celebret ſacerdos, ſiue priuatim, ſiue publice, ſemper Euchariſtia eſt communio, ex ſua inſtitutione, etiamſi 1. à nullo ſumatur, & reſeruetur in pixide pro infirmis. 2. Reſpond. actionem ſacerdotis etiam priuatim celebrantis eſſe actionem publicam: tùm quia ſacerdos eſt publicus miniſter Eccleſiæ. ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex*, &c. tum quia tota Hebr. 5. Eccleſia offert per illum: quemadmodum in lege veteri ſummus ſacerdos ingreſſus ſancta ſanctorum cum ſanguine, omnia ſolus agebat coram propitiatorio, & tamen actio hæc erat publica.

Ad ſecundum; factum Chriſti eſſentialiter 2. in eo poſitum eſſe; quod conſecrans obtulerit, ſumpſerit &c. qua in re in omni Miſſa priuata imitatur Chriſtum ſacerdos ſacra faciendo, & conſecrat & offert, & communicat corpus Chriſti: accidentaliter autem factum Chriſti poſitum eſt in ablutione pedum, in prædicatione quam habuit ad Apoſtolos, in communione duodecim, atque in iſtis non eſt Chriſtus imitandus quotieſcumque Miſſa dicenda eſt; nam ſi hoc eſſet verum, Miſſa tantum eſſet perficienda in præſentia duodecim, & duodecim tantum eſſet elargienda communio, & non pluribus, & item non ante cœnam, ſed poſt cœnam, quæ tamen non ità fiunt, etiam apud hæreticos.

Ad tertium reſpondeo. Anacletum eo in loco 3. loqui de ijs, qui inſeruiebant Epiſcopo diebus ſo- *Verba Anacleti.* lemnioribus, vt ſatis conſtat ex verbis immediate antecedentibus, quæ ſic habent. *Epiſcopus Deo ſacrificans, teſtes (vt præfixum eſt) ſecum habeat, & plures quam alius ſacerdos: Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, ſic maioris teſtimonij incremento indiget. In ſolemnioribus quippe diebus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & ſubdiaconos, atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis, in fronte, à tergo, & presbyteri è regione dextra, lauaque, contrito corde, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum à malenolis hominibus, & conſenſum eius præbeant ſacrificio.* Adeo vt illo decreto non adſtringantur omnes qui ſacrificio adſunt, ſed tantùm qui Epiſcopo celebranti adminiſtrant.

Secundo reſpondeo, quod etiamſi illis temporibus omnes aſtringerentur ad ſacram communionem, qui Miſſæ adeſſent, nunc tamen non ſequitur omnes obligari; progreſſu ſiquidem temporis ob defectum charitatis, & ardoris religionis, præcepta illa obligare deſierunt; vti & multa alia aliquando obligarunt, quæ nunc non obligant, cuius generis eſt præceptum de abſtinendo à carnibus ſuffocatis, quod temporibus Apoſtolorum verè obligabat; nunc verò experientia ſatis docet non obligare cum vbique comedantur huiuſmodi animalia.

Ad 4. reſpond. Miſſam ad duo ordinari. 1. 4. ad hoc vt ſit ſacrificium, quod Deo ſoli tantum eſt perſoluendum, & offerendum. Deinde, ad hoc, vt ſuauiſſimo corporis Chriſti pabulo ſuſtententur, & nutriantur Chriſtiani: quando ergo Chryſoſt. ait, fruſtra oblationem fieri in qua non communicatur, non loquitur in vniuerſum, ſed tantum quod attinet ad manducationem, ad quam Miſſa ordinatur, nam etſi nullus communicet præter ſacerdotem, ſemper

Miſſa

...ſhall be ſtruck off from the Liſt of Freemen, and ſhall be diſabled to bear any Office in the City, and ſhall be puniſhed by Fine and Impriſonment, at the diſcretion of the Mayor and Aldermen.

...Mayor and Aldermen

Solutio. Resp. antiquitus licuisse quidem ad horam tertiam pomeridiauam sacrum solemne differre, idque quod ante hanc horam non sumeretur prandium in diebus ieiunij, vt constat ex locis proximè citatis: at hæc consuetudo antiquata est contrario vsu: nam nunc in diebus ieiunij, quemadmodum prandium sumitur circa horam meridianam, ità quoque tempus sacrum solemne celebrandi in diebus ieiuniorum aut etiam festiuis terminatur in meridie.

Certa hora solemnium missarum. Secundo. *Constituendum est Missas solemnes habere horas statutas, & determinatas; secus verò priuatas: in quibus autem debeant celebrari illa sint tertia, sexta, & nona, iure antiquo.* Probatur 1. de tertia in can. *Nolite sancta*; reliquis vero temporibus ante horam tertiam nullus celebret: ex Concil. Aure-
D. August. lianensi III. cap. 11. & ex D. Aug. referente Gratiano, de consecrat. dist. 1. can. & hoc, Fauet huic sententiæ vsus; nam cantata Tertia in quouis choro, & Sexta maius vbique locorum celebratur sacrum.

Deinde, quia illo tẽpore Christus passus est, & crucifixus, si non actu, saltem linguis ludæorum: nomine autem horæ tertiæ, non est intelligenda hora sexta post punctum mediæ noctis; sed multò magis eorum illud tempus, quod interijcitur ab hora nona matutina ad meridiem vsque: in hoc ergo tempore sacrum solemne perfici debet, vt populus, & conuenire, & concionem audire, & communicare si velit ante meridiem possit: ità communiter Summistæ.

Quid nomine missæ solemnis intelligatur. Nomine itẽ Missæ solemnis, non intelligimus quodlibet maius sacrum; de hoc enim idem est, ac de priuatis iudicium; sed intelligimus eã Missam, quæ dici Missa dici consueuit; moneo tamen licere iuxta parochianorũ, & populi oportunitatẽ tempus hoc præuenire, aut etiam postponere: imò retinenda est cuiuslibet Ecclesiæ consuetudo; maximè cum hæc ex multis circumstantijs sint iudicanda, & definienda.

Quæstio mouetur. Resoluitur. Rogabis, *An detur aliquod tempus definitum, & determinatum in quo sacerdos teneatur ad reatum peccati sacrificare.* Resp. primò, *Nulli dubium esse quin quilibet sacerdos saltem semel in anno, idque in Paschate teneatur ad communionem:* ità siquidem dicitur in cap. *Omnis vtriusque sexus, de panitentijs & remissionibus:* & nos multa in hanc sententiã retulimus in disp. de sacramẽto altaris, quatenus sacramẽtũ est.

An autẽ similiter teneatur semel ad minùs sacrificare, non vna, & eadẽ est omniũ sententia: Nos ergo missis de hac re aliorũ placitis, dicimus sacerdotes esse in duplici differentia: Alij namque sunt simplices, qui scilicet carent omni beneficio: alij vero qui habent beneficium, aut Curatũ, aut simplex: primi ergo sacerdotes non tenentur omni die, etsi non sit hoc illis illicitũ, communicare, sed interdum, & aliquando: nam certũ est in die Parasceues nusquam Ecclesiam sustinuisse vt quis faceret sacrum: ità declarauit Innocent. I. epist. 1. ad Decentiũ, & habetur in can. sabbatho, de consecratione dist. 3. & tradit D. Th. hic ad 2. argumentum. Deinde, in vigilia Paschæ, vna tantum in qualibet Ecclesia celebratur Missa, vt dicitur in can. *Sabbato* de consecratione, dist. 3. præterea in can. *Visum*, de consecrat. dist. 1. dicitur ex Concil. Cabilonensi, nullum esse diem prætermittendum in quo non fundantur preces pro animabus fidelium in perficiendo Missæ sacrificio: quemadmodum Ecclesia quolibet die nomine quorumuis in necessitate constitutorum orat, vt liberentur à malis: & ex can. *Iteratur*, de consecratione dist. 2.

Quod autem interdum & aliquando teneantur sacrificare, maximè diebus solemnibus in quibus communicant laïci, docet D. Th. in 4. dist. 13. & propendet in eamdẽ sententiã 3. p. q. 82. art. 10. Syluester, Antoninus, Azorius cap. 24. lib. 10. Institutionum moralium; non tamen explicant qui sint isti dies solemnes. Paludanus numerat Natalẽ Christi, Paschę, Pentecostes, Assumptionis Virginis Marię, & omnium Sanctorum. Sotus refert tantum tres priores dies. Maior addit supra illos quinque, diem sanctissimi sacramenti. *Tenetur aliquando sacrificare sacerdos.*

Istorũ autem sententia probatur primum; quia in cap. *Dolentes*, de celebratione Missarum, grauiter reprehendũtur sacerdotes, qui quater in anno non communicant, & in Concil. Trident. sess. 23. cap. 14. de reformat. dicitur Episcopum curare debere, vt sacerdotes diebus dominicis & festiuis saltem sacrificent. Deinde, quia certum est characterem sacerdotalem ordinari ad sacrum perficiendum, adeò vt is videatur contemptor characteris, qui sine vllo impedimento, aut sine vlla iusta causa perpetuo abstinet à sacro perficiendo.

Tertio, quia D. Paulus c. 6. 2. ad Cor. ait; *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, & D. Petrus 1. cap. 4. *Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* 2. Cor. 6. 1. Petr. 4.

Crederem tamen eum non peccare lethaliter qui, secluso scandalo & contemptu, non celebrat ter aut quater in anno, quoniam nullum extat de hac re præceptum. Deinde, quoniam non desunt qui referant sanctissimum quemdam sacerdotem, religionis & humilitatis causa, toto vitæ tempore abstinuisse à sacro faciendo, ità sentiunt Azorius lib. 10. Institutionum moral. cap. 24. q. 1. in fine.

Qui autem beneficia habent Curata, toties tenentur facere sacrum, quoties populus eisdem commissus obligatur sub peccato mortali audire, idque vel per se, vel per alium. Ratio hoc suadet; nam cum percipiat ab istis decimas, quibus nutritur; ità etiam debet eis sacramenta administrare. Deinde, quilibet Parochus sacramenta suis administrare debet. *Curati quoties celebrare teneãtur.*

Tertio, quia tenentur isti audire sacrum, & quidem in Parochia, vel Ecclesia quæ habeat priuilegium Ecclesiæ parochialis: ergo & tenetur celebrare. Rursus in Concil. Trident. sess. 23. cap. 14. de reformat. dicitur. *Curet Episcopus vt*, presbyteri scilicet, *saltem diebus dominicis & solemnibus*, &c. *Si autem curam animarum habuerint tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant Missam, celebrent.* Idem est iudicium de illis, qui alia beneficia sine cura habent: isti enim toties tenentur in anno sacrificare, quoties ad id ex onere beneficij adiguntur: In Ecclesijs vero Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus debent ad minus quotidie duo sacra celebrari, vnum de die, alterum vero pro defunctis, exceptis tamen festis solemnioribus, in quibus non licet ex Rubricis Missalis Romani, Missam pro mortuis celebrare: ità videtur colligi ex dict. can. *Visum*, de consecratione dist. 1. dicitur enim illic, vt quotidie in missis pro mortuis preces fundantur, & in can. *Iteratur* de consecratione dist. 2. simpliciter dicitur, vt quotidie immoletur, & in cap. *Cùm creatura*, de celebratione Missarum, præcipit Pontifex, vt pro anniuersarijs mortuorum, & pro festo, vel feria secundum temporis congruen- Trident.

tiam

tiam Miſſarum ſolemnia conuentualiter celebrentur. *Cum creatura*, inquit, *non habeat quid pro meritis reſpondeat Creatori*, & infra. *Mandamus quatenus nullum in vos torporem, negligentia obrepere permittatis, quominus anniuerſarys de funerum, & pro feſto vel feria ſecundum temporum congruentiam miſſarum ſolemnia conuentualiter celebretis.* Ita etiam ſentiunt Doctores inillud cap. Azor. cap. 24. lib. 10. Inſtitutionũ Moraliũ.

Canon.

ARTICVLVS TERTIVS.

Virum oporteat hoc ſacrum celebrari in domo, & Vaſis ſacris.

DVBITATIONES aliquot ſunt hîc proponendæ.

DVBITATIO PRIMA.

An in æde ſacra ſit tantùm ſacrum perficiendum.

ONCLVSIO. *Citra peccatum mortale ſacrum facere non licet, niſi in illis locis, quæ ſunt conſecrata ab Epiſcopo, vel eiuſdem authoritate benedicta.* Probatur primo, quia ità dicitur in can. *Sicut* de conſecratione diſt. 1. vbi hæc redditur ratio. *Sicut*, inquit, *non alij quàm ſacrati Domino Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre, ſic nec in alijs quàm Domino ſacratis locis, id eſt, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis, Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet.* Idem dicitur in cap. *Miſſarum*, ex Concilio Tributienſi: *Miſſarum ſolemnia non vbique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus*, & in can. *Hic ergo*, & can. *Nullus presbyter*, de conſecratione diſt. 1. & in Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ.

In loco ſacro ſacrum faciendum. 1.

2. Deinde, ſancti Patres volunt Euchariſtiam non eſſe faciendam in communi domo, ſed in Eccleſia, id eſt in æde ſacra; ità Baſilius in regulis breuioribus, regula 310. Iſichius lib. 2. in Leuitic. cap. 8.

Baſilius. Iſichius.

3. Tertiò, quia tempore Apoſtolorum Euchariſtia in templo adminiſtrabatur. 1. Corinth. 11. *Conuenientibus vobis in vnum iam non eſt dominicam cœnam manducare; vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: nunquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis & confunditis eos qui non habent.*

1. Cor. 11.

4. Quartò, in lege Moſaïca, ſacrificia in templo fuerunt oblata. 3. Reg. 8. 1. Machab. 4.

3. Reg. 8. Macha. 4.

5. Quintò, quia ſancti Patres docent propterea templa in honorem ſolius Dei conſtrui & erigi; quod quemadmodum ſacrificium ſoli Deo debetur, ità & in iſtis locis tantũ idé perſoluitur: vnde Græcè dicũtur κυριακὰ, id eſt, domus Domini, ſeu templa Deo dicata; ità D. Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate cap. 27. quo loco ait, templa non conſtrui martyribus, ſed Deo, quia non martyribus, ſed ſoli Deo ſacrificamus. *Vnum*, inquit, *Deo offertur illic ſacrificium Chriſtianorum.* & ſermone 262. & 255. de tempore.

D. Auguſt.

Sexto, quia in templis, concio, ſacramenta, diuinæ laudes, perpetuo fuerunt celebratæ, vt conſtat ex 1. Corinth. 14. Tertulliano in Apologetico, cap. 39. *Corpus*, inquit, *ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate & ſpei fœdere: cœimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes, hæc vis Deo grata eſt: Oramus etiam pro imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Iuſtino Apologia 2. circa finem, & Euſebio lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 17. Imò propter hanc cauſam dicitur Matthæi 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Imo forte propter hanc eamdem cauſam factitatum puto, vt antiquitus in pleriſque Eccleſijs, vel nulli omnino ſepelirentur, vt dicitur in can. *Præcipiendum*, 13. quæſt. 2. ex Concil. Varenſi, vel certe ſoli Epiſcopi, vel Abbates, aut digni presbyteri aut fideles laïci, id eſt qui ità in fide clarent, vt miracula faciant, quemadmodum explicat Gloſſa in can. *Nullus*, 13. quæſt. 2. Alij vero rectiùs explicant per fideles laïcos baptizatos; quia quemadmodum illi vixerunt in fide viua vnius Dei Optimi Maximi, ſic etiam potuerunt in hoc templo commendari terræ. Deinde, quia fuerunt templum Spiritus ſancti iuxta illud Apoſtoli; *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & ſpiritus Dei habitat in vobis?*

6. Tertull. Iuſtinus. Euſebius. Matth. 21. 1. Cor. 13.

In caſu neceſſitatis extra locum ſacrũ celebrare licet.

Etſi autem in ſolis Eccleſijs, ſeu templis conſecratis liceat ſacrum facere; in caſu tamen neceſſitatis poterit ſacerdos, vel cum licentia Epiſcopi ſi ad eum pateat aditus, aut ſine illa, ſi haberi non poſſit & conueniri nequeat, celebrare, modo tamen habeat altare portatile, vt loquuntur. Primùm, quia neceſſitati nulla eſt lex conſtituta. Deinde, quia ità ſe geſſerunt primi Chriſtiani eo tempore, quo ob tyrannorum perſecutionem libere conuenire non potuerunt. Tertio, ita tradunt Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. Durantus, de ritibus Eccleſ. lib. 2. cap. 6. Nauarrus in Manual. cap. 25. num. 82. Azorius lib. 10. Inſtitut. Moral. cap. 26.

Dixi autem, *In neceſſitate*, quia extra illam, quamuis ante Concilium Tridentinum poſſet Epiſcopus facere poteſtatem Sacerdoti, vt in altari portatili, in æde priuata non conſecrata ſacrificaret, vt conſtat ex can. *Miſſarum*, & in can. *Hic ergo*: de conſecrat. diſt. 1. & in can. *Clerici*; non tamen id poſſunt iam, vt tradunt Nauarr. in Manuali cap. 25. num. 81. Azorius loco proximè citato. Deinde, quia Epiſcopus poteſt illud omne quod ſibi iure non prohibetur: at Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ, præcipit ne Epiſcopi patiantur ſacerdotes ſacrum facere, niſi in locis ab Epiſcopo deſignatis, & ad diuinum cultum tantùm deputatis: ergo &c. ità locum hunc Concilij explicarunt Cardinales deputati ad Concil. Trident. explicandum, vt tradit Azorius loco proximo citato.

Ex priuilegio poteſt in altari portatili celebrari.

Ex priuilegio tamen Pontificis Romani, confirmato vel obtento poſt Tridentinum, poterit

Ex priuilegio potest in altari portatili celebrari.

aliquis in altari portatili, etiam extra casum necessitatis, sacrificare, cessante tamen scandalo & contemptu. Quod dico, primùm propter Episcopos, qui quando extra suas Ecclesias agunt ex causa legitima, nec eis licet commodè ædem sacram adire, possunt vti priuilegio sibi concesso in cap. vltimo. *Quoniam Episcopi*, de priuilegijs, in Sext. neque enim hoc fuit reuocatum per Concil. Trident. vt explicauit Congregatio Cardinalum anno 1586.

Deinde, propter Mendicantes, quibus aliàs licuit in omni loco, decenter tamen ornato, & sine iniuria Curati, in altari portatili, ex priuilegijs ipsis concessis; nunc vero non licet, nisi nouam obtinuerint à Sede Apostolica confirmationem, authore Nauarro in Manuali cap. 25. numer. 82. & communiter alij.

DVBITATIO SECVNDA.

Quàm grauiter peccet is, qui extra ædem sacram absque necessitate Missam celebrat.

Peccat mortaliter sacerdos celebrans extra Ecclesiã.

SOTVS in 4. dist. 13. quæst. 2. sentit, seclusa omni contemptu & scandalo, non peccare mortaliter sacerdotem, sacrum extra Ecclesiam celebrantem.

Ceterùm, ista opinio reijcitur ab alijs omnibus. Primò, quia sacra Concilia strictissimè præcipiunt, ne sacerdos celebret extra locum sacrum. Ità Laodicenum cap. 58. Carthaginense III. can. 9. Moguntinum cap. 9. & Trident. sess. 22. cap. de obseruandis in celebratione Missæ: præcepta autem Ecclesiastica obligant ad reatum peccati mortalis. Deinde, quia sacri canones pœnam depositionis ab officio minantur illis omnibus, qui rem sacram extra templum consecratum perficiunt; ità in Can. *Nullus presbyter*, de consecratione, dist. 1. & Nauarrus in Manuali cap. 25. num. 82. D. Th. hîc, & Sentent. dist. 13. lib. 4. Si quis tamen consecraret in loco interdicto per sententiam Iudicis, ille præter peccatum mortale, quod admitteret, irregularitatem incurreret, à qua per solum Pontificem dispensari deberet: ità dicitur in cap. *Is qui*, de sententia excommunicationis, in Sexto. *Is*, inquit, *qui scienter in loco celebrat suppositio interdicto (nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari: & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum alijs debebit admitti.* Si verò tantum in loco violato, aut polluto, peccaret mortaliter, non tamen censeretur irregularis, vt dicitur expressè in eodem citato cap. de sententia excommunicationis in Sext. *Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat; irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit.*

Celebrans in loco interdicto irregularis.

Secus in loco violato.

Sex modis violatur Ecclesia.

1.

Homicidiũ voluntariũ.

Polluitur autem, & violatur Ecclesia varijs modis, vt habent Casuistæ communiter. Primò, per homicidium voluntarium, & iniuriosum intrà Ecclesiam perpetratum; ità in can. *Proposuisti*, de consecratione Ecclesiæ, & cap. *Si motum*, de consecratione dist. 1. Dixi autem voluntarium homicidium, quia si amentes, aut pueri ante ætatem rationis aliquem in Ecclesia occidant, non polluitur Ecclesia, nec item per homicidium casuale; ista siquidem homicidia, non sunt voluntaria. Dixi, *Iniuriosum*, quoniam Ecclesia non polluitur per homicidium ex pura defensione subsequutum, eò quod hoc, non est iniuriosum, nec item per homicidium, cuius causa extra Ecclesiam data est, etiamsi hæc fuerit voluntaria & iniuriosa; quoniam tunc intrà Ecclesiam secuta est tantum mors, non autem homicidium. Non est autem necesse sanguinem effundi intrà Ecclesiam per homicidium voluntarium iniuriosum, sed satis est si mors sequatur ex iniusta & voluntaria percussione, vt dicitur in capite vnico, de consecratione Ecclesiæ, in Sexto: ac proinde si quis intrà Ecclesiam iniustè suffocaretur, Ecclesia vere pollueretur; licèt hîc nomine religionis Christianæ pateretur. Nam etsi mors & sanguis martyrum, vt sunt ab ipsismet martyribus, non polluant Ecclesiam, pollunt tamen, vt hæc sunt ab iniqua, & iniusta percussione Tortorum & Carnificum.

2. Effusio sanguinis iniuriosa.

Secundus casus est, effusio sanguinis iniuriosa, ex cap. *Si Ecclesia*, de consecratione Ecclesiarum, & can. *Ecclesijs*, de consecratione dist. 1. Non est tamen satis ad pollutionem Ecclesiæ quæuis sanguinis effusio, nec item quæuis iniuriosa percussio, sed requiritur vt sanguis effusus sit in aliqua notabili quantitate, & item vt percussio sit grauis: nam ex leui percussione, etiamsi sanguis effusus sit in magna quantitate, non violatur Ecclesia, vt rectè aduertit Victoria in Summa, numer. 99. itémque percussio hæc, quæ facit vt Ecclesia polluatur, debet esse ad minus peccatum mortale.

3. Humani seminis effusio.

Tertius casus est, humani seminis effusio: ità dicitur locis suprà citatis. Aduertendum tamen est seminis effusionem debere esse & illicitam, & in magna quantitate, ad hoc vt Ecclesiam polluere queat. Potest autem hæc esse illicita in coniugatis. Primum, quia Ecclesia est destinata tantùm vel ad orandum, vel ad audiendum diuinum verbum, vel denique ad sacrificia perficienda.

Deinde, quia legimus Christum Ioann. 2. eiecisse vendentes oues & boues è templo, licèt illa deputarentur in vsum sacrificiorum.

Tertio, quia censetur esse locus sanctus, psal. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo*: ac proinde patet Ecclesiam pollui per copulam coniugalem, si tamen hæc fuerit publica; idque quoniam tunc infertur iniuria Ecclesiæ, & templo Christi. Addo tamen, si coniugati cogerentur, vel ob belli iniuriam, vel aliqua alia causa iusta, cohabitare, & dormire in Ecclesia, aut in ea manere per multum temporis, Ecclesiam non pollui ex copula coniugali: ratio est quia vxorati non videntur posse obligari ad tam longam & diuturnam continentiam ob solam externam reuerentiam templo Dei debitam.

Matrimonij vsus aliquando licitus intrà Ecclesiam.

Deinde, quia non sunt conijciendi in periculum mortale illicitæ pollutionis.

Tertiò, quia suppono hinc non oriri vel scandalum, vel non id præstare coniugatos in despectum & contemptum Ecclesiæ Dei.

Quartò polluitur Ecclesia, dum quis excommunicatus denuntiatus in ea sepelitur; ex cap.

Digitized by Google

4. Excommunicatorũ ſepultura.

cap. *Conſuluiſti* de conſecratione Eccleſiarum, in quo Innocentius III. Senonenſi Epiſcopo ait. *Conſuluiſti*, & infrà *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingit, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit.* Violatur etiam Eccleſia dum corpora infidelium & Paganorum ſepulturæ in ipſa rraduntur; ex Concilio Aurelianenſi cap. 3. & refertur de conſecratione diſt. 1. can. 1. Eccleſiam, in hæc verba; *Eccleſiam in qua Paganus ſepultus eſt, non liceat conſecrare, neque Miſſas in ea celebrare; ſed iactari foras & mandari oportet:* & cap. ſequenti *Eccleſiam*, eadem diſt. Cum enim iſtis dum viuerent denegetur conſortium fidelium intrà Eccleſiam; æquum eſt vt nec cum eiſdem mortuis communicent. Quod extendunt quidam recentiores ad infantes decedentes abſque baptiſmo: hi enim ſunt etiam infideles, vnde ſecundum eoſdem nec filium mortuum ſinè lauacro ſalutari, licebit cum matre mortua in partu ſepeliri, quod ſi ſecus fiat, polluetur Eccleſia.

Paganorũ & infidelũ.

5. Ruina tecti & parietũ Eccleſia.

Quintò, cenſetur Eccleſia etiam amittere ſuam conſecrationem, quando deſtruitur ſecundum parietes & tectum, non autem ſi tectum tantum comburatur, ex cap. *Ligneis* de conſecratione Eccleſiarum, quod eſt Innocentij III. ad Compoſtellanum Archiepiſcopum. *Ligneis*, inquit, *edificijs Eccleſia veſtra caſu conſumptis, parietibus tamen illæſis, ac menſa principalis altaris in ſua extremitate, modicam paſſa fracturam.* & infrà, *Inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum quòd cùm parietes in ſua integritate permanſerint, & tabula altaris mota, vel enormiter læſa non fuerit: ob cauſam prædictam, nec Eccleſia, nec altare debet denuo conſecrari*; Cuius ratio eſt, quoniam conſecratio fit in parietibus Eccleſiæ tantùm.

6. Benedictio Epiſcopi ex communicati publicè.

Sextò, polluta exiſtimatur Eccleſia, benedicta aut conſecrata ab aliquo Epiſcopo excommunicato publico: ità Sylueſter, Nauarr. in Manuali, Zerola, Oſtienſis, Panormitan. etenim, vt bene iſti duo poſteriores argumentantur, cùm mortuorum cadaucra in Eccleſia aut Cœmeterijs humata pollutam ipſam efficiant, & ob id debeant eijci ab illa, ſi fieri poſſit; multò meliùs idem aſſerendum erit reſpectu illius, qui eam Eccleſiam conſecrauit, dum publicè eſt vinculo excommunicationis innodatus.

Quid ſacerdoti agendũ quando Eccleſia polluitur.

Quando igitur aliquid ex dictis occurrit, abſtinendum eſt à ſacrificio conficiendo, etſi euenìat eo incæpto, donec fuerit Eccleſia reconciliata, vel per Epiſcopum, ſi conſecrata fuerit anteà, vel per ſimplicem ſacerdotem, ſi tantùm benedicta: tunc enim hic poteſt eam reconciliare abluendo aqua benedicta ipſum ſolum & Eccleſiam, vt dicitur in cap. vltimo, de conſecratione Eccleſiarum.

Quod ſi poſt canonem inchoatum accedat violatio Eccleſiæ, debet vlteriùs progredi Sacerdos, & peragere ſacrificium, cùm ſemel incœptum, iure diuino perfici debeat: Incipit autem à verbis canonis, iuxta communem Doctorum ſententiam.

DVBITATIO TERTIA.

An ſacrum ſit neceſſariò perficiendum in altari.

Notabile.

ANTEQVAM huic Dubitationi reſpondeamus, aduertendum altaria eſſe in duplici differentia, alia namque ſunt fixa, alia verò portatilia. Prima cenſentur eſſe illa, quæ ex calce, lapidibus, cemento, & lapide aliquo integrè conſecrato, alijs lapidibus ſuperpoſito totam illam maſſam operiente conſurgit; qualia ſunt altaria, quæ in Eccleſijs Catholicorum conſpiciuntur. Poſteriora creduntur illa eſſe, quæ non ſunt compacta ex multis lapidibus, calce, cemento, & lapide aliquo conſecrato integro ſuppoſito, ſed tantum ex tabula aliqua lignea ad nutum cuiuſuis amobili.

Cur altaria ſic vocentur.

Secundo, aduertendum eſt altare ideò hoc nomine donari, quod in altum erigatur, ità vt altare nihil aliud ſit quàm alta ara: ARA autem dicta eſt, velà precationibus, quę coniunguntur ſacrificijs: Græci namque vocant precationes, ARAS; vel ab ardore, quia antiquitus illic victimæ ardere ſolebant, ex Iſidoro lib. 15. Originũ cap. 4. In Eccleſia autem Catholica ARA ab incruento & puriſſimo ſacrificio nuncupatur, vt author eſt Nazianzenus oratio. 4. His ità conſtitutis certum eſt ſacrum eſſe in ALTARI vel fixo, vel portatili, quod ſemper eſt conſecratum, tantùm perficiendum. Primùm, ità dicitur in Concilijs Hipponenſi, cap. 6. & refert Gratianus in can. ALTARIA, de conſecrat. diſt. 1. Epaunenſi cap. 26. & 27. refertur & de hac re decretum Sylueſtri præcipientis, vt in nullo alio præterquàm in lapideo altari ſacrum fiat. Idem videtur dici à Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. 2. ad Corinth. Nylleno oratione in ſanctum baptiſma. D. Auguſtino ſerm. 255. de tempore D. Th. hoc loco; cuius rei has ſubiungit cauſas. Prima, quia altare repræſentat Chriſtum, qui dicitur petra & lapis: *Petra autem erat Chriſtus.* Matth. 21. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:* aut etiam quia Chriſtus in ſepulchro lapideo fuit ſepultus, Matth. 28.

Semper decreuit & hoc eſſe ſtare conſuetum. Chryſoſt. Nyſſenus. D. Auguſt. D. Thom. 1. Cor. 10. Matth. 21.

Secunda, quia vſus lapidis ſatis familiaris eſt, & magis videbatur aptus ad conſecrationem, quàm lignum: ità communiter tradunt Sententiarij in 4. diſt. 13. Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 83.

Altaria à ſolo Epiſcopo conſecranda.

Altaria autem à ſolo Epiſcopo de iure communi conſecrari poſſunt, vt conſtat ex can. *Nullus presbyter*, & ex can. *Concedimus.* diſt. 1. de conſecratione: dixi autem, de iure communi: quoniam ex ſpeciali priuilegio Pontificis Romani ſacrare altaria ſimplex Sacerdos poterit. Probatur primò, quia licèt Confirmationis miniſter ordinarius ſit ſolus Epiſcopus; poteſt tamen ſimplex Sacerdos ex diſpenſatione Romani Pontificis Confirmationem adminiſtrare. Deinde, quia Epiſcoporum eſt conſecrare altaria, virgines, templa, vaſa, & veſtes ſacras, non iure diuino, ſed humano poſitiuo tantum; poteſt autem Pontifex diſpenſare in ijs omnibus quæ ſunt iuris Pontificij.

Mappæ neceſſariæ in altari.

Antequàm autem in altari poſſit fieri ſacrum, debet hoc ornari duplici ad minus mappa, iuxta quas proximè ponenda ſunt corporalia; quæ interdũ vocantur linteum altaris, vt dicitur in cap. *Si per negligentiam*, de conſecrat. diſt. 2. quo loco etiam videntur tres mappæ, aut tobaliæ lineæ neceſſariæ ad ſacrum perficiendum, vſus tamen obtinuit, vt duæ tantum præter corporalia apponantur, & ità faciendũ decernunt Sylueſter, verbo, *Miſſa.* part. 1. quæſt. 1. Cum Paludano, contra ANGELUM, qui putat vnam ſatis eſſe. Meminit autem huius conſuetudinis Clem. Rom. epiſt. 2.

Digitized by Google

Rhemense Concil. Optatus lib. 6. citat. Concilium Rhemense. *Altaria*, inquit, *sunt mundissimis linteis ac pallis cooperienda.* Innocentius lib. 2. de mysterio Missæ, cap. 56. Gratianus in can. *Perlectis* dist. 25. & omnes qui de diuinis officijs aliquid posteritati tradiderunt.

Præter verò mappas istas necessaria sunt corporalia, quæ interdum vocantur lintea altaris, idque quoniam ex puro lino debent esse contexta, & ab Episcopo benedicta, vt dicitur in can. *Corporalia necessaria.* *Consulto*, de consecrat. dist. 1. ex epist. Eusebij Papæ, & Syluestri. *Consulto omnium*, inquiunt, *statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino, procreato, atque contexto: sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit.* Interdum palla sacra, quod illis quasi pallio aliquo obuoluatur & obtegatur corpus Christi in altari, vt videre est in can. *Sacratas Deo feminas*, dist. 23. Communiter autem dicuntur corporalia, *Cur corporale sic dictum.* quia syndonem in qua Christus post mortem fuit inuolutus significant, vt adnotauit Isidorus; aut quia in eo corpus Domini superponitur, vt notauit Alcuinus lib. de diuinis officijs, cap. de celebratione Missæ, Durandus lib. 4. Rationalis cap. 29. Materia autem istorum corporalium, *Ex qua materia cõfici debeat.* nedum debet esse linea, sed nec potest pati alicuius alterius panni, vel pretiosioris, vel vilioris admixtionem, saltem in medio, vt colligunt aliqui recentiores, ex Concilio Rhemensi: nam partes remotiores, seu extremitates poterunt ex auro, & argento, aut serico filo ornari; hoc autem debet esse vt duplex, aut vnum satis amplum: Alterum satis angustum quod filiola communiter dicitur, aut certe vnum tantùm, adeò amplum & oblongum, vt satis sit & ad recipiendum corpus Christi, & consecratum calicem, & item ad hunc eumdem modum cooperiendum: ità tradunt omnes. Facere autem factum sine corporali, peccatum mortale esse violatur namque consuetudo Ecclesiæ, & quidem in re magni momenti: ità Sylvester, & alij communiter.

Cãdelæ aut lampades accensæ necessariæ. Ornari præterea debet altare candela, aut lampade accensa; facere siquidem sacrum in altari sinè lumine, omnium iudicio creditur esse mortale peccatum, ità Durandus, Soto, Paludanus, in 4. dist. 13. Sylvester, Nauarrus, Henriquez, & & alij; & colligitur euidentissime ex cap. vltimo, de celebratione Missarum: illic enim celebratio Missæ facta à sacerdote, sine lumine, computatur inter grauem eiusdem defectum, & culpam: consuetudo autem celebrandi cum cereo accenso est antiquissima: meminit illius Concilium Carthaginense IV. can. 6. Isidorus lib. 7. Etymologiarum, Hieronymus contra Vigilantium, cuius verba retulimus suprà ad quæst. 25. art. 6. Dub. 1. & epist. 20. ad Marcellam, & D. Augustin. serm. 215. de tempore, & 255. refert huius rei figuram gessisse, quod in templo Salomonis ante altare Domini perpetuo arderet ignis: de hac consuetudine multa legi possunt apud Steph. Durantum, lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, cap. 8.

Quot candelæ requirantur. Vnum tamen hac in re vitandum est, ne certus numerus candelarum accendatur: rem quippe hanc quasi superstitiosam damnat Concilium Trident. sess. 22. cap. de obseruandis in officio Missæ: rationi tamen consonum est, vt ad minus duæ accendantur in priuatis sacrificijs: in solemnibus vero, & festiuis diebus, quatuor, aut sex, iuxta possibilitatem & consuetudinem illius Ecclesiæ, in qua celebratur, & solemne sacrum conficitur.

Sunt & alia quædam ornamenta, quibus con- *Operculum mapparum & palla serica non ita necessaria.* gruum est altaria decorari; non tamen peccatum mortale admitteret, qui secluso contemptu, & scandalo illa prætermitteret, qualia sunt operculum laneum, quod apponitur supra mappas, palla item serica, vel lanea, quę partem cauam altaris inferiorem tegit, Crux quæ item ad medium altaris ex regulis Missalis est locanda; nam de hac re nulla extat constitutio antiqua: imò neque etiam in omnibus Ecclesijs nunc viget ista consuetudo, etiam post Concilium Tridentinum; præstat tamen eam adhiberi, idque, vt quemadmodum vnus tantùm Deus est in hac mundi vniuersitate adorandus, in vno & eodem sacrificio; ità vno & eodem plane ritu & ceremonijs à nobis colatur hic Deus, & perficiatur hoc sacrificium: solum legimus aliàs fuisse decretum, ne Ecclesiæ constituerentur, nisi prius in illis crucis imago Christi locaretur: ità in can. *Nemo Ecclesiam*, de consecration. dist. 1. *Nemo Ecclesiam ædificet antequàm Episcopus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat.*

DVBITATIO QVARTA.

An hoc sacrificium debeat offerri in vasis consecratis, qualia sunt Calices, & Patena.

RESPONDEO, *Sanguinem & Christi corpus offerendum esse intra calicem, & patenam ab Episcopo consecratam.* Probatur 1. ex can. *Vasa*, de consecratione, dist. 1. & ratio idipsum suadet; nã si altare propterea cõsecratur, quia in eo celebratur Missæ sacrificium, quanto magis calix & patena, *Calix necessarius.* in quorum altero sanguis Christi, in alio vero corpus eiusdem recipitur: propter hanc causam calices vocat Optatus sanguinis Christi portitores. Optatus. Meminit autem calicis Hieronym. in epistola Hierony. 20. ad Marcellam, D. Augustinus contra Cresconium, cap. 29. *Sedente Paulo Episcopo*, inquit, & *Montano*, & infrà, *contra scribente victore Aufidi in breue, sic, calices duo aurei, item calices sex argentei:* & plerique alij. Vsus autem patenæ videtur introductus à Christo; nã hic in catino videtur speciem panis consecrasse, & discipulis suis porrexisse, vt colligitur ex Ioanne Euangelista: patena *Patena aut patina.* autem Latinè dicitur Patina, cuius vsus apud antiquos fuit satis familiaris; in illis quippe dapes ad mensam afferebantur, ac proinde patinę in Ecclesia deseruiunt etiam ad hùc vsum, vt species panis offeratur Deo, & populo, quandocumque vult hic communicare: Patenam autem vult Isidorus 20. lib. Etymologiarum cap. 4. à patendo esse dictam; quod scilicet habeat oras expansas, & patentes. Patenarum meminit Columella lib. 12. cap. 43. inde patella, de quibus consule Varronem, Festum, & Isidorum: antiquitus autem patenæ fuerunt non ità paruæ, quemadmodum iam sunt; sed satis magnæ, vt licet colligere ex Damaso in Pontificali.

Calices ex qua materia. Calices autem fuerunt primùm lignei; Deinde vero vitrei, vt videre licet ex Hieronymo in

Digitized by Google

epiſt. ad Ruſticum ; refert enim Exuperium Epiſcopum Tholoſanum ſolitum deferre Euchariſtiam in caniſtro vimineo, & ſanguinem in calice vitreo : poſteà vero facti ſunt argentei ; vt pater ex canon. *Vaſa*, de conſecrat. diſtinct. 1. quod eſt Concilii Triburienſis, cap. 18. & ex canon. *Vt calix Domini* ; præcipitur enim illic, vt nullus vtatur calice ligneo : & item, quod ſi calix non ſit omnino aureus ; fiat tamen ex argento, & ſi quis tanta penuria prematur, vt non ſit ſatis ad perficiendum calicem argenteum, habeat tamen ſtanneum. Prohibentur & ibidem calices confecti ex ære, & aurichalco ; quoniam rubiginé contrahunt virtute vini, & ad vomitum interdum prouocant. Verba autem prædictorum canonum ità habent: *Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria* A *calices ſunt, & patenæ, de quibus Bonifacius martyr, & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere, reſpondit quondam ſacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur, nunc è contra lignei ſacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zephyrinus XVI. Romanus Epiſcopus patenis vitreis Miſſas celebrare conſtituit. Tum deinde Vrbanus Papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea* : & ex Concilio Rhemenſi ; *Vt calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem eruginem parit, quæ vomitum prouocat. Nullus autem ex ligneo aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare.* Non licet item conficere calices ex lapide, aut ex terra propter cauſam proxime explicatam.

IN tribus poſtremis articulis huius Quæſtionis diſſerit D. Thom. de his, quæ in particulari dicuntur & aguntur in Miſſæ ſacrificio peragendo, nec non de ritibus & ceremoniis, quibus celebrari conſueuit, de quibus erudite admodum quamplures aduerſus præſertim hæreticos noſtri ſeculi egerunt, quales ſunt Gabriel Biel, lectionibus in canonem Miſſæ, Thomas Ualdenſis tom. 3. toto titulo 4. de ſacramentalibus Miſſæ. Ioannes Stephanus Durantus Præſes Tholoſanus, de ritibus Eccleſiaſticis, toto libro 2. Bellarminus lib. 2. de Miſſa, à cap. 12. ad finem, vſque & alij multi. Sed omnium optimè, & clarè, ſicut & reliqua Sanctus Doctor tribus articulis, quos idcircò fortaſſe non erit inutile, nec iniucundum hîc in commodum Lectoris verbo ad verbum apponere.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter ordinentur ea quæ circa hoc ſacramentum dicuntur.

4. d. 1 q. 1. a 5 q. 2. ad 1. & diſt. 8. in expo. ti. & diſt. 13. in exp. princ. & d. 15 q. 4. art. 5. q. 1. com. & 1. tim. lect. 1.

AD 4. ſic proceditur. Videtur quòd inconuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc D ſacramentum dicuntur : hoc enim ſacramentum verbis Chriſti conſecratur, vt Ambroſ. dicit in libr. de ſacrament. Non ergo debent aliqua alia in hoc ſacramento dici, quàm verba Chriſti.

Præterea, verba Chriſti nobis per Euangelium innoteſcunt : ſed quædam dicuntur circa conſecrationem E huius ſacramenti, quæ in Euangeliis non ponuntur : non enim legitur in Euangelio quòd Chriſtus in conſecratione huius ſacramenti, oculos ad cælum leuauerit. Similiter etiam in Euangeliis dicitur : *Accipite & comedite*, nec ponitur (omnes,) cùm in celebratione huius ſacramenti dicatur : *Eleuatis oculis in cælum* : & iterum, *Accipite & manducate ex hoc omnes* : inconuenienter ergo huiuſmodi verba dicuntur in celebratione huius ſacramenti.

Præterea, omnia ſacramenta ordinantur ad ſalutem fidelium : ſed in celebratione aliorum ſacramentorum non fit communis oratio pro ſalute fidelium defunctorum : ergo inconuenienter fit in hoc ſacramento.

Præterea, Baptiſmus dicitur ſpecialiter fidei ſacramentum : ea ergo quę pertinent ad inſtructionem fidei, magis debent circa baptiſmum tradi, quàm circa hoc ſacramentum, ſicut doctrina Apoſtolica & Euangelica.

Præterea, in omni ſacramento exigitur deuotio fidelium. Non ergo magis in hoc ſacramento, quàm in aliis deberet excitari deuotio fidelium per laudes diuinas, & per admo-

nitiones, putà cum dicitur, *Sursum corda.*

Quæst. 82. art. 1. Prætereà, Minister huius sacramenti est sacerdos vt dictum est omnia ergo quæ in hoc sacramento dicuntur, à sacerdote dici deberent, & non quædam à ministris, quædam à Choro.

Prætereà, hoc sacramentum per certitudinem operatur virtus diuina: superfluè ergo sacerdos petit huius sacramenti perfectionem, cùm dicit, Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c.

Prætereà, Sacrificium nouæ legis multò est excellentius, quàm sacrificium antiquorum Patrum, inconuenienter ergo sacerdos petit quòd hoc sacrificium habeatur sicut sacrificium Abel, Abrahæ & Melchisedech.

Quæst. 75. art. 1. Prætereà, Corpus Christi sicut non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem (vt supra dictum est) ita etiam nec esse desinit: inconuenienter ergo sacerdos petit: Iube hoc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum.

De consecr. dist. 1. cap. Iacobus frater Domini. Alias in script. addiderunt nobis. Sed contra est quod dicitur de consecrat. distinct. 1. Iacobus frater Domini secundum carnem; & Basilius Cæsariensis Episcopus ediderunt Missæ celebrationem, ex quorum authoritate patet conuenienter singula circa hoc dici.

Conclvsio. Quæcumque circa Eucharistiæ sacramentum in Missa aguntur, magna ratione instituta sunt.

Respondeo dicendum, quod quia in hoc sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideò præ cæteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur, & quia scriptum Eccles. 4. Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini, & Eccles. 18. Ante orationem præpara animam tuam, ideò ante celebrationem huius mysterij, primo quidem præmittitur præparatio quædam ad dignè agenda ea quæ sequuntur. Cuius præparationis prima pars est laus diuina, quæ fit in introitu, secundum illud Psalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò ostendam illi salutare Dei: & sumitur hic, vt pluries de Psalmis, vel saltem cum psalmis cantatur, quia vt Dionys. dicit in 3. c. Eccles. hierarch. Psalmi comprehendunt per modum laudis, quidquid in sacra scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur dicendo, Kyrie eleison, ter quidem pro persona patris, ter autem, pro persona filij, cum dicitur, Christe eleison: & ter pro persona spiritus sancti, cum subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ; vel ad significandum quod omnes personæ sunt in se inuicem. Tertia autem pars commemorat cœlestem gloriam, ad quam tendimus per præsentem vitam & miseriam dicendo, Gloria in excelsis Deo, quæ cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria, intermittitur autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinet. Quarta autem pars continet orationem, quã sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysteriis. Secundo autem præmittitur instructio fidelis populi: quia hoc sacramentum est mysterium fidei, vt supra habitum est, quæ quidem instructio dispositiue quidem fit per doctrinam prophetarum & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per lectores, & subdiaconos. Post quam lectionem, cantatur à Choro graduale, quod significat profectum vitæ, & Alleluja, quod significat spiritualẽ exultationem, vel Tractus in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum: hæc enim consequi debent in populo, ex prædicta doctrina. Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi in

Cap. 3. Eccles. hierarch. inter princip. & med.

Quæst. 78. art. 3.

Euan

Digitized by Google

Euangelio contentam, quæ à ſummis A miniſtris legitur, ſcilicet à Diaconibus. Et quia Chriſto credimus tanquam diuinæ veritati (ſecundum illud Ioan. 8. ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi) lecto Euangelio, ſymbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentire: cantatur autem hoc ſymbolum in feſtis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, B ſicut in feſtis Chriſti, & beatæ Virginis, & Apoſtolorum (qui hanc fidem fundauerunt, & aliis huiuſmodi. Sic igitur populo prę̃parato, & inſtructo, conſequenter acceditur ad celebrationem myſterij, quod quidem & offertur vt ſacrificium, & conſecratur, & ſumitur vt ſacramentum. Vnde primo peragitur oblatio, ſecundo conſecratio materiæ oblatæ, tertio eiuſdem C perceptio. Circa oblationem vero duo aguntur, ſcilicet laus populi in cantu offertorij (per quod ſignificatur lætitia offerentium) & oratio ſacerdotis, qui petit, vt oblatio populi ſit Deo accepta (vnde & 1. Paralip. 29. dixit Dauid. Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc, & populum tuum qui hic repertus D eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria) & poſtea orat, dicens: Domine Deus cuſtodi hanc voluntatem. Deinde circa conſecrationem, quæ ſupernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad deuotionẽ in præfatione, vnde & monetur ſurſum corda habere ad Dominum, & ideo finita præfatione, populus deuote laudat diuinitatem Chriſti, cum E Angelis, dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, & humanitatem cum pueris dicens. Benedictus qui venit. Deinde ſacerdos ſecreto commemorat, primo quidem pro quibus hoc ſacrificium offertur, ſcilicet pro vniuerſali Eccleſia, & pro his qui in ſublimitate ſunt conſtituti 1. Timoth. 2. & ſpecialiter quoſdam qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundo commemorat ſanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, Communicantes & memoriam venerantes, &c. Tertio petitionem concludit cum dicit: Vt hæc oblatio, ſit illis, pro quibus offertur, ſalutaris. Deinde accedit ad ipſam conſecrationem, in qua primo petit conſecrationis effectum, cum dicit, quam oblationem tu Deus, &c. Secundo conſecrationem peragit per verba ſaluatoris, cum dicit, Qui pridie, &c. Tertio excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum Chriſti, cum dicit, Vnde & memores. Quarto petit hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum, cum dicit: Supra quę propitio, &c. Quinto petit huius ſacrificij & ſacramenti effectum. Primo quidem, quantum ad ipſos ſumentes, cum dicit, Supplices te rogamus. Secundo, quantum ad mortuos, qui iam ſumere non poſſunt, cum dicit: Memento etiam Domine, &c. Tertio, ſpecialiter quantum ad ipſos ſacerdotes offerentes, cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, &c. Deinde agitur de perceptione ſacramenti, & primo prę̃paratur populus ad percipiendum primo quidem, per orationem communem totius populi (quę eſt oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari,) & etiam priuatam, quam ſpecialiter ſacerdos pro populo offert, cum dicit: Libera nos quęſumus Domine, &c. Secundo prę̃paratur populus per pacem, quę datur dicendo Agnus Dei: Eſt enim hoc ſacramentum vnitatis & pacis: vt ſupra dictum eſt. In Miſſis tamen defunctorum, in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde ſequitur perceptio ſacramenti, primo percipiente ſacerdote, & poſtmodum aliis dante: quia vt Dionyſ. dicit. 3. Eccleſ. hierarch. ille qui aliis diuina tradit

Quæſt 79. art 1 & q. 73 art. 4

Ca. 3. Eccl. hierar. non procul à fine.

Digitized by

primo debet ipſe particeps eſſe. Vltimo autem tota miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro ſumptione myſterij (quod ſignificat cantus poſt communionem) & ſacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & Chriſtus celebrata cœna cum diſcipulis hymnum dixit, vt dicitur Matth. 26.

Ad primum ergo dicendum, quod conſecratio ſolis verbis Chriſti conficitur: alia vero neceſſe eſt addere ad præparationem populi ſumentis, ſicut dictum eſt.

In corp. initio.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut dicitur Ioann. vltimo, multa ſunt à Domino facta vel dicta quæ Euangeliſtæ non ſcripſerunt, inter quæ fuit hoc, quod Dominus in cœna oculos leuauit in cœlum: quod tamen Eccleſia ex traditione Apoſtolorum habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in ſuſcitatione Lazari (vt habetur Ioan. 11.) & in oratione, quam pro diſcipulis fecit, Ioan. 17. oculos leuauit ad Patrem, in huius ſacramenti inſtitutione, multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur, Manducate & comedite, non differt quantum ad ſenſum: nec multum refert quid dicatur, præſertim cum verba illa non ſint de forma, vt ſupra dictum eſt.

Quæſt. 77. art. 3. & ar. 2. ad 2. arg.

Quod autem additur, omnes, intelligitur in verbis Euangelij: licet non exprimatur: quia ipſe dixerat Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

Ad tertium dicendum, quod Euchariſtia eſt ſacramentum totius Eccleſiaſticæ vnitatis, & ideo ſpecialiter in hoc ſacramento magis quam in aliis debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad ſalutem totius Eccleſiæ.

Ad quartum dicendum, quod inſtructio fidei eſt duplex. Vna, quæ fit nouiter imbuendis ſcilicet catechumenis: & talis inſtructio, ſit per baptiſmum. Alia autem eſt inſtructio, qua inſtruitur fidelis populus, qui communicat huic myſterio, & talis inſtructio fit in hoc ſacramento, & tamen ab hac inſtructione, non repelluntur etiam catechumeni, & infideles. Vnde dicitur de conſecrat. diſt. 1. Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad Miſſam catechumenorum, in qua, ſcilicet continetur inſtructio fidei.

De conſecr. diſt. 1. ca. Epiſc.

Ad quintum dicendum, quod in hoc ſacramento, & maior deuotio requiritur quam in aliis ſacramentis (propter hoc quod in hoc ſacramento totus Chriſtus continetur) & etiam communior, quia in hoc ſacramento requiritur deuotio totius populi, pro quo ſacrificium offertur, & non ſolum percipientium ſacramentum, ſicut in aliis ſacramentis, & ideo Cyprianus dicit: Sacerdos præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo, ſurſum corda, vt dum reſpondet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur, nil aliud ſe, quam Deum cogitare debere.

In libro de ordine Dominj, non multum remote ante finem.

In fol. ad 3. arg. in iſto arg.

Ad ſextum dicendum, quod in hoc ſacramento (ſicut dictum eſt) tanguntur ea quæ pertinent ad totam Eccleſiam, & ideo quædam dicuntur à choro, quæ pertinent ad populum: quorum quædam Chorus totaliter proſequitur, quæ ſcilicet toti populo inſpirantur: quædam vero populus proſequitur, ſacerdote inchoante, qui perſonam Dei gerit, in ſignum quod talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina, ſicut fides & gloria cœleſtis, & ideo ſacerdos inchoat ſymbolum fidei, & Gloria in excelſis Deo. Quædam vero dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina veteris & noui teſtamenti, in ſignum, quod per miniſtros à Deo miſſos, eſt doctrina hæc populis annunciata. quædam vero ſacerdos ſolus proſequitur: quæ ſcilicet

Digitized by Google

cet ad proprium officium ſacerdotis pertinent, vt ſcilicet dona & preces offerat pro populo, ſicut dicitur Hebr. 5. In his tamen quædam dicit publice, ſcilicet quæ pertinent & ad ſacerdotem, & ad populum, ſicut ſunt orationes communes, quædam vero pertinent ad ſolum ſacerdotem, ſicut oblatio & conſecratio: & ideo quæ circa hæc ſunt dicenda, occulte à ſacerdote dicuntur: in vtriſque tamen excitat attentionem populi dicendo Dominus vobiſcum, & expectat aſſenſum dicentium, Amen: & ideo etiam in his quæ ſecretè dicuntur publice præmittit, Dominus vobiſcum, & ſubiungit: Per omnia ſæcula ſæculorum. Vel ſecrete aliqua ſacerdos dicit, in ſignum, quod circa Chriſti paſſionem diſcipuli, non niſi occulte confitebantur Chriſtum.

Ad ſeptimum dicendum, quod efficacia verborum ſacramentalium impediri poteſt per intentionem ſacerdotis, nec tamen eſt inconueniens, quod à Deo petamus id, quod certiſſime ſcimus ipſum facturum, ſicut Chriſtus Ioan. 17. petiit ſuam clarificationem. Non tamen videtur ibi ſacerdos orare, vt conſecratio impleatur, ſed vt nobis fiat fructuoſa. Vnde ſignanter dicit. Vt nobis corpus & ſanguis fiat, & hoc ſignificant verba, quæ præmittit, dicens: Hanc oblationem facere digneris benedictam ſecundum Auguſtin. id eſt per quam benedicamur: ſcilicet per gratiam: adſcriptam, id eſt, per quam in cœlo aſcribamur: ratam, id eſt per quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur: rationabilem id eſt, per quam à beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilem, vt qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio ſimus.

De conſecr. diſt. 2. cap. Verum ſub à medio.

Ad octauum dicendum, quod licet hoc ſacramentum ex ſeipſo præferatur omnibus antiquis ſacrificiis: tamen ſacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptiſſima ex eorum deuotione. Petit ergo ſacerdos, vt ſic hoc ſacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, ſicut illa accepta fuerunt Deo.

Ad nonum dicendum eſt, quod ſacerdos non petit, neque quod ſpecies ſacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit, ſed petit hoc pro corpore myſtico (quod ſcilicet in hoc ſacramento ſignificatur) vt ſcilicet orationes ſacerdotis, & populi Angelus aſſiſtens diuinis myſteriis, Deo repræſentet, ſecundum illud Apocal. 8. Aſcendit fumus incenſorum de oblationibus ſanctorum de manu Angeli: ſublime autem altare Dei dicitur, vel ipſa Eccleſia Triumphans, in quam transferri petimus, vel ipſe Deus, cuius participationem petimus, de hoc enim altari dicitur Exod. 20. Non aſcendes ad altare meum per gradus, id eſt, in Trinitate gradus non facies, vel per Angelum intelligitur ipſe Chriſtus, qui eſt magni Concilij Angelus, qui corpus ſuum myſticum Deo patri coniungit, & Eccleſiæ triumphanti, & propter hoc etiam miſſa nominatur: quia per Angelum ſacerdos, preces ad Deum mittit, ſicut populus per ſacerdotem; vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa à Deo, vnde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtiuis diebus populum licentiat dicens, Ite, Miſſa eſt, ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum, vt ſcilicet, ſit Deo accepta.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea quæ in celebratione huius ſacramenti aguntur ſint conuenienter?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod ea quæ in celebratione huius ſacramenti aguntur, non

4 ſent. diſt. 12. in exp. lit. & op. 65. c. 5. & op. 66. per totum.

sit conuenientia. Hoc enim sacramentum ad nouum testamentum pertinet, vt ex forma ipsius apparet. In nouo autem testamento, non sunt obseruandæ cæremoniæ veteris testamenti, ad quas pertinebat quod sacerdos, & ministri aqua lauabantur, quando accedebant ad offerendum. Legitur enim Exod. 30. Lauabunt Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, non est ergo conueniens, quod sacerdos lauet manus suas immediate ante sacrum solemnia.

Præterea, Ibidem Dominus mandauit quod Aaron adoleret incensum suaue fragrans super altare, quod erat ante propitiatorium quod etiam pertinebat ad cæremonias veteris testamenti: inconuenienter ergo in Missa sacerdos ab vnctione vtitur.

Præterea, ea quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda. Inconuenienter ergo sacerdos multoties iterat cruce signationes super hoc sacramentum.

Præterea, Apostolus dicit Hebr. 7. Sine vlla contradictione, quod minus est, à maiori benedicitur: sed Christus qui est in hoc sacramento, post consecrationem est multo maior sacerdote, inconuenienter igitur sacerdos post consecrationem, benedicit hoc sacramentum cruce signando.

Præterea, in sacramento Ecclesiæ nihil debet fieri quod ridiculosum videatur: videtur autem ridiculosum, gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus iungit, digitos complicat, & seipsum inclinat ergo hoc non debet fieri in hoc sacramento.

Præterea, Ridiculosum etiam videtur, quod sacerdos multoties se ad populum vertit, & multoties populum salutat: non ergo debent hæc fieri in celebratione huius sacramenti.

Præterea, Apostol. 1. Corinth. 11. pro inconuenienti habet, quod Christus diuisus sit: sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento: Inconuenienter ergo hostia frangitur à sacerdote.

Præterea, ea quæ in hoc sacramento agunt, passionem Christi repræsentant: sed in passione Christi corpus fuit diuisum in locis quinque vulnerum: ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet, magis, quàm in tres.

Præterea, Totum corpus Christi in hoc sacramento seorsum consecratur à sanguine. Inconuenienter ergo vna pars eius sanguini miscetur.

Præterea, Sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento vt cibus, ità & sanguis Christi vt potus: sed sumptioni corporis Christi non adiungitur in celebratione missæ alius corporalis cibus. Inconuenienter igitur sacerdos post sumptionem sanguinis Christi, vinum non consecratum sumit.

Præterea, Veritas debet respondere figuræ, sed de agno Paschali, qui fuit figura huius sacramenti, mandatur quod non remaneret ex eo quidquam vsque mane. Inconuenienter igitur hostiæ consecratæ reseruantur, & non statim sumuntur.

Præterea, Sacerdos pluraliter loquitur audientibus cum dicit, Dominus vobiscum, & gratias agamus: sed inconueniens videtur pluraliter loqui vni soli, & maxime minori: ergo inconueniens videtur quod sacerdos vno tantum ministro præsente, celebret Missam. Sic igitur videtur quod inconuenienter aliqua agantur in celebratione huius sacramenti.

Sed in contrarium est Ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest: vt pote à Spiritu sancto instructa.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) in sacramentis duplíciter aliquid significatur, scilicet verbis

Quæst. 60. art. 5. & 6.

Digitized by Google

verbis & factis, ad hoc quod ſit perfectior ſignificatio. Significantur autem verbis in celebratione huius ſacramẽti, quędã pertinẽtia ad paſsionẽ Chriſti, quæ repræſẽtatur in hoc ſacramẽto, vel etiã ad corpus myſticũ quod ſignificatur in hoc ſacramẽto, & quædã pertinentia ad vſum huius ſacramẽti, qui debet eſſe cum deuotione & reuerentia; & ideo in celebratione huius myſterij, quædã aguntur ad repræſentandam paſsionem Chriſti, vel etiam di ſpoſitionem corporis myſtici, & quædam aguntur pertinentia ad deuotionẽ & reuerẽtiã huius ſacramẽti.

De manũ & digitorũ ablutione.

Ad primũ ergo dicẽdũ, quod ablutio manuum fit in celebratione miſſæ, propter reuerentiã huius ſacramẽti, & hoc dupliciter. Primo quidẽ, quia aliqua prętioſa tractare non conſueuimus, niſi manibus ablutis. Vnde indecens videtur, quod ad tantũ ſacramẽtũ aliquis accedat, manibus etiã corporaliter inquinatis. Secũdo, propter

C. 3. Eccl. hier. à medio illius.

ſignificationẽ, quia vt Dionyſ. dicit. 3. Eccl. Hier. extremitatũ ablutio ſignificat emundationẽ, etiã à minimis peccatis, ſecundũ illud Ioan. 13. Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc ſacramentũ, quod etiã ſignificatur per confeſſionem, quæ fit ante introitũ miſſę, & hoc idem ſignificabat ablutio ſacerdotum in veteri

Eodem loco nunc dicto.

lege vt ibidem Dion. dicit. Nec tamẽ Eccleſia hoc ſeruat tãquã ceremoniale veteris legis præceptũ, ſed quaſi ab Eccleſia inſtitutũ, ſicut quiddã ſecũdũ ſe conueniens, & ideo nõ eodẽ modo obſeruatur ſicut tunc: prætermittitur enim pedũ ablutio, & ſeruatur ablutio manuum, quæ põteſt fieri magis in promptu, quæ ſufficit ad ſignificandã perfectã mũdationẽ. Cũ enim manus ſit organum organorũ (vt dicitur tertio de anima) omnia opera attribuuntur manibus, vnde in Pſ. 23. dicitur. La-

Aliar quæ magis ſufficit.

Lib. 3 text. 38 to. 2.

uabo inter innocentes manus meas.

De thurificatione.

Ad ſecũdũ dicẽdũ quod etiã thurificatione non vtimur quaſi ceremoniali præcepto legis, ſed ſicut Eccleſię ſtatuto: vnde nõ eodẽ modo vtimur, ſicut in lege veteri erat ſtatutũ. Pertinet autẽ ad duo. Primo quidẽ, ad reuerẽtiã huius ſacramẽti, vt ſcilicet per bonũ odorẽ depellatur, ſi quid corporaliter praui odoris in loco fuerit, quod poſſet prouocare horrorem. Secundo pertinet ad repręſẽtãdũ effectũ gratię, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit (ſecundũ illud Gen. 27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni) & à Chriſto deriuatur ad fideles officio miniſtrorũ, ſecũdũ illud 2. Cor. 2. Odorẽ notitiæ ſuæ ſpargit per nos in omni loco, & ideo vndique thurificato altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem.

De crucis varia in Miſſa ſignificat.

Ad tertiũ dicẽdũ, quod ſacerdos in celebratione Miſſę vtitur cruceſignatione, ad exprimẽdã paſsionẽ Chriſti, quæ ad crucẽ eſt terminata. Eſt autem paſſio Chriſti quibuſdam quaſi gradibus peracta. Nã primo fuit Chriſti traditio, quæ facta eſt à Deo, Iuda, & Iudęis: quod ſignificat trina cruceſignatio, ſuper illa verba, Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Secũdo fuit Chriſti venditio. Eſt autẽ vẽditus ſacerdotibus, ſcribis, & phariſæis. Ad quod ſignificãdũ fit iterũ trina cruceſignatio ſuper illa verba: Benedictã, aſcriptã, ratã. Vel ad oſtẽdẽdũ pretiũ venditionis, ſcilicet triginta denarios. Additur autem & duplex ſuper illa verba. Vt nobis corpus & ſanguis, &c. ad deſignandam perſonã Iudę vẽditoris & Chriſti vẽditi. Tertio autem fuit præſignatio paſsionis Chriſti facta in cœna. Ad quod deſignãdũ fiunt tertiò duę cruces, vna in cõſecratione corporis, alia in conſecratione sãguinis: vbi vtrobique dicitur, Benedixit. Quarto autem, fuit ipſa paſsio Chriſti: vnde ad repræſẽtãdũ quinque plagas Chriſti, fit quarto quintuplex crucis ſignatio, ſuper illa verba, Hoſtiã purã, hoſtiã ſanctã, hoſtiã immaculatã, pa-

nem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Quinto repræſentatur extenſio corporis & effuſio ſanguinis, & fructus paſsionis per trinam cruceſignationem, quæ fit ſuper illis verbis: Corpus & ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione, &c.

Sexto, repræſentatur triplex oratio, quã fecit in cruce. Vna, pro perſecutoribus, cũ dixit, Pater ignoſce illis. Secũda, pro liberatione à morte cum dixit, Deus meus, Deus me⁹, vt quid dereliquiſti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cum dixit. Pater in manus tuas commendo Spiritum meũ. Et ad hoc ſignificãdũ, fit trina cruceſignatio ſuper illa verba: Sanctificas, viuificas, benedicis, &c. Septimo, repræſentantur tres horæ, quibus pependit in cruce, ſcilicet à ſexta vſque ad horam nonam, & ad hoc conſignificandum fit iterum trina cruceſignatio ad illa verba, Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo. Octauo autem, repræſentatur ſeparatio animæ à corpore per duas cruces ſubſequenter extra calicẽ factas. Nono autem repræſentatur reſurrectio tertia die facta, per tres cruces quę fiũt ad illa verba: Pax Domini ſit sẽper vobiſcũ: Poteſt autem breuiùs dici, quod cõſecratio hui⁹ ſacramẽti, & acceptatio huius ſacrificij, & fruct⁹ ipſius procedit ex virtute crucis Chriſti, & ideò vbicũque fit mẽtio de aliquo horum, ſacerdos cruceſignatione vtitur.

Inſol. præced. Ad quartum dicendum, quod ſacerdos poſt conſecrationẽ non vtitur cruceſignatione, ad benedicendũ & conſecrandum, ſed ſolum ad commemorãdam virtutem crucis & modum paſsionis Chriſti, vt ex dictis patet.

Ad quintũ dicendum, quod ea quæ ſacerdos in Miſſa facit non ſunt ridiculoſæ geſticulationes: fiunt enim ad aliquid repræſentandum. Quod enim ſacerdos brachia extendit poſt conſecrationem, ſignificat extenſionẽ brachiorum Chriſti in cruce: leuat etiam manus orãdo, ad deſignandum quod oratio eius dirigitur pro populo ad Deum ſecundum illud Thre. 3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos, & Exod. 17. dicitur, quòd cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël. Quod autẽ manus interdum iũgit, & ſe inclinat, eſt ſupplicite & humiliter orantis, & deſignat humilitatem & obedientiam Chriſti, ex qua paſſus eſt. Digitos autem iũgit poſt conſecrationẽ, ſcilicet pollicem cum indice, quibus corpus Chriſti cõſecratũ tetigerat, vt ſi qua particula digitis adhæſerit, non diſpergatur, quod pertinet ad reuerentiam ſacramenti.

Ad ſextum dicendum, quod quinquies ſe ſacerdos vertit ad populũ, ad ſignificãdũ quod Dominus die reſurrectionis quinquies ſe manifeſtauit, vt ſupra dictum eſt, in tractatu de reſurrectione Chriſti: Salutat autem ſepties populum, ſcilicet quinque vicibus quibus ſe cõuertit ad populum, & bis quando ſe non conuertit, (ſcilicet cum ante præfationẽ dicit, Dominus vobiſcum, & cũ dicit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum) ad deſignandũ ſeptiformem gratiã Spiritus ſancti. Epiſcopus autem celebrans in feſtis, in prima ſalutatione dicit, Pax vobis, quod poſt reſurrectionem diſcipulis dixit Dominus cuius perſonam repræſentat præcipue Epiſcopus. *Quæſt. 35. art. 3. arg. 3.*

Ad ſeptimum dicẽdum, quod fractio hoſtiæ tria ſignificat, primo quidem ipſam diuiſionem corporis Chriſti, quæ facta eſt in paſsione. Secundo diſtinctionem corporis myſtici ſecundum diuerſos ſtatus. Tertiò diſtributionem gratiarum procedentium ex paſsione Chriſti, vt Dionyſ. dicit 3. Eccleſ. Hierarch. Vnde talis fractio non inducit diuiſionem Chriſti. *Cap. 3. Eccleſ. hier. à medio.*

Ad octauum dicendum, quod ſicũt Sergius Papa dicit (& habetur de conſecrat. diſt. 2.) triforme eſt corpus Domini: Pars oblata in calicem miſſa, corpus Chriſti quod iam reſurrexit, monſtrat ſcilicet ipſum Chriſtum, & beatam *De conſecr. diſt. 2. can. Triform.*

Digitized by Google

beatam Virginem, vel ſi qui alij ſancti cum corporibus iam ſunt in gloria. Pars comeſta, ambulans adhuc ſuper terram, quia ſcilicet viuentes in terra, ſacramento vtuntur, & paſſionibus conteruntur, ſicut & panis comeſtus conteritur dentibus. Pars in altari vſque ad finem miſſæ remanens, corpus in ſepulchro, quia vſque in finem ſæculi corpora ſanctorum in ſepulchris erunt: quorũ tamen animæ ſunt, vel in purgatorio, vel in cœlo. Hic tamen ritus non ſeruatur modo, vt ſcilicet vna pars ſeruetur vſque in finem miſſę, propter periculum. Manet tamẽ eadem ſignificatio partium: quam quidam metrice expreſſerunt dicẽtes.

Aliàs vniuntur.

Hoſtia diuiditur in partes, tincta beatos
Plene, ſicca notat viuos, ſeruata ſepultos.

Quidam tamen dicunt, quod pars in calicẽ miſſa, ſignificat eos, qui viuunt in hoc mundo: pars autem extra calicem ſeruata, ſignificat plene beatos, ſcilicet quantum ad animã & corpus: pars autẽ comeſta, ſignificat cæteros.

Ad nonum dicendum, quod per calicem duo poſſunt ſignificari. Vno modo ipſa paſſio Chriſti, quæ repræſentatur in hoc ſacramento, & ſecundum hoc per partem in calicem miſſam, ſignificantur illi, qui adhuc ſunt participes paſſionum Chriſti. Alio modo, poteſt ſignificari fruitio beata, quæ etiam in hoc ſacramento præfiguratur, & ideò illi quorum corpora iam ſunt in plena beatitudine, ſignificantur per partẽ in calicẽ miſsã. Et eſt notandũ, quod pars in calicẽ miſſa, nõ debet populo dari in ſupplementum cõmunionis: quia panẽ intinctũ non porrexit Chriſtꝰ, niſi Iudæ proditori.

Ad decimum dicendum, quod vinum ratione ſuę humiditatis eſt abluuium, & ideò ſumitur poſt ſuſceptionem huius ſacramenti, ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneãt, quod pertinet ad reuerentiam ſacramenti, vnde extra de celebratione miſſarum c. ex parte: Semper ſacerdos vino os perfundere debet, poſtquam totum percepit Euchariſtiæ ſacramentũ, niſi eum eodem die aliam miſſam debuerit celebrare, ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationẽ aliã impediret. Et eadẽ ratione perfũdit vino digitos, quib. corpus Chriſti tetigerat.

In decret. l. 3 ti. 41 c. ex parte & eſt cap. 5.

Ad vndecimum dicendũ eſt, quod veritas quantum ad aliquid debet reſpondere figuræ, quia ſcilicet non debet pars hoſtiæ conſecratæ, de qua ſacerdos & miniſtri, vel etiam populus communicat, in craſtinum reſeruari. Vnde, & habetur de conſecr. d. 2. Clemens Papa ſtatuit, quod tanta holocauſta in altari offerantur, quanta populo ſufficere debeãt: quod ſi remanſerint in craſtinum non reſeruentur, ſed cum timore & tremore clericorũ diligentia conſumantur: quia tamen hoc ſacramentum quotidie ſumendum eſt (non autem agnus paſchalis quotidie ſumebatur) ideo oportet alias hoſtias cõſecratas, pro infirmis cõſeruare. Vnde in eadem diſt. legitur: Presbyter Euchariſtiam sẽper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.

De conſecr. diſt. 2. cap. Trib. grad.

De conſecr. diſt. 2. cap. presbyter.

Ad duodecimum dicendum, quod in ſolemni celebratione miſſæ, plures debent adeſſe. Vnde Soter Papa dicit, vt habetur de conſecr. di. 1. Hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus presbyterorum, miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus ſibique reſpondentibus ipſe tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiſcum, & illud in ſecretis, Orate pro me, apertiſſime conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Vnde & ad maiorem ſolemnitatem, ibidem ſtatutum legitur, quod Epiſcopus cum pluribus miſſarũ ſolemnia peragat: in miſſis tamen priuatis ſufficit vnum habere miniſtrum qui gerit perſonam totius populi catholici, ex cuius perſona ſacerdoti pluraliter reſpondet.

De conſecr. d. 2. c. Hoc quoque ſtatutum eſt.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurri defectibus, circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ obseruando.

4. dist. 13. in exp. lit.

AD sextum sic proceditur: videtur quod non possit sufficienter occurri defectibus, qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesię obseruādo: contingit enim quandoque, quod sacerdos ante consecrationē, vel post, moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramētū sumere possit, & missam perficere: ergo videtur quod non possit impleri statutū Ecclesiæ, quo præcipitur quod sacerdos cōsecrās suo sacrificio cōmunicet.

Præterea, contingit quandoque, quod sacerdos ante consecrationem vel post recolit se aliquid comedisse vel bibisse, vel etiam alicui mortali peccato subiacere, vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat: necesse est ergo, quod ille qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter cōtra statutū Ecclesię faciens, siue sumat, siue non sumat.

Prętereà, contingit quandoque, quod in calicem musca, vel aranea, vel aliquod animal venenosū cadit post consecrationem, vel etiam cognoscit sacerdos calici venenum esse immissum ab aliquo maleuolo, causa occidendi ipsum. In quo casu si sumat, videtur mortaliter peccare, se occidendo, vel Deum tentando: similiter si non sumat, peccat contra statutum Ecclesię faciens: ergo videtur esse perplexus & subiectus necessitati peccandi, quod est inconueniens.

Præterea, contingit quandoque, quod per negligentiam ministri, aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, & hoc sacerdos aduertit: ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus, siue sumat corpus sine sanguine (quasi imperfectum faciens sacramentum) siue non sumat nec corpus, nec sanguinem.

Præterea, contingit quandoque, quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia quæ in celebratione huius sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, siue reiteret verba super eamdem materiam, quę forte iam dixerat, siue vtatur pane & vino, non consecratis, quasi consecratis.

Præterea, contingit quandoque, propter frigus quod sacerdoti dilabitur hostia in calicem, siue ante fractionem, siue post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesiæ implere, vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc, quod sola tertia pars mittatur in calicem.

Præterea, contingit quandoque, quod per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur, vel etiam, quod sacerdos sacramentum sumptū vomit, aut etiam quod hostiæ consecratæ, tandiu conseruantur vt putrefiant, vel etiā à muribus corrodantur, vel etiam qualitercūque perdantur: in quibus casibus non videtur posse huic sacramēto debita reuerētia exhiberi, secundū Ecclesię statuta. Non videtur ergo, quod his defectib⁹ seu periculis possit occurri, saluis Ecclesiæ statutis.

Sed contra est, quod sicut Deus, ita Ecclesia non præcipit aliquid impossibile. Respondeo dicendum, quod periculis seu defectibus circa hoc sacramentum contingentibus dupliciter potest occurri: vno modo præueniendo, ne scilicet periculum accidat: alio modo subsequendo, vt scilicet, id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod si sacerdos morte, aut infirmitate graui occupetur ante consecrationem

corporis

corporis & ſanguinis Domini, non oportet vt per alium ſuppleatur: ſi vero incæpta conſecratione hoc acciderit (putà conſecrato corpore ante conſecrationem ſanguinis, vel etiam conſecrato vtroque) debet Miſſæ celebritas per aliũ expleri. Vnde, vt habetur in decretis 7. quæſt. 1. cap. Nihil, & in Toletano Concilio legitur, Cenſuimus conuenire, vt cum à ſacerdotibus Miſſarum tempore myſteria ſacra conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cuiuſlibet euentus, quo cæptum nequeant explere myſterium, ſit liberum Epiſcopo vel presbytero alteri, conſecrationem exequi incæpti officij. Non enim aliud competit ad ſupplementum initiatis myſteriis, quam vt aut incipientis aut ſubſequentis benedictione ſint completa ſacerdotis: quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfecto ordine compleantur: cum enim ſimus omnes vnum in Chriſto nihil contrarium diuerſitas perſonarum format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat. Ne tamen quod naturæ lãguoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur, nullus abſque præuentu patentis moleſtiæ miniſter vel ſacerdos cum cęperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere: ſi quis hoc temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

Concil. 7. Toler can. 1. vel 2. ſecundum diuerſos codices. Et habetur 7. q. 1. c. Nihil.

Ad ſecundum dicendum, quod vbi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud quod habet minus de periculo. Maxime autem periculoſum circa hoc ſacramentum eſt, quod eſt contra perfectionem huius ſacramenti, quia hoc eſt, immane ſacrilegium. Minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis, & ideo ſi ſacerdos poſt conſecrationem incæptam recordetur ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominus debet perficere ſacrificium, & ſumere ſacramentum: ſimiliter ſi recordetur ſe peccatum aliquod commiſiſſe debet pœnitere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumere ſacramentum: eſt & eadem ratio ſi meminerit ſe excommunicationi cuicumque ſubiacere: debet enim aſſumere cum propoſito humiliter abſolutionem petendi, & ſic per inuiſibilem pontificem Ieſum Chriſtum abſolutionem conſequetur quantum ad hunc actum, quod peragat diuina myſteria. Si vero ante conſecrationem alicuius prędictorum ſit memor, tutius reputarem maxime in caſu manducationis & excommunicationis, quod miſſam incæptã deſereret niſi graue ſcandalum timeretur.

Ad tertium dicendum, quod ſi muſca, vel aranea in calicem ante conſecrationem ęciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum, debet effundi, & abluto calice, denuo aliud vinum poni conſecrandum. Si vero aliquid horum poſt conſecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lauari & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti. Si vero venenum, ibi eſſe deprehenderit immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alij dare, ne calix vitæ vertatur in mortem: ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquiis conſeruari, & ne remaneat ſacramentum imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo reſumere à conſecratione ſanguinis, & ſacrificium perficere.

Ad quartum dicendum, quod ſi ſacerdos ante conſecrationem ſanguinis, & poſt conſecrationem corporis, percipiat aut vinum, aut aquam non eſſe in calice, debet ſtatim apponere, & conſecrare: ſi vero poſt conſecrationis verba perceperit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere, quia impoſitio aquæ (vt ſupta dictum eſt) non eſt de neceſſitate ſacramenti: debet tamen puniri ille, ex

Quæſt. 74. art. 7.

Digitized by Google

cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam conſecrato miſceri : quia ſequeretur corruptio ſacramenti pro aliqua parte, vt ſupra dictum eſt. Si vero percipiat poſt verba conſecrationis quod vinum non fuerit poſitum in calicem; ſi quidem hoc percipiat ante ſumptionem corporis, debet depoſita aqua, ſi ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & reſumere à verbis conſecrationis ſanguinis; ſi vero hoc perceperit poſt ſumptionem corporis, aliam hoſtiam apponere debet, iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine, quod ideo dico, quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſeruaretur debitus ordo conſecrandi : & ſicut dicitur in prædicto c. Toletani Concilij, perfecta videri nõ poſſunt ſacrificia niſi perfecto ordine compleantur. Si verò inciperet à conſecratione ſanguinis, & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret, niſi adeſſet hoſtia conſecrata, cum in verbis illis occurrant quædam dicenda, & fienda non ſolum circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum ſumere hoſtiam conſecratam & ſanguinem, non obſtante etiam, ſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in calice, quia præceptum de perfectione ſacramenti maioris eſt ponderis, quàm præceptum quod hoc ſacramentum à ieiunis ſumatur, vt ſupra dictum eſt.

Quæſt. 77. art. 8.

In Concil. Tolet. 7. can. 1. vel 2. ſecundum aliquos codices.

Ad quintum dicendum, quod licet ſacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari : non enim qui multa dicit recolit omnium, quæ dixit, niſi forte aliquid in dicendo apprehenderit ſub ratione iam dicti : ſic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde ſi aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud, non multum poſtea recolit ſe dixiſſe : ſic enim fit aliquid obiectum memoriæ, in quantum accipitur ſub ratione præteriti ; ſicut dicitur in lib. de memoria : ſi tamen ſacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe : ſi quidem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non exiſtimo quod propter hoc debeat reſumere, immutando ordinem ſacrificij, ſed debet vlterius procedere : ſi vero certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſcilicet formas conſecrationis, cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate ſacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum quod dictum eſt in defectu materiæ, vt ſcilicet reſumatur à forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo ſacrificij.

Quæſt. 80. art. 8. & 4. 82. art. 4.

In libro de memoria c. 1. to. 2. inter oper. Ariſt.

In ſolut. ad 4. arg. hic in iſto art.

Ad ſextum dicendum, quod fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod vna ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admiſtio aquæ ſignificat populum, & ideò horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificij, vt propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem huius ſacramenti.

Ad ſeptimum dicendum, quod (ſicut legitur de conſecratione, diſtinct. 2. ex decreto Pij Papæ) ſi per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur, ſi vero non fuerit tabula, terra radetur, & igni conſumetur, & cinis intrà altare condetur ; & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat ſi autem ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, decem diebus pœniteat. Si vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vſque ad quartũ, viginti diebus pœniteat, & linteamina quæ ſtilla tetigerit, tribus vicibus lauet miniſter

De conſecr. diſt. 2. cap. ſi per negligentiam.

Digitized by Google

calice ſubtus poſito; & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur: poſſet etiam ſumi in potum à miniſtro, niſi propter abominationem dimitteretur: quidam autem vlterius partem illam linteaminum incidunt, & comburunt: & cinerem in altari vel ſacrario reponunt. Subditur autem ibidem ex pœnitentiali Bedæ preſbyteri. Si quis per ebrietatem vel voracitatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laïcus: clerici vel monachi, ſeu Diaconi & preſbyteri ſeptuaginta diebus pœniteant: Epiſcopus, nonaginta, ſi autem infirmitatis cauſa euomuerint, ſeptem diebus pœniteant. Et in eadem diſtinct. legitur ex Concilio Arelatenſi: qui non bene cuſtodierit ſacramentum, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat, qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit: triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus ſacerdos, per cuius negligentiam hoſtiæ conſecratæ putrefiunt: prædictis autem diebus, debet pœnitens ieiunare, & à communione ceſſare. Penſatis tamen conditionibus negotij, & perſonæ poteſt minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam: hoc tamen obſeruandum eſt, quod vbicumque ſpecies integræ inueniuntur, ſunt reuerenter conſeruandæ, vel etiam ſumendæ: quia manentibus ſpeciebus, manet ibi corpus Chriſti, vt ſupra dictum eſt. Ea verò, in quibus inueniuntur, ſi commode fieri poteſt, ſunt comburenda, cinere in ſacrario recondito, ſicut de raſura tabulæ dictum eſt.

Eadem diſt. 2. c. Si quis per ebrietatem.

Ead. diſt. 2. c. qui bene nõ cuſtodierit.

Quæſt. 77. art. 5 & locis ibi citatis, in iſtius ſolut. principio.

Digitized by Google

AD QVÆSTIONEM OCTVAGESIMAM QVARTAM Diui Thomæ.

PROOEMIVM.

PRÆCLARVM sanè beneficiũ fuit probatica illa piscina Hierosolymis existens, vt narrat Euangelium Ioann. cap. 5. populo Iudaïco concessa, quinque porticus habens, in quibus iacebat multitudo languentium, cæcorum, & claudorum expectantium aquæ motum: huius enim erat ea vis & efficacia, vt illa ab Angelo secundùm tempus descendente mota, ægrotantem lotũ mundaret à quacumque infirmitate; sed longè excellentius donum, quamuis in priori illo adumbratum, quod Christus Dominus toti populo Christiano concessit, dum penitentię sacramentum contritione, seu attritione, confessione, absolutione, & satisfactione constans ad quascumque animæ fœditates, maculas, & infirmitates perfectè mundandas & curandas instituit. De huius igitur natura, partibus, effectis in sequentibus est nobis agendum.

QVÆSTIO LXXXIV.

De penitentiæ sacramento.

ARTICVLO 1. docet penitentiam esse sacramentum. Circa quod sit

DVBITATIO PRIMA.

Quibus nominibus vocetur sacramentum hoc penitentiæ.

CONCORS est omnium planè Theologorum sententia, *Penitentiam nuncupari secundam tabulam post naufragium*: ità Hieronymus ad caput 3. Isaiæ, Tertull. lib. de penitentia: Ambros. ad Virginem lapsam, cap. 8. Magister dist. 14. lib. 4. D. Thom. art. 6. huius quæstionis: & Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. propterea autem hæc appellatio tribuitur isti sacramento; quia quemadmodum peccatum originale nequit alicui remitti sine baptismatis susceptione reali, vel voluntaria, ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*: ità peccata commissa post susceptionem baptismatis, saltem lethalia, remitti non possunt sine penitentiæ sacramento in re, vel in voto suscepto, ex illo Luc. 13. *Nisi penitentiam egeritis, omnes peribitis*, & probabitur fusiùs.

Penitentia 2. tabula post naufragium. Hierony. Tertull. Ambros. Magister. D. Thom. Trident. Ioann. 3. Luc. 13.

Nuncupatur 2. loco, *Lauacrum*, seu *Baptisma*, vt videre est apud Gregorium Nazianzenum, oratione in sancta lumina; idque quod quemadmodũ in baptismo quilibet irrigatur, & intingitur aquis, quibus purgatur à labe peccati originis: ità quilibet penitens lacrymis cordis, & interdum oculorum mundatur ab omnibus peccatis commissis post baptismum.

Lauacrum.

Dicitur 3. loco, *Hostia placabilis*, apud Hieronym. in epist. ad Fabiolam; idque quia quemadmodum, posito sacrificio hostiæ pacificæ in veteri Testamento, adulti remissionem peccatorum consequebantur; ità in hoc sacramento quilibet penitens seipsum Deo offert in sacrificio, con-

Hostia placabilis. Hierony.

Digitized by Google

AD QVÆSTIONEM OCTVAGESIMAM QVARTAM Diui Thomæ.

PROOEMIVM.

PRÆCLARVM sanè beneficiũ fuit probatica illa piscina Hierosolymis existens, vt narrat Euangelium Ioann. cap. 5. populo Iudaïco concessa, quinque porticus habens, in quibus iacebat multitudo languentium, cæcorum, & claudorum expectantium aquæ motum: huius enim erat ea vis & efficacia, vt illa ab Angelo secundùm tempus descendente mota, ægrotantem lotũ mundaret à quacumque infirmitate; sed longè excellentius donum, quamuis in priori illo adumbratum, quod Christus Dominus toti populo Christiano concessit, dum penitentię sacramentum contritione, seu attritione, confessione, absolutione, & satisfactione constans ad quascumque animæ fœditates, maculas, & infirmitates perfectè mundandas & curandas instituit. De huius igitur natura, partibus, effectis in sequentibus est nobis agendum.

QVÆSTIO LXXXIV.

De penitentiæ sacramento.

ARTICVLO 1. docet penitentiam esse sacramentum. Circa quod sit

DVBITATIO PRIMA.

Quibus nominibus vocetur sacramentum hoc penitentia.

CONCORS est omnium planè Theologorum sententia, *Penitentiam nuncupari secundam tabulam post naufragium*: ità Hieronymus ad caput 3. Isaiæ, Tertull. lib. de penitentia: Ambros. ad Virginem lapsam, cap. 8. Magister dist. 14. lib. 4. D. Thom. art. 6. huius quæstionis: & Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. propterea autem hæc appellatio tribuitur isti sacramento; quia quemadmodum peccatum originale nequit alicui remitti sine baptismatis susceptione reali, vel voluntaria, ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum*: ità peccata commissa post susceptionem baptismatis, saltem lethalia, remitti non possunt sine penitentiæ sacramento in re, vel in voto suscepto, ex illo Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*, & probabitur fusiùs.

Penitentia 2. tabula post naufragium. Hieron. Tertull. Ambros. Magister. D. Thom. Trident. Ioann. 3. Luc. 13.

Nuncupatur 2. loco, *Lauacrum*, seu *Baptisma*, vt videre est apud Gregorium Nazianzenum, oratione in sancta lumina; idque quod quemadmodũ in baptismo quilibet irrigatur, & intingitur aquis, quibus purgatur à labe peccati originis: ità quilibet penitens lacrymis cotidiè, & interdum oculorum mundatur ab omnibus peccatis commissis post baptismum.

Lauacrum.

Dicitur 3. loco, *Hostia placabilis*, apud Hieronym. in epist. ad Fabiolam; idque quia quemadmodum, posito sacrificio hostiæ pacificæ in veteri Testamento, adulti remissionem peccatorum consequebantur; ità in hoc sacramento quilibet penitens seipsum Deo offert in sacrificio, con-

Hostia placabilis. Hieron.

sequiturque omnium suarum iniquitatum remissionem, vi, & efficacia istius sacramenti.

Exomologesis. Vocatur 4. loco, *Exomologesis*, seu *Confessio*, vt constat ex Cyprian. epist. 10. ad Clerum, de presbyteris qui temere lapsis pacem dederant: *Agant peccatores penitentiam iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant.* & epist. 14. ad Clerum, de ijs qui ad pacem festinabant: *Exomologesi facta, & manu eis à vobis imposita.* & serm. de lapsis, propè finem, *Hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt.* epist ad Antonianum fratrem simile quid habet: & apud Tertullianum lib. de penitentia, aliósque, nonnullos, quos citat Pamelius ad locum proximè citatum, de lapsis: ideò autem donatur sacramentum penitentiæ hoc nomine, quod quilibet adultus inter confitendum teneatur quodlibet peccatum mortale à se commissum, nedum secundum speciem, sed etiam secundum numerum aperire sacerdoti qui huius confessionem excipit.

Cyprian.

Resipiscentia. Dicitur præterea, *Resipiscentia*, apud Patres proxime citatos; & quidem eo nomine quod quilibet penitens, hoc ipso quod eum pœnitet peccati commissi, redeat ad meliorem vitam. Nuncupatur denique, *Penitentia*, apud Tertull. Cyprian. Ambros. in lib. de sacramentis, Eugenium in Concil. Florent. in decreto vnionis, Trident. sess. 7. can. 1. sess. 14. can. 1. & sequentibus, & apud omnes Scholasticos in 4. cum Magistro dist. 14. & apud D. Thomam hoc loco.

Hæreticorũ grãmatica. Hæretici tamen nostri temporis in eo sunt errore, vt credant sacramentum penitentiæ rectius nuncupari, *Resipiscentiam*, quàm penitentiam: idque quod autument de ratione penitentiæ esse tantùm propositum emendæ, seu consilium de vita in melius instituenda, sine vllo plane dolore concepto de peccatis commissis. Nituntur autem hoc probare ex nomine μετανοίας, quod idem est atque resipiscentia, resipiscere autem idem est, atque ad mentem redire, vt pluribus demonstrat Bellarminus lib. 1. de penitentia. cap. 7. Deinde, propositio cõmunissima est apud omnes optimam penitentiam esse nouam vitam.

Improbatur. Ceterum error hic reuincitur ex sacris literis, in quibus expresse dicitur; *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, planctu.* Ioël 2. & Matth. 11. Luc. 10. *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, egissent olim pœnitentiam in cinere, & cilicio.*

Ioël. 2. Matth. 11. Luc. 10.

2. Deinde, refert scriptura pœnitentes aliquos, ceterum qui inter pœnitendum actus contritionis exercuerunt, vt constat de Magdalena, *Luc. 7.* dicitur enim de ea illic, quod stando secus pedes Domini lacrymis rigauerit pedes Christi: & Dauid de seipso loquens, psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo:* & psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* & de D. Petro, Marc. 14. & Matth. 26. *Exiens foràs flenit amarè:* imò Clemens Romanus ait, D. Petrum in hac vita constitutum post abnegatum Christum, nunquam audiuisse gallum cantantem, quin statim erumperet in lacrymas ob solam cogitationem de peccato abnegationis Christi à se commisso.

Luc. 7. Psal. 6. Et 118. Marc. 14. Matth. 26.

3. Tertiò, Penitere apud Gregorium, & alios nonnullos, referente Magistro, dist. 14. nihil aliud est quàm *peccata præterita plangere, & plangendo, iterum ea non committere.*

4. Quartò. Sancti Patres verbis expressis habent dolorem separari non posse à vera penitentia: ità Ambros. de sacramentis cap. 6. *Audiant,* inquiunt, *qui agunt penitentiam quomodo eam agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua interiori concussione viscerum, qua cordis compunctione. Vide, inquit, Domine quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo; conuersum est cor meum in me,* & paucis interiectis: *Sic flenit, & Ninive populus, & denuntiatum excidium euasit: tanta enim est penitentiæ medicina, vt mutare videatur suam sententiam Deus:* & Origenes homilia 2. in Leuiticum: *Per duram, & laboriosam penitentiam remissio fit peccatorum.* & Basil. in Ethicis definitione 1. *Resipiscentes debent acerbè flere, & quæ reliqua propria sunt resipiscentiæ ex animo ostendere.* Nomine autem resipiscentiæ intelligit penitentiam sacramentalem.

4. Ambros. Origenes. Basilius.

Vlt. Postremo, penitentia non deriuatur à ponè, vt volunt aliqui, sed à pœna; ità vt penitentia nihil aliud sit quàm pœnæ tenentia: at pœna semper est cum aliquo dolore coniuncta. Denique, error hic damnatur in Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. can. 13.

Trident.

Solutio rationum aduersar. Ad rationes vero hæreticorum resp. Ad 1. nomine μετανοίας significari nedum propositum emendæ, sed etiam dolorem de peccatis commissis conceptum, vt constat ex Basilio, serm. de fame & siccitate: penitentiam siquidem Niniuitarum appellat μετανοίαν, hanc autem fuisse coniunctam, nedum cum proposito emendę, sed etiam cum multis doloribus indubitatum est ex historiæ lonę prophetæ. Deinde, apud Ausonium ità introducitur μετανοία, de seipsa loquens.

Sum Dea quæ facli, non facliique exigo pœnas,
Nempe, vt peniteat sic Meranœa vocor.

2. Ad 2. propositionem istam: (optima penitentia, noua vita) eatenus esse veram, quatenus noua vita est semper coniuncta cum penitentia, & est argumentum veræ penitentiæ, non autem censetur hæc propositio vera, quod de ratione penitentiæ sit sola noua vita: duo enim hæc propositum in melius instituendi vitam, & dolor conceptus de peccatis commissis sunt de intrinseca ratione penitentiæ, ità vt hæc sine istis duobus nulla ratione consistere queat. Vide plura de nominibus penitentiæ apud authores proxime commemoratos.

DVBITATIO SECVNDA.

An penitentia sit sacramentum.

Hæreticorũ fũdamẽta. HÆRETICI nostri temporis partem negantem sustinent. Primo, quia contendunt esse tantum duo sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam.

1.

Deinde, quia penitentia non distinguitur à baptismo; appellaturque hęc proinde à Patribus, *Baptisma*, seu *lauacrum.*

2.

Tertio, in omni sacramento datur res aliqua sensilis, quæ administratur ei, qui sacramentum consequitur, vt constat ex aqua baptismi, & ex speciebus consecratis in sacramento Eucharistię, vt colligitur ex illo vulgari axiomate D. August. *Accedente verbo ad elementum, fit sacramentum:* at nihil est in sacramento penitentiæ, quod applicetur

3. D. August.

cetur à ſacerdote penitenti, quod ſit ſenſile, & quod recipiatur in eo tanquam in ſubiecto.

Quartò, penitentia quæ eſt in ſtatu legis Euangelicæ, eſt eadem cum ea quæ fuit in lege Moſaïca: D. quippe Paulus cap. 26. Actuum aſſerit, ſe nulla alia de penitentia prædicare præter ea quæ fuerunt euulgata à Moyſe, & Prophetis: at penitentia quæ fuit in lege Moſaïca, non extitit ſacramentum, omnium conſenſione.

Actor. 26.

Denique, ſi Apoſtoli peccata remiſerunt eodem plane modo illa condonarunt, quo Chriſtus, vt colligi videtur ex cap. 20. Ioan. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. ſed Chriſtus non remiſit peccata per penitentiam, quæ fuerit ſacramentum, vt conſtat ex remiſſione facta Magdalenæ; *Luc. 7.* ergo nec Apoſtolis datum eſt illa ratione ea dimittere.

Ioan. 20.

Luc. 7.

Penitentia propriè ſacramentũ. Trident.

CONCLVSIO 1. *Penitentia eſt verè & propriè ſacramentum nouæ legis*: hæc eſt de fide, definita in Concilio Florentino, in decreto vnionis, & in Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 14. can. 1. *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia penitentiam non eſſe verè & propriè ſacramentum, pro fidelibus quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum: anathema ſit.* Deinde, ità tradunt Patres, Nyſſenus, lib. de vita Moyſis. *Moyſes*, inquit, *rurſus per lapidem inundare aquas eremum fecit; quæ res, quantum qualéque ſit penitentia ſacramentum, docet. Nam qui poſtquam ſemel biberunt è lapide, quamuis ad ventrem & Ægyptias voluptates lapſi bonorum priuatione ac doloris perpeſſione in deſerto condemnentur: poſſunt tamen virtute penitentiæ, lapidem quem dereliquerunt inuenire, ac fontes quos delinquendo obſeraruntpenitentia reſerare.* & Ambroſius in lib. de ſacrament. maximè verò de penitent. cap. 6.

Nyſſenus in vita Moyſis prope finem.

Ambroſ.

Ratione probatur Concluſio.

Accedit ratio. Illud eſt ſacramentum nouæ legis, quod eſt ſignum ſenſile practicum, & efficax gratiæ, à Chriſto inſtitutum, vt in tractatione de ſacramentis in genere, omnes Catholici concedunt, & hæretici noſtri temporis: at ſacramentum penitentiæ eſt ſignum ſenſile à Chriſto inſtitutum, Ioan. 20. per iſta verba; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, vt dicitur in Concil. Trident. ſeſſ. 14. contendit enim Concilium per iſta verba Apoſtolos accepiſſe poteſtatem à Chriſto remittendi peccata illo planè eodem modo, quo id præſtat Eccleſia: ſignum etiam hoc ſenſile eſt practicum, & efficax gratiæ, ex eodem quippe Trident. verba iſta, *te abſoluo*, gratiam gratum facientem infallibiliter producunt in eo, qui ſacramentum penitentiæ conſequitur: ergo eſt verè ſacramentum.

Ioan. 20.

Penitentia diſtinguitur à baptiſmo. 1.

CONCLVSIO 2. *Sacramentum penitentiæ non eſt idem cum baptiſmo, ſed diſtinguitur ab eo realiter, & formaliter.* Probatur primo, quia de fide eſt, peccata commiſſa poſt baptiſmum poſſe remitti, ex illo; *In quacumque hora ingemueris peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius.* & ex cap. 55. Iſaïæ: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius*, at peccata hæc nequeunt remitti per baptiſmum Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel fuerunt illuminati, rurſus ad penitentiam renouari*, per baptiſmum, vt explicant plerique Patres Græci, & Latini, quos citat Cornelius à Lapide ad hunc locum Pauli, Iuſtinianus ibidem, & recent. alij interpretes

Iſaï. 55.

Hebr. 6.

D. Pauli: ergo concedendum eſt aliud ſacramentum à baptiſmo, per quod alia peccata poſt baptiſmum commiſſa remittantur: hoc autem eſt ſacramentum penitentiæ, vt probabitur inferiùs: ergo.

Reſpondent hæretici, peccata commiſſa poſt baptiſmum non poſſe remitti baptiſmate iterato, quoad ceremoniam, bene tamen repetito ſola cogitatione. *Delirium hæreticorum manifeſtè.*

Ceterum reſponſio hæc defendi nullo modo poteſt: nam ſacramentum penitentiæ eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium homini lapſo poſt baptiſmum, idque vel in re, vel in voto, vt probabitur infra, & definit Trident. ſeſſ. 14. can. 1. citato: at ideò ſacramentum hoc eatenùs eſt neceſſarium, quatenùs conducit ad remiſſionem peccatorum commiſſorum poſt baptiſma: propter hanc enim cauſam nuncupatur *Secunda tabula poſt naufragium*, vt docuimus Dubit. 1. huius articuli, & probat D. Thom. art. 6. huius quæſtionis.

Deinde, Patres communiter docent peccata commiſſa poſt baptiſmum non poſſe remitti baptiſmate, ſed ſolo ſacramento penitentiæ: ità D. Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium. *Si*, inquit, *infans poſt baptiſmum incipiat propria habere peccata, quæ non regenerationeauferuntur, ſed alia curatione ſanantur.* & cap. 16. lib. 2. de adulterinis coniugijs: *Si à catechumeno factum eſt homicidium baptiſmate abluitur, & ſi à baptizato, penitentia, & reconciliatione ſanatur.* Ambroſius ad Virginem lapſam, cap. 8. Greg. Nazianzenus oratione in ſancta lumina. Epiphanius hæreſi 69. Chryſoſtomus, Theod. Damaſc. & alij ad cap. 6. Hebr. idem plane docent.

D. Auguſt.

Ambroſ. Nazianz. Epiphan. Chryſoſt. Damaſc.

Tertio, ex reſponſione hæreticorum colligitur manifeſtè, effectum omnem ſacramenti baptiſmatis poſſe dari in nobis ſine actuali ſuſceptione ceremoniæ eiuſdem; aſſerunt namque illi peccata remitti in nobis poſt baptiſmum commiſſa ea lege, quod baptizatus cogitet de baptiſmo ſibi aliàs collato: at illatio hæc defendi non poteſt, cum character baptiſmi nequeat dari vlli plane homini, qui de facto baptiſmum non fuerit conſequutus: vt omnes fatentur in tract. de charactere.

2. Probatio Concluſionis.

Secundo probatur Concluſio. Illa ſacramenta ſunt inter ſe diſtincta realiter, & formaliter, quæ habent diuerſas, & diſtinctas materias, formas, & effectus: at materia ſacramenti baptiſmi eſt aqua & ablutio: forma; *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. effectus, remiſſio peccati originalis per ſe, per accidens verò remiſſio peccatorum actualium, quæ coniunguntur cum peccato originali: materia autem ſacramenti confeſſionis ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa: & actus penitentis contritio, confeſſio: forma vero, *Abſoluo te*, effectus denique condonatio quorumcumque peccatorum actualium poſt baptiſma commiſſorum: hæc autem ſunt inter ſe quàm maxime varia, & diuerſa: ergo conſtituunt etiam diſtincta ſacramenta.

Obiectio.

Dices, peccatum fictionis, cum quo quis eſt baptizatus, ſubſequitur baptiſmum, & tamen nequit peccatum hoc remitti per penitentiam: non enim poteſt relaxari, niſi tollatur peccatum originale: hoc autem remittitur tantum per baptiſmum, omnium conſenſione.

Reſpondeo negando maiorem, peccatum ſiquidem fictionis quod impedit effectum baptiſ-

Digitized by Google

tum atqui ſola abſolutio ſacerdotis, & confeſſio A
penitentis ſunt res tenſiles in penitentia, attritio
enim & contritio, cum ſint actus immanentes
ſenſibus externis minimè percipiuntur.

2. Deinde, ſacramenta faciunt quod ſignificant
ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. at abſolutio ſacerdotalis
ſola ſignificat remiſſionem peccatorum, ad quam
efficiendam ordinatur ſacramentum penit. ergo.

3. Tertio, ſatisfactio, & contritio nullo modo
concurrunt ad compoſitionem ſacramenti peni-
tentiæ; contritio ſiquidem eſt effectus iſtius ſa-
cramenti, vt docet verbis expreſſis D. Th. art. 1.
huius quæſt. ad 3. ſatisfactio item eſt poſterior
ſacramento penitentiæ, vt conuenit inter omnes.

CONCLVSIO 3. *Nec abſolutionis ſoli, nec* B
*abſolutioni, & confeſſioni ſimul competit tota natu-
ra, & eſſentia ſacramenti penitentiæ.* Primò, quia
de fide eſt materiam, formam, & miniſtrum per-
tinere ad perfectionem huius ſacramenti, ex de-
Eugen. IV. *Sacramen-* crèto Eugenij IV. quod extat poſt vltimam ſeſſ.
tum penitē- Concil. Florent. at ſola abſolutio, aut etiam cum
tiæ non eſt confeſſione non dicit materiam, formam, & mi-
ſola abſolu- niſtrum ſacramenti penitentiæ, vt eſt per ſe notũ.
tio nec ſola Deinde, Concil. Florent. loco proximè cit. &
confeſſio. Trident. ſeſſ. 14. can. 3. docent actus penitentis,
Trident. contritionem ſcilicet, confeſſionem, & ſatisfa-
2. ctionem eſſe quaſi materiam ſacramenti penten-
tiæ; abſolutionem vero ſacerdotis eſſe formam
eiuſdem: at materia, & forma pertinent ad na-
turam, & eſſentiam illius rei, cuius ſunt materia, C
& forma, omnium conſenſione.

3. Tertiò, penitentia nuncupatur ſacramentum
confeſſionis in cap. ad abolendam, de hæreticis:
ergo hæc pertinet ad naturam illius.

4. Quartò, falſum eſt quod ſupponit Scotus, ſo-
lam abſolutionẽ ſacerdotis eſſe in hoc ſacramen-
to ſenſibilem, nam confeſſio eſt pars huius ſacra-
menti, & hæc neceſſario perficitur, vel verbis, vel
nutibus, & ſignis: hæc autem omnia ſunt ſenſibi-
lia aliqua ratione. Non conuenit etiam cum veritate
quod aiunt authores contrariæ ſententiæ, ſolam
ſacerdotis abſolutionem cauſare remiſſionẽ pec-
cati, in ſacramento penitentiæ: tam enim vere (nõ D
tamen ex æquo) concurrit contritio ad remiſſionẽ
peccati, quam facit abſolutio, vt probatur in
tertia concluſione de cõtritione. ergo ſola abſolutio, aut
ſola confeſſio non conſtituunt ſacramentũ penit.

Vlt. Denique, ſent. Scoti creditur à nonnullis te-
meraria, & conſtat ex Gregorio de Valent. q. 1. de
Defendi- penitentia. Sunt tamen nimis rigidi ei interpres;
tur ſolus. videntur enim tantũ authores contrarij ſententiæ
minus cautè loquuti, in hac re explicanda, cũ
fateantur confeſſionem, contritionem, & ſatisfa-
ctionẽ eſſe partes ſacramenti penitentiæ: imo do-
cẽt hoc fine memorũ hoc finẽ proximè cõmemorato-
rum, & abſolutione ſacerdotis nõ poſſe eſſe ſacramen-
tum perfectum, & integrum. Denique, docent iſti F
authores abſolutionem ſacerdotis ventilicare
ſibi naturam & eſſentiam iſtius ſacramenti, non
quod tota eſſentia illius ſit à ſola abſolutione re-
petenda ſed quod præcipue, & principaliter ab
illa ſit deſumenda; ex illo axiomate philoſophe-
rum, *Forma eſt quæ dat eſſe rei.*

Penitentia CONCLVSIO 2. *Integritas ſacramenti penitentiæ*
conſurgit ex *ex actibus penitentis qui ſunt contritio, confeſſio, & ſa-*
actibus pe- *tisfactio, & ſacerdotis abſolutione eſt repetenda.* Hæc eſt
nitentis. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. enumeratis ſiquidem
1. actibus proximè commemoratis penitentis & ſa-
Trident. cerdotis, ait eos pertinere ad integritatẽ ſacramẽti
penitentiæ: ita enim habet. *Quo ſcilicet actus pe-*
nitentis ex materia ſui partem, quaſi penitentiæ, ad in-

tegritatem ſacramenti, ad plenámque & perfectam
peccatorũ remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.

Deinde, poſitis iſtis actibus cõſurgit præcipuus 2.
effectus ſacramenti pœnitentiæ, qui eſt peccatorũ
remiſſio. Tertiò, præter hæc nulla alia ſunt neceſ- 3.
ſaria ad huius ſacramenti integritatem: ità com-
muniter D. Th. hoc loco, & q. 90. huius partis,
& in 4. diſt. 14. & Sententiarij diſt. 16. alij 14.

CONCLVSIO 3. *Licèt actus penitentis proximè explicati, & ſacerdotis abſolutio ſpectent ad in-* *Actus peni-*
tegritatem ſacramenti penitentiæ; non tamen propterea *tentis ex*
exiſtimandum eſt omnes pertinere ad eſſentiam illius: *aquo non*
ſatisfactio ſiquidem penitentis ad integritatem illo eo- *pertinent ad*
dem modo quo manus ad perfectionem corporis huma- *hoc ſacra-*
ni, confeſſio verò, contritio, & abſolutio ad eſſentiam *mentum.*
huius ſacramenti pertinent.

Aduerte, partes alicuius totius alias eſſe eſſen- *Notabile.*
tiales, alias integrantes, illæ eſſentiam perficiunt;
iſtæ verò integritatẽ totius complent: ità vt poſi-
tis iſtis omnibus partibus integrantibus totũ hoc
dicatur perfectũ, & completũ: deficiẽte vero ali-
quo ex iſtis cẽſetur eſſe mãcũ, & imperfectũ: par-
tes autẽ iſtę nedũ in rebus naturalibus, ſed etiã in
moralibus, & artificialibus ſuo modo reperiun-
tur: cum hoc tamen diſcrimine, quantum ad rem
præſentem attinet, vt partes totius artificialis, &
moralis ſumãtur ſemper à materia minimè verò à
forma. Deinde, in toto phyſico, & naturali, forma
& materia ſũt res aliquæ permanẽtes, ſeſe mutuo
actuantes, & perficientes, in rebus tamẽ morali-
bus partes eſſentiales non ſunt ſemper res aliquæ
permanentes, ſed ſucceſſiuę: imò interdum præ-
teritæ, & aliæ futuræ; ſacramentum autem peni-
tentię cenſetur eſſe ens aliquod morale quem-
admodũ, & cetera omnia ſacramenta nouę legis.

Hoc ità cõſtituto, probatur ſatisfactionẽ penit. *Probatio*
nõ eſſe de natura huius ſacramẽti: id enim ſine quo *Concluſionis.*
ſacramentũ penit. cõſiſtere poteſt nõ eſt de eſſen-
tia illius: at ſine ſatisfactione poteſt eſſẽtia ſacra-
mẽti penitẽt. ſubſiſtere, vt patet in eo caſu in quo *Satisfactio*
ſacerdos excipit confeſſionẽ moribũdi, qui nulla *non eſt pars*
ratione poteſt ſatisfactionẽ adimplere ob defectũ *eſſentialis.*
rationis, qua priuatur in eo inſtanti in quo ſacer-
dos eius excepit cõfeſſionẽ, & ex hypotheſi ſacer-
dos nullã antea impoſuerat ei ſatisfactionẽ: ergo
ſatisfactio nõ eſt de eſſẽtia. Deinde, effectus præci-
puus ſacramẽti penit. datur in nobis ſine vlla ſatis-
factione: cõuenit. n. interõnes cõtritionẽ eſſe infal-
libilẽ diſpoſitionẽ, ad quã ſubſequitur gratia: ergo
fieri poterit, vt ſine vlla ſatisfactione cõſurgat ſa-
cramẽtũ penit. nã dabitur cõfeſſio ex ſuppoſitio-
ne, cõtritio & ſacerdotis abſolutio: ità cõmuniter
interõnes cũ D. Th. q. 9. huius p. & reliqui eiuſdẽ interp.

Obijcies, Concil. & Patres aſſignare cõmuniter *Obiectio.*
tres partes ſacramenti penit. cõtritionẽ, cõfeſſio-
nẽ, & ſatisfactionẽ: certũ autem eſt cõtritionẽ, &
cõfeſſionẽ pertinere ad eſſentiã ſacramẽti penit.
quare illud idem nõ erit verum de ſatisfactione.

Reſp. non omne illud quod eſt materia alicuius *Solutio.*
ſacramenti, pertinere ad eſſentiam eiuſ-
dem; ſed tantum ad integritatem, vt conſtat ex
aqua, quæ admiſcetur vino conſecrando: hæc
enim cenſetur eſſe pars materię aliqua conſecra-
tionis calicis: & tamen pertinet tantum ad in-
tegritatem materiæ conſecrationis calicis; ſo-
lum autem vinum cenſetur eſſe pars materialis
eſſentialis conſecrationis calicis: ità ſatisfactio,
licet ſit pars materialis penitentiæ, non tamen ad
eſſentiam ſed tantum ad integritatem materiæ
eiuſdem ſpectat. Addo nunquam venire in men-
tem patribus definire quęnam eſſent partes eſſen-

Digitized by Google

tiales ſacramenti penitentiæ, vel integrantes tantum: nam abſolutio ſacerdotis rationem partis ſacramenti penitentiæ conſequitur, cum ſit forma illius; & tamen nullus ex patribus dixit abſolutionem ſacerdotis eſſe partem eiuſdem: voluerunt ergo Patres explicare, quænam eſſent partes materiales huius ſacramenti, nulla facta diſtinctione inter partes eſſentiales, & integrantes, idque quod vſus, & ratio loquendi philoſophorum de partibus artificialibus obtinuerit, vt hæ ſumantur tantum à materia; nunquam autem à forma: ſacramentum verò penitentiæ accedit quodam modo ad res artificiales; eſt enim aliqua res moralis, quemadmodum & cetera ſacramenta nouæ legis.

Contritio & confeſſio partes eſſentiales.

Quod autem *contritio, & confeſſio ſint partes materiales eſſentiales.* Probatur ex eo, quod materia, & forma alicuius ſacramenti pertineant neceſſario, & eſſentialiter ad huiuſmodi ſacramentũ: at ex Concil. Florent. in decreto fidei poſt ſeſſionem vltimam, & ex Trident. cap. 3. ſeſſ. 14. contritio & confeſſio ſunt quaſi materia ſacramenti penitentiæ, & item ſatisfactio: ergo cum hæc non pertineãt ad eſſentiam, ſpectabunt ad eamdem contritio, & confeſſio, cum materia aliqua ſit de eſſentia ſacramenti penitentiæ.

Denique, illa pertinent ad naturam & eſſentiam ſacramenti penitentiæ, ſine quibus effectus eiuſdem non producitur, & cum quibus producitur; at poſita contritione, confeſſione, & ſola ſacerdotis abſolutione ſine vllo alio ſuperaddito producitur effectus ſacramenti penitentiæ, omnium conſenſione, ſaltem ex communi doctrina: ergo. ità D. Th. quæſt. 90. art. 2. huius partis, & in 4. diſt. 16. art. 1. quæſt. 1. & communiter ceteri Theologi in 4. diſt. 14. alij 16.

Obiectio.

Dices, Patres, & Concilia affirmare actus penitentis eſſe quaſi materiam ſacramenti penitentiæ, non autem eſſe materiam illius. Reſp. particulam (quaſi) nedum dicere ſimilitudinem, ſed etiam identitatem cum aliquo, vt manifeſte conſtat ex cap. 1. Ioan. de filio quippe Dei illic dicitur; *Vidimus eum quaſi vnigenitum à Patre*, & tamen filius hic, nedum per ſimilitudinem, ſed vere, & realiter eſt vnigenitus patris; ità vt eamdem habeat numero cum Patre eſſentiam: quemadmodum ergo loco proximè cit. particula (quaſi) ſignificat Verbum Patris eſſe verè, & formaliter filium Patris; ità particula iſta (quaſi) ſignificat in Concil. Florent. & Trident. confeſſionem, itémq; contritionem eſſe verè materiam, ſacramenti penitentiæ. Addo propterea Patres, & Concilia dicere de actibus penitentis, quod ſint quaſi materia ſacramenti penitentiæ; quia materia ſacramẽti penitentiæ non eſt res aliqua permanens, & ſubſtantialis, quæ applicetur penitentibus à miniſtro ſacramenti penitentiæ, quemadmodũ contingit in omnibus alijs ſacramẽtis, matrimonio, & penitentia exceptis: ſed materia huius ſacramenti res eſt aliqua ſucceſſiua.

Solutio.

Ioan. 1.

Cur quaſi materia dicantur actus penitentis.

Rationum contrariar. ſolutio.

Ad rationes authorum 1. & 2. ſententiæ reſpondeo. Ad 1. ſolam abſolutionem non eſſe ſenſilem in ſacramento penitentiæ: præter vero confeſſionem quæ ſenſibus externis percipitur, contritio verè ſenſilis eſt, non quidem per ſeipſam, ſed media confeſſione, & alijs quibuſdam actibus externis, hoc autem ſatis eſt ad hoc vt aliquid poſſit eſſe vere ſacramentum, vt fatentur communiter de corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis; quod ſub ſpeciebus latens in ſe vere eſt ſenſile, ſaltem vt ſic; quia tamen neceſſariam connexionem dicit cum ſpeciebus panis, & vini conſecratis; ideò per ſpecies corpus Chriſti dicitur ſentiri, ac proinde per accidens tantum ſenſile eſt: ità contritio, ſeu attritio per accidens erit ſenſilis iuxta modum explicatum.

Ad 2. Solam abſolutionẽ ſacerdotis non ſignificare ſacramenti penitentiæ effectum, ſed totum ſacramentum; ratio ſiquidem conſtitutiua ſacramenti, vt ſic, eſt ſignificare, vt docuimus in tractatione de ſacramentis in genere, ac proinde ſignificare nedum competit formæ, ſed etiam materiæ ſacramenti: quemadmodum, & totum ſacramentum eſt quod producit gratiam gratũ facientem, non autem vel ſola forma, vel ſola materia.

Ad 3. reſp. Satisfactionem pertinere ad integritatem penitentiæ; contritionem vero ad eſſentiam eiuſdem, vt docuimus in antecedentibus.

Ad id vero quod dicitur fieri non poſſe, vt idẽ ſit ſacramentum, & res ſeu effectus eiuſdẽ. Reſp. hoc eſſe verũ in alijs ſacramentis ab Euchariſtia, & penitentia, in iſtis tamen duobus, vnũ, & idem, diuerſa tamen ratione ſpectatum, eſt pars ſacramenti, & effectus eiuſdem: ita docent de penitentia D. Thom. hoc loco & in 4. diſt. 22. & communiter ceteri omnes.

Contritionẽ bifariam ſumi.

Quo vero res hęc intelligatur. Aduerte cõtritionem vſurpari duobus modis. Primo, vt eſt entitas aliqua producta à virtute penitẽtię in nobis, vel ab actuali Dei auxilio ordinis ſupernaturalis, vel vt hęc entitas aſſumitur à Deo, tãquã pars aliqua ſacramenti penitẽtię, ad hoc vt vnà cũ verbis iſtis; *Abſoluo te*, & dependenter ab ijſdẽ, & denię; vnà cum miniſtro gratiam ſacramentalẽ prõducat: Priori modo, contritio non eſt res ſacramenti penitentię; ità enim contritio eſt actus aliquis, qui facit vt penitens accedat ad ſacerdotẽ, & propria peccata eidem confiteatur; ac proinde antecedit confeſſionem tempore, vel natura, vt plurimùm: poſteriori vero modo, contritio eſt pars ſacramẽti penitentię; & prętereà effectus eiuſdem, hęc enim vim remittendi peccata, & producendi gratiam conſequitur ab abſolutione ſacerdotis, aliqua ratione, vt manifeſte colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. dicitur enim illic vim remittendi peccata ineſſe pręcipue verbis iſtis: *Abſoluo te*, nomine vero contritionis nõ intelligimus hoc loco contritionem proprie dictam, qualis eſt ea quæ eſt deteſtatio peccati; hoc nomine quod peccatũ eſt contra Deũ, ſeu offenſa Dei tantùm: ſed ſignificatur attritio, vel contritio proprie dicta: altera enim iſtarum ſatis eſt ad ſacramentum penitentię perficiendum, vnà cum miniſtro, & abſolutione ſacramentali eiuſdem: ex communi doctrina, diſtinctione proximè citata, lib. 4.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum peccata ſint propria materia ſacramenti penitentiæ.

Materia remota & proxima.

IN hoc ſacramento datur, omniũ plane conſenſione, materia remota, & proxima, illa cenſetur eſſe ea, circa quam ſacramentum hoc veluti circa proprium obiectũ verſatur; hæc vero dicitur eſſe ea ex qua, vnà cũ abſolutione ſacerdotis, & eiuſdem intentione conſurgit totum, & perfectum ſacramentum penitentię: materia autem remota, alia dicitur neceſſaria, quæ videlicet aliter non poteſt deſtrui, quàm per ſacramentum penitentię in re, vel in voto ſuſceptum, alia ſufficiens quæ poteſt ſine ſacramento penitentiæ deſtrui:

Digitized by Google

ſtrui: ſatis tamen eſt ad hoc vt tollatur medio hoc ſacramento, ità vt ea poſita, & deducta apud ſacerdotem ſufficiat ad ſacramentum penitentiæ conſtituendum, cum abſolutione, & intentione miniſtri, &c. his ità conſtitutis ſit

Materia remota peccatum actuale poſt baptiſmum. Trident.

CONCLVSIO 1. *Quodlibet peccatum commiſſum poſt baptiſmum cenſetur eſſe materia remota, & neceſſaria ſacramenti penitentiæ.* Primò, quia in Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. verbis expreſſis dicitur ſacramentum penitentiæ eſſe neceſſarium homini lapſo poſt baptiſmum, ad hoc vt reconcilietur cum Deo: reconciliatio autem cum Deo præſupponit culpam mortalem, neque enim homo aliter eſt ingratus Deo, niſi quia in ſe habet peccatum mortale, omnium conſenſione. B

2. Ioan. 20. Deinde, illud idem colligunt Theologi ex verbis Chriſti, Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata*, &c. nomine vero peccati hoc loco, ſignificatur maximè peccatum mortale, ex communi doctrina ſanctorum Patrũ.

3. Tertiò, ex communi axiomate omnium Theologorum, quodlibet peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum ſubijcitur clauibus Eccleſiæ, & quidem ità, vt nequeat aliter hoc remitti, quàm per penitentiam in re, vel in voto ſuſceptã.

4. Quarto, materia neceſſaria cuiuſlibet ſacramenti cenſetur eſſe ea circa quam ſacramentum verſatur, atqui ſacramentum penitentiæ verſatur neceſſario circa peccata mortalia commiſſa poſt C baptiſmum: hæc enim non aliter remittuntur, quàm per penitentiam ſacramentalem: peccata vero mortalia commiſſa ante baptiſmum remittuntur neceſſario, non quidem per ſe, ſed conſequenter, ac proinde per accidens virtute ſacramenti baptiſmatis: peccatum enim originis ſolo baptiſmate tollitur, vt docuimus in tractatione de baptiſmo, ac proinde & omnia peccata mortalia actualia, quæ præcedunt in nobis applicationem baptiſmatis: non enim fieri poteſt vt vnum peccatum mortale deſtruatur in nobis, niſi etiam cetera omnia fuerint in nobis remiſſa, idque præter oppoſitionem, quæ datur inter gratiam gratum facientem, & quodlibet peccatum mortale: peccatum autem originale, mortale eſt, omnium conſenſione: ità D. Thom. hoc loco & interpretes eiuſdem, ibidem. D

Venialia peccata materia ſufficiens.

CONCLVSIO 2. *Peccata venialia commiſſa poſt baptiſmum ſunt materia remota ſufficiens ſacramenti penitentiæ.* Primo, quia licet nullus teneatur ad venialium confeſſionem, tutius tamen eſt hæc deducere apud ſacerdotem in foro penitentiæ, vt abſoluantur, vt tradit Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. can. 7. Trident.

Deinde, licet ſacramentum penitentiæ ſit à Chriſto inſtitutum, maxime ad delenda peccata mortalia, creditur tamen inſtitutum eſſe aliqua ratione ad delenda venialia, vt colligunt aliqui ex loco ſuprà cit. Ioann. & docet D. Thom. in reſponſione ad 3. huius articuli, & manifeſte E colligitur ex eo, quod tam vere poſſet quis & accuſare ſe, & dolere, & ſatisfacere pro peccato veniali, quemadmodum pro mortali. Quare ergo non poterit is qui peccauit venialiter abſolui ſacramentaliter à ſacerdote?

Denique, materia ſufficiens remota ſacramenti penitentiæ, cenſetur eſſe ea quæ poſita poteſt huiuſmodi ſacramentum conſurgere: at poſita confeſſione peccatorum venialium, contritione, & abſolutione ſacerdotis, conſurgit verè ſacramentum penitentiæ, ex doctrina communi ad hunc articulum D. Th. ergo illa peccata ſunt A materia ſufficiens.

Originale peccatũ non eſt materia.

CONCLVSIO 3. *Peccatum originale, nec eſt, nec eſſe poteſt materia remota ſacramenti penitentiæ.* Primò, quia peccatum originale tollitur per ſolum baptiſmum neceſſariò, in re, vel in voto ſuſceptũ. Deinde, penitentia verſatur circa ea peccata, quę quis propria voluntate commiſit.

Tertiò, qui laborat peccato originali, nequit accuſare ſe de huiuſmodi peccato, prout poſtulat natura ſacramenti penitentię; debet enim penitens inter accuſandum ſe, declarare ſe hoc vel illud peccatum feciſſe; peccatũ autem originale non eſt à nobis factũ, ſed tantũ à primoparente.

Obiectio. Roman. 5. Dices, pugnare hæc cum iſtis verbis Pauli in epiſt. ad Romanos 5. *In quo omnes peccauerunt*, loquitur autem de poſteris Adę, comparatis cum eodem, quando peccauit edendo de ligno vitæ ſibi prohibito. *Geneſ. 2.* Reſp. poſteros Adæ *Solutio.* peccaſſe in primo parente non quidem actu proprio, formali, & expreſſo, ſed tantum virtuali, & interpretatiuo; eo videlicet modo, quo voluntates poſterorum Adæ fuerunt in eo, tanquam in capite, & in radice totius generis humani. Certum autem eſt voluntates poſterorum Adæ non fuiſſe in Adamo ſecundum ſeipſas realiter, ſed tantum interpretatiuè, & moraliter loquendo; quocirca non potuerunt voluntates iſtæ formaliter & expreſſe peccare vnà cum primo parente; ac proinde nequeunt ſe quoque accuſare in foro penitentiæ de huiuſmodi peccato.

Obiectio. 2. Dices, D. Thom. affirmare hoc loco, poſſe eſſe penitentiam de peccato originali: ergo pertinet ad materiam huius ſacramenti. *Solutio.* Reſp. nomine penitentię ſignificari apud D. Thom. hoc loco deteſtationem de quolibet malo, præterito, præſenti, vel futuro; non autem deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito emendæ, qua ratione ſumitur penitentia hoc loco à nobis.

Replica. Vrgebis D. Thom. in 4. diſt. 14. affirmare nedum poſſe nos penitere de peccato originali, ſed etiam debere. *Diſſoluitur.* Reſp. hoc eſſe verum in eo caſu, in quo proponitur nobis acceptandum peccatum originale, vel fugiendum: in hoc ergo caſu contendit D. Thom. debere nos penitere de peccato originali, hoc ſolo ſenſu, quod teneamur illud odiſſe, & deteſtari; non autem quod velit nos debere penitere de illo.

Proxima materia actus penitentiæ. Eugenij decretum. Trident.

CONCLVSIO VLTIMA. *Materia proxima ſacramenti penitentiæ ſunt actus penitentis; contritio ſcilicet vel attritio, & confeſſio:* ità communiter omnes hoc loco. Deinde, Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. & Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. docent actus penitentis, contritionem ſcilicet, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe quaſi materiam ſacramenti penitentię: propterea autẽ prætermiſi actum ſatisfactionis in Concluſione: quia docuimus articulo proxime antecedẽ te eam non pertinere ad eſſentiam huius ſacramenti, ſed tantum ad eius integritatem: licet hæc ſit pars illius aliqua materialis. Denique, materia proxima cuiuſlibet ſacramenti eſt ea ex qua ſacramentum cum forma, & intentione miniſtri conſurgit: at ex contritione, ſeu attritione, confeſſione, & ſacerdotis abſolutione conſurgit eſſentia ſacramenti penitentiæ: tria quippe ſunt tantum neceſſaria ad ſacramenti cuiuſlibet conſtitutionẽ; materia, forma, & intentio miniſtri, ex Concilio Florent. ergo materia proxima huius ſacramenti ſunt huiuſmodi actus.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Virum hæc sit forma huius sacramenti, Ego te absoluo.

DVBITATIO PRIMA.

An fuerit Apostolis, & successoribus eorumdem potestas vera & realis remittendi peccata in foro pœnitentiæ.

Variorum hæreticorũ error.

MESSALIANI, Nouatiani, antiquitus, & nostris temporibus Lutherani, & Caluinistæ, & ante istos VVielefitæ, aliique nonnulli hæretici docuerunt solum Deum in nobis remittere peccata, minimè verò Episcopos, aut sacerdotes ex illo Isaiæ 43. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.*

Isaï. 43.

Sacerdotes verè remittũt peccata.

CONCLVSIO. *Petes sacerdotes habet potestatem vera remittendi peccata in foro pœnitentiæ,* ex c. 20. Ioan. *Accipite Spiritum sanctum quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũm retinueritis, retenta sunt.*

Ioan. 20.

Effugium hæreticorũ 1.

Respondent hæretici, factam esse potestatem Apostolis, & successoribus eorumdem hoc in loco, non quidem remittendi, aut retinendi verè peccata, sed tantum euulgandi diuinas promissiones, nempe peccata esse remissa pœnitentibus; retenta verò impœnitentibus.

Præclinditur.

Cæterum hæc responsio est manifestè contra sacras literas: Christus enim Matth. 16. ait ad D. Petrum; *Tibi dabo claues regni cælorum*, vsus autem clauium est nedum demonstrare seram esse apertam, sed etiam eamdem verè aperire, & claudere.

Matth. 16.

2. Deinde, potestas euulgandi, & prædicandi diuinas promissiones est omnino distincta, & diuersa à potestate remittendi peccata: illa enim data fuit Marci, & Matth. vltimo, per ista verba; *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. hæc vero loco proximè cit. Ioan. Tertiò, propterea volunt hæretici factam esse potestatem administrandi baptismum Apostolis & successoribus eorumdem; quia dicitur loco proximè cit. Matth. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*: quare ergo non erit similiter data vera potestas remittendi peccata Apostolis, cum dicatur illis; *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* &c.

Marc. vlt. Matth. vlt.

3.

Idem.

Ioan. 20.

4. Quartò, sancti Patres verbis expressis habent, Apostolos accepisse verè potestatẽ à Christo Domino remittendi peccata, maximè vero Chrysost. lib. 3. de sacerdo. 5: *Si*, inquit, *datũ est* scilicet Apostolis *vt potestatẽ habeant, quã Deus optimus neq; Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est; Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporũ solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam attingit, atque ad cœlos vsque penetrat: vsque adeò, vt quæcumq. sacerdotes inferne confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet.* Hieronym. in epist. ad Heliodorum, post medium. *Absit*, inquit, *vt de clericis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cœlorum habentes ante iudicij diem quodammodo iudicant.* Idem docent Nazianz. oratione ad ciues timore perculsos, August. de vera & falsa pœnitentia cap. 3. & lib. 10. de ciuitate cap. 9. & in psal. 101. Ambros. lib. 1. de pœnitentia cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 2. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 56. Greg. Mag. homil. 26. in Euangelia, Cyprian. epistola octogesima quarta ex dispositione Panitilij, & interpretes omnes D. Thom. hoc loco.

Chrysost. Hierony. Nazianz. August. Ambros. Cyrillus Alexand. Greg. Mag. Cyprian.

Denique, opinio hæreticorum damnata fuit in Concilio Constant. sess. 8. & 15. in bulla Martini V. & in Trident. sess. 14. cap. 1. & 6. can. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis, non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum: anathema sit.*

Vlt. Trident.

Obijciunt hæretici, Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. affirmare in remissione peccatorũ, homines non exercere ius alicuius potestatis, sed suum tantũ ministerium exhibere. Cæterum obiectio hæc probat tantum sacerdotem non remittere peccata, propria, & independente virtute: non autem quod sacerdos potestatem verè ministerialem non habeat, per quam peccata remittat: non quidẽ in ratione cãusæ præcipuæ & principalis remissionis peccatorum, sed in ratione causæ instrumentalis: hac eadẽ ratione explicandus est locus Isaiæ cap. 43: relatus initio huius Dubit.

Obiectio.

Solutio.

DVBITATIO SECVNDA.

Quando potestas remittendi peccata data fuerit Apostolis.

Quorumdã sententia.

SVNT qui putent potestatem istam peruenisse ad Apostolos illo eodem tempore, quo instituti fuerunt Apostoli: credunt enim potestatem remittendi peccata, ità coniunctam esse cum dignitate Apostolatus, vt hæc duo ab inuicem nulla ratione possint separari. Deinde, qui baptizat, & sacramentum extremę Vnctionis administrat, hic peccata quoque remittit: at baptizarunt Apostoli quàm primùm fuerunt instituti, vt colligitur ex cap. 4. Ioan. administrarunt etiam sacramentum extremæ Vnctionis: dicitur enim Marci 6. quod inungerent ægrotos.

Alia opinio Soti.

Alij verò existimant potestatem istam datam fuisse Apostolis in eorum ordinatione, quando scilicet, ordinati fuerunt sacerdotes. Ità Sotus in 4. & plerique alij ibidem: maximè verò dist. 20. q. 1. Probant, quia vsus obtinuit vt quotiescumq. sacerdotes consecrantur, instituantur etiam, & donentur potestate remittendi peccata. Deinde, potestas cõsecrandi, & remittẽdi peccata, nõ sunt duæ potestates realiter distinctę, sed vna & eadẽ.

CONCLVSIO. *Potestas remittendi peccata data fuit Apostolis post resurrectionem per ista verba:* Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum, &c. Primò, quia hæc est mens sanctorum Patrum, maximè vero Hieron. cit. ad Heliodorum, & ad Hedibiã.

Potestas data Apostolis post resurrectionem.

1.

Deinde, potestas remittendi peccata data fuit Apostolis, vel Marci 3. quo loco legimus Christum collegisse numerum Apostolorum, vel Matth. 16. quando dixit Petro; *Quodcumque ligaueris super terram*; vel Matth. 18. cum eadẽ verba Petro dicta fuerunt, vel deniq; loco proxime cit. Ioan. neque enim alibi habetur Christum dedisse potestatem peccata remittendi Apostolis: at certum est potestatem illam non fuisse collatam Apostolis, Marc. 3. Matth. quippe 16. ac proinde multo posterius, quàm fuerunt vocati Apostoli, potestas remittendi peccata promissa fuit D. Petro ex illis verbis; *Tibi dabo claues regni cœlorum, quæcumque ligaueris*, &c. Deinde, nihil habetur

2.

Matth. 16.

apud

apud Marcum eo in loco de poteſtate remittendi peccata, ſed tantum dicitur Chriſtum inſtituiſſe duodecim Apoſtolos.

3. Tertiò, poteſtas abſoluendi præſupponit ſimpliciter, & abſolute characterem ſacerdotalem, ex illo axiomate Theologorum omnium: poteſtas in corpus Chriſti myſticum, præſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum; Apoſtoli autem ſunt conſequuti poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti in vltima cœna, per hæc verba, Luc. 22. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* neque item obtinuerunt poteſtatem iſtam, Matth. Matth. 16. 16. nam verba illa rationem promiſſionis habent; non autem ſignificant actualem largitionem alicuius poteſtatis, cum dicat Chriſtus; *Tibi dabo claues regni cœlorum:* neq; item ex cap. 18. nam ſunt qui exiſtiment nullam plane poteſtatem datam fuiſſe Apoſtolis illo in loco; cum verba hæc ad ſolum Petrum dirigantur.

Item, quia ad ſummum ex eo loco colligitur datam fuiſſe poteſtatem excommunicandi D. Petro, & Apoſtolis, quod autumant multi Patres: hæc autem nedum ſacerdotibus, ſed etiam laicis competere poteſt ex delegatione Pontificis Max.

Quintò, poteſtas remittendi peccata, data fuit Apoſtolis, cum D. Petro regimen vniuerſalis Eccleſiæ fuit commiſſum: hæc enim duo videntur pertinere ad rectam gubernationem illius: at Petrus conſtitutus fuit princeps Apoſtolorum, & caput Eccleſiæ poſt Chriſti reſurrectionē, ex loco Ioan. 21. proximè cit. Ioan. ità enim alloquitur illic Petrū Chriſtus; *Petre, paſce oues meas, paſce agnos meos.*

Denique, hæc eſt ſententia D. Thom. & interpretum eiuſdem hoc loco, & in tractatione de confeſſione, ſeu vt alij loquuntur de clauibus. Ex quibus omnibus manifeſtum ſit poteſtatem remittendi peccata fuiſſe collatam Apoſtolis poſt Ioan. 20. reſurrectionem, ex cap. 20. Ioan.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi D. Thomæ Apoſtolo non fuiſſe datam poteſtatem remittendi peccata: hic enim non erat vnà cum Apoſtolis, cum dixit Chriſtus iiſdem: *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis*, &c.

Solutio. Reſpond. D. Thomę factam fuiſſe poteſtatem remittendi peccata non minus quàm ceteris Apoſtolis. Primò, quia poteſtas illa data fuit toti collegio Apoſtolico, non autē Apoſtolis his, vel illis tantū in particulari: quod autem datur collegio toti, tribuitur omnibus, & quibuſuis eiuſdē partibus: D. autē Thomā ſpectaſſe ad collegiū Apoſtolorum indubitarum eſt, ex cap. 3. Marci.

Deinde, licet Epiſcopus nequeat hominem abſentem ordinare, quemadmodum neque penitentem abſoluere; Chriſtus tamen potuit & quemlibet hominem ordinare, & abſoluere à peccatis, licet non extiterit præſēs ſecundum ſeipſum homini iſti, quē ex hypotheſi, abſoluit, & ordinat: Ille namque verè Deus erat, vnde poteſt vbique locorum conſtitutus dependenter à ſua humanitate effectum quem volet producere. Tertiò, nihil vetat quominùs Chriſtus ſublato peccato infidelitatis à D. Thoma, verba iſta dixerit. *Accipe Spiritum ſanctum quorum remiſeris peccata remittuntur eis*; ac proinde per hæc eadem verba, repetita tamen poteſtatem abſoluendi à peccatis conſequutus fuerit D. Th. poſt Chriſti reſurrectionem; licet de hac re in ſacris literis nihil legatur: non eſt enim neceſſe ea omnia quæ Chriſtus præſtitit in hac vita mortali relata eſſe in ſacris Bibliis.

Ad rationes vero authorum 1. ſententię reſp.

A Ad 1. dignitatis Apoſtolicę varia, & diuerſa eſſe officia, quæ non fuerunt data Apoſtolis, quam primùm ſunt ad dignitatē Apoſtolatus aſſumpti, vt manifeſte colligere licet ex poteſtate baptizandi, & prædicandi: has enim conuenire Apoſtolis indubitatum eſt ex c. 16. Mar. & ex c. 28. Matth. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & nihilominus non potuerunt Apoſtoli ante Chriſti mortem vbique locorum prædicare, aut quoſlibet baptizare, vt conſtat ex cap. Matth. 10. prohibet enim Chriſtus Apoſtolis, ne ad gentes accedant, & eaſdem doceant. *In viam*, inquit, *gentium ne abieritis*, & Matth. 15. negat Chriſtus beneficium ſanitatis filię Chananeę, aut ſaltem differt hoc ſolo nomine, quod hęc nata eſſet ex gentibus, non autem ex Iudæis, vt conſtat ex verbis iſtis: *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*: poteſtas ergo remittendi peccata ad dignitatem Apoſtolatus pertinet: Ceterùm data fuit hæc Apoſtolis tantùm poſt Chriſti reſurrectionē quemadmodum & poteſtas euulgandi Euangelium, eiſdem tradita eſt poſt eiuſdem reſurrectionē, ex locis ſuprà citatis, Marci, & Matth vltimo.

Diſſoluitur argumenta contraria.

1. Marc. 16. Matth. 28. Idem 10. Idem 15.

B

Ad 2. Reſp. Apoſtolos baptizaſſe fortè aliquos in nomine Chriſti ante mortem eiuſdem, ceterum non ex officio, ſed tantum ex commiſſione, illa eadem ratione, qua noſtris temporibus occurrente neceſſitate baptizant laici, nam baptizare ex officio ſolis ſacerdotibus competit, vt docuimus in tractatione de baptiſmo: Apoſtoli autem fuerunt inſtituti, & ordinati, ſacerdotes in vltima cœna: locus autem Marci, qui citatur ab iſtis authoribus non eſt intelligendus de ſacramento extremæ Vnctionis, vt probabitur ſuo loco.

2.

C

Ad argumenta autem 2. ſententiæ reſp. Ad 1. poteſtatem abſoluendi à peccatis, & item conſecrandi corpus Chriſti, dari vno, & eodem plane tenore cuilibet ſacerdoti, dum conſecratur: ceterum per formas omnino diſtinctas, per iſta ſiquidē verba: *Accipe poteſtatem offerendi corpus Chriſti in Eccleſia pro viuis & mortuis*, confertur poteſtas cōſecrandi corpus Chriſti: per iſta vero verba: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis*, fit facultas abſoluendi à peccatis omniū plane conſenſione: licet autem poteſtates iſtę de facto dentur cuilibet ſacerdoti ſimul & eodem tempore, eò quod poteſtas Epiſcoporum in ordine ad hos effectus ſit definita, & determinata ad ſacramentum ordinis: ità vt nequeat illos effectus producere in aliquo homine, niſi dependenter ab adminiſtratione ordinis. Chriſtus tamē potuit poteſtates iſtas cōſecrādi & peccata remittēdi diuerſis temporibus cōcedere: imo hoc ipſū poteſt Epiſcopus, non tamen ſine peccato: quoniam recederet à communi praxi Eccleſiæ in re graui, qualis eſt adminiſtratio ſacramentorum.

2. Sent. argumenta ſoluuntur. 1.

D

Ad 2. Reſpond. poteſtatem conſecrandi Chriſti corpus, & poteſtatem abſoluendi à peccatis, eſſe vnum, & eumdem numero characterem, ceterùm productum per iſta verba; *Accipe poteſtatem offerendi Chriſti corpus*, ampliatum verò, & dilatatum per verba iſta; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. illo eodem modo quo fatentur Thomiſtæ de charactere ſacerdotali, & Epiſcopali; hic enim producitur in ſacerdotis conſecratione: in benedictione vero, & vnctione Epiſcopi, quæ iure communi fit à tribus Epiſcopis ampliatur & extenditur; adeo vt conferat Epiſcopo poteſtatem ordinariam adminiſtrandi ſacramenta Confirmationis,

2.

E

Character ſacerdotalis extenditur.

Digitized by Google

Obiectio. Obiicies: vinculis conſtringi, & ligari tantummodo hominem, ac proinde ſolui ſimiliter ab iiſdem; peccata autem non ſunt vincula, ſed ex ſententia D. Thom. 1. 2. quæſt. 71. ſunt priuationes rectitudinis debitę ineſſe.

Solutio. Reſpondeo, peccatâ eſſe quædam vincula, ex illo Iſaiæ 52. *Solue vincula colli tui*, &c. qui locus explicatur à pleriſque de peccatis filiorum Iſrael: Iſaiæ 52.

Pſal. 118. & Pſal. 118. peccata comparantur funibus. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Adde D. Aug. fateri de ſeipſo in Confeſſionibus ſe conſtringi veluti catenis quibuſdam propriis peccatis. Deinde, poteſtas quæ datur in ſacerdotibus nuncupatur communiter poteſtas ligandi, & ſoluendi, & quidem merito: ità enim loquitur Chriſtus

Matth. 16. & 18. Matth. 16. & 18. *Quæcumque ligaueritis ſuper terram*, &c. merito ergo dicimus de peccatoribus quòd vere ſoluantur quotieſcumque abſoluuntur à peccatis, quod eſt diligenter aduertendum, propter aliquos veteres Scholaſticos, qui fatentur ſacerdotes condonare, remittere, & relaxare peccata, non autem ſoluere, vel ligare pœnitentem.

Ad id verò, quod dicitur peccata eſſe priuationes rectitudinis debitæ ineſſe. Reſpondeo, hoc eſſe verũ ex ſententia quorumdam de ratione formali peccati, quatenus peccatum: certum tamen eſt ex doctrina omnium plane Catholicorum tranſacto actu cuiuſlibet peccati, ſaltem mortalis, manere in eo qui peccat maculam, à qua denominatur formaliter peccator: hæc autem macula, & reatus eidem debitus, ſaltem pœnæ æternæ, ſoluuntur & tolluntur per ſacerdotem; ac proinde fatemur merito ſacerdotem nedum condonare, quandocumque excipit confeſſionem alicuius, ſed etiam ſoluere huiuſmodi penitentem à vinculis peccatorum, quibus conſtringebatur.

Explodituꝛ Magiſtri ſententia. Ex dictis colliges, nulla ratione defendendam eſſe ſententiam Magiſtri diſtinct. 18. libr. 4. & multorum aliorum veterum Scholaſticorum, qui putarunt ſolum Deum abſoluere hominem à culpa, & reatu pœnę ęternę: ſacerdotem verò declarare tantum.

Corollariũ. 2. aduerſus alios. Colliges ſecundo, non eſſe defendendam aliorum ſententiam, qui putant Deum media contritione ſolum deſtruere in nobis culpam, ſacerdotem verò tollere per abſolutionem ſacramentalem reatum pœnæ æternæ, quando hoc ſacramentum adminiſtrat. Primò, quia contritio eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans; gratia autem iuſtificans eſſe nequit in aliquo cum reatu, & obligatione ad pœnam æternam; repugnat enim vnum, & eumdem ſimul habere ius ad vitam æternam (quod concedendum eſt de omni homine conſtituto in gratia, omnium plane conſenſione) & obligari ad pœnas æternas.

Deinde, contritio in nouo teſtamento eamdem plane habet vim, quàm habuit in veteri Teſtamento, ſaltem cum ſacramento penitentiæ in re, vel in voto: at in veteri Teſtamento, contritio nedum deſtruebat in homine culpam mortalem; ſed etiam conferebat eidem gratiam gratum facientem; ac proinde deſtruebat reatum pœnæ æternę in homine penitente: ergo illud idem erit neceſſario dicendum de contritione.

Denique, tota ratio cur aliquis ſit reus pœnæ æternæ, hęc redditur ab omnibus, quia agit in peccato mortali: at ſupponimus peccatum mortale eſſe remiſſum per dignitatem contritionis: ergo & illud idem erit dicendum de reatu pœnæ æternæ. Non ergo recte docent iſti ſolum Deum media contritione deſtruere in homine penitente culpam, ſacerdotem verò deſtruere reatum pœnæ æternæ.

DVBITATIO QVARTA.

Quæ ſit forma ſacramenti penitentiæ.

Forma ſacramenti penitentiæ. CONVENIT inter omnes formam ſacramenti penitentiæ eſſe iſtam. *Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* hæc enim traditur in omnibus Ritualibus, & Ordinariis.

Concil. Florent. Trident. Deinde, ità videtur ſentire Concil. Florentin. in decreto Eugenij IV. quod extat poſt vltimam ſeſſ. prædicti Concilij, & Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 3. dicitur enim illic, verba iſta; *Ego te abſoluo*, &c. eſſe formam huius ſacramenti. Denique ita docent communiter omnes in quartum diſtinctione 14.

Durandi opinio. Dubitatur tamen, *An omnia verba proxime commemorata ex æquo pertineant ad naturã, & eſſentiam formæ ſacramenti penitentiæ.* Durandus in quartum diſtinct. 22. putat verba iſta: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, eadem plane ratione pertinere ad eſſentiam formæ ſacramenti penitentiæ, quemadmodum verba iſta, *abſoluo te*, idque quòd actio principalis agentis ſit neceſſariò explicanda per formam, quandocumque explicatur actio miniſtri; vt conſtat ex forma baptiſmi, in qua actio miniſtri ſignificatur per iſta verba: *baptizo te*: actio vero principalis agentis Dei per iſta; *In nomine patris*, &c. at actio ſacerdotis ſignificatur in forma abſolutionis ſacramenti penitentiæ per verba: *Abſoluo te*, Dei verò per illa; *In nomine patris*, &c.

Paludani ſent. Ioann. 20. Paludanus particulam hanc *à peccatis*, credit eſſe de eſſentia formę, idque quod Chriſtus dixerit, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c.

Abſoluo te, ſunt tantum de eſſentia. CONCLVSIO I. *Verba iſta, Te abſoluo, ſunt tantum de eſſentia ſacramenti penitentiæ.* Primo, quia poſitis iſtis ſolis, ex materia, & intentione miniſtri perfectiſſime conſurgit ſacramentum penitentiæ. Deinde verba iſta, *Te abſoluo*, ſignificant quantum ſatis eſt effectum ſacramenti penitentiæ; hic enim eſt remiſſio peccatorum, ac proinde iuſtificatio hominis peccatoris, vt dicitur in Trid. ſeſſ. 14. at vis remittendi peccata ineſt maximè verbis prædictis, ex cap. 3. ſeſſ. 14. Trident.

Tertio, particula, *Ego*, virtute continetur in verbo, *abſoluo*, quemadmodum particula, *à peccatis tuis*: abſolutio ſi quidem verſatur circa peccata commiſſa; ergo hæc verba ſatis erunt ad formam ſacramenti penitentię perficiendam.

Obiectio. Obiicies Eugenium IV. in decreto fidei & Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 3. affirmare verba iſta; *Ego te abſoluo*, &c. eſſe formam ſacramenti penitentiæ: ergo cum Concilium addat particulam iſtam, &c. putat tam vere particulas *à peccatis tuis*, *in nomine*, &c. pertinere ad eſſentiam formæ huius ſacramenti, quam faciant verba *Abſoluo te*.

Solutio. Sunt qui reſpondeant verba iſta, *A peccatis tuis*, *Aliquorum* poſſe pertinere ad eſſentiam formę ſacramenti penitentiæ, vel quia verba; *Abſoluo te*, nequeunt ſuos effectus producere, niſi adiecta fuerint hæc *à peccatis tuis*: vel quia verba, *Abſoluo te*, poſſunt

ſtante verbis deprecatiuis, ſupra explicatis. Probant aliqui. Sacraméta nouæ legis faciunt quod ſignificant, vt definitum fuit in Tridentin. ſeſſ. 7. can. 6. 7. & 8. de ſacramentis in genere: at ſacramentum penitentiæ ſignificat remiſſionem peccatorum, ex canon. 1. ſeſſionis 14. Concil. Tridentin. ergo cum hæc abſolutio à peccatis non explicetur verbis deprecatiuis reſpectu adminiſtrantis ſacramentum penitentiæ, ſed tantum reſpectu Dei; ſupponimus enim ſacerdotem inter abſoluendum dicere; *Precor Deum vt te abſoluat à peccatis tuis*, non poterit ſacerdos valide adminiſtrare ſacramentum penitentiæ cum forma iſta deprecatiua.

Trident.

Refellitur aliquorum ratio.

Ceterum ratio hæc parum admodum probat, nam ſacramentum extremæ Vnctionis computatur inter ſacramenta nouæ legis, & tamen forma iſtius ſacramenti eſt deprecatiua; ordinaturque ſaltem ad remiſſionem peccatorum venialium, ex communi ſententia: imò & mortalium de quibus non poteſt ſe accuſare infirmus pro eo tempore, quo conſequitur ſacramentum extremæ Vnctionis, ex ſententia Maldonati: ergo.

Deinde, certum eſt in Chriſto extitiſſe plenitudinem poteſtatis, reſpectu cuiuſlibet operis miraculoſi; fuit enim Chriſtus verus Deus, & verus homo: at non omne miraculum præſtitit Chriſtus verbis abſolutis, ſed interdum deprecatiuis, vt conſtat ex ſuſcitatione Lazari, Ioan. 11. prius enim orauit, vt dignaretur Deus Lazarum ſuſcitare, quàm diceret; *Lazare, veni foras*: ergo licet detur in ſacerdotibus poteſtas vera, & realis remittendi peccata: poterit tamen ſacerdos vti verbis deprecatiuis inter exercendos actus iſtius poteſtatis. Confirmatur. In Apoſtolis, ex multorum ſententia fuit tantum poteſtas faciendi miracula aſſiſtenter; non autem informatiue, & tamen Apoſtoli nedum fecerunt miracula impetrando, ſed etiam imperando, vt cap. 3. Actuum, & obſeruat D. Thom. hoc loco: ità enim alloquitur Petrus loco proxime citato claudum qui tedebat ad portam templi Hieroſolymitani: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge & ambula*: ſi ergo potuerunt Apoſtoli per poteſtatem iſtam verbis abſolutis, & imperatiuis facere miracula, quid impediat quominus etiam ſacerdos abſoluat à peccatis, medijs verbis deprecatiuis; præſertim cum verba deprecatiua eandem fere retineant ſignificationem, quam habent verba iſta: *Ego te abſoluo*? &c.

Ioann. 11.

Actor. 3.

2. Ratio aliorum pro concluſione.

Alij vero probant, propterea ſacerdotem non poſſe valide ſacramentum penitentiæ adminiſtrare cum forma deprecatiua, quia concurrit inſtrumentaliter ad effectum ſacramenti penitentiæ producendum, quod tamen non faceret, ſi vteretur verbis deprecatiuis.

Non eſt efficax.

Ceterum ratio hæc minus probat, quàm præcedens: nam de fide eſt, extremam Vnctionem eſſe ſacramentum nouæ legis, & tamen hoc adminiſtratur à ſacerdotibus media forma deprecatiua, concurritque ſacerdos inſtrumentaliter ad effectum, quem producit extrema Vnctio.

3. Aliorum ratio.

Alij tertio probant. Concil. Florentin. & Tridentin. locis ſuprà citatis definiunt formam ſacramenti penitentiæ eſſe verba iſta, *Ego te abſoluo*, &c. & item vim remittendi peccata ineſſe maximè verbis proximè commemoratis: ergo nulli licebit variare iſta verba ſine diſpendio ſacramenti penitentiæ; non enim poſſunt ſacramenta ab vllo alio præterquàm a Chriſto inſtitui.

Verum neque hæc ratio eſt efficax: poſſet enim quis reſpondere ſacramentum penitentiæ non mutari hoc loco, quoad ſuam formam formaliter; ſeu, quod idem eſt, quoad ſuam ſignificationem: ſed tantum materialiter, id eſt, quoad ſonum verborum; poſſe autem formas ſacramentorum mutari materialiter, ſeu, quod idem eſt, quoad verba ex quibus conſtant, indubitatum eſt apud omnes, ex tractatione de ſacramentis in genere, & manifeſte colligitur ex eo, quod Latini, Latine; Græci vero Græce formas ſacramentorum explicent: imò fatentur omnes futurum baptiſma validum, ſi quis inter baptizandum dixerit. *Abluo te*, vel, *Lauo te in nomine Patris*, &c.

Infirma.

Alij quarto probant: Eodem plane modo explicanda eſt forma ſacramenti penitentiæ, quo baptiſmi: quemadmodum enim in baptiſmo remittitur peccatum originale, & confertur baptizato gratia gratum faciens; ità in ſacramento penitentiæ remittitur homini quodlibet peccatum mortale actuale, & datur eidem gratia gratum faciens: at forma ſacramenti baptiſmi conſtat verbis præſentis temporis indicatiui modi: ac proinde abſolutis, minime vero deprecatiuis: ergo.

4. Quorumdam ratio.

Inefficax.

At neque hæc ratio ſatis concluſionem demonſtrat: indubitatum enim eſt Græcos baptizare, & quidem valide, cum iſta forma: *Baptizetur ſervus Chriſti, in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti*: ergo licebit mutare verba iſta inter abſoluendum: *Ego abſoluo te, in nomine patris*, &c. ſine diſpendio ſacramenti penitentiæ.

Vera ratio concluſionis.

Probatur igitur Concluſio. Lata ſententia à Iudice, cum cognitione perfectiſſima cauſæ, nunquam exprimitur verbis deprecatiuis, ſed abſolutis, vt conuenit inter omnes: at abſolutio eſt ad inſtar ſententiæ à Iudice latæ cum perfectiſſima cognitione cauſæ, vt manifeſte dicitur in Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. canon. 5. & canon. 9. damnantur enim illic omnes qui affirmant abſolutionem eſſe tantum nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi penitentem eſſe abſolutum, non autem penitentem vere abſolui à ſacerdote: & item qui dicunt ſacramentum penitentiæ non eſſe actum iudicialem.

Deinde, quicumque exercet actum ſupremæ, & vltimæ poteſtatis, is non exprimit ſuam actionem verbis deprecatiuis, ſed abſolutis: at ſacerdos inter abſoluendum exercet actum ſupremæ, & vltimæ poteſtatis: ſuſtinet namque vicem Dei inter penitentem abſoluendum: neque enim abſoluit, niſi in ratione cauſæ inſtrumentalis, Deus autem habet rationem cauſæ præcipuæ, & principalis, reſpectu abſolutionis quæ datur penitenti. Demum, praxis hactenus obſeruata in Eccleſia Concluſionem iſtam ſatis demonſtrat, ſemper enim penitentes fuerunt abſoluti à ſacerdotibus inter adminiſtrandum ſacramentum penitentiæ cum iſtis verbis; *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, numquam vero mediis verbis deprecatiuis: ità D. Thom. hoc loco, & opuſculo 22. cap. 1. & cap. 3. interpretes vero omnes D. Thom. hoc loco: In eadem ſententia videtur eſſe Scotus in quartum, diſtinct. 14. & ſequaces eiuſdem: volunt enim ſacramenti penitentiæ formam futuram validam ex lege, quod explicetur verbis illis, quibus ſententia iudicis definitiua, communi hominum exiſtimatione cenſetur eſſe valida: qualis eſt ea quæ refertur à Vazquezio lata à tyranno, contra Theodorum Martyrem: *Iubeo*, inquit, *ignibus*

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An liceat ſaltem verbis iſtis, Ego abſoluo te, *addere conditionem de præſenti, de præterito, vel de futuro ſinè diſpendio ſacramenti penitentiæ.*

Conditiones aliquæ addi poſſunt formæ.

CONCLVSIO 1. *Adiici poſſunt formæ explicatæ conditiones de præterito, & de præſenti, puta*, Si non es, vel fuiſti abſolutus, ego te abſoluo *ſine diſpendio ſacramenti penitentiæ.* Primo, quia baptizati in extrema neceſſitate ab imperitis, & ignaris, quando ducuntur ad Eccleſiam, vt ceremoniæ baptiſmi illis applicentur, baptizantur à B ſacerdote ſub iſta forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. & quidem ſine vllo peccato, ſaltem quando conſtat ſacerdori eum, qui baptizauit puerum in neceſſitate, non protuliſſe debite formam ſacramenti baptiſmatis.

1.

2. Deinde, nihil vetat quominus ſacerdos dubitet, an abſoluerit penitentem cuius confeſſionem excepit, idque propter varias diſtractiones eaſque inculpatas, quas inter audiendum iſtam confeſſionem ſuſtinuit, ac proinde poterit hic, in hoc dubio, ità abſoluere penitentem; *Si non es abſolutus, ego te abſoluo*: ità Caietan. in ſua Summa, verbo, *Abſolutio*, & communiter omnes locis ſuprà citatis. C

Conditio de futuro irritat ſacramentum penitentiæ.

CONCLVSIO 2. *Conditio de futuro non poteſt adiici formæ abſolutionis, ſine diſpendio ſacramenti penitentiæ, ac proinde non licet dicere*: Ego te abſoluo in nomine patris, &c. ſi ieiunaueris die craſtino, aut aliquid aliud ſimile feceris, &c. Probatur primò, quia hæc eſt manifeſta ſententia D. Thom. hoc loco.

1. Ratio pro concluſione inefficax.

Deinde, nulli licet effectum ſacramenti ſuſpendere, poſita materia, forma, & intentione debita; at quando ſacerdos adiicit conditionem de futuro verbis abſolutionis, ſacerdos hic ſuſpendit effectum ſacramenti penitentiæ: vult enim penitentem abſoluere in eo tempore, in quo hic conditionem adimplebit: ità Caiet. loco proxime D citato.

Ceterum hęc ratio probat tantum ſacerdotem peccare apponendo conditionem de futuro, non autem ſacramentum propterea eſſe inualidum. Deinde, conditio de futuro addita verbis abſolutionis mutat ſignificationem abſolutionis ſacramentalis: ac proinde nedum peccat ſacerdos, ſed etiam inualidat ſacramentum.

Sicut & ratio. Sylueſt.

Syluester vero propterea nefas eſſe putat apponere conditionem de futuro abſolutioni: quia qui apponit conditionē iſtam exponit ſe manifeſtiſſimo periculo ſacrilegij: fieri enim poterit vt interueniente conditione appoſita verbis abſolutionis, penitens non erit debite diſpoſitus, ac E proinde neque poterit effectum ſacramenti conſequi.

Ratio tamen hæc nihil probat, vt conſtat ex dictis ad rationem proxime antecedentem.

Armillæ ratio infirma.

Armilla, ideo vult citra diſpendium ſacramenti penitentiæ non poſſe apponi conditionem de futuro verbis ſacramenti penitentiæ: quia actus legitimi non recipiunt diem neque conditionem.

Ceterum ratio hæc deficit: ſententia ſiquidem interlocutoria computatur inter actus legitimos, & tamen recipit hanc conditionem aliquam.

A Deinde, licet iure ciuili & pontificio ſententia vltima, ſeu definitiua, nullam admittat conditionem de futuro, hoc tamen forte locum non habet in ſententia iuris naturalis, & diuini: abſolutio autem ſacerdotis eſt ſententia iure diuino introducta.

Vera probatio.

Probatur ergo à Vazquezio, & à nonnullis aliis Recentioribus. Conditio de futuro, poſita in propoſitione, vnà cum verbo præſentis temporis facit vt verbum præſentis temporis ſignificet tempus futurum, qui enim dicit. *Abſoluo te, ſi die craſtino eleemoſynam dederis.* idem plane eſt, ac ſi diceret, *die craſtino te abſoluam, cùm dederis eleemoſynam*: at intentio iſta non eſt ſatis ad validitatem ſacramenti penitentiæ: voluntas enim abſoluendi debet eſſe in tempore præſenti, vt conſtat ex iſtis verbis: *Ego te abſoluo.*

Denique ſententia lata cum cognitione cauſæ perfectiſſima, nullam admittit de futuro conditionem: at abſolutio ſacerdotis eſt ſententia lata à ſacerdote cum perfectiſſima cognitione: ergo nullam admittit conditionem.

Obiectio.

Dices, ex iſtis colligi, eum non eſſe abſolutum, cui ſacerdos inter abſoluendum dixit; *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, &c. *ſi te ſuperiori tuo præſentaueris.*

Solutio.

Reſpondeo, iſtum non eſſe abſolutum, ſi particula iſta, *ſi te præſentaueris*, habeat rationem conditionis de abſolutione danda; vt conſtat ex dictis: ſi vero habeat tantum rationem præcepti de adeundo legitimo ſuperiore, hic vere erit abſolutus.

Impoſitio manuum non pertinet ad eſſentiam ſacramenti.

ARTICVLO 4. docet D. Thom. impoſitionem manuum non pertinere ad eſſentiam penitentię, & quidem merito: materia quippe, forma, & miniſter ſunt tantum de eſſentia cuiuſlibet ſacramenti, ex decreto Eugenij IV. quod extat poſt ſeſſ. vltimam Concilij Florentini: at manuum impoſitio, nec eſt materia, nec forma ſacramenti penitentiæ, vt conſtat ex dictis Articulo proxime antecedente, nec item miniſter, vt eſt per ſe notum.

Denique, manuum impoſitio non retinetur in vlla plane Eccleſia inter adminiſtrandum ſacramentum penitentiæ, ſed tantum ſacerdos eleuat manuum alteram ſupra caput penitentis, quando eum abſoluit.

Obiectio.

Dices, D. Auguſtinum lib. 4. de baptiſmo, appellare ſacramentum penitentiæ: *ſacramentum impoſitionis manuum.*

Solutio.

Reſpondeo, locum hunc D. Auguſtin. eſſe intelligendum de ſola penitentia publica, primis temporibus Eccleſiæ obſeruata: in hac enim vſus manuum impoſitionis locum ſemper habuit, vt conſtat ex Concil. Nicæno canon. 9. & ex III. Carthaginenſi canon. 32. de hac autem manuum impoſitione obſeruata inter abſoluendos penitentes publicos, legendus eſt Baronius tomo 1. ſuorum Annalium ad annum Chriſti 56. pagina mihi 457. de ea verò quam Eccleſia retinuit inter baptizandum, legendus eſt Ioannes Stephanus Durantus libro primo de ritibus Eccleſiaſticis, cap. 19. *Baronius.*

Notabile.

Aduerte D. Thomam hoc loco affirmare plus gratiæ dari per ſacramenta Ordinis, & Confirmationis, quàm detur per ſacramentum penitentiæ, quod non eſt ad literam intelligendum: fieri quippe poteſt, imo fere ſemper contingit, vt maior gratia detur homini per ſacramentum penitentiæ quàm per ſacramenta Confirmationis, & Ordi-

Digitized by Google

poſſe non minus dari in nobis, quàm in Patribus veteris Teſtamenti, & legis Moſaicæ: ergo ſecluſa inſtitutione diuina de conſequendo penitentiæ ſacramento, poſſet aliquis vere iuſtificari ſine vlla dependentia à ſacramento penitentiæ.

Denique, fatentur omnes ex ſola Chriſti inſtitutione peccata commiſſa poſt baptiſmum ſubiici clauibus Eccleſiæ.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſacramentum penitentiæ ſit vel in re tantùm, vel in voto, vel in re, & in voto ſimul, neceſſarium ad ſalutem cuilibet lapſo in peccatum mortale poſt baptiſmi ſuſceptionem.

Simpliciter lapſis neceſſarium. Trid.

CONCLVSIO 1. *Sacramentum penitentia lapſis in peccatum mortale poſt baptiſmum eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem*: hæc videtur eſſe de fide, definita quippe eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & ſeſſ. 6. cap. 14.

Deinde, de omni medio neceſſario ad vitam æternam extat præceptum aliquod, vt conſtat de fide ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt*, &c. & Marc. 16. *Qui crediderit*, &c. & alibi. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: & de baptiſmo Ioan. 3. *Niſi quis renatus*, &c. penitentiæ autem ſacramentum eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ex Dubitatione proxime antecedente: ergo cum res omnis neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate medij, & præcepti, ſit neceſſaria in re, vel in voto, ex communi doctrina, ſtatuendum erit penitentiam eſſe neceſſariam vel in re, vel in voto, lapſis in peccatum mortale poſt baptiſmum.

Hebr. 11. Marc. 16. Hebr. 11. Ioan. 3.

In voto neceſſarium hoc ſacramentum.

CONCLVSIO 2. *Sacramentum penitentiæ in re non eſt ſemper neceſſarium ad ſalutem conſtitutis in peccato mortali commiſſo poſt baptiſmum, bene tamen in voto.* Primo, quia ſacramentum in re eſt tantum neceſſarium, quando occurrit neceſſitas adimplendi præceptum de frequentanda penitentia, & quando datur copia ſacerdotis, qui ſacramentum hoc adminiſtret: at certum eſt ſacramentum penitentiæ non obligare in quolibet inſtanti temporis, itémque ſacerdotem non ſemper occurrere qui ſacramentum hoc adminiſtret: ergo non eſt ſimpliciter neceſſarium in re.

1.

2. Deinde, baptiſmus in re non eſt quibuſuis neceſſarius ad ſalutem: conuenit enim inter omnes cum voto baptiſmi poſſe adultum iuſtificari à peccato originali, & à ceteris quibuſuis actualibus commiſſis ante baptiſmatis ſuſceptionem.

3. Tertio, contritio, & dilectio Dei ſuper omnia tantam habent vim nunc, quantam habuerint olim in lege Moſaïca, & in lege naturali: ſunt enim eiuſdem naturæ nunc, ac illis temporibus: in lege autem naturæ, & Moſaïca fuerunt hæc ſatis ad hominis iuſtificationem, ſaltem interdum, & aliquando.

4. Denique, in Concilio Tridentino, ſeſſione 14. capite 4. dicitur per contritionem iuſtificari interdum hominem, non tamen ſine voto ſacramenti penitentiæ: ergo. ità docent D. Thom. quæſtione 86. huius partis, articulo ſecundo, & libro quarto contra gentes, capite 72. & in quartum, cum Magiſtro diſtinctione 17. Gabriel diſtinctione 14. & 16. & communiter Sententiarij ibidem.

ROGABIS, *Quódnam votum ſacramenti penitentiæ ſit neceſſarium ad ſalutem.* Bonauent. in quartum diſtinctione 17. Canus in relectione de penitentia, & alij nonnulli putant votum expreſſum, & formale de ſacramento penitentiæ conſequendo, eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, cuilibet lapſo in peccatum mortale poſt baptiſmi ſuſceptionem: Idque quod D. Auguſtin. de vera, & falſa penitentia cap. 12. doceat peccatum hæreſeos non poſſe deſtrui in aliquo, niſi hic actu aliquo explicito deteſtetur huiuſmodi peccatum, & niſi velit formaliter, & expreſsè aſſentiri rebus omnibus à Deo reuelatis; ergo illud idem quoque erit dicendum de conſtituto in ſtatu peccati mortalis, reſpectu ſacramenti penitentiæ: hoc enim non minus neceſſarium eſt ad ſalutem quàm ſit fides reſpectu hominis hæretici.

Excitatur quæſtio. Bonauent. opinio & fundamenta. 1.

2. Deinde, inter adultos nullus eſt qui poſſit iuſtificari, niſi cum voto explicito baptiſmi, vel cum ipſo ſacramento baptiſmi in re ſuſcepto: quemadmodum enim in forma baptiſmi expreſſio diſtincta perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis continetur: ità quoque videtur neceſſarium ad hominis iuſtificationem expreſsè velle baptizari: ergo.

3. Denique, Concilium Tridentinum ſeſs. 14. cap. 4. ait, neminem iuſtificari per contritionem ſine voto ſacramenti penitentiæ, item capite 14. ſeſſione 6. dicitur omnem culpam, & pœnam deſtrui in homine per ſacramentum penitentiæ, vel in re, vel in voto ſuſceptum: at votum de ſacramento penitentiæ conſequendo nullum aliud videtur eſſe, quàm actualis, & expreſsa voluntas illius; quia votum explicitum eſt actus voluntatis quo homo deſiderat recipere ſacramentum: ergo votum explicitum ſimpliciter eſt neceſsarium ad ſalutem.

Votum implicitum huius ſacramenti ſatis. 1.

CONCLVSIO. *Votum implicitum de ſacramento penitentiæ conſequendo ſufficit ad ſalutem, in eo caſu, in quo quis caret copia ſacerdotis cui confiteatur peccatum mortale à ſe commiſſum: etiamſi teneatur eo tempore ad obſeruationem præcepti confeſſionis.* Primo, quia de fide eſt Deum remittere peccatum homini elicienti actum contritionis perfectæ, colligunt Doctores ex illo Ezechielis 33. *In quacumque hora conuerſus fuerit impius ab impietate ſua, impietas non nocebit ei*, & Pſal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*: at ſupponimus hominem conſtitutum in ſtatu peccati mortalis elicere actum contritionis perfectæ; ergo vere iuſtificabitur hic à peccato mortali ſine voto expreſſo, & formali de ſacramento penitentiæ adeundo: ſuppono enim quod contritus hic nullo modo cogitet, nec cogitauerit expreſſe de ſacramento penitentiæ ſumendo. Confirmatur. Contritio ex veriori ſententia, eſt infallibilis diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam: & ex aliorum opinione iuſtificat formaliter, non quidem ſola, ſed cum gratia gratum faciente: ergo contritio hæc ſatis erit ad iuſtificationem hominis, ſine voto expreſſo de ſacramento penit.

Ezech. 33. Pſal. 31.

Confirmatio.

2. Deinde, nihil repugnat quominus conſtitutus in ſtatu peccati mortalis, exerceat actum dilectionis Dei ſuper omnia, etiamſi de ſacramento penitentiæ nulla ratione cogitet, non enim actus dilectionis Dei ſuper omnia neceſſariam

dicit connexionem cum ſacramento penitentiæ, vt eſt per ſe notum, & manifeſte colligitur, ex eo quod in veteri Teſtamento, & in lege naturali, & etiam in cœlis detur actus dilectionis Dei ſuper omnia, ſine vllo plane ordine ad ſacramentum penitentiæ: at poſito iſto actu dilectionis Dei ſuper omnia in homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis datur gratia iuſtificans, vt colligitur ex capite 14. Ioann. Ioan. 14. ità enim loquitur illic Chriſtus; *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: quod tamen ſine gratia gratum faciente eſſe nequit; hæc namque eſt obiectum dilectionis diuinæ in nobis, & præterea medium ſimpliciter neceſſarium ad vitam æternam obtinendam, omnium Catholicorum conſenſu: igitur non eſt neceſſe ſimpliciter ad iuſtificationem, vt quis votum explicitum habeat de ſuſcipiendo hoc ſacramento.

Solutio authorum contrariorum. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ: contritionem, & dilectionem Dei ſuper omnia numquam dari in homine lapſo poſt baptiſmum in peccatum mortale, ſine actuali propoſito de ſacramento penitentiæ frequentando.

Refelliur. Ceterum, hæc reſponſio defendi nullo modo poteſt; nam actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia ex ſe & ſua natura nullam dicunt connexionem cum voto expreſſo de ſacramento penitentiæ frequentando: quis enim neſciat contritionem & dilectionem Dei ſuper omnia extitiſſe in patribus veteris Teſtamenti, & legis naturalis, & tamen patres iſti numquam cogitauerunt de ſacramento penitentiæ.

Deinde, licet Chriſtus inſtituerit contritionem in nouo teſtamento, non eſſe ſatis ad hominis iuſtificationem, ſed deſiderari ad id, votum ſacramenti penitentiæ: numquam tamen docuit votum expreſſum neceſſarium eſſe ad iuſtificationem hominis; vel non ſufficere cum contritione perfecta votum implicitum de ſacramento penitentiæ conſequendo.

Concluſionis 3. probat. Tertio probatur Concluſio: Nihil repugnat quominus conſtitutus in ſtatu peccati mortalis, trahatur ad ſupplicium in odium fidei Catholicæ, & Chriſti, & quin interea peccator hic eliciat actum, vel dilectionis Dei ſuper omnia, vel contritionis, etiamſi expreſſe minime cogitet de ſacramento penitentiæ. Quæro de iſto homine, vel ſaluatur, vel damnatur, ſi primum, habetur intentum; ſecundum autem dici nullo modo poteſt: tum quia martyrium iuſtificat hominem ex opere operato; tum quia dilectio Dei ſuper omnia, & contritio, ſunt diſpoſitiones ad quas infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

Mouetur quæſtio. Diſſoluitur. ROGABIS, *In quonam continetur votum implicitum de ſacramento penitentiæ frequentando.*

Reſpondeo, contineri in actibus contritionis perfectæ, vel dilectionis Dei ſuper omnia, vt colligitur ex Tridentin. ſeſſ. 14. capite 4.

Deinde, virtus eminens ſatis eſt ad illos eoſdem effectus producendos, quos produceret virtus formalis ſi adeſſet, vt conſtat ex Sole, qui quia virtute, & eminenter calidus eſt, tam vere calorem producit, quàm faciat ignis, qui formaliter calidus eſt: contritio autem, & actus dilectionis Dei ſuper omnia tam vere deſtruunt in nobis peccatum cauſaliter, quàm faciat ſacramentum penitentiæ in re ſuſceptum: ergo ſacramentum hoc penitentiæ, virtute, & eminenter continetur in contritione perfecta, & in actu dilectionis Dei ſuper omnia: ità communiter omnes locis ſuprà citatis.

Fundamentorum aduerſariorũ Solutio. Ad rationes contrarias reſp. Ad primam conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem autem, magnum eſſe diſcrimen inter neceſſitatem fidei, & ſacramenti penitentiæ, licet vtrumque ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; nam fides actualis, ſeu quod idem eſt, credere aliquid actu explicito ordinis ſupernaturalis, eſt ità neceſſarium ad ſalutem, vt niſi quis explicite aliquem articulum fidei Catholicæ crediderit, nequeat hic vlla ratione iuſtificari, vt docetur in tractatione de fide, & colligunt Theologi, ex illo Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet*, &c. & ex ſeſſ. 6. Trid. cap. 6. ſacramentum autem penitentiæ non eſt actu neceſſarium in re, niſi quando commodè haberi poteſt; in voto vero eſt neceſſarium quando commodè conſequi eum non poſſumus, & tamen datur in nobis peccatum mortale, à quo volumus iuſtificari: votum autem hoc non debet eſſe neceſſario explicitum, ſed ſatis eſt ſi fuerit implicitum, ac proinde actus contritionis qui virtute continet ſacramentum penitentiæ, ſatis erit ad hominis iuſtificationem. 1. Hebr. 11.

Ad id autem quod dicitur, peccatum hæreſeos numquam deſtrui ſine actuali deteſtatione eiuſdem.

Reſpondeo, hoc eſſe verum in eo qui defecit à fide Catholica, per verum, & realem aliquem actum oppoſitum fidei Chriſtianæ: & ità intelligendus eſt D. Auguſtin. nam fides numquam datur in aliquo, quandiu diſcredit rebus à Deo reuelatis, quod tamen facit hic ex hypotheſi, & tamen non exercuit vllum actum iſti, ſcilicet, incredulitati contrarium: ſecus autem dicendum eſt de eo qui ſequitur errores ſuorum parentum inculpabiliter, ac proinde qui vel nulla de fide Catholica audiuit, vel ſi audiuit, non tamen fuerit hæc ei propoſita debite: de hoc ergo fatentur omnes quod ſi actum contritionis perfectæ exercuerit, etiamſi actu aliquo proprio non deteſtatus fuerit peccatum infidelitatis, non tamen propterea deſinet conſequi ſalutem: ità communiter in tractatione de fide, & hoc loco.

Ad ſecundam reſp. adultum qui ex hypotheſi nihil audiuit de baptiſmo ſi fuerit inter Catechumenos, & aliquid ordinis ſupernaturalis vere crediderit, poſſe iuſtificari, medio ſolo actu contritionis perfectæ, vt dicitur in materia de baptiſmo. 2.

Ad tertiam: Teſtimonia illa Trident. intelligenda eſſe de voto implicito penitentiæ, non autem de formali, & expreſſo. 3.

Replica. Inſtabis, obſeruationem mandatorum ceterorum Chriſti non minus contineri in contritione perfecta, quàm ſacramentum penitentiæ, & tamen nihil habet Concilium de neceſſitate ceterorum præceptorum; de ſacramento vero penitentiæ dicit, quòd eius obſeruatio ſit neceſſa-

Digitized by Google

ſit neceſſaria vel in re, vel in voto, ad ſalutem: ergo cum cetera mandata in voto virtuali ſint ad ſalutem neceſſaria; ſacramentum penitentiæ erit neceſſarium in voto actuali, & expreſſo.

Diſſoluitur. Reſpondeo, obſeruationem ceterorum mandatorum tam vere contineri in actu contritionis perfectæ, virtute, ſeu eminenter, vel implicite, quam contineatur ſacramentum penitentiæ. Ex iſtis tamen non licet colligere ſacramentum penitentiæ non eſſe magis neceſſarium ad ſalutem, quàm ſit obſeruatio ceterorum mandatorum; nam obſeruatio illa ideo eſt ad ſalutem neceſſaria; quia numquam faciendum eſt id quod huiuſmodi præceptis prohibetur: aut numquam eſt B omittendum id quod præcipitur faciendum per huiuſmodi præcepta; & conſequenter ne peccemus: ſacramentum autem penitentiæ, nedum neceſſarium eſt ad ſalutem ne peccemus; ſed quia eſt vnicum medium aſſequendæ ſalutis, in illis qui peccauerunt lethaliter poſt baptiſmum.

Deinde, quia medio iſto ſacramento peccata noſtra clauibus Eccleſiæ ſubijcimus. Ad demonſtrandam ergo maiorem iſtam neceſſitatem ſacramenti penitentiæ ſupra neceſſitatem ceterorum mandatorum, Concil. Tridentinum citatum docet de illo, quod ſit neceſſarium, vel in re, vel in voto.

Adde, rem hanc eamdem tradere Concilium propter hæreticos aliquos ſeculi proximè antecedentis, qui putarunt hominem iuſtificatum per contritionem nulla ratione ſubiici ſacramento penitentiæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

Virum conuenienter & rectè ſacramentum penitentiæ dicatur ſecunda tabula poſt naufragium.

RESPONDET, penitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium, de qua re paucula diximus Articulo 1. Dubitatione prima huius Quæſtionis: qui autem plura videre volet, legat Petrum Lombardum, diſt. 14. lib. 4. Ioannem Medinam Codice de penitentia, ſtatim initio, & Recentiores.

ARTICVLO 7. Docet ſacramen- E
Ioan. 20. tum penitentiæ in noua lege fuiſſe inſtitutum, quod colligunt Theologi ex illo Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Ceterum difficultates, quæ de hac re occurrunt commodiori loco examinabuntur in Quæſtione de Confeſſione.

ARTICVLO 8. Querit D. Thom. An penitentia debeat durare ad finem vſque vitæ.

ARTICVLVS NONVS.

An penitentia debeat eſſe continua.

De qua re ſit prima reſponſio.

NVLLVS *eſt qui teneatur protrahere ſuam penitentiam, ſine vlla interruptione ad vltimum vſque vitæ ſpiritum, poſitiue, poſitiue, ſeu, vt alij loquuntur actu.* Primo, quia præceptum de agenda penitentia eſt affirma- Matth. 4.
tiuum, ex illo Matth. 4. *Agite penitentiam*, & illud idem colligitur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentiis, & remiſſionibus: at præcepta affirmatiua obligant interdum tantum, & aliquando: non autem in quolibet inſtanti temporis. *Nullus tenetur ſemper penitere poſitiue.*

Deinde, idem eſt de præcepto penitentiæ, quod de præcepto charitatis dicendum, ceteris tamen paribus; dilectio ſiquidem, maxime Dei ſuper omnia, cenſetur eſſe virtualis quædam penitentia, quæ proinde delet non minus peccatum in nobis quàm faciat contritio perfecta, ex doctrina communi, in tractatione de iuſtificatione; at præceptum charitatis obligat tantum interdum, & aliquando: ergo ita communiter interpretes D. Th. C hoc loco.

Secunda reſponſio; *Quilibet tenetur protrahere ſuam penitentiam ad vltimum vſque vitæ ſpiritum negatiue, ſeu, vt alij loquuntur habitu.* Primo, quia penitere negatiue nihil aliud eſt, quàm in vllo plane inſtanti temporis de peccato commiſſo gaudere, vel lætari; atqui certum eſt neminem poſſe ſibi complacere de peccato commiſſo, quin vere peccet: ergo. *Tenetur quilibet penitere negatiue vſque ad mortem.*

Deinde, præcepta negatiua obligant, ad ſemper & pro ſemper, id eſt in quolibet inſtanti temporis: ità vt numquam liceat ſine culpa exequi illud quod præcepto negatiuo prohibetur: at extat præceptum de non delectando de peccatis commiſſis, D ſeu quod idem eſt, de penitentia negatiue agenda: ergo. ità communiter omnes hoc loco; licet autem de iſtis duobus nulla ſit controuerſia inter Theologos Scholaſticos. Sunt tamen qui putent præceptum de penitentia agenda affirmatiuum, obligare in eo omni inſtanti, in quo veniunt in mentem peccata commiſſa: Ceterum iſtorum opinio nulla ratione videtur vera. Primo, quia ſacramentum penitentiæ, aut etiam virtus penitētię eſt tantùm neceſſaria, ad hoc vt aliquis reconcilietur Deo: at fieri poteſt vt is cui veniunt in mentem propria peccata redierit in gratiam Dei: ergo ſaltem iſti ſacramentum penitentiæ non erit neceſſarium actu, ſeu dolendum actu de peccatis commiſſis. *Quorundā opinio reſellitur.*

Deinde, dolere de peccatis non eſt homini iuſtificato magis neceſſarium ad ſalutem, quàm cetera præcepta obſeruare, vt colligitur ex illo Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*: at Matth. 19.
nullus eſt qui teneatur obſeruare cetera mandata, quam primum hęc occurrunt memorię: ergo cum penitere nihil aliud ſit quàm dolere de peccatis non erit neceſſarium, vt is qui fuit iuſtificatus à peccato, de facto doleat iterum de peccatis iſtis commiſſis.

Dices, ſi doleret hic de peccatis quando pec- *Obiectio.*
cata veniunt in mentem, non laberetur in peccatum v.g. homicidij: ergo tenetur dolere.

Digitized by Google

Solutio. Respondeo, stante hac hypothesi, quod iustificatus iste à peccato commisso vitaret homicidium, ponendo dolorem de peccatis commissis, non tamen propterea sequeretur istum peccasse peccato aliquo distincto ab homicidio: tenetur enim tantum vitare homicidium: non autem dolere expresse & actu de peccatis commissis.

Deinde, dolere de peccatis de quibus (ex hypothesi) cogitat quis, non est vnicum remedium vitandi homicidium: ergo. Si tamen quis doleat de peccatis quando subit eorum cogitatio, hic vere meretur apud Deum: non tamen secus faciendo vllam plane culpam, quantumuis minimam committit.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum penitentia debeat iterari.

Hæresis Nouati & aliorum & fundamẽta.

EVIT de hac re antiquitus hæresis Nouati, Montanistarum, & quorumdam aliorum qui putarunt sacramentum penitentiæ nulla ratione iterari posse; idque quod Paulus cap. 6. ad Hebræos dicat;

1. Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel fuerunt illuminati, & c. iterum ad penitentiam renouari.*

2. Deinde, quia Patres docent eadem ratione esse vnam penitentiam, qua datur vnum tantum baptisma: ità Ambr. de penitentia, baptismus autem semel tantum applicari potest.

3. Denique, quia similiter patres docent penitere nihil aliud esse, quàm peccata plãgere, & ea plangendo iterum non committere: ità Ambr. loco cit. & Gregorius, referente Magistro, distinct. 14. Isid. præterea in cap. *Irrisor*, de penitentia, dist. 3. ait, eum non penitere qui illud idem agit, de quo eum penituit; sed potius Deum irridere. *Irrisor est*, inquit, *non penitens qui adhuc agit, quod penitet, nec videtur Deum posse subditus, sed subsannare superbus.*

Catholicorũ quorumdam opinio & argumentum. Ex Catholicis vero sunt aliqui, qui autument Deum definiuisse certum aliquod tempus respectu eorum omnium, qui sunt in hac vita mortali, intrà quod penitere possunt, toties, quoties volunt, transacto tamen isto tempore, existimant hominem non posse vlla ratione penitere, etiamsi perseueret in hac vita mortali: ità Ambrosius, Catharinus, aliique nonnulli: Probant ex Psalm.

Psal. 94. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde, quibus iuraui non introibunt in requiem meam,* & ex cap. 11. Prouerb.

Prou. 11. *Vocani, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos, cum euenerit vobis quod timebatis.*

Viatori applicari potest pœnitentia. CONCLVSIO. *Sacramentum penitentiæ applicari potest cuilibet pro toto eo tempore, quo agit in hac vita mortali.* Primo, quia dicitur Ezech. 33.

1. Ezech. 33. *In quacumque die conuersus fuerit impius ab impietate sua; hac non nocebit ei.* & Hierem. 18. *Si egerit gens illa penitentiam de malo suo, agam & ego de malo,*

Hiere. 18. *quod cogitaui vt facerem eis.*

2. Deinde, ex illis locis in quibus dicitur Deum expectare hominem, ad hoc vt resipiscat à peccatis: & præterea Deum conuertere se ad hominem quàm primum homo conuertitur ad eum: Isaiæ

Esaiæ 55. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum.* & alibi; *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

3. Tertio, legimus Deum, & in veteri Testamento, & in nouo relaxasse peccata mortalibus, quotiescumque ad eum fuerunt conuersi, vt constat de Dauide, Saüle, Niniuitis, & aliis innumeris.

4. Quarto, sacramentum penitentiæ potest illis omnibus applicari, quos Deus expectat ad suorũ peccatorũ cõuersionem: at quoslibet homines in hac vita constituros sine vlla determinatione ad hanc, vel ad illam temporis circumstantiam expectat Deus, ad hoc vt redeant ad meliorem mentem; ac proinde vt peccata deleant ex illo

Apoc. 3. Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.*

5. Quinto, pro toto illo tempore, quo quis agit in hac vita mortali, confert Deus cuilibet auxilia, per quæ salutem consequatur, vt colligunt Patres, & Theologi, ex illo 1. Timoth. 2. *Deus*

1. Tim. 2. *vult omnes homines saluos fieri: & ad agnitionem veritatis peruenire.* atqui hæc vera esse non possunt, si definitum sit aliquod tempus mortalibus constitutis in hac vita, extra quod nequeant penitere de propriis peccatis, etiamsi sint actu in hac vita misera: ergo.

6. Sextò, legimus Paulum excommunicasse Alexandrum, & Hymenæum, idque vt eorum anima consequeretur salutem.

Denique, opinio contraria nostræ Conclusioni damnata fuit in Concilio Romano celebrato sub Cornelio I. & in Concil. Constantiensi, & vt videtur Trid. sess. 14. consentiunt Patres cit. artic. 5. huius quæst.

Dissoluũtur fundamenta hæreticorum. Ad rationes autem Nouati. Respondeo, locum Pauli intelligendum esse de baptismo, quem contendit inutilem plane esse secundò, ad salutem: disputat enim Paulus eo loco contra Iudæos aliquos ad religionem Christianam conuersos, existimantes baptismum in noua lege posse iterari eadem facilitate, qua & in veteri lege lotiones, & baptismata iterabantur.

1.

2. Ad secundã respondeo vnam esse penitentiam, quemadmodum est vnum baptisma, si sermo sit de penitentia publica, quam tenuit Ecclesia antiquitus; hæc enim semel homini tantum applicabatur, vt tradunt multi, licet Magister, & alij nonnulli Scholastici existiment, vni & eidem homini applicatam fuisse pluries penitentiam publicam, & ità intelligendus est Ambros. quando ait vnam esse penitentiam quemadmodum est vnum baptisma.

3. Ad tertiã respondeo, Patres propterea affirmare eum, qui recidit in peccatum, à quo fuit iustificatus, non penitere, sed potius Deum deridere, non quod credant penitentiam non esse veram in eo, qui relabitur in illam eamdem culpam, quam commiserat, & de qua postea confitetur apud sacerdotem, sed quia qui recidit in peccatũ de quo penitentiam egit, videtur non penituisse debito modo: iustificatio autem ab huiusmodi peccato censetur esse eidem quasi inutilis, & denique videtur omnino indignus gratia diuina, per quam iterum surgat ab huiusmodi peccato: non est tamen vlla ratione propterea existimandum hominem istum frequenter lapsum in eadem peccata, non posse redire ad veram penitentiam si velit.

Ad Catholicor. argumentum responsio. Ad loca vero, quibus Catholici probant definitum esse certum aliquod tempus, extra quod nequit homo agere penitentiam,

Respon

Reſpondeo, probare tantum obſtinatos, & contumaces in propriis peccatis, poſitis iteratis, & repetitis admonitionibus, correptionibuſque indignos plane eſſe diuina bonitate, & miſericordia, & hoc probari tantum teſtimoniis iſtis ſcripturæ ſacræ: Non colligitur tamen ex illis Deum negare auxilia neceſſaria ad ſalutem pro aliquo inſtanti temporis, in quo ſumus in hoc mundo; etiamſi per multos annos monita, & increpationes diuinas neglexerimus, quod tamen contendunt authores huius opinionis, quæ ſententia ad minus temeraria, & erronea eſt.

QVÆSTIO LXXXV.

De virtute penitentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

An penitentia ſit virtus.

Penitentia eſt virtus.

DOcet D. Thom. *penitentiam eſſe virtutem*, & quidem merito: nam nomen virtutis tribuitur illi à patribus: ità Greg. lib. 9. Regiſtri, cap. 39. *Magna*, inquit, *eſt contra peccatum virtus penitentiæ.* & Chryſoſt. homilia 5. de penitentia, *Penitentia medicamentum eſt, extinguens peccatum, donum caluum datum, virtus admirabilis*, & ſermon. de penitentia virtutem iſtam nuncupat; Dominam ceterarum monium virtutum: *O penitentia miſericordiæ mater, magiſtra virtutum magna opera tua, quibus reſoluis reos, & reficis delinquentes*, & homilia 3. in Matth. ſimile quid habet.

Greg. Mag. 1.

Chryſoſt.

Deinde, virtus definitur; *habitus, qui in materia difficili ex deliberatione, & electione operatur id quod eſt rectæ rationi conſonum*: at Penitentia eſt huiuſmodi; nihil enim magis eſt difficile homini, quàm ſeparare ſe ab iis in quibus quotidie delectabatur, quod tamen contingit per penitentiam.

2. Deinde, difficile eſt hominem non peccare inter dolendum de peccatis, vt conſtat exemplis Caïn, & Iudæ proditoris; vterque enim ex iſtis laqueos deſperationis ſibi iniecit, ob triſtitiam conceptam de peccato commiſſo; eſt etiam rationi maxime conſonum reparare iniuriam Deo per peccatum illatam: hoc autem facit penitentia, ex Patribus proxime citatis.

3. Tertiò, præcepta diuina ſunt de actibus virtutum, ex communi doctrina, & colligitur manifeſte ex eo quod de re qualibet ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem extet præceptum aliquod diuinum, vt conſtat de fide, *Hebr.* 11. de baptiſmo: *Ioan.* 3. de penitentia, *Luc.* 13. de ceteris mandatis decalogi, *Matth.* 19. atqui extat præceptum de penitentia agenda: Matth. 4. *Agite penitentiam*, &c. Matth. 4.

4. Quarto, penitentia verſatur inter duo extrema vitioſa, nempe inter gaudium conceptum de peccato commiſſo, & inter deſperationem, quam quis conſequitur ex nimio dolore de eodem peccato perpetrato.

5. Quinto, vindicare autoritate publica peccata eſt actus alicuius virtutis iuſtitiæ ſcilicet vindicatiuæ: ergo punire etiam peccata authoritate priuata erit actus alicuius ſpecialis virtutis, nempe penitentiæ: hæc enim eſt quæ in vnoquoque noſtrûm caſtigat, & emendat peccata commiſſa à nobis, & quidem priuata authoritate: ità Interpretes D. Thom. omnes hoc loco, & Sententiarij in quartum, diſtinct. 14. Alenſis 4. p. Adrianus, q. 2. de penitentia. Ioan. Medina, codice de penitentia, quæſt. 1. Sotus art. 1. q. 1. diſtinctionis proxime citatæ.

Obiectio. Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ, nullam virtutem verſari circa impoſſibile: penitentiam autem reſpicere impoſſibile, facit enim vt is qui peccauit velit non peccaſſe, quod tamen eſt impoſſibile.

Solutio. Reſpondeo, voluntatem noſtram non poſſe ferri in impoſſibile actu aliquo abſoluto, bene tamẽ actu conditionato: actus autẽ hic conditionatus ſatis eſt ad excitandam in nobis tantam triſtitiam de peccatis commiſſis, hoc nomine, quia peccata ſunt contra Deum, quanta eſt miſericordia, vt reconciliemur Deo: contra Ioan. Medinam, loco ſupra cit. Nam Chriſtus actu conditionato voluit non mori: tamen actus hic ſummam in eo excitauit triſtitiam, vt conſtat ex cap. 22. Luc. *Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me*, &c. *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: & rurſus, *Cœpit pauere, tædere, & contriſtari.* Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.

Deinde, ægrotus abſolute non vult medicinam, ſed tantum conditionate, quia videlicet aduertit ſe aliter priſtinæ ſanitati reſtitui non poſſe: mercator item qui agit in mari, etiam exorta tempeſtate abſolute vult conſeruare ſuas merces, conditionate vero eas perdere, & tamen interueniente actu iſto conditionato, deiicit merces in mare: ergo actus hic conditionatus, qui datur in eo qui peccauit quando vult non peccaſſe, ſatis erit ad triſtitiam in generandam de peccatis commiſſis.

Solutio 2. Secundo Reſp. actum voluntatis noſtræ alium eſſe efficacem, qualis eſt is, quo vere, & de facto, quis attingit obiectum volitum: alium vero inefficacem, qui alio nomine dicitur ſimplex affectus voluntatis, explicaturque nomine velleitatis: priore illo actu nullus eſt qui poſſit vbi peccauit, velle non peccaſſe; bene tamen poſteriori modo: ac proinde hic actus erit vere liber, & honeſtus, quia datur in nobis ex eo motiuo, quo quis vult iniuriam illatam Deo compenſare: ità D. Th. hoc loco, & plerique alij.

Replica. Inſtabis, dolorem dari tantum in nobis de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, vt author eſt D. Auguſtin. cap. 15. libro 14. de Ciuitat. peccata autem dantur in nobis quàm maxime libere. D. Auguſt.

Diſſoluitur. Reſpondeo, peccata quando fiunt, libere à nobis fieri, ac proinde eo tempore non poſſe nos triſtari de huiuſmodi peccatis; cum tamen contingit nos à peccatis reſipiſcere, reſipiſcentia hæc datur in nobis, quàm maxime libere, & quia hæc ordinatur ad peccatorum deſtructionem, conſpicimuſque Deum eſſe nobis iratum propter huiuſmodi peccata, Ideo libere triſtamur de huiuſmodi peccatis commiſſis, vellemúſque, ſi poſſet fieri, nulla ratione peccaſſe.

Digitized by Google

Obiectio 2. Obiicjunt ſecundo, Omnem virtutem eſſe per ſe expetendam, & verſari circa bonum: penitentia autem non expetitur per ſe; non enim fuit in primis parentibus conſtitutis in ſtatu innocentiæ, neque item in Chriſto: non verſatur etiam penitentia circa bonum, ſed circa peccatum; dicitur enim dolor de peccatis commiſſis hoc nomine, quia peccata ſunt contra Deum.

Solutio 1. Reſpondeo, penitentiam eſſe per ſe expetendam in eo omni in quo datur: hæc autem de facto ponitur in quibuſuis penitentibus, ac proinde per ſe eſt in iſtis expetenda; in Chriſto vero, & in primis parentibus agentibus in ſtatu innocentiæ non fuit hæc virtus, idque quod verſetur neceſſario, & intrinſece circa vindicanda propria peccata, vt ſunt offenſæ quædam Dei: at ſtatus innocentiæ non potuit cohærere, cum vlla plane culpa, etiam veniali, quare neque cum penitentia: in Chriſto autem propterea non habet locum, quia repugnat eum qui Deus eſt peccatum aliquod committere.

Solutio 2. Secundo reſpondeo, virtutem quamlibet verſari circa bonum, ſi ſermo ſit de obiecto formali, ſecus vero ſi de obiecto materiali; obiectum autem materiale penitentiæ eſt peccatum, cum verſetur hæc circa illius deſtructionem quatenus eſt Dei offenſa; obiectum vero formale eſt ſatisfactio, ſeu quod idem eſt deteſtatio peccati quatenus peccatum eſt contra Deum: hoc autem rationem boni continere per ſe notum eſt, cum recta ratio dictet compenſandam eſſe iniuriam illatam alicui; ac proinde magis erit honeſtum reparare iniuriam illatam Deo.

Obiectio 3. Obiicies tertio, Nullam virtutem præſupponere vitium ſibi oppoſitum in eodem ſubiecto: ſed penitentia præſupponit in ſuo ſubiecto peccatum quod habet, vel eſt ſibi oppoſitum.

Solutio. Reſpondeo, maiorem eſſe falſam, abſolute loquendo: nam iuſtitia vindicatiua authoritate publica, eſt vera aliqua virtus, & tamen hæc præſupponit in eo qui emendatur culpam aliquam: Ad minorem vero reſpondeo, penitentiam præſupponere peccatum antecedenter in illo ſubiecto in quo datur penitentia, non autem concomitanter, & conſequenter; in illo ſiquidem, & eodem inſtanti temporis in quo quis exercet actum penitentiæ, peccatum perfectiſſime deſtruitur in eo homine; ac proinde non ſunt ſimul.

Vltima obiectio. Denique obiiciunt ex doctrina Ariſtot. libr. 4. Ethic. verecundiam non eſſe virtutem, nec actum virtutis; ergo illud idem eſt dicendum de penitentia: propterea enim verecundia non eſt virtus, nec virtutis actus, quia hæc eſt dolor, ſeu triſtitia de re turpi, & inhoneſta: peccatum autem eſt turpiſſimum, & penitentia dicitur eſſe dolor de peccatis commiſſis.

Reſponſio D. Thom. Reſpondet D. Thom. hoc loco verecundiam propterea non eſſe virtutem, aut actum virtutis, quia hæc datur in nobis ex conſideratione rei turpis, & inhoneſtæ præſentis: penitentiam autem propterea eſſe virtutem, quia verſatur circa rem turpem & inhoneſtam; non quidem præſentem ſed præteritam: verſatur enim penitentia circa peccatum præteritum, non autem circa præſens reſpectu commiſſionis eiuſdem: *Eſt autem,* D. Thom. inquit D. Thom. *contra rationem virtutis, turpe, & inhoneſtum, reperiri vnà cum virtute.*

Non placet multis. Ceterum hæc reſponſio reiicitur multis à Vazquez; Dubio vnico ad hunc articulum D. Th. tum quia non videtur hęc eſſe ad mentem Ariſtot. tum quia verecundia poteſt eſſe in nobis de peccato præterito, putà quotieſcumque contingit cogitatio de peccato commiſſo, & naſcitur inde timor aliquis infamiæ, & dedecoris: tum quia penitentia præſupponit, antecedenter ſaltem, peccatum commiſſum ac proinde quodam modo præſens, ſaltem in illo primo inſtanti, in quo quis exequitur actum penitentiæ.

Satisfit obiectioni. Quidquid igitur ſit de mente Ariſtotelis. Reſpondeo verecundiam poſſe eſſe actum virtutis, ſi hæc procedat ex electione, & ex motiuo alterius virtutis; poſſunt enim actus verecundię ordinari in finem aliquem honeſtum, quo in caſu vere erit actus illius virtutis, in cuius finem, ſeu motiuum ordinatur: verecundia autem per ſe ſpectata, quatenus ſcilicet eſt triſtitia nata ex conſideratione alicuius infamię temporalis, nec eſt virtutis actus, nec virtus, & ità forte intelligendus eſt Ariſtoteles eo loco.

DVBITATIO SECVNDA.

An triſtitia quæ datur in nobis de peccatis commiſſis ſit actus virtutis; ac proinde & honeſtus.

Dolor de peccatis duplex. ADVERTE, triſtitiam ſeu dolorem de peccatis eſſe duplicem, alius enim dolor recipitur in parte ſuperiori, ſeu rationali; alius vero in parte inferiore, ſeu ſenſili.

Triſtitia de peccatis eſt honeſta. CONCLVSIO 1. *Triſtitia de peccatis commiſſis, concepta in appetitu rationali, eſt actus virtutis, & honeſtus.* Primo, quia ſupponimus huiuſmodi triſtitiam dari in appetitu rationali libere, & verſari circa materiam difficilem, ordinarique ad deteſtationem peccati, quatenus peccatum eſt contra Deũ, vel contra rectam rationem: Ariſtoteles autem definit virtutem, vt dicebamus præcedenti Dubit. *habitum qui verſatur libere circa materiam difficilem, & exequitur actum recta rationi conſonum:* ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem ibidem.

Triſtitia appetitus eſt aliquando actus virtutis. CONCLVSIO 2. *Triſtitia quæ datur in appetitu ſenſili ordinata à voluntate in deteſtationem peccati, quatenus eſt offenſa Dei, eſt actus virtutis, & item honeſtus.* Primo, quia ità ſentiunt Sotus, Caietan. Vazquez, & Suarez. 2.

Deinde, quia non repugnat huiuſmodi triſtitiam, receptam in appetitu ſenſili, ordinari in compenſationem iniuriæ illatæ Deo per peccatum: potentiæ ſiquidem inferiores, & item earum actus, ſubordinãtur voluntati rationali, veluti regulę humanarum actionum: conuenit enim inter omnes actus humanos ſumere ſuam bonitatem à fine in quem ordinantur.

Obiectio. Solutio. Dices D. Thom. ſecus hîc docere. Reſpondeo, D. Thom. agere de triſtitia appetitus ſenſilis, nata ex ſola perturbatione, & nulla ratione libere ordinata à voluntate in motiuum alicuius virtutis.

Replica. Inſtabis, non poſſe appetitum ſenſilem apprehendere rationem offenſæ Dei.

Enodatur. Reſpondeo, hoc eſſe verum; ſufficit tamen vt triſtitia appetitus ſenſilis ſit actus virtutis penitentiæ, quod ratio offenſæ Dei cognita fuerit à rationali parte: ità auctores proxime citati.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

An penitentia ſit ſpecialis virtus.

Aliquorũ ſent.

SVNT qui putent penitentiam nulla ratione diſtingui à ceteris virtutibus, ſed contineri in ipſis virtute, idque quod penitentia, vt ſic, ſit deteſtatio peccati, quatenùs peccatum eſt contra Deum, & contra rectam rationem; quælibet autem virtus deteſtatur peccatum, veluti quid rectæ rationi diſconueniens, & quaſi ſibi aduerſum: ergo.

2. Sentent.

Alij verò volunt nulla ratione penitentiam diſtingui à charitate, nam penitentia reconciliat nos Deo, quatenus penitentia eſt; at charitas ſimiliter reconciliat nos Deo perfectiſſimè, ex cap. 14. Ioan. *Qui diligit me, diligetur & à Patre meo*, ergo.

Ioan. 14.

3. Sent. & fundament. 1.

Sunt etiam qui docent penitentiam nulla ratione differre à virtute religionis. Probant: quia eiuſdem virtutis eſt agere gratias pro beneficijs acceptis, & vindicare iniuriam alteri illatam: religio autem perſoluit Deo id quod ei debetur, ex D. Th. 2. 2. quæſt. de religione.

2.

Deinde, penitentia, vt ſic, ſatisfacit Deo pro culpa, & pro pœna; at actibus religionis ſacrificio, ſcilicet, precibus, & ſimilibus ſatisfacimus Deo, nedum pro pœna, ſed etiam pro culpa: ſunt enim ſacrificia expiatoria ex communi doctrina: ità Caietan. hoc loco, & aliqui recentiores.

Virtus penitentiæ diſtincta à ceteris. 1.

CONCLVSIO 1. *Penitentia non eſt virtus eadem numero, vel ſpecie, cum ceteris aliis virtutibus.* Primò, quia habet hæc obiectum formale, diſtinctum ab obiectis formalibus ceterarum virtutum; conuenit enim penitentiæ, vt ſic, odiſſe peccatum, quatenùs peccatum eſt offenſa Dei, & proinde ipſum deſtruere, vt ità deſtructo, Deus iratus reconcilietur nobis, & fiat eidem ſatis: hoc autem nulli plane alteri virtuti competit: ergo. Deinde, impenitentia eſt peccatum diſtinctum ſpecie à ceteris omnibus alijs: ergo.

Aduerſariorum reſponſio.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, odiſſe peccatum, quatenùs eſt offenſa Dei, &c. & item impenitentiam aduerſari charitati; nam quemadmodum charitas fertur in Deum, vt ſummè bonus eſt, & vt ſumme amabilis propter ſeipſum; ità fertur hæc eadem circa odium cuiuſlibet rei Deo contrariæ, & aduerſæ: peccatum autem vere contrariatur Deo, quodcumque illud fuerit: charitas item præcipit hîc, & nunc, agendam eſſe penitentiam.

Reijcitur ex vario capite.

Verùm reſponſiones iſtæ non ſatisfaciunt: odiſſe ſiquidem peccatum non pertinet ad charitatem ſub ea ratione, qua eſt intentio ſatisfaciendi Deo pro peccatis, qua ratione pertinet ad penitentiam, ſed odio habet charitas quodlibet peccatum, quatenùs aduerſatur Deo, vt Deus eſt, ſumme bonus: modus autem diuerſus tendendi in obiectum aliquod, tribuit ſpeciem actibus, aut etiam habitibus.

Odiſſe peccatum à duplici virtute poteſt oriri.

Deinde, charitas non præcipit, vt ſic, agendam eſſe penitentiam, facit enim tantùm quatenùs talis virtus eſt, vt diligatur Deus ſuper omnia, propter ſemetipſum, & odio habeamus illud omne quod contrariatur huic ſummo bono; impenitentia etiam non contrariatur charitati iuxta modum explicatum: ſed tantum quatenùs charitas eſt virtus, & gratia ſanctificans; qua ratione opponitur quibuſuis peccatis mortalibus de cõmuni lege. Tertiò, licèt quælibet virtus deteſtetur peccatum, vt rectæ rationi diſſonum, & veluti malum ſibi diſconueniens; non tamen quatenùs peccati deteſtatio eſt intentio ſatisfaciendi Deo, pro iniuria illata per peccatum, ſed id conuenit ſoli penitentiæ: ergo. ità communiter interpretes D. Th. hoc loco, quod vt amplius innoteſcat ſit

Penitentia diſtincta à charitate. 1.

CONCLVSIO 2. *Penitentia non eſt eadem numero virtus, vel ſpecie, cum charitate; neque item cum gratia gratum faciente, ſtante hac hypotheſi, quod charitas, & gratia diſtinguantur inter ſe realiter:* quemadmodum ſentit D. Thom. Prima pars Concluſionis probatur. Charitas eſt virtus Theologica; verſatur namque hæc circa Deum proximè, & immediatè: at nullus eſt hactenùs qui dixerit penitentiam, vt ſic, eſſe virtutem Theologicam.

2.

Deinde, obiectum penitentiæ, eſt intentio ſatisfaciendi peccatis; ſeu, quod idem eſt, compenſatio iniuriæ illatæ Deo per peccatum: obiectum autem charitatis eſt Deus, ſub ea ratione, qua eſt ſumme amabilis propter ſemetipſum.

3.

Tertiò, Charitas eſt forma omnium virtutum, ex doctrina communi D. Thom. hoc autem nequit dici de penitentia; hæc enim nec fuit in primis parentibus in ſtatu innocentiæ, nec in Chriſto, nec D. Virgine, & tamen in iſtis omnibus fuerunt virtutes in ratione virtutis ſimpliciter: ità communiter interpretes D. Thom. hoc loco.

Penitentia diſtincta à religione.

CONCLVSIO 3. *Penitentia non eſt eadem virtus cum religione.* Primò, religio perſoluit Deo debitum cultum, ex doctrina in D. Thom. quæſt. de religione: at penitentia, vt ſic, non intendit perſolutionem diuini cultus, vt cultus debetur Deo; ſed intendit ſatisfactionem pro culpa Deo illata.

Inſtantia.

Dices, penitentiam, & contritionem eſſe vnũ, & idem: hæc autem nuncuparur ſacrificium, pſal. 50. *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum*, &c. ergo, cum ſacrificium ſit actus religionis, penitentia, & religio erunt, vna & eadem virtus.

Pſal. 50.

Præcluditur.

Reſp. contritionem dici ſacrificium illa eadem ratione, qua quodlibet honeſtum, & laudabile opus dicitur ſacrificium, nempe impropriè, non autem proprie: hoc enim modo fieri nequit, vt aliquid ſit ſacrificium, niſi fuerit oblatio exterior rei alicuius ſenſilis oblatæ Deo, ad diuinæ majeſtatis, & noſtræ infirmitatis proteſtationem: actibus autem internis charitatis, & cuiuſlibet alterius virtutis poſſumus Deo ſatisfacere pro culpis commiſſis contra Deum: probat ergo obiectio hæc, actus religionis poſſe imperari à penitentia, & contrà actus penitentiæ à virtute religionis, quod nos vltro credimus minimè verò oſtendit eamdem eſſe ſpecie virtutem, religionem, & penitentiam.

Replica.

Inſtabis, tam vere conciliari Deum, & fieri nobis propitium actibus religionis, quàm penitentiæ; ſacrificia ſiquidem, preces, laudationes, & aliæ huius generis conciliant nobis diuinam gratiam, non minùs quàm faciat penitentia, cùm fateantur omnes ſacrificium Miſſæ, quod eſt ſacrificium proprium nouæ legis, eſſe expiatorium, & propitiatorium pro peccatis: ergo.

Diſſoluitur.

Reſpond. longe aliter ſacrificia conciliare

Digitized by Google

nobis diuinam gratiam, quàm faciat penitentia; nam hæc ideo id præſtat, quod auertat nos à peccatis, & conuertat in Deum, veluti in vltimum finem noſtrum, & quidem ex intentione ſatisfaciendi, pro culpa commiſſa: ſacrificia autem eatenùs ſatisfaciunt, & iuſtificant homines, quatenùs impetrant nobis tantum diuinam gratiam, quæ nos formaliter ſanctificat, & iuſtificat. Deinde, penitentia eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia ſanctificans, quod tamen dici nequit de vllo plane ſacrificio, aut de vllo actu religionis, vt eſt actus religionis.

Diſtinguitur penitẽt. ab omnibus virtutibus.

CONCLVSIO VLTIMA. *Penitentia eſt virtus diſtincta ſpecie, à ceteris alijs omnibus virtutibus, & per ſe infuſis, & per ſe acquiſitis.*

Quid ſint virtutes infuſæ.

Aduerte, virtutes per ſe infuſas cenſeri eas quę à ſolo Deo producuntur in nobis intenduntúrque tantùm meritorie medijs actibus earumdem, quos elicimus vere phyſice, huius generis ſunt fides, ſpes, charitas, gratia gratum faciens, religio, & penitentia: illæ vero dicuntur virtutes per ſe acquiſitę, quæ licet interdum infundantur à Deo, quod contingit ſemper in baptiſmo, ex doctrina D. Thom. earum tamen natura, & eſſentia communiter comparatur ex iteratis & repetitis actibus; huiuſmodi ſunt omnes virtutes morales ordinis naturalis: hoc ità conſtituto

Probatio Cõcluſionis.

Probatur Concluſio, primo. Datur aliquis actus ità proprius, & peculiaris virtuti penitentiæ, vt hic, nulli alteri virtuti competat, nempe intentio ſatisfaciendi pro culpa, quatenus culpâ offenditur Deus: nam ſi hic actus alicui alteri virtuti cõueniret ſpectaret maxime vel ad charitatem, vel ad iuſtitiam, vel ad religionem: non ad charitatem, quia vt docuimus, omnes actus perfecutionis charitatis, ſunt tendentiæ aliquæ in Deum, vt Deus eſt ſumme bonus & amabilis propter ſemetipſum: vel ſi ſermo ſit de actibus charitatis auerſionis, ſeu fugæ, ſunt odium cuiuſlibet mali Dei; inter iſtos autem non computatur intentio ſatisfaciendi Deo pro culpa, vt culpa eſt contra Deum commiſſa: neque item eadem ſatisfaciendi intentio Deo pro culpa; poteſt eſſe actus religionis, quoniam hæc, vt ſic, perſoluit Deo tantum debitum cultum; quod tamen non facit penitentia vt ſic: neque denique competit iuſtitiæ; hæc enim tantum reddit vnicuique quod ſuum eſt, ceterum faciendo iuſtum ſimpliciter, ſeu quod idem eſt, ad perfectiſſimam æqualitatem: penitentia vero licet ſatisfaciat Deo quodam modo ad æqualitatem pro culpis commiſſis, non tamen ad perfectiſſimam æqualitatem; tum quia inter Deum, & creaturam non datur vera iuſtitia; tum quia per peccatum nedum amittimus gratiam ſanctificantem; ſed etiam promeremur priuationem & defectum cuiuſlibet cogitationis bonæ, & honeſtæ: defectus autem hic non reparatur per penitentiam, ſed tantum gratia gratum faciens; bona autem cogitatio prima quæ datur in nobis ad hoc vt à peccatis reſurgamus, eſt à ſola Dei bonitate, & miſericordia.

1.

2. Secundò, motiuum penitentiæ eſt diſtinctum à motiuo cuiuſliber alterius virtutis, hoc enim eſt intendere ſatisfactionem pro peccatis, quatenùs peccata ſunt contra Deum; conuenit autem inter omnes, multiplicatis motiuis multiplicari quoque virtutes.

3. Denique, inter ſatisfaciendum Deo, & proximo, occurrit ſpecialis aliqua difficultas diſtincta ab alijs omnibus, quæ reperiuntur in reliquis actibus ceterarum virtutum: at quoties dantur difficultates ſpeciales operandi, conſtituendæ ſunt virtutes, quibus difficultates iſtæ tollantur, & à nobis ſuperentur: igitur penitentia erit diſtincta à iuſtitia & alijs virtutibus: ità ſentiunt D. Thom. hoc loco, & art. 1. huius quæſt. & in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 7. ad 2. quo loco ait, penitentiam eſſe virtutem diſtinctam à religione, quod eſt obſeruandum contra Caiet.

Obiectio.

Obijcies, penitentiam opponi quibuſuis peccatis, ergo debet eſſe virtus aliqua communis: non enim fieri poteſt, vt virtus aliqua ſpecialis ſingulis contrarietur peccatis.

Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequentiam, & eiuſdem probationem: nam charitas eſt virtus ſpecialis Theologica, & tamen hæc opponitur quibuſuis peccatis, ſub ea ratione, qua eſt forma ſanctificans, & iuſtificans.

Solutio.

Deinde, gratia gratum faciens, quæ ex opinione D. Thom. diſtinguitur realiter à charitate, eſt vna numero qualitas ſupernaturalis, oppoſita tamen omni peccato mortali; ità vt mutuo ſeſe expellant ab vno, & eodem ſubiecto: ergo virtus aliqua ſpecialis poterit eſſe oppoſita quibuſuis peccatis, & conſequenter penitentię; hæc enim cauſaliter opponitur cuilibet peccato mortali, cùm ſit diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia, qua quodlibet peccatum mortale in nobis deſtruitur.

Penitentia ſecernitur à gratia gratum faciente.

Aduerte autem, diſtingui penitentiam à gratia gratum faciente, contra Bonauent. & alios nonnullos; nam penitentia eſt virtus operatiua, reſpicit enim hæc intentionem ſatisfaciendi Deo pro peccatis, veluti ſuum proprium, & peculiarem actum; gratia autem gratum faciens, non eſt productiua alicuius actus, ex doctrina ſaltem D. Thom. ſed eleuat tantum creaturam rationalem ad eſſe ſupernaturale.

Deinde, gratia eſt effectus penitentię, ſi nomine penitentię intelligatur ſacramentum penitentię; ſi vero nomine penitentię ſignificetur virtus per quam ſatisfacimus Deo pro iniuria illata, gratia eſt finis penitentię: ordinatur ſiquidem penitentia ad hoc vt in gratiam Dei redeamus, à qua excidimus per peccatum mortale.

Satisfit argumentis ſent.

Ad rationes vero authorum prioris ſententię reſpondeo. Peccatum in communi ſumptum ſecundum ſuam formalem rationem, opponi virtuti: in vniuerſum ſumptę, vel priuatiuè, vel relatiuè, vel contrariè: ratio namque peccati vel eſt *priuatio rectitudinis debitæ ineſſe vni contrarietas ad rectam rationem, vel denique tendentia in obiectum indebito modo:* bonitas vero cuiuſlibet virtutis moralis poſita eſt in tendentia in obiectum bonum, bonitate morali obiectiua, & conforme præcepto, ſeu legi ſuperioris; vt docuimus, 1. 2. quæſt. 18. vnde peccatum, & virtus opponuntur hac ratione inter ſe: ſumptum verò peccatum in particulari, & intrà propriam ſpeciem non opponitur cuilibet virtuti, ſed tantum illi ſoli quę habet motiuum contrarium motiuo iſtius peccati, vt patet exemplo peccati odij, quod opponitur charitati, non autem temperantię, cui tamen rectè opponitur intemperantia. Ex iſtis tamen non licet colligere penitentiam eſſe communem aliquam virtutem, aut eamdem eſſe cum ceteris virtutibus, hęc enim deteſtatur quodlibet peccatum, vt diximus, ſub ea ratione, qua eſt intentio ſatisfaciendi Deo, pro culpa, quatenùs hęc

eſt

eſt offenſa Dei qua ratione nulla plane virtus, id præſtat.

2. Sent. argumenta diſſoluũtur. Ad argumenta autem 2. ſententiæ. Reſp. charitatem ſanctificare, non tamen propterea eamdem eſſe virtutem cum penitentia: nam charitas ſanctificat, quia eſt forma iuſtificans intrinſecè, Trident. ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. penitentia autem ideo ſanctificat, quia auertit nos à bono commutabili & creatura, & conuertit in Deum veluti in noſtrum vltimum finem, eſtque diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia ſanctificans: quare cauſaliter tantùm, non autem formaliter ſanctificat penitentia.

Caietano ſatisfit. Ad argumenta ſententiæ Caiet. reſp. Ad 1. negando maiorem: gratitudo ſiquidem agit gratias de beneficijs acceptis, non autem religio; licèt non ſit negandum quin religio poſſit agere gratias de beneficijs acceptis, perſoluendo Deo debitum cultum: ceterùm id non facit ſub ea ratione, qua gratiæ ſunt agendæ ei, à quo beneficium conſequuti ſumus; hoc enim beneficium, ſeu officium pertinet ad ſolam gratitudinem.

Secundo. Reſpondeo negando minorem: religio enim non ſoluit Deo, quodlibet debitum, ſed debitum tantummodo cultum & honorem; penitentia autem ſatisfacit iniuriæ illatæ Deo per peccatum.

Vlt. Ad vltimam reſpond. Præter dictos actus, dari in penitente ſpecialem aliquem alium actum, qui ità proprius eſt penitentiæ, vt nulli alteri virtuti competat; hic autem eſt intentio ſatisfaciendi Deo pro culpa: quamobrem erit etiam hæc virtus diſtincta à ceteris omnibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

An penitentia ſit ſpecies iuſtitiæ.

Durandi ſent. DVRANDVS in 4. diſt. 14. putat penitentiam idem eſſe cum iuſtitia proprie dicta; poſtulare tamen virtutes Theologicas; idque quod nequeat eſſe grata Deo, niſi fuerit hæc ordinis ſupernaturalis: penitentia autem ſine virtutibus Theologicis eſſet ordinis tantum naturalis; Nititur duobus iſtis argumentis. Primum: Si penitentia eſſet virtus diſtincta à iuſtitia proprie dicta, ſequeretur cum qui peccauit, & à peccato ſurrexit, perfectiorem eo eſſe, qui nunquam peccauit: nam talis plures haberet in ſe virtutes, quàm innocens, & iuſtus, qui nunquam offendit; cum virtus penitentiæ nullum habeat locum in homine innocente; ſecus in eo qui ſurrexit à peccato: at illatio maioris eſt contra rectam rationem, quæ dictat innocentem, iuſtum, ſanctiorem, & perfectiorem eſſe eo qui lapſus eſt in peccatum: ergo.

Fundamẽta Durandi. 1.

2. Secundum. Iuſtitia eſt ea quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, maximè circa debita: at per penitentiam quilibet peccator reddit Deo quod ei debetur ratione offenſæ commiſſæ.

2. ſententia & argum. Alij vero putant penitentiam eſſe eamdem cum virtute iuſtitiæ diſtributiuæ; eò quod eiuſdem virtutis ſit compenſare, & ſatisfacere pro peccato, cuius eſt honeſtis actionibus præmia decernere; videtur autem indubitatum, pertinere ad iuſtitiam diſtributiuam compenſare actiones honeſtas debito præmio, vt conſtat ex ea diſtributione quæ fit ex bonis publicis, authoritate publica inter milites alicuius imperij, plus enim datur duci, quàm ſignifero, & minus militi, quàm iſtis duobus.

Alij denique putant penitentiam pertinere ad iuſtitiam vindicatiuam, ob id quod penitens vlciſcatur in ſeipſo peccata commiſſa.

Penitentia non eſt idem cum iuſtitia propriè dicta.

CONCLVSIO 1. *Penitentia non eſt idem cum iuſtitia proprie dicta.* Probatur primò. Actus penitentiæ, vt ſic, eſt intentio ſatisfaciendi Deo pro peccatis, ex dictis: ergo penitentia non eſt eadem virtus cum iuſtitia; intentio ſiquidem ſatisfaciendi Deo pro peccatis eſt actus elicitus à creatura rationali, ad hoc vt compenſetur iniuria illata Deo per peccatum: at inter Deum, & creaturam non datur iuſtitia propriè dicta, ex doctrina Ariſtot. libr. 5. cap. 5. ad Nicomachũ, quo loco ait inter patrem, & filiũ, inter ſeruum & dominum non dari iuſtitiam; eo quod ea quæ ſunt filij ſint magis patris, quam filij, & quæ ſunt ſerui, magis pertineant ad herum, quam ad ſeruum: certum autem eſt nihil eſſe in creatura rationali, quod non magis pertineat ad Deum iure creationis, & recreationis, quàm ad creaturam rationalẽ: ergo penitentia non poteſt eſſe iuſtitia proprie dicta. 1.

Deinde, vbi non eſt datum, & acceptum quod cedat in vtilitatem accipientis, illic nequit eſſe ratio iuſtitiæ propriè dictæ; hæc enim poſita eſt in datis & acceptis, ex doctrina Ariſt. loco proximè cit. at in ſatisfactione penitentis, nihil eſt quod offeratur à creatura Deo, quod cedat in vtilitatem ipſius, vt patet: ergo &c. 2.

Denique, obiectum formale penitentiæ eſt omnino diſtinctum ab obiecto iuſtitiæ: hæc enim intendit iuſtum ſimpliciter, ſeu æquale; penitentia vero compenſationem, ſeu ſatisfactionem, iniuriæ illatæ Deo: igitur nequit eſſe idem cum iuſtitia. 3.

Non eſt iuſtitia diſtributiua.

CONCLVSIO 2. *Penitentia non eſt eadem cum iuſtitia diſtributiua*; diximus enim penitentiam non eſſe iuſtitiam propriè dictam, qualis tamen eſt iuſtitia diſtributiua. Deinde, iuſtitia diſtributiua, ità reſpicit meritum alicuius perſonæ, vt tamen nequeat conſurgere, niſi dentur plures perſonæ, & plura item præmia, vt conſtat ex diſtributione bonorum communium facta militibus, quibus iuxta dignitatem cuiuſlibet diſtribuuntur bona, aut ſpolia ſecundũ proportionem Geometricam, non vero Arithmeticam: at penitens quando ſatisfacit Deo pro peccatis commiſſis non aduertit neceſſario ad plures perſonas, ſed tantum ad Deum, quem offendit: ergo illius actus deficit à ratione iuſtitiæ diſtributiuę. 1. 2.

Nõ eſt vindicatiua.

CONCLVSIO 3. *Penitentia non eſt eadem virtus cum iuſtitia vindicatiua.* Primò, quia ſatisfacere Deo pro peccatis, non eſt ſuſtinere in ſe debitas penas peccatis, ſed multo magis reconciliari Deo, cui erat ingratus homo ob peccatum mortale commiſſum: iuſtitia autem vindicatiua, vt ſic, dicit inflictionem pœnæ peccato debitę; ità vt hæc non curet an is qui patitur pœnam pro peccato, redeat in gratiam illius quem offendit, quod tamen intendit primò, & per ſe penitentia. 1.

Deinde, iuſtitia vindicatiua ideo exercetur, vt ceteri horreant peccare in poſterum formidine pœnæ, vel certe virtutis amore: penitentia vero 2.

ideo fit à nobis, vt facientes Deo satis in eius amicitiam redeamus.

3. Tertiò, Iustitia vindicatiua est in iudice, tanquã in subiecto; imò actus proprius illius est actus superioris iurisdictionẽ habentis in subditos, quod de penitentiã nulla ratione affirmare licet.

4. Denique, Iudex exercendo actum iustitię vindicatiuæ est minister Dei, ex illo Pauli; *Magistratus non sine causa gladium portat, vindex in iram ei qui peccauit*: penitens autem inter emendanda, & vindicanda peccata per satisfactionem, non est minister Dei, sed potius præuenit, & antecurrit iudicium Dei: ex cap. 11. 1. Corinth. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*: ergo penitentia non est vindicatiua iustitia.

Rom. 13.

1. Cor. 11.

B

Conclvsio 4. *Penitentia est virtus potestatiua iustitiæ commutatiuæ, nõ autem distributiuæ.* Primò quia, nomina, *Iudicium*, & *Iustitia*, dicuntur de penitentia in sacris litteris, Ezechiel. 18. *Qui fecerit iudicium & iustitiam vita viuet*, hoc est qui egerit penitentiam: *Feci iudicium, & iustitiam.* psal. 118.

Ezech. 18. Psal. 118.

Penitentia est pars potestatiuæ iustitiæ.

Deinde, ad hoc vt aliquid consequatur rationem iustitiæ potestatiuæ, satis est quod res ista dicat ordinem ad alium, & reddat alteri debitum, deficiendo tamen à iusto simpliciter aliqua ratione, vt author est D. Th. 2.2. quæst. 18. at penitentia dicit ordinem ad alium, & persoluit eidem debitum: penitens enim per satisfactionem compensat iniuriam illatam Deo per peccatum, & eumdem nobis iratum gratum facit, ex loco Ezechiel. 18. ergo.

C

3. Tertiò, vbi datur iustum secundum quid, illic datur etiam iustitia potestatiua: iustum enim secundum quid affinitatem aliquam habet cum iusto simpliciter: at in penitentia reperitur ratio iusti secundum quid, conatur namque penitens medijs actibus satisfactorijs reddere Deo totum illud quod fuit illi ablatum per peccatum: ergo cum nomine iustitię potestatiuæ, intelligitur id quod alteri debitũ redditur, deficiendo tamen à iusto simpliciter, penitentia erit iustitia potestitiua.

D

Confirmatur. Iustitia subiectiua nihil est aliud, quàm illud in quo reperitur ratio iustitię perfectissimæ, & consequenter quod facit iustum simpliciter, seu quod idem est, quod reddit æquale perfectissimè, vt docet D. Thom. quæst. citata, 2.2. ergo, cum essentia iustitiæ propriè dictæ non reperiatur in actibus penitentiæ, penitentia erit tantum iustitia potestatiua.

Ad commutatiuam iustitiam pertinet penitentia.

Quod vero penitentia sit iustitia non quidem distributiua, sed commutatiua, ex eo innotescit, quod commutatiua administretur inter duos iuxta proportionem arithmeticam, ità vt creditori tantumdem reddatur à debitore, quantum ei debetur: hoc autem contingit quotiescumque penitens actus perfectæ contritionis exercet. In hac sententia sunt D. Thom. hoc loco, & communiter Thomistæ.

E

Penitentia est virtus infusa moralis & supernaturalis.

Conclvsio vltima. *Penitentia est virtus per se, & sua natura infusa, moralis, & supernaturalis.* Prima pars Conclusionis probatur. Habitus omnis, cuius actus est ordinis supernaturalis, ex se, & sua natura postulat virtutem aliquam per se infusam, vt constat ex actibus fidei, spei, charitatis, & visionis diuinæ essentiæ; at actus penitẽtię perfectę sunt ordinis supernaturalis, nemo quippe potest cõuertere se perfectissimè in Deum, veluti in vltimum finem supernaturalem, si fuerit auersus ab eo, & conuersus ad creaturam, veluti in suum vltimum finem, sine auxilio ordinis supernaturalis: ergo.

A

Deinde, penitentia educitur ex potentia obedientiali animæ, neque comparatur ex frequentatis, & repetitis actibus, sed à solo Deo producitur in nobis, & intenditur medijs actibus nostris tantum meritorie, à solo vero Deo effectiuè: ergo debet hæc esse virtus per se infusa.

Secunda vero pars traditur expresse à multis Theologis, ab Alexan. Alensi 4. p. q. 12. membr. 1. Bonauent. Richardo, Thoma nostro Argentinensi in 4. dist. 14. Medina, Codice de penitentia, quæst. 1. ad 5. Accedit ratio: Omnis virtus vel est moralis, vel Theologica: at penitentia non est virtus Theologica; nam virtutes illæ dicuntur tales, quæ habent Deum pro obiecto immediato: penitentia autem respicit satisfactionem pro peccato, veluti suum proximum, & immediatum obiectum, non autem Deum; nedum enim per penitentiam Deo satisfacimus, sed etiam proximo: igitur.

2. Partis probatio.

Vltima pars Conclusionis probatur. Illud est ordinis supernaturalis, quod est dispositio vltima ad gratiam supernaturalem infallibiliter obtinendam; dispositio siquidem est eiusdem ordinis cum sua forma, ad quam ordinatur: at contritio perfecta est infallibilis dispositio ad gratiam iustificantem habendam, ex communi doctrina: ergo. ita communiter omnes hoc loco.

Vltima partis probat.

Ad rationes vero contrarias respondeo. Ad 1. non propterea quempiam dici perfectiorem, quod plures in se habeat virtutes, alioquin Christus & D. Virgo, essent imperfectiores quibuslibet baptizatis; in Christo siquidem non fuit fides, nec itẽ penitentia: in D. vero Virgine, penitentia nullũ habuit locũ, & tamen virtutes istæ omnes sunt in omnibus baptizatis, vt probabitur Articulo proximè sequenti D. Th.

Solutio argumentorũ 1. sent.

Ad 2. respond. Quod reddit debitum alteri ad perfectissimam æqualitatem habere rationem iustitię propriè dictę; penitentia autem non reddit debitum Deo ad perfectissimam æqualitatẽ; conuenit enim inter omnes puram creaturam non posse satisfacere Deo ad æqualitatem pro culpis contra eumdem commissis. Deinde, satisfactio nostra, ex communi doctrina, præsupponit meritum Christi, vnde deficit hæc à ratione iusti simpliciter, saltem prout est à nobis, & in nobis.

2.

Ad rationem vero Authorum 2. sententiæ respondeo. Compensationem seu, satisfactionem pro iniuria illata Deo, esse actum charitatis, non autem penitentiæ, nisi forte sub ea ratione, qua quis satisfacit Deo ex intentione emendæ, & destructionis peccati, vt loquitur D. Thom. quare non potest hic actus omnibus modis penitentiæ tribui. Deinde, licet fateremur per penitentiam compensari iniuriam irrogatam Deo, non tamen id fit secundum perfectam æqualitatem; ac proinde non erit penitentia species subiectiua iustitię distributiuę.

Respõsio ad argument. 2. sent.

Rogabis, *An isti omnes actus doloris, scilicet, de peccatis, qui interdum attritio, aliàs contritio dicitur, confessio, satisfactio, propositum emendi quodlibet peccatum, & acceptatio libera pœnæ impositæ, pro peccato, sint actus virtutis penitentiæ.*

Excitatur quæstio.

Respondetur *affirmatiuè*. Primò, quia licet omnes isti actus non eliciantur à virtute penitentię

Soluitur

Digitized by Google

tentiæ imperantur tamen ab eadem, aut certè imperari poſſunt. Deinde, ordinantur ad compenſandam iniuriam illatam Deo per peccatum, compenſatio autem iniuriæ illatæ Deo per peccatum eſt finis virtutis penitentiæ. Tertiò, conducunt actus iſti ad culpas, & ad pœnas eiſdem debitas relaxandas.

ARTICVLVS QVARTVS.

An voluntas ſit propriè ſubiectum penitentiæ.

DVBITATIO PRIMA.

An penitentia ſit in omnibus baptizatis.

Penitentia eſt in omnibus baptizatis.

CONCLVSIO *Affirmativa:* ex doctrina ſiquidem D. Th. in baptiſmo infundùtur omnes virtutes morales, & Theologicæ: penitentia autẽ computatur inter virtutes morales. Deinde, in illis omnibus eſt admittenda virtus penitentiq, in quibus datur, aut dari poteſt peccatũ pro eo ſtatu in quo verſatur: at peccatum locum habere poteſt in quolibet homine baptizato: nam ex doctrina D. Thom. 1. 2. quàm primùm homo peruenit ad ætatem rationis tenetur ſe conuertere in Deum, veluti in vltimum finem, idque ad reatum peccati moralis, vel vt alij volunt ad reatum peccati venialis; at peccatum hoc nequit deſtrui in vllo plane baptizato abſque virtute penitentiæ, vt docetur communiter: ergo penitentia eſt in omnibus plane baptizatis.

Perſeuerat pœnit. in beatis & qui peccarunt.

1. CONCLVSIO 2. *Virtus penitentiæ perſeuerat in omnibus beatis, baptizatis & item in illis omnibus quipro eo tempore quo fuerunt inhac vita peccarunt mortaliter & ſurrexerunt ab huiuſmodi peccato.* Probatur primo, de poſterioribus: Iſti ſatisfaciunt etiam in cœlo pro peccatis commiſſis, non quidem hoc ſenſu, quaſi vllas operationes pœnales exerceant, ſed quia lætantur ſe ſatisfeciſſe pro eo tempore, quo fuerunt in hac vita, pro peccatis ab ipſis commiſſis; ex D. Auguſtino ſiquidem dolendum eſt de peccatis, vt tandem de hoc eodem dolore gaudeamus.

2. Deinde, certũ eſt eos qui hic peccauerunt, & à peccato ſurrexerũt, etiamſi donentur beatitudine æterna in cœlis, verè dolere de peccatis, non quidẽ hoc ſenſu, quaſi experiantur triſtitiam, defatigationem, aut moleſtiam aliquam in cœlis de peccatis commiſſis, ſed quia ſummo amore feruntur erga Deum; & ex iſto amore conſurgit in eis ſumma deteſtatio de peccatis perpetratis.

3. Tertio, virtus penitentiq fuit in iſtis hominibus pro eo tempore quo vixerunt inter nos, nec poteſt aſſignari vlla ratio propter quam dicamus penitentiam eſſe deſtruendam in iſtis beatis: ergo re vera perſeuerat in ipſis.

Obiectio. Dices, per adeptionem beatitudinis deſtructam eſſe penitentiam in iſtis, non enim poteſt hæc effectus ſuos producere in beatis.

Solutio. Reſpondeo primò, falſum eſſe penitentiam non poſſe in iſtis beatis qui ſurrexerunt à peccato, pro eo tempore quo fuerunt in hac vita, aliquos actus producere: diximus namque iſtos, & dolere, & ſatisfacere pro peccatis aliquâ ratione. Deinde, licet fateremur penitentiam nullos producere actus in cœlis; non tamen inde ſequeretur penitentiam non perſeuerare in cœlis; nam certum eſt temperantiam, & fortitudinem nullum habiturum effectum in cœlis, & tamen etiam ex doctrina D. Thom. virtutes iſtæ duæ remanent in beatis in gloria.

4. Quartò, penitentia pertinet ad perfectionem iuſtificationis, quæ fit à peccato mortali.

Notabile. Moneo tamen non deeſſe qui exiſtiment, virtutem penitentiq deſinere eſſe in pueris baptizatis, qui ſtatim à baptiſmo, & ante vſum rationis conſequuntur vitam æternam, idque quod virtus penitentiæ nullum habuerit actum in iſtis.

Ceterùm hæc opinio non videtur ſatis explorata, vt facile colligitur ex proximè dictis; nam pertinet penitentia ad complementum, & perfectionẽ iuſtificationis quæ fit à peccato mortali, quale tamẽ eſt peccatũ originale, quod remiſſum fuit in iſtis pueris, virtute ſacramẽti baptiſmatis. Quod autem in illis perſeueret penitentia in cœlis, probatur hac vnica ratione. Potuerunt iſti pueri peccare, & venialiter, & mortaliter, perſeuerante ſtatu baptiſmi, fuerunt ſiquidem liberi, & potuerunt peruenire ad vſum rationis: at peccata nequeunt remitti in homine baptizato, niſi dependenter à virtute, & item à ſacramento penitentiæ: ergo neceſſariò debuit infundi virtus penitentiæ, quæ illos ſuo tempore inclinaret ad dolendum de peccatis.

DVBITATIO SECVNDA.

An virtus penitentiæ fuerit in primis parentibus, perſeuerante ſtatu innocentiæ.

In ſtatu innocentiæ nõ fuit virtus penitentiæ.

1. CONCLVSIO. *In primis parentibus durante ſtatu innocentiæ non fuit virtus penitentiæ.* Primò, quia pœna, & dolor ſtare non potuit cũ ſtatu innocentiq, ex communi doctrina: penitentia autem dicit dolorem de peccatis commiſſis, trahitque ſecum pœnam aliquam, ex illo: *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum, & luctum,* & rurſus; *Secundum delictum; erit & plagarum modus.* Apoca. 18.

2. Deinde, quodlibet peccatum præſupponit in homine deordinationem aliquam: at durante ſtatu innocentiæ nulla potuit eſſe deordinatio in homine; iuſtitia ſiquidem originalis, partes inferiores ſubijciebat partibus ſuperioribus, & partem ſuperiorem Deo; idque perfectiſſimè.

3. Tertiò, decreuerat Deus non permittere hominem labi in peccatum veniale, remanente ſtatu innocentiæ.

4. Quarto, in illis admittitur virtus penitentiq in quibus vel eſt, vel certe dari poteſt peccatum, pro eo ſtatu, in quo agunt homines: at remanente ſtatu innocentiq nullum fuit, nec eſſe potuit peccatũ in hominibus, ex cõmuni doctrina.

Vlt. Denique, ſi virtus penitentiq fuiſſet in primis parentibus perſeuerante ſtatu innocentiq, ſequeretur virtutem iſtam ad minùs in illis futuram otioſam, quandoquidem nullum potuit effectum producere in hominibus perſeuerante illo ſtatu: ſed debuit huiuſmodi ſtatus innocentiæ prius neceſſario perire, quàm penitentia potuerit ſuos effectus producere in iſtis: ergo non eſt cur admittatur virtus illa penitentiq in primis parentibus.

by Google

Obiectio. Obijcies, primos parentes nedum potuiſſe peccare, ſed de facto peccaſſe in ſtatu innocentiæ: ergo. *Solutio.* Reſpondeo, negando ſecundam partem antecedentis; peccatum ſiquidem proximè, & immediatè ſubſequutum eſt ſtatum innocentiæ, quare de facto non peccauerunt perſeuerante ſtatu innocentiæ.

Replica. Inſtabis, admittere nos penitentiam in omnibus baptizatis, idque quod poſſint peccare: at potuerunt primi parentes in ſtatu innocentiæ peccare, licet de facto in illo non peccauerint.

Diſſoluitur. Reſpondeo, non propterea nos admittere penitentiam in omnibus baptizatis, quod baptizati poſſint peccare; ſed multo magis, quia virtus penitentiæ eſt de integritate, perfectione, & complemento iuſtificationis, quæ ſit à peccato mortali: primus autem parens, itémque Eua non fuerunt iuſtificati à peccato mortali in eorum creatione, ſed à non eſſe gratiæ, ad gratiam gratum facientem; vnde penitentia non eſt in primis parentibus admittenda. Deinde, D. Virgo abſolutè loquendo, & præſcindendo à dono illo ſpeciali, quo factum eſt ne vllam plane culpam contraxerit, potuit peccare, & tamen in D. Virgine non admittitur virtus penitentiæ: licet ergo fateamur in ſtatu innocentiæ potuiſſe primos parentes peccare, non tamen propterea in illis erit admittenda virtus penitentiæ.

2. Replica. Vrgebis, potuerunt primi parentes; ità eſſe affecti, & diſpoſiti, vt ſi in ipſis daretur peccatum aliquod, voluiſſent quoque penitere: ergo ſaltem ratione iſtius actus erit admittenda in illis penitentia.

Diſſolutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequutionem: Chriſtus enim & D. Virgo potuerunt ità eſſe diſpoſiti; vt ſi in ipſis daretur peccatum, vellent quoque de eo penitere, & tamen nec in Chriſto, nec in D. Virgine admittitur virtus penitentiæ.

3. Replica. Dices, doctrinam iſtam ſaltem aduerſari D. Thom. 1. p. quæſt. 93. art. 3. docet enim illic misericordiam, & penitentiam extitiſſe in primis parentibus.

Reſponſio. Reſpond. in hac re deficere nos à D. Th. Deinde, voluit forte ſanctus Doctor, eo loco, penitentiam dari in primis parentibus, per non repugnantiam, non autem vere, & de facto, quod nos vltro concedimus: etenim potuit virtus hæc infundi primis parentibus ad ornamentum animæ, licet in eis nullum potuerit habere effectum, perſeuerante ſtatu innocentiæ.

4. Replica. Dices rurſus, virtutem misericordiæ extitiſſe in primis parentibus, durante ſtatu innocentiæ: ergo & penitentiam. *Reſp.* nego conſequentiam, *Emendatio.* idque quod ratio misericordiæ poſita ſit in ſubleuatione miſeriæ proximi; potuit autem alius à primo parente, perſeuerante ſtatu iuſtitiæ originalis eſſe miſer, & conſequenter potuit primus parens leuare miſeriam iſtius; penitentia verò non potuit habere locum in primo parente durante ſtatu innocentiæ; quoniam intrinſecè reſpicit propriam culpam, cum dicat intentionem ſatisfaciendi pro peccatis, ex propoſito emendæ, & deſtructionis peccati proprij; quod eſt diligenter aduertendum, propter authores contrariæ ſententiæ, qui putant penitentiam non præſupponere neceſſario propriam culpam.

Deinde, dolor quem ſuſtinuit Chriſtus, pro peccatis noſtris, & item pœnæ non fuerunt actus virtutis penitentiæ in eo; ſed ſolius charitatis: nam cum Chriſtus ex perfectiſſimo amore erga Deum operaretur pro eo tempore quo fuit in hac vita, odio plane habuit ex motiuo charitatis omne malum contrarium Deo, ac proinde peccatum quod malum Dei eſt.

Inſtabis, complacentiam de ſatisfactione peccati alienis pertinere ad penitentiam, hæc autem potuit eſſe in primis parentibus conſtitutis in ſtatu innocentiæ. *5. Replica.*

Reſpondeo, complacentiam iſtam poſſe reuocari ad penitentiam, non quidem hoc ſenſu, quod ſit præcipuus, & principalis effectus ipſius; ſed ſecundarius, potuitque habere ortum à virtute charitatis, quamobrem ratione iſtius effectus non erit admittenda in primis parentibus virtus penitentiæ pro ſtatu innocentiæ. *Diſſoluitur.*

DVBITATIO TERTIA.

An in Chriſto, D. Virgine, & Angelis fuerit virtus penitentiæ.

CONCLVSIO 1. *Penitentia non fuit in Chriſto, & D. Virgine.* Primò, quia Chriſtus nec peccauit, nec peccare potuit; repugnat enim eum qui Deus eſt peccare, ſed Chriſtus fuit verus Deus, & verus homo: D. item Virgo, ſuppoſito dono quod eam impediuit ab omni peccato; licet in actu primo potuerit peccare, de facto tamen in actu ſecundo peccare non potuit. *Non fuit penitentia in Chriſto, nec in B. Virgine.*

Deinde, penitentia præſupponit intrinſecè propriam culpam, hæc autem verè non fuit in Chriſto, nec in D. Virgine: igitur nec virtus penitentiæ. 2.

Dices, D. Virginem fuiſſe baptizatam baptiſmo Chriſti, ac proinde habere virtutem penitentiæ; cum dixerimus omnes baptizatos retinere virtutem iſtam. Reſpond. virtutem penitentiæ eſſe in omnibus baptizatis ea lege, quod in iſtis præceſſerit peccatum originale: in beata autem Virgine non fuit peccatum originale, vnde nec penitentia. Deinde, docuimus penitentiam pertinere ad integritatem iuſtificationis eorum qui iuſtificantur à peccato mortali; D. autem Virgo caruit omni plane peccato, tam mortali, quam veniali. *Obiectio 2.* *Solutio.*

CONCLVSIO 2. *In Dæmonibus non datur virtus penitentiæ, neque item in bonis Angelis.* Prima pars reſponſionis probatur. Illud idem dicendum eſt de penitentia, quod de fide, reſpectu dæmonum; ſunt enim virtutes iſtæ ordinis ſupernaturalis ex ſe, & ſua natura: at fides non datur in dæmonibus, nec in vllis damnatis, eò quod hæc nedum deperdatur per peccatum infidelitatis, ſed etiam per adeptionem beatitudinis, & item damnationis æternæ: ergo neque virtus penitentiæ. *In dæmonibus non datur penitentia, nec in Angelis.*

Dices, Dæmones credere, & contremiſcere. Reſpond. hoc eſſe intelligendum de fide coacta, & experimentali, non autem de fide infuſa. Confirmatur. In damnatis nullus eſt ordo ad effectus ordinis ſupernaturalis exercendos: penitentia autem reſpicit effectum ordinis ſupernaturalis. *Obiectio.* *Solutio.*

Secunda verò pars reſponſionis probatur. In Angelis beatis nullum fuit plane peccatum: ergo nec penitentia. *Probatio 2. partis.*

Deinde, Nulla datur in iſtis triſtitia, nullus dolor; penitentia autem ordinatur ad dolorem aliquem excitandum in nobis ex eo capite, quod 2.

Digitized by Google

quod peccata sint contra Deum: in hac sententia sunt Vazquez dubit. 2. ad hunc artic. & Sotus in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. Henricus lib. 1. de penitentia, cap. 19. Gregor. de Valentia, quæst. 2. de penitentia.

Obiectio. Dices, Angelos, D. Virginem, & Christum posse exercere hunc actum conditionatum penitentię (vellem penitere si daretur in me peccatum) habuerunt item propositum vitandi quodlibet peccatum: ergo in illis est habitus penitentię.

Solutio. Respond. non propterea admittendam esse penitentiam in istis; propositum siquidem vitandi quodlibet peccatum, est actus virtutis charitatis; non autem penitentiæ: hoc enim ipso quod charitas fertur in Deum, quatenùs Deus est summè amabilis propter semetipsum, facit etiam vt quilibet fugiat, & horreat quodcumque malum Dei: certum autem est quælibet peccata esse Dei mala: actus item conditionatus proximè explicatus, in nullo potest habere locum, nisi dependenter ab isto actu absoluto; volo penitere: vt pluribus obseruat Vazquez loco proxime citato, quare cum Christus, Diua Virgo, & Angeli beati nequeant absolute penitere ob defectum peccati proprij, in istis non erit virtus penitentiæ admittenda. Supponimus tamen, quod antè docuimus, virtutem penitentiæ distingui à charitate, iustitia, religione, & à ceteris omnibus alijs: nam si penitentia esset idem cum charitate, hæc certè esset necessario in Christo, D. Virgine, & Angelis beatis admittenda.

Notabile. Aduerte. Nos non negare virtutem penitentiæ in proximè explicatis, quod illa ex se, & sua natura pugnet cum statu beatitudinis, aut cum perfectionibus Christi, Diuæ Virginis, primorum parentum in statu innocentiæ, & denique Angelorum beatorum: nam per omnipotentiam Dei fieri potest, vt virtus hæc recipiatur in omnibus istis: contendimus ergo non stare virtutem penitentiæ in prædictis, quod in eis esset omnino, vel superflua, vel suos effectus producere minimè posset.

DVBITATIO VLTIMA.

Quod sit proximum, & immediatum subiectum virtutis penitentiæ.

Voluntas est proximum subiectum penitentiæ. RESPONDEO *esse voluntatem rationalem*, nam virtutes collocantur in ea parte, vt luti in subiecto proximo, in qua est difficultas operandi; sunt enim virtutes adiumenta quædam, quibus potentiæ fulciuntur inter operandum, ex doctrina communi: at difficultas agendi penitentiam est in voluntate, seu appetitu rationali; ergo in illa erit collocanda: ità docent D. Thom. hoc loco, Caiet. & ceteri interpretes.

Obiectio. Dices, irasci erga peccatum, & vindicare peccata, pertinere ad penitentiam: ergo erit hæc in appetitu irascibili.

Solutio. Respond. concesso antecedente, negando consequentiam: est enim duplex facultas irascibilis, altera sensilis, alia verò rationalis, quæ dicitur & concupiscibilis, & irascibilis; hæc autem est quæ peccato irascitur vt oportet; quemadmodum & solus appetitus rationalis assequitur rationem peccati, vt peccatum est offensa Dei.

In 3. partem D. Thom.

Moneo tamen extare qui doceant in appetitu irascibili, sensili, produci ex iteratis, & frequentatis actibus penitentiæ qualitatem aliquam, affinem virtuti penitentiæ aliqua ratione, quæ facit, ne appetitus hic sensilis plusquàm par sit, vel minùs quàm oporteat tristetur de peccato commisso. *Aduertentia*

Sunt etiam qui hoc loco quærant; An detur in nobis qualitas aliqua acquisita ex actibus penitentiæ, per quam detestemur peccata commissa, quemadmodum id facimus per virtutem infusam penitentiæ: Ceterùm, res hæc videtur plus satis nota; nam quemadmodum non datur in nobis qualitas aliqua acquisita medijs actibus fidei, aut spei; ità neque etiam admittenda est qualitas in voluntate rationali, acquisita medijs actibus virtutis penitentiæ, quæ res explicari consueuit in 1. 2. *A quibusdam mota quæstio res soluitur.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm principium penitentiæ sit ex timore.

DVBITATIO PRIMA.

An timor seruilis, qui datur in nobis ex apprehensione pœnarum æternarum, vel temporalium conducat ad penitentiam.

Timor seruilis ad penitentiam pertinet ex Trident. CONCLVSIO *Affirmatiua*; definitum enim fuit in Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. hominem iustificari medio actu timoris seruilis, & sess. 14. cap. 4. & can. 5. dicitur de timore seruili, quod sit donum Dei: & ibi damnantur hæretici nostri temporis, hoc nomine, quod dicant timorem seruilem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem.

Deinde, conuersio proponitur nobis in sacris literis facienda ex meditatione gehennæ, & ceterarum pœnarum. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed timete eum, qui cum occiderit corpus, potest & animam mittere in gehennam*, & Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* & rursus Matth. 3. *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura ira? iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Matth. 10. Luc. 13. Matth. 3.

Tertiò, psal. 110. dicitur; *Initium sapientiæ timor Domini:* & Iob. 28. *Initium dilectionis timor.* Psal. 110. Iob. 28.

Patres denique vtilitatem timoris seruilis varijs nominibus explicarunt; Clemens siquidem Alexandrinus, lib. 1. pædagogi cap. 9. appellat timorem istum, pædagogum ad legem: Basilius in psal. 33. frænum peccatorum. D. Augustin. tract. 9. in Canonicam 1. Ioannis: fetam, qua filum charitatis introducitur: ab alijs verò dicitur clauus, quo quilibet nostrum intrà terminos honestatis & virtutis continetur, quod colligunt ex illo Dauidis, psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui*; reuocatur autem timor hic ad virtutem spei ex veriori sententia, de qua re legendi sunt interpretes D. Thom. ad quæst. 19. 2. 2. Psal. 118.

DVBITATIO SECVNDA.

Quibus actibus perficiatur noſtra iuſtificatio à peccato mortali in adultis.

Multiactus concurrunt ad iuſtificationem.

RESPONDET D. Thom. hoc loco *fieri* 1. *actu motionis Dei convertentis animam, deinde, actu fidei.* 3. *timoris ſeruilis.* 4. *ſpei.* 5. *charitas.* 6. *filialis timoris. Denique, actuali deteſtatione, vel ſatisfactione pro peccato, quatenus peccatum eſt contra Deum:* iſti autem actus referuntur in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. non tamen eodem ordine: nam Concil. primo loco ponit actum fidei, prætermittit vlterius actum timoris filialis, idque quod hic, vt plurimum locum non habeat in hominis adulti iuſtificatione: omiſit præterea actum intentionis ſatisfaciendi pro peccatis, quem nos diximus eſſe actum proprium virtutis penitentiæ, prout hæc diſtinguitur à ceteris alijs omnibus virtutibus: quia Patres, & Concil. nunquam explicarunt, an virtus penitentiæ diſtingueretur à ceteris alijs virtutibus formaliter: actum verò motionis Dei convertentis animas expreſſit Concil. ſub initium capitis proximè citati; hæc autem motio tribuitur à Concilio ſoli Deo; non quod ab eo ſolo producatur in nobis; hęc enim eſt cogitatio ſancta, ac proinde aliquis actus vitalis, qui pendet neceſſario à vitali potentia vitaliter operante; ſed quia producitur à Deo in nobis, & à voluntate noſtra ante omnem aſſenſum libertatis noſtræ: legendi ſunt de hac re interpretes D. Th. hoc loco, & in diſput. de gratia.

Trident.

DVBITATIO TERTIA.

An præter penitentiam ſupernaturalem, detur aliqua alia naturalis, quæ conducat ad hominis iuſtificationem.

Nulla extat penitentia naturalis.

CONCLVSIO. *Nulla extat penitentia naturalis, quæ ſufficiat ad hominis cum Deo reconciliationem.* Primò, quia ſi aliqua penitentia naturalis ſatis eſſet ad hominis iuſtificationem, ſequeretur hominem per ſua naturalia poſſe conſequi ſalutem; cuius tamen oppoſitum definitur in Concilijs Mileuitano, Arauſicano, & Trident. ſeſſ. 6.

1.

Deinde, in ſacris Concil. dicitur penitentiam eſſe donum Dei.

2.

Tertiò, diſpoſitio ad formam, debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma; forma autem iuſtificationis eſt ordinis ſupernaturalis; hæc enim eſt gratia & charitas, cap. 6. ſeſſ. 6. Trident. ergo.

3.

Quarto, penitentiæ actus nequit eſſe ſatis ad iuſtificationem, niſi fuerit hic coniunctus cum fide, & ſpe, & niſi habuerit ortum à ſpeciali motione ſpiritus ſancti, ex cap. 6. ſeſſ. 6. Concil. Trid. penitentia autem naturalis, ſi quæ ſit, non eſt ex ſpeciali motione Spiritus ſancti, nec præterea poſtulat connexionem cum actibus fidei, & ſpei ſupernaturalis: ità communiter omnes hoc loco.

4.

Imperfecta aliqua penitentia datur.

Non eſt tamen negandum quin detur imperfecta aliqua penitentia naturalis: quilibet enim naturaliter intelligit Deum irritari peccatis noſtris, ac proinde eſſe placandum, quod contingit per penitentiam. Deinde, nulla gens eſt tam barbara, quæ non retineat aliqua ſacrificia, quibus putat placari Deum nobis iratum ob peccata commiſſa. Denique, quilibet naturaliter cognoſcit Deum eſſe diligendum.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Verum penitentia ſit prima virtutum.

Verius eſt contritionē precedere actum charitatis.

RESPONDET D. Thom. actū charitatis præcedere in nobis natura, actum penitentiæ, quotieſcumque iuſtificamur à peccato mortali. Cuius oppoſitum alijs videtur verius; nam contritio cenſetur eſſe diſpoſitio, ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans; hæc autem vel eſt idem realiter cum charitate, vel non infunditur abſque gratia habituali. Deinde, actus contritionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem obtinendam, non eſt effectiuè ab ipſa gratia habituali, vt videtur affirmare D. Thom. ſed eſt à gratia. Denique, penitentia aſſumit actus charitatis, ad hoc vt illis mediis ſatisfaciat pro peccatis: ac proinde imperat penitentia actibus charitatis, non autem contra; charitas penitentiæ: vt ſentit D. Thom. articulo proximè antecedente.

Obiectio 1.

Quædam obijciuntur. Primò. Quia in Concil. Trident ſeſſ. 6. cap. 6. dicitur, ex eo quod penitentes incipiant diligere Deum, moueri ad ſuorum peccatorum deteſtationem: ergo cum deteſtatio peccati ſit actus penitentiæ, hic poſterior erit actu charitatis. Deinde, charitas verſatur circa bonum: penitentia verò circa malum; at bonum eſt prius malo. Tertio, finis ſemper eſt prior, iis quæ ſunt ad finem, ſed finis penitentiæ eſt Dei amicitia, & reconciliatio peccatoris; quæ tamen duo ſunt effectus charitatis.

2.

3.

Vlt.

Vltimo, virtutes morales præſupponunt in ſubiecto in quo recipiuntur, virtutes Theologicas: ſunt enim virtutes Theologicæ, perfectiones virtutum moralium; maximè verò charitas, quæ dicitur forma omnium virtutum; at penitentia eſt virtus moralis; Quod verò charitas imperet actibus penitentiæ, hac vnica ratione demonſtrant: Virtus præſtantior imperat minùs præſtanti; at charitas eſt infinitis partibus præſtantior penitentia: ergo charitas imperat penitentiæ.

Solutio 1. argumenti.

Ad 1. Reſpond. non probare actum charitatis habitualis, præcedere actum penitentiæ: nam Concil. Trident. eo in loco agit, non de dilectione habituali, ſed de actuali, vt eſt per ſe notum ex verbis Concilij. Secundò reſp. nos vltro fateri interdum actum charitatis habitualis præcedere in homine actum penitentiæ, non tamen id eſſe neceſſe, quemadmodum oportet actum penitentiæ præcedere actum charitatis, cum ſit huius diſpoſitio ad habitum charitatis.

2.

Ad 2. Bonum in communi ſumptum, prius eſſe malo; ac proinde & virtutes hac ratione ſpectatas, quæ verſantur circa bonum, priores eſſe illis quæ verſantur circa malum, ceterùm in hoc, vel illo ſubiecto non ſemper reperiri prius bonum in genere moris, quàm malum: nam certum eſt in quibuſuis hominibus trahentibus originem à primo parente ſecundum ſeminalem rationem, prius reperiri malum in genere moris, quàm bonum: ac proinde

Digitized by Google

inde cum penitentia verſetur circa deſtructionem mali huiuſmodi, oportet etiam quod prius in illis recipiatur virtus penitentiæ, quàm charitatis, cùm illius ſit deſtruere peccatum.

3. Ad 3. reſpond. Eſſe quidem priorem mediis omnibus in intentione; at in exequutione certiſſimum eſt, & indubitatum, finem eſſe poſteriorem mediis; cum ergo actus penitentiæ ſint media quædam ordinata in charitatem habitualem, dicendum quoque eſt actum penitentiæ antecedere actum charitatis.

4. Ad 4. Reſp. Virtutes morales præſupponere charitatem habitualem, ſi ſpectentur in genere meriti; ſecus verò ſi conſiderentur in genere moris, extincta ſiquidem charitate habituali in homine per peccatum mortale, adhuc poſſunt perſeuerare in eo virtutes morales, imò & virtutes aliquæ Theologicæ, nempe fides, & ſpes, vt definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 28. contra Caluiniſtas, & Lutheranos noſtræ ætatis: affirmant ſiquidem iſti extincta charitate fidem nulla ratione eſſe veram fidem: ſed deſinere eſſe vnà cum charitate: eadem ergo ratione dicendum erit virtutem actum penitentię poſſe eſſe, ſine charitate habituali; eſt enim penitentia virtus moralis, & actus huius non neceſſariò pendent à charitate habituali, licet præſupponant ſemper charitatem actualem; omnis ſiquidem actus charitatis actualis, quiſquis ille ſit, ſiue charitatis actualis, ſiue habitualis, cenſetur eſſe virtualis quædam penitentia, vt dicetur in ſequentibus, ex ſententia D. Thom.

QVÆSTIO LXXXVI.

De effectu penitentiæ.

Varię quæſtio. An eorum expediuntur breuiter.

IRCA Articulum 1. quæ- D runt Theologi; An quodlibet peccatum mortale, quantumuis enorme, commiſſum ab homine in hac vita conſtituto poſt baptiſmum, deleatur per penitentiam, & item; An concedat Deus auxilia neceſſaria, ad hoc vt quis ab huiuſmodi peccato reſurgat. Ceterùm de hac re diximus aliquid art. 5. & 10. quæſt. 84. huius partis: qui autem plura ſcire volet; legat Suar. tota diſp. 8. de penitentia, & Conink diſp. 2. de penitentia, Dub. 1. & interpretes D. Thom. ad quæſtionem 23. 1. part. quæ eſt de prædeſtinatione: Sotus vero in 4. diſt. 15. quærit. An poſſit Deus quempiam mouere, & impellere E ad peccatum? rem tamen hanc examinari conuenit 1. 2. quæſt. 75. quo loco decernunt Theologi, Deum nullo modo mouere, aut excitare quempiam ad vllum plane peccatum committendum, ſub ea ratione qua peccatum eſt; quę res eſt de fide: cum enim Deus ſit ſumme bonus; idque ex ſe, & ſua natura, circa bonum tantum ferri poteſt; ac proinde ad huius exequutionem mouere creaturam rationalem: ad materiale tamen peccati, ſeu, quod idem eſt, ad actionem phyſicam, quæ reperitur in peccato concurrere Deum, indubitatum eſt apud omnes: quælibet enim entitas phyſica, & naturalis, magis eſt à Deo, veluti à cauſa efficiente phyſica, quàm ab vllo plane agente creato. Vide de hac re interpretes D. Thom. loco proxime citato.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum ſinè penitentia peccatum mortale remitti poſſet.

DVBITATIO PRIMA.

An de lege communi virtus penitentiæ; ſeu actus eiuſdem, ſit ſimpliciter neceſſarius ad peccati cuiuſlibet mortalis commiſſi poſt baptiſmum remiſſionem.

RATIO dubitandi. Actus dilectionis Dei ſuper omnia eſt ſatis ad remiſſionem cuiuſlibet peccati mortalis, vt videtur colligi ex illo Prouerb. 10. *Vniuerſa delicta operit charitas.* *1. Ratio dubitand.* Proue. 10.

Deinde, martyrium ſatis eſt ad expiationem peccati mortalis, idque ex opere operato; vt conſtat ex ſanctis Innocentibus ab Herode trucidatis, in odium Chriſti. 2.

CONCLVSIO. *Penitentia eſt ſimpliciter neceſſaria ad remiſſionem cuiuſlibet culpæ mortalis admiſſæ poſt baptiſmum.* *Penitentia ſimpliciter neceſſaria.*

Aduerte, Concluſionem iſtam intelligendam eſſe de virtute penitentię, vel eius actu, non autem de ſacramento penitentię, de hoc enim diſputatum fuit art. 5. quæſt. 84. probatur Concluſio. Primò, ex illo Hieremię 18. *Si penitentiam egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego penitentiam ſuper malum quod cogitaui.* & Eccleſiaſtici 2. *Si penitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini:* Luc. 13. *Niſi penitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* *Notabile.* Hiere. 18. Eccli. 2. Luc. 13.

Deinde, res hæc eſt definita in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 5. definitur enim illic, penitentiam omni plane tempore fuiſſe neceſſariam ad remiſſionem peccatorum, & cap. 6. ſeſſ. 6. eiuſdem Concilij dicitur hominem moueri à Deo Optimo Maximo, ad ſuorum peccatorum deteſtationē per penitentiam, & in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, habetur aliquid iſtis non abſimile. 2.

Tertiò, ità docent Patres, maximè verò D. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium in fine; *Nec quemquam*, inquit, *putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque, ſeu magno, ſeu parno peccato ad correctionem ſine penitentia poſſe tranſire.* D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem ibidem omnes. Accedit ratio. Vnicus eſt modus committendi peccatum, nempe tendendo in obiectum indebito modo, & contra præceptum ſuperioris: eſt enim peccatum; *Dictum, factum, vel concupitum contra legem*; ergo vnus erit tantum modus recedendi à peccato, nempe deteſtatio eiuſdem, ſeu, quod idem eſt, dolor de peccatis commiſſis conceptus cum propoſito melioris vitę, ſeu quod idem eſt, emendę. D. Auguſt.

Digitized by Google

4. Denique, fatentur communiter omnes, contritionem formalem, vel virtualem eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem: at peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum, eſt vnum ex impedimentis, quo quis arcetur à conſequutione ſalutis: ergo. *Nihil enim coinquinatum in regnorum cœlorum intrabit*, Apoc. 12. Apoc. 12.

Soluuntur rationes dubit. Ad rationes vero dubitandi reſpondeo. Ad 1. dilectionem Dei ſuper omnia, ſatis eſſe ad remiſſionem peccati mortalis commiſſi poſt baptiſmum, ſine penitentia formali, & expreſſa in eo caſu, quo quis præmiſſo ſtricto examine conſcientiæ; non potuit recordari culpę mortalis admiſſæ. Primò, quia remiſſio peccati tribuitur in ſacris literis dilectioni Dei, ſeu charitati, Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum:* & 1. Petr. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; & 1. Ioann. cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* & cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Deinde, in literis ſacris dicitur eos omnes amari à Deo à quibus ipſe diligitur. Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*; & Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Tertiò, Vita æterna promittitur obſeruantibus mandata Dei: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* at obſeruatio legis tribuitur charitati in ſacris literis. Roman. 13. *Dilectio*, inquit, *eſt legis adimpletio.* & rurſus, *Qui diligit proximum, legem implenit.* Quartò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, maximè verò Chryſoſt. homilia 4. in 2. ad Corinth. & D. Auguſt. lib. 2. contra Creſconium Grammaticum. & ſerm. 7. de tempore: *Penitentiam*, inquit, *certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* & lib. 8. de Trinit. cap. 7. & Gregorij homilia 33. in Euangelia. Penitentia tandem non poteſt eſſe magis neceſſaria homini qui peccauit lethaliter poſt baptiſmum, quàm ſit baptiſmus ei qui natus eſt ex primis parentibus: conuenit enim inter omnes, penitentiam, & baptiſmum eſſe neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem: at fieri poteſt, vt aliquis ſaluetur cum ſolo implicito voto baptiſmi, vt fatentur communiter omnes, in tract. de baptiſmo; & manifeſte colligitur ex eo qui dedit nomen fidei Chriſtianæ, & antequam aliquid audiret de baptiſmo moreretur, exercuiſſetque anteà actum dilectionis Dei ſuper omnia; hic enim verè ſaluaretur: ergo explicita, & formalis penitentia non eſt ad ſalutem neceſſaria in quoliber caſu: ità ſentiunt D. Th. quæſt. 87. huius partis, art. 1. & in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 5. ad 2.

Luc. 7. 1. Petr. 4. 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 3. Prouer. 8. Ioann. 14. Matth. 19. Roma. 11. Chryſoſt. D. Auguſt.

Replica 1. Dices, quî verum eſt D. Thom. in hac verſari ſententia, quæſt. ſiquidem 113. 1. 2. art. 5. ad 1. & quæſt. 84. huius partis art. 5. docet actus charitatis, fidei, miſericordiæ, non eſſe ſatis ad hominis iuſtificationem ſine penitentia.

Diſſoluitur. Reſpond. hæc intelligenda eſſe in eo caſu, in quo quis eſt ſibi conſcius peccati mortalis: quod nos vltro concedimus, quando tamen non adeſt conſcientia peccati mortalis commiſſi, præmiſſo ſtricto examine conſcientiæ, actus formalis penitentię non eſt neceſſarius ad hominis iuſtificationem, ſed ſufficit virtualis ex doctrina D. Thom. locis ſuprà citat. dilectio autem Dei ſuper omnia, eſt virtualis quædam penitentia, ex D. Thom. quæſt. 87. huius partis, idem docent interpretes.

Replica 2. Dices, opinionem iſtam declinare in hæreſim Lutheranorum & Caluiniſtarũ, putant enim iſti ad iuſtificationem ſatis eſſe propoſitũ emendæ ſine vllo plane dolore de peccatis commiſſis.

Enodatur. Reſpond. doctrinam noſtram toto cœlo diſtare ab hæreſi Lutheranorum, nam nos admittimus dolorem de peccatis formalem, & expreſſum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad iuſtificationem, in eo qui recordatur peccati mortalis commiſſi: quæ res pluribus probatur à Vazquezio.

Hæretici autem in vllo plane caſu admittunt dolorem expreſſum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ſed ſufficere propoſitum inſtituendi vitam in melius. Deinde, contendimus nos ad iuſtificationem in omni planè adulto, neceſſariam eſſe, vel virtualem, vel expreſſum penitentiam, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia ex dictis; hæc enim virtute, & eminenter continet rationem penitentiæ: imò penitentia formalis, & expreſſa eſſe nequit ſine dilectione Dei ſuper omnia, vt conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. Tertiò, quia contritio, non eſt vera contritio, niſi fuerit de peccatis commiſſis contra Deum ſumme dilectum: quemadmodum neque ſatisfactio, niſi fuerit imperata, vel elicita à charitate.

2. Rationis contrariæ ſolutio. Ad 2. Reſpond. martyrium ſatis eſſe ad hominis iuſtificationem, ſine vllo formali, & expreſſo dolore de peccatis commiſſis, quando peccata commiſſa non potuerunt venire in mentem, præmiſſo diſtricto examine conſcientiæ, ſuppoſita tamen dilectione Dei ſuper omnia, in eo qui patitur martyrium: propter hanc enim cauſam dicitur, Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* & Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Matth. 10. Ioann. 15.

Deinde, ad quæſt. 66. huius partis D. Thom. in confeſſo eſt baptiſmum ſuppleri per martyrium, quando quis non poteſt baptizari, & iuſtificari perfectiſſimè hominem. Tertiò, Eccleſia quamprimùm videt quempiam occiſum fuiſſe in odium Chriſti, habet eum pro ſancto martyre, vt conſtat ex Innocentibus occiſis ab Herode.

Replica. Dices, martyrium ſine charitate eſſe inutile, ex illo cap. 13. 1. Corinth. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* & idem docet D. Auguſt. contra Creſconium: ergo & penitentia erit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, etiam in martyribus. 1. Cor. 13.

Diſſolutio. Reſpond. loca hæc intelligenda eſſe de illis martyribus, in quibus datur complacentia peccati mortalis, pro eo tempore in quo occiduntur propter Chriſtum, vel certe de illis martyribus in quibus datur conſcientia peccati mortalis commiſſi, neque tamen propterea dolent de peccato mortali commiſſo, de quo recordantur: iſti enim omnes nequeunt iuſtificari per martyrium, niſi fuerit hoc coniunctum cum formali, & expreſſa penitentia; vt colligitur manifeſtè ex Cypriano, epiſtola 2. lib. 1. ait enim illic, *Martyres aliquot propterea periiſſe, quod ex hac vita deceſſiſſent ſinè reconciliatione, quam poterant conſequi ſi voluiſſent.*

Deinde, baptizatus qui poteſt ſatisfacere, neqûe tamen propterea ſatisfacit, ſi moriatur, non liberatur ab onere ſatisfaciendi per baptiſmum: Catechumenus item, licet occidatur in odium Chriſti,

Digitized by Google

Christi, non tamen propterea beatitudine æterna donatur, si baptismum prætermiserit, cum antequam pateretur pro Christo potuit baptizari, vt omnes fatentur, in tract. de baptismo: quando tamen adest conscientia peccati mortalis commissi, idque inculpate, martyrium cum sola dilectione Dei super omnia satis est ad hominis iustificationem, & salutem.

Corollariũ. Ex istis colliges eum, qui ex hypothesi petijsset cubile cum animo tolerandi martyrium, & occideretur in odium Christi, inter dormiendum, saluari, si præmisso districto examine conscientiæ exercuisset actum charitatis erga Deum, & non potuisset recordari peccati commissi, non exercuisset actum formalem penitentiæ: nam forma nunquam introducitur in subiecto aliquo, nisi posita sua dispositione: dispositio autem necessaria ad introductionem gratiæ gratum facientis, etiam in martyribus, quando sunt sibi conscij peccati mortalis, est formalis, & expressus dolor de peccatis commissis ex dictis: ergo reuera non saluaretur iste sine penitentia formali.

Corollar. 2. Colliges 2. penitentiam virtualem, vel formalem esse simpliciter necessariam ad hominis, qui post baptismum peccauit lethaliter, iustificationem: fatentur enim omnes actum dilectionis Dei super omnia, contritionem, & attritionem cum sacramento, esse dispositiones simpliciter necessarias ad hominis adulti iustificationem; non quidem hoc sensu, quasi tria hęc simul sint necessaria, ad hoc vt adultus iustificetur à peccato mortali; sed quia alterum ex istis tribus est simpliciter necessarium ad iustificationem adulti constituti in peccato mortali.

DVBITATIO SECVNDA.

An de potentia Dei absoluta, fieri possit, vt adultus constitutus in peccato mortali, commisso post baptismum, iustificetur ab huiusmodi sine penitentia actuali, vel habituali.

Quorumdã opinio affirmans. SVNT qui putent partem affirmantem esse indubitatam: idque quod existiment transacto actu peccati, nihil esse in eo qui denominatur peccator præter reatum, & obligationem ad pœnam: ità Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. §. ex his, & dist. 16. quæst. 2. Gabriel, dist. 14. quæst. 1. art. 1. & 2. Ioann. Medina, codice de Penitentia, tractatu 1. quæst. 7. & 12. & aliqui alij Nominales: maximè verò Ockam quæst. 8. & 9. lib. 4.

Reijcitur 1. Cęterùm hæc opinio defendi nullo modo potest: falsum enim est nihil remanere in homine, qui peccauit mortaliter præter reatum, & obligationem ad pœnam: nam ex scripturis habemus, eum qui peccauit lethaliter esse pollutum, & commaculatum sordibus quibusdam: ita enim dicitur in lamentationibus Hieremiæ: Thren. 4 *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* loquitur autem de filijs Iudæorum; & de synagoga, & alibi: *Denigrata est facies eius super carbones*, & psal. 50. *Amplius lauame ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Psal. 50.

2. Deinde, licet Deus nollet vllas exigere pœnas ab eo qui peccauit, non tamen propterea desineret esse peccator, & perseuerare in peccato: nam certum est eum nullas exigere pœnas à damnatis propter ea peccata, quæ commiserunt in inferis, sed propter ea peccata, quæ admiserunt in statu viæ, & tamen certum est dæmones, & damnatos vere peccare apud inferos, ex illo, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Psal. 73.

Denique, fieri nequit vt aliquis iustificetur à peccato mortali, sola imputatione, & denominatione extrinseca; cum enim in omni peccato mortali sit auersio à Deo, tanquam ab vltimo fine, & conuersio ad creaturam; tanquam in vltimum finem, absolutè necessarium est, ad hoc vt auersio ista destruatur, & item conuersio ad creaturam, quod contingat realis aliqua mutatio in peccatore, per quam peccator auertatur à creatura tanquam ab vltimo fine, & conuertatur in Deum, tanquam in vltimum finem.

Soti & aliorum 2. sententia. Sotus vero in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. & Petrus à Soto lect. 4. de penitentia, aliique nonnulli Thomistæ recentiores autumant, eum qui peccauit mortaliter, non posse iustificari ab huiusmodi peccato mortali, media aliqua pura qualitate ordinis supernaturalis, sed desiderari vlterius specialem aliquem actum penitentię formalis, vel virtualis, ad hoc vt iustificetur hic à peccato commisso. Probat Sotus, ex D. Th. quæ. 118. art. 8. ait enim illic hominem non posse iustificari sine actu detestationis peccati, hæc autem detestatio est actus penitentię.

Soti argumenta. 1.

Deinde, in omni peccato mortali datur auersio à Deo, & conuersio ad creaturam: at hæc auersio nequit ab homine remoueri, nisi quoque homo peccator conuertat seipsum in Deum; & auertat se à creatura: ergo peccatum non poterit deleri absque aliquo actu peccatoris. 2.

Denique, auersioni liberæ & voluntariæ non opponitur nisi conuersio libera, & voluntaria: ergo non iustificabitur homo à peccato mortali commisso, nisi interueniente actu aliquo proprio illius qui iustificatur: neque enim vnum contrarium destruitur, nisi per aliud sibi contrarium. 3.

CONCLVSIO 1. *Constitutus in peccato mortali cõmisso post baptismũ, iustificari potest ab huiusmodi peccato mortali per penitentiam actualẽ, vel habitualem, vel per aliquod donũ ordinis supernaturalis, quo duni ex istis æquiualeat.* Primò, quia macula quæ manet in homine peccatore, transacto actu peccati mortalis vere destruitur, aut certe destrui potest, per solam virtutem charitatis, & gratię, vt constat ex paruulis baptizatis, qui perfectissime mundantur à peccato originali, per infusionem gratię, & charitatis. *Peccator penitentia actuali aut habituali iustificari potest.* 1.

Deinde, priuatio quælibet recte amouetur à subiecto, vel per restitutionem solius qualitatis oppositæ eidem, vel per solum actum eidem contrarium, vt constat ex cæcitate; hæc enim perfectissime remouetur à cæco per solum actum visionis, vel certe per facultatem videndi: at macula peccati censetur esse posita in priuatione gratię, & charitatis, ex doctrina D. Th. vel ex aliorum opinione, in actu peccati prætériti non emendato per penitentiam: ergo si gratia & charitas restituantur homini constituto in statu peccati mortalis, destruetur vere in eo peccatum mortale, & item si detur in eo actus aliquis, quo quis emendet peccatum præteritum. 2.

Tertiò, probatur Conclusio: peccatum originale remittitur in paruulis media sola qualitate gratiæ, & charitatis. 3.

Denique, ita sentiunt plerique Recentiores. *Vir.*

Actus penitentis non eſt ſimpliciter neceſſarius.

CONCLVSIO 2. *Actus penitentis non eſt ſimpliciter neceſſarius ad peccati mortalis remiſſionem de poteſtate Dei abſoluta.* Primò, quia auerſio quæ datur in eo qui peccauit mortaliter, manet in eo per modum habitus: propter hanc enim cauſam peccatum hoc nuncupatur communiter habituale: ergo poterit huiuſmodi peccatum deſtrui ſine vllo actu penitentiæ, vel ſine aliquo, quod huic æquiualeat; nam conuerſio habitualis eſt eiuſdem ordinis, & rationis cum actuali: vt colligitur manifeſtè ex iuſtificatione puerorum; iſti enim ſuſcepto baptiſmate cenſentur verè conuerſi in Deum, tanquam in vltimum finem, & auerſi à creatura, tanquam ab vltimo fine, & tamen conuerſio iſta in pueris baptizatis pendet à gratia, & charitate, non autem ab vllo actu eorumdem.

Probationes 1.

2. Deinde, fieri non poteſt vt vnus, & idem ſit ſimul & ſemel iuſtus, & iniuſtus, gratus, & ingratus, at qui habet ſolam gratiam, & charitatem verè, & formaliter gratus, & iuſtus eſt; ex Concil. ſiquidem Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. cauſa formalis noſtræ iuſtificationis, & ſanctitatis eſt gratia gratum faciens: ergo cum poſſit Deus cuilibet adulto infundere gratiam, & charitatẽ, ſine vlla dependentia ab vllo plane actu, qui habeat ortum à creatura rationali, (eſt enim Deus ſimpliciter omnipotens, & in ſuis actionibus ad extrà nullo modo pendet à creatura) poterit quis iuſtificari à peccato mortali ſine vllo plane actu penitentiæ, qui producatur ab eo qui iuſtificatur.

Trident.

Reſponſio Suariz.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, inter quos eſt Suarez ſect. vltima, diſp. 8. de penitentia, ſatis eſſe ad remiſſionem peccati mortalis, de poteſtate Dei abſoluta, vt admittantur duo inſtantia naturæ, ſeu rationis, in quorum altero concipiamus Deum remittere peccata, in altero vero hominem ſanctificari.

Refellitur.

Cæterum hæc reſponſio nihil dicit: neque enim fieri poteſt, vt aliquis ex iniuſto incipiat eſſe iuſtus, niſi fiat aliqua in eo mutatio, præſertim cum ſupponamus hominem debere fieri iuſtum formaliter, & intrinſecè: licet autem duo illa inſtantia admittantur à nobis, non tamen ideo contingit vlla mutatio ex parte illius, qui iuſtificatur à peccato mortali, vt eſt per ſe notum.

Aliorũ ſolutio.

Alij vero reſpondent, actum penitentis eſſe ſimpliciter neceſſarium ad iuſtificationem, quæ fit à peccato mortali, quia actus hic habet rationem diſpoſitionis ad gratiam introducendam.

Inefficax.

Verùm reſponſio hæc etiam nihil plane dicit: conuenit enim inter omnes Deum poſſe ſupplere efficientiam cuiuſlibet agentis naturalis, vel ſupernaturalis creati; ac proinde poterit etiam ſine iſta diſpoſitione introducere gratiam iuſtificantem in eo, qui peccauit mortaliter.

3. Aliquorũ reſponſio.

Reſpondent alij, in eo qui peccauit mortaliter poſt actum peccati mortalis, dari & priuationem gratiæ, & præterea conuerſionem ad creaturam, tanquam in vltimum finem; ac proinde primum illud ſatis reparari per collationem gratiæ, quam poteſt Deus præſtare ſe ſolo, minimè verò reparari ſecundum; hæc ac conſequenter deſiderari ad id actum, quo peccator hic reſipiſcat à peccatis, & auertat ſe à creatura, conuertátque ſe in Deum, tanquam in vltimum finem: ità Sotus, diſt. 15. citata.

Reijcitur

Sed neque hæc reſponſio eſt efficax: voluntas ſiquidem illius qui peccauit mortaliter, & cui Deus ſe ſolo infundit gratiam, & charitatem, rectificatur perfectiſſimè per collationem gratiæ, & charitatis: vt colligitur manifeſtè ex paruulis baptizatis; habitualiter namque iſti cenſentur eſſe conuerſi in Deum, tanquam in vltimum finem: ergo illud idem dicendum eſſet de adulto iuſtificato à peccato mortali ſinè vlla dependentia ab actibus penitentiæ eiuſdem: ergo.

Contraria rationes diſſoluuntur.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. D. Thom. eo in loco intelligendum eſſe de lege communi, & de eo qui præmiſſo diſtricto examine conſcientiæ eſt ſibi conſcius peccati mortalis; non autem de eo qui iuſtificaretur à Deo per poteſtatem ſuam abſolutam.

1.

Ad 2. conceſſa maiore, negando minorem: conuertitur enim homo in Deum, nedum medio aliquo actu ordinis ſupernaturalis; ſed etiam medio habitu gratiæ, & charitatis, vt colligitur manifeſtè ex paruulis baptizatis, in quibus datur ante baptiſmum peccatum originale, quod pendet intrinſecè à voluntate primi parentis, & tamen iuſtificantur iſti ab huiuſmodi peccato, ſine vlla dependentia à voluntate propria, vel primi parentis: ergo ſimiliter poterit adultus qui peccauit mortaliter iuſtificari ab huiuſmodi peccato, per omnipotentiam Dei, ſine vlla dependentia à voluntate iſtius adulti.

2.

Ad vltimam. Reſp. conuerſionem nedum voluntariam & liberam: ſed etiam inuoluntariam, & nullo modo liberam, aduerſari auerſioni liberæ, vt patet ex eo qui ex hypotheſi conuerſus eſſet ad Occidentem libere; hic enim ſi contra propriam voluntatem conuertatur ad Orientem ab aliquo, diceretur vere conuerſus ad Orientem, & auerſus ab Occidente, ergo qui peccauit libere poterit per omnipotentiam Dei auerti ab huiuſmodi peccato, & conuerti in Deum, tanquam in vltimum finem, ſi ei infundatur gratia, & charitas, per omnipotentiam Dei, quo in caſu diceretur hic conuerſus in Deũ, ſine vlla dependentia à propria voluntate.

3.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum vnum peccatum ſinè alio deleatur.

DOCET D. Thom. vnum peccatũ mortale nunquam poſſe deleri ſine alio, qua de re nulla eſt Dubitatio; dicitur enim Ezechiel. 18. *Si impius egerit penitentiam, impietas hæc non nocebit ei*: & apud D. Auguſtinum de vera, & falſa penitentia, cap. 9. traditur impietatem infidelitatis eſſe expectare dimidiatam ſalutem à Deo, cuius verba ſunt: *Totum hominem ſanauit in ſabbatho, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit: indicans penitentem, oportere ſimul dolere de omni crimine orto in anima, & corpore: Scio enim Deum inimicum omni criminoſo. Quomodo qui vnum crimen reſeruat, de alio recipiet veniam? Sinè amore Dei conſequeretur indulgentiam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam: hoſtis enim Dei eſt, dum offendit perſeueranter. Quædam ſiquidem impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam, iam enim foret ſinè penitentia inuenire gratiam.*

Ezech. 18.

Auguſt.

2. Deinde gratia gratum faciens ſeu charitas, opponitur ex æquo maculæ cuiuſuis peccati mortalis, de lege communi, vt fatentur omnes in tractatu de gratia: at peccatum mortale, quantumuis minimum, nequit remitti in nobis ſine infuſione gratiæ, & charitatis, vt colligitur ex Tridentino, ſeſſione 6. citata, cap. 7. dicitur enim illic cauſam formalem noſtræ iuſtificationis à peccato mortali, eſſe gratiam, & charitatem.

3. Denique, Chriſtus in hac vita mortali conſtitutus, verus Deus, & verus homo neminem ex parte, ſed in ſolidum curauit, vt conſtat manifeſte de ſeruo Centurionis, *Matth.* 8. de filia Cananææ: *Matth.* 15. & de Socru Petri, *Luc.* 14. ità interpretes D. Thom. hoc loco omnes.

Corollariũ. Ex quo colligitur, neminem poſſe dolere de vno peccato mortali, vt oportet, à ſe commiſſo, quin etiam doleat virtute, & eminenter de ceteris aliis omnibus mortalibus à ſe commiſſis: tum quia in omni peccato mortali reperitur ratio offenſæ Dei; penitentia autem dicit deteſtationem peccati ſub ea ratione, qua eſt offenſa Dei: tum quia penitentia: ſemper eſt coniuncta cum dilectione obedientiali Dei, ſi fuerit hæc perfecta penitentia: at ratio dilectionis obedientialis poſita eſt in eo, quod quis ità diligit Deum, vt velit in omnibus, & ſingulis obſequi, & deteſtari ea omnia quæ ſunt eidem ingrata, & inuiſa: cum igitur peccatum quodlibet mortale ità ſit Deo ingratum, & inuiſum, vt ſoluat amicitiam eiuſdem reſpectu creaturæ, ſequitur, &c.

Mouetur quæſtio. Sunt autem qui hoc loco quærant, *An per omnipotentiam Dei fieri poſſet vt vnum peccatum mortale remittatur ſine alio.*

Non poteſt remitti vnũ peccatum mortale abſque alio.

Ceterum illorum opinio videtur indubitata: quę aſſerit id fieri non poſſe, ſtante hac hypotheſi, quod peccatum mortale remittatur per ſolam infuſionem gratiæ, & charitatis, & quod peccatum ſoluat amicitiam, inter Deum, & creaturam quæ peccauit lethaliter. Primo, quia repugnat vnum, & eumdem eſſe ſimul gratum, & ingratum, iuſtum, & iniuſtum: at ſi vnum peccatum remittitur, hic iuſtus erit, & Deo gratus: habebit enim gratiam, & charitatem, vt ſupponimus, erit etiam iniuſtus, & ingratus, ſi cetera peccata mortalia commiſſa non remittantur: ſupponimus autem peccata iſta non remitti, ſed tantum vnum mortale: ergo cum ea quæ manifeſtam dicunt repugnantiam, nequeant à Deo fieri, non poterit quis iuſtificari ab vno peccato mortali, quin iuſtificetur à ceteris omnibus aliis quæ commiſit.

2. Deinde, ſupponimus peccatum mortale non poſſe remitti ſine collatione gratiæ, & quin ſequatur amicitia inter Deum & creaturam, quæ peccauit mortaliter: at diximus repugnare vnum & eumdem eſſe gratum, & ingratum: ergo. ità plerique Recentiores hoc loco. Longe tamen aliter ſentiendum eſt de pœna debita peccatis mortalibus; hæc enim de poteſtate Dei abſoluta poſſet relaxari, reſpectu vnius peccati non remiſſa pœna alteri peccato mortali debita: neque enim pœnæ iſtæ ſunt inter ſe neceſſario connexæ.

Poteſt pœna debita vni peccato remitti ſine alterius remiſſione.

Deinde, qua facilitate Iudex abſoluit reum à crimine vno, ſine aliis: eadem, & multo potiori iure illud ipſum facere poteſt Deus.

Tertio, vna cenſura, excommunicationis verbi gratia, poteſt remitti altera retenta, vt conuenit inter omnes: ergo poterit condonari pœna vnius & non alterius.

Obiectio. Dices, pœnam debitam cuilibet peccato mortali eſſe æternam: ergo nequit dimitti reſpectu vnius, quin remittatur reſpectu alterius.

Solutio. Reſpondeo, antecedens eſſe verum, ex eo tamen non poteſt aliquid colligi contra noſtram ſententiam: nam licet pœna cuiuſlibet peccati mortalis ſit æterna, eſt tamen hæc magis, vel minus intenſa, iuxta condignitatem culpæ commiſſæ, ac proinde quo plutibus quis conſtringitur peccatis mortalibus, eo quoque intenſius punitur, & ſeuerius apud inferos; ac proinde dantur illic pœnæ omnino variæ, & diuerſę, quæ cum non dicant inter ſe neceſſariam connexionem, poſſet vna, altera retenta condonari.

Obiectio 2. Obiicies ſecundo, contra id quod diximus vnum peccatum mortale per omnipotentiam Dei non poſſe remitti ſine alio: Peccata habere ratione debiti: poteſt autem remitti vnum debitum abſque alio: ergo & vnum peccatum ſine alio.

Solutio. Reſpondeo, vnum debitum ſine alio poſſe remitti, quando debita contracta ſunt in pecunia; aut etiam in aliis rebus ſenſilibus: minime vero quando debita ſoluunt gratiam & amicitiam. Certum autem eſt ex ſuppoſitione noſtra quodlibet peccatum mortale perdere gratiam, & deſtruere amicitiam Dei.

Obiectio 1. Dices, fieri poteſt vt quis agat ſimul in ſtatu peccati originalis, & actualis mortalis, poterit ergo Deus remittere peccatum originale ſine actuali mortali.

Solutio. Reſpondeo, negando conſecutionem: æquè enim intrinſece pugnat peccatum originale, quàm actuale mortale cum gratia, ac proinde non minus neceſſe eſt ad peccati originalis remiſſionem gratiam infundere, quàm ad hoc vt peccatum actuale mortale remittatur: conſtitutus enim in peccato originali, licet actu proprie non ſit à Deo auerſus, tanquam ab vltimo fine, eſt tamen ab eo auerſus habitu; habitualis autem iſta auerſio tolli non poteſt ſine vel actuali conuerſione, vel habituali.

Obiectio 2. Dices rurſus: Nihil impedit quominus Deus cleuet intellectum alicuius ad viſionem diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, & quin conſeruet voluntatem creaturæ iſtius in ſtatu peccati mortalis: ergo.

Solutio. Reſpondeo, de lege communi fieri non poſſe, vt quis videat diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, & eamdem non amet perfectiſſime, ac proinde quin remittatur huic omne peccatum mortale, quod commiſit. Non eſt tamen negandũ quin de poteſtate Dei abſoluta poſſit aliquis videre diuinam eſſentiam, etiamſi nulla ratione amet eamdem creatura, quæ ex hypotheſi illã videt: nam poteſt Deus negare ſuum concurſum voluntati iſtius creaturæ qui tamen eſt ſimpliciter neceſſarius, ad hoc vt voluntas amet Deum clare viſum, licet concurrat Deus cum intellectu iſtius creaturæ, ad hoc vt videat diuinam eſſentiam: at cum peccata habeant pro ſubiecto immediatam ipſam voluntatem, non poterit Deus efficere, vt vnum deſtruatur altero remanente ob rationes allatas paulo ante.

vitioſi retineant: quamobrem docet D. Thom. in fine corporis articuli, non manere habitus iſtos vitioſos, ſecundum modum habitus, ſed tantum ſecundum modum diſpoſitionum; facultas enim quæ in nobis datur ad male operandum propter hos habitus, temperatur, imo facillimo negotio ſuperatur media gratia obtenta per penitentiam, & medio auxilio ſpeciali Dei quod datur in omni homine iuſtificato, ex eo quod ſacramentum penitentiæ ſuſcepit, aut actum contritionis exercuit.

ARTICVLO VLTIMO docet, nedum per ſacramentum penitentiæ: ſed etiam per virtutem penitentiæ deleri peccata. An autem remiſſio peccati detur prius in homine, quàm gratia gratum faciens; & item, An actus contritionis ſit à gratia actuali, vel habituali, explicatur à pleriſque hoc loco. Ceterum primum illud fuit à nobis examinatum ar. 5. quæſt. proxime antecedentis D. Thom. Poſtremum autem tractari conſueuit in 1. 2. quæſt. 113. quo loco docuimus nos, contra Thomiſtas, & vt videtur contra D. Thomam hoc loco, & quæſtione proxime citata, actum contritionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem obtinendam, eſſe ſemper à gratia actuali; non autem habituali: repugnat enim diſpoſitionem produci effectiuè à forma cuius eſt diſpoſitio.

QVÆSTIO LXXXVII.

De remiſsione peccatorum venialium.

ARTICVLVS PRIMVS.

An remiſsio venialium poſsit eſſe ſine penitentia.

DVBITATIO PRIMA.

An ratio peccati conueniat peccatis venialibus, non minus quam mortalibus.

Ratio peccati competit venialibus.

CONCLVSIO. *Ratio peccati verè & propriè conuenit venialibus culpis.* Primo, quia de venialibus culpis enunciatur vox (*peccatum*) in ſacris literis, vt conſtat ex doctrina patrum, & Conciliorum ad Pſal. 31. Pſalm. 31. maxime vero ad hæc verba. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum:* contendunt enim locum hunc nedum de peccatis mortalibus, ſed etiam de venialibus eſſe intelligendum, vt conſtat ex gloſſa ad hunc verſiculum: 1. Ioan 1. locus item 1. Ioannis 1. *Fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra*, explicatur de peccatis venialibus in Concil. Milcuitano cap. 6. 7. & [illegible]mo & locus hic cap. 2. eiuſdem epiſt. *Ipſe eſt* D. Auguſt. *propitiatio pro peccatis noſtris*, intelligitur à D. Auguſtino de peccatis venialibus, tractatione 1. in epiſtolam iſtam canonicam Ioannis, his verbis: *Non tantum præterita, ſed etſi qua forte contraximus in hac vita, quia non poteſt homo quamdiu carnem gerit non habere vel leuia peccata. Sed ipſa leuia, quæ dicimus, nolis contemnere, ſi contemnis, quando appendis, expaueſce quando numeras.* & Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. particulam iſtam orationis Dominicæ; *Dimitte nobis debita noſtra*, docet intelligendam eſſe de peccatis venialibus. *Licèt enim in hac mortali vita*, inquit, *quantumuis ſancti & iuſti in leuia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant: non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Matth. 6. Trident.

Deinde, materia remota ſacramenti penitentiæ ex dictis quæſt. 80. huius partis ſunt peccata commiſſa poſt baptiſmum: at inter hæc computantur peccata venialia, imo Conc. Tridentinum ſeſſione 14. decernit materiam ſufficientem ſacramenti penitentiæ eſſe peccata venialia. 2.

Tertio, peccatis venialibus tam vere reſpondet pæna aliqua, quam mortalibus, ex illo; *Secundum delictum erit & plagarum modus*; & rurſus. *Quantum glorificauit ſe, tantum date illis tormentum, & luctum*: at certum eſt rationem peccati vere competere culpis venialibus. Apoc. 18. 3.

Quarto, peccatum in communi ſumptum dicitur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, aut, vt alij volunt, *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*; at definitiones iſtæ competunt culpis venialibus; datur enim auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam in peccato veniali, licet non tamquam ab vltimo fine, quemadmodum datur in peccato mortali, ſed aliqua ratione, & indebita, velut à legiſlatore: & illud idem dicendum eſt de conuerſione ad creaturam: indubitatum eſt etiam peccatum veniale eſſe, *vel dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*; non quidem ſimpliciter, & abſolute; hoc enim competit ſolis peccatis mortalibus, ſed aliqua ratione, & modo aliquo indebito. 4.

Denique, tranſacto actu peccati venialis, vere quis dicitur peccator, & manere in peccato: ergo. ità communiter omnes in tractatu de peccatis.

Obiectio. Dices, ſi peccatum veniale eſſet propriè, & formaliter peccatum, ſequeretur peccatum hoc relinquere maculam, cuius tamen oppoſitum docet D. Tho. 1. 2. q. 89.

Solutio. Reſpondeo, D. Thom. propterea negare peccatum veniale relinquere maculam poſt ſe, quod exiſtimet rationem maculæ peccati poſitam eſſe in priuatione nitoris, & pulchritudinis ſpiritualis, ſeu gratiæ, & charitatis: certum autem eſt peccatum veniale non deſtruere in nobis gratiam & charitatem.

Mutauit ſententiam D. Thom. Ceterum opinionem iſtam mutauit, ſeu potius emendauit D. Thom. articulo ſecundo huius quæſt. fatetur enim peccatum veniale imprimere maculam, quod etiam docent plerique Recentiores.

Deinde, ratio maculæ cuiuſlibet peccati actualis eſt poſita, ex veriori ſententia, in actu peccati præteriti non emendati per penitentiam: ità vt ab iſto actu minimè emendato, denominetur quis formaliter peccator, tranſacto actu peccati: at peccatum veniale ſupponit intrinſece aliquem actum formaliter, & in ſe deordinatum: ergo relinquet etiam maculam poſt ſe.

Non eſt tamen exiſtimandum rationem peccati æqualiter reperiri, & eodem modo in peccato mortali, & veniali; nam peccatum mortale ſoluit Dei amicitiam, & deſtruit in nobis gratiam gratum facientem; quorum neutrum præſtat peccatum

Digitized by Google

conſiſtere poſſe cum gratia, & charitate intenſiſſima: ergo, &c. A

Effugium. Dices, propterea poſſe peccatum veniale deſtrui in homine iuſto per attritionem, vel quodlibet aliud bonum opus ab eo elicitum, quia quilibet ex iſtis actibus producit in nobis augmentum gratiæ, & charitatis: ac proinde ſequitur deſtructio peccati venialis.

Præcluditur. Ceterum effugium hoc in doctrina D. Thomæ, & Thomiſtarum, nihil planè dicit: vult enim D. Thomas & Thomiſtę gratiam augeri in nobis per ſolos actus intenſos, non autem remiſſos charitatis, & gratiæ.

Deinde, licet fateremur quibuſuis actibus, etiam maxime remiſſis charitatis, & gratiæ augeri B in nobis gratiam, & charitatem, quod videtur probabilius opinione contraria: idque quod minimum bonum opus factum in gratia libere, & in hac vita, vendicet ſibi aliquod certum præmium

2. Cor. 5. in cœlis: *Vnuſquiſque recipiet in corpore ſuo prout geſſerit ſive bonum, ſive malum*, & alibi: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*: & rurſus: *Qua ſeminauerit homo, hæc & metet*: non tamen propterea ſequeretur deleri peccatum venjale in homine

Idem 9. iuſto per quodlibet bonum opus ab eo factum: nam opus hoc bonum non contrariatur peccato veniali, quod tamen eſt neceſſarium ad deletionem eiuſdem.

Poſtrema partis concluſionis probat. Poſtrema pars Concluſionis probatur. Primo, C ordinatio quæ aduenit attritioni, aut cuilibet alteri bono operi facto ab homine in gratia conſtituto, nihil plane ponit formaliter & intrinſece in attritione, nec in alio quolibet bono opere: ſe enim habet ordinatio iſta ad iſtos actus extrinſece, vt eſt per ſe notum: ergo nequit hæc efficere vt peccatum veniale tollatur ab eo homine, qui actum attritionis exequitur.

Deinde, poſita iſta ordinatione non contrariatur attritio, aut bonum opus, peccato veniali: ergo.

Euaſio. Dices, poſita ordinatione iſta, acceptare Deum attritionem ad deletionem peccati venialis in homine iuſto. D

Non prodeſt. Sed contra, de his quæ pendent à ſola Dei voluntate, non aliter licet nobis opinari, quàm nobis innoteſcit per ſcripturas, per Concilia, vel ſanctos Patres: at nec ſcriptura, nec patres, nec item ſacra Concilia docent peccatum veniale remitti in homine iuſto, vel per attritionem, vel quodlibet aliud opus bonum ordinatum ab eo qui agit in peccato veniali ad deletionem iſtius peccati venialis.

Denique, peccatum veniale nequit deleri etiam in homine iuſto, niſi per aliquid quod ſit ſibi contrarium; at attritio etiam ordinata ad deletionem peccati venialis ab homine iuſto, conſtituto in peccato veniali, non opponitur peccato E veniali: nam vel opponeretur ex ſe, & ſua natura, vel lege, & ordinatione diuina. Primum dici non poteſt, quia peccatum veniale conſtat de facto cum actu attritionis, & cum quolibet alio bono opere elicito ab homine iuſto; neque item ſecundum: non enim poteſt aſſignari vllus locus ſcripturæ, Patrum, aut Conciliorum, in quo dicatur Deum ordinaſſe attritionem, vel quodlibet aliud opus bonum hominis iuſti contrariari peccato veniali: ità docet Vazquez Dubit. 2. ad hunc articulum D. Thom. & plerique alij Recentiores.

Obiectio. Obicies, authores contrariæ ſententiæ, inter quos præter ſuprà commemoratos ſunt Suarez diſp. 11. de penitentia, ſect. 3. concluſione 3. & Conick, diſp. 2. de penitentia, dub. 14. attritio, & item quælibet actio bona elicita ab homine iuſto, & ex hypotheſi conſtituto in peccato veniali, non minus cenſetur proportionata, ad hoc vt ſit meritoria remiſſionis peccati venialis, quàm augmenti gratiæ, & gloriæ, eſt enim res aliqua multo nobilior vita æterna, & item augmentum gratiæ, quàm ſit remiſſio peccati venialis; at attritio, & quælibet alia actio bona hominis iuſti, conſtituti in hac vita, eſt meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ: ergo & remiſſionis culpæ venialis.

Solutio. Reſpondeo, negando maiorem: ad hoc enim vt aliqua actio hominis iuſti ſit meritoria præmij alicuius præter ſtatum viæ, libertatem, & gratiam gratum facientem, deſideratur promiſſio diuina de remuneranda actione meritoria, hoc, vel illo præmio, vt docuimus in tractatione de merito, cum multis Scholaſticis: Deus autem promiſit ſe remuneraturum quodlibet opus bonum libere factum ab homine in hac vita ex gratia, præmio vitæ æternæ; minimè verò promiſit Deus ſe remuneraturum, remiſſione peccati venialis, veluti præmio aliquo, attritionem, aut quodlibet aliud opus bonum hominis iuſti.

Deinde, ſi maior illa propoſitio eſſet vera, ſequeretur, ſaltem contra Thomiſtas, contritionem, quæ facit vt quis iuſtificetur à peccato mortali, eſſe meritoriam primæ gratiæ: nam hæc contritio cenſetur eſſe meritoria vitæ æternæ, ex veriori ſententia, licet non ſit meritoria primæ gratiæ. Rurſus quodlibet bonum opus factum ab homine iuſto in hac vita conſtituto, haberet pro præmio ſibi perfectiſſimè adæquato vitam æternam, augmentum gratiæ, & imminutionem pœnæ temporalis peccatis commiſſis debitæ: ergo cum repugnet vnam, & eamdem rem numero actionem vendicare ſibi duo præmia: omni ex parte adæquata, quodlibet opus bonum hominis iuſti, non poterit habere pro præmio remiſſionem peccati venialis in quo agit.

Explicatur propoſitio: qui meretur maius mereri minus. Ad id verò quod ſubiungunt in confirmationem propoſitionis maioris: Qui meretur maius, mereri etiam minus: remiſſionem autem peccati venialis eſſe quid minus quàm ſit vita æterna, & augmentum gratiæ.

Reſpondeo, propoſitionem iſtam, qui meretur maius, mereri & minus, eſſe veram, quando maius & minus ſibi inuicem ſubordinantur, ſeu quando ſunt eiuſdem ordinis, & generis.

Ceterum remiſſio peccati venialis, & meritum augmenti gratiæ, & gloriæ non ſunt eiuſdem ordinis, nec ſibi neceſſario ſubordinantur: nam augmentum gratiæ, & gloriæ, poſſunt eſſe ſine remiſſione peccati venialis, & ex opinione Thomiſtarum, remiſſio peccati venialis de facto datur in nobis ſine vllo augmento gratiæ, & gloriæ, putà quando contingit hæc medio actu aliquo contritionis, quàm maximè remiſſo.

Obiectio 2. Obicies ſecundo, quodlibet bonum opus factum ab homine in gratia conſtituto, eſt ſatisfactorium pro peccatis, præſertim ſi bonum hoc opus fuerit pœnale, & laborioſum: ergo erit hoc etiam remiſſorium culpæ venialis in omni homine iuſto.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: nam opus laborioſum, & pœnale numquam remittit in homine pœnam tempora-

Digitized by Google

omnia, facit vt peccatum veniale deſtruatur in nobis; hæc autem perfectio explicatur à nobis per iſtam propoſitionem conditionatam: Dolerem de peccatis venialibus commiſſis, ſi peccata venialia commiſſa venirent in mentem.

Excitatur quæſtio.

ROGABIS, *Qua ratione peccatum veniale remittatur in iuſtis per actum contritionis.*

Reſoluitur deleri peccatum veniale meritorie non phyſicè.

Reſpondeo, *Deleri tantum per actum contritionis meritorie, non autem phyſicè.* Primo, quia Deus ſolus remittit in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, ex illo Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.*

1. Iſaiæ 43.

Deinde, quia ſi peccatum veniale tolleretur in homine iuſto, per contritionem phyſicè, ſequeretur prius eſſe deletum in nobis peccatum veniale, quàm daretur in nobis gratia gratum faciens; quod tamen videtur aduerſari Concilio Tridentino, ſeſſione 6. cap. 7. dicitur enim illic cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ eſſe gratiam, & charitatem.

2.

3. Tertio, eadem ratione remittitur in iuſtis peccatum veniale per contritionem, qua mortale peccatum in illis qui iuſtificantur à peccato mortali: contritio ſiquidem ſe habet ad remiſſionem quorumcumque peccatorum in ratione cauſæ condonantis peccata omnium conſenſu: at peccatum mortale numquam remittitur in eo qui iuſtificatur ab eo per contritionem, niſi moraliter; non enim producit hęc gratiam gratum facientem phyſicè, ſed ſolus Deus, ſacramenta, humanitas Chriſti, & ſacerdos qui ſacramentum adminiſtrat; quæ gratia gratum faciens ſimpliciter eſt neceſſaria ad remiſſionem culpæ mortalis, de lege communi: ergo, cum in hoc caſu contritio deſtruat tantum peccatum mortale moraliter, illud idem erit dicendum de peccato veniali.

4. Denique, actus contritionis formalis, vel virtualis ideo deſtruit peccatum veniale in iuſtis; quia hæc contritio eſt diſpoſitio quædam lege diuina requiſita ad remiſſionem culpæ venialis: ergo remittit culpam venialem tantum moraliter: ità communiter Scotiſtę, & item Nominales, contra Thomiſtas.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, *An concedendum ſit de actu contritionis, quod ſit meritorius de condigno remiſſionis culpæ venialis in ſanctis & iuſtis hominibus.* Sunt igitur qui putent hominem iuſtum medio actu contritionis de condigno mereri remiſſionem culpæ venialis: ità Azor. lib. 4. Inſtit. Moral. cap. 10. & plerique alij Recentiores.

Ceterum opinio iſta in rigore loquendi non videtur admittenda. Primo, quia meritum, & præmium, ſunt neceſſario à duabus cauſis, quarum altera meretur, altera vero præmium rependit: hoc autem dici non poteſt ſi fateamur iuſtum, quando exequitur actum contritionis, mereri remiſſionem peccati venialis, in quo ex hypotheſi agit; nam remiſſio peccati venialis debetur quaſi connaturaliter actui contritionis, elicito ab homine iuſto, in hac vita conſtituto, liberè.

Confirmatur hæc minor. Remiſſio peccati venialis, comparata cum actu contritionis, eſt quaſi effectus formalis contritionis: effectus autem formalis ità eſt à cauſa formali, vt hic à nulla alia eſſe poſſit in hoc genere cauſæ: ergo. Si tamen per rationem iſtam loquendi nihil aliud velint authores iſti, quàm dari condignitatem aliquam inter remiſſionem peccati venialis & actum contritionis elicitum ab homine iuſto, nihil vetat quominus fateamur actum contritionis poſſe dici meritorium de condigno remiſſionis culpæ venialis: qua ratione videntur explicandi auctores illi qui ità loquuntur.

Actus contritionis meritorius de condigno remiſſionis peccati venialis.

DVBITATIO TERTIA.

An peccata venialia remittantur in altera vita, & qua ratione.

Opinio negans & fundamenta.

1. SVNT qui partem negantem tueantur; idque quod remiſſio peccati venialis nequeat eſſe niſi in eo ſtatu, in quo meritum, & ſatisfactio ſuum habent locum: at in altera vita nullus eſt locus meriti, & ſatisfactionis. Ioan. 9. quippe dicitur: *Venit nox*, id eſt mors, *quando nemo poterit operari*: & Eccleſiaſt. 14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam tuam*, &c. Ioan. 9. Eccl. 14.

2. Deinde, ſancti Patres docent mortem in hominibus eſſe illud idem, quod fuit caſus in Angelis: ità Damaſcen. libro ſecundo de fide, capite 14. imo D. Auguſtin. in primam Canonicam Ioannis contendit, fruſtra poſtulari veniam poſt mortem illius culpæ, quæ non fuit in hac vita mortali remiſſa: at certum eſt Angelos poſt lapſum non potuiſſe conſequi remiſſionem vllius plane culpę, quantumuis minimæ: ergo neque homines id aſſequentur. Damaſc. D. Auguſt.

3. Denique, facilius quiliber labitur in peccatum, quàm poſſit ab eo reſurgere; atqui fatentur omnes eum qui ex hac vita deceſſit in gratia, non poſſe vlla ratione peccare: ergo neque poterit etiam ab vllo plane peccato reſurgere.

Peccata venialia remittuntur in altera vita.

CONCLVSIO 1. *Peccata venialia verè remittuntur in altera vita, patà in illis omnibus iuſtis, in quibus de facto dantur peccata iſta venialia poſt mortem.* Primo, quia dicitur Matth. cap. 12. *Si quis peccauerit in Spiritum ſanctum non remittetur ei* (ſcilicet hoc peccatum) *neque in hoc ſeculo, neque in alio*: ergo in altera vita quædam peccata remittuntur, vt recte obſeruat Gregorius ad hunc locum; neque enim aliter Chriſtus diceret; *Non remittetur neque in hoc ſeculo, neque in alio.* 1. Matth. 12.

2. Deinde, Eccleſia eodem plane modo orat, quo credit; oratio ſiquidem eſt cultus aliquis Deo debitus: at in officio pro defunctis precatur Eccleſia Deum, vt remittat culpas mortuis in charitate, vt conſtat ex iſta oratione: *Abſolue quæſumus Domine animas ab omni vinculo delictorum*, &c.

3. Tertio, nihil repugnat quo minus iuſtus aliquis moriatur cum complacentia actuali peccati venialis: ergo remittetur culpa hæc in altera vita; non enim remittitur pro eo tempore, quo hic viuit, repugnat namque culpam aliquam remitti tamdiu, quamdiu adeſt eius actualis complacentia: ergo. Conſequutio probatur: Qui deceſſit in actuali complacentia peccati venialis in charitate, non repetet cœlos; nam dicitur Apocalyp. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*, neque item deſcendet ad inferos; infernus enim non debetur iuſtis & in charitate conſtitutis, neque item culpa hæc venialis perſeuerabit in æter- Apoc. 21.

Digitized by Google

pta, vel ex actionibus; vel doctrina eorum, qui agunt apud inferos: ergo. Vide de hac re D. Tho. art. 11. quæst. 7. de malo.

2. Ad secundam, respondeo, istis testimoniis probari culpas mortales non posse remitti in altera vita; minime vero veniales.

Vltima. Ad vltimam, hominem in hac vita constitutum facilius labi in peccatum, quàm ab eo resurgere idque quod peccatum sit à nobis solis; resurgere, vero à peccato magis est à Deo, quam à nobis: ex

2. Cor. 3. illo Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*: in purgatorio tamen facilius est resurgere hominem à peccato veniali; quàm in peccatum veniale incidere, idque quod Deus nolit permittere eum, qui agit in purgatorio, aut etiam in cœlo labi in vllam plane culpam, quantumuis minimam: vult autem agentem in purgatorio consequi remissionem peccati venialis, in quo agit idque quod aliter fieri nequeat, vt hic conse-

Apoc. 21. catur, & repetat cœlos, ex illo; *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.*

Secunda quæstio. ROGABIS 2. Qua ratione anima constituta in purgatorio, & quando consequatur remissionem peccati venialis, in quo agit.

Dissoluitur. Respondeo, id accidere in illo eodem instanti temporis, in quo anima existit in purgatorio, & assequitur perfectissime suum statum: in hoc ergo instanti temporis intelligit se commaculari peccato veniali, ac proinde elicit actum dilectionis Dei super omnia, & actum detestationis istius peccati, quatenus est Dei offensa, qui actus opponuntur isti peccato veniali, ac proinde destruitur mediis istis actibus peccatum hoc veniale: ità docet Azor. lib. 4. Instit. Moralium, cap. 14.

ARTICVLO 2. Docet D. Thom. peccata venialia remitti in nobis sine infusione gratiæ, saltè aliquando, idque cõformiter suis principiis: nam peccatũ veniale, & gratia non opponuntur.

Deinde, gratia est necessaria ad remissionem culpę mortalis tantũ. Tertio, quia ex eiusdem D. Thom. doctrina, charitas non intenditur in nobis, neque item gratia, perquoslibet actus meritorios sed tantum per solos intensos.

Non remittitur vnquam veniale peccatum viatori absque infusione gratiæ. Ex nostra nihilominus doctrina art. 1. explicata, constanter asserendum est, numquam remitti in nobis pro eo tempore quo sumus in hac vita mortali, peccatum veniale, sine infusione gratiæ, vel augmento eiusdem.

Deinde, peccatum veniale extra sacramenta numquam remittitur in nobis sine penitentia formali vel virtuali: at posita penitentia virtuali, vel formali sequeretur infallibiliter in nobis productio, vel primæ gratiæ, vel certe augmenti eiusdẽ: est enim penitentia dispositio ad quam infallibiliter subsequitur gratia.

3. Tertio, peccatũ veniale tollitur per sacramenta; posita tamen attritione de peccatis commissis: at sacramenta infallibiliter producunt in nobis gratiam remotis impedimentis, omniũ consensu.

Denique, quilibet actus bonus elicitus ab homine iusto libere, & in hac vita, est meritorius augmenti gratiæ & gloriæ, vt suppono tanquam certissimum, ex tract. de merito.

Rationes D. Thom. infirmæ. Rationes autem D. Thom. vel nihil, vel parum admodum probant, nam vltima falsa est: prima autem, & secunda tantum conuincunt hominem non posse iustificari à peccato mortali, sine infusione gratiæ; & præterea peccatum veniale, & gratiam non opponi inter se, absolute, & simpliciter loquendo, quod nos vltro concedimus; non tamen probant rationes istæ peccatum veniale remitti in nobis pro eo tempore, quo sumus in hac vita mortali sine infusione gratiæ, & charitatis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Virum venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ.

DVBITATIO PRIMA.

An sacramentalia, & qua ratione deleant peccata venialia.

1. Sententia. DVæ sunt hac de re extremæ sententiæ: altera contendit peccata venialia remitti ex opere operato, ac proinde illo pene modo, quo sacramenta producunt in nobis gratiam: ità sentiunt Sotus in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. Canus in relectione de sacramentis, parte prima, ad sextum, & lib. 13. de locis Theologicis, cap. 13, ad nonum Thomas Vvaldensis tomo tertio de sacramentalibus, titulo 4. & plerique alij Recentiores.

Fundamentum. Probatur primo, quia sancti patres verbis expressis docent, aspersionem aquæ lustralis, recitationem orationis Dominicæ, confessionem generalem, & cetera sacramentalia, habere vim sanctificandi & purificandi peccata venialia: ità docet

D. Augustin. D. Augustin. in Enchiridio ad Laurentium, cap. 71. *De quotidianis autem, inquit, breuibus, leuibusque peccatis, sinè quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satis facit. Eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cœlis, qui iã patri tals regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* & Epist. 108. ad Seleusianam, & lib. 50. homiliarum, vltima homil. & lib. de vtilitate penitentię, cap. 2. & Concilium Toletanũ IV. c. 9. & 10. Idem docet Alexander huius nominis primus, & quintus à D. Petro Pontifex Maximus, referente Gratiano de consecratione dist. 3. can. *Aquam*, de sumptione vero Eucharistiæ: idem dicitur in can. *Cum omne*, de consecrat. dist. 2. de confessione generali, id ipsum affirmant Scholastici, maxime vero D. Th. hoc loco, Bonauent. Albert. Magnus, Richard. & communiter alij in 4. dist. 21. de eleemosyna: idem tradunt D. Augustin. in Enchiridio cap. 72. & 73. & in canon. *Medicina*, & can. *medicamentum*, & can. *quamobrem*, ex Ambrosio, Hieron. & Chrysost. desumptis, dist. 1.

Toletan. Gratian.

Deinde, in can. proxime cit. *Aquam*, dicitur quod aqua lustralis habeat vim purificandi, & sanctificandi, nobiliori aliqua ratione, quàm habuerit antiquitus aspersio cineris vitulæ: at certũ est aspersionẽ cineris vitulæ in veteri Testamẽto purgasse quodammodo peccata Iudæorum. 2.

Tertio, si sacramentalia habeant tantum vim sanctificandi impetrando aut excitando in nobis contritionem, & motus aliquos pietatis, vt volunt authores secundæ sententiæ, frustra numerabuntur nouem, vel decem tantum sacramentalia: nam cogitatio de gaudiis paradisi, vel de pœnis inferni, vel de tremendo Dei iudicio, vel 3.

Digitized by Google

denique de morte, maiorem habet vim excitandi in nobis contritionem, dilectionem Dei ſuper omnia, & ceteros actus pietatis, quàm habent ſacramentalia: ergo.

Denique, ea eſt omnium Catholicorum plane exiſtimatio, vt credant ſibi remitti peccata venialia per aſperſionem aquæ luſtralis, per confeſſionem generalem, per recitationem Orationis Dominicæ, & ſic de aliis: ergo.

Secunda ſententia. Secunda ergo ſententia explicatur ſequentibus concluſionibus, hoc vnico tamen prius annotato: ſacramentalia, ſcilicet, referri nouem, vel decem communiter à Scholaſticis: Sex priora continentur hoc verſiculo.

Sacramentalia nouem. *Oratio, tactus, edam, confeſſus, dans, benedicens.* Per primam particulam ſignificatur Oratio Dominica: per ſecundam, aſperſio aquæ benedictæ: per tertiam, ſumptio ſanctiſſimi ſacramenti, aut, vt alij volunt, ſumptio panis benedicti: per quartam, confeſſio generalis: per quintam, largitio eleemoſynæ: per vltimam, benedictio Abbatis, vel Abbatiſſæ, vel populi, facta ab Epiſcopo titu aliquo ſolemni. Præter hæc referuntur inter ſacramentalia vnctio ſacra; ex toto titulo de ſacra vnctione, pectoris tunſio, pio aliquo motu celebrata, & denique ieiunium religioſum.

Sacramentalia non remittunt venialia peccata. 1. CONCLVSIO 1. *Sacramentalia non remittunt peccata venialia per ſe & ſua natura, neque proximè & immediatè.* Primo, quia non habet vim Eccleſia inſtituendi certa, & determinata aliqua ſigna, quæ poſſint per virtutem aliquam ſibi inditam certè, & infallibiliter remittere vllam plane culpam: æqualis ſiquidem poteſtas deſideratur ad hoc vt quis certa iſta ſigna conſtituat, & ad hoc vt per ſeipſum proxime, & immediate peccata remittere poſſit: at certum eſt Eccleſiam non poſſe proxime, & immediate, per ſeipſam remittere vlla plane peccata certo, & infallibiliter; hoc enim competit ſoli Deo: vt colligitur Eſaiæ 43. ex illo Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas, propter me.*

Secunda ſententia reſponſio. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, factam fuiſſe Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata indiſtincte, & indeterminate, nedum per ſacramenta, ſed etiam ſine ſacramentis, vt colligi videtur ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Refelluntur. 1. Ceterum reſponſio hæc parum admodum dicit. Primum, quia docebimus in tractatione de confeſſione, loco proxime citato Ioann. factam fuiſſe poteſtatem remittendi peccata dependenter à ſacramento penitentiæ.

2. Deinde, quia licet verum ſit pœnam temporalem peccatis debitam, ſine ſacramentis auferri in nobis per Indulgentias, ac proinde extra vſum cuiuſlibet ſacramenti; certum tamen eſt peccata venialia remitti per ſacramentum penitentiæ, ex Tridentin. ſeſſione 14. capite 5. & nos docuimus in antecedentibus, extra vſum ſacramentorum peccata venialia deleri per contritionem tantum, quæ habet actum hunc coniunctum: *Dolerem de peccatis venialibus, ſi hæc venirem in mentem.*

3. Tertio, Eccleſia numquam hactenus explicauit peccata venialia deleri certo, & infallibiliter, aut etiam ex opere operato per ſacramentalia: argumento igitur eſt Eccleſiam non habere poteſtatem annectendi vim aliquam rebus quibuſdam certo & infallibiliter remittendi peccata venialia.

4. Rurſus; peccatum veniale extra vſum ſacramentorum non remittitur ſine contritione virtuali, vel formali, & medio vſu ſacramentorum; numquam etiam tollitur ſine attritione: ergo ſacramentalia per ſe, & ſua natura numquam remittunt in nobis peccata venialia proxime, & immediate.

Denique, peccata venialia relinquunt maculam ex veriori ſententia; at macula iſta nequit deleri per ſola ſacramentalia, cum hæc non producant aliquid in nobis proxime, & immediate, neque item ex ſe, & ſua natura, ac proinde neque ex vi ſuæ inſtitutionis.

Sacramentalia non delent peccata venialia ex opere operato. CONCLVSIO 2. *Sacramentalia non delent peccata venialia, ex opere operato.* Primo, quod delet peccatum veniale ex opere operato id facit certo, & infallibiliter, idque ex inſtitutione diuina, vt conſtat in tract. de ſacramentis in genere: atqui ſacramentalia, non delent peccata venialia certo, & infallibiliter ex inſtitutione diuina: ſunt enim hęc non à Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtituta, etiam ex opinione authorum contrariç ſententiæ.

Deinde, inter ſacramentalia adminiſtranda, & conficienda non vtitur Eccleſia verbis abſolutis, ſed deprecatiuis; vt conſtat ex ritu conficiendæ aquę luſtralis.

Tertiò, propterea fatentur omnes ſolum Chriſtum eſſe authorem ſacramentorum, quia eiuſdem eſt inſtituere inſtrumenta practica, & efficacia gratiæ, cuius eſt producere gratiam; ſolius autem eſt Chriſti producere gratiam: ergo cum peccata venialia numquam remittantur in nobis, pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, ſine infuſione gratiæ; ſacramentalia non delebunt in nobis peccata venialia ex opere operato; ità enim eſſent hæc ſigna practica, & efficacia gratiæ.

Quarto, ſi ſacramentalia delerent peccata venialia ex opere operato, ſequeretur hominem iuſtum inter dormiendum poſſe conſequi remiſſionem peccati venialis, putà ſi ei applicaretur aqua luſtralis, quæ eſt vnum ex ſacramentalibus; at illatio iſtius maioris defendi non poteſt: fatentur namque omnes cum D. Auguſt. eum, *qui fecit neſcientem, non iuſtificare niſi volentem*; iuſtificatur autem hic ex hypotheſi à peccato veniali. D. Auguſt.

Denique, ſi opinio contraria eſſet vera, ſequeretur ſacramentalia eſſe inſtrumenta noſtrę iuſtificationis; qui enim conſequitur veniam peccati venialis, iuſtificatur ab huiuſmodi peccato veniali, & quidem conſequendo gratiam gratum facientem, ſaltem pro eo tempore, quo contingit in hac vita: at illatio maioris eſt contra communem ſententiam, quæ aſſerit ſacramenta eſſe tantum inſtrumenta efficacia, & practica noſtræ iuſtificationis.

Sacramentalia remittunt in nobis peccata venialia, impetrando contritionem veram virtualem, vel formalem, & excitando in nobis pios aliquos affectus, ex quibus ſequitur in nobis vera deteſtatio peccati venialis. CONCLVSIO VLTIMA. *Sacramentalia impetrando contritionem remittunt peccata venialia.* Primo, quia ſacramentalia delent peccata venialia vel ex opere operato, vel ex opere operantis, ſeu, quod idem eſt, ex ſe, & ſua natura, & quatenus ſunt talia ſigna à nobis adminiſtrata; vel dignitate perſonæ, quæ conſequitur huiuſmodi ſacramentalia: at primum dici non poteſt ex Concluſione proxime antecedente: ergo.

Deinde, non poteſt aliter explicari qua ratione ſacramentalia remittant in nobis peccata venialis,

nialia : ità D. Thom. hoc loco, Petrus à Soto, de penitentia, lectione 18. §. ex his intellige. Suarez diſputatione 15. ſectione 4. & Vazquez ad hunc articulum, & Eſtius in quartum ſententiarum, diſtinctione prima. §. 15. Conick, tomo primo de ſacramentis quæſtione 71. articulo tertio dubio vnico, concluſione ſecunda, & tertia, & plerique veteres Alenſis 4. partis, quæſtione 15. membro tertio articulo 4. Bonauent. diſtinctione 21. Richard. diſtinctione 16. Gabriel ibidem, lect. 4.

Fundamenta. 1. ſent. diſſoluũtur.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. ex illis omnibus locis potius confirmari noſtram, quam contrariam ſententiam : nam dicitur illic tantum quod peccata venialia remittantur per recitationem orationis Dominicæ, per aſperſionem aquæ luſtralis, & ſic de aliis ; non additur autem id fieri ex opere operato, neque item per ſe & ſua natura aut proxime & immediate : imo dicitur illic verbis expreſſis, quod Eccleſia ità oret ; *Precamur vt hac aqua ſit nobis ſalus mentis, & corporis*, ac proinde impetrando potius, quàm alio modo remittit aqua benedicta peccata venialia.

1.

2. Ad ſecundam, illo eodem modo, quo ad primam.

3. Ad tertiam, ſacramentalia habere maiorem vim, quàm habuerint antiquitus ceremoniæ illæ veteris Teſtamenti : iſtæ enim nullam conferebant ſanctitatem oppoſitam peccato, ſed tantummodo legalem, vt docuimus in tract. de ſacramentis in genere : ſacramentalia vero conferunt ſanctitatem aliquam oppoſitam peccato veniali : ceterum impetrando veram penitentiam in nobis ex dignitate Eccleſiæ, quæ ſacramentalia iſta ad huiuſmodi effectum producendum inſtituit.

Vltim.

Ad vltimam reſpondeo : eam eſſe rudiorum, & ſimplicium exiſtimationem, minime vero eruditorum, vt credant ſe purgari à peccatis venialibus, hoc ipſo quod vtantur ſacramentalibus; hæc autem ſacramentalia ideo ſunt tantum nouem, vel decem, quod non plura ſint vel ab Eccleſia inſtituta, vel certe vſu, & conſuetudine recepta.

DVBITATIO VLTIMA.

An per ſacramenta tollantur peccata venialia, & qua ratione.

VIDETVR per ſacramenta non deſtrui peccata venialia; hæc enim tolluntur tantum per ſua contraria: at ſacramenta non contrariantur peccatis venialibus : nam complacentia peccati venialis ſtare poteſt cum quolibet ſacramento, & cum effectu eiuſdem, qui cenſetur eſſe gratiæ collatio.

Sacramenta peccata venialia deſtruere poſſunt.

CONCLVSIO 1. *Quodlibet ſacramentum nouæ legis, peccata venialia in nobis deſtruere poteſt.* Primò, hoc videtur indubitatum, de Baptiſmo, ex illo Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: peccata autem venialia ſunt quædam inquinamenta: locus hic explicatur communiter à patribus de baptiſmo.

1.

Ezech. 36.

Baptiſmus.

Deinde, idem baptiſmus delet omnia peccata ante huius ſuſceptionem commiſſa ; aufert etiam à nobis impedimentum omne, quod facit ne vitam æternam conſequamur, vt colligunt Doctores ex illo Marc: 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalus erit*, &c. at peccatum veniale eſt vnum ex impedimentis, quo arcemur à vitæ æternæ conſecutione, vt colligitur ex illo Apocalyp. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum* : Illud idem demonſtratur de penitentia, ex capite 20. Ioann. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, & adhuc expreſſius ex Tridentin. ſeſſione 14. capite 5. dicitur enim illic materiam ſufficientem ſacramenti penitentiæ eſſe peccata venialia, ac proinde tam vere quis abſoluitur ab iſtis, quàm à mortalibus medio ſacramento penitentiæ.

2.

3.

2.

Marc. 16.

Apoc. 21.

Penitentia. Ioan. 20.

Euchariſtia.

De Euchariſtia hoc idem appatet ex eodem Tridentin. ſeſſione 13. cap. 2. & ex canon. *Species*, de conſecratione, diſtinctione 2. Idem docent omnes Theologi, cum D. Thom. tertia parte, quæſt. 89.

Extrema Vnctio. Iacob. 5.

De extrema vero Vnctione hoc etiam manifeſte innoteſcit ex capite 5. Canonicæ Iacobi. *Si in peccatis fuerit dimittentur ei* ; & ex Concil. Tridentin. ſeſſione 14. capite ſecundo, de extrema Vnctione : dicitur enim illic de ratione iſtius ſacramenti eſſe, gratiam Spiritus ſancti conferre, per quam tolluntur, ſi quæ ſuperſunt peccata in nobis, per particulam autem, *peccata ſi qua*, &c. intelliguntur peccata venialia: Sacramẽtum item hoc adminiſtratur cõfeſſis, & ſacraméto Euchariſtiæ refocillatis, peccata autem ſi quæ dantur in iſtis, hęc ſunt vt plurimum venialia.

Tria alia ſacramẽta.

Denique hoc deducitur ex forma ſacramenti extremæ Vnctionis quæ eſt iſta: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum peccaſti.*

De ceteris vero tribus ſacramentis hoc idem comprobatur, ex eo, quod faceantur omnes, in tractatione de ſacramentis in genere ; ſacramenta nouę legis nedum eſſe ritus, & ceremonias aliquas, quibus Deus colitur à nobis, ſed etiam eſſe pharmaca quædam, & medicamenta, quibus Deus medetur malis, & peccatis noſtris.

Deinde, quia nulla poteſt aſſignari ratio cur Euchariſtia, quæ eſt ſacramentum viuorum, remittat peccata venialia, minime vero Ordo, Confirmatio, & Matrimonium quæ ſunt etiam ſacramenta viuorum.

Sacrãmẽta deſtruunt ex opere operato peccata venialia.

CONCLVSIO 2. *Sacramenta nouæ legis deſtruunt in nobis peccata venialia, ex opere operato : ac proinde proxime, & immediate.* Primo, quia conuenit inter omnes ſacramenta nouæ legis producere gratiam ex opere operato : ergo illud idem erit dicendum de remiſſione venialium: nam peccata venialia non remittuntur in nobis conſtitutis in hac vita, per ſacramenta, ſine collatione gratiæ, vt conſtat ex dictis.

1.

Deinde, ſacramenta nouæ legis faciunt quod ſignificant ex opere operato, id eſt virtute ſacraméti, ſeu quatenus ſacramentũ hoc nobis adminiſtratur; at ſacraméta aliqua verbis expreſſis ſignificant peccatorum remiſſionem, vt patet ex verbis iſtis: *Abſoluo te: Baptizo te: Indulgeat tibi Deus quidquid per viſum peccaſti.*

2.

Tertio, ſacramenta iuſtificant nos à peccato veniali, vel ex opere operato, vel opere operantis: non ſecundum, quia dantur innumeri qui debite, & vt oportet conſequuntur ſacramenta, qui tamen non experiuntur in ſeipſis motus aliquos quibus deteſtentur peccata venialia commiſſa : argumento igitur eſt ſacramenta ex opere operato deſtruere peccata venialia.

3.

Denique, remittunt hæc peccata mortalia ex opere operato; contritio siquidem seu attritio in homine constituto in statu peccati mortalis, est dispositio ad quam infallibiliter subsequitur gratia producta per sacramentum, & per quam iustificatur homo formaliter à peccato commisso. Duæ istæ Conclusiones sunt D. Thom. hoc loco: Soti in quartum, distinctione 15. quæstione secunda, articulo tertio. Azor. capite 11. libro 4. Institutionum Moralium, & plurium Recentiorum.

Solutio rationis dubitandi. Ad rationem vero dubitandi resp. Sacramenta spectari duobus modis: primo vt sunt res sensiles aliquę. Deinde, vt sunt à Christo institutæ ad peccati venialis deletionem: priori modo non opponuntur peccatis venialibus, bene tamen posteriori.

Sunt autem duæ conditiones simpliciter necessariæ ad hoc vt aliquis iustificetur à peccato veniali, medio sacramento aliquo nouę legis: prima, vt quis accedat ad minus attritus ad sacramentum hoc suscipiendum: deinde, quod velit vti sacramento hoc veluti re aliquæ à Christo instituta, ad deletionem peccati venialis: ac proinde positis istis duabus conditionibus quodlibet sacramentum nouæ legis opponitur peccato veniali.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum venialia sine mortali remittantur.

DVBITATIO PRIMA.

An veniale coniunctum cum mortali in hominibus constitutis in hac vita, remittatur sine mortali.

Ratio dubitandi. 1. RATIO dubitandi prima, est, Peccatum veniale remitti potest sine infusione gratiæ, vt constat ex constitutis in purgatorio; diximus enim peccatum veniale remitti in istis sola condonatione, sine infusione alicuius gratiæ: ergo poterit etiam remitti sine mortali cui coniungitur in hominibus constitutis in hac vita.

2. Deinde, ratio peccati venialis posita tota est in deordinatione actus, & in reatu, seu obligatione ad pœnam temporalem: at potest constitutus in statu peccati mortalis reparare hæc duo, sustinendo scilicet & sustentando in seipso pœnam istam temporalem & exercendo aliquem actum doloris de huiusmodi peccato veniali commisso; præsertim cum fateantur omnes, constitutum in peccato veniali posse aliquid mereri de congruo.

3. Tertio, nihil repugnat quominus moriatur aliquis cum solo originali, & peccato veniali: ergo consequeretur hic remissionem peccati venialis, sine mortali originali: nam homini isti nulla debetur pœna sensus æterna, sed tantum temporalis, nempe propter culpam venialem. Denique vnum peccatum veniale potest remitti sine alio veniali, ergo & sine mortali.

CONCLVSIO. *Peccatum veniale numquam remittitur sine mortali, quando coniunctum est cum illo in hominibus in hac vita constitutis.* *Peccatum veniale non remittitur nisi remisso peccat. mort. cui coniungitur.*

Primo, quia peccatum veniale numquam remittitur in nobis, pro eo tempore quo sumus in hac vita, nisi posita perfecta contritione virtuali, vel formali, vel non nisi posita attritione, & alicuius sacramenti administratione, ex dictis, articulo primo huius quæstionis: at numquam datur in nobis contritio perfecta, vel attritio cum sacramento, quin sequatur infusio gratiæ, & charitatis in nobis: ergo cum gratia opponatur cuilibet peccato mortali; peccatum veniale coniunctum mortali numquam remittitur in nobis, sine mortali. *Probat. 1.*

Deinde, nullus actus hominis agentis in peccato mortali admittitur à Deo ad effectum aliquem ordinis supernaturalis; ità vt numquam rependat mercedem aliquam supernaturalem Deus, propter opus factum ab homine constituto in statu peccati mortalis: at remissio peccati venialis est res aliqua spiritualis, quæ de facto conducit ad vitam æternam obtinendam: ergo hæc numquam, &c. 2.

Tertio, tota ratio cur Deus probet, & acceptet actiones nostras ad vitam æternam, vel ad commodum aliquod spirituale, est gratia, & charitas, ex illo Apostoli; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* ratio item propter quam Deus improbat actiones nostras est peccatum mortale: in quo agimus, ex illo Ecclesiastici 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* & ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ergo cum supponamus peccatum veniale coniunctum esse mortali, non remittetur hoc, sine mortali. 3. Rom. 8. Eccl. 1. 34. 1. Cor. 13.

Quarto, si culpa venialis remitteretur sine mortali in hac vita, sequeretur furtum leuissimum, aut mendacium iocosum, & minime pernicioſum posse remitti, retento odio proximi: nam duo illa sunt peccata venialia; hoc autem est mortale: at hæc dici non possunt, cum Matth. 6. dicatur. *Nisi quis remiserit peccata proximo suo, non remittet nobis Deus peccata nostra:* peccatum autem veniale vere peccatum est. 4. Matth. 6.

Denique, numquam remittitur in nobis vlla plane culpa, nisi posita sufficienti auersione à creatura, & conuersione debita in Deum optim. Max. ac proinde, nisi interueniente satisfactione legitima; at tamdiu quamdiu quis agit in peccato mortali non est sufficienter auersus à creatura, neque item sufficienter conuersus ad Deum, vt est per se notum; neque item legitimam ponit satisfactionem pro vlla plane culpa, quantumuis minima: ergo neque etiam consequetur remissionem vllius culpæ venialis. 5.

Aliquorũ responsio. Respondent aliqui, constitutum in peccato mortali, & veniali simul posse duobus modis satisfacere: altero conciliando sibi diuinam gratiam, & amicitiam, altero sustinendo in seipso pœnam aliquam pro leui aliqua culpa commissa, qua tolerata consequenter remittitur culpa illa leuissima: priori modo nequit constitutus in peccato mortali, & veniali satisfacere remanente culpa mortali, & veniali; bene tamen posteriori modo.

Refellitur. Cetertùm responsio hæc est planè impertinens; nam fieri nequit vt satisfactio, etiam prò re minima, accepretur à Deo, nisi habuerit hæc

ortum ab homine grato, & accepto Deo, vt docent omnes in tractatu de satisfactione: at supponimus hominem istum in quo datur peccatum veniale, & mortale, satisfacere Deo, ac proinde necessariò satisfactio hæc, cum sit ab homine ingrato Deo, inutilis plane erit ad remissionem culpę venialis: hæc Conclusio est D. Thom. hoc loco. Bonauent. Richard. in 4. dist. 21. & 16. Albert. dist. 21. art. 9. & multorum Recentiorum ad hunc articulum D. Th.

Aduersariorum rationes dissoluuntur.

Ad rationes verò contrarias respond. Ad 1. peccatum veniale, absolute loquendo, remitti posse sine infusione gratię, etiam in hominibus constitutis in hac vita: de facto tamen nunquam remittitur in nobis sine collatione gratię, saltem pro eo tempore quo sumus in hac vita: diximus enim peccatum hoc veniale nunquam remitti in nobis, nisi intercedente contritione, vel attritione cum sacramento; posita autem contritione, vel attritione cum sacramento, subsequitur infallibiliter infusio gratię in nobis, ex doctrina communi.

2. Ad 2. resp. Præter deordinationem actus, & reatum, seu obligationem ad pœnam, reperiri in omni peccato veniali maculam, quæ nunquam aufertur à nobis constitutis in hac vita, sine infusione gratię, & charitatis; ac proinde nunquam remittetur peccatum veniale coniunctum mortali, nisi destruatur etiam mortale. Addo, cum qui agit in peccato mortali, & veniali simul posse mereri aliquid de congruo, & item posse dolere de peccato veniali in quo agit, neutrum tamen ex istis duobus acceptari à Deo ad delectionem peccati venialis, idque quod meritum hoc de congruo, & dolor de peccato veniali, habeant ortum ab homine ingrato, & inuiso Deo: diximus autem neminem posse satisfacere, aut mereri aliquid apud Deum de condigno, nisi fuerit hic in gratia, & in charitate constitutus.

3. Ad 3. Pertinere ad suauem Dei prouidentiam impedire, ne quis moriatur cum solo originali, & veniali peccato: non enim constitutum est receptaculum aliquod in quo recipiantur animæ, vbi fuerunt à corpore separatę, quæ commaculantur tantũ peccato originali, & veniali. Resp. 2. stante hac hypothesi, quod moriatur aliquis in peccato originali, & veniali tantum, peccatum veniale non esse remittendum, sed permansurum in isto homine tempore infinito, illo eodem modo, quo fatentur communiter omnes, peccata venialia nulla ratione deleri in damnatis, sed torqueri propter huiusmodi peccata venialia in æternum.

Vlt. Ad vltimam. Vnum peccatum veniale posse remitti sinè alijs cum quibus coniungitur; minime veto sine peccato mortali, cum quo coniungitur ex hypothesi: Ratio diuersitatis est, quia non datur res aliqua opposita ex se, & sua natura, quæ infundatur ad cuiuslibet peccati venialis remissionem: datur autem gratia, siue charitas, quę ex æquo opponitur quibusuis peccatis mortalibus, & quæ de lege communi necessariò infunditur, ad hoc vt peccatum aliquod mortale remittatur.

Obiectio. Dices, peccatum veniale non posse remitti quin restituatur feruor charitatis; hic autem opponitur cuilibet peccato veniali.

Solutio. Respondeo, feruorem charitatis non esse positum in aliqua re impartibili, & indiuisibili, aut etiam in vna aliqua entitate reali; hic enim consurgit ex multis auxilijs, quæ dantur homini constituto in gratia; ad hoc vt expedite & prompte & quàm maxima cum facilitate actus charitatis exerceat; ac proinde quando remittitur vnum peccatum veniale, licet restituatur feruor charitatis, non tamen restituitur in solidum, seu quod idem est, perfectissime, totaliter & adæquate, quando dantur alia peccata in nobis: sed tantum inadæquate, ac proinde vnum peccatum veniale recte deletur sine alio.

DVBITATIO VLTIMA.

An peccatum veniale remittatur in damnatis, & item pœna quæ debetur huic peccato veniali.

CONCLVSIO. *Neutrum ex istis deletur in damnatis, etiamsi supponamus peccata quibus non redeberetur pœna ista, remissa fuisse in hac vita.* Primò, quia in inferno nulla est redemptio: si autem vel peccatum veniale, vel pœna aliqua temporalis remitteretur apud inferos, daretur illic aliqua redemptio. *In damnatis non remittitur p. v. nec pœna.*

Respondent authores contrarię sententię, in inferno nullam dari redemptionem, ad hoc vt aliquis liberetur ab eo, aut etiam ad hoc vt in gratiam, & amicitiam Dei redeat; dari tamen aliquam redemptionem, ad hoc vt quis consequatur remissionem culpę leuissimę, vel etiam ad hoc vt liberetur à pœna tantum temporali. *Solutio aliquorum.*

Verum, responsio hæc est plane impertinens; neque enim fieri potest vt aliquis liberetur ab vlla plane culpa, vel pœna, etiam minima, nisi per applicationem meritorum Christi, ex illo; *Sinè me nihil potestis facere, nisi palmes manserit in vite*, id est Christo, *non potest fructũ ferre*. Ioan. 15. at damnatis nulla ratione applicantur merita Christi, vt colligunt plerique ex cap. 25. Matth. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*: quo loco particula (discedite) significat omnem alienationem à communicatione meritorum Christi. Deinde, si culpa venialis, & pœna temporalis eidem debita relaxaretur in damnatis, sequeretur posse nos orare pro damnatis; imò Pontifex Maximus posset concedere Indulgentias in gratiam damnatorum; quæ tamen omnia sunt contra communem praxim; & præterea contra communem opinionem, quæ docet nulla habenda suffragia pro damnatis. *Reijcitur.* Ioann. 15. Matth. 25.

Alij verò respondent, peccatum veniale remitti apud inferos, non quidem medio aliquo actu honesto, & meritorio; sed sustinendo omnem pœnam debitam istis culpis venialibus, illo eodem fere modo, quo diximus animas constitutas in purgatorio satisfacere pro pœnis temporalibus sibi debitis. *Aliorum solutio.*

Ceterùm responsio hæc defendi non potest: repugnat enim stante lege diuina communi, pœnam debitam alicui peccato tolli, quamdiù manet culpa in homine; quemadmodũ enim prœmiũ debetur cuilibet merito, quatenùs meritũ est, ità pœna debetur culpę tamdiù, quamdiu culpa est: culpa autem venialis perpetuo manet in damnatis; in inferno quippe nulla est redemptio. Deinde, nullus est qui possit satisfacere Deo pro pœna quantumuis minima, nisi fuerit eidem amicus, vt supponimus tanquam certissimum ex tract. de satisfactione Christi: agentes autem apud inferos sunt Deo maximè inuisi, ex illo Oseæ 14. *Odio est Deo impius, & eius impietas.* *Exploditur.*

Quod verò diximus de culpis venialibus, illud idem aſſerendum eſt de pœnis temporalibus debitis damnatis propter peccata commiſſa, & remiſſa in hac vita; pœnę ergo iſtę nunquam terminabuntur apud inferos; idque propter cauſas proximè explicatas, & item quod nulla plane pœna debita peccatis remittatur, niſi per applicationem meritorum Chriſti: hæc autem nulla ratione communicantur damnatis, vt conſtat ex dictis: In hac Concluſione ſunt Altiſiodorenſis, lib.2. tract.18. cap.4. quæſt.3. Alenſis, 4.part. quęſt.15. memb.3. art.3. Albertus, in 4. diſt.21. art.8. & in Summa, parte 2. tractat.18. art.4. & D. Thom. in 4. diſt.21. quæſt.1. art.2. ad 4. & q.87. art.5 ad 2.& 3.1.2. Bonauent.Richard. diſtinctione proximè citata, lib.4.& Recent.alij.

Obiectio. Obijciunt authores contrarię ſententię, peccato veniali deberi tantum pœnam temporalem.

Solutio. Reſpond. hoc eſſe verum per ſe, per accidens tamen eidem debetur pœna æterna: quatenùs ſcilicet, contingit peccatum hoc veniale coniungi cum ſtatu damnationis æternę; facit enim damnatio æterna, vt nulla poſſit eſſe cum ea remiſſio culpę, vel pœnę, quantumuis minimę.

Replica. Inſtant, Deum eſſe iuſtiſſimum, & pugnare contra Dei bonitatem, & iuſtitiam exigere pœnam æternam propter culpam aliquam leuiſſimam, qualis eſt venialis. *Diſſoluitur.* Reſpondeo, exigere pœnam æternam propter culpam venialem ab homine damnato, non eſſe contra Dei bonitatem, & iuſtitiam; ſed contrà, hoc pertinere ad æquitatem iuſtitię diuinę, idque quod diximus repugnare de lege communi, vt pœna aliqua relaxetur remanente culpa cui debetur talis pœna; culpa autem venialis manebit in æternum in damnatis; ac proinde iuſtiſſime in æternum quoque hæc punietur.

Replica 2. Vrgent denique. Peccatum veniale non mutare ſuam naturam ex eo quod coniungatur peccato mortali, & ſtatui damnationis: ergo.

Enodatur. Reſpond. hoc eſſe veriſſimum; quia tamen contingit peccatum hoc veniale reperiri in homine damnato, ideo ratione iſtius circumſtantię nunquam remittetur peccatum hoc apud inferos, ac proinde nunquam deſinet quoque pœna eiuſdem.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per penitentiam dimiſſorum.

RESOLVO 1. docet peccata vtrìtè dimiſſa per penitentiam, nec quoad auerſionem à Deo, nec quoad conuerſionem ad creaturam redire per ſubſequentem culpam ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid, quatenùs, ſcilicet, virtute continentur in peccato ſubſequente.

DVBITATIO PRIMA.

An peccata ſemel dimiſſa redeant quoad culpam, maculam, vel pœnam, propter culpam aliquam mortalem ſubſequentem.

Status dubitationis aperitur. ANTEQVAM hæc Dubitatio explicetur. Aduerte non quærere D. Thomam, An idem neceſſariò peccatum quod commiſſum eſt, & quod per penitentiam fuit remiſſum, redeat propter peccatum aliquod de nouo commiſſum, comparatione actus; nam cum peccatum hoc conſiſtat in actione, & ex mente quorumdam motus etiam diuina virtute reparati non poſſit; nec etiam dubium eſſe poteſt, an hoc peccatum, ità ſpectatum redire queat; neque item vocat in dubium D. Thom. an eadem ſpecie culpa redire queat: nàm hæc omnia ſunt extra dubitationem conſtituta: qui enim v. g. aliàs vnum occidit hominem, poteſt poſteà condonato hoc peccato ſimile peccatum committere. Quæritur ergo, *An peccatum ſemel commiſſum, & remiſſum per penitentiam, ſuperueniente nouo mortali, redeat in ordine ad reatum, & obligationem pœnæ debitæ tali peccato.*

1. Sententia. De qua re ſunt duę ſententię. Prima, contendit culpas iſtas redire, & in ratione culpę, & maculę, & pœnę eiſdem debitę: ità Hugo à ſancto Victore de ſacramentis, parte 14. cap.19. Gratianus de penitentia, diſt.4. per multos canones, Magiſter diſt.22. hanc eamdem ſentit eſſe probabilem, neque audet alteram ex iſtis duabus ſententijs abſolutè definire: Præpoſitus apud Bonauent. diſt.21. lib.4. eamdem ſuſtinet opinionem. Probant 1. ex parabola Matth.18. *Fundamẽt.1.* in qua legitur debitum remiſſum ſeruo illi, qui erga debitorem ſuum, officium miſericordię negauit, propter huiuſmodi culpam fuiſſe ab eo repetitum, & ibidem ſubiungitur: *Serue nequam omne debitum remiſi tibi, quia rogaſti me, nónne oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* & paucis interiectis; *Sic faciet Pater meus, niſi remiſeritis vnuſquiſque fratribus veſtris.* Confirmatur. Ex hac parabola docet verbis expreſſis, D. Auguſt. lib.1. contra Donatiſtas, de baptiſmo paruulorum, peccata ſemel dimiſſa redire, & imputari homini propter ſubſequentem culpam.

Gratian. Matth.18. *Confirmatio.* D.Auguſt.

2. Deinde, in ſacris literis dicitur, Deum recordari peccatorum noſtrorum etiam poſt eorum remiſſionem, pſal.78. *Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum*, & pſal.108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* & 3. Regum, cap.17. Eliam ità alloquitur vidua, quæ eum hoſpitio exceperat: *Quid mihi, & tibi vir Dei? venìſti ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ.*

Pſal. 78. Pſal. 108. 3.Reg.17.

3. Tertiò, ſancti Patres verbis expreſſis docent peccata remitti per baptiſmum, & per cetera ſacramenta, propter tamen peccata ſubſequentia contendunt peccata dimiſſa redire: ità D. Auguſt. loco proximè cit. & epiſt.108. & lib.50. homiliarũ, homilia vltima, & plerique alij, quos citat Magiſter diſt.22. lib.4. D.Auguſt.

4. Quartò. Eodem modo recordatur Deus peccatorum dimiſſorum, & bonorum operum mortificatorum per peccatum ſubſequens, vt colligitur ex cap.18. Ezech. at docebimus quæſt. proxime ſequenti D. Thom. opera bona mortificata

Digitized by Google

tificata per ſubſequentem culpam, interueniente penitentia iſtius culpæ ſubſequutæ, redire & imputari nobis ad vitam æternam: ergo illud idem erit dicendum de peccatis remiſſis ſtante hypotheſi, quod peccatum aliquod mortale fuerit commiſſum. Denique, quod tegitur tantum, ſublato tegumento facilè conſpici poteſt: at peccata commiſſa teguntur tantum per penitentiam, ex illo; *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Secunda verò ſententia explicatur ſequentibus Concluſionibus.

Pſal. 31.

Nec quoad culpam, nec quoad pœnam redeũt peccata.

CONCLVSIO 1. *Peccata ſemel remiſſa non redeunt, etiamſi peccatum aliquod mortale fuerit poſtea commiſſum, nec quoad culpam, nec quoad macularn, nec denique quoad pœnam eiſdem debitam: ea tamen lege, quòd pœna iſta fuerit ſoluta ſimpliciter.*

1. Primò, quia dicitur Roman. 11. *Sinè pœnitentia enim ſunt dona Dei, & electio*; quod idem eſt ac ſi diceret Paulus; Nunquam penitere, aut penituiſſe Deum, ſe beneficium aliquod contuliſſe creaturæ rationali: remiſſio autem culpæ computatur inter maxima Dei beneficia.

Rom. 11.

2. Deinde, Ezech. 33. dicitur. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die fuerit conuerſus ab impietate ſua.* & cap. 18. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor amplius*: ergo peccata ſemel dimiſſa nunquam redeunt, alioquin impietas noceret impio poſt penitentiam peractam de proprijs culpis, & item Deus recordaretur peccatorum commiſſorum, quod tamen eſt contra locum proximè explicatum.

Ezech. 33. & 18.

3. Tertiò, in ſacris literis dicitur de peccatis noſtris quod perfectiſſimè remittantur, deleantur, & tollantur à nobis. pſal. 50. *Mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*, à peccato, ſcilicet, meo: & Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* & Ioan. 1. propterea dicitur de Chriſto: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; at hæc dici non poſſunt, ſi peccata dimiſſa redeant per ſubſequentem culpam.

Pſal. 50. Iſaï. 1. Ioan. 1.

4. Quartò, non iudicat Deum bis in idipſum neque punit; Naüm cap. 1. atqui ſi peccata ſemel dimiſſa iterum redirent, puniret Deus bis in idipſum: ergo.

Effugium. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, peccata ſemel dimiſſa per veram penitentiam non redire, ſi ſimpliciter, & abſolute peccata iſta fuerint remiſſa; ſecùs autem ſi non fuerint pleniſſimè, & totaliter dimiſſa: Deus autem per penitentiam nunquam remittit aliquod peccatum, niſi ſub iſta conditione, quod huiuſmodi peccatum commiſſum iterum non admittetur, aut niſi fuerit aliqua alia culpa lethalis commiſſa. Cæterùm reſponſio hæc eſt aperte contra ſacra Concilia, & item contra Scripturam: in Concil. ſiquidem Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. contritio definitur, *Dolor animi de peccatis commiſſis cum propoſito de cætero non peccandi.* Additur ibidem, contritionem cauſare in nobis remiſſionem peccatorum, nulla facta mentione de conditionibus illis, aſſignatis ab iſtis authoribus.

Præcluditur. Trident.

Deinde, repugnat locus ſupra cit. Ezech. 33. *Impietas Impij* &c. Item ſacerdos inter abſoluendum vices Chriſti ſuſtinet, omnium conſenſione, & tamen hic inter abſoluendum vtitur verbis iſtis: *Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*; ſecluſa omni plane conditione. Tertiò, ſi quis inter homines exigeret bis ſolutionem vnius, & eiuſdem debiti, hic cenſeretur iniuſtus: ergo illud idem eſſet de Deo dicendum, ſi imputaret nobis poſtquàm fuerunt ſemel debitè remiſſa, & pleniſſimè condonata, propter dignitatem penitentiæ, & ſatisfactionis noſtræ: Certum autem eſt Deum nulla ratione poſſe eſſe iniuſtum, ex cap. 6. Hebr. *Non enim iniuſtus eſt Deus*, &c. & alibi: *Tu cum ſis iuſtus, omnia iuſtè diſponis*: ità ſentiunt Patres, maximè verò Proſper Aquitanicus ad capitula Gallorum, reſponſione 2. *Qui recedit*, inquit, *à Chriſto, & alienus à gratia ſimul hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? ſed non in id quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter crimina poſtrema ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt debebatur.* & Gelaſius, referente Gratiano diſt. 4. de penitentia, cap. 24. *Diuina clementia*, inquit, *peccata dimiſſa in vltionem vlteriùs redire non patitur.* In hac re ſunt D. Th. art. 1. huius quæſt. & art. 3. Altiſiodorenſis lib. 4. ſuę Summę, tract. 6. cap. 6. quæſt. 1. Albertus in 4. diſt. 22. art. 1. Bonauent. art. 1. quæſt. 1. ad 2. Richard. art. 1. quæſt. 2. & 3, Palud. Gabriel, Dionyſius Carthuſ. & Thomas Argentinas, diſt. 22. Ioannes Medina codice de penitentia, quæſt. 9. Soto, lect. 7. de penitentia, & Dominicus Soto in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. Ægidius Coninck, diſp. 2. Dub. 18. de penitentia, Vazquez Dub. vnico ad 1. artic. huius quæſt. Suarez diſp. 13. ſect. 1. de penitentia, & Eſtius in 4. diſt. 22.

Ezech. 33. Hebr. 6. Sapiét. 12. Proſper Aquitan. Gratian.

Non redeũt peccata ſemel dimiſſa.

CONCLVSIO 2. *Peccata ſemel dimiſſa per penitentiam veram, nec redeunt, nec redire poſſunt in ratione culpæ, virtute increata, aut creata.* Probatur primo, quia ſi rediret virtute increata, Deus eſſet author peccati: at certum eſt Deum nec per ſeipſum, nec medio aliquo alio peccare poſſe: repugnat enim perfectionem ipſam deficere, ſeu peccare; Deus autem eſt ipſamet perfectio, ſeu rectitudo. 1.

Deinde, quod deſijt eſſe ſimplicite, virtute creata, idem numero reparari nequit; ex doctrina quippe D. Th. deſideratur ad id virtus infinita: at ſupponimus peccata remiſſa ſimpliciter deſijſſe in ratione culpæ, & maculæ: ergo. Confirmatur. A priuatione ad habitum non datur regreſſus, per penitentiam naturalem, ex doctrina Ariſtotelis communiter recepta: ergo neque idem numero corruptum ſimpliciter poterit reproduci virtute creata: ità ferè omnes authores proximè citati. 2. *Confirmat.*

Poſſunt redire peccata quoad pœnam.

CONCLVSIO VLTIMA: *Licèt peccata ſemel dimiſſa non redeant, nec redire poſſint quoad culpam: poſſunt tamen redire divina virtute, quoad pœnam eiſdem debitam, & quidem ſinè vllo vitio iniuſtitiæ.* Primò, quia illa cenſetur eſſe pœna debita peccato, quam Deus exigit à nobis propter peccata commiſſa, omnium cõſenſione: at nihil vetat quominùs Deus exigat ſecundo eaſdem pœnas propter aliquam culpam lethalem commiſſam. 1.

Deinde, potuit Dus condere legem, per quam indiceretur pœna duplex peccato, bis commiſſo. 2.

Tertio, ex hac Concluſione nihil plane ſequitur abſurdi: non enim propterea cenſeretur Deus iniuſtus, quia docuimus aliàs inter Deum & creaturam non dari iuſtitiam proprie dictam, neque item eſſet Deus propterea infidelis; ſupponimus namque quod eſſet lex ab eo lata de vindicandis peccatis bis commiſſis, geminatâ pœna, & idem ſupponimus de peccatis remiſſis interueniente noua aliq uaculpa. 3.

Digitized by Google

Satisfit rationibus aduersariorũ.

Ad rationes vero contrarias respondeo. Ad 1. ex illa parabola, tantum posse colligi peccata dimissa redire per subsequentem culpam, in ratione tantum circumstantiæ aggrauantis culpam commissam; non autem in ratione culpæ, vel pœnæ, maculæ, seu obligationis ad pœnam; & ità est intelligendus D. Aug. & illi qui citati sunt in confirmationem argumenti tertij; fauet istis quod parabola illa, sit tantum introducta à Christo in eum finem, vt doceret eum esse indignum beneficio aliquo, qui opera charitatis, & pietatis negauit fratri in necessitate constituto. Ex hoc autem non licet colligere peccatum dimissum redire per subsequentem culpam; licet dicatur in eadem parabola, debitum fuisse repetitum ab hoc seruo, postquàm fuit condonatum ipsi, neque enim omnia quæ referuntur in parabolis conducunt ad faciendam fidem, vel ad comprobandam veritatem aliquam, sed ea tantum quæ pertinent, & faciunt ad finem parabolę, vt communiter docent Patres.

2. Ad 2. Resp. probare tantùm Deum exigere pœnam aliquam temporalem à posteris, propter peccata parentum; non autem peccata parentum redire in ordine ad maculam, culpam, vel pœnam æternam: dicitur enim Ezech. 18. de pœna æterna, quod infligatur ei soli, qui peccauerit; Ezech. 18. *Anima*, inquit, *quæ peccauerit ipsa morietur*, id est, is qui peccauerit mortaliter morietur, id est, faciet iacturam gratiæ, & amicitiæ Dei; quæ facit vt anima viuat spiritaliter, & præterea incurret reatum pœnæ æternæ: pœnas autem temporales exigit Deus à posteris propter peccata parentum, vel remissa, vel condonata, interdum, sine vllo vitio iniustitię: sunt namque posteri pars aliqua parentum, ac proinde potest Deus iuste in istis vindicare peccata parentum, pœna tamen temporali tantum.

Replica. Dices, Ezech. 18. haberi: *Filius non portabit iniquitatem patris, anima quæ peccauerit ipsa morietur*: ergo.

Dissoluitur. Respond. testimonium hoc intelligendum esse de pœna æterna debita peccatis: ità vt sensus sit, *Filius non portabit iniquitatem*, id est, non damnabitur propter peccatum patris; vt manifestè colligitur ex verbis istis, quibus vtitur idem Propheta, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*; sensus siquidem est, eam animam esse tantùm spoliandam gratiâ, quæ peccatum commiserit, cum hoc tamen recte cohæret, vt pœna aliqua temporalis infligatur filio propter peccatum parentis.

3. *Solutio.* Ad 3. Responsum est in 1. argumento.

4. Ad 4. Non esse parem rationem inter opera bona mortificata per peccatum, & inter peccata perfectissimè remissa per penitentiam, nam peccata perfectissimè remissa per penitentiam, ideò nequeunt imputari secundò, ei qui peccauit, quoniam hæc fuerunt simpliciter, & totaliter sublata per penitentiam: bona verò opera in charitate facta non destruuntur simpliciter per peccatum mortale subsequens, sed tantum mortificantur per culpam subsequentem lethalem, ac proinde interueniente penitentia possunt hæc perfectissimè redire, & tribuere homini ius ad vitam æternam: quemadmodum faciebant antequam subsequeretur peccatum mortale.

Ad vltimam resp. peccata interueniente vera penitentia, nedum tegi, sed etiam simpliciter destrui; ità vt nullum plane supersit vestigium peccati commissi, in eo qui ex hypothesi egit penitentiam de huiusmodi peccato; ac proinde non posse peccatum hoc vllo modo redire, ad hoc vt imputetur homini: ità explicant Patres, maxime vero Hieronymus locum hunc Dauidis. *Et quorum tecta sunt peccata*, id est, simpliciter deleta, & sublata. Hieron.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ est secundum odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & denique dolorem de penitentia anteacta.

RES difficultates explicat hoc loco D. Thom. Prima est, an peccata remissa per penitentiam redeant, speciali aliqua ratione per quatuor ista peccata, *Odium fraternum*, *apostasiam à fide*, *contemptum confessionis*, & denique, *displicentiam de penitentia alias peracta*, quæ continentur duobus his versibus,

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

an inquam per ista peccata ratione ingratitudinis redeant peccata dimissa.

Opinio Scoti & Gabrielis, & fundam. 1. De hac re, non vna & eadem est omnium sententia: Scotus enim in 4. dist. 22. quæst. vnica: Gabri. quæst. vnica art. 2. post 3. Conclusionem, putant per quodlibet peccatum mortale commissum post iustificationem redire duplici titulo peccata ante remissa. Primùm, quia peccatum de nouo commissum est contra beneficium collatum in iustificatione.

2. Deinde, quia est contra promissionem factam eo tempore soli Deo, quilibet enim, dum sua peccata sacerdoti confitetur, promittit Deo peracta confessione se deinceps non peccaturum; ac proinde ex istorum authorum sententia videtur sequi, quodlibet peccatum mortale post iustificationem commissum, pertinere ad aliam speciem variam & diuersam ab ea, in cuius materia committitur ante omnem iustificationem: vt si peccatum committatur in materia furti, post confessionem, peccatum hoc nedum erit contra præceptum de non furando; sed etiam contra votum emissum in confessione de peccato deinceps non committendo: promisso siquidem hęc nouam aliquam inducit obligationem.

Refellitur præcedens opinio. Verùm sententia ista defendi non potest, quod attinet ad posteriorem partem, vt rectè obseruauit Ioannes Medina, quæst. 9. tit. de confessione: qui enim confitetur sua peccata, non emittit votum deinceps non peccandi, nullámque specialem inducit obligationem, siue fuerit hoc expressum, siue implicitum tantum. Ioannes Medina.

D. Th. sent. Secunda sententia, est D. Thom. hoc loco, per quatuor proximè commemorata peccata commissa post iustificationem à peccato mortali, speciali aliqua ratione redire peccata anteà dimissa, sunt enim hæc nedum contra beneficium in iustificatione collatum, sed etiam contra formam beneficij in eadem iustificatione collati: vt autem rem hanc explicet D. Thom. admonet in iustificatione impij quędam esse attendenda in ordine

Digitized by Google

Quædã ex parte Dei attenduntur, & quædã ex parte peccatoris.

ordine ad eum qui peccata remittit; & quædam in ordine ad eũ cui peccata remittuntur; ex parte Dei peccata remittentis hoc vnicum eſt conſideA randum, quod Deus benigne, & promptiſſime dimittit; quandocumque rogatur de hac re à peccatoribus; iuxta illud Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius: quoniam inuitus eſt ad ignoſcendum.*

Iſaiæ 55.

Ex hoc autem capite, pugnat contra formam beneficij collati in iuſtificatione odium fraternum; nomine ſiquidem odij fraterni, intelligimus peccatum illud, quo quis iniuriam acceptam à fratre non vult remittere, licet de hac re rogetur à fratre. Ex parte autem illius cui peccB cata condonantur, trés actus ſunt perpendendi: primus eſt motus fidei. 2. motus penitentiæ. 3. deſiderium confitendi peccata, ſeu confeſſio ipſa. Contra actum 1. pugnat ſpeciali ratione apoſtaſia à fide: nam quemadmodum fides facit vt quis moueatur ad ſuorum ſcelerum deteſtationem; ità etiam apoſtaſia à fide impedit ne quis cogitet de peccatis remittendis. Contra 2. verò actum pugnat diſplicentia de penitentia peracta; nam quemadmodum dolor de peccatis commiſſis cum propoſito deinceps non peccandi, vere deſtruunt peccata in ordine ad culpam, & penam æternam; ità etiam diſplicentia de penitentia ità peracta reuocat quantum poteſt peccata C præterita. Contra denique 3. actum pugnat contemptus confeſſionis: nam ſicut confeſſio facit vt peccata noſtra ſubijciantur clauibus Eccleſiæ; ità etiam contemptus confeſſionis impedit, quantum poteſt, exercitium clauium Eccleſiæ, ac proinde ne homines iuſtificentur per infuſionem gratiæ. Iſtis ergo modis docet D. Th. & communiter Thomiſtæ omnes hoc loco, & denique Sententiarij in 4. diſt. 22. per quodlibet ex quatuor iſtis peccatis redire peccata antea remiſſa; quia ſunt nedum contra beneficium in iuſtificatione conceſſum, ſed etiam contra formam beneficij, quod non contingit in remiſſione aliorum peccatorum. Non eſt autem exiſtimandum D circumſtantiam iſtius ſpecialis ingratitudinis, quæ reperitur in quatuor iſtis peccatis, efficere vt peccata iſta pertineant ad aliam ſpeciem, vt pluribus probat D. Thom. art. 3. idque quoniam reperitur in illis tantum vnum motiuum, non autem duo.

Deinde, conuenit inter omnes, quod ſi quis tempore quadrageſimæ non ieiunauerit in vigilia alicuius ſancti, occurrente eodem tempore, hunc non commiſſurum duo peccata mortalia, ſed vnum tantum.

Secunda difficultas hoc loco explicatur à D. Thom. in reſponſione ad 2. argumentum. Quærit autem in eo, An peccata venialia remiſſa per E penitentiam, redeant per peccatum de nouo commiſſum.

Quomodo redeant peccata venialia.

Reſpondet redire, eo nomine quod ſunt contra beneficium in remiſſione venialium conceſſum: non redire tamen in ordine ad culpam, vel penam: quæ reſponſio indubitata eſt. Primùm, quia diximus articulo præcedente peccata mortalia remiſſa non redire ſecundum maculam; nec ſecundum pœnam. Deinde, quod ſemel corruptum eſt, iterum redire non poteſt.

Tertiò, quia peccata venialia non ſunt contra legem, ſed præter legem, & non ſunt contra charitatem, quæ eſt finis legis. Addit tamen D. Thom. fieri non poſſe vt peccata venialia dimiſſa redeant perpeccatum de nouo commiſſum, ità vt hæc habeant rationem culpæ mortalis, idque quia ingratitudo commiſſa contra beneficium in remiſſione venialium conceſſum, non poteſt eſſe maior, quàm ſit ipſum beneficium: beneficium autem hoc non opponitur peccato mortali, ergo.

Tertia difficultas explicatur à D. Thom. in reſponſione ad 3. argumentum, in quo quæritur; *An grauius ſit peccatũ ingratitudinis commiſſum contra peccata remiſſa, quàm contra beneficiũ innocentiæ*: ſeu quod idem eſt, *An circumſtantia ingratitudinis contra peccata remiſſa, ſit grauior ea quæ commiſſa eſt contra beneficium innocentiæ.*

Peccatũ ingratitudinis contra peccata remiſſa grauius eo quod contra donum Innocentiæ.

RESPONDEO, *Peccatum ingratitudinis commiſſum contra peccata remiſſa, grauius eſſe peccato commiſſo contra innocentiæ donum.* Primò grauitas ingratitudinis non eſt ſemper ex præſtantia doni collati; ſed etiam ex indignitate illius cui dona iſta ſunt conceſſa: at maior indignitas reperitur in eo, cui peccata aliquando fuerunt remiſſa, quàm in eo cui datum eſt donum innocentiæ, nam is qui recipit donum innocentiæ eſt tantum indignus negatiuè; qui vero conſequitur remiſſionem peccati, eſt indignus poſitiuè. 1.

Deinde, gratitudo debet eſſe maior, quo maius eſt donum collatum; at donum remiſſionis peccati eſt maius dono innocentiæ, ratione ſaltem indignitatis illius, qui donum hoc conſequitur. 2.

Tertiò, plus demeretur is qui bis peccatum aliquod committit, quàm qui ſemel tantum: ergo, & qui ſemel plus quàm is qui nunquam peccauit. 3.

Obiectio.

Obijcies, donum innocentiæ maius eſſe dono remiſſionis peccati, propter hanc enim cauſam fatentur omnes D. Virginem maximum fuiſſe conſequutam à Deo beneficium, quod toto tempore vitæ nullum peccatum admiſerit: imò adſtruunt omnes beneficium hoc collatum D. Virgini maius eſſe beneficio collato D. Magdalenæ, cui tot & tanta fuerunt remiſſa peccata: ergo ſi contingat labi innocentem in peccatum, ingratitudo iſtius maior erit ingratitudine illius qui peccauit poſt adeptam remiſſionem peccatorum, hoc argumentum tanti fecit Bonauent. in 4. diſt. 22. & in 2. diſt. eadem, Gabriel, & quidam alij, vt fateantur ingratitudinem commiſſam ab homine contra donum innocentiæ, grauiorem eſſe ea quæ committitur contra remiſſionem peccati.

Solutio.

Ceterùm facilis eſt reſponſio ad hoc argumentum. Dicendum enim eſt ingratitudinem commiſſam contra donum innocentiæ abſolute ſpectatam, grauiorem eſſe ea quæ committitur contra donum remiſſionis peccati; ſi tamen ſpectetur indignitas quæ reperitur in illis quibus hæc dona conceduntur, ingratitudo commiſſa contra donum remiſſionis peccati, grauior eſt ingratitudine commiſſa contra donum innocentiæ: peccator ſiquidem quando ei culpæ remittuntur, poſitiue indignus eſt remiſſione peccatorum; cùm tamen is cui datur beneficium innocentiæ ſit indignus tantum negatiue: ità D. Thom. hoc loco.

Addo tamen, difficile eſſe ſtatuere quodnam ex iſtis donis ſit maius, licèt abſolute conſiderentur ſine vllis prorſus circumſtantijs, quæ teneant ſe ex parte eorum quibus conceduntur; nam cum hæc ſint à ſola Dei bonitate, & poſ-

Digitized by Google

ſint in infinitum creſcere, vix dici poteſt quod ſit maius, aut præſtantius.

Replica. Inſtabis, D. Auguſt. homil. 25. lib. 50. homiliarum affirmare non minùs teneri nos ad agendas gratias pro peccatis, quæ non commiſimus, quàm pro illis quorum remiſſionem conſequuti ſumus: ergo.

Diſſoluitur. Reſpond. ex hoc loco nihil colligi contra noſtram ſententiam: comparat enim D. Auguſt. donum præteritionis à peccato, & donum remiſſionis peccati, contenditque non minùs obligari nos ad agendas gratias pro vno, atque altero beneficio: cum hoc tamen recte cohæret, vt dignitas maior eſſe poſſit in vno, quàm in altero, ac proinde quod ratione iſtius indignitatis maius ſit beneficium vnum, altero.

ARTICVLVS TERTIVS.

Virum reatus peccati commiſſi poſt remiſſionem culparum mortalium, tantus ſit, quantus extitit reatus culparum remiſſarum.

Reſponſio negatiua. RESPONDET D. Thomas negatiue, de qua re nulla ſupereſt dubitandi ratio. Primùm, ingratitudo quæ reperitur in culpa de nouo commiſſa, non poteſt efficere, vt peccatum hoc pertineat ad aliam ſpeciem. Deinde, ſi ità res haberet, ſequeretur eum qui leuem aliquam culpam admitteret poſt remiſſionē peccatorum multorum mortalium, grauiùs peccare eo, qui peccatum aliquod grauiſſimum prima vice committeret; eſſet enim reus pœnę debitæ peccato quod de nouo cōmiſit, & itē pœnę debitæ peccatis dimiſſis: at conſequutio hęc eſt aperte contra illud Ezech. 18. *Si auerterit ſe impius*, &c. Ezech. 18.

Tertiò, licet maior ingratitudo non poſſit tolli ſine maiori dono, non tamen neceſſe eſt tantam eſſe ingratitudinem, quantum eſt donum: ergo licet fateremur donum remiſſionis peccati homini conceſſum, qui frequenter lapſus eſt in peccatū, maius eſſe eo quod conceditur ei, qui non ità familiariter lapſus eſt in peccatum; non tamen ideo ſequeretur iſtum arguendum eſſe maiori ingratitudine, aut reum eſſe maioris pœnę: dicimus enim art. 1. huius quæſt. circa idem beneficium poſſe duos inæqualiter peccare: imò D. Th. 1. 2. quæſt. 107. tradit plures gradus, & ſpecies gratitudinis.

Excitatur quæſtio. ROGABIS, *Quamobrem creſcat peccatum de nouo commiſſum propter circumſtantiam ingratitudinis remiſſionis peccatorum.*

Reſoluitur. Creſcit ingratitudo pro multitudine peccatorum. Luc. 11. Beda. RESPOND. PRIMO, *Creſcere mirum in modum, prout ſcilicet, peccata remiſſa ſunt in maiori, vel in minori numero, & item prout alia aliis ſunt grauiora*, vt manifeſtè colligitur ex 11. Luc. *Et fiunt nouiſſima hominis illius* (ſupple cui peccata remiſſa ſunt) *peiora prioribus*: vbi rectè adnotauit venerabilis Beda, verba iſta non tam eſſe explicanda, quam pertimeſcenda; certum eſt etiam augeri peccatum de nouo commiſſum, nedum propter beneficium collatum in remiſſione præcedentium peccatorum, ſed etiam propter alia quæuis dona, creationis, ſcilicet redemptionis, & ſimilium, vt manifeſtè colligitur ex eo Matth. 11. *Remiſſius* (inquit Chriſtus) *erit Sodomæ, & Gomorrhæ, quàm generationi illi in die iudicij*: loquitur autem de Iudæis, qui oblatum beneficium Euangelij recipere noluerunt; & cap. 12. eiuſdem Matth. ait contra eoſdem Iudæos propter hoc idem ingratitudinis peccatum: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt generationem iſtam*; ſolus autem Deus eſt qui certò ſciat quanta debeatur pœna peccato de nouo commiſſo propter circumſtantiam ingratitudinis, vt ſolus eſt qui perfectè peccata noſtra intelligit. Matth. 11. Idem 12.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ingratitudo cuius ratione peccata dimiſſa redeunt, ſit peccatum ſpeciale diſtinctum ab eo, quod de nouo committitur.

Ingratitudo in reditu p. non eſt ſpeciale peccatum. 1. RESPONDET D. Thom. negatiuè. Primùm, quia ſi peccatum hoc diſtingueretur numero à peccato quod de nouo committitur; ſequeretur neminem peccare, qui duo ad minùs peccata non committeret, alterum furti ex hypotheſi, ſi rem alienam inſcio Domino, & inuito acciperet, & præterea peccatum ingratitudinis contra beneficium collatum in iuſtificatione; at hęc ſuſtineri non poſſunt: peccatum ſiquidem debet eſſe volitum; qui autem de nouo rem alienam inuito Domino tollit, non cogitat, vt plurimùm, de beneficio collato in iuſtificatione.

2. Deinde, peccatum ingratitudinis, vt diſtinguitur à ceteris peccatis nunquam committitur ab homine, niſi ſub ratione formali contemptus benefactoris, vel beneficij, vt communiter docent Themiſtæ, 2. 2. quæſt. 106. & 107. at qui de nouo peccat non deſpicit Deum, tanquam benefactorem, ſub hac ratione formali: ergo.

3. Tertiò, ſequeretur in omni peccato reperiri odium Dei, & inobedientiam; nam nullus eſt qui peccet qui id non faciat ex eo quod minus diligat Deum, quàm par ſit, & item qui aliquam Dei legem non tranſgrediatur, cum peccatum ſit, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei: at odium hoc, & inobedientia, quæ reperitur in omni peccato, omnium conſenſione, creduntur eſſe circumſtantiæ aliquæ tantum, non autem ſpecialia peccata: ergo idem erit prorſus iudicium de ingratitudine in ordine ad beneficium iuſtificationis.

Obiectio. Obijcies, peccata commiſſa contra diuerſas leges, ſunt quoque paria, & diuerſa; neque minùs extat lex de gratijs agendis pro beneficijs acceptis, quàm de alijs actionibus ſanctis exercendis: ergo. Deinde, non eſt neceſſe ad hoc vt aliquis dicatur ingratus quod contemnat benefactorem ſub ratione benefactoris, ſed ſatis eſt ſi benefactorem offendat, vt patet exemplo illius qui in æde ſacra calicem conſecratum ſuffuratur, hic enim licet non cogitet de æde ſacra, aut de conſecratione calicis, reuera ſacrilegium, & non ſimplex furtum committit.

Solutio 1. Reſp. primò, peccatum ingratitudinis commiſſum ſub hac ratione formali, deſpiciendo, ſcilicet, benefactorem ſub ratione benefactoris, eſt ſpe-

Digitized by Google

Solutio 2. eſt ſpeciale peccatum. Reſpondeo ſecundo, eum qui in æde ſacra ſuffuratur calicem conſecratum, ſi neſciat eum eſſe conſecratum, nec potuerit ſcire, committere tantum materialiter ſacrilegium: eſt enim calix reuera ex hypotheſi conſecratus; formaliter autem committit tantummodo furtum, illo eodem modo, quo ſi ſacerdos aliquis proponeret ſpecies panis, & vini adorandas populo, antequam conſecraſſet, committeret is peccatum idololatriæ materialiter, non autem formaliter: non enim aliter adoraret populus ſpecies iſtas, niſi ſibi perſuaderet ſacerdotem præſtitiſſe ea quæ ſunt ſui muneris, & officij, ac proinde niſi crederet eum conſecraſſe: qui ergo peccatum de nouo committit cenſetur ingratus tantum materialiter, non autem formaliter; peccat enim contra Deum à quo innumera propemodum beneficia eſt conſequutus; cetertùm non agit contra Deum benefactorem, vt benefactorem, quod tamen neceſſe eſt ad hoc vt dicatur formaliter ingratus.

Mouetur quæſtio. ROGABIS, *An penitens teneatur ſeipſum accuſare apud ſacerdotem tam de ingratitudine, quàm commiſit, contra beneficium collatum in iuſtificatione, quàm de peccatis alias dimiſſis.*

Ratio 1. dubitandi. Ratio dubitandi eſt, debet ſacerdos agnoſcere grauitatem culpæ, tum vt debitam ſatisfactionem iniungat, tum vt remedium aptum contra huiuſmodi peccata præſcribat: at fieri non poteſt, vt hæc duo præſtet ſacerdos, niſi habeat perſpectam ingratitudinem, & item peccata anteà

2. dimiſſa. Deinde, peccata aliàs dimiſſa præbent vt plurimùm occaſionem de nouo peccandi: ergo quandocumque id acciderit peccata iſta erunt iterum confitenda.

Ingratitudo peccati non ratione, non eſt aperienda in confeſſione nec peccata dimiſſa. CONCLVSIO. *Ingratitudo qua committitur de nouo peccando contra beneficium in iuſtificatione conceſſum, non eſt neceſſario aperienda in confeſſione, neq; item peccata alias dimiſſa: licet hæc dederint occaſionem admittendi peccatum de nouo commiſſum.* Probatur, quia peccato ſemel ritè confeſſo non eſt neceſſe illud ipſum iterum confiteri.

Probatio 1. Deinde, circumſtantiæ illæ videntur tantum

2. aperiendæ in confeſſione neceſſariò, quæ immutant ſpeciem peccati, vt pluribus probabitur in quæſtionibus de Confeſſione, qualis non eſt circumſtantia ingratitudinis commiſſæ contra beneficium in iuſtificatione collatum.

3. Tertiò, hoc ipſo quod quis ſe accuſat de peccato poſt iuſtificationem commiſſo, accuſat etiam ſeipſum de iſta circumſtantia.

4. Quartò, non minùs augeſcit deformitas peccati per circumſtantias inobedientiæ, aut odij diuini, quæ reperiuntur in quouis peccato, quàm per circumſtantiam ingratitudinis contra beneficium in iuſtificatione collatũ; at nullus eſt qui teneatur circumſtantias iſtas inobedientiæ aut odij diuini, ſpecialiter confiteri: ergo.

5. Quintò, circumſtantia iſta nõ eſt ſpeciale peccatum, diſtinctũ à peccato de nouo commiſſo; ac tenemur tantum accuſare nos de peccatis quæ inter ſe tantum diſtinguuntur, ſubijciendo tamen numerũ eorumdẽ: ità D. Thom. 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. & cõmuniter Thomiſtę omnes ad hunc locũ.

Satisfit rationibus cõtrarijs. Ad rationes vero contrarias reſp. Ad 1. ſacerdotem poſſe iniungere debitam ſatisfactionem, & item poſſe præſcribere remedium ſatis aptum

1. ad hoc vt peccatum hoc non committatur, ſi nouerit peccatum ſub ratione ſpecialis peccati: nec eſt ad id neceſſe allequi omnes omnino circumſtantias cum quibus huiuſmodi peccatum commiſſum eſt; alioquin cum peccata interdum committantur inſtigante dæmone, interdum ex lectione alicuius, aut alterius libri, interdum ex inſpectione alicuius imaginis, interdum ex iſtis, & innumeris alijs cauſis, oporteret penitentem cauſas iſtis adaperire in confeſſione, quod tamen nullus hactenus dixit. Deinde, ad hoc vt peccatum tollatur, ſatis eſt ſi voluntas qua peccatum commiſſum eſt, ſufficientiſſime retractetur, & quod ſe accuſet de peccato, vt peccatum eſt commiſſum in particulari.

Ad 2. Reſp. peccata interdum dare occaſionem peccandi, non tamen eam ob rem neceſſe 2. eſt quod peccata iſta iterum explicentur in confeſſione, idque propter cauſas allatas in probatione Concluſionis. Deinde, quia facile poterit penitens grauitatem ſuæ culpę explicare ſacerdoti, ſi dixerit ſe frequenter aliàs lapſum eſſe in ſimilia peccata, quorum tamen abſolutionem conſequutus eſt medio ſacramento penitentię, vt rectè admonet D. Thom. loco proxime cit. non tamen vult quod teneatur penitens neceſſariò ad accuſandum ſe hac ratione de peccatis anteà dimiſſis, licet hæc præbuerint occaſionem peccandi de nouo, ſed de hac re redibit ſermo in diſput. de Confeſſione. Interea tamen ſatis erit ad praxim redigere conſilium D. Thom.

Eſt tamen vnum in quo D. Thom. putat penitentem obligari ad ſua peccata iterum confitenda, etiam in particulari, nempe quando penitens ipſe iudicat fieri aliter non poſſe, vt ſacerdos debitè ſuæ conſcientiæ proſpiciat; quod puto eſſe veriſſimum. Primùm, quia ſacerdos ſuſtinet perſonam medici, medicus autem non poteſt curare morbũ debite, niſi nouerit omnes affectus inordinatos ipſius. Deinde, quia certum eſt propter conſuetudinem peccandi Deum interdum negare auxilia ſufficientia ad hoc vt quis reſipiſcat à peccatis. Tertio, quia aſſiduitate peccandi debilitantur potentię animę: Vide de hac re Petrum Sot. de reditu peccatorum. *Aliquando confitenda peccata etſi dimiſſa.*

QVÆSTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum.

Virtutes reſtituuntur iuſtificato de nouo. RESPONDEO 1. Docet virtutes reſtitui in eo qui peccauit per veram penitentiam, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio; ſunt enim virtutes, maxime per ſe infuſæ, 1. veluti proprietates conſequentes naturam, & eſſentiam gratiæ gratũ facientis, ſeu, quod idem eſt, iuſtificantis: at per veram penitentiam reſtituitur homini lapſo in peccatum mortale, gratia iuſtificans: eſt enim hæc forma ſanctificans formaliter hominem, ex cap. 7. ſeſſ. 6. Trident.

Deinde, docuimus in antecedentibus virtutes morales, & per ſe infuſas pertinere ad perfectionem iuſtificationis, quæ fit à peccato mortali. 2.

Tertiò, virtutes per ſe infuſæ nedum facilitant hominem in exercendis actionibus huiuſmodi virtutum; ſed etiam faciunt eum ſimpliciter potentem, ad hoc vt eliciat actus iſtarum

virtutum: ergo per pœnitentiam virtutes istæ per A
se infusæ, restituentur homini qui peccauit mortaliter, data hypothesi, quod virtutes istæ fuerint in homine qui peccauit extinctę. Sunt autem qui dicant virtutes istas restitui per pœnitentiam, secundum omnem suam perfectionem intrinsecam, non autem extrinsecam: ità Vazquez hoc loco, & alij recentiores nonnulli, quorum doctrina videtur indubitata: manent enim interdum habitus vitiosi in ijs qui iustificantur à peccato per pœnitentiam, quibus impeditur iustificatus ne ità promptè & expeditè exequatur actus virtutum per se infusarum.

Summa textus.

ARTICVLO 2. Docet non restitui homini qui peccauit, semper eamdem gratiam, & B
tantam, quanta fuit in eo ante peccatum.

ARTICVLO 3. Non resurgere hominem ad æqualem dignitatem.

ARTICVLO 4. Contendit bona opera facta in charitate mortificari per peccatum subsequens.

ARTICVLO 5. Opera mortificata per peccatum, reuiuiscere per veram pœnitentiam.

Circa hos Articulos occurrit ista celebris inter veteres, & recentiores Scholasticos exagitata, & explicanda

DVBITATIO.

C
An scilicet omnia opera mortificata per peccatum, redeant per veram pœnitentiam secundum omnem valorem, quem habuerunt: & item. An tota gratia quæ fuit destructa in nobis per peccatum mortale subsequens, restituatur per veram pœnitentiam.

Prima sententia.

DE qua re sunt plures sententiæ, quæ reuocantur à nobis ad duas extremas. Prima est eorum qui putant bona opera mortificata, & gratiam deperditam in nobis per culpam lethalem subsequentem, non restitui in solidum per veram pœnitentiam: sed tantum iuxta dignitatem contritionis, cum qua contingit hominem resurgere D
à peccatis, ac proinde docet quod si contritio cum qua quis resurgit à peccato, fuerit vt quatuor, merita mortificata, & gratia extincta resurgent tantummodo vt quatuor, non autem secundum totam perfectionem, quam habuerunt: ità Thomistæ communiter omnes hoc loco, licèt non conueniant inter se in modo explicandi, & defendendi sententiam istam.

Fundamẽt. 1.

Probant primò: Forma quælibet recipitur in suo subiecto iuxta perfectionem suæ dispositionis, vt conuenit inter omnes Philosophos, & Theologos: at contritio cum qua quis surgit à peccato, est dispositio ad gratiam, quæ datur, & infunditur isti homini, & præterea ad merita mortificata viuificanda, vti etiam ad gratiam extinctam restituendam: ergo si contritio erit E
vt quatuor, merita quoque & gratia deperdita restituentur vt quatuor.

2. Secundò, opera mortificata per peccatum subsequens, & viuificata per pœnitentiam ex hypothesi non possunt ordinari ad maius præmium, quàm sit gratia, quæ datur in eo qui surrexit à peccato, per veram pœnitentiam, nam datur perfecta æqualitas inter gloriam & gratiam omnium plane consensione: at gratia, quæ datur in isto homine, cuius bona opera fuerunt mortificata per subsequentem culpam lethalem, quique surgit ab ista culpa per veram pœnitentiam, non est dignior seu perfectior, quàm sit contritio, cũ qua surgit ab huiusmodi culpa, vt manifestè docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicitur enim illic homini qui iustificatur à peccato mortali infundi gratiam, iuxta dignitatem dispositionis, & cooperationis propriæ illius, qui iustificatur à peccato mortali; hæc autem dispositio extra sacramentum est sola contritio, cum sacramento vero attritio: ergo.

3. Tertò probant. Si merita mortificata per peccatum subsequens, reuiuiscerent per subsequentem pœnitentiam secundum omnem valorem, & dignitatẽ quam habuerunt pro eo tempore, quo fuerunt facta ab homine qui posteà labitur in peccatum mortale, & surgit ab eo per pœnitentiã, sequeretur peccatum hoc esse vtile homini isti; nam consequeretur eadem merita mortificata, gratiam item totã à qua excidit, & præterea meritum contritionis cum qua excitatur à peccato commisso, & denique totam gratiam quantam postulat dignitas contritionis cum qua surgit à peccato; ac proinde in hac eadem opinione inducitur tepor aliquis bene operandi: illatio autem istius maioris merito negatur ab omnibus: peccata siquidem nocent quàm maximè, non autem prosunt.

4. Quartò, experientia docet eos qui defecerunt à bonis operibus cum gratia factis, & deficiunt ab eisdem per peccatum mortale, non ità promptè, & expeditè exercere officia charitatis, & ceterarũ virtutum, etiamsi per veram pœnitentiam reuiuiscant à peccato posteà commisso; argumento igitur est nec totam gratiam, nec merita secundũ totum suum valorem reuiuiscere in eo qui excitatur à peccato mortali per veram pœnitentiam; præsertim cum Gregor. homil. 30. in Euangelia, ità de charitate loquatur: *Nunquam*, inquit, *est Dei amor otiosus, operatur enim magna si est; si verò operari renuit, amor non est.*

Vltimum fundamẽtũ.

Denique, primis parentibus non fuit restituta iustitia originalis, nec secundũ suam substantiã, nec secundum omnem valorem quem habuit, quare ergo restituetur tota gratia deperdita; & omnis valor cuiuslibet operis meritorij in eo qui surgit à peccato mortali commisso, & cuius bona opera fuerunt mortificata per subsequentẽ culpam? primi siquidem parentes, omnium consensu, surrexerunt à peccato commisso intra paradisum terrestrem.

2. Sententia opposita omnino.

Secunda sententia opponitur ex diametro huic primæ opinioni; explicatur autem à nobis sequentibus Conclusionibus, hoc vnico tamen prius animaduerso; actiones, scilicet, nostras quantum ad rem præsentem attinet, esse in quadruplici differentia: Alię namque sunt indifferentes, quales sunt illæ quibus nulla laus, nullum vituperium debetur, huius generis sunt fricatio barbæ, collectio festucæ, expulsio muscæ adhærentis faciei, & aliæ innumeræ. Aliæ verò mortiferę, seu nociuæ, tales sunt omnes actiones, quæ rationem peccati mortalis, vel venialis consequuntur; peccatum siquidem mortale, priuat hominem vita spiritali, & inducit reatum, & obligationem ad pœnam æternam; veniale verò inducit reatum pœnę temporalis, & priuat hominem feruore charitatis. Alię tertio censentur esse mortuę, cuius generis sunt opera cuiuslibet virtutis, facta à nobis pro eo tempore quo sumus extra charitatem, ac proinde in statu peccati

Actiones nostræ in quadruplici differentia.

mortalis:

Digitized by Google

mortalis; huius generis ſunt eleemoſyna data pauperi, auditio ſacri, recitatio Breuiarij extra ſtatum charitatis, & aliæ plurimæ. Denique, actiones noſtræ ſunt mortificatæ, nempe illæ omnes, quæ factę ſunt à nobis cum gratia, & charitate & ex motiuo aliquo honeſto pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, operando libere; iſtæ autem ideò dicuntur mortificatæ, quoniam propter ſubſequentem culpam mortalem à nobis commiſſam, nec conciliant nobis diuinam amicitiam, nec tribuunt nobis ius ad vitam æternam; ac proinde nullo modò imputaretur nobis ad gloriam: de iſtis ergo ſolis controuerſia hæc eſt explicanda.

Bona opera redeunt ſecundum dignitatem quam habuerant anteà.

CONCLVSIO 1. *Bona opera mortificata per peccatum mortale ſubſequens, redeunt interueniente vera penitentia ſecundum omnem dignitatem, & valorem, quem habuerunt pro eo tempore quo fuerunt facta.* Probatur primo, quia dicitur Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua*: & cap. 18. eiuſdem: *Omnium iniquitatum quas operatus eſt*, ſcilicet impius, *non recordabor amplius*: ergo merita mortificata reuiuiſcunt per penitentiam ſecundum ſe tota, & item quoad omnem dignitatem quam anteà habuerint, alioquin impietas impij poſt remiſſionem noceret illi, & præterea Deus recordaretur peccati commiſſi: neque enim tanta datur gratia, aut gloria quanta debetur iſtis meritis mortificatis; ſed tantum iuxta dignitatem contritionis, cum qua ſurrexit impius iſte, ex opinione authorum prioris ſententiæ.

Ezech. 33. & 18. 1.

Effugium.

Præcluditur.

Reſpondent, priuationem iſtius gratiæ, & glorię maioris, non habere rationem pœnę in iſto qui iuſtificatur à peccato mortali. Cęterùm hæc reſponſio eſt manifeſtè falſa: nam pœna indicta alicui peccato diuina authoritate, tamdiu pœna eſt, quamdiu hæc exigitur ab eo qui peccauit: at priuatio gratię, & glorię tantę exigitur à Deo propter culpam ſubſequutam in eo cuius merita fuerunt mortificata, etiamſi reſurgat iſte per veram pœnitentiam; nam non conſequitur tantam gloriam, nec tantam gratiam quanta debetur bonis operibus mortificatis.

2.

2. Ioann.

Apoçal. 3.

Probatur 2. ex locis ſacræ Script. maxime vero ex illo Ioannis: *Videte voſmetipſos ne perdatis quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis.* & Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: ex iſtis quippe locis colligi videtur merita mortificari per peccatum ſubſequens, & poſſe recuperari per penitentiam factam poſt huiuſmodi peccatum.

3.

Ioël. 2.

Hierony.

Tertiò, ex illo Ioëlis 2. ità enim alloquitur illic Deus Iudæos penitentes: *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, & bruchus, rubigo, & eruca:* Hieronymus quippe locum hunc ſic interpretatur: *Et annos quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis quando opera veſtra locuſta, bruchus, rubigo, erucáque conſumpſerant, Deus vobis perire non eſt paſſus*: & paucis interiectis: *Si autem poſt penitentiam tantam vbertatem rerum omnium pollicetur Deus; quid reſpondebit Nouatus negans penitentiam, & reformari poſſe peccatores in priſtinum ſtatum, ſi digna fecerint opera pœnitentiæ?*

Ex quibus locis colligitur manifeſtè merita mortificata per peccata reſtitui hominibus per ſubſequentem penitentiam ſecundum omnem valorem, quem habuerunt.

4.

Galat. 3.

Quarto, ex Paulo ad Galatas 3. ait enim Galatas, poſt opera virtutum egregia declinaſſe in Iudaiſmum, vt colligitur ex verbis iſtis; *Inſenſati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati.* & rurſus, *Sic ſtulti, vt cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini*, & denique: *Tanta paſſi eſtis*, ſupple propter Chriſtum, *ſine cauſa?* Addit tamen in poteſtate Galatarum eſſe efficere, vel vt fruſtra bona iſta opera exercuerint, vel vt hæc eadem maxima cum vtilitate exercuerint; putà ſi per penitentiam peccatum ſubſequutum, prout oportet emendauerint; vt colligunt Hieron. & Chryſoſt. ad hunc locum ex verbis: *Sine tamen cauſa*: quibus Paulus ſeipſum corrigit reſpectu eorum, quæ ante dixerat de Galatis.

5.

Idem 9.

Matth. 10.

Apoc. 14.

Trident.

Quinto, Si merita non reuiuiſcunt, vt volunt authores contrariæ ſententię, ſecundum omnem valorem quem habuerunt; ſed tantum iuxta dignitatem contritionis, cum qua contingit hominem ſurgere à peccato, ſequitur hominem non remunerari in cœlis iuxta quodlibet meritum in hac vita factum; nam ex iſtorum ſententia merita non reuiuiſcunt in ſolidum: at illatio hæc eſt aperte contrà Scripturas, 2. Corinth. 5. *Vnuſquiſque recipiet in corpore ſuo prout ſe geſſerit in eo, ſiue bonum ſiue malum*; & cap. 9. eiuſdē epiſtolæ; *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet*, & rurſus: *Qui parce ſeminat, parce & metet*: & Matth. 10. *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam*; & Apocalyp. 14. *Opera eorum ſequuntur illos*, id eſt, merces debita operibus bonis, ſequitur mortuos in charitate. Eſt item illatio hæc contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. nam ita habet. *Nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta diuinæ legi pro vitæ huius ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam, ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur.*

Quodlibet opus bonum meritorium & remunerandum.

Ex quibus manifeſtè duo colligimus, alterum quodlibet bonum factum in Chriſto eſſe meritorium vitę æternę; alterum quodlibet bonum opus remunerandum eſſe in cœlis, modo is qui huiuſmodi bonum exercuit, in charitate decellerit.

Euaſio.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, Concilium Trident. præter duo à nobis obſeruata, poſtulare perſeuerantiam in illis omnibus qui bona opera exercuerunt.

Nō prodeſt.

Cęterùm, reſponſio hæc nulla ratione minuit vim argumenti noſtri; nomine quippe perſeuerantiæ non intelligit Trident. eam perſeuerantiam, qua quis ità bene viuit, vbi eſt ſemel iuſtificatus à peccatis, vt in nullum plane peccatum poſtèà labatur, quaſi debeat toto vitæ tempore ſinè vllo planè peccato vitam finire; ſed nomine perſeuerantię intelligit eam perſeuerantiam qua quis de facto moritur in gratia & in charitate, vt videtur colligi ex cap. illò 16. citato. Deinde, quia eodem modo intelligendus eſt hic locus Concilij, qua ratione explicatur alius locus Matth. à patribus omnibus cap. 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit*: Patres autem locum hunc intelligunt de eo qui terminauit vitam ſuam cum gratia, & charitate.

Matth. 24.

Gratia extincta per p. reſtituitur

CONCLVSIO 2. *Gratia, quæ extincta fuit in eo qui peccauit mortaliter, reſtituitur per penitentiam ſubſequentem, ſecundum omnem dignitatem quam habuit.* Primò, quia merita mortificata

ſecundum omnem dignitatem.

1.

Digitized by Google

reuiuiſcunt ſecundum ſe tota, ex Concluſione proxime antecedente. A

2. Deinde, quia alioquin non daretur perfecta æqualitas inter gloriam, merita huius vitæ, & gratiam quæ data fuit in nobis pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali.

3. Tertiò, tota ratio cur gratia quæ datur in nobis quando operamur meritorie, extinguatur, & deſtruatur, eſt peccatum mortale, quod committitur à nobis: at peccatum hoc mortale deſtruitur pleniſſime per ſubſequentem penitentiam: ergo.

4. Quartò, irrogaretur iniuria gratiæ habitæ in hac vita, ſi non reſtitueretur hæc ſecundum omnem ſuam dignitatem per penitentiam; nam tribuit hæc ius ſimpliciter ad vitam æternam iuxtà dignitatem cuiuſlibet gradus quem in ſe habet: ergo. In hac Concluſione ſunt multi Recentiores. B

Cum autem diximus gratiam totam reſtitui per ſubſequentem penitentiam, in eo qui peccauit mortaliter poſt bonorum operum exercitium, ità intelligendum, nedum de gratia quæ reſpondeat dignitati meritorum, ſed etiam de ea quæ reſpondeat ſacramentis; ac proinde quæ datur in nobis per ſacramenta ex opere operato tantum: nam gratia hæc tam vere confert nobis ius ad vitam æternam, quàm faciat illa quæ datur in nobis, iuxta dignitatem meritorum. Deinde, gloria, & gratia quæ fuit in hac vita, retinent perfectiſſimam æqualitatem, ex communi doctrina. C

Aduertentia. Aduerte præterea præter gratiam quæ reſpondet meritis mortificatis, & eam quæ eſt in nobis dependenter à ſacramentis ex opere operato tantum, dari ei qui ſurgit à peccato commiſſo, per veram penitentiam, gratiam aliquam proportionatam perfectiſſimæ dignitati contritionis, cum qua ſurgit is à peccato in quo bona opera fuerunt mortificata, & gratia præexiſtens deſtructa. Deinde, id videtur colligi ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. dicitur enim illic homini dum iuſtificatur à peccato mortali tantam infundi gratiam, quanta eſt dignitas contritionis, & cooperationis liberæ, cum qua ſurgit hic à peccato. D

Datur gratia correſpondens contritioni ſuſcipientis ſacramẽtũ.

Tertiò, omnis forma recipitur in ſubiecto iuxta perfectionem ſuę vltimę diſpoſitionis, ex communi doctrina philoſophorum omnium: at contritio cum qua quis iuſtificatur à peccato mortali, eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem recipiendam ex doctrina authorum noſtræ ſententię: ergo vindicat ſibi certam aliquam gratiam iuxta ſuam dignitatem.

Aduertentia 2. Aduerte vlterius, merita mortificata & gratiam deſtructam per peccatum ſubſequens reſtitui in eo qui iuſtificatur à peccato per quod merita iſta fuerunt mortificata ſtatim atque iuſtificatur ab huiuſmodi peccato: ità docent authores noſtræ ſententię ſuprà citati. Deinde, nulla poteſt aſſignari ratio, cur reſtitutio iſtorum meritorum, & gratiæ, ſit in aliud tempus differenda. Tertiò, deſtruitur pleniſſimè peccatum per ſubſequentem penitentiam, & tamen peccatum hoc impedimento erat, ne conſeruaretur huiuſmodi gratia in nobis, & præterea ne merita imputarentur nobis ad vitam æternam: cum ergo impedimentum hoc ſimpliciter ceſſet, merita, & gratia vere reſtituentur nobis, quamprimùm peccatum hoc fuerit ſublatum. E

Ad rationes verò authorum contrariæ ſententię reſpond. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorẽ: contritio ſiquidem cum qua quis ſurgit à peccato commiſſo non eſt diſpoſitio ad viuificanda merita mortificata, neque ad reſtitutionem gratię, quę fuit in nobis extincta, quod eſt diligenter aduertendum, propter authores contrarię ſententię, qui id ſupponunt tanquam veriſſimum, quod tamen nec probant, nec probare poſſunt; eſt ergo contritio cum qua quis ſurgit à peccato, tantum diſpoſitio ad gratiam quę de nouo producatur, quæque reſpondeat dignitati contritionis cum qua ſurgit à peccato: reſpectu vero meritorum mortificatorum, & reſtitutionis gratię extinctę non eſt diſpoſitio, ſed tantùm remouet prohibens conſeruationem iſtius gratię, & bonorum operum, vt pluribus docent authores citati. *Satisfit cũ trayis argumentis.*

Ad 2. reſp. conceſſa maiore, negando min. Ad id vero quod dicitur in eius confirmationem ex Trident. Reſp. Concil. non agere de tota gratia, quæ confertur homini qui ſurgit à peccato propter quod eius merita fuerunt mortificata, ſed tantum de ea quæ de nouo confertur iſti homini, iuxta dignitatem contritionis cum qua ſurgit præciſe, & in ſe conſideratę; huius enim gratię contritio eſt diſpoſitio, minime vero reſpectu illius quæ reſtituitur, & quæ extincta fuit per peccatum ſubſequens. 2. Trident.

Ad 3. reſpondeo, Eum qui peccauit mortaliter, & in quo bona opera fuerunt per huiuſmodi peccatum mortificata nullum plane conſequi commodum, ſed maximum detrimentum ex huiuſmodi peccato commiſſo, nam propterea patitur iacturam gratię & amicitiæ diuinæ. Deinde, obſtringitur ad ſuſtinendam pœnam æternam, niſi reſurgat ab huiuſmodi peccato; penitentia tamen cum qua poſteà reſurgit ab huiuſmodi peccato, eſt ei quàm maxime vtilis; ità enim, & gratiã deperditam, & bona opera mortificata, & amicitiam Dei vnà cum gratia eiuſdẽ recuperat quæ reſpondet, & dignitati contritionis cum qua ſurgit à peccato, & gratię extinctę per peccatũ. *Satisfit 3.*

Ad 4. reſpondeo. Experientiam quotidianam, vt plurimum ſaltem, ſecus docere, qui enim ſurgũt à peccato, præſertim ſi fuerint viri timoratę conſcientię cautiùs ſibi proſpiciũt, magis ſedulo, & diligenter nauant operã actionibus charitatis: quod ſi interdum ſecus accidit, id non eſt tribuendum defectui, vel gratiæ, vel virtutum per ſe infuſarum, quaſi res iſtæ non reſtituantur ei, qui à peccato mortali ſurgit, cum anteà ſanctiſſimè, & iuſtiſſimè vixiſſet; ſed multo magis habitibus vitioſis qui perſeuerant in nobis poſt iuſtificationem à peccato mortali: aut etiam quia ſunt qui exiſtiment habitus per ſe infuſos non facilitare hominem in ſuis actionibus exercendis, inter quos eſt Gabriel Vazquez, alijque nonnulli Recent. *Ad 4. Cautiùs ſibi proſpiciunt poſt penitẽtiam peccatores vt plurimùm.*

Ad locum autem Gregorij. Reſp. intelligendum de eo in quo datur charitas actualis; de hac ergo charitate docet, vel operari ſemper in homine, vel certe non eſſe veram charitatem, ſecus tamen ſentiendum eſt de charitate habituali. *Explicatur D. Gregor.*

Ad vltimam. Reſpond. iuſtitiam originalem primis parentibus interueniente vera penitentia non fuiſſe reſtitutam, bene tamen gratiam gratum facientem, & item quodlibet aliud dorum ordinis ſupernaturalis, neceſſarium ad hominum ſalutem, ſeu iuſtificationem primam à peccato mortali, idque quod iuſtitia originalis ex Dei *Ad vlt.*

lege

Digitized by Google

lege, & ordinatione, ſoli ſtatui innocentiæ deberetur, hic autem ſtatus per peccatum primi parentis ſimpliciter fuit extinctus, & introductus ſtatus naturæ lapſæ. Deinde, docuimus in tractatione de Incarnatione, gratiam conceſſam Angelis, & primis parentibus in primo inſtanti creationis eorumdem non fuiſſe iſtis conceſſam dependenter à meritis Chriſti, ac proinde non debuit primo parenti reſtitui gratia originalis: Non eſt tamen negandum quin iuſtitia originalis æquiualenter fuerit reſtituta primis parentibus; media quippe gratia gratum faciente, & auxilijs alijs ſpecialibus ordinis ſupernaturalis, quæ cuilibet noſtrûm occurrente neceſſitate ſunt præſentiſſima, potuerunt primi parentes partem inferiorem ſubijcere rationi, & item rationem Deo.

Cur iuſtitia originalis non reſtituta primis parentibus.

A

B

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrum opera mortua viuificentur.

Argumẽta contraria.

RATIO dubitandi eſt 1. Hieronymi, ad cap. 1. Aggæi, vbi videtur manifeſte docere ſuper illa verba; *Nondum venit tempus domus Dei ædificandæ*, opera mortua viuificari recedente peccato per penitentiam; *Si quando*, inquit, *videas inter multa opera peccatorem facere nonnulla quæ iuſta ſunt, non eſt tam iniuſtus Deus, vt propter multa mala paucorum bonorum obliniſcatur.*

Hierony.

C

2. Deinde, baptiſmus in peccato mortali ſuſceptus recedente complacentia illius, ſortitur ſuos effectus: at opera mortua cenſentur eſſe illa quæ facta ſunt in ſtatu peccati mortalis: ità ſentire videntur Gratian. de penitentia diſt. 4. can. *Intermittentes.* & Iacob. de Valent. in pſal. 50. Addit tamen hic duas conditiones: alteram quod iſta bona opera facta in ſtatu peccati mortalis ſint facta cum auxilio ſpeciali Dei; alteram quod, remoto peccato per penitentiam, delectetur de bonis operibus factis in ſtatu peccati mortalis.

Gratian.

D

Reſolutio authoris.

CONCLVSIO. *Opera facta in ſtatu peccati mortalis, licèt ſint bona, moraliter loquendo, non tamen poſſunt hæc de communi lege viuificari ad vitam æternam: quamuis peccatum mortale poſteà fuerit ablatum per penitentiam.* Probatur primò, cap. 13. 1. Corinth. dicitur; *Si tradidero corpus meum, ità vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*, in ordine, ſcilicet, ad præmium vitæ æternæ.

1. Probatio ex locis ſcripturæ.

1. Cor. 13.

2. Deinde, Ioannis 15. dicitur; *Niſi palmes manſerit in vite, non poteſt fructum ferre*, id eſt, niſi homines qui dicũtur illic palmites, adhæreant viti, nempe Chriſto, interprete ipſomet Chriſto; *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*, ibidem; at quamdiu ſumus in ſtatu peccati mortalis, non coniungimur Chriſto per gratiam; peccatum enim mortale, & gratia de cõmuni lege opponuntur.

Ioann. 15.

E

3. Tertiò, Matth. 7. *Non poteſt*, inquit, *arbor mala bonos fructus facere*, & 1. Timoth. 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & immundis nihil eſt mundum*; in ordine tamen vt dixi ad præmium vitæ æternæ: nam negari non poteſt quin conſtitutus in ſtatu peccati mortalis poſſit aliquas bonas actiones elicere, ſaltem in genere moris, vt fuſius diſputari conſueuit in tractatu de gratia.

Matth. 7. 1. Tim. 1.

In 3. partem D. Thom.

4. Quartò. Scripturæ docent Deum non probare dona ſibi oblata ab homine conſtituto in ſtatu peccati mortalis: Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus.* Imò propter hanc cauſam dicitur in iſidem Script. ſacris orationes hominis conſtituti in peccato mortali non poſſe exaudiri à Deo, Iſaiæ 1. *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos a vobis; & cum multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam, manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine*; id eſt, peccatis carnis: & pſal. 65. *Iniquitatem ſi aſpexerit in corde meo, non exaudiet Dominus.* Ioan. 9. *Deus peccatores non audit.* Quod tamẽ intelligendum eſt reduplicatiuè, quatenus ſcilicet, peccatores ſunt; nam ſi contigerit iſtos redire à peccatis, facili negotio exaudientur à Deo.

4

Eccleſ. 34.

Iſaï. 1.

Pſal. 65.

Ioann. 9.

5. Quintò, in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 17. & can. 31. dicitur ad meritum tria eſſe neceſſaria; *Libertatem in agendo, gratiam diuinam*, & denique, *ſtatum huius vitæ.* Vltimò, quod caruit vita, & omni diſpoſitione neceſſaria ad eamdẽ, viuificari non poteſt: at opera facta in ſtatu peccati mortalis, ſunt huiuſmodi; ſunt enim hæc omnia ordinis naturalis.

5. Trident.

Satisfit obiect. contrariorum.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. Deum recordari bonorum operum, licet facta ſint hæc in ſtatu peccati mortalis, quoniam ſolet propter iſta bona opera, mercedem aliquam temporalem mortalibus impendere, vt recte adnotauit Greg. Magnus ad cap. 16. Luc. homil. 40. in Euangelia ad hæc verba. *Recordare fili mî, quia recepiſti multa bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter multa mala:* & docet D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 15. 16. & 17. vult enim eo loco, Romanos conſequutos eſſe dignitatem imperij propter multa opera moralia, quæ executioni demandauerant, & Exodi cap. 1. propter hanc eamdem cauſam Deum obſtetricibus Ægyptiorum ædificaſſe domos, quod pepercíſſent viris filiorum Iudæorũ. Reſpond. 2. propterea Deum recordari bonorum operum factorum in ſtatu peccati mortalis, quod per iſta bona opera, tanquam per diſpoſitiones aliquas remoras, diſponat peccatores Deus ad gratiæ iuſtificantis infuſionem, vt docent Greg. & D. Auguſt. cit. Tertio, quia propter iſta bona opera declinant conſtituti in ſtatu peccati mortalis pœnas debitas actionibus quibuſdam inhoneſtis, quas ſine dubio exercerent, ſi bona illa opera non facerent: ità obſeruat D. Auguſt. lib. de vera & falſa penitentia, cap. 26. hæc autem omnia explicantur duobus iſtis verſibus.

1. Gregor. Luc. 16. D. Auguſt.

Solutio 2.

Quæ, cum mortali ſiunt donant bona terræ.
Quod faciunt humile minuit tormenta gehennæ.

Ad 2.

Ad 2. Reſp. recedente complacentia peccati mortalis cum qua quis eſt baptizatus, baptiſmum ſortiri ſuos effectus: ceterùm id non accidit, quod ſit opus hominis præciſe, ſed multo magis quod ſit opus Dei, & quod ſit inſtrumentum à Deo inſtitutum noſtræ iuſtificationis: itaque effectus hic adſcribendus eſt ordinationi diuinæ: nam niſi Deus ità ordinaſſet, baptiſmus iſte nulla ratione hominem iuſtificare potuiſſet.

Ad authores verò illos, reſp. non eſſe hac in re auditndos, pugnant enim cum omnium planè ſententia.

Digitized by Google

QVÆSTIO NONAGESIMA.

DISSERIT de partibus penitentiæ, contritione, ſcilicet, confeſsione, & ſatisfactione.

Cæterùm, res hæc fuit à nobis explicata, quæſt. 84. huius partis, quæ eſt prima de penitentia.

Cogimur autem hoc loco intermittere methodum hactenùs à nobis obſeruatam: eò quòd in hac quæſtione D. Thomas, ad meliorem vitam tranſeundo, anno quinquageſimo octauo ſuæ ætatis, finem ſcribendi fecerit.

Quæ ſuperſunt ergo de penitentia tribus partibus explicabuntur: prima erit de Contritione, 2. de Confeſsione, 3. de Satisfactione: atque ità tota hæc tractatio finietur.

Quæſtiones autem quæ ſubſequuntur in hac tertia parte quæſt. nonageſimam, non fuerunt à D. Thom. elaboratæ, ſed ab aliquo alio, vt eſt in confeſſo apud omnes.

PARS PRIMA.

DE CONTRITIONE.

Hæc Pars ſex abſoluitur Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Contritio.

Contritio nomina varia ſortitur.

ANTEQVAM res hæc explicetur: Aduertendum eſt contritionem variis nuncupari nominibus apud Patres, ſcripturam ſacram, & Concilia. Interdum enim dicitur ſciſſio, Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, & ſcindite corda veſtra.* Secundo compunctio. Pſal. 4. *Et in cubilibus veſtris compungimini,* & apud Chryſoſt. homilia de compunctione cordis, & apud ſanctum Efrem, in ſerm. de Iudicio, alioſque Patres frequentiſſime.

Ioël. 2. Pſal. 4.

Denique Contritio. Pſal. 50. *Cor contritum,* &c. & Pſalm. 146. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* & Hierem. 6. apud Bernard. libro primo de Conſideratione ad Eugenium,

Idem 50. & 146. Bernard.

A Baſilium, & D. Auguſtin. in Pſal. 33. & Chryſoſt. in epiſt. ad Hebræos, idque metaphora ſumpta à corporibus duris & ſolidis, aut etiam à vaſis: quemadmodum enim corpora ſolida à fortioribus facillimo negotio conteruntur & comminuuntur: ità cor durum & lapideum, & in peccatis quàm maximè obſtinatum per contritionem nedum atteritur, ſed etiam conteritur: ità vt quemadmodum vaſa omni ex parte contrita aquam, vel aliquem alium liquorem continere nullo modo poſſunt, ſed patiuntur illum effluere: ità etiam facit contritio vt omnis affectus peccati recedat à nobis, & nullæ ſuperſint eius reliquiæ: quemadmodum è contrà cor quod nullo modo concutitur, aut conteritur, durum & omnino obfirmatum cenſetur, iuxta pulchram deſcriptionem, quam de illo Bernardus citatus capite 2. affert. *Quid ergo*, inquit, *cor durum? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec monetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum,*

D. Auguſt.

B

D. Bern.

ad iudicia ſeuum, inuerecundũ ad turpia, impauidũ ad A *pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentia negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt cui præteriti non, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla, niſi forte ad vlciſcendum, proſpectio ſeu præparatio eſt. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet, nec hominem reuereatur.*

Hoc ità conſtituto, Concluſio. *Contritio eſt dolor animi & deteſtatio peccati cum propoſito de cetero non peccandi*: ità verbis expreſſis Concil. Triden. ſeſſ. 14. ca. 4. quæ definitio cenſetur iudicio omnium Scholaſticorum, qui ſubtequuti ſunt Conc. optima; explicat enim perfectiſſime naturam, & eſſentiam contritionis, quæ conſurgit ex dolore animę, minime vero ſenſus externi, licet interdum dolor aliquis ſẽſilis producatur ex dolore animi, qui datur in nobis ex deteſtatione peccati, quatenus peccatum eſt contra Deũ; per hãc enim particulam ſeparatur contritio ab attritione, quæ eſt dolor de peccatis, ea ratione qua illis conſtitutę ſunt pœnæ aliquæ æternę, vel temporales, & denique ex propoſito firmo, & ſtabili declinandi quodlibet peccatum deinceps.

Mouetur quæſtio. ROGABIS. *An dolor formalis, & expreſſus de peccatis ſit ſimpliciter neceſſarius ad naturam, & eſſentiam contritionis ſtabiliendam: & item an illud idem dicendum ſit de propoſito vitandi peccata in* C *futurum.*

Satisfit quæſito. Reſpondeo, primam difficultatem fuiſſe à nobis explicatam, quæſt. 87. huius partis, art. 1.

1. Quod attinet vero ad ſecundam, reſpondeo,

2. *Propoſitum formale, & expreſſum de vitandis peccatis in poſterum, non eſſe ſimpliciter neceſſarium, ſed ſufficere virtuale ad contritionem perficiendam:* ità docent communiter Sententiarij in quartum.

Formale propoſitum non peccandi non eſt neceſſarium. Deinde, propoſitum formale, & expreſſum vitandi peccata in poſterum non eſt magis neceſſarium ad naturam contritionis perficiendam, quàm ſit dolor de peccatis commiſſis contra D Deum, vt peccata ſunt offenſa Dei, ex communi doctrina: at dolor expreſſus de peccatis commiſſis, ſeu formalis, non eſt ſimpliciter neceſſarius ad naturam contritionis perficiendam, ſed ſufficit virtualis, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia, aut etiã attritio cũ ſacramẽto: ergo. Minor hæc eſt indubitata, poſito quippe actu dilectionis Dei ſuper omnia ex auxilio Dei ſpeciali, ſatis eſt ad hominis iuſtificationem, ex illo Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei,* Luc. 7. ſcilicet Magdalenæ, *peccata multa: quoniam dilexit multùm:* Concors eſt omnium item ſententia, attritionem cum ſacramento ſatis eſſe ad iuſtificationem impij: ac proinde attritio cum ſacramento & dilectio Dei ſuper omnia, ſunt contritio quædam virtualis, operantur enim illud idem in no- E bis, quod præſtaret contritio formalis, & expreſſa ſi daretur: ergo.

Tertio, ſi propoſitum formale, & expreſſum de cetero non peccandi, eſſet de ratione contritionis, id eſſet vel ex ſe, & ſua natura, vel ex lege, & ordinatione diuina: primum dici non poteſt, quoniam diximus iuſtificationem à peccato mortali dari in nobis cum ſola dilectione Dei ſuper omnia, vel etiam cum attritione, & ſacramento: neque item ſecundum, quia nullibi plane reperitur propoſitum hoc eſſe ſimpliciter neceſſarium ad hominis adulti iuſtificationem.

Denique, nemo poteſt cogitare formaliter, & expreſſe de peccatis impoſterum vitandis, niſi etiam cogitet de commiſſis, vt eſt per ſe notum: at poteſt aliquis iuſtificari à peccatis commiſſis, etiamſi nulla ratione cogitet de illis, eliciendo ſcilicet, actum dilectionis Dei ſuper omnia: ergo virtuale propoſitum non peccandi in futurum ſufficiet ad naturam contritionis perficiendam, & ad iuſtificationem à peccato mortali.

DVBITATIO SECVNDA,

Qua ratione diſtinguatur Contritio ab Attritione.

RESPONDETVR 1. *Diſtingui in eo quòd contritio ſit perfecta penitentia: attritio vero imperfecta tantum:* ità Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur*, &c. & D. Thom. in quartum, diſtinct. 17. quæſt. 2. imperfectio autem hęc in eo poſita eſt, quod attritio ſola numquam ſufficiat ad hominis iuſtificationem, bene tamen contritio, vt docent D. Th. loco proxime citato. & Sententiarij communiter. *Differt contritio ab attritione.*

Deinde, dolor de peccatis in hunc finem eſt ab authore naturæ inſtitutus, vt redeamus in gratiam, & amicitiam ipſius, à qua per peccatum mortale receſſimus, attritio autem non eſt ſatis ad gratiam Dei reſtituendam, aut ad conciliandam diuinam amicitiam: ergo hæc erit imperfecta penitentia.

Tertiò, ex ſacris literis habemus hominem iuſtificari à peccato mortali propter charitatem. *Luc. cap. 7.* & item ſine charitate nullum bonum vtile eſſe ad vitam æternam obtinendam. 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: at attritio, vt plurimum non eſt coniuncta cum charitate, ſed extat cum peccato mortali; contritio vero ſemper adiunctam habet gratiam, & charitatem, vel antecedenter, vel concomitanter: ergo attritio erit tantum imperfecta penitentia, contritio vero perfecta. Confirmatur. Cõtritio eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans; attritio vero minime, ſaltem ſola: ergo. Denique, ità videntur ſentire Patres, Hieron. in pleriſque epiſt. Ambroſ. in lib. de penitentia, & D. Auguſt. de vera, & falſa penitentia. 1. Cor. 13.

Dices, ſi contritio iuſtificat infallibiliter hominem à peccato mortali, ſequitur poſſe dici de hac, quod ſit ſecunda tabula poſt naufragium. *Obiectio.*

Reſp. negando illationem iſtam, datur enim vera, & perfecta contritio in eo qui iuſtificatur à peccatis mortalibus commiſſis ante baptiſmi ſuſceptionem; & tamen hæc non poteſt dici ſecunda tabula poſt naufragium, vt conſtat ex iis quæ docuimus quæſt. 84. huius partis, quando de nomine penitentię agebamus. *Solutio.*

Deinde, appellatio iſta, ſecunda tabula poſt naufragium, de ſacramento penitentiæ enunciatur communiter apud Patres, non autem de ſola contritione.

Secundo. *Diſtinguitur contritio ab attritione, quod illa ſit ſemper efficax quotieſcumque datur in nobis*; ac proinde ſemper ſuos exequitur effectus, hæc vero minimè ſaltem interdum, & aliquando, vt patet in eo qui dolet de vno peccato propter pœnas eidem præſcriptas; minime vero de alio de quo tamen recordatur non minùs, quàm de alio de quo dolet: aut in eo qui vult vſurarn *Secundo differt contritio ab attritione.*

Digitized by Google

dimittere propter fœditatem culpæ, de facto tamen non deſerit propter commodum, & vtilitatem, quam inde conſequitur; ac proinde attritio hæc dicitur inefficax: ità communiter Sententiarij, diſt. proximè citata, lib. 4.

Tertium diſcrimen. Tertiò, ſeparantur contritio & attritio in eo, quod iſta ſit dolor de peccatis commiſſis hoc nomine, quia pænę temporales, vel æternæ indictæ ſunt huiuſmodi peccatis, aut quia hæc rectæ rationi aduerſantur; aut denique quia ſunt coniuncta cum infamia aliqua: contritio vero dolet de peccatis hoc ſolo nomine, quia peccata ſunt contra Deum: ità communiter omnes loco ſuprà citato.

Specie diſtinguuntur contritio & attritio. Ex hoc autem diſcrimine colligunt Scholaſtici, attritionem, & contritionem diſtingui inter ſe ſpecie, quæ res eſt veriſſima; diuerſitas quippe ſpecifica quorumcumque actuum, aut etiam habituum reperenda eſt ex obiecto formali eorumdem, vel certe ex modo vario, & diuerſo tendendi in ſua obiecta, vt patet ex actibus fidei, ſpei, & charitatis: Iſti enim licet verſentur circa Deum, quatenùs Deus eſt, quia tamen diuerſa ratione tendunt in Deum, ad diuerſas ſpecies pertinere cenſentur: contritio autem & attritio, quamuis verſentur circa peccata, non tamen eodem modo, ſed vario, & diuerſo: nam contritio eſt circa peccata, vt ſunt quædam Dei mala, ſeu offenſa; attritio vero vt peccatis noſtris debetur aliqua pœna.

Attritio numquam poteſt fieri contritio. Ex iſtis autem colligunt etiam plerique Sententiarij attritionem nunquam fieri poſſe contritionem: ità D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 2. Richard. art. 1. quæſt. 2. Paludanus quæſt. 1. art. 1. Sotus quæſt. 2. artic. 5. Gabriel quæſt. 1. art. 3.

Deinde, vna ſpecies remanente natura & eſſentia eiuſdem, nunquam conſequitur naturam, & eſſentiam alterius; diximus autem attritionem, & contritionem diſtingui inter ſe ſpecie.

Obiectio. Dices, D. Thom. loco proxime cit. & pleroſque Sententiarios ibidem, affirmare omnem dolorem de peccatis coniunctum cum gratia, & charitate eſſe contritionem: certum autem eſt conſtitutum in gratia, & charitate poſſe dolere de peccatis hoc nomine ſolo, quia peccatis indictæ ſunt pœnę aliquæ, ac proinde hic dolor erit attritio: ergo.

Reſponſio. Reſp. D. Thomam & Sententiarios illis in locis nolle affirmare actum attritionis elicitum ab homine conſtituto in gratia eſſe formaliter, & intrinſece contritionem, ſed tantum extrinſece, ac proinde ex eo ſolum capite, quod quemadmodum contritio coniuncta eſt ſemper cum gratia, & charitate: ità actus attritionis coniungitur ex hypotheſi cum gratia, & charitate: vnde reſpectu iſtius coniunctionis dicitur attritio, contritio, à D. Thom. & Sententiarijs interdum: non autem quod intrinſece & eſſentialiter attritio, ſit contritio; illo, videlicet, modo quo actus morales honeſti, facti ab homine pro eo tempore quo agit in charitate, cenſentur eſſe actus charitatis. Conuenit autem inter omnes actus virtutum moralium elicitos ab homine in gratia conſtituto, non pertinere ad naturam, & eſſentiam charitatis intrinſece, ſed tantum ſola denominatione extrinſeca. Non eſt tamen negandum quin attritus fieri poſſit contritus. Ad hoc enim ſatis eſt, quod is qui dolet de peccatis, quia peccatis indictæ ſunt pœnę aliquę, incipiat dolere de eiſdem quatenus peccata iſta ſunt contra Deum: hæc autem fieri poſſe eſt indubitatum, cum actus contritionis, & attritionis ſint omnino diſparati, & in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm ſit, tranſire ab vno actu ad alium: propter libertatem, quæ datur in nobis.

Deinde, attritio, ſaltem ea quæ cum ſacramento ſatis eſt ad hominis iuſtificationem, eſt ab auxilio ſpeciali Dei ſupernaturali: non minùs quàm contritio, vt dicitur in Trident. ſeſſ. 14. c. 4. vnde cum ex hypotheſi detur in nobis auxilium ad eliciendum actum attritionis, poterit hoc idem ſufficere ad eliciendum actum contritionis.

Contritio non poteſt eſſe in nobis abſque auxilio. Cauendum autem eſt, nequis affirmet actum contritionis poſſe in nobis conſurgere ſine ſpeciali Dei auxilio, quod docuit Caiet. & alij non nulli veteres Scholaſtici: cum enim diſpoſitio ſit ſemper eiuſdem ordinis cum ſua forma, omnium conſenſione, & contritio ſit diſpoſitio ad gratiam habitualem obtinendam infallibiliter; quemadmodum gratia nunquam datur in nobis ſine ſpeciali Dei bonitate; ità actus contritionis numquam producetur in nobis, ſine ſpeciali Dei auxilio ſupernaturali.

Quarta differentia contritionis ab attritione. Diſtinguitur 4. attritio à contritione quòd illa ſtet cum peccato mortali; non enim ſatis eſt ſaltem ſola ad hominis iuſtificationem, quod dico, quia cum ſacramento ſatis eſt ad prædictam iuſtificationem: hæc vero ſemper repellit peccatum ab eo ſubiecto in quo reperitur, ſaltem mortale. Diximus enim contritionem eſſe diſpoſitionem ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

Vlt. differentia. Denique diſtinguuntur in eo, quod attritio producatur in nobis medio timore ſeruili: contritio vero medio timore filiali: ità communiter omnes locis ſuprà cit.

QVÆRES, *An actus attritionis perſeuerare poſſit in homine ad infuſionem vſque gratiæ iuſtificantis.* D. Thom. loco proxime cit. id negat, & plerique alij cum eo.

Attritio cũ ſacramento eſt ad gratiam diſpoſitio. Ceterùm opinio contraria videtur indubitata: nam attritio ſola cum ſacramento eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans: propter hanc enim cauſam docent multi Theologi Scholaſtici attritionem fieri contritionem.

Deinde, quia non eſt magis abſurdum, actum attritionis perſeuerare in aliquo ad receptionem vſque gratiæ iuſtificantis, quàm bona opera virtutum moralium: certum autem eſt opera virtutum moralium perſeuerare in nobis ad infuſionem vſque gratiæ iuſtificantis; vt patet ex eo verbi gratia qui impendit eleemoſynam antequam cum ſola attritione, ſacramentum aliquod conſequatur, & protrahat largitionem eleemoſynę ex vi ſuæ intentionis poſt ſacramenti receptionem: ità Recentiores.

Non eſt ſatis contritio ad iuſtificationem ſine voto ſacramenti. Aduerte, quod contritio in ſtatu legis Euangelicæ non ſufficit ad recuperandam animæ ſalutem, ſine voto ſacramenti penitentiæ: vt expreſſe definiuit Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 4. *Docet ſancta Synodus: etſi contritionem hanc aliquando formatam charitatem perfectam eſſe contingat: hominemque Deo reconciliare priusquam hoc ſacramentum actu recipiatur, ipſam per ſe hominis reconciliationem contritionis ipſi ſine ſacramenti voto, quod in ipſa includitur, non eſſe adſcribendam*: votum vero ſacramenti eſt deſiderium, vel propoſitum ſuſcipiendi ſacramentum:

Explicatur D. Thom. & Sentent.

Quo pacto ex attrito fiat quis contritus.

Digitized by Google

mentum: vt docet Tridentin. seſſ. 6. cap. 6. & Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem.

DVBITATIO TERTIA.

An Contritio fuerit ſimpliciter neceſſaria ad hominis adulti iuſtificationem in ſtatu legis naturalis.

In lege naturæ neceſſaria ſimpliciter contritio ad iuſtificationem.

RESPONDEO, miſſis alioqum de hac re variis opinionibus, ſequentibus Concluſionibus.

CONCLVSIO 1. *In ſtatu legis naturæ, Moſaïcæ, & gratiæ nullus potuit iuſtificari à peccato commiſſo ſine contritione.* Primo, quia Tridentin. ſeſſione 14. capite 4. verbis expreſſis habet, contritionem omni tempore fuiſſe ad iuſtificationem neceſſariam; quę ſcilicet, ſit à peccato mortali.

Neceſſaria in lege gratiæ. Deinde, hoc patet eſſe manifeſtum de ſtatu legis Euangelicæ ex illo Lucę 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis,* & ex c. 19. Matth. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, inter mandata autem nouæ legis computatur præceptum de habenda contritione.

Lucæ 13. Matth. 19.

In lege veteri neceſſaria contritio. De ſtatu vero legis Moſaïcæ; id patet indubitatum eſſe ex illo Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, &c. Ezechiel 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.* & rurſus. *Si egerit impius pœnitentiam de malis ſuis, agam & ego pœnitentiam de malo quod cogitaui, vt faceremei:* idem enim eſt ac ſi diceret Deus: Niſi actum contritionis exercuerit impius, vindicabo ego peccata illius, & mittam pœnas acerbiſſimas propter huiuſmodi peccata commiſſa, & Leuit. 5. præcipit Deus vt agant ludęi pœnitentiam de peccatis commiſſis, & denique Eccleſiaſt. 2. *Niſi egerimus pœnitentiam incidemus in manus Domini, non in manus hominum.*

Ioël. 2. Ezech. 18. Leuit. 5. Eccleſ. 2.

Ratione cuius probatur neceſſitas contritionis in omni lege. De lege vero naturali, & item de Moſaïca, & denique gratiæ demonſtratur ratione. Illud ſine quo iuſtificatio à peccato haberi non poteſt, eſt ſimpliciter neceſſarium ad iuſtificationem; fatentur enim omnes illud cenſeri neceſſarium neceſſitate medij ad finem aliquem obtinendum, ſine quo finis hic haberi nequit: atqui in lege naturæ, & gratiæ, & Moſaïca iuſtificatio à peccato commiſſo haberi non potuit ſine contritione: nam in lege ſaltem Moſaïca, & naturali nulla fuerunt à Deo conſtituta remedia, per quæ tollerentur peccata & daretur gratia gratum faciens: ergo contritio fuit ſemper neceſſaria ad iuſtificationem.

Dices, in lege Moſaïca, & naturali tam vere fuiſſe ſacramenta, & ſacrificia, quàm ſint in noua; ſacramenta autem nouæ legis ſatis ſunt ad hominis iuſtificationem.

Sacramenta antiqua non iuſtificabant ex opere operato. Reſpondeo, in lege Moſaïca, & naturali, ſacramenta & ſacrificia non habuiſſe vim iuſtificandi ex opere operato: ſed tantum ex opere operantis, id eſt, ex dignitate perſonæ quæ iſta ſacramenta conſequebatur; ac proinde cum dignitas iſtius perſonæ tota repetenda eſſet à contritione formali, ſeu expreſſa, vel virtuali, indubitatum eſt homines adultos in iſtis legibus non potuiſſe iuſtificari à peccato mortali commiſſo ſine contritione.

Inſtantia. Inſtabis, nullum extitiſſe præceptum in lege, ſaltem naturali, de contritione exercenda; indubitatum autem eſt de omni re neceſſaria ad ſalutem, latum fuiſſe aliquod præceptum diuinum.

Reſponſio. Tempore legis naturalis fuerunt præcepta tradita de contritio. Reſpondeo, tempore legis naturalis nulla fuiſſe præcepta ſcripta, bene tamen tradita, & inſpirata retinentibus legem naturalem: quemadmodum enim docuimus in tract. de ſacramentis in genere, in ſtatu legis naturalis, fuiſſe vera ſacramenta, & ſacrificia inſpirata tamen, & tradita tantum; ità & hoc idem ſentiendum eſt de præceptis cultoribus iſtius legis impoſitis: ità communiter omnes loco proxime citato.

Neceſſaria neceſſitate præcepti & medij contritio. Probat. CONCLVSIO 2. *Contritio eſt neceſſaria neceſſitate medij cuilibet conſtituto in ſtatu peccati mortalis, perſeuerante lege naturali, Moſaïca, & gratiæ: & item neceſſitate præcepti.* Primo, quia de omni re ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem concedendum eſt, quod ſit medium ſalutis aſſequendæ. Deinde, neceſſitas præcepti conſequitur neceſſitatem medij.

Tertio, hæc videtur eſſe expreſſa patrum ſententia: Hieronym. ad caput tertium Iſaiæ, Ambr. ad Virginem lapſam, Nazianzen. oratione in ſanctum baptiſma, Baſil. in quæſtionibus compendio explicatis, quæſt. 12. & denique Nyſſeni oratione in eos qui alios acerbius iudicant, & qui pœnitentiam negligunt. Denique ita Sententiarij in 4. diſt. 17.

Hieron. Ambroſ.

Obiectio. Obiicies, attritionem cum ſacramento eſſe diſpoſitionem ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia in nobis, ex doctrina D. Tho. in quartum, diſtinctione 17, quæſt. 1. art. 3. & in 3. parte quæſt. 86. art. 6. & idem ſentiunt omnes communiter: ergo contritio neceſſaria non eſt neceſſitate medij in lege gratię.

Solutio. Reſpondeo, probari tantum hoc argumento contritionem in lege gratiæ non eſſe ſemper neceſſariam neceſſitate medij, vel præcepti ad iuſtificationem hominis, quod nos vltro concedimus: non autem interdum, & aliquando, nempe quãdo ſacramenta conſequi non poſſumus: in hoc ergo caſu in quo quis non poteſt conſequi ſacramenta, contritio eſt ipſi ſimpliciter neceſſaria, ad hoc vt iuſtificetur à peccatis commiſſis: & ità Concluſiones ſupra poſitæ ſunt intelligendæ, reſpectu legis gratiæ.

DVBITATIO QVARTA.

An Contritio ità requiratur ad iuſtificationem, vt tot actus eiuſdem ſint neceſſario exercendi, quot ſunt peccata commiſſa ſecundum numerum.

Pars affirmans eſt aliquorum. SVNT qui partem affirmantem tueantur, idque quod dicatur Iſaiæ 38. ab Ezechia rege. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & à Dauide, pſalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*: & Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, & iudicium fecerit*, id eſt, ſuam conſcientiam examinauerit de peccatis commiſſis & doluerit, *vita viuet*, vt explicat Canus.

Iſaiæ 38. Pſal. 76. Ezech. 18.

Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis docent præmittendum eſſe examen contritioni, vt media illa iuſtificemur à peccatis iſtis commiſſis: ità Chryſoſt. de compunctione cordis, in fine, Greg. libro quarto Moralium, capite 17. & libro 8. cap. item 17. & homilia 40. in Euangelia, & denique D. Auguſtin. libro de vera, & falſa pœnitentia, cap. 9. & 17.

Digitized by Google

Vltima probat. Denique, in omni peccato mortali datur ſpecialis auerſio à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuerſio in creaturam tamquam in vltimum finem: ergo cum auerſio iſta priuata, & particularis à Deo nequeat tolli, niſi per actum ſibi contrarium, tot erunt neceſſariæ contritiones priuatæ, & particulares, quot fuerunt peccata mortalia commiſſa à nobis: ex hoc autem fundamento colligunt eum qui vult debite dolere de peccatis obligari ad prȩmittendum diſtrictum examen conſcientiæ: alioqui contritionem futuram inualidam ad iuſtificationem primam efficiendam.

Contraria ſententia explicatur ſequentibus Concluſionibus.

Non ſunt neceſſaria tot contritiones quot peccata commiſſa. Probat. CONCLVSIO 1. *Non eſt neceſſe ad hoc vt aliquis iuſtificetur à peccatis mortalibus commiſſis, media ſola contritione extra vſum ſacramenti, quod tot exerceantur contritiones numero diſtinctæ, quot ſunt peccata mortalia à nobis commiſſa.* Primo, quia quælibet contritio, quantumuis minima, eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

2. Deinde, quælibet contritio opponitur cuilibet peccato mortali.

3. Tertio, ſi tot eſſent à nobis exercendæ contritiones, quot ſunt peccata mortalia à nobis commiſſa, ad hoc vt iuſtificaremur ab huiuſmodi peccatis mortalibus, contritiones iſtæ vel eſſent ſimul, vel certe ſucceſſiue à nobis præſtandæ; neutrum ex iſtis dici poteſt: non quidem primum, quia mens humana nequit cogitatione diſtincta inueſtigare multa, vt multa ſunt: neque item 2. quia cum poſita prima contritione ſequatur gratia, iuſtificans in eo in quo datur contritio iſta, fruſtra exiguntur huiuſmodi contritiones numero diſtinctæ.

Denique hæc eſt mens D. Thom. in 4. diſt. 17. & omnium fere Recentiorum, in tractatione de contritione.

Iuſtificatio per contritionem non exigit neceſſario diſtrictum examen. Probat. CONCLVSIO 2. *Non eſt neceſſarium prȩmittere diſtrictum examen conſcientiæ ad hoc vt aliquis iuſtificetur à peccatis commiſſis per ſolam contritionem.* Primo, quia nullum extat præceptum de prȩmittendo iſto examine contritioni.

1. Deinde, nullus eſt qui teneatur ad impoſſibile: ſunt enim præcepta de rebus poſitis in noſtra poteſtate, omnium conſenſione: at fieri poteſt vt quis nullo negotio exerceat actum contritionis, hic enim produci poteſt in inſtanti, cum ſit actus immanens, & ſpiritualis, non poterit tamen iſte, ſaltem in aliquo caſu, prȩmittere diſtrictum examen conſcientiæ contritioni iſti: idque propter breuitatem temporis quod illi datur ad hoc vt conteratur & exerceat actum examinis: ergo.

2. Tertio, examen hoc, vel eſt neceſſarium ad contritionem debitam ex ſe, & ſua natura, vel lege, & ordinatione diuina: primum dici nequit; contritio ſiquidem vere conſurgit in nobis, etiam ſi prȩtermiſſum non fuerit hoc examen conſcientiæ, putà in eo caſu in quo non poteſt quis, & prȩmittere huiuſmodi examen, & exercere actum contritionis.

4. Rurſus, ad hoc vt contritio ſatis ſit ad hominis iuſtificationem primam, ſufficit, quod ſit dolor de peccatis commiſſis ex eo capite, quod peccata ſunt contra Deum: diximus enim contritionem eſſe dolorem de peccatis, quia peccata ſunt contra Deum: at ratio hæc poteſt dari in homine, prȩtermiſſo diſtricto examine ſuæ conſcientiæ, nihil enim vetat quominus iſte doleat de peccatis à ſe commiſſis in communi, ac proinde magis doleat de iſtis ſub ea ratione qua ſunt offenſiæ Dei, quàm ſi doleret de peccato quolibet mortali à ſe commiſſo in particulari: maior quippe fœditas, & turpitudo apparet in omnibus peccatis ſimul ſumptis, quàm faciat in aliquo priuato ex his quæ commiſimus; vt eſt per ſe notum: neque item ſecundum, non enim poteſt vllus locus, vel ſcripturæ, vel Conciliorum aſſignari in quo dicatur Deum præcepiſſe diſtrictum examen conſcientiæ eſſe prȩmittendum contritioni: ad hoc vt quis iuſtificetur à peccato mortali commiſſo.

Obiectio. Dices, neminem poſſe abſolui in foro conſcientiæ, niſi prius ſuam conſcientiam ſtricte examinauerit, vt colligunt Doctores ex illo capit. 11. 1. ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo*, &c. ergo. 1. Cor. 11.

Confeſſio exigit prȩuium examen, non item contritio, quare. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem, propterea enim examen diſtrictum conſcientiæ cogimur prȩmittere confeſſioni ſacramentali, quia lege, & ordinatione diuina quodlibet peccatum mortale ſubiiciatur clauibus Eccleſiæ; vt docet Concil. Tridentin. ex illo Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. & probabitur à nobis in tractat. de Confeſſione: nulla autem extat lex diuina, qua conſtitutum ſit examen conſcientiæ prȩmittendum eſſe contritioni, ad hoc vt hęc ſufficiat ad hominis iuſtificationem. Ioan. 20.

Replica. Inſtabis, contritionem eſſe ſatisfactionem pro peccatis: at nullus eſt qui poſſit ſatisfacere debite, niſi prius cogitet de varietate debitorum, ad quæ tenetur.

Diſſoluitur. Reſpondeo, contritionem eſſe ſatisfactionem pro iniuria Deo illata quotieſcumque peccamus; habet tamen hæc hoc ſibi proprium, & peculiare, vt opponatur cuilibet peccato mortali, quod tamen ſatis eſt, ac proinde deſtruit quoque ſufficientiſſime in nobis quodlibet peccatum mortale in ratione culpæ, & reſpectu pœnæ æternæ.

Deinde, inducit quælibet contritio gratiam gratum facientem in eum qui elicit actum contritionis, etiam ex doctrina authorum contrariæ ſententiæ; gratia autem gratum faciens ex æquo opponitur quibuſuis peccatis mortalibus: ſatisfactiones vero aliæ quę reſpiciunt debita ex æquitate iuſtitiæ contracta, tot debent eſſe neceſſario quot ſint debita numero diſtincta, vt communiter fatentur omnes; cum iſtis tamen recte cohęret, vt contritio cenſeatur plene ſatisfactoria, aut vt alij loquuntur perfectiſſime expiatoria cuiuſlibet culpæ mortalis, & item pœnæ debitæ culpis à nobis commiſſis.

Extra ſacramentum ſufficit dolor de peccatis in communi. CONCLVSIO VLTIMA. *Ad hoc vt aliquis iuſtificetur à peccatis mortalibus extra vſum ſacramentorum, ſatis eſt quod doleat de peccatis commiſſis in commune.* Primo, quia nemo obligatur ad eliciendas tot contritiones, quot ſunt peccata commiſſa.

1. Deinde, fieri poteſt vt quis iuſtificetur in inſtanti ab omnibus peccatis ſuis, ex illo Ezech. 33. *In quacumque die conuerſus fuerit peccator*, &c. τὸ (*dies*) namque ſignificat momentum quodlibet, ex doctrina communi Theologorum. 2.

3. Tertio, dolor de peccatis commiſſis conceptus, vt plurimum eſt intenſior eo, qui datur in nobis de quolibet in particulari commiſso.

4. Denique, ita docent Theologi in quartum, diſtinctione 17. alij 16. & Recentiores in tractatibus

tibus de penitentia.

Satisfit argumentis contrar.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. ex illis locis colligi tantum Dauidem, & Ezechiam ſua prius recogitaſſe peccata, quàm de iſtis doluerint, aut penitentiam egerint: non licet tamen inde colligere teneri ad id vnumquemque neceſſario, vel etiam obſtrictos fuiſſe ad hoc Dauidem, & Ezechiam: diximus enim nullum extare de hac re præceptum, neque extitiſſe aliquando: fauet iſtis quod locis ab aduerſarijs citatis dicatur Dauidem, & Ezechiam fleuiſſe ſua peccata, iuxta terram dormiuiſſe; neque tamen propterea liberum eſt colligere vnumquemque noſtrum teneri quotieſcumque contendimus reconciliari Deo, duo hæc præſtare: factum ergo iſtorum duorum imitari licet, & quidem cum maximo commodo, & vtilitate, non tamen tenemur ad eius imitationem ſub reatu alicuius peccati. Particula vero iſta (*fecerit inducium*) quę extat apud Ezechielẽ, non ſignificat examinare conſcientiam, vt vult Canus, ſed tantum dolere de peccatis vt peccata ſunt contra Deum, vel reddere Deo, & proximo quod iiſdem debetur à nobis, vel denique præcepto, & legi ſuperioris obtemperare, vt explicant communiter interpretes illius loci.

2. Ad ſecundam reſpondeo. Ex iſtis locis ſanctorum patrum colligi tantum poſſe; eum qui vult iuſtificari à peccatis mortalibus, medio ſacramento penitentię, debere diſtrictum examen conſcientiæ prętermittere, minime vero eum qui vult iuſtificari media ſola contritione: loquuntur enim patres illi de ea iuſtificatione quæ fit medio ſacramento penitentiæ.

Vltim.

Ad vltimam. Quamlibet auerſionem à creatura, tamquam ab vltimo fine, & conuerſionem in Deum tamquam in vltimum finem, contrariari cuilibet peccato mortali; ac proinde ſatis eſſe ad deſtructionem cuiuslibet peccati mortalis, quod datur in nobis. Diximus enim contritionem eſſe diſpoſitionem ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

Contritio eſt actus charitatis & non penitentiæ.

Aduerte contritionem, vt de ea diſputamus hoc loco, eſſe actum charitatis, non autem virtutis penitentiæ: licet enim contritio, & penitentia verſentur circa peccata à nobis commiſſa, veluti circa propria obiecta, non tamen eadem ratione; nam virtus penitentię verſatur circa peccata à nobis commiſſa, ſub ea ratione qua eſt intentio ſatisfaciendi Deo pro peccatis, vt docuimus q. 85. huius p. contritio verò vt de ea diſputamus hoc loco, verſatur circa peccata, vt hæc ſunt quędam Dei mala; charitas autem eſt, quæ facit vt quælibet Dei bona amemus, idque propter ſolam bonitatem diuinam; ac proinde, vt mala etiam quælibet eiuſdem odio habeamus.

DVBITATIO QVINTA.

Quanta debeat eſſe Contritio ad hoc vt ſufficiat ad iuſtificationem à quolibet peccato mortali commiſſo.

Sententia quorundã & fundamenta 1.

SVNT qui putent debere eſſe intenſiſſimam, ac proinde ex toto conatu: nam contritio tanta debet eſſe in nobis, vt ea media iuſtificemur à peccato mortali, quanta eſt dilectio: quemadmodum enim dicitur Matth. 22. & alibi. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. ità dicitur Matth. 22. loc. 2. Deuter. 4. loëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, & 4. Reg. 23. & Deuter. 4. *Cum quæſieris Deminum Deum tuum inuenies illum, ſi tamen toto corde quæſieris illum*, & Hieremiæ 24. *Reuertetur ad me in toto corde ſuo*: atqui diligendus eſt Deus intenſiſſimè.

Hier. 24.

Deinde, facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam: vt habet axioma communiſſimum; at illi ſoli faciunt quod in ſe ipſis eſt, qui ex toto conatu; ac proinde intenſiſſime quantum poſſunt conuertuntur ad Deum: ergo. ità Adrianus, & alij nonnulli.

2.

Aliorum opinio & rationes.

Sunt etiam qui doceant contritionem debere eſſe maiorem de peccatis commiſſis, quàm ſit dolor omnis qui datur in nobis de vlla plane re creata deperdita, quod probant ex illo Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Alij denique contritionem debere eſſe quàm maximam, non quidem intenſiue, ſed appretiatiue. Non conuenit autem inter iſtos quid ſibi velit, particula iſta, *appretiatiuè*, ac proinde reſpondetur ſequentibus Concluſionibus.

Matth. 10.

Vltima ſententia.

CONCLVSIO 1. *Ad hoc vt contritio ſufficiat ad hominis iuſtificationem a peccato mortali, non eſt neceſſe quod ſit ex toto conatu, ſeu quod idem eſt intenſiſſima.* Primò, quia difficile eſt hominem opérari ex toto conatu, ſeu intenſiſſime.

Contritio non eſt neceſſaria. Probat.

1.

Deinde, quia alioqui conſcientiis timoratis iniicerentur laquei deſperationis; nam vix eſſet aliquis qui poſſet aſſequi ſe ſatisfeciſſe præcepto de contritione agenda, ac proinde qui & poſſet deponere conſcientiam ſuam, & eamdem quietare, quotieſcumque teneretur ad confeſſionem, & non haberet ſacerdotem cui confiteretur peccatum, de quo eſt ſibi conſcius.

2.

Tertio, ſubſtantia alicuius actionis eſt in præcepto, non autem modus actionis, vt conſtat ex eleemoſyna; hæc enim vere reſpondet præcepto iuris diuini, & naturalis, ſi fuerit pauper conſtitutus in neceſſitate, etiamſi is qui dat eleemoſynam non ſit in gratia, & in charitate conſtitutus; at exercere actum charitatis ex toto conatu, ſeu intenſiſſime pertinet ad modum tantum contritionis, non autem præcise ad ſubſtantiam eiuſdem, vt eſt per ſe notum; & ratio manifeſte conuincit; contritio enim vt duo vere naturam, & eſſentiam contritionis aſſequitur.

3.

Quarto, contritio non debet eſſe intenſior dilectione Dei ſuper omnia: ſunt enim hæc duæ diſpoſitiones ad quas infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans, imo contritio eſt actus virtutis charitatis, vt de ea diſputamus hoc loco: atqui dilectio Dei non debet eſſe intenſiſſima, ad hoc vt ſufficiat ad hominis adultri iuſtificationem, ſed ſatis eſt ſi fuerit hæc vera dilectio Dei ex auxilio aliquo Dei ſupernaturali: vt colligitur ex c. 14. Ioan. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

4. Ioan. 14.

Denique, fatentur omnes ad quæſtionem 26. 2. 2. D. Thom. art. 2. fieri poſſe, vt quis magis intenſe diligat rem aliquam creatam quàm Deum, atque ſine vlla plane culpa: ità Bannez, Leſſius, Petrus Aragonius, & Malderus ad locum proximè citat. D. Thom. ergo.

5.

Dolor inteſior de peccatis quocumque alio dolore non eſt neceſſarius.

CONCLVSIO 2. *Non eſt neceſſe, ad hoc vt tenſior de aliquis iuſtificetur media contritione extra vſum ſacramenti, quod dolor de peccatis commiſſis, quatenus hæc ſunt contra Deum, ſit intenſior omni dolore quem habet in nobis de amiſſione alicuius rei temporalis puta parentis, vel filij mortui.* Primo, quia diximus fieri poſſe, vt quis intenſius amet rem aliquam creatam

Probatio 1.

Digitized by Google

tam,putà patrem,& matrem,quàm Deum ipſum, A idque ſine vlla plane culpa.

2. Deinde,actus fidei, ſpei, & charitatis non exigunt intenſos aliquos gradus, ad hoc vt cenſeantur eſſe actus fidei,ſpei, & charitatis, ſed ſatis eſt quod dentur in illis certi aliqui gradus.

3. Tertio, ſi quis ex hypotheſi doleret de peccatis,vt quatuor, quia peccata ſunt contra Deum, ac proinde ex complacentia ſolius diuinitatis,non poſſet hic inculpate poſteà diligere parentem, vt ſexta illatio iſta eſt manifeſte contra communem ſententiam,quæ aſſerit dilectionem creaturę poſſe eſſe in nobis intenſiorem quàm ſit dilectio Dei; magis quippe afficiunt res iſtæ ſenſiles, & viſibiles hominem,quàm faciant res ſpirituales,vt docet experientia quotidiana,& colligitur manifeſte ex illo D.Ioan. *Si non diligis proximum quem vides, quomodo diligis Deum quem non vides?* præterea poſita morte parentis, vel alicuius alterius amici chariſſimi,ſtatim erumpimus in lachrymas;minime vero poſito peccato fœdiſſimo, & turpiſſimo: licet recta ratio dictet culpam contra Deum commiſſam eſſe magis deformem, & nobis perniciofiorem,quàm ſit mors parentis, aut cuiuſlibet alterius cognati, vel amici.

Inculpatè poſſe magis diligi parentes quàm Deum.

1.Ioan.4.

CONCLVSIO 3. *Contritio vera ſufficit ad hominis iuſtificationem, modò fuerit ſuper omnia de peccatis commiſſis: non quidem intenſiue, ſed tantum appretiatiue,& æſtimatiue, vt loquuntur.*

Dolor ſufficiens ad iuſtificationem appretiatiue debet eſſe intenſior omni alio dolore.

Antequam hæc Concluſio probetur. Aduerte contritionem illam de peccatis commiſſis contra Deum eſſe ſuper omnia æſtimatiue,ſeu appretiatiue, quæ eſt dolor de peccatis commiſſis quatenus hæc ſunt offenſa Dei, & quidem ex motiuo complacentiæ ſolius diuinę bonitatis,& cum proposito de cetero non peccandi: ità vt conuerti in Deum ex toto corde,ad quod obligat præceptum contritionis, nihil aliud ſit, quàm conuerti in Deum,vere & ſincere non autem ioco, & apparenter: *ex toto* vero *corde*, nihil aliud eſt quàm conuerti in Deum perfectè,integrè, & complete; ità vt partim recedamus à peccatis & partim ab iiſdem non recedamus, ſed auertamur ab illis D ſimpliciter,& abſolutè, omnem erga ea affectum abiicientes & ad Deum nos conuertentes: neque hoc mirum; eadem quippe ratione obligat præceptum contritionis, qua præceptum de diligendo Deo ſuper omnia; tunc autem hoc adimplemus, cum Deum propter eius bonitatem diligimus,& nihil contra eius legem amamus;licet aliquid aliud intenſius diligamus quàm Deum ipſum,vt fatentur authores ſuprà citati, & illud idem erit dicendum de præcepto contritionis.

Quid ſit dolere appretiatiue de peccatis.

Notanda.

Probatio. Hoc ità conſtituto probatur Concluſio:Obligamur ad dilectionem Dei ſuper omnia: & item ad dolendum de peccatis, verbis expreſſis in ſacris literis,locis ſupra cit. at non tenemur dolere de peccatis ſuper omnia actu aliquo intenſiſſimo: neque item intenſiore eo qui datur in nobis de amiſſione parentis v. g. ergo tenemur dolere de peccatis ſuper omnia appretiatiue:non enim dantur plures alij modi quibus teneamur dolere de peccatis, ſaltem non aſſignantur plures modi à Doctoribus.

Deinde, nulla poteſt eſſe perfecta contritio de peccatis, ſine iſta æſtimatione,ſeu appretiatione.

Tertio,peccatum mortale cenſetur eſſe malum ſumme nocium,& perniciolum,cum priuet hominem vita æterna, gratia, & amicitia diuina, & inducat reatum pœnæ æternæ: ergo tenemur quoque elicere actum contritionis,ſummum appretiatiue, nam per contritionem deſtruimus, & reparamus huiuſmodi ſummum malum.

Poſtremò per particulam iſtam (*appretiatiuè*) ſignificatur non quantitas, ſeu intenſio contritionis,ſed tantum modus aliquis qui ità conſequitur naturam,& eſſentiam contritionis,vt hic ſit ab eo omnino inſeparabilis;imo ex eorum opinione eſt de intrinſeca ratione contritionis: ergo contritio nequit eſſe talis,niſi fuerit appretiatiua.

Obiectio. Dices,fieri non poſſe, vt is non doleat intenſius de re amiſſa,quàm pluris æſtimat,qui autem peccauit contra Deum, hic pluris facit amicitiam Dei deperditam, & gratiam eiuſdem quàm vllam B plane rem creatam: ergo intenſius quoque dolebit de rebus iſtis deperditis.

Solutio. Ideo plus diliguntur res ſenſiles quia magis mouent. Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram,quando cetera omnia ſunt paria, in re autem præſenti non omnia ſunt paria: nam res ſenſiles magis mouent vnumquemque noſtrum, quàm res diuinę, & ſpirituales, vt docet experientia quotidiana,etiamſi recta ratio pluris faciat res diuinas,quantumuis minimas; ac proinde non debet eſſe mirum,ſi quis doleat magis, & intenſius de morte parentis v.g.quàm de vllo plane peccato mortali contra Deum commiſſo. In hac concluſione ſunt Bonauent.in 4.diſt.17. art. 2. q. 1. Durand.diſt.17.q.4.art.4. & Recentiores pleri-

C que.

Optimum eſt actum intenſiſſimũ contritionis elicere. CONCLVSIO VLTIMA. *Licet nullus teneatur ad eliciendum actum contritionis intenſiſſimæ, vel magis intenſè, quàm ſit ea quæ datur in nobis de re aliqua temporali deperdita, ad hoc vt iuſtificemur à peccato mortali: rectius tamen quiſque ſibi proſpicit, qui actum intenſiſſimæ contritionis exercet.* Primo, quia *Probat.* 1. quo contritio eſt intenſior eo quoque perfectiores producit in nobis actiones externas ſatisfactorias pro peccatis, vt colligitur manifeſte ex contritione Dauidis pſal.6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, pſal. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*,pſal.118.*Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*: &c. Magdalenæ Luc.7. *Cœpit lachrymis rigare pedes Domini ſui.* Petri, Luc. 22. *Egreſſus foras flenit amare*,& D.Auguſt.lib.8.Confeſſ.cap.12. *Vbi verò à fundo arcano alta conſideratio contraxit,& congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis mei,oborta eſt procella ingens,ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus ſuis, ſolitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur*,& paucis interiectis.*Et dimiſi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum.* & rurſus, *& flebam amariſſima contritione cordis mei.*

Pſal.6. *Dauid, Magdalena D.Petr. & Auguſt. intenſè doluerunt de peccatis.* Pſal.41. & 118. Luc.7. & 22. D.Auguſt.

2. Deinde, anta debet eſſe contritio,quanta dilectio:eſt enim contritio actus dilectionis & charitatis, vt docuimus in antecedentibus. At ex doctrina Bernardi, referente Dominico Soto, diſt. 17.lib. 4. diligendus eſt Deus à nobis ſine modo, id eſt intenſiſſimè quantum poſſumus.

Ex iſtis colliges, contritionem non poſſe eſſe nimis intenſam in nobis, quod tamen venit explicandum per ſe: per accidens ſiquidem fieri poteſt vt contritio ſit in aliquo nimia, ratione videlicet illius doloris qui interdum excitatur in appetitu ſenſili: contingit enim interdum ex iſto dolore ęgritudo,nedum corporis,ſed etiam mentis,vt obſeruant aliqui in tractatione de contritione.

Soluuntur arg.aduerſ. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorem. Ad proba tionem

tionem autem, eum ſatisfacere præcepto contritionis, etiamſi non exerceatur actus intenſiſſimus, aut etiam magis intenſius, quàm ſit dolor aliquis qui datur in nobis de re aliqua deperdita temporali, modo vere doleat hic de peccatis, vt ſunt contra Deum, cum proposito de cetero non peccandi, & præterea modo nullus detur in nobis affectus circa peccata; auertimur quippe hac ratione à creatura, tamquam ab vltimo fine, & cõuertimur in Deum, tamquam in vltimum finem: ac proinde ſatisfacimus præcepto contritionis, quod ſignificatur verbis iſtis: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.*

Ioel 2. *Secundum argumentũ diſſoluitur. Sufficit agere quod in ſe eſt ex affectu ordinis ſupernaturalis.*

Ad ſecundam reſpondeo. Nedum hunc iuſtificari qui facit quod in ſe eſt ex toto conatu, ſeu quod idem eſt intenſiſſime, dependenter ab auxilio ſpeciali diuino, ſed etiam eum qui facit quod in ſe eſt ex affectu aliquo ordinis ſupernaturalis, vt conſtat ex dictis, & ratio idipſum ſuadet: nam affectus hic auertit hominem à creatura, veluti ab vltimo fine, & conuertit hominem in Deum, tamquam in vltimum finem: poſita autem iſta auerſione à creatura, & conuerſione in Deum, veluti in vltimum finem, ſubſequitur gratia iuſtificans infallibiliter: vt colligunt Theologi ex illo Ezechielis 18. *Si auerterit ſe impius ab impietate ſua impietas hæc non nocebit ei*, & ex illo. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, conferendo ſcilicet, gratiam iuſtificantem.

Ezech. 18. Zach. 1.

Ad Vlt. Matth. 10.

Ad vltimam reſpondeo. Ex eo loco, *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me*, &c. Poſſe tantum colligi eum qui aliquid facit ex amore paterno, vel materno, quod eſt legi diuinæ contrarium, non eſſe dignum gratia, & amicitia diuina, vt communiter fatentur interpretes illius loci, & docent Theologi Scholaſtici fere omnes: ac proinde locus hic nulla ratione ſententiam noſtram labefactat, qua concedimus dolorem de peccatis, & dilectionem Dei debere eſſe ſuper omnia non quidem intenſiue, ſed appretiatiue. Vide plura de iſtis apud interpretes D. Th. q. 26. in 1. 2.

DVBITATIO SEXTA.

An detur præceptum aliquod de Contritione celebranda.

Aliquorum ſententia & fundamẽta.

FRANCISCVS à Victoria, & alij nonnulli crediderunt contritionem eſſe neceſſariam neceſſitate finis, ſaltem in eo caſu in quo ſacramenta nequeunt à nobis vſurpari; minime vero neceſſitate præcepti, quod fateatur D. Th. 2. 2. q. 14. ar. 2. impenitentiam non eſſe ſpeciale peccatum, ſed tantum circumſtantiam peccati.

Deinde, quia ſi aliter res haberet nullus damnaretur propter vnicum peccatum: nam præter peccatum in quo moreretur Socrates verbi gratia, daretur in eo peccatum impenitentiæ, ad cuius contritionem & penitentiam ex hypotheſi obligatur vi præcepti.

Tertio, in lege naturali nullum fuit tale præceptum contritionis.

Denique, contritio pendet ſimpliciter ab auxilio ſupernaturali & ſpeciali diuino, vt definitum fuit in Concil. Mileuitano, & Arauſicano II. contra Pelagianos, & colligitur ex Trident. ſeſſione 14. cap. 4. dicitur enim illic attritionem dari in nobis ex ſpeciali Dei auxilio: at præcepta ſunt de rebus poſitis in noſtra poteſtate, auxilia autem diuina ſpecialia fugiunt captum, & poteſtatem creaturæ, vt eſt per ſe notum.

Datur præceptum reſpectu contritionis.

CONCLVSIO 1. *Extat præceptum de contritione retinenda reſpectu cuiuſlibet hominis lapſi in peccatum.* Primo, quia id colligitur manifeſte ex iſtis locis, Ezechielis 18. *Conuertimini, & agite penitentiam.* Matth. 4. *Penitentiam agite*, &c. Luc. 13. *Niſi penitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis.*

Probat. 1. Ezech. 18. Matth. 4. Luc. 13.

Deinde, hæc eſt expreſſa patrum ſententia: Tertull. libro de penit. cap. 4. *Audaciam*, inquit, *eſtimo de bono diuinæ præcepti diſputare, neque enim quia homini eſt, idcirco auſultare debemus, ſed quia Deus præcepit ad exhibitionem obſequij, prior eſt maieſtas diuina poteſtatis. Prior eſt authoritas imperantis, quam vtilitas ſeruientis*, &c. Loquitur autem verbis expreſſis de penitentia: Hieronymi ad caput ſeptimum Ezech. quo loco videtur affirmare præceptum contritionis eſſe naturale nobis, illo eodem modo quo naturale eſt brutis animantibus aptas quærere medicinas, quando contingit ea laborare: & ad caput tertium Iſaiæ, penitentiam aſſerit eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium. 2.

Tertio, de re ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem extra præceptum aliquod; neceſſitas quippe præcepti habet vt plurimum ortum ex neceſſitate medij: propter hanc enim cauſam fatentur omnes de baptiſmo, quod ſit neceſſarium neceſſitate præcepti, nedum neceſſitate medij: at contritio eſt neceſſaria neceſſitate medij, ſaltem in eo caſu in quo ſacramenta haberi non poſſunt. 3.

Quarto, nullus eſt qui redarguatur, niſi ob tranſgreſſionem alicuius præcepti: at qui non exercent actum contritionis redarguuntur à Deo frequentiſſime in ſacris literis, vt conſtat ex illo Iſaiæ 65. *Omnes in cede corruetis, pro eo quod vocauj, & non reſpondiſtis.* & Prouerb. 1. *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, &c. 4. Eſaiæ 65. Prou. 1.

Quinto, hæc eſt expreſſa Scholaſticorum ſententia, diſt. 16. alij 17. lib. 4. 5.

Obiectio. Dices, ſi contritio eſſet neceſſaria nedum neceſſitate medij, ſeu finis, ſed etiam neceſſitate præcepti, ſequeretur poſita iuſtificatione à peccato mortali obligari hominem, qui aliquando peccauit, ad actum contritionis, quemadmodum quilibet tenetur ad ſuſceptionem baptiſmatis, etiamſi iuſtificatus fuerit à peccatis ante baptiſmi ſuſceptionem, & item à peccato mortali.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem maioris; eſt enim maximum diſcrimen inter præceptum de baptiſmo ſuſcipiendo, & de contritione celebranda: præceptum enim de baptiſmo ſuſcipiendo ideo obligat etiam iuſtificatum à peccato originali, & à ceteris peccatis actualibus commiſſis, quia ſacramentum hoc, eſt impoſitum ſimpliciter, & abſolute quibuſuis poſteris Adæ, exiſtentibus in ſtatu legis Euangelicę; eſt enim baptiſma ianua Eccleſiæ, & quorumcumque ſacramentorum: præceptum vero de contritione retinenda non eſt impoſi-

tum quibuſuis poſteris Adæ, ſed illis ſolis qui poſt baptiſmatis ſuſceptionem lapſi ſunt in peccatum mortale, & nequeunt conſequi ſacramentum penitentiæ: ac proinde iuſtificaris à peccato mortali commiſſo poſt baptiſmatis ſuſceptionem, præceptum hoc nullam induxit obligationem.

Præceptum contritionis eſt iuris naturalis. CONCLVSIO 2. *Præceptum de contritione celebranda eſt iuris naturalis.* Primo, quia ratio naturalis nihil magis dictat quàm ſatisfaciendum eſſe ei quem læſeris, ex illo principio communiſſimo. *Quod tibi fieri vis, alteri facias*; & contrà: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: atqui media contritione poſſumus ſatisfacere pro iniuria alteri illata, omnium conſenſione; ergo iure naturali debemus ſaltem dolere.

Probat. 1.

2. Deinde, illud idem dicendum eſt de contritione, quod de dilectione Dei ſuper omnia, eſt enim contritio actus dilectionis & charitatis, vt hoc loco de contritione diſputamus: at dilectio Dei ſuper omnia, vt Deus eſt finis ſupernaturalis, eſt in præcepto iuris naturalis; ratio quippe naturalis manifeſtiſſime dictat Deum eſſe ſuper omnia diligendum, cum ſumma bonitas detur in eo ſolum, & quæcumque alia bona creata ſint participationes quædam iſtius ſummæ bonitatis.

3. Tertio, colere Deum & eidem ſacrificare cenſetur eſſe de iure naturali; conuenit enim inter omnes præcepta Decalogi eſſe iuris naturalis, inter hæc autem hoc ſibi vendicat primas partes; *Vnum cole Deum*: at media contritione colitur Deus à nobis, appellatur enim contritio pſal. 50. *Sacrificium ſpiritus contribulati*: ergo. Pſal. 50.

Denique, ità ſentiunt D. Thom. tertia parte, quæſt. 84. art. 7. ad 1. & 2. Bonauent. diſt. 17.

Obiectio. Obiicies, ſi præceptum contritionis eſſet de iure naturali extaret in Decalogo.

Solutio. Multa debent fieri iure naturali, quæ nõ habentur in Decalogo. Reſpondeo, non eſſe neceſſe ad hoc vt aliquid cenſeatur de iure naturali, quod res iſta præcipiatur aut vetetur in Decalogo: pluralitas quippe vxorum eſt de iure naturali vetita, & tamen nihil de hac re habetur in Decalogo: danda item eſt eleemoſyna laboranti extrema neceſſitate iure naturali, omnium conſenſu, & tamen præceptum hoc non habetur expreſſum in Decalogo: ad hoc ergo vt aliquid ſit in præcepto de iure naturali, ſatis eſt, vel quod huiuſmodi res ſit explicata in Decalogo, vel colligatur ex recta ratione, vel denique ex principiis ſyndereſis. Indubitatum autem eſt lumen naturale præſcribere ſatisfaciendum eſſe ei quem læſeris; hoc autem præſtamus media contritione: erit ergo hæc in præcepto iuris naturalis.

Dictat ratio ſatisfaciendum ei quem læſeris.

Contritio eſt de iure diuino etiam Probat. CONCLVSIO 3. *Contritio non eſt totaliter, & adæquatè de iure naturali: ſed præterea de iure diuino poſitiuo.* Primo, quia diximus extare præceptum expreſſe in ſacris literis de contritione celebranda, Ioëlis ſcilicet 1. ſecundo, Ezech. 18. Matth. 4. & Luc. 13.

2. Deinde, contritio numquam datur in nobis ſine gratia actuali, vel habituali, & ordinatur ad vitam æternam obtinendam: at hæc omnia nequeunt eſſe iuris naturalis, cum pertineant ad ea quæ ſunt fidei, & religionis Chriſtianæ.

3. Tertio, Contritio ex lege, & ordinatione Chriſti reſpicit ſacramentum penitentiæ, ità vt nequeat vllos in nobis producere effectus, niſi cum dependentia à ſacramento penitentiæ, vt definiuit Concilium Tridentinum, ſeſſione 14. ergo ſaltem quoad iſta contritio erit de iure diuino poſitiuo.

4. Denique, quilibet, ſaltem dum datur copia ſacerdotis, & vult Euchariſtiam ſumere, tenetur ad dolendum de peccatis, accuſando ſe apud ſacerdotem iuriſdictionem habentem: at quis neſciat hæc eſſe de iure tantum diuino poſitiuo, non autem de iure naturali.

Obligatio præcepti contritionis reſpicit virtutem charitatis. CONCLVSIO VLTIMA. *Obligatio contritionis reſpicit charitatem.* Primo, quia actus contritionis, vt hoc loco de contritione diſſerimus, eſt actus charitatis, non autem virtutis penitentiæ, vt penitentia diſtinguitur à ceteris virtutibus, actus quippe iſtius eſt intentio ſatisfaciendi pro peccatis, vt docuimus quæſtione 85. tertiæ partis D. Thom. *Probat.* 1.

Deinde, contritio nihil aliud eſt, quàm dolor de peccatis, quatenus hæc ſunt contra Deum, ex motiuo ſolius complacentiæ diuinæ bonitatis, cum propoſito de cetero non peccandi: at dolere de peccatis ex motiuo complacentiæ diuinæ bonitatis, nihil aliud eſt, quàm dolere de peccatis propter virtutem charitatis. 2.

Tertio, quemadmodum charitas facit, vt tendamus in Deum propter ſuam bonitatem, & odio habeamus quodlibet eiuſdem malum, ità eadem charitas facit, vt reconciliemur Deo, quotieſcumque contra eumdem peccauimus: reconciliatio autem hæc fit media contritione. 3.

Quarto, propter hanc eamdem cauſam docuimus in antecedentibus formalem, & expreſſam contritionem non eſſe neceſſariam ad hominis iuſtificationem, ſed ſufficere interdum dilectionem Dei ſuper omnia. Denique, ità plerique Recentiores & veteres Scholaſtici. 4.

Obiectio. Dices, ſi ità res haberet præceptum de contritione retinenda reuocaretur ad præceptum hoc: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* Matth. 22. Matth. 22.

Reſponſio. Contritio ſpeciale aliquid præceptum habet. Reſpondeo, negando illationem iſtius propoſitionis maioris: præceptum ſiquidem de contritione retinenda eſt ſpeciale aliquod præceptum diſtinctum à ceteris omnibus aliis: quod tamen dici nequit de præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Hoc enim vagatur per omnia præcepta Decalogi; ſenſus enim iſtorum verborum, *Diliges Dominum Deum tuum*, nullus alius eſt, quàm totam legem Dei eſſe ſeruandam; quemadmodum, & ſenſus iſtorum verborum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, nullus alius eſt, quàm cum proximo in omnibus, & ſingulis agendum eſſe cum recta ratione, & in nulla plane re eum lædere: præceptum autem de contritione retinenda eſt præceptum ſpeciale, quod habet motiuum diſtinctum à ceteris omnibus aliis præceptis; peccatum enim quod committitur contra hoc, cenſetur eſſe peccatum omiſſionis contritionis: illa eadem ratione qua

peccatum

peccatum commiſſum contra præcepta de audiendo ſacro cenſetur eſſe peccatum omiſſionis ſacri.

Diſſoluuntur argumenta contraria. Dupliciter ſumitur impenitentia.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad primam impenitentiam ſpectari duobus modis, quantum ad rem præſentem attinet; interdum enim ſignificat ſolam permanentiam in peccato commiſſo; interdum vero omiſſionem adimpletionis præcepti de contritione habenda hîc, & nunc, cum his, & illis circumſtantiis. Priori modo fatetur D. Thom. eo in loco impenitentiam eſſe tantum circumſtantiam peccati, non autem peccatum aliquod ſuperadditum: poſteriori vero modo contendimus nos, impenitentiam eſſe peccatum ſpeciale diſtinctum à ceteris omnibus aliis, vt conſtat ex dictis.

Ad ſecundam. Poterit quis mori cum vno ſolo peccato mortali.

Ad ſecundam. Nihil repugnare quominus aliquis moriatur cum vno tantum peccato mortali; fieri enim poteſt, vt is qui moritur in huiuſmodi peccato mortali non habuerit ſufficiens tempus ad hoc vt cogitaret de peccato mortali commiſſo, in quo moritur ac proinde excuſatur hic ab obſeruatione præcepti de agenda penitentia; nemo quippe tenetur ad impoſſibile: nemo item peccat in his quæ vitare non poteſt.

Ad tertiã.

Ad tertiam. In lege naturali, Moſaïca, & Euangelica extitiſſe præceptum de contritione retinenda, vt docuimus in antecedentibus, cum hoc tamen diſcrimine, quod in lege ſcripta & Euangelica præceptum hoc fuerit ſcriptum; in lege vero naturali tantummodo inſpiratum, & traditum; ac proinde tam vere fuerunt iſti obſtricti, poſito in ipſis peccato mortali, ad agendam penitentiam, quàm ſimus nos iam de facto, & obſtricti fuerint Iudæi in lege Moſaïca.

Ad vlt.

Ad vltimam reſpondeo. Præcepta eſſe de rebus poſitis in noſtra poteſtate tantum, vel etiam de rebus poſitis in poteſtate noſtra, dependenter ab auxilio ſpeciali diuino: nam extat præceptum de actu fidei, ſpei, & charitatis, & tamen actus iſti, ſecluſo ſpeciali Dei auxilio, nequeunt à nobis vlla ratione exerceri: propterea autem actus iſti, ſupernaturales, & alij ſimiles dicuntur eſſe in noſtra poteſtate cum auxilio Dei; quia ſpeciale Dei auxilium neceſſarium ad eorum exequutionem ſemper eſt præſentiſſimum nobis, ſaltem quotieſcumque incumbit neceſſitas adimplendi præceptum illud, ex illo Apocalypſis 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* & ex illo communi axiomate Theologorum, Deus nulli denegat ſuam gratiam, quandocumque hęc eſt homini neceſſaria.

Deus nulli denegat gratiam.

Apoc. 3.

DVBITATIO VLTIMA.

Quandonam præceptum Contritionis obliget ad vitatum peccati mortalis.

Quorumdã opinio & fundamenta. 1. Eccl. 5. & 3.

VARIANT in hac re explicanda Scholaſtici: ſunt enim qui exiſtiment præceptum contritionis obligare hominem ad peccatum mortale, ſtatim atque videt hic ſe in eo eſſe conſtiturum, idque quod dicatur Eccleſ. capite 5. *Ne differas de die in diem, & ne tardes conuerti ad Dominum, ſubitò enim veniet ira illius*: & alibi. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

2. Deinde, qui videt proximum peccare, tenetur eumdem corripere, & item impedire ne ſibi ipſi mortem inferat, ſaltem ſi id præſtare poſſit cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt loquuntur.

3. Tertio. Nulli licet ſeipſum occidere, aut præſtare quidpiam ex quo ſequatur mors propria: ergo cum mors ſpiritualis animæ ſit poſita in permanentia in peccato mortali, & mors iſta ſpiritualis deſtruatur per actum contritionis, contritio erit in præcepto quàm primum quis videt ſe verſari in ſtatu peccati mortalis.

4. Denique, gratia iuſtificans eſt vnicum remedium neceſſarium ad cauenda futura peccata: at cum hæc habeatur per contritionem obligabit contritio quàm primum quis videt ſe eſſe conſtitutum in peccato mortali: ſunt de hac eadem re plures aliæ Scholaſticorum ſententiæ, quas refert Coninck dub. 3. diſputatione tertia, de penitentia, quæ prętermittuntur à nobis.

Contritio nullum obligat ſtatim atque commiſſum eſt peccatum mort.

CONCLVSIO 1. *Præceptum contritionis non obligat peccatorem ſtatim atque videt hic ſe agere in peccato mortali, etiamſi ſuppenamus iſtum hominem eſſe religioſum, vel perſonam aliquam Deo conſecratam.* Primo, quia qui agit in peccato mortali, etiamſi aduertat ſe verſari in huiuſmodi peccato non propterea dicitur hic nouum peccatum aliquod mortale committere: ſed tantum permanere in eo quod commiſit.

Probat. 1.

2. Deinde, præceptum de contritione celebranda eſt affirmatiuum, omnium conſenſu; at præcepta affirmatiua non obligant in quolibet inſtanti temporis, ſed interdum, & aliquando, vt conuenit inter omnes.

3. Tertio, Religioſus, ſiue alius Deo dicatus tenetur tantum ad obſeruationem voti, & regulæ quam profitetur ſupra ceteros Chriſtianos.

4. Quarto, iſti ſunt tantum in ſtatu perfectionis acquirendæ, non autem acquiſitæ. Vltimo ſolos Benedictinos obligauit ius Canonicum ad communionem, & confeſſionem ſemel in menſe perficiendam, vt conſtat ex Clementina de ſtatu Monachorum, *Non in agro.* §. *ſane.*

Nullus etiã habiturus preces publicas aſtringitur ad actum contritionis. Probatio.

CONCLVSIO 2. *Occurrente die feſto, etiamſi habendæ ſint preces nomine communitatis alicuius, non tenetur quis ad obſeruationem præcepti contritionis, licet fuerit rector, vel præfectus illius communitatis, & ex hypotheſi verſetur hic in ſtatu peccati mortalis.* Primo, quia præceptum de ſanctificandis feſtis adimpletur ſi auditum fuerit ſacrum, & intermiſerimus operationes manuales, ſeu ſeruiles. 1.

2. Deinde, præceptum de orando obſeruatur à nobis, modo orationes præſcriptas recitauerimus, etiamſi ſimus deſtituti gratia, & charitate.

3. Item, ſubſtantia cuiuſlibet actionis imperatæ, eſt tantum in præcepto, non autem modus eiuſdem, vt patet exemplo largitionis eleemoſynæ; qui enim dat eleemoſynam agenti in neceſſitate, vere ſatisfacit præcepto de danda eleemoſyna, etiamſi fuerit hic in ſtatu peccati mortalis.

Obiectio.

Dices, peccatum in quo detinetur verbi

d by Google

gratia Curatus, eo tempore quo omes eiuſdem patiuntur innumera mala, Deo vindicante earum peccata, facit ne preces eius exaudiantur: ergo tenetur ad eliciendum actum contritionis.

Reſponſio. Reſpondeo primo, non deeſſe qui putent indignitatem, & malitiam ſacerdotis Curati, non impedire, quominus ſuffragia quæ fiunt ab illo nomine Eccleſiæ exaudiantur à Deo: ità docent alicubi DD. Auguſtin. & Chryſoſt. *Et-ſi*, inquit, *aliqui gratia Dei vacui ſimus, tamen propter vos gratia Dei vacui non ſumus*, & rurſus. *Exaudiuntur*, ſcilicet ſacerdotes, *ſi non pro dignitate præpoſitorum, bene tamen pro deuotione populorum pro quibus offerunt.*

Solutio 2. Reſpondeo ſecundo, preces ſacerdotum eſſe in duplici differentia; aliæ enim verſantur circa ſacramentorum adminiſtrationem, & ſacrificiorum, aliæ vero reſpiciunt commodum, & vtilitatem ipſiuſmet ſacerdotis: priores illæ non minus ſunt vtiles, ſaltem ex ſe populis ſubditis quotieſcumque fiunt à ſacerdote in ſtatu peccati mortalis, quàm quandocumque celebrantur ab eodem in ſtatu gratiæ: poſteriores vero, remanente peccato mortali, non conducunt ad vitam æternam obtinendam proxime; ſed tantum remote, & de congruo (vt loquuntur) ac proinde non deſinunt etiam iſtę eſſe vtiles ipſimet ſacerdoti.

Solutio 3. Denique reſpondeo, hoc argumento tantum probari, per accidens obligari ſacerdotem iſtum ad actum contritionis, non autem per ſe, qua tamen ratione diſputamus nos hoc loco de obligatione præcepti contritionis: nec immerito; nam poteſt Deus aliter reconciliari populis his, quàm per actum contritionis elicitum à ſacerdote, qui ipſis præeſt.

Suſcepturus baptiſmum vel penitentiam non obligatur ad contritionem.

CONCLVSIO 3. *Non obligatur ad actum contritionis perfectæ is qui vult conſequi, vel ſacramentum Baptiſmi, vel penitentiæ; etiamſi intelligat iſte, ſe de facto verſari in multis peccatis mortalibus.* Primo, quia attritis poſſunt hæc duo ſacramenta adminiſtrari.

Probat. Deinde, attritio cum ſacramento eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

1. Tertio, in Concilio Tridentino, ſeſſione 14. cap. 4. dicitur, hominem diſponi ad gratiam iuſtificantem media attritione, & ſacramento penitentiæ.

4. Quarto, quod impedit effectum ſacramenti penitentię, vel baptiſmi, nequit eſſe neceſſarium ad ſacramenta iſta ſuſcipienda: at contritio perfecta, ſeu vera, impedit ne ſacramenta baptiſmi & penitentiæ conferant primam gratiam, ad quam tamen producendam ſunt per ſe à Chriſto ordinata: propter hanc enim cauſam dicuntur hæc duo eſſe ſacramenta mortuorum: ergo ad illorum ſuſceptionem non eſt neceſſarius actus contritionis.

5. Denique, ſi contritio perfecta eſſet neceſſaria ad iſtorum ſacramentorum ſuſceptionem, tanta diſpoſitio requireretur ad illa frequentanda, quanta ad ſacramenta viuorum; contritio ſiquidem vera, vel exiſtimata ſufficit ad dignam ſuſceptionem ſacramentorum viuorum: at ex Concilio Tridentino, ſeſſione 13. cap. 7. conſtat attritionem, ſeu contritionem ſaltem exiſtimatam non ſufficere ad dignam ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti, ſed deſiderari confeſſionem; ergo contritio perfecta non erit neceſſaria ad conſequendum fructum ſacramentorum baptiſmi & penitentiæ.

Obiectio. Obiicies, eum qui vult penitentię ſacramentum conſequi, debere omnia & ſingula ſua peccata mortalia confiteri, & item de iſtis dolere, quatenus ſunt offenſa Dei; at id non facit attritus, dolet enim de peccatis, quia peccatis indictę ſunt pœnæ aliquæ vel temporales, vel æternæ.

Solutio. Reſpondeo, ad minorem: attritum dolere de peccatis, non quidem ſub ea ratione qua peccata ſunt contra Deum, bene tamen quatenus peccatis iſtis debentur pœnæ aliquæ, & item abiiciendo omnem omnino affectum circa peccata commiſſa: hoc autem ſatis eſt vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali commiſſo per ſacramentum penitentiæ; eſt enim attritio diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans, cum ſacramento præſertim penitentię, vel baptiſmi. Adde attritum, licet non doleat de peccatis, quia ſunt offenſæ Dei, dolere tamen de iiſdem, prout hæc ſunt contraria charitati, & bonitati diuinæ, ſaltem aliqua ratione.

Obiectio 2. Obiicies, contritionem iure naturali eſſe neceſſariam ad hominis iuſtificationem.

Reſponſio. Reſpondeo, hoc eſſe verum in eo qui eſt ſibi conſcius peccati mortalis, & careat copia ſacerdotis, à quo ſacramentum conſequatur; extra vero hunc caſum contritio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad hominis adulti iuſtificationem, ſed ſufficit attritio cum ſacramento.

Obiectio 3. Obiicies, nullum extare præceptum diuinum, quod non fuerit determinatum authoritate Eccleſiæ, reſpectu obligationis quam inducit, vt conſtat ex præceptis de colendo Deo, de Euchariſtia, & confeſſione celebranda, nullum autem extat tempus determinatum ab Eccleſia, in quo obliget præceptum contritionis.

Solutio. Reſpondeo, maiorem eſſe falſam; datur enim præceptum diuinum de correctione fraterna Matth. 18. Eccleſia tamen numquam definiuit quónam tempore obligaret præceptum hoc: quid igitur mirum ſi de præcepto contritionis nihil fuerit ab Eccleſia conſtitutum? Matth. 18.

Deinde, notiſſimum eſt contritionem eſſe actum internum; de actibus autem internis non iudicat Eccleſia.

Quando detur de contritione præceptum determinatum. Denique, fatentur omnes contritionem interdum eſſe actum charitatis, quo quis dolet de peccatis, ſub ea ratione qua peccata ſunt contra Deum, cum propoſito emendæ de cetero: interdum vero eſſe partem ſacramenti penitentiæ: priori modo concedimus non eſſe determinatum tempus ab Eccleſia, in quo tenemur ad actum contritionis eliciendum; bene tamen poſteriori modo, non quidem per ſe, ſed tantum conſequenter, quatenus ſcilicet præſcribit Eccleſia in paſchate, & ſanctiſſimum ſacramentum eſſe ſumendum, & præterea confitenda eſſe antea propria peccata, in capite *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentiis & remiſſionibus. Moneo tamen nomine contritionis non ſignificari hoc loco contritionem veram, ſed dolorem quemlibet de peccatis, vt fuſius alibi explicabimus.

Obiicies

Obiicies, Actuum 2. dici, *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum, & penitentiam agat in remiſſionem ſuorum peccatorum.*

4. Obiectio.

Actor. 2.

Reſponſio.

Reſpondeo, nomine penitentiæ non ſignificari illic contritionem perfectam, ſed attritionem, vel contritionem veram, vt fatentur omnes in tractatione de baptiſmo; imo ſi detur ſolum peccatum originale in adulto nullus plane dolor eſt neceſſarius ad hoc vt iuſtificetur ab huiuſmodi peccato originali medio ſacramento baptiſmi, vt omnes docent in tractatione de baptiſmo.

Contritionis præceptum non obligat volentem accedere ad Euchariſtiam.

CONCLVSIO 4. *Præceptum contritionis non obligat ad reatum alicuius peccati mortalis, eum quis vult ſacramentum Euchariſtiæ conſequi, etiamſi fuerit hic ſibi conſcius peccati mortalis.* Primo, quia hic poteſt conſequi remiſſionem peccati mortalis de quo eſt ſibi conſcius, media attritione & ſacramento penitentiæ: quod ſi careat copia ſacerdotis; & teneatur ad confectionem ſacri, poterit iuſtificari media contritione exiſtimata cum ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti: contritio autem exiſtimata à parte rei nihil aliud eſt, quàm attritio.

Probat. 1.

2.

Deinde, ſi res aliter haberet, committeret is qui Euchariſtiam conſequeretur cum ſola attritione, ſeu exiſtimata contritione duo peccata mortalia; alterum contra virtutem religionis, nempe peccatum ſacrilegij, alterum contra virtutem charitatis, ſcilicet peccatum impenitentiæ: at opinio hæc videtur nimis rigida: ſupponimus enim ſacerdotem non habuiſſe copiam alterius ſacerdotis, cui confiteretur peccatum mortale in quo agit, & nihilominus quia exercuerit actum contritionis exiſtimatæ antequàm ad Euchariſtiam acceſſerit: ità D. Thom. tertiæ partis quæſt. 79. articulo tertio & in quartum diſtinctione 9. quæſtione 1. articulo tertio, quæſtiuncula 2. & Scotus in quartum, diſtinctione 12. quæſtione 1. articulo quarto. Azorius quæſt. 8. cap. 8. de ſacramento penitentiæ. Hentic. lib. 1. cap. 26. de penitentia.

Obiectio: 1. Cor. 11.

Dices, aduerſari iſta Paulo cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Reſponſio.

Reſpondeo, verbis iſtis prohiberi indignam ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti, & imperari dignam: digna autem ſumptio ſacramenti Euchariſtiæ poteſt fieri cum ſola contritione exiſtimata, ſaltem in eo caſu in quo non datur copia ſacerdotis cui confiteamur.

Inſtantia.

Inſtabis, Tridentin. ſeſſione 13. cap. 7. affirmare contritionem exiſtimatam non ſufficere ad dignam ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti in eo qui eſt ſibi conſcius peccati mortalia, ſed obligari ad confeſſionem ſacramentalem.

Reſpondeo, hoc eſſe verum iuxta caſum ſuprà explicatum, nempe quando datur ſacerdos cui poſſumus confiteri peccata mortalia quę commiſimus.

Vrgent.

Dices, ergo ſaltem in eo caſu in quo non poſſumus vti opera ſacerdotis cui confiteamur, obligabit præceptum contritionis, ad hoc vt digne Euchariſtiam conſequamur.

Satisfit. Contritio exiſtimata ſufficit etiã ſine ſacramento penit. in caſu aliquo.

Reſpondeo, negando illationem iſtam: ſufficiet enim etiam in iſto caſu contritio exiſtimata, quæ in re nihil aliud eſt quàm vera attritio: neque obſtat, quod ſacramentum Euchariſtiæ ſit ſacramentum viuorum; nam attributio hæc dicitur de ſacramento Euchariſtiæ, & de aliis omnibus à ſacramento baptiſmatis, & penitentiæ, quod poſtulet maiorem diſpoſitionem, quam faciant ſacramenta baptiſmi, & penitentiæ; non autem quod debeat Euchariſtia ſumi ſemper ab eo qui agit in gratia, & charitate: ſumitur enim hæc digne cum ſola contritione exiſtimata; pura autem attritio ſufficit ad dignam ſumptionem ſacramenti baptiſmatis, & penitentiæ.

Obligat præceptum contritionis in euidenti articulo mortis vel aliquando etiam probabili.

CONCLVSIO VLTIMA. *Præceptum de contritione agenda obligat ad reatum peccati mortalis in articulo euidentis vel probabilis mortis, conſtituti in peccato mortali: non item conſtitutum in gratia.* Hæc Concluſio duas habet partes. Prior probatur: præceptum de contritione facienda eſt affirmatiuum; ac proinde obligat interdum, & non aliquando: at non poteſt dici quis ſit ille caſus in quo præceptum hoc obliget, niſi articulus probabilis, & euidens mortis.

Probatio 1. partis.

2.

Deinde, præceptum contritionis obligat illo eodem tempore, quo præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, ex communi doctrina; at præceptum de diligendo Deo ſuper omnia obligat in periculo mortis euidenti, vel probabili: vt etiam communiter aſſeritur.

3.

Tertio, caſus hic admittitur ab omnibus Scholaſticis, in diſputatione de contritione.

Obiectio.

Dices, ex iſtis ſequi quemlibet in periculo mortis conſtitutum peccare mortaliter, ſi non prorumpat in actum contritionis: quod tamen videtur eſſe durum, cum aduertamus aliquos repentina morte interire.

Solutio.

Reſpondeo, in iſtis qui ſubito, & in puncto fere temporis intereunt, præceptum de contritione non ſortiri vllam obligationem: nemo quippe peccat in his quæ vitare non poteſt.

Deinde, ad impoſſibile nemo tenetur: ſupponimus autem impoſſibile eſſe quod iſte exerceat actum contritionis propter repentinam mortem, qua corripitur. Tertio, impotentia liberat hominem à præcepto reſtitutionis.

2. Obiectio.

Obiicies, cum qui per duos, aut etiam plures annos perſeuerat in peccato mortali, peccare contra præceptum de contritione celebranda; hoc enim ipſo, quod tamdiu manſit in peccato mortali cenſetur eſſe negligens, & contemptor ſuę ſalutis.

Solutio.

Reſpondeo, negligentiam iſtam non eſſe ſpeciale peccatum commiſſum contra præceptum de contritione celebranda: nam qui per ſex, vel octo menſes perſeuerat in peccato mortali, hic manifeſtè negligit ſuam ſalutem: præſertim ſi agnoſcat peccatum in quo agit; & tamen conuenit inter omnes præceptum confeſſionis ſacramentalis obligare tantum ſemel in anno quare in hoc caſu non obligat præceptum contritionis ad reatum alicuius peccati de nouo commiſſi vel committendi; nam magis expreſſè definitum eſt præceptum de confeſſione facienda, quàm ſit præceptum de conterendo, vt manifeſtè conuincitur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentiis & remiſſionibus.

Probat. 2. partis.

Secunda vero pars Concluſionis probatur. Ceſſante fine alicuius legis, cenſetur quoque lex iſta non obligare: at poſita iuſtificatione à peccato mortali, ceſſat lex contritionis; finis quippe iſtius de facto habetur: ergo deſinit quoque obligare.

Optimum est conari elicere actũ contritionis.

Moneo tamen melius, & rectius consultum esse omnibus & singulis, qui aliquando peccarunt, elicere actum contritionis quandocumque occurrit periculum mortis euidens, vel probabile. Primo, quia actus hic contritionis semper est meritorius gloriæ alicuius.

Deinde, quia si peccatum ex hypothesi mortale commissum à nobis, non fuerit remissum, remittetur dignitate istius actus contritionis.

Tertio, inducit maiorem aliquam certitudinem de peccati remissione, quàm faciat applicatio sacramenti: supereſt enim semper dubitandum de intentione sacerdotis quę est simpliciter necessaria ad validitatem sacramenti penitentiæ: Constat autem ei qui elicit actum contritionis, saltem probabiliter, se elicere actum contritionis, seu se dolere de peccatis, hoc nomine quia peccata sunt contra Deum: & cum proposito de cætero non peccandi.

Soluuntur argumenta contrar.

Ad rationes vero authorum prioris sententiæ respondeo. Ad primam ex istis testimoniis scripturæ solum colligi consilium salutiferum esse surgere à peccato quamprimum quis videt se versari in huiusmodi peccato mortali maxime: nam peccatum huiusmodi censetur esse quodam modo dispositio ad aliquod aliud peccatum mortale committendum, ex illo Gregorij: *Peccatum quod non citò deletur per penitentiam suo pondere trahit nos ad aliud peccatum.* Gregor. homil. 11. in Ezech.

Deinde, quodlibet peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ, priuátque hominem amicitia diuina, & gloria æterna.

Ex istis tamen locis non licet colligere, extare præceptum aliquod peculiare, quo teneamur ad reatum alicuius peccati, resurgere à peccato statim atque deprehendimus nos versari in aliquo mortali.

2. Solutio.

Ad secundam respondeo. Correctionem fraternam posse differri in aliud tempus inculpate; nam correctio fraterna est instituta ad hoc vt proximus malam vitam relinquat, & ne deinceps male agat.

Certum autem est eum non semper esse ità dispositum, vt capax sit pro eo tempore finis correctionis fraternæ.

Alia solutio.

Respondeo secundo, propterea vnumquemque nostrum obligari ad conseruandam vitam proximi, quando vocatur hęc in manifestum discrimen ab aliquo alio, statim atque id præstare possumus, quia vbi vita corporalis fuerit semel amissa, nequit vlla ratione hæc reparari: salus autem spiritalis, licet posita sit in collatione gratiæ, & priuatione peccati mortalis, potest tamen hæc pro toto illo tempore in quo sumus in hac vita mortali recuperari à nobis, ac proinde non tenemur statim surgere à peccato mortali in quo agimus, quamuis hoc inducat mortem spiritualem.

3. Ad tertiam respondeo. Propterea nulli licere sibi ipsi mortem corporalem inferre, quod nullus nostrũm sit dominus propriæ vitę; hoc enim soli Deo competit iuxta illud, *Vita & mors in manu Domini.*

4. Deinde, aliqui docent eum qui seipsum enecat, peccare contra iustitiam, qui enim prohibuit ne alium occidat, prohibuit etiam iustiori titulo ne quis seipsum interimat: regula quippe dilectionis proximi, est sui ipsius dilectio, ex illo: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. 22. qui autem perseuerat in peccato mortali, non propterea operatur contra iustitiam: est enim quilibet nostrũm dominus suæ salutis, ob plenitudinem libertatis quæ datur in nobis, ad hoc vt vel bonum, vel malum operemur. Matth. 22.

Vltim. solutio.

Ad vltimam respondeo. Gratiam habitualem non esse simpliciter necessariam ad hoc vt aliquis declinet peccata: nam nedum iustus, & in gratia constitutus culpas mortales vel veniales vitat, sed etiam in peccato mortali constitutus licet non ita facile, quemadmodum constitutus in gratia.

Deinde, sola gratia habitualis, seu, quod idem est, iustificans, non sufficit ad perseuerandum in gratia ad vltimum vsque vitæ spiritum; sed desideratur vlterius ad id speciale auxilium, vt definiuit Concilium Tridentinum sessione 6. ergo licet quis perseueret in peccato mortali, non tamen propterea peccat nouo aliquo peccato, ex eo capite, quod non surgat à peccato in quo agit; potest enim peccata vitare medio aliquo actuali auxilio, quod datur cuilibet quotiescumque occurrit violenta aliqua tentatio, vel periculum peccandi.

PARS SECVNDA.

De Confessione.

HÆc pars explicabitur Quæstionibus quibusdam communibus, & vniuersalioribus; quælibet vero ex istis certis Dubitationibus.

QVÆSTIO PRIMA GENERALIS,

De institutione, & prima origine Confessionis sacramentalis.

DVBITATIO PRIMA.

Quis sit author primus Confessionis sacramentalis, seu, quo iure Confessio sacramentalis fuerit introducta.

Hæreticorũ error & fundamenta 1.

HÆRETICI nostri temporis in eo pertinaciter sunt errore, vt credant confessionem sacramentalem, aut vt alij loquuntur, auricularem, introductam fuisse primo authoritate Innocentij III. Pontif. Max. idque quod in cap. *Omnis vtriusque sexus, de pœnitentiis & remissionibus*, præcipiatur vt vnusquisque semel in anno sua peccata confiteatur proprio sacerdoti, & sanctissimam *Ex Concilio Lateranensi cap. 21.*

Digitized by Google

Euchariſtiam de manu eiuſdem conſequatur, de qua re tamen anteà nihil fuerat conſtitutum.

2. Deinde, quia licet aliquis vſus confeſſionis præextiterit in Eccleſia primitiua, fuit tamen vſus hic omnino deſtructus authoritate Nectarij Epiſcopi Conſtantinopolitani, vt referunt Sozomenus lib. 7. hiſtorię Eccleſiaſticę cap. 16. & lib. 9. hiſt. Tripartitę cap. 35. & Socrates lib. 5. cap. 19. & Nicephorus lib. 12. cap. 28. idque propter quoddam facinus, quod Conſtantinopoli actum eſt eo tempore, quale deſcribunt iſti authores Nicephorus, poſt Socrat. & Sozom. ità: *Mulier quædam nobilis quùm peccata ſua confeſſa eſſet ieiunio & orationi vacare, & in Eccleſia permanere, ab eo quem diximus presbytero iuſſa eſt. Quod vbi fecit, poſteà à Diacono, qui cum ea concubuerat, ſe conſtupratam eſſe indicauit. Quod factum poſtquam plebs cognouit, indignè ſcelus id cum tanta contumelia Eccleſiæ commiſſum tulit*; & paulò poſt. *Itaque de quorundam, maximè vero Eudæmonis, Eccleſiæ eius presbyteri, conſilio, ne poſteà in Eccleſia presbyter pœnitentiarius eſſet, Nectarius ſtatuit*: Neque refert, quod aliqui affirment, Nectarium ex vrbano Prętore ad dignitatem Epiſcopalem fuiſſe vocatum, & ideò minùs fuiſſe exercitatum in rebus fidei, & religionis Catholicæ: nam factum hoc Nectarij circa obligationem confeſſionis comprobatum fuit iudicio, & opinione omnium Epiſcoporum totius Eccleſię Orientalis, vt referunt authores libb. proxime citatis, imo aliquis affirmat Nectarium fuiſſe virum quàm maximè pium & religioſum.

Sozom. Tripartit. Socrates. Nicephor.

Nectarius pœnitentiarium abrogat.

3. Tertio ſancti Patres, maximè vero Chryſoſtomus Nectarij ſucceſſor, docet peccata ſoli Deo eſſe confitenda, non autem ſacerdoti alicui; ità enim loquitur homil. 2. in pſal. 50. *At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non dico vt exponas conſerno qui te probris impetat. Dic Deo, qui ijs medetur.* & ſerm. de pœnitent. & confeſſ. tom. 5. *Nunc*, inquit, *neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquiſitio, abſque teſte ſit hoc iudicium, ſolus Deus te confitentem videat: qui non exprobrat peccata tua, ſed ſoluit propter confeſſionem; Nunquid & ſic granaris, & retrocedis?* & homil. 4. de Lazaro. *Cane ne homini dixeris, ne tibi exprobret; neque enim conſeruo confiteris vt in publicum proferat, ſed ei qui Dominus eſt, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus eſt, ei qui medicus eſt, oſtendis vulnera*; & paucis interiectis. *Non ergo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes, mihi ſolum dic peccatum priuatum, vt ſanem vlcus ſine dolore liberabo.*

3. argumẽt.

D. Chryſ.

4. Quarto, Gratianus de pœnitentia, diſt. 1. diſputat in vtramque partem, an peccata ſint neceſſario confitenda Sacerdoti; ac tandem comprobatis ambabus opinionibus teſtimonijs Patrum, vnicuique libertum reliquit ſequi quam voluerit opinionem, vt videre eſt in calce capitis penultimi, diſtinct. citatæ.

4.

Vltimum argumentũ. Iſaï. 43. Ioann. 1. Matth. 9. Denique, ſolus Deus eſt qui peccata remittit, Iſaï. 45. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me*; & Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* & Matth. 9. *Quis eſt hic qui peccata dimittit?* quaſi velint Iudæi illic affirmare, ſolius Dei eſſe peccata remittere, non autem alicuius alterius: ergo confeſſio auricularis minimè eſt neceſſaria ad ſalutem, vnde & merum hominum inuentum eſt.

Peccarunt & in hac eadem re nonnulli Ca-

tholici, exiſtimarunt enim confeſſionem ſacramentalem eſſe tantum de iure humano Eccleſiaſtico: ità Durand. in 4. diſt. 17. & alij nonnulli. Sententiarij veteres, Beatus Rhenanus ad lib. Tertulliani de pœnitentia, & Petrus Oxomenſis, referente Alphonſo à Caſtro in lib. de hæreſibus, verb. *Confeſſio*, credit enim hic confeſſionem eſſe tantùm de iure Eccleſiaſtico humano, cum proximis commemoratis; quibus fuit in eo deterior, quod dixerit confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam vere contritis, & item peccata ſecreta, & occulta non eſſe neceſſario deducenda ad forum pœnitentiæ.

Quorundã Catholicorũ opinio.

CONCLVSIO PRIMA. *Cùm manifeſtiſſimum errorem dici nequit confeſſionem ſacramentalem introductam fuiſſe authoritate tantùm eccleſiaſtica, operâ Innocentij III. Pont. Max.* Primo quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. verbis expreſſis habet Eccleſiam ſemper credidiſſe peccata mortalia fuiſſe neceſſario deducenda ad ſacerdotem, vt ab eo remitterentur.

Confeſſio minimè introducta authoritate Eccleſiaſtica. 1. Trident. 2.

Deinde, ſancti Patres fatentur confeſſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, & peccata mortalia non poſſe abſolui ſine opera ſacerdotis: ità docẽt Origen. ad pſal. 37. ad hęc verba: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo.* Tertul. lib. de pœnitentia cap. 10. increpat ſiquidem eos qui reſpuunt, vel differunt in aliud tempus, cùm poſſint ſua peccata confiteri. *Pleroſque tamen*, inquit, *hoc opus vt publicationem ſui aut effugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ità cum erubeſcentia ſua pereunt.* Loquitur autem de confeſſione ſacramentali: & rurſus. *Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeóne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quàm palàm abſolui?* & Clemens Romanus epiſt. 1. ad fratrem Domini: quo loco hortatur omnes, ne erubeſcant ſua peccata confiteri. *Quod ſi forte*, inquit, *in alicuius cor, vel timor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat qui animæ ſuæ curam gerit confiteri hæc, huic qui præeſt, vt ab ipſe per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur.* Et Cyprian. ſermo. de lapſis, arguit eos qui admittunt peccatores ad participationem Euchariſtiæ ſine confeſſione; & ibidem de eadem re ità loquitur. *Quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non deridetur*; Loquitur autem de Libellaticis: & ibidem. *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt* Chryſoſt. homil. 50. in Geneſ. homil. 10. in Matth. homil. 3. operis imperfecti, & 33. in Ioan. *In peccatis*, inquit, *quæ commiſimus confitendis neminem vereamur, Deum dumtaxat vt decet formidemus, qui & nunc opera noſtra videt, & tunc quos in præſentia non penitet damnabit*, agit autem de confeſſione quæ fieri debet ſacerdoti, & lib. 2. de ſacerdotio. *Multa quidem arte opus eſt*; *vt qui laborant Chriſtiani, vtrò ſibi perſuadeant ſacerdotum curationi ſeſe ſubmittere opor-*

Probatio ex Patribus. Origen. Pſal. 37. Tertull.

Clemens Roman.

Cyprian.

Chryſoſt.

Digitized by Google

D. Auguſt. tere; & D. Auguſt. lib. quinquaginta homil. homil. 49. quo loco ait non eſſe ſatis ſoli Deo confiteri, ſed oportere ſacerdoti confiteri; *Ergo ſine cauſa*, inquit, *data ſunt claues Eccleſiæ Dei? fruſtramus euangelium Dei? fruſtramus verba Chriſti? promittimus vobis quod ille negat?* & homil. 12. idem docet, & lib. 2. de viſitatione infirmorum, cap. 4. & 5. & in Pſal. 66. ait fore damnandos, qui non fuerint ſua peccata confeſſi: *Si non confeſſus*, inquit, *lates; non confeſſus damnaberis: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus*; & in Pſal. 50. idem ait, & epiſt. 180. & lib. 1. de adulter. coniugijs, cap. 28. & denique, Leo epiſt. 69.

3. *Argumẽtũ ex vſu confeſſionis in Eccleſia.*

Tertiò, vſus confeſſionis ſacramentalis perſeuerauit in Eccleſia Catholica à tempore Chriſti ad hodiernum vſque diem, vt probant multis Bellarm. lib. 3. de penitentia à cap. 3. ad 12. vſque; Eſtius ad diſt. 17. lib. 4. & plerique alij recentiores inter diſputandum de hæreſibus, maximè vero in tractat. de penitentia.

4.

Quarto, hoc idem colligitur ex ijs quæ nobis obijciunt hæretici, maximè vero ex hiſtoria Nicephori, nam ſi authores relati in argumento loquantur de confeſſione ſacramentali, planè detegitur mendacium craſſum aduerſariorum; illi enim clare tradunt vſum confitendi ſua peccata ſacerdoti penitentiario, ab initio fuiſſe, & tempore quo illam ſcribebant hiſtoriam perſeuerare in omnibus Eccleſijs, maximè vero Romanis, vt verba Sozomeni demonſtrant. *Etenim*, inquit, *cùm prorſus non peccare, naturæ ſit humanæ diuerſum: penitentibus autem quamuis deliquiſſent veniam dare Deus inſerit, & ad impetrandam deinq; veniam confiteri peccata neceſſarium ſit: odioſum, vt creditur eſt, ſacerdotibus ab initio viſum fuit, tanquam in theatro, audiente multitudine Eccleſiæ, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quàm maximè ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem, ac ſapientem, huic officio præfecerunt, cum accedentes qui peccarant acta vitæ ſuæ confitebantur. Ille verò pro cuiuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, interminatus abſoluebat, vt à ſeipſis commiſſorum pœnas exigerent. At Nouatianis quidem quos penitentia nulla cura tangit, iſto nihil opus fuit: in ceteris autem ſectis* (ſic appellat reliquas Eccleſias Catholicas, quia hic Nouatianus erat, vt pluribus oſtendit Baronius) *in hunc vſque diem durat. Solliciùs autem in Occidentalibus Eccleſijs, & maximè in Romana ſeruatur: ibi enim manifeſtius eſt penitentium locus.* Ex his igitur luce meridiana clarius cõſtat confeſſionis peccatorũ apud ſacerdotẽ faciendæ inſtitutionẽ, minime Innocent. III. tribuendam eſſe, aut Concilio Lateranenſi celebrato anno 1215. cùm Sozom. vixerit anno 440.

Sozomen.

Vltima probatio deducitur ex diſcurſu.

Denique, opinio illa cenſetur eſſe erronea, quę aſſeritur contra Scripturam ſacram, ſacra Concilia, & omnes ſanctos Patres, nec non contra communem conſenſum Theologorum Scholaſticorum: at opinio hæreticorum qua docent Innocentium III. eſſe primum authorem confeſſionis ſacramentalis repugnat Scripturæ, vt probabitur infrà, ſacris Conciliis vt demonſtrabitur ſtatim, item Patribus maximè citatis, & demum eſt aduerſùs omnes Scholaſticos, ſaltem communiter, qui docent confeſſionem ſacramentalem eſſe à Chriſto inſtitutam in 4. diſt. 17. ergo erroneè loquuntur hæretici.

Confeſſionis author ſolus Chriſtus.

CONCLVSIO SECVNDA. *Confeſſio ſacramentalis ſolum Chriſtum agnoſcit primum author-*

rem. Conſtat, quia ità res hæc fuit definita in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 8. & in bulla Martini V. & in Concilio quodam Toletano ſub Alphonſo Epiſcopo contra Petrum Otomenſem congregato, quod poſteà confirmauit Sixtus IV. Pont. Max. referente Alphonſo à Caſtro in lib. de hæreſibus, verb. *Confeſſio.* & denique in Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Tota difficultas eſt, ex quo Scripturæ ſacræ teſtimonio veritas hæc Catholica detegatur. Vnde etiam varia ſolent afferri, non ità quidem efficacia; quale eſt illud in primis ex cap. 4. Matth. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*, etenim nulla fit mentio, ubi confeſſionis peccatorum, ſed tantùm hortatur quoſcumque Chriſtus peccatores ad agendam penitentiam: Quale eſt etiam illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, quæcumque ligaueris*, &c. aut etiá apud eumdẽ Matth. cap. 18. dum dixit Chriſtus Apoſtolis. *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata*, &c. quoniá in illis locis promittuntur tantum claues, non autem dantur Apoſtolis, quibus claudatur & aperiatur cœlum hominibus. Efficaciora ſunt duo, quibus alij Doctores vruntur ad hanc veritatem comprobandam. Alterum ex cap. 19. Actuum Apoſtol. quo loci dicitur quod *Multi credentium veniebant* (ad Paulum nempe) *confitentes & annunciantes actus ſuos.* Quinam verò eſſent actus illi explicat Syriaca verſio dicens; *Plurimi veniebant & annunciabant offenſas ſuas, & confitebantur quæ fecerant.* Alterum deſumunt ex cap. 5. epiſt. Iacobi dum facta mentione preſbyterorum, quos inducere debent infirmi, vt ſacro extremæ Vnctionis oleo vngantur addit: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*, quibus verbis non obſcurè indicat Apoſtolus non quibuſuis, ſed ſolis preſbyteris, quorum meminerat, confeſſionem peccatorum eſſe faciendam. Nihilominus, quia etiam hæc aliquas patiuntur difficultates apud aliquos Recentiores, ideò exiſtimo illum locum efficacem eſſe pro præcepto confeſſionis, de qua agimus, quo & Trident. & plerique ſancti Patres, nec non Doctores communiter Scholaſtici vruntur: is verò extat apud Ioan. cap. 20. *Accipite*, inquit, *Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ex quibus ſic diſputo: Chriſtus Dominus illis verbis, Apoſtolis & ſucceſſoribus iudicium pro hac vita omne contulit ferendum circa hominum peccata, quantum ad remiſſionem, & retentionem, ſeu non remiſſionem eorumdem: adeò vt quod illi facturi erant hîc in terris, ratum haberet in cœlis: igitur Apoſtoli, & eorum ſucceſſores verè ſunt conſtituti iudices in cauſis ſpiritualibus omnium, certè poteſtate aliqua vera, reali, & poſitiua in eos deriuata; non ſolùm in ordine ad remiſſionem, verum etiam ad retentionem, aliàs ridicule omnino ſe geſſiſſet Chriſtus, ſi dum dixit; *Quorum retinueritis, retenta ſunt*, negatiuam tantum poteſtatem Apoſtolis dediſſet, hoc eſt, poteſtatem non remittendi peccata hominum: hanc enim anteà habebant, non minus quàm non creandi cœlum, non reſſuſcitandi mortuos: tum ſic nullus iudex poteſt rectum & iuſtum, ferre iudicium, ſeu ſententiam in aliquem, quamdiu cauſam non nouit, vt per ſe patet, vt ergo ſimilem proferant ſucceſſores Apoſtolorũ, debet illis innoteſcere cauſa reorum, quæ non eſt aliud quàm defectus & peccata ipſorum. Rurſus huiuſmodi non poteſt homo deprehen-

Trident. *Loca Scripturæ nõ ita efficacia.*

Matth. 4.

Idem 16.

Idem 18.

Actor. 19.

Iacob. 5.

Locus efficax Scripturæ pro confeſſione.

Ioann. 20.

prehendere, maximè cum occulte admodum A ſunt commiſſa, niſi qui ea patrauit manifeſtet, vel voce, vel ſcripto, vel aliquo alio ſigno externo: ergo à primo ad vltimum iure diuino tenentur homines habentes peccata mortalia ad ea ſubijcienda clauibus Eccleſiæ, ac proinde ſacerdotibus per confeſſionem detegenda, aliàs eorum nunquam remiſſionem conſequentur. Nam quamuis Chriſtus potuiſſet ad hanc confeſſionem non obligare homines, aliàque via remittere peccata, noluit tamen. De quo non eſt quod aliquis conqueratur, quia ſupremus Dominus eſt: vnde & hic vſurpare poteſt illud Patris familias: *Nónne licet mihi quod volo facere?* quare ſicut omnes ad ſacramenti baptiſmatis ſuſceptionem in B re, vel in voto obligantur; ità vt nullus ſit ingreſſurus regnum cœlorum, qui huiuſmodi ſalutari lauacro non fuerit ablutus, licet alijs modis innumeris potuiſſet Deus peccati originalis maculam delere: ità verbis prædictis decreuit nulli remiſſurum ſe peccata, quæ vel in re, vel in voto non fuerint excepta & iudicata per Apoſtolos, aut eos qui illis ſuccedunt.

Confirmatur præcedens diſcurſus. Hoc ipſo quod Chriſtus contulit authoritatem retinendi peccata, dedit etiam poteſtatem obligandi penitentem ad aliquid agendum, ſine quo remiſſionem peccati aſſequi nequit: ergo conſtitutus in peccato mortali obligatur ad huiuſmodi ſacerdoti manifeſtandum, vt ipſum peccatum pateat illi, & ſtatus eiuſdem penitentis: alioquin non poſſet ſacerdos recte vti iure & poteſtate quam habet poſitiuè retinendi illud peccatum, & iniungendi aliquid ſalutare ipſi penitenti, quo detracto non conſequitur peccati commiſſi remiſſionem.

Diſſoluũtur hæreticorũ obiecta.

1. Ad rationes vero hæreticorum reſpondeo. Ad primam, in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, præceptum diuinum de confeſſione retinenda modificari tantùm ad feſtum Paſchatis: ità vt quilibet teneatur iure Eccleſiaſtico confiteri in paſchate; ac proinde ſemel in anno, proprio ſacerdoti, vel de huius licentia alicui alteri: iure tamen diuino quicumque peccauit lethaliter poſt baptiſmum, tenetur ad confeſſionem ſacramentalem, vt probatum eſt.

2. *Solutio quorumdã.* Ad ſecundam, reſpondent aliqui confeſſionem ſacramentalem fuiſſe prohibitam à Nectario occaſione relati ſcandali, non quidem ſimpliciter & abſolute, ſed tantùm ad tempus, quoadusque ſcilicet ſublatum fuiſſet ſcandalum, & ſedata plebs Conſtantinopolitana.

Refellitur hæc. Ceterùm reſponſio hæc eſt plane impertinens; neque enim fieri potuit vt propter ſedandum ſcandalum aliquod, ius diuinum deſierit obligare; quilibet autem conſtitutus in peccato mortali commiſſo poſt baptiſmum tenetur ad confeſſionem ſacramentalem, ſaltem in probabili, vel euidenti periculo vitæ, omnium conſenſu.

Deinde, ex hiſtoriographis ſupra citatis conſtat, Epiſcopos Orientis, & item Chryſoſtomum, qui proximè ſucceſſit Nectario, probaſſe factum illius: at quis ſibi perſuadeat omnes iſtos Epiſcopos ſubſcripſiſſe abrogationi confeſſionis ſacramentalis, præſertim cum inter illos extiterint plurimi quàm maximè pij & docti?

Aliorũ ad factum Nectarij ſolutio. Alij verò reſpondent, Nectarium non ſuſtuliſſe confeſſionem ſacramentalem, ſed tantum conditionem aliquam eiuſdem ſatis anxiam, oneroſam, & difficilem quibuſuis penitentibus: hæc autem conditio confeſſionis ex iſtorum opinione in eo erat poſita, quod nedum penitentes notorij, ſed etiam occulti cogerentur vni ſoli ſacerdoti omnia ſua peccata pandere: ſacerdos vero peccata ſic audita in confeſſione nedum publica & notoria, ſed etiam occulta (ſi tamen hæc eſſent fœdiſſima) deferebat ad Epiſcopum, & poſteà ſi ità viſum fuiſſet Epiſcopo in publicis conuentibus Chriſtianorum, & in media Eccleſia peccata illa vnà cum ijs qui ea commiſerant euulgabat. Contendunt ergo Nectarium prohibuiſſe ne deinceps vnicus eſſet tantum ſacerdos, qui exciperet quorumcumque peccatorum confeſſionem, quique eorumdem peccata euulgaret præſentibus ceteris Chriſtianis, feciſſéque poteſtatem confitendi cuique iuriſdictionem habenti ſacerdoti.

Ceterùm, neque hæc reſponſio plene ſatisfacit. Primò, quia ex hiſtoriographis ſupra allegatis, vnus fuit tantum Penitentiarius in qualibet diœceſi, qui omnium & ſingulorum confeſſiones excipiebat: at quî potuit fieri vt vnus ſolus ſacerdos omnium plane ciuium Conſtantinopolitanorum confeſsiones exciperet? Deinde, Penitentiarius hic eligebatur vir prudens, & tenax ſecreti ſibi commſsi; ex authoribus ſupra citatis, non ergo verum eſt ſecreta peccata, & audita tantum in confeſsione fuiſſe publicata per Penitentiarium. *Improbatur præcedens reſponſio.*

C Tertiò, non licet reuelare peccatum confeſſum ſine licentia penitentis, vt probabitur inferius. Quartò, Sacra Concilia vetant, ne peccata occulta manifeſtétur, vt conſtat ex Cœlio Carthaginenſi III. cap. 32. Denique, in Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. verbis expreſsis dicitur, penitentiam publicam nuſquam fuiſſe præceptam iure diuino, neque poſſe conſultò humana aliqua lege imperari. Non ergo verum eſſe poteſt Nectarium abrogaſſe conſuetudinem manifeſtandi peccata ſecreta fœda & turpia. 3.

Alij volunt Nectarium abrogaſſe Penitentiarium præfectum penitentibus publicis, nec non D publicam penitentiam, occaſione illius ſcandali. Multa namque obſeruabant huiuſmodi penitentes; toto ſiquidem tempore penitentiæ, à communione corporis Chriſti arcebantur, ab actibus coniugij abſtinebant (quam proinde non poterant ſuſcipere penitentiam, quæ ſemel in vita concedebatur, idque ijs qui prouectæ ætatis, non vero iuuenibus abſque alterius partis conſenſu, vt abunde ſatisfacerent pro pœnis temporalibus peccatis debitis) in veſtibulis Eccleſiæ ſacebant, ſacco, & cilicio induti, cinere conſperſi, illoti, & ſordulenti; viri raſis capillis capitis incedentes, feminæ verò velatæ, lacrymas ingentes fundebant, conuiuijs lætantium intereſſe minime eis licebat, ſed à carnibus, lacte, ſicera abſtinentes, oleribus & leguminibus, cum modico oleo, & vino veſcebantur; demum in ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis perſeuerabant, aliáque ſigna, & opera promebant, quibus ingentem animæ dolorem & triſtitiam de male anteacta vita demonſtrarent; donec determinato tempore, conſentiente Epiſcopo, in medium templi ducerentur, & coram vniuerſo Cleri, & Chriſtianorum cœtu, peccata publica genibus flexis deteſtarentur, ac confiterentur, abſoluerentúrque per impoſitionem manuum, non quidem à peccatis, quia iamdiu à ſacerdote illorum abſolutionem fuerant conſequuti ſacramentaliter, ſed à *Aliorũ exemplificatio facti Nectarij.* *Ritus varij penitentium publicorum.*

separatione fidelium, quorum communioni, & sacramentorum participationi restituebantur. Hanc ergo penitentiam publicam quam passim describunt Tertullianus lib. de penitentia, Cyprianus lib. de lapsis, tres authores citati Socrates, Sozomen. & Nicephorus, & cap. *Admonere* 33. quæst. 2. D. Hieronym. epist. ad Oceanum, quæ est Epitaphium Fabiolæ, & alij, intendunt multi recentiores Theologi cum penitentiario illo presbytero Nectarium omnino sustulisse, & abrogasse. Verùm hoc non esse conforme veritati manifestum fiet ex sequentibus.

Vera responsiones authoris.

Respondeo igitur primò, Esto ità haberet, quemadmodum garriunt hæretici, quod videlicet Nectarius è medio vsum confessionis sacramentalis sustulisset, ex hoc non fieret eam non esse de iure diuino; Nectarius enim etiam cum omnibus Ecclesijs Orientalibus potuit errare in materia fidei (& præsertim in hac, cum constet ex illis historiographis hoc decretum tulisse consilio accepto ab Eudæmone, qui Nouatianus erat) quamdiu non accedit summi Pontificis, vtpote supremi totius Ecclesiæ capitis, consensus & definitio, quemadmodum in hoc facto non accessit, vt constat ex illis verbis Sozomen. *Solicite autem in Occidentalibus Ecclesijs & maximè in Romana seruatur.* Deinde placent, mihi duo quæ docet Cardinalis Baronius ad annum 56. tom. 1. Socratem & Sozomenum sectæ Nouatianorum extitisse, vnde hac in re non est illis credendum, maxime vero cum mendacium prodant dum referunt omnes præsules Orientales amouisse confessionem peccatorum, & arbitrio conscientiæ cuiuscumque relictum fuisse, vt absque exomologesi peccatorũ facta sacerdoti, ad sacra mysteria seu communionem Eucharistiæ accederent. Ea enim falsa sunt, siue de confessione sacramentali agatur, siue de publica, aut penitentia, de qua hactenus: & quidem non fuisse datum accessum ad Eucharistiam absque confessione peccatorum, patet ex verbis ipsius Chrysostomi in Matth. homil. 83. *Non parua*, inquit, *vobis imminet pœna, si quẽ aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis. Sanguis enim eius de manibus vestris requiretur. Si dux igitur quispiam, si Consul ipse, si quis diademate coronatus indignè adeat, cohibe, coërce: maiorem tu illo habes potestatem*, & paucis interiectis. *Si ipse pellere non audes, mihi indica: non permittam ista fieri; animam prius tradam meam, quàm dominicum alicui corpus indignè: sanguinémque meum effundi potiùs patiar, quam pretiosissimum illum sanguinem, præterquàm digno concedam. Quod si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si multam prius adhibueritis diligentiam: nam hæc mihi de notis & manifestis disputata sunt; quibus emendatis, citò etiam ignotos Deus notificabit*: repetit eadem alibi ijsdem ferme verbis, homil. 60. scilicet ad populum Antiochenum. De publica vero penitentia & Penitentiario publico idem Chrysostomus præter loca quæ supra attulimus ex ipso, ità habet homilia 61. ad populum Antiochen. *Adsistentem audis præconem, atque dicentem: quotquot estis in penitentia, omnes orate. Quicumque nunc participes fiunt, in penitentia fiunt. Quid flas, si es in penitentia? sumere non debes: qui namque non communicat, est ex penitentibus.* Idem constat ex Gregorio Nysseno epist. quam ad Latoïum Episcopum Mitylenes scripsit, in qua canones penitentiales instituit, & D. Hieronymo supra citato.

Alterum quod docet Baronius est, occasione tumultus suborti Nectarium propter factum narratum, & ab illa matrona propalatum, quamuis esset occultum anteà, presbyterum Penitentiarium à gradu dimouisse, & confessionem similem peccatorum occultorum, quę aliquando solebant à penitentibus ad maiorem erubescentiam, & pro pœnis temporalibus satisfactionem manifestari, abrogasse: sicut Leo primus posteà eamdem damnauit, prohibuitque etiam fieri in Campania, vbi suo tempore adhuc erat in vsu, vt patet ex epist. 80. cap. 2. cuius verba infra afferentur, dum agetur de Confessione secreta.

3. *Argumenti solutio.*

Ad tertiam respondent aliqui, Chrysostomum dixisse hæc omnia in fauorem abrogationis penitentię publicę, non autem quod crediderit confessionem sacramentalem fuisse sublatam, veluti inutilem.

Ceterùm rectiùs illi qui docent, Chrysostomum nihil de penitentia publica illis in locis dixisse, sed tantum de confessione quam quilibet nostrùm conficit inter examinandam suam conscientiam, matutinis vel serotinis horis; nam loquitur de ea confessione quæ fit solo corde vel cogitatione: sacramentalis autem & publica, nedum corde, sed multo magis ore perficitur. Deinde, iudex confessionis, de qua disserit, ex eius opinione est ipsemet penitens, sacerdos autem est iudex confessionis sacramentalis, & publicæ, non autem ipse qui peccauit. Denique, codex in quo describuntur peccata huius confessionis, est propria conscientia illius qui peccauit, ex Chrysostomo; in confessione autem publica & sacramentali peccata commissa deferuntur à penitente, vel ad aures solius sacerdotis, vel sacerdotis & populi simul.

4.

Ad quartam. Respondeo Gratianum non habuisse fixam de hac re sententiam; loca autem Patrum, quæ ab eo deducuntur tantum probant, interdum & aliquando hominem posse iustificari à peccato actuali commisso, sine actuali confessione; putà quando quis caret copia sacerdotis cui confiteatur, & de facto elicit actum veræ contritionis.

Vlt.

Ad vltimam respondeo, probare tantum potestatem remittẽdi peccata præcipuam, & principalem esse penès Deum solum: cum istis tamen recte cohæret, vt hæc eadem peccata remittantur per sacramenta, & item per sacerdotes, veluti per certa quædam instrumenta.

DVBITATIO SECVNDA.

An præceptum de Confessione semel in anno perficiẽda, quod extat in capite, Omnis vtriusque sexus, *&c. sit iuris naturalis vel diuini, vel denique Ecclesiastici.*

Præceptum de confitendo semel in anno non est iuris naturalis.

CONCLVSIO 1. *Præceptum hoc non est de iure naturali:* nam confessio sacramentalis nulla præcesserit in lege naturali, & Mosaïca: ius autem naturale omni plane tempore obligat; quæ enim præcipiuntur, aut vetantur isto iure, sunt vel per se mala, vel per se bona; ac proinde omissio præcepti confessionis, si præceptum hoc fuisset in lege naturali, vel Mosaïca, fuisset per se culpabilis, quod tamen nullus hactenus dixit.

Deinde, quia licet in lege Mosaïca extiterint sacrificia quædam pro peccatis, vt constat ex cap. 6.

Digitized by Google

Leuit. 6. & 7.

cap. 6. & 7. Leuit. & item licet ſacerdos, impoſitis manibus ſuper hircum emiſſarium peccata populi confiteretur, vt dicitur Leuit. 16. hæc tamen ſunt intelligenda de confeſſione tantum generali peccatorum, non autem de confeſſione priuata quorumcumque peccatorum, vt communiter docent Theologi Scholaſtici, & manifeſtè euincitur ex eo, quod ſacramentum confeſſionis computatur inter ſacramenta ſolius nouæ legis, non autem naturalis, aut Moſaïcæ: ergo.

Non fuit confeſſio ſacramentalis in lege Moyſi.

Confeſſionis ſubſtantia eſt de iure diuino.

CONCLVSIO 2. *Subſtantia præcepti annuæ confeſſionis eſt de iure diuino.* Primò, quia diximus Dubit. antecedente poteſtatem remittendi peccata, & obligationem confitendi eadem, colligi ex cap. 20. Ioann. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. indubitatum autem eſt illud omne quod habetur in ſacris codicibus eſſe de iure diuino, vel ſimpliciter, vel certe aliqua ratione.

Deinde, in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. verbis expreſſis dicitur, præceptum diuinum de confitendis peccatis authoritate Eccleſiæ, obligare ſemel in anno. Tertiò, præcepta à Chriſtò inſtituta proximè, & immediatè ſunt de iure diuino, omnium conſenſu: at præceptum confeſſionis fuit proximè & immediatè ab ipſomet Chriſto inſtitutum, ex loco proximè cit. Ioann. ità communiter omnes, in 4. diſt. 17. alij 18.

Annua cõfeſſio eſt de iure Eccleſiaſtico.

CONCLVSIO 3. *Modificatio præcepti confeſſionis ad annum, eſt de iure humano poſitiuo tantum.* Primò, quia ità docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Deinde, quia in ſolo capite: *Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs, & remiſ.* habetur huiuſmodi præceptum annuæ confeſſionis. Tertiò, nihil eſt notius quàm extare certa præcepta Eccleſiaſtica, inter quæ computatur præceptum de confeſſione ſemel in anno retinenda; ità docent Paludanus, Caiet. Soto, & alij.

Seclusoquocumque diuino præcepto poſſet Eccleſia obligare fideles ad confeſſionem.

CONCLVSIO VLTIMA. *Stante hac hypotheſi, quod nullum eſſet conſtitutum præceptum à Deo, de confeſſione ſacramentali retinenda, poſſet Eccleſia obligare ad confeſſionem iſtam quoſcumque Chriſtianos, idque ad reatum peccati mortalis.* Primò, quia vſus confeſſionis ſacramentalis eſt quàm maximè vtilis quibuſuis Catholicis hominibus.

Deinde, ex veriori ſententia nullum extat præceptum à Deo, conſtitutum de conſequendo ſacramento Confirmationis, & tamen Patres Concilij Trident. obligant ad huius ſacramenti ſuſceptionem eum qui vult conſequi Ordines ſacros; itàvt teneatur hic priùs confirmari, quàm poſsit ſinè peccato vllum conſequi ordinem ſacrũ: vt conſtat ex cap. 4. ſeſſ. 23. de reformatione.

Tertio, nihil repugnat quominùs Eccleſia obliget ad celebrationem alicuius orationis publicæ, vt gratiam iuſtificantem conſequamur, impetratiue à Deo Opt. Max. Denique, ità ſentiunt Recentiores.

Obiectio.

Obijcies, inter peccata quæ ſunt confitenda ſacerdoti, nedum eſſe notoria, & publica; ſed etiam ſecreta, & occulta: Eccleſia autem nullum habet ius in cogitationes noſtras occultas, ex veriori ſententia.

Ei ſatisfit.

Reſp. ex iſtis ſolum poſſe colligi Eccleſiam per ſe non poſſe imperare confeſſionem de peccatis ſecretis & occultis, mĩnime vero de notorijs, & publicis. Deinde, licet Eccleſia non poſſit per ſe primò, præcipere confeſſionem peccatorum occultorum; poteſt tamen id præſtare reſpectu integritatis confeſſionis, & reſpectu vſus ſacramenti penitentiç, quem Eccleſia intenderet primò & per ſe, in eo caſu in quo Deus nullum tuliſſet præceptum de confeſſione ſacramentali perficienda; rebus ergo conſtitutis vt iam ſunt, quilibet noſtrũm tenetur accuſare ſe apud Confeſſarium per ſe de quibuſuis peccatis mortalibus commiſſis poſt baptiſmum, ſiue occultis, ſiue publicis: potuit enim Deus obligare ad id quoſcumque Chriſtianos homines, vt eſt per ſe notum apud Catholicos.

DVBITATIO TERTIA.

Quinam teneantur præcepto Confeſſionis, quod extat in capite; Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs, *&c.*

RATIO dubitandi eſt. Prima, quia dicitur in cap. proximè cit. omnes vtriuſque ſexus, obligari ad annuam confeſſionem.

Rationes dubitandi.

Deinde, dantur plerique, aut ſaltem aliqui qui ità recte viuunt vt intra annum, aut etiam plures, nullum plane peccatum mortale committant. Tertio, quilibet paſtor tenetur ſuas agnoſcere oues, vt colligunt omnes ex cap. 10. Ioann. ergo cum non aliter poſsit Curatus agnoſcere oues ſibi commiſſas, quàm audiendo earum confeſsionem, omnes iſtæ oues cuiuſcumque ætatis, aut conditionis ſint, tenentur ad confeſsionem ſacramentalem.

Infideles nõ tenentur ad confeſſionẽ ſacramentalem.

CONCLVSIO 1. *Qui nondum dederunt nomen fidei Chriſtianæ, non tenetur præcepto confeſſionis annuæ, ac proinde neque iure Eccleſiaſtico, neque diuino.* Primo, quia ſupponimus iſtos nondum eſſe baptizatos.

Probationes 1.

Deinde, qui nondum dederunt nomen fidei Catholicæ, & ad annos diſcretionis peruenerunt, iure diuino tenentur tantum ad fidei acceptionem.

2.

Tertio, qui vouit v. g. ſe futurum religioſum, non propterea ſtatim tenetur ad obſeruationem eorum omnium, quæ pertinent ad vitam regularem, ſed tantũ ad ingrediendum religionem, quam vouit; ex ingreſſu vero religionis ſequitur obligatio ad obſeruanda ea omnia, quæ ſunt regulæ, quam, ex hypotheſi, iſte vouit.

3.

Quarto, adminiſtratio ſacramenti confeſsionis eſt actus iuriſdictionis, vt conuenit inter omnes; duo enim ſunt quæ deſiderantur ad abſolutionem ſacramentalem, poteſtas, ſcilicet, ordinis, & poteſtas iuriſdictionis: at ſacerdotes nullam habent iuriſdictionem, ſaltem directam in eos, qui nondum acceptarunt fidem Chriſtianam, & Catholicam, ex illo: *Quid ad nos de his qui foris ſunt iudicare?*

4.

Denique, in confeſsione ea ſunt tantum peccata neceſſario deducenda, quæ fuerunt commiſſa poſt baptiſmum; propter hanc enim cauſam penitentia dicitur ſecunda tabula poſt naufragium; at qui nondum dederunt nomen fidei Chriſtianæ, nullum habent peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum: ergo. in hac ſententia ſunt communiter omnes, in 4. diſt. 17. & alij 18.

5.

Obiectio.

Obijcies, eos qui nondum ſubſcripſerunt fidei Catholicæ obligari iure diuino ad ſuſceptionem baptiſmatis, ex illo Marci 16. & Matth. vltimo: *Ite in vniuerſum mundum, baptizantes eos,* &c. & ad ſuſceptionem ſanctiſsimi ſacramenti, ex illo Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij*

Marc. 16. Matth. vlt. Ioann. 16.

Digitized by Google

hominis, &c. alloquitur enim illic Chriſtus Iudæos, qui fidem Chriſti nulla ratione acceptauerant. A

Reſponſio. Reſp. negando illationem, propterea enim infideles omnes tenentur ad baptiſmatis, & Euchariſtiæ ſuſceptionem, quia ad id fuerunt obſtricti lege, & ordinatione Chriſti, vt bene probat argumentum: non fuerunt autem iſti obligati ad ſuſceptionem ſacramenti penitentiæ, niſi ſuppoſita culpa mortali commiſſa poſt baptiſmum; iure ſiquidem diuino ſola peccata commiſſa poſt baptiſmum poſſunt deſtrui per ſacramentum penitentiæ, vt colligitur manifeſte ex cap. 5. ſeſſ. 14. Trident. Deinde, propter hanc cauſam docebimus Dubit. proximè conſequente B eos tantum obligari ad confeſſionem ſacramentalem, in quibus datur peccatum mortale commiſſum, poſt baptiſmi ſuſceptionem.

Impuberes baptizati aſtringũtur confeſſioni. Conclvsio 2. *Impuberes baptizati tenentur ad annuam confeſſionem, ea lege, quod detur in ipſis peccatum mortale poſt baptiſmum commiſſum.* Primò, quia id dicitur ſatis euidenter in cap. *Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs, & remiſſionibus.* Loquitur enim indefinite & indiſtincte de quibuſuis maſculis & feminis.

Deinde, quodlibet peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum ſubijcitur clauibus Eccleſiæ; & quidem ità vt nequeat hoc remitti ſine dependentia ab abſolutione ſacramenti in re, vel in voto: vt colligitur ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. C

Denique, ità ſentiunt Scotus, Richardus, Gabriel, & multi alij in 4. diſt. 17. alij 18.

Impuberes non primãdi ſepultura ob omiſſionẽ annuæ confeſſionis. Moneo tamen impuberes prætermittentes confeſſionem intrà annum celebrandam non propterea priuandos eſſe ſepultura, neque item ex communicandos propterea, licèt pœnę iſtę incidantur tranſgreſſoribus præcepti, cap. *Omnis vtriuſque ſexus.* Primò, quia pœnę iſtę debentur ſolis puberibus, & in maiori ætate conſtitutis, quàm ſint impuberes, vt colligi videtur ex cap. *Pueris, de delictis puerorum.*

Deinde, filiæ ante duodecimum annum, & maſculi ante decimumquartum expletum iure ciuili matrimonia valide contrahere non poſſunt. D

Tertiò, non excommunicantur impuberes ante annum duodecimum, ſi ſint feminæ, ante verò decimumquartum, ſi fuerint maſculi, ex communi doctrina.

Quarto, non poſſunt teſtari ante annos pubertatis valide iſti impuberes: ergo non eſt etiam rationi conſonum, vt ante illud tempus ſi moriantur priuentur ſepultura; & innodentur cenſura excommunicationis.

Puberes omnes cuiuſcũq; ætatis tenentur ad annuam cõfeſſionem ſuppoſito peccato mort. Conclvsio 3. *Puberes omnes in quacumque ætate, & dignitate conſtituti, ſi tamen commiſerint peccatum mortale poſt baptiſmatis ſuſceptionem, tenentur ſemel in anno confiteri ad reatum peccati mortalis.* Primo, quia diximus impuberes commaculatos peccato mortali admiſſo poſt baptiſmum, obligari ex præcepto cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, ad confeſſionem annuam: ergo à fortiori illud dicendum eſt de puberibus. E

Deinde, ità docent authores proximè citati: & item cæteri omnes Sententiarij, in 4. diſt. 17. & præterea Caſuiſtæ nullo diſcrepante.

Obiectio. Dices, ex hac Concluſione colligi Pontificem Romanum obligari ad annuam confeſſionem, quod tamen non videtur verum, cum careat Pontifex Romanus ſuperiore à quo poſſit obligari, ſaltem reſpectu quorumcumque hominum.

Reſponſio. Reſpondeo, probari hoc argumento Pontificem Maximum non ſubijci legi latæ in cap. *Omnis vtriuſque ſexus, de penitentijs, & remiſſionibus*, coërcitiue, vt loquũtur: caret enim ſuperiore inter homines, qui poſſit eius culpas vindicare, & vlciſci; directiue tamen vt loquuntur, tenetur Pont. Max. ac proinde quilibet alius Eccleſiaſticus ad annuam confeſſionem; nam tenetur Pontifex Maximus ſuo exemplo trahere, & allicere ceteros Chriſtianos ad obſeruationem earum præceptionum, quæ conducunt ad vitam æternam obtinendam; ex illo Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona*, &c. Matth. 5,

Tenetur ſummus Põtifex confiteri, ſicut & alij ob exẽplum.

Deinde, caput debet ſe conformare membris corporis; certum autem eſt Pontificem Romanum eſſe caput Eccleſiæ, & conſequenter eſſe etiam ſupra Concilium; ac proinde etſi non potuerit à Concilio Lateranenſi cogi ad obſeruationem legis, ex conformitate tamen, quæ debet eſſe inter caput, & membra, obligatur ad hoc vt confiteatur ſemel in anno, ſi peccatum mortale habuerit.

Qui caret peccat. mortali nõ obligatur ad confeſsionẽ annuam. Dixi autẽ in Concluſione (*ſi detur in iſtis peccatum mortale*) quia ſi commiſſum fuerit tantum peccatum veniale, non tenetur ad confeſſionem annuam, ex vi iſtius præcepti; nam ſolum peccatum mortale cenſetur eſſe materia neceſſaria ſacramenti penitentiæ. Deinde, ſacramentum confeſſionis in hunc finem à Chriſto eſt inſtitutum, vt homo iuſtificetur à labe peccati mortalis per gratiam gratum facientem, quam producit ſacramentum hoc in nobis. Tertiò. Iure diuino ſolum peccatum mortale ſubijcitur neceſſario clauibus Eccleſiæ, ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. affirmatque vtiliter peccata venialia confiteri.

Obiectio. Monachi Benedict. Obijcies, in Clementina; *Ne imago Dei, de ſtatu Monachorum*, religioſos Benedictinos obligari ad menſtruam confeſſionem: ergo peccata venialia ſunt iſtis neceſſario confitenda; eſt enim quàm maxime probabile inter iſtos extare multos, præſertim vbi viget regularis obſeruantia, qui intrà menſem nullum plane peccatum mortale committant.

Solutio. Reſpondeo, Clementinam iſtam obligare ad reatum peccati mortalis quoſlibet religioſos ordinis D. Benedicti, ad hoc vt ſemel in menſe cõfiteantur, ſi tamen in ipſis detur peccatum mortale commiſſum ab vltima confeſſione; eadem quippe ratione obligat Conſtitutio hæc religioſos iſtius Ordinis, qua præceptum, *Omnis vtriuſque ſexus*, cæteros Chriſtianos ad annuam confeſſionem: docuimus autem præceptum hoc aſtringere conſtitutos in peccato mortali, vt ſemel in anno confiteantur: Ità communiter omnes Recent. contra Vazquezium, qui ad articulum proximè citatum D. Thom. putat Benedictinos conſtitutos in ſolis venialibus obligari, vt ſemel in menſe confiteantur propria peccata.

Solutio rationum contrariarum. Ad rationes autem initio quæſtionis propoſitas reſpondeo. Ad primam in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, modificari tantum ius diuinum de confeſſione retinenda ſemel intrà quemlibet annum; ea lege quod detur in nobis peccatum mortale commiſſum poſt vltimam confeſſionem anno proximè elapſo peractam. 1.

Ad 2. poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur, *An poſſit obligare Eccleſia conſtitutum* 2.

Digitized by Google

Poteſt Eccleſia obligare ad cõfeſſionẽ venialium.

conſtitutum in ſolis venialibus vt confiteatur iſta peccata: De qua re hoc vnũ, videtur certo ſtatuendum poſſe authoritate Eccleſiæ obligari agentes in ſolis venialibus ad hoc vt nedum ſemel, ſed etiam pluries intrà annũ, vel menſem confiteantur. Eſt enim vſus ſacramenti penitentię quàm maximè vtilis cuilibet Chriſtiano, & Catholico, vt docuimus in antecedentibus. Deinde, quia poſita confeſsione tantùm peccatorum venialium in eo in quo nulla dantur mortalia, conſurgit validè ſacramentum penitentię, omnium contenſione, & colligitur manifeſtè ex cap. 5. ſeſſ. 14. Trident.

Trident.

Tertiò, ſi Eccleſia præciperet confeſsionem annualem, reſpectu eorum in quibus non dantur peccata mortalia, materia iſtius præcepti non eſſent peccata venialia, ſed tantùm vſus ſacramenti penitentię, ſaltem per ſe; intenderet enim Eccleſia primo, & per ſe adminiſtationem iſtius ſacramenti. Denique poteſt Eccleſia ordinare confeſsionem venialium, in honeſtum aliquem finem, putà in reformationem alicuius religionis, cùm ergo ex multorum ſententia quilibet poſsit ſe obligare voto proprio, & perſonali ad confitenda venialia, quare non poterit quis obligari ad hoc idem authoritate Eccleſię?

Obiectio.

Dices, ſtante hac hypotheſi, non poſſe quempiam data opera prætermittere confeſsionem vnius peccati venialis ſine diſpendio ſacramenti; faceret enim hic contra præceptum Eccleſię.

Solutio.

Reſp. negando illationẽ antecedẽtis; licet enim poſsit Eccleſia obligare ad confeſsionẽ venialiũ: non tamẽ ad omnia, & ſingula venialia confitenda: tum quia moraliter loquendo id eſſet impoſſibile; tũ etiam quia omiſsio etiã voluntaria alicuius peccati venialis in confeſsione, nequit impedire effectum ſacramenti penitentię idque quod culpa venialis non opponatur effectui ſacramenti, qui eſt collatio gratię gratum facientis.

Replica.

Inſtabis, ſaltem concedendum eſſe in data hypotheſi materiam ſacramenti penitentię mutari: liberum quippe eſt iam confiteri venialia; poſita vero lege Eccleſiaſtica de confitendis venialibus neceſſariò eſſent peccata illa confitenda, ſi non omnia ſaltem aliqua; neque enim vſus ſacramenti huius haberi poteſt ſine confeſſione mortalium, vel venialium.

Diſſoluitur.

Reſpond. materiam ſacramenti penitentiæ etiam remotam, poſita lege de confitendis venialibus minimè propterea mutari; nam ex inſtitutione Chriſti materia remota ſacramenti penitentiæ ſunt peccata mortalia, & venialia, cum hoc tantum diſcrimine, quod mortalia nequeant dimitti niſi dependenter à clauibus Eccleſiæ, venialia verò poſſunt remitti ſine clauibus iſtis, ſi tamen fuerunt deducta ad forum penitentię, inſtitutione diuina non minùs remittuntur per abſolutionem ſacerdotis, quàm mortalia: ſtante ergo conſtitutione Eccleſiæ de confitendis peccatis venialibus, ſaltem aliqua eſſent neceſſariò confitenda, ad hoc vt ſequeretur vſus ſacramenti penitentię.

Vltima ſolutio.

Ad vltimam reſpond. Curatum ſine confeſſione ſacramentali poſſe agnoſcere ſuas oues; actus quippe confeſſionis licet maximam inducat cognitionem conſcientię illius, qui confitetur, poteſt tamen conſcientia hæc alijs quibuſdam argumentis deprehendi, vt eſt per ſe notum: vnde ſecluſo omni ſcandalo tam ex parte Curati, quàm ex parte ceterorum Chriſtianorum poſſet Curatus alicui Euchariſtam miniſtrare, prætermiſſa confeſſione, ſi tamen aliunde illi conſtaret hominem iſtum eſſe debitè diſpoſitum ad receptionem tanti ſacramenti, quantum eſt Euchariſtia.

DVBITATIO VLTIMA.

Quandònam obliget præceptum Confeſſionis.

Semel in anno confitendum.

CONCLVSIO. *Obligat ſemel intrà quemlibet annum:* ità fatentur omnes in 4. diſt. 17. patitur tamen Concluſio hæc difficultatem aliquam. Sunt enim qui exiſtiment præceptum annuæ confeſſionis obligare ex ſe in Paſchate, ſeu in quadrageſima. Probant primò, quia conſuetudo obtinuit, vt nedum communicantes, ſed etiam qui non communicant, confiteantur in Paſchate, ſeu in quadrageſima. Extant etiam conſtitutiones Synodales in quibus præcipitur, vt conficiatur catalogus eorum omnium, qui confitentur in Paſchate.

Argumenta contraria. 1.

2.

Deinde, in can. *Quadrageſima*, diſt. 50. ex Concilio Agathenſi detumpto, præcipitur, vt confitentibus ſub initium quadrageſimæ penitentia imponatur, in Paſchate vero abſolutio eiſdem tribuatur.

3.

Tertio, Sixtus IV. in Extrauaganti 2. de Treuga, & pace, prohibet ne Mendicantes prędicent parochianos non obligari confiteri ſua peccata in quadrageſima proprijs Curatis.

4.

Denique, Trident. cap. 5. ſeſſ. 14. aſſerit retinendam eſſe laudabilem conſuetudinem confitendi peccata in paſchate ante ſumptionem ſanctiſſimi ſacramenti. Contraria tamen ſententia videtur verior, quæ explicatur hac vnica Concluſione.

Confeſſio nõ obligat præciſe in Paſchate.

CONCLVSIO 2. *Præceptum annuæ confeſſionis non obligat ex ſe, & vi ſua, in Paſchate, vel in Quadrageſima, ſed tantum ratione præcepti de communione debite celebranda in Paſchate: quare præceptum confeſſionis adimpleri poteſt debitè à prima die Ianuary, ad vltimam vſque diem menſis Decembris eiuſdem anni.* Primò, quia ità Sotus in 4. diſt. 18. lib. 4. quæſt. 2. art. 4. Canus 5. p. relectionis de penitentia, circa finem, §. ad vltimum, Nauarrus in Summa cap. 2. num. 9. Ioan. Medina, Martinus Ledeſma, Sententiarij quæſt. 5. diſt. 6. art. 5. & communiter alij Recentiores.

Probat. 1.

2.

Deinde, Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ait, ſemel in anno obligari nos ad confeſsionem: poſteà verò ſubiungit conſuetudinem confitendi in Paſchate eſſe tanquam laudabilem, & vtilem retinendam: credidit ergo Concilium alio tempore, quàm in Paſchate poſſe nos ſatisfacere præcepto annuæ confeſsionis.

3.

Tertiò. Qui in Paſchate nec ſanctiſsimam Euchariſtiam conſequeretur, nec ſua peccata confiteretur ſacerdoti, admitteret tantum vnum peccatum contra præceptum de communicando in Paſchate, non autem duo, vt docent authores proxime citati ferè omnes.

4.

Quarto, particula (*in Paſchate*) quæ habetur in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, reſpicit obligationem ſolius præcepti, de communione facienda, obligamúrque ex eodem capite tantũ ad annuam confeſſionem, vt ſatis aperte colligitur ex verbis capitis.

Vlt.

Denique, ſi quis ante quadrageſimam peccata ſua ſacerdoti fuiſſet confeſſus, & perſeueraret in gratia, & ſanctitate ad diem vſq; Paſchæ; hic non

Digitized by Google

teneretur præcepto confeſſionis; diximus eum ſolũ obligati iure diuino ad confitenda ſua peccata, qui peccatum mortale commiſit, quod nunquam fuit deductũ ad forũ penitentiæ: ergo extra tempus Paſchæ, vel quadrageſimæ poteſt quilibet noſtrũm adimplere præceptũ annuę confeſſionis.

Satisfit rationibus allatis.

Ad rationes verò authorũ contrarię ſententię reſpond. Ad 1. conſuetudinẽ confitendi peccata in Paſchate, vel in quadrageſima introductã fuiſſe ad hoc tantùm, vt quilibet debita cum veneratione accederet ad ſacram ſynaxin in Paſchate, vt colligitur ex loco proximè cit. Trid. Pueri autem, & impuberes, ideò confitentur in quadrageſima, quia alliciuntur, & inuitantur à parentibus, ad hoc vt in poſterum debita cũ diſpoſitione Euchariſtiã, & cetera ſacramenta frequentẽt; non autem quod ad id teneantur præciſe eo tempore.

1.

2. Ad ſecundam. Caput illud Concil. Agathenſis manifeſtè loqui de penitentibus publicis, quibus circa initiũ quadrageſimę penitentię aliquę indicebantur, quatenùs eas perficerẽt toto illo tẽpore quadrageſimę; in Paſchate vero abſoluebãtur per ſacerdotem à peccatis commiſſis vt poſteà admitterentur ad ſacram communionem, non loquitur autem de ceteris penitentibus.

2.

3. Ad 3. Conſtitutionẽ illã emanaſſe à Sixto IV. ad hoc vt componeretur diſſidium inter Curatos, & Mẽdicantes; iſti enim ex priuilegio ſibi à ſummis Pontificibus exhibito, etiam in Paſchate excipiebant confeſſiones quorumcumq; penitentiũ; ac proinde ex cathedra ad populum docebant penitentes iſtos nõ obligari ex vi cap. *Omnis vtriuſq; ſexus, de penitentijs*, & c. ad confitendum iterum ſua peccata proprijs Rectoribus, ſeu Curatis, quę res anxia, & quã maxime moleſta fuit Curatis illius temporis, qui de hac re conqueſti ſunt apud Sixtũ IV. quocirca perſpecta querimonia Curatorũ, prohibuit Pontifex iſte, ne Mendicantes eo tempore exciperẽt confeſſiones Parochianorũ: poſteà tamen ex priuilegio Pontificis Max. factum eſt, vt Mendicantes habuerint poteſtatem excipiendi confeſſiones quorumcumque Parochianorũ, etiam in Paſchate, vt dicemus, in quæſtione de miniſtro ſacramenti penitentię.

3.

4. Ad vlt. Reſp. Trid. adieciſſe verba illa propter hæreticos noſtri temporis, qui nedum improbant confeſſionem ſacramentalem, ſed etiam eamdem multis nominibus damnant; non autem intendit Conciliũ obligari nos ex vi præcepti annuę confeſſionis, ad confitenda peccata in Paſchate, ſed tantum ex vi diſpoſitionis neceſſarię ad debitam ſumptionẽ ſanctiſsimi ſacramenti, quod ad reatũ peccati mortalis, quilibet ſumere debet in Paſchate, vt docuimus in tractatione de Euchariſtia.

4.

In aliquo alio caſu obligat Cõfeſſionis præceptum. Probationes

Conclvsio 3. *Præceptum Confeſſionis obligat conſtitutum in peccato mortali ad hoc vt confiteatur, ea lege, quod probabiliter exiſtimet ſe alias non habiturũ copiam ſacerdotis, cui confiteatur.* Idem dicendum eſt de eo qui habet caſum reſeruatũ; obligatur enim ad confitendũ huiuſmodi peccatũ, & cetera mortalia quę cõmiſit ſi probabiliter exiſtimauerit ſe alias non habiturũ ſacerdotẽ qui poſsit eum abſoluere à peccato iſto reſeruato. Primò, quia qui non cõfitetur in iſtis caſibus exponit ſe periculo faciendi contra præceptum de confeſsione intrà annum celebranda. Deinde, videtur hic negligere propriam ſalutem contra dictamen conſcientię: ſuppono namque quod aduertat ſe eſſe cõſtitutũ in peccato mortali, & item credat ſe non habiturum copiam ſacerdotis aliàs, cui confiteatur intrà annum: ità docent Bonauent. in 4. diſt. 17. 2. p. art. 2, q. 2. Palud. q. 2. art. 2. Durand. q. 10. nu. 6. Richard. art. 3. q. 6. Biel q. 1. art. 3. Dub. 1. Maior. q. 2. Adrian. q. 3. de confeſſione, Ioan. Medina, codice de confeſsione q. de tempore, quo confiteri oporteat. Canus 5. p. relectionis de confeſsione, §. ſed ſunt aliqui caſus, & §. circa 3. caſum, & Recentiores.

1.

2.

Obijcies, minimè obligari ad anticipandũ præceptum de audiendo ſacro, de ieiunio retinendo, neq; de recitando Breuiario, etiamſi quis probabiliter credat ſe non habiturum die proxime ſequente occaſionẽ audiendi ſacrum, aut recitandi Breuiarium, aut denique ieiunandi; ergo illud idem dicendum erit de eo qui credit ſe non habiturum copiam ſacerdotis cui confiteatur.

Obiectio.

Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionẽ: ratio diſparitatis eſt; quia præcepta de audiendo ſacro, ieiunando, & recitando horas ſunt definita, & determinata ad certũ aliquem diem, ità vt recipiant hæc definitum diem, in quo ſunt exequutioni demandanda, quatenùs Deus hac ratione colatur à nobis diebus illis certis, & determinatis: præceptum verò annuę confeſsionis non eſt determinatum ad certũ aliquem diem, ſed admittit latitudinem totius anni; ſatisfacimus enim huic præcepto, ſi à prima die Ianuarij ad vltimam Decembris ciuſdẽ anni noſtra peccata ſacerdoti aperiamus; ac proinde, ſtante hac hypotheſi, quod quis probabiliter exiſtimet ſe non habiturũ aliàs copiam ſacerdotis idonei, cui confiteri poſsit, tenebitur hic ad anticipandam confeſsionem ſacramentalem, nempe vt vitet periculum de confeſsione non celebranda intrà annum.

Solutio.

Sunt qui illud idem doceant de communione ſanctiſsimi ſacramenti; ſi quis namq; probabiliter exiſtimet ſe in Paſchate non habiturũ occaſionẽ communicandi, & videat in præſentiarum ſe poſſe communicare debita cum veneratione, tenetur ad anticipãndum communionem: ità pleriq; ex authoribus proximè cit. Deinde, quia alioqui exponit ſe manifeſto periculo de non conſequenda Euchariſtia intrà annum, ad quod tamen tenemur; omnes ex præcepto cap. *Omnis vtriuſq; ſexus.*

Non deſunt etiam qui hoc idem affirment de recitatione Breuiarij, reſpectu beneficiarij, & Clerici in maioribus ordinibus conſtituti. Cetertùm opinio hæc videtur vera, vt colligere licet ex ratione ſupra citata. Deinde, quia ſi Clericus aut beneficiarius nequeat die proxime ſequente, ex iuſta, & legitima cauſa, horas canonicas recitare, hic nullum plane peccatum mortale committit, nec obligatur ad reſtitutionem; nemo quippe peccat in his quæ vitare non poteſt, vt fatentur omnes: ergo nullam contrahet Clericus iſte maculam ex prætermiſsione recitationis officij.

Quid de recitatione Breuiarij.

Conclvsio 4. *Qui vel obſeruandi præcepti Eccleſiaſtici, vel ſatisfaciendi priuata deuotionis gratiã vult ſuſcipere ſanctiſſimum ſacramentum, tenetur ad præmittendam confeſſionem ſacramentalem ad reatum peccati mortalis, ſi tamen præmiſſo examine conſcientiæ fuerit hic ſibi conſcius peccati mortalis.* Probatur 1. quia in Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. verbis expreſſis dicitur, cum qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis non poſſe accedere ad Euchariſtiam, niſi prius confeſſionem ſacramentalem præmiſerit.

Confitendũ ante ſuſceptionẽ Euchariſtiæ. Probationes

1.

Deinde, hoc idem colligunt plerique Sententiarij, & Caſuiſtæ ex illo Pauli, cap. 11. prioris ad Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane*

2. 1. Cor. 11.

pane illo edat, &c. Credunt enim probationem A
iſtam in eo qui agit in peccato mortali non aliter
fieri poſſe, quando datur copia ſacerdotis, niſi
media confeſſione ſacramentali. Confirmatur.
Maior diſpoſitio eſt neceſſaria ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem, quam ſit ad cetera ſacramenta adminiſtranda, omnium Catholicorum conſenſu; & colligitur manifeſtè ex loco proxime citato Trident. at cetera ſacramenta poſſunt adminiſtrari, & quidem ſuſcipi ſine actuali confeſſione: ità docent authores ſuprà citati.

Notabile. Eſt tamen aduertendum ſacerdotem qui cum conſcientia peccati mortalis, & cõtritione vera, vel exiſtimata acceſſit ad ſacrum faciendum ſine confeſſione, quod caruerit copia ſacerdotis cui B
confiteretur, obligari citius quàm fieri poterit confiteri huiuſmodi peccatum, vt dicitur manifeſtè in Trid. ſeſſ. 13. cap. citato: idem tamen non eſt ſentiendũ de laïco, qui in ſimili caſu communicauit ſine confeſſione ſacramentali, contra Nauarrum, & alios nonnullos: Concil. Trid. loquitur de ſolis ſacerdotibus; leges autem non aliter ſunt intelligendę, quàm verba ſonent. Deinde, ratio præcipua cur Trid. legem iſtam poſuerit, eſt, ne ſacerdotes ſint negligentes in quærendo Confeſſario quotieſcumque tenentur ad celebrationẽ ſacri, & verſantur in ſtatu peccati mortalis: hæc autem ratio non habet locum in laïcis.

Obligat Cõfeſſio conſtitutum in periculo vitæ. Conclvsio vltima. *Præceptum de confeſſione* C
facienda obligat quotieſcumque conſtitutus in peccato mortali verſatur in periculo, vel probabili, vel manifeſto vitæ: ità communiter omnes locis ſuprà cit.

Deinde, præceptum de confeſſione retinenda obligat illo eodem tempore, idque iure diuino, in quo præceptum de diligendo Deum ſupet omnia, ſaltem, vt admittunt communiter Doctores Scholaſtici, at præceptũ de diligendo Deum ſuper omnia in articulo mortis probabili, vel manifeſto obligat: ergo & præceptũ de confeſſione facienda. Denique, non poteſt dici quod ſit illud aliud tẽpus, in quo obligat præceptũ iure diuino.

Notabile. Aduerte, legibus Eccleſiaſticis obligari medicos ad hoc vt moneant ægrotos, ſub initiũ morbi, D
de peccatis confitendis, idque quod cenſeantur iſti ægroti verſari in periculo vitæ, vt conſtat ex cap. *Cũ infirmitas, de pœnitentijs & remiſſionibus. Præſenti decreto*, inquit, *ſtatuimus, & diſtrictè præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt poſtquàm fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporis medicina remedium ſalubrius procedatur.* & ex Conſtitutione Pij V. quæ de hac re exſtat in Bullario, inter Bullas dicti Pontificis: nunquam autem definitum eſt quodnam ſit certum, & euidens periculum vitæ, aut etiam probabile, ſed id relinquitur iudicandum iudicio viri prudentis, & boni. E

Quæſtio mouetur. Rogabis, *An præceptum confeſſionis poſſit abrogari, aut etiam admittere diſpenſationem opera vel Eccleſiæ vniuerſalis, vel ſolius Pontificis Maximi.*

Antequàm huic interrogationi ſatisfiat.

Aliud diſpenſare, aliud legem abrogare. Aduerte primò, aliud eſſe diſpenſare, cum aliquo in lege aliqua, & legẽ abrogare. Tunc lex aliqua abrogatur, quando eius obligatio tollitur in ordine ad omnes & ſingulos, principis authoritate, aut etiam contraria conſuetudine. Tunc verò diſpenſatur cũ aliquo, quandocumq; lege in ſuo robore manente, in ordine ad totam communionem hominũ alicuius reipublicæ, eximitur tamen aliquis obligatione iſtius legis, Principis gratia & beneplacito, idque ex cauſa aliqua iuſta.

Irrita diſpenſatio facta abſque legitima cauſa. Aduerte ſecundò, diſpenſationẽ nunquam eſſe ſtutam & validam niſi detur cauſa legitima, quæ moueat Principem ad hoc vt diſpentet cum perſona iſta priuata, circa legis iſtius obligationem; ſi tamẽ lex abrogaretur à Principe iuſta, vel iniuſta aliqua cauſa, abrogatio teneret, nec ſubiecti peccarẽt faciendo contralegẽ illam iniuſtè abrogatã.

Eccleſia nequit condere ius diuinũ. Aduerte tertio, Pontificem Romanum, imo & Eccleſiam Romanam non poſſe condere ius diuinum, multo minùs naturale, ac proinde ſi aliquando dicatur Pontificem Romanũ diſpenſare in votis, iuramentis, & in matrimonio rato, quæ omnia ſunt iuris diuini & naturalis, non eſt exiſtimandum Pontificem eadem ratione diſpenſare in iſtis, qua diſpenſat in proprijs legibus, nã quando id præſtat, vel declarat tantũ vota & iuramẽta, & matrimonium ratum in hoc vel illo caſu non obligare, vel (vt alij docent) tollit materiam voti, iuramenti, & matrimonij rati: nimirum promiſſionem, quæ abſolute neceſſaria eſt ad horum cõſtitutionem: promiſſio autem iſta non eſt de iure diuino, vel naturali, ſed eſt actio plane humana, quæ ſubijcitur ditioni, & imperio Pontificis Romani. His prænotatis

Reſponſio 1. Respond. 1. *Præceptum hoc nulla ratione poſſe authoritate Pontificis Max. vel Eccleſiæ ſimpliciter abrogari.* Nam præceptũ confeſſionis eſt iuris diuini poſitiui, vt conſtat ex dictis: ius autem diuinum ab eo ſolum abrogari poteſt à quo fuit conſtitutum. Deinde, inferior nequit abrogare legem ſui ſuperioris: Indubitatũ autem eſt Pontificem Maximũ & item Eccleſiam eſſe inferiorem Deo.

2. Respond. 2. *Pontificem Max. poſſe diſpenſare cum aliquo ne intrà annum teneatur ad ſuorum peccatorum confeſſionem, ceſſante tamen periculo probabili, vel euidenti vitæ*; ceſſante enim periculo vitæ confiteri intrà annum eſt de iure Eccleſiaſtico poſitiuo: diſpenſat autem ſummus Pontifex in his omnibus quæ ſunt iuris poſitiui humani tantum.

3. Denique, Reſpondeo *Pontificem Romanum non poſſe diſpenſare ſimpliciter cum aliquo, ne teneatur ad legem confeſſionis:* Diximus namque confiteri ſua peccata eſſe de iure diuino poſitiuo.

Non poteſt Papa diſpenſare ne teneatur quis ad cõfitendum. Deinde, nulla poteſt occurrere cauſa ſufficiẽs, & legitima, ad hoc vt diſpenſetur cum aliquo in præcepto confeſſionis, vt obſeruant plerique Recentiores, maxime vero Sotus in 4. diſt. 18.

Deniq; quod dicunt aliqui de eo Eremita qui voto ſolemni, vel priuato obſtrinxiſſet ſe ad nunquam deferendam ſuam cellulam, & qui ex hypotheſi verſaretur in loco remotiſſimo à ſocietate quorumcumque hominum, abſque fundamento adducitur: nam vel hic habet culpam mortalem, vel non: ſi primum ſubijcitur legi confeſſionis. Deinde, non potuit hic ſe obſtringere voto aliquo contra ea quę ſunt iuris diuini; confiteri autẽ eſt de iure diuino. Si vero careat peccato mortali poſt baptiſmum commiſſo, hoc ipſo excuſatur à præcepto confeſſionis & conſequenter à diſpenſatione Pontificis Maximi.

Nihil etiam dicunt illi, qui putant poſſe diſpenſari ſcrupulosum circa obſeruationem præcepti confeſſionis: ſatius enim eſt hominem iſtum committere prudentię, & diſcretioni alicuius ſacerdotis boni, quàm eum eximere ab obligatione præcepti confeſſionis, idque quod confiteri ſit de iure diuino, ſaltem in manifeſto, vel probabili periculo vitę. Ità D. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 5. Richardus, Durand. Paludanus, & moderni.

QVÆSTIO SECVNDA GENERALIS,

De qualitate Confessionis.

HÆc quæstio, quoad ea quæ difficultatem aliquam patiuntur, sequentibus explicabitur Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quæ conditiones sint necessariæ ad Confessionem sacramentalem.

RESPONDEO assignari à Doctoribus, sexdecim, quæ versiculis istis explicantur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Conditiones 16. Confessionis explicantur.

Quæ conditiones ità solent explicari, vt confessio debeat esse *Simplex*, abstinendo videlicet à recitatione inutilium, quæ solent plerumq; multi miscere, discursus prolixos conficiendo, quibus & tempus teritur & confessor affligitur. *Simplex.*

Humilis. *Humilis* detecto capite, genibus flexis, nisi vel morbus, vel aliquid aliud obstet; cùm enim confitens reus sit coram Deo, ipsis signis externis debet profiteri humilitatẽ.

Pura. *Pura*, hoc est ex bono fine procedens, & honesto motiuo: nam si ob malum fiat, mortale erit peccatum, si mortale: veniale vero, si veniale; puta ob vanam gloriam: quare, primũ inualidat sacramentum, secundum vero obest sanctitati sacramenti, sed quia leuiter, ideo leuis culpa.

Fidelis. *Fidelis*, hoc est verax, quare mendacium in confessione, circa materiam necessariam, est mortale, sin minùs, veniale tantũ: qui primo modo mentitur, nec consequitur gratiam, nec satisfacit præcepto ob irreuerentiam, quam infert sacramento, ratione mendacij, seu deceptionis in re graui: Debet etiam esse *Frequens*, ratione vtilitatis & vberrimi fructus, quem consequimur ex confessione. *Frequens.*

Nuda. *Nuda*, remoto quocumq; verborum velamine, & obscuritate, cum enim in hoc tribunali debeat ferri iudicium, conari debet penitens sua peccata, ità clare & dilucide enarrare vt confessor facile deformitatem deprehendere possit, & statum ipsius animæ, vt rectam sententiam ferre queat. *Discreta*, tam in recensendis circumstantijs præsertim in peccato contra castitatem, ita vt necessarias tantum recitet, de quibus dicetur infra quàm in detegendo peccatũ, quod cum alio cõmisit, aut etiã in non nominando vllo pacto proximum. *Libens*, hoc est voluntaria, seu cum intentione consequendi remissionẽ peccatorum. *Verecunda*, quandam enim apud se saltem debet peccator erubescentiam præ se ferre de peccatis cõmissis, instar Publicani, qui non audebat oculos ad cœlum leuare, Manassis, Magdalenæ, & aliorum sanctorum. *Integra* debet esse confessio, vt nullum mortale omittatur, modo infra explicando. *Secreta* etiam, hoc est nullis alijs à sacerdote audientibus, de quo etiam posteà. *Lacrymabilis*, id est dolorosa. *Accelerata*, non necessitate præcepti, sed causa commodi, quod aduenit peccatori dũ prompte confitetur, nõ expectando diem Paschatis. *Fortis*, hoc est constans in abigendis tentationibus, quæ aut impedire, aut omnino retardare possent confessionis frequentationẽ. *Accusans*, seu, non excusans peccatũ, dicendo, hoc feci quia talis me ad hoc impulit: & sic de ceteris. Demum confessio debet esse, *Parere parata*, quia oportet penitentem tum vt præceptis Dei cum dispendio etiam vitæ obediat; tum etiam ad ea quæ iniunget sacerdos executioni demandanda paratum esse: fusius vero hæc explicantur à plerisque Scholasticis, & Casuistis.

Fortis. *Accusans.* *Parere parata.*

DVBITATIO SECVNDA.

An sit de ratione Confessionis sacramentalis confiteri quodlibet peccatum mortale commissum post baptismum, & nunquam aliàs deductum ad forum penitentiæ.

CONCLVSIO affirmatiua. Primò, quia dicitur in Trident. sess. 14. cap. 5. peccata secreta, & occulta esse necessario confitenda; ac proinde illud idem à fortiori intelligendum est de manifestis peccatis mortalibus: de istis enim agit Concilium; & rursus ait confessionẽ esse faciendam de omnibus peccatis mortalibus, quæ occurrũt memorię, & addit, quod si quis retinuerit vnũ ex istis peccatis mortalibus, data opera, nihil plane proponit diuinę misericordię remittendum per sacerdotem. *Affirmatiua Cõclusio.* Trident. 1.

Deinde, illud dicitur in cap. *Omnis vtriusque sexus, de penitentijs, & remissionibus*: præcipitur enim illic vt omnia, & singula peccata semel in anno confiteantur. *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquàm ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & iniunctam sibi penitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter, ad minùs in Paschа Eucharistiа sacramentum; alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiа arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* 2.

Tertiò, ità docẽt Patres: Clemẽs Rom. epist. 1. circa finem. Cyprian. serm. de lapsis, numero 11. circa finẽ. Leo epist. 78. Tertul. lib. de penitentia, cap. 10. & D. Aug. de vera, & falsa penitent. cap. 9. & 15. quos omnes citauimus q. 1. huius materię, Dub. 1. admonent enim isti Patres, nulla peccata in confessione esse celanda; sed contra omnia distinctè explicanda, & Sententiarij in 4. alij 16. alij vero 17. dist. 3. Cyprian. Leo. Tertull. August.

Accedunt rationes 1. vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio. Deinde, absolutio sacerdotis ex æquo respicit quodlibet peccatum mortale illius qui confitetur: diximus enim vnum peccatum non posse remitti sine alio. Denique, absolutio sacramentalis, est actus iudicis: est enim hæc vera sententia, ex Trident. sess. 14. at sententia nequit esse iusta, & legitima, nisi causa fuerit perfectissimè cognita: ergo de ratione confessionis sacramentalis est quod omnia peccata mortalia commissa post baptismum, & nunquam aliàs deducta ad forum penitentię explicentur apud sacerdotem distinctè. *Rationes pro Conclusione.*

DVBITATIO TERTIA.

An species cuiuslibet peccatì commissi sint necessariò explicandæ in Confessione.

Species peccatorum confitenda.

CONCLVSIO *affirmatiua: si tamen sermo sit de mortalibus peccatis, specie distinctis.* Pri-

mo,

Digitized by Google

mò, quia in Trident. loco proximè cit. verbis expreſſis, dicitur omnes ſpecies peccatorum eſſe manifeſtandas in confeſſione: idem dicitur in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, & in Concil. Florent. in decreto Eugenij, quod extat poſt vltimam ſeſſ. Concil. Florent. Denique, numerus quorumcumque peccatorum mortaliũ eſt in confeſſione manifeſtandus, vt dicitur in Trident. loco ſupra cit. & in cap. *Omnis utriuſque ſexus*: ergo à fortiori ſpecies peccatorum mortalium ſunt neceſſariò explicandæ: ità communiter omnes, nullo diſcrepante.

DVBITATIO QVARTA.

An circumſtantiæ, nedum immutantes ſpeciem peccati; ſed etiam aggrauantes intrà eamdem ſpeciem ſint neceſſariò confitendæ.

Circumſtãtia quid.

NOTANDVM eſt 1. ex ijs quæ docuimus, cum D. Th. 1. 2. quæſt. 7. art 1. circumſtantias actuũ dici quædam accidentia moralia ipſorum; cum enim in actu humano duo poſſimus conſiderare, alterum ſubſtantiam actus, alterum quod adeſſe, & abeſſe poteſt ſalua eiuſmodi actus ſubſtantia, hanc ſubſtantiam vocamus eſſentiam actus, ſeu id quod eſt præcipuè, & veluti primario in ipſo actu, eſtque ipſa entitas actus, prout dicit ordinem eſſentialem ad potentiam à qua elicitur, & ad obiectum formale à quo ſpecificatur: accidens verò quod adeſſe, & abeſſe poteſt, manente eadem ſubſtantia actus; ſiquidem accidentis eſt adeſſe & abeſſe ſine ſubiecti corruptione: v. g. furatur quis in Eccleſia; actus furti eſt detentio rei alienę, & proinde eſt eſſentia, & ſubſtantia præciſe illius: at quod fiat in loco ſacro eſt circumſtantia, quæ potuit abeſſe ab illo actu. Portrò huiuſmodi circumſtantię, ſeptem numero, comprehenduntur hoc verſu.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo.

Quæ circũſtantia.

Quis ſignificat qualitatem perſonę, an ſoluta, an alteri coniuncta: an conſanguinea, an Deo conſecrata; *Quid*, quantitatem materię, an parum aut multum, quidue ex tali actione ſit ſubſequutum. *Vbi*, locum ſacrum, vel prophanum, *Quibus auxilijs*, inſtrumenta, & media quibus peractum eſt peccatum, putà furtum committendo, fornicationem, inducendo alium ad ſibi cooperandum, & idem faciendum. *Cur*, intentionem, qua moueatur ad id perpetrandum, vt ſi verbum contumelioſum dixit, vt infamaret proximum, ſi furatus ſit propter mœchiam. *Quomodo*, an leuiter, vel grauiter percuſſerit, an cum magna deliberatione, & intenſione actus; an verò è contrà. *Quando*, denique tempus notat, vt, an omiſſum ſit ſacrum die feſto, an profeſto.

Circumſtãtia aliæ mutantes ſpeciem, aliæ aggrauantes, aliæ diminuentes.

Notandum 2. circumſtantias alias eſſe mutantes ſpeciẽ actus, ſeu addentes diuerſam malitiam ſpecie, quod generatim accidit, quando actus aduerſatur per ſe alicui præcepto, quod ad aliam ſpecialem virtutem pertinet, vt qui furatur in loco ſacro; quia enim loci circumſtantia pugnat cum ſpeciali præcepto religionis, quo prohibẽtur quodcũque peccatum in tali loco, propterea actus ille furti nouam malitiam induit, ſacrilegij videlicet. Aliæ autem ſunt circumſtantiæ aggrauantes tantùm intrà eamdem ſpeciem, vt quia intenſiori conatu res peracta eſt, aliæ denique minuentes actum. His prænotatis

Sunt qui putent partem affirmatiuam eſſe in

In 3. partem D. Thom.

dubitatam: ratio quippe propter quam Concil. Trid. contendit omnia, & ſingula peccata eſſe manifeſtanda in confeſſione, hæc redditur ab eo; quia ſententia ſacerdotis debet eſſe æqua, & iuſta, & continere condignam ſatisfactionem pro peccatis commiſſis: at ſacerdos nequit imponere condignam ſatisfactionem pro peccatis commiſſis, niſi notas habuerit circumſtantias, nedum immutantes ſpeciem peccati, ſed etiam aggrauantes intrà eamdem ſpeciem. *Quorumdã ſentent. affirmans.* 1.

Deinde, ſacri canones, nedum diuerſis ſpecie peccatis, ſed etiam ſolo numero diſtinctis imponunt penitentiam omnino diuerſam, vt conſtat ex illis, qui habentur in fine Decreti Gratiani, quique dicuntur Canones penitentiales. 2.

Tertiò, ſancti Patres, maximè vero D. Auguſt. in lib. de viſitatione infirmorum, cap. 2. & de vera, & falſa penitentia, cap. 14. referente Gratiano de penitentia diſt. 1. *magna pietas*, & can. *conſideret*, diſt. 5. admonet; vt inter confitendum aperiatur ætas in qua quis peccauit, temporis diuturnitas in quo ſimiliter quis culpam commiſerit, affectus cum quo peccauit, domus propria, vel aliena; *Conſideret*, inquit, *qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quale hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitij multiplici executione*, & ſic de alijs multis; quæ ſunt circumſtantię tantum aggrauantes peccati, non autem mutantes ſpeciem. 3.

Quartò, vſus obtinuit inter viros timoratæ cõſcientię vt circumſtantiæ aggrauantes explicentur; imo hoc videtur eſſe præceptum in ſexta Synodo generali celebrata in Trullo, & in Concil. VVormacienſi: ità tradunt Altiſiod. Alenſis, Marſil. Maior, Franciſcus à Victoria, de ſacramentis, quæſt. 136. Caiet. ad 1. 2. quæſt. 7. & in Summa, verbo *Confeſſio*. Suar. diſp. 22. ſect. 3. de penitentia, Coninck diſp. 7. de integritate confeſſionis, Dub. 3. 4.

Speciẽ immutantes circumſtantia confitenda tantum. Trident. 1.

CONCLVSIO 1. *Circumſtantiæ immutantes ſpeciem peccati, ſunt tantum, non autem aggrauantes intrà eamdem ſpeciem, neceſſario confitendæ.*

Probatur primò, quia c. 5. ſeſſ. 14. Trid. & can. 7. dicitur omnia, & ſecundum ſpeciem, & ſecundum numerum peccata mortalia eſſe in confeſſione neceſſario aperienda: & in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, citat. omnia, & ſingula peccata eſſe confitenda; at ſine circumſtantijs aggrauantibus intrà eamdem ſpeciem poteſt quis integrè cõfiteri omnia peccata ſpecie, & numero diſtincta: vnitas quippe ſpecifica peccati petitur ab obiecto ſpecie diſtincto; ſeu quod idem eſt à motiuo, vel virtute contra quam committitur peccatum: vnitas verò numerica à ſubiecto cui ineſt peccatum, vel etiam à ſubiecto in ordine ad ſuum obiectum, vel terminum. 1.

Deinde, ſi circumſtantię aggrauantes peccatum intrà eamdem ſpeciẽ eſſent neceſſario confitendæ; id ideò eſſet quod latum ſit de hac re præceptum aliquod à Chriſto; vel quia id exigit natura ſacramenti penitentię, vel denique quia id poſtulat ratio ſatisfactionis, quæ iniungenda eſt à ſacerdote penitenti, ex cap. 8. ſeſſ. 14. Trident. at nullum ex iſtis dici poteſt: neque enim extat præceptum de confitendo cĩrcumſtantias aggrauantes intrà eamdem ſpeciem peccati. 2.

Item integritas confeſſionis, conſurgere poteſt ſine confeſſione circumſtantiarum aggrauantium: cùm non inducant vel ſpeciem nouam peccati, vel numerum. 3.

Digitized by Google

4. Quartò, ſacramentum pœnitentiæ conſurgere poteſt abſque vlla ſatisfactione in re, vt conſtat ex moribundo qui ſua peccata confeſſus eſt, morte tamen præuentus ſatisfactionem nullam accipere potuit à ſacerdote, qui eius confeſſionẽ excepit. Conuenit etiam inter omnes ſatisfactionem eſſe quodammodo arbitrariam in foro pœnitentiæ; non autem eſſe iniungendam de rigore ſtrictiſſimæ iuſtitiæ: præſertim cùm ſit imponenda iuxta vtilitatem pœnitentis, vt dicitur cap. 8. Trident. ſeſſ. 14.

Vlt. Denique, nulla poteſt aſſignari ratio cur aggrauantes circumſtantiæ ſint confitendæ, non autem diminuentes ſpecies peccati; at iſtæ circumſtantiæ non ſunt manifeſtandæ in confeſſione, vt docent authores contrariæ ſententiæ: ergo neque illæ. Ità docent D. Thom. in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 5. Bonauent. diſt. 17. art. 2. quæſt. 3. Richard. quæſt. 5. art. 3. Durand. & Palud. diſt. 17. Ioannes Medina, in codice de confeſſione, quæſt. de circumſtantijs confitendis.

Circumſtãtias aggrauantes liberum eſt cõfiteri.

CONCLVSIO 2. *Liberum eſt vnicuique confiteri circumſtantias aggrauantes intrà eamdem ſpeciem*: ità authores 1. & 2. ſententiæ.

Deinde, quia ex iſtis circumſtantijs oritur maior deteſtatio peccati commiſſi, & item maior aliqua verecundia.

Obiectio. Obijciunt authores 1. ſententiæ, eum qui furatus eſt, aut incæſtum commiſit, aut etiam vnica actione plures occidit, non exonerare ſuam conſcientiam, ſi tantum dixerit inter confitendum furatus ſum, incæſtum commiſi, vel homicidium perpetraui; ſed cogitur dicere, rem hanc à proximo abſtuli, incæſtum in primo, ſecundo, vel tertio gradu commiſi, & denique tot homines occidi: at explicatio rei ablatæ, & item gradus incæſtus, & hominum occiſorum numerus, ad grauitatem iſtorum delictorum pertinent: ergo circumſtantiæ aggrauantes neceſſario ſunt dicendæ.

Solutio. Reſpondeo, quantitatem rei ablatæ eſſe manifeſtandam in confeſſione, vt intelligamus peccatum hoc eſſe vel reſeruatum ſuperiori (retinetur enim in certis quibuſdam diœceſibus) vel vt aſſequamur non eſſe reſeruatum quando res ablata eſt in paruæ quantitate; vel denique, vt intelligamus quænam reſtitutio ſit iniungenda pœnitenti. Quod vero dicitur de homicidio. Reſpond. tot eſſe numero peccata homicidij diſtincta; quot ſunt homines occiſi: cum in quolibet homine occiſo perfectiſſime compleatur malitia homicidij, omnium conſenſu: vnde res iſtæ non habent rationem aggrauantis circumſtantiæ, ſed potiùs conſtituentis vnum peccatum numero diſtinctum ab alio; ſúntque proinde hæc manifeſtanda neceſſariò in confeſſione. Diuerſitas denique graduum affinitatis, & conſanguinitatis inducit diuerſitatem ſpecificam peccati incæſtus, ex doctrina Nauarri, & multorũ Recentiorum, quare explicanda eſt diuerſitas illa in confeſſione.

Obiectio 2. Obijcies 2. ſi quis occiſo homine partes corporis eiuſdem diuidat gladio, aut aliquo inſtrumento, hic non ſatisfacit præcepto confeſſionis, dicendo ſe hominem occidiſſe; ſed tenetur addere, diuiſiſſe ſe poſteà corpus in varias partes: atqui truncatio iſtarum partium habet rationem circumſtantiæ aggrauantis, non autem conſtituentis ſpeciem nouam: igitur.

Solutio. Reſpond. diuiſionem partium corporis occiſi ſpectari duobus modis, vel quatenùs fit à nobis ex appetitu vindictæ, vel ex ſola complacentia, & delectatione de huiuſmodi partium diuiſione: priori modo habet rationem circumſtantiæ aggrauantis homicidium, vt manifeſtè docet D. Th. in 2. 2. quæſt. 159. art. 2. vnde non eſt neceſſario confitenda: poſteriori vero modo habet rationem peccati ferocitatis, & ſæuitiæ, & conſequenter erit neceſſario in confeſſione manifeſtanda.

Corollarij. Ex iſtis colliges, peccata ſpecie & numero diſtincta eſſe neceſſario in confeſſione manifeſtanda, ſi fuerint lethalia; ac proinde integritatem eſſe de ratione confeſſionis.

Sunt autem qui hoc loco quærant, qua ratione peccata multiplicentur ſecundum ſpeciem, & ſecundum numerum: ex iſtis ſiquidem putant perfectiſsime inueſtigari, qua ratione integritas confeſſionis ſit perficienda: cæterùm res hæc fuit à nobis explicata in tractatione de peccatis.

Diſſoluũtur rationes cõtrarię. Ad rationes vero authorum 1. ſententiæ reſpondeo. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorem: ſententia quippe à ſacerdote in foro pœnitentiæ prolata, cenſetur eſſe iuſta, & legitima, ac condigna, etiamſi non reſpondeat perfectiſsime condignitati culpæ ſecundum omnes ſuas circumſtantias, & modos: ſatis enim eſt vt ſententia iſta dicatur iuſta, & condigna culpæ commiſſæ, quod iudicio & exiſtimatione viri prudentis, correſpondeat indignitati culpæ, ſeruata item proportione in ordine ad vtilitatem pœnitentis: debet namque ſacerdos conſulere commodo, & vtilitati pœnitentis inter pœnam iniungendam; vt conſtat ex ſeſſ. 14. Trident. cap. 8.

1.

Adde, ſufficere ad condignitatem pœnitentiæ, & culpæ, quod pœnitentia hæc reſpondeat indignitati culpæ, ſpectatæ ſecundum ſuam naturam ſpecificam; non autem ſecundum omnes circumſtantias aggrauantes. Imo ſunt qui exiſtimant pœnitentias iſtas eſſe arbitrarias quodammodo reſpectu ſacerdotis excipientis confeſsionem, & reſpectu pœnitentis; & conſequenter condignitatem iſtius pœnitentiæ cenſeri iuſtã, & æquam.

Ad 2. reſpond. Nedum peccatis diuerſæ ſpeciei; ſed etiam ſolo numero diſtinctis, indictas eſſe diuerſas pœnitentias; vt bene probat argumentum: ex iſtis tamen non licet colligere circumſtantias aggrauantes eſſe neceſſario in confeſſione manifeſtandas: nam ſacri Canones imponunt pœnitentiam, nedum propter culpas commiſſas; ſed etiam, ſaltem interdum, iuxta deuotionem, & pium affectum pœnitentium; vt videre licet cap. 5. lib. 19. Bruchardi.

2.

Ad 3. reſpondeo D. Auguſt. illis in locis conſulere, quod poteſt eſſe vtile homini Chriſtiano quando confitetur, non autem obligare quemquam ad iſtas circumſtantias, quas illic exprimit in confeſſione neceſſario manifeſtandas: authores ſiquidem prioris ſententiæ fatentur nobiſcum conditiones aſſignatas à D. Auguſt. non eſſe in confeſſione aperiendas, ſaltem omnes.

3.

Ad vltimam dico: ex praxi hominum timoratæ conſcientiæ, quæ docet aggrauantes circumſtantias intrà eamdem ſpeciem peccati eſſe confitendas, colligi tantum vtile eſſe circumſtantias huiuſmodi manifeſtare in confeſſione; non autem obligari nos neceſſario ad ipſas circumſtantias explicandas.

DVBITATIO QVINTA.

An in aliquo casu liceat peccatum aliquod occultare in Confessione.

Varij casus in quibus potest dimidiari confessio.

IN hac re sunt certa quædam dubia. Certum igitur est esse licitum dimidiare confessionem, quando quis non potest eam actu complere, aut quia priuatur loquela, & signis quibus peccata sua explicet, aut quia timet ne sacerdos deficiat, antequàm suam confessionem expleuerit, ea tamen lege quod alius sacerdos haberi non possit. Certum item est posse dimidiari confessionem, quando timet sacerdos ne contrahat morbum ægroti, maxime vero quando morbus est contagiosus: nullus enim est qui teneatur cum tanto dispendio ad excipiendam integram confessionem. Indubitatum item est confessionem posse dimidiari, quando plures sunt absoluendi, & fieri non potest vt omnes integre confiteantur, nisi plerique moriantur sine confessione: ità docent Theologi in 4. distinct. 17. D. Thom. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ad 5. ratio idipsum suadet: eodem namque modo tenemur diligere nos, quo alios, & contrà, ex illo præcepto: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: at nullus tenetur ad integritatem confessionis cum dispendio propriæ vitæ, aut salutis: ergo.

Rursus nullus tenetur confiteri peccatum, quando imminet grande periculum, aut confitenti, aut proximo, quemadmodum nec quando ex confessione sequitur reuelatio sigilli confessionis.

Denique, excusatur quis ab integritate confessionis dum habet casum reseruatum, cum multis non reseruatis, tunc enim potest confiteri casú reseruatú superiori: cetera vero sacerdoti inferiori: tutius tamen est reseruatú vnà cũ cereris omnibus confiteri vel superiori, vel inferiori sacerdoti.

Dubium autem est, *An in eo casu teneatur quis ad integritatem confessionis, quando non potest se accusare de peccato aliquo, nisi quoque infamet proximum, saltem apud sacerdotem cui confitetur.*

Prima sententia & fundamentum.

De hac ergo re duæ sunt sententiæ, & ambæ non carent sua probabilitate. Prima, asserit in isto casu non obligari nos ad integritatem confessionis. Probat: Quandocumque duo præcepta concurrunt quorum vnum est de iure diuino, positiuo tamen, & aliud de iure diuino positiuo naturali, & ambo præcepta ista diuina obseruari non possunt; præceptum iuris naturalis diuini est retinendum; cedit vero minus, quale est præceptum iuris diuini positiui tamen: at præceptum de conseruanda fama proximi est iuris diuini naturalis: præceptum vero de confessione integre faciẽda, est diuinum positiuum: ergo cum ista duo non possint ambo retineri, & obseruari, præceptum de fama proximi conseruanda erit retinendum.

Quod si aliquis respondeat, istum non violare præceptum de conseruanda fama proximi; licet in confessione sacerdoti peccatum eius aperiat, quia cum Deus sit Dominus vitæ & famæ quorumcumque hominum, potuit obligare penitentem istum ad integritatem confessionis, cum dispendio famæ proximi. Contrà, aiunt isti authores: Christus neminem voluit obligare ad executionem præcepti alicuius positiui contra obligationem iuris naturalis: propter hanc namque causã docent omnes, quod si penitens aduertat se fore enecandum à sacerdote cui confitetur, quia accusat se apud eum, vel quod eius matrem cognouerit, vel quod patrem occiderit, non teneri istum ad integritatem confessionis, idque quia conseruare vitam est de iure naturali diuino: confiteri autem integre de iure positiuo diuino tantum; ità Nauarr. cap. 7. num. 1. in Summa, & in cap. *Considerent*, num. 98. Marsilius in 4. quæst. 12. art. 4. Melchior Canus, Petrus Aragonus, Bannez, & alij.

Secunda sententia & illius argumenta. 1.

Secunda sententia est eorum qui putant, penitentem obligari ad explicandum peccatum illud quod aperiri non potest, nisi sequatur iactura famæ proximi; existimant enim integritatem confessionis in hoc casu non minus obligare quàm aliàs. Hęc sententia communiter tenetur in scholis, quæ probatur. Primo, quia potest vnusquisque vti iure suo, etiam cum detrimento proximi, quotics pręcipue non intendit malum proximi, sed propriam vtilitatem, & commodum, vt patet multis exemplis quotidianis, priuilegiatorum, mercatorum, patronorum, & aliorum: at penitens ius habet ad accusandum se de propriis peccatis, ergo etiamsi id non possit præstare sine detrimento famæ proximi, poterit vti iure suo, & consequenter illud peccatum confiteri.

2. Secundo, quilibet magis tenetur consulere propriæ saluti spirituali, quàm famę & existimationi alienæ: at ex hypothesi, iste non potest consequi salutem, nisi omnia sua peccata sacerdoti aperiat: tenetur siquidem ad integritatem confessionis pręcepto diuino: ergo licet aperiat peccatum proximi, non tamen peccabit.

3. Tertio, diffamatio quæ aduenit proximo propter peccatum quod reuelatur sacerdoti, est nullius plane momenti, maxime quia complex hoc ipso, quod vnà cum huiusmodi penitente peccauit, exposuit se periculo manifestandi peccatum suum in confessione, sciebat enim confessionem obligare ad integritatem.

4. Quarto, D. Bernardus lib. cui titulus est: *Formula honestæ vitæ circa finem. De nullo*, inquit, *noli maledoqui, nisi in confessione, & hoc, vbi aliter non potes manifestare peccatum tuum.* D. Bern.

5. Quinto, quilibet tenetur ad confessionis integritatem, nisi ex aliqua causa iusta ab eadem excusetur: at in hoc casu nulla prorsus est causa propter quam penitens excusetur ab aperiendo peccato proprio, quando non potest, nisi quoque manifestet alienum: ergo. Minor ex eo probatur, maius bonum est regulariter obseruare integritatem confessionis propter reuerentiam tanti iudicij, quàm conseruare famam vnius priuatæ personæ apud sacerdotem: ergo, &c.

Hanc sententiam sequuntur quamplures doctores, D. Thom. in quartum, distinctione 16. quæst. 3. art. 5. quæstiuncula 5. ad 5. Paludanus, Alexander, Anthoninus, & alij quos referunt Recentiores, quósque sequuntur communiter.

Vtraque sententia probabilis, neutra tamen conuincens. Dissoluitur argumentũ prima sententiæ.

CONCLVSIO EST. *Neutra ex sententiis explicatis habet fundamenta efficacia, quibus intellectus conuincatur ad potius assentiendum vni, quàm alteri: ac proinde liberum erit vnicuique eam, quam maluerit sequi & defendere.* Veritas huius Conclusionis manifesta fiet ex solutione argumentorum allatorum in fauorem vtriusque sententiæ.

Quare, ad fundamentum primæ sententiæ responderi posset: præcepta iuris diuini naturalis magis obligare, quàm præcepta iuris positiui

& per conſequens eſſe etiam executioni demandanda; niſi adſit circumſtantia aliqua, quæ faciat vt huiuſmodi præceptum iuris diuini, & naturalis deſinat obligare, eo tempore, quo concurrit cum præcepto iuris poſitiui; illud autem accidit in caſu propoſito, nam præceptum de fama proximi retinenda vere obligaret, niſi maius bonum eſſet (communiter loquendo) retinere integritatem confeſſionis quàm conſeruare famam apud ſacerdotem, & reſpectu vnius perſonæ priuatæ.

Diſſoluũtur rationes pro ſecunda ſẽtentia.

Sed nec fundamenta ſecundæ ſententiæ conuincunt; non primum quia propoſitio maior tantum intelligenda eſt in materia iuſtitiæ, in qua quilibet poteſt perſequi ſuum ius cum damno proximi quando ei competit ità abſolutum ius in rem ſuam, vt poſſit plene vti rebus ſuis: at in caſu noſtro materia non eſt intrà terminos iuſtitiæ, ſed eſt occurrentia materiæ duorum præceptorum, ac proinde cum hæc duo non ſint vnius & eiuſdem obligationis, in fauorem præcepti fortioris videtur eſſe iudicandum: certum autem eſt præcepta iuris diuini & naturalis magis obligare quàm præcepta poſitiua diuina tantum.

2. Non ſecundum etiam, quia dicerent aduerſarij poſſe iſtum penitentem iuſtificari, etiamſi non aperiat peccatum proximi, ſine quo peccatum proprium exponere non potuit; nam in hoc caſu poteſt aliquis dimidiare confeſſionem, neque obligat præceptum integre confitendi, cùm maiorem obligationem inducat præceptum de fama aliena conſeruanda.

3. Non tertium, aliàs ſequeretur penitentem non peccare contra præceptum proxime explicatum, quando extra neceſſitatem propalaret peccatum proximi in confeſſione; nam ſigillum confeſſionis non minus obligat in neceſſitate, quàm extra neceſſitatem: at certum eſt peccare cum penitentem qui aperit peccatum proximi, etiam in confeſſione, quando poteſt ſe accuſare de propriis abſque eo quod ſe accuſet de peccato proximi.

Deinde, ſi propterea penitens non peccat quando peccatum alienum in confeſſione manifeſtat, quia aperit illud vni priuato homini, ſequeretur etiam eum non peccare, qui extra confeſſionem aperiret alicui priuatæ perſonæ tantum: at conſequens eſt plane contra rectam rationem, cum ex iſta manifeſtatione ſequatur diffamatio proximi, ſaltem in ordine ad perſonam iſtam priuatam.

Porro non minus ſciebat complex iſte penitentem hunc obligari ad conſeruandam famam proximi, quàm ad accuſandum ſe integre de peccatis; imo magis obligari ad conſeruandam famam alienam, quàm ad retinendam integritatem confeſſionis, cum obligatio illa prior ſit iuris diuini, & naturalis; iſta verò ſit iuris diuini poſitiui tantum: ergo, &c.

Argumenta ſecundæ ſententiæ.

Denique, nec duo poſteriora plene rem demonſtrant; nam ſi maius bonum eſſet, regulariter loquendo, conſeruare integritatem confeſſionis, quàm ſtudere famæ alicuius priuatæ perſonæ in cõfeſſione, ſequeretur quoque quod maius bonũ eſſet retinere integritatem confeſſionis, quàm conſeruare vitam alicuius perſonę priuatæ: maius ſiquidem bonum eſt fama, quàm vita propria; at certum eſt propter integritatem confeſsionis, vitam corporalem alicuius non eſſe exponendam vlla ratione periculo euidentiſsimo. Deinde, non deſunt qui propter hanc cauſam putent Carthuſianos, quando aliter vita illorum conſeruari non poteſt, obligari ad eſum carnium.

DVBITATIO SEXTA.

An confeſsio fieri debeat verbis ore proprio explicatis; An verò ſufficiat per interpretem, aut etiam per chartulam in qua continentur omnia & ſingula peccata, confiteri, & quidem valide.

Aliquorum ſententia. 1.

SVNT qui putent confeſsionem eſſe neceſſario exprimendam verbis, ore proprio prolatis; quoniam confeſsio cenſeatur eſſe accuſatio diſtincta quorumcumque peccatorum mortalium facta ſacerdoti, ad hoc vt quis mediis clauibus Eccleſiæ abſoluatur ab eadem: at accuſatio iſta diſtincta aliter fieri nequit quàm verbis prolatis ab ipſomet penitente.

2. Deinde, ſacramentum nullum conſurgere poteſt ſine debita materia, & forma: ſunt enim hæc duo cum intentione miniſtri ſimpliciter neceſſaria ad conſtitutionem ſacramenti, ex Concil. Florent. in decreto Eugenij: at ex eodem Concilio oris confeſsio eſt materia ſacramenti penitentiæ.

3. Denique, confeſsio debet fieri neceſſario ſacerdoti; nam hic ſolus abſoluit penitẽtem: ſed qui medio interprete ſua peccata exprimit ſacerdoti, ille non confitetur ſacerdoti, ſed interpreti, interpres item non confitetur ſacerdoti, cum non ſua, ſed alterius eidem explicet peccata: ergo ore facienda eſt confeſsio.

Vocalis confeſsio non ſemper neceſſaria.

CONCLVSIO 1. *Non eſt neceſſe ad hoc vt aliquis abſoluatur valide à ſacerdote, quod ſua peccata explicet illi proprio ore.* Primo, quia ſine confeſsione alicuius peccati poteſt aliquis valide abſolui in aliquo caſu, nempe quando ægrotus vocauit ſacerdotem qui exciperet eius confeſsionem, ſed inter illas moras contigit ægrotum iſtum priuari loquela, aut etiam vſu rationis; in hoc enim caſu danda eſt abſolutio illi ægroto, ex communi ſententia, & tradit Concilium Arauſicanum, cap. 11. 1. his verbis: *Subitò obmutescens, prout ſtatutum eſt, baptizari, aut accipere penitentiam poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu.* Idipſum docuit Carthaginenſe III. cap. 34. & refertur can. *Ægrotantes*, de conſecratione, diſtinct. 4. *Vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſint, cùm voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur: ſimiliter de penitentia agendum eſt.* Rurſus Carthaginenſe IV. cap. 67. & can. *Is qui penitentiam*, 26. quæſt. 6. docet: *Is qui penitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dũ ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat penitentiam, & ſi continuo creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Neque vero dici poteſt tantum ibi haberi ſermonem de manuum impoſitione, qua excommunicati in extremis poſiti reconciliabantur, cum in illis locis diſtinguatur penitentia à reconciliatoria manuum impoſitione. Cúmque eadem Concilia aperte loquantur de iis qui primo penitentiam petunt in neceſsitate conſtituti, vel de iis qui differunt penitentiam vſque ad finem vitæ, quos grauiter reprehendunt: non poteſt eſſe probabilis euaſio illorum qui recurrunt ad conſuetudinem, qua penitentes confiterentur peccata ſua in principio Quadrageſimæ, & differretur abſolutio vſque ad feriam

Digitized by Google

feriam V.in cœna Domini, vnde volunt his locis tantum eſſe ſermonem,de iis moribundis,qui iam initio Quadrageſimæ erant confeſſi, quos in extremis eſſe abſoluendos decernunt prędicta Concilia; hæc namque reſponſio facile refellitur, ex eo quod,ſi de illis eſſet ſermo qui iam eſſent confeſſi,minime requirerent noua contritionis ſigna, vel nouam petitionem confeſſionis. Ex his igitur manifeſtum fit ad confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſe ore peccata commiſſa explicare.

2. Deinde,ſi aliquis mutus,& ſurdus daretur qui poſſet ſcribere ſua peccata, aut etiam nutibus exprimere,hic omnium plane conſenſione eſſet abſoluendus.

3. Tertio, ſatis eſt ad hoc vt aliquis abſoluatur à peccatis commiſſis, quod ſtatus penitentis innoteſcat ſacerdoti, quantum ſufficit ad verum, & perfectum iudicium: at certum eſt ſtatum penitentis ſufficientem ad verum, & perfectum iudicium, poſſe innoteſcere presbytero aliter quàm per confeſſionem ore penitentis celebratam,nempe nutibus,& ſignis ipſius penitentis, acceptatione penitentiæ ſibi iniunctæ, & aliis huius generis actionibus. In hac ſententia ſunt D. Thom. in quartum,diſtinctione 17.quæſtione 3. ar.4. quæſtiuncula 3.ad ſecundum,& quodlibeto 1. ar.10.

Confeſſione per interpretem ſatisfit præcepto.

CONCLVSIO 1. *Non eſt neceſſe ad hoc vt aliquis ſatisfaciat præcepto confeſſionis, vt ſua peccata explicet ore proprio ſacerdoti.* Primo, quia de hac re nulla extat lex Eccleſiaſtica,aut etiam diuina.

Deinde, verba prolata ab ipſomet penitente non viderur magis neceſſaria ad validam confeſſionem,quàm ſint ad contractum matrimonij celebrandum:at certum eſt contractum matrimonij conſurgere valide inter aliquos ſine vllis plane verbis prolatis à contrahentibus matrimonium: nihil enim repugnat,quominus muti contrahant vere matrimonium,præſente parocho, vel deputato ſacerdote à parocho, & duobus teſtibus, vt docetur in tractatu de matrimonio.

1. 2.

3. Tertio,Doctores Theologi tradunt verba non eſſe prætermittenda inter confitendum, quando penitens loqui poteſt: ergo quando penitens loqui non poteſt erit hic abſoluendus, modo nutibus, & ſignis aliis diuerſis à verbis, ſua peccata manifeſtet:ità D. Thom. locis citatis ante Concluſionem hanc, & Recentiores omnes in tractatione de Confeſſione.

Confeſſio fit valide per interpretem & ſcripturam.

CONCLVSIO 2. *Confeſſio poteſt fieri per interpretem,aut per ſcripturam,ſaltem in eo caſu,in quo quis nequit aliter confiteri.* Prima pars huius Concluſionis probatur. Primo, quia ſtatus penitentis ſufficienter poteſt innoteſcere ſacerdoti, vt ferat perfectum & verum iudicium recipiendo peccata penitentis per interpretem, & item per chartulam in qua deſcripta ſunt, maxime, ſi interprete loquente,aut legente ſacerdote ſcripturam, annuat penitens ſe hæc & illa peccata feciſſe.

1.

2. Deinde, non eſt contra naturam ſacramenti penitentiæ confiteri per ſcripturam, aut interpretem;mutus enim ſi aliter nequeat confiteri,& poſſit ſcribere propria peccata,eſt vt diximus abſoluendus.

3. Tertio,hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. & Theologorum Scholaſticorum.

Obiectio. Dices, ſcripturam eſſe teſtimonium publicum, confeſſionem autem debere eſſe ſecretam.

Solutio. Reſpondeo, antecedens eſſe verum, induſtria tamen humana fieri poſſe, ne ex ſcriptura ſequatur emulgatio confeſſionis, cum poſſit hæc ſcriptura ſtatim peracta confeſſione comburi, aut certe lacerari, ità vt legi poſteà nullo modo poſſit.

Obiectio 2. Dices 2. interpretem non obligari iure diuino ad retinendum ſigillum confeſſionis.

Solutio. Reſpondeo,obligari ad id iure naturali. Deinde, non admitteretur in teſtem in iudicio, quemadmodum neque ſacerdos admittitur vbi peccatum alicuius audiuit in confeſſione.

Mouetur quæſtio. ROGABIS, *An quando penitens nequit aliter confiteri quàm per ſcripturam,aut interpretem, teneatur confiteri illis modis.*

Reſoluitur. RESPONDEO, *Ex vi præcepti confeſſionis non obligari quempiam ad confitendum per interpretem.* Primo, quia interpres non tenetur iure diuino,& Eccleſiaſtico ad ſigilli confeſſionis obſeruationem,ſed tantum iure naturali. Deinde,præceptum confeſſionis reſpicit abſolutionem,& hominis iuſtificationem;interpres autem nequit penitentem abſoluere. Tertio, iure diuino tenemur ſoli ſacerdoti confiteri; ità communiter omnes locis ſuprà citatis.

1.

Reſpondeo ſecundo, per ſcripturam in data hypotheſi peccata eſſe confitenda. Primo, quia nulla ſequetur diffamatio ex iſta confeſſione: fit enim hæc ſoli Deo, & ſacerdoti, quatenus vices Dei ſuſtinet:peccator autem non diffamatur apud Deum ex eo quod illi ſua peccata propalat. Deinde, licet ſcribere propria peccata iuuandæ memoriæ cauſa,vt docet praxis quotidiana. Tertio, ità docet communis opinio contra nonnullos alios Theologos.

2.

Pars ſecunda concluſionis probatur. Secunda vero pars Concluſionis probatur, nempe poſſe fieri confeſſionem per ſcripturam, vel per interpretem, quando aliter confiteri non poſſumus. Primo, quia ita docet D.Thom. locis proxime citatis. Secundo, quia Confeſſio quæ fit per ſcripturam, aut interpretem, non minus eſt confeſsio diſtincta,& accuſatio cuiuslibet peccati mortalis commiſsi,quàm ſit ea quæ fit verbis ore proprio prolatis,vt eſt per ſe notum.

1. 2.

3. Tertio,propter hanc cauſam fatentur plerique Theologi, eum qui extra caſum neceſsitatis confitetur per ſcripturam,vel interpretem peccare,& item ſacerdotem qui excipit huiuſmodi confeſſionem: ergo altero horum modorum licebit confiteri.

Satisfit argumentis contrariis. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad primam conceſſa maiore,negando minorem:nam qui confitetur per interpretem, aut per chartam in qua ſcripta ſunt omnia, & ſingula peccata penitentis, hic diſtincte ſua peccata manifeſtat ſacerdori,vnde poterit ab eo abſolui valide.

Replica. Dices,interpretem poſſe mentiri.

Diſſoluitur. Reſpondeo, hoc eſſe verum; ex hoc tamen mendacio non ſequitur inualiditas confeſsionis, & abſolutionis, maxime in eo caſu in quo penitens hic nequit aliter confiteri:idé quippe dicédũ eſt de iſta confeſsione & abſolutione quod de ea, quę datur ægroto,qui amiſit loquelã dũ ſacerdotem vocauit, qui eius exciperet confeſsionem. Certum autem eſt in iſto caſu nulla plane explicari peccata ſacerdoti in particulari, & tamen communi conſenſione valida eſt abſolutio, effectúmque ſuum conſequitur. Deinde, ſi interpres aliqua peccata penitentis explicauerit ſacerdoti, etiamſi mentiatur in aliis,abſolutio erit etiam valida: nam penitens confitetur eo modo quo poteſt,neque per eum ſtat quominus omnia, & ſingula ſua peccata manifeſtentur ſacerdoti:non eſt

autem æquum, neque conſonum rationi, vt propter malitiam interpretis fraudetur penitens beneficio abſolutionis.

2. Ad ſecundam reſpondeo, Oris confeſſionem cenſeri materiam ſacramenti penitentiæ, non quidem neceſſariam, ſed hoc ſolo nomine, quod vt plurimum confeſſio peccatorum fiat verbis ore penitentis prolatis, vt colligitur ex Tridentino ſeſſione 14. cap. 5. illic enim dicitur confeſſionem prętermiſſa particula (*oris*) eſſe materiam ſacramenti penitentiæ.

3. Ad vltimam reſpondeo. Qui confitetur per interpretem, aut ſcripturam confiteri ſacerdoti, non autem interpreti; neque hoc magis mirum eſt, quam populum Chriſtianum ſacrificare medio ſacerdote, aut eum qui loqui non poteſt, nutibus, & ſignis ſua peccata propalare ſacerdoti. Ex iſtis colliges confeſſionem, extra caſus neceſſitatis, & impotentiam loquendi, perficiendam eſſe verbis ab ipſomet penitente prolatis apud autem ſacerdotis.

DVBITATIO SEPTIMA.

An ſit Confeſſio perficienda in aure ſacerdotis tantum: an vero publice fieri poſſit, & quidem ità vt validum futurum ſit ſacramentum penitentiæ.

Hæreſis huius ætatis. HÆRETICI noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant ſolam confeſſionem publicam eſſe retinendam, idque quod huius vſus extiterit temporibus primitiuæ Eccleſiæ admodum frequens, & familiaris inter Catholicos homines: Auricularem autem confeſſionem eſſe omnino tollendam, quod non fuerit hęc à Chriſto inſtituta, ſed tantum ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi, & prætereà nihil plane conducat ad hominis iuſtificationem.

Confeſſio debet eſſe ſecreta. CONCLVSIO 1. *Confeſſio ſacramentalis debet eſſe ſecreta.* Probatur primo, quia error hæreticorum damnatur in Tridentino, ſeſſione 14. cap. 5.

2. Deinde, in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, præcipitur vt confiteamur proprio ſacerdoti peccata noſtra.

3. Tertio, vſus hactenus obſeruatus inter Chriſtianos docet, in aure ſacerdotis ſolius confeſſionem noſtram eſſe perficiendam, ex Trident. loco proxime citato.

4. Quarto, Patres in hac ſunt manifeſtiſsimè ſententia; maxime vero illi, qui interfuerunt Concilio Cabilonenſi, vt conſtat ex cap. 33. eiuſdem Concilij. Leo magnus epiſtola 80. quo loco reprobat vſum confitendi peccata publicè, his verbis. *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionẽ, quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione comitti, modis omnibus cõſtituo ſubmoueri* (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur) *ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſsio publicè recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſsione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen, quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedys arceantur: dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſsint legum conſtitutione per-*

Leo Mag.

Confeſſio auricularis & ſecreta.

celli: ſufficit enim illa confeſsio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. Cyprian. libro de lapſis, & epiſt. 14. lib. 3. Hieronym. ad illud Eccleſiaſtici 10. *Si quem mordeat ſerpens in ſilentio.* D. Auguſtin. de vera & falſa pœnitentia, capite 10. Baſil. in Pſalm. 32. Chryſoſtom. homilia 5. in Matthæum.

5. Quinto, modus confitendi apud ſolum ſacerdotem, eſt quàm maxime accommodatus fini ob quem inſtitutum eſt ſacramentum penitentiæ: nam inſtitutio illa creditur facta ad hoc vt is qui peccauit mortaliter poſt baptiſmum, iuſtificetur ab huiuſmodi peccato medio ſacramento penitentiæ, ac proinde vt nulli ſuperſit poſteà memoria iſtius peccati commiſſi: at confeſſio ſecreta reſpondet, quàm maxime accommodatè iſti fini, ſacerdos enim ſuſtinet vices Dei, & illi innoteſcit peccatum penitentis hoc ſolo nomine, quod ſuſtineat partes Dei: quare quemadmodum Deus vbi ſemel peccatum aliquod remiſit, huius nulla ratione recordatur, ex illo; *Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor amplius*: ità & ſacerdos non poteſt vlla ratione recordari peccati auditi in confeſſione, vt alicui illud manifeſtet: ergo. Ezech. 18.

6. Sexto, ex confeſſione publica ſequitur aliqua infamia: ergo non ſunt propalanda peccata clam perpetrata, publice & coram omnibus.

Poteſt confeſsio fieri publicè. CONCLVSIO 2. *Confeſsio non ità debet eſſe ſecreta vel ex Chriſti inſtitutione, vel ex præcepto Eccleſiæ, vt hac nequeat eſſe publica.* Primo, quia ex Confeſſione facta publice & abſolutione ſimiliter publice data, conſurgit vere & valide ſacramentum penitentię, vt docent Sententiarij, & Scholaſtici communiter. 1.

Deinde, occurrere poſſunt caſus aliqui in quibus non aliter poſſumus confiteri quam publice vt conſtat ex multis moribundis, iacentibus in vno, & eodem lecto, quando nullus ex iſtis loqui poteſt, niſi ceteris audientibus. 2.

Tertio, confeſſio publice facta à pœnitente non minus eſt vera, & diſtincta peccatorum accuſatio, quàm ſit ea, quæ fit apud ſacerdotem in aure, ac proinde tam vere ſufficit illa ad rationem perfecti iudicij quam iſta. 3.

Denique, non eſt contra rationem ſacramenti penitentiæ confiteri publice propria peccata, cum de natura illius tantum ſit materia, forma, cum intentione miniſtri: hæc autem tria dari poſſunt quando quis confitetur apud ſacerdotem publice, & eidem impertitur abſolutio: ergo talis confeſſio non erit illicita. 4.

Obiectio. Dices, in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, dici, vt quilibet confiteatur proprio ſacerdoti ſoli.

Solutio. Reſpondeo, cum nonnullis Recentioribus, illic non præcipi ſecretam confeſſionem ſimpliciter, & abſolute, & quolibet modo, ſed tantum ex ſola ratione, ne vllus alius modus exigatur à penitentibus inter ſua peccata confitenda.

Obiicies ſecundo, vnumquemque noſtrum obligari ad famam propriam conſeruandam, iure naturali; ex confeſſione autem publice facta de peccatis commiſſis conſurgere ignominiam aliquam: ergo non erit licitum commemorato modo peccata detegere.

Reſpondeo, cum qui confitetur publice ſua peccata, ex cauſa aliqua iuſta, & legitima, & cum conſilio

conſilio Epiſcopi, aut etiam Pontificis maximi, non infamare ſeipſum propter huiuſmodi peccatorum confeſſionem; intendit enim tantum per iſtam confeſſionem iuſtificari à peccato commiſſo, & ſatisfacere eis, quos ſua culpa læſit: ac proinde ſolum per accidens ſequitur aliqua infamia ex huiuſmodi confeſſione, & quidem apud ſolos improbos: boni enim tantum abeſt, vt huiuſmodi confeſſione offendantur, quinimo illud mirantur propter bonum, quod aduenit penitenti ex huiuſmodi confeſſione publice facta, ex ea namque agnoſcitur humilitas penitentis, & item eius ſingularis contritio.

Nullus tenetur ad confeſſionem publicam. Trident. 1.

CONCLVSIO 3. *Licet Confeſsio publicè inculpatè fieri poſsit, nullus tamen eſt qui teneatur ad confeſsionem publicè faciendam etſi aliter confiteri nequeat.* Oſtenditur primò, quia Trid. ſeſſione 14. cap. 5. expreſſis verbis habet, confeſſionem publicam non eſſe iure diuino introductam, nec poſſe vlla lege humana commode inſtitui.

2. Deinde, fatentur Doctores communiter, obligari nos ad confitenda peccata ſoli ſacerdoti.

3. Tertio, ex confeſſione publica ſequitur diffamatio penitentis, præſertim ſi fiat hæc de occultis peccatis, & reſpectu eorum qui non ita pietatem colunt.

Obiectio. Obiicies, moribundum conſtitutum in peccato mortali teneri ad hoc vt reſurgat à peccatis: fatentur autem omnes obligare in hoc caſu præceptum de iuſtificando conſtitutum in mortalibus: ergo quando hic non poterit aliter iuſtificari, quam per publicam confeſſionem, tenebitur ad ſua peccata publice confitenda.

Solutio 1. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem; habet enim hic contritionem veluti medium ſufficiens ad iuſtificationem, cum quo poterit mundari à peccatis in quibus agit: eſt ſiquidem contritio medium, ſeu diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans.

2. Reſpondeo ſecundo cum nonnullis Recentioribus, in data hypotheſi, moribundum iſtum obligari ad confeſſionem publice faciendam: non quidem ex vi præcepti confeſſionis; ſed ex vi obligationis, quam inducit præceptum de iuſtificando; vnde quando conſtabit moribundo ſe non poſſe exercere actum contritionis, & poterit confiteri publice, tunc dicendum eſt de illo quod teneatur ad confeſſionem publice præſtandam: ſecus vero quando conſtabit illi probabiliter ſe attigiſſe, vel attingere poſſe contritionem veram, & perfectam de peccatis commiſſis.

Ad rationes vero hæreticorum reſpondeo, falſum eſſe confeſſionem ſecretam, & auricularem introductam fuiſſe ab Innocent. III. ſed à Chriſto Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* fallum eſt etiam primos Chriſtianos accuſaſſe ſe publice de peccatis commiſſis occulte & ſecreto: ſed tantum de publicis, & notoriis, & conſequenter rationes iſtas nihil plane probare, vt conſtat ex iis quæ docuimus de inſtitutione confeſſionis ſeu penitentiæ.

Hæreticorũ fundamenta diſſoluuntur. Ioan. 20.

DVBITATIO OCTAVA.

An liceat per epiſtolam confiteri, internuncium, aut interpretem ſacerdoti abſenti, & quidem ita vt poſsit ſacerdos abſens abſoluere huiuſmodi penitentem.

CONCLVSIO. *Abſolutio nulla ratione poteſt dari penitenti abſenti.* Primo, quia quod nuſquam factum eſt, neque etiam fit inter ſacramentum aliquod adminiſtrandum, credibile eſt id nulla ratione fieri poſſe; inſtitutio quippe ſacramentorum à ſolo Chriſto habuit ortum, & quæ fuerit praxis iſtorum ſacramentorum traditione nobis maxime innoteſcit: At abſolutio nuſquam data fuit penitenti abſenti à ſacerdote, neque datur: ergo, ſi ſecus fiat, ſignum eſt irritam omnino eſſe & nullam. *Abſolutio nõ poteſt valide impendi abſenti.*

Obiectio. Dices, Scotum affirmare D. Thom. Epiſcopum Cantuarienſem in carceribus conſtitutum, ſcripſiſſe Romam ad Pontificem maximum, vt ab eo abſolueretur: in canon. item, *Qualis*, 30. quæſt. 5. dicitur confeſsionem mulieris adulteræ abſentis accipiendam eſſe per ſcripturam.

Solutio 1. Reſpondeo primo, Scotum non referre ex quo auctore ſumpſerit id quod ſcribit de D. Thom. Epiſcopo Cantuarienſi, ac proinde non vacare hæc ſuſpicione erroris, vixit enim Scotus longe poſt D. Thomam Cantuarienſem. Deinde, reſpondent Recentiores, D. Thom. miſiſſe Romam, nõ vt abſolueretur à peccatis, ſed vt conſequeretur benedictionem, & indulgentiam plenariam à Pontifice Maximo: hoc autem recte fit inter abſentes, vt conſtat ex praxi quotidiana. Ad canonem vero, *Qualis*, reſpondeo loqui de confeſsione, non autem abſolutione. Nos autem fatemur poſse confeſsionem fieri ſacerdoti abſenti, negamus tamen ſacerdotem abſentem poſſe abſoluere, & ſi abſolutio data fuerit penitenti abſenti erit plane nulla, & inualida.

Reſpondeo ſecundo, Caput hoc intelligendum eſſe de confeſſione mulieris adulterę in foro contentioſo, non autem de ea quæ fit in foro conſcientiæ: propter hanc enim cauſam deſiderat illud Caput ſcripturam, qua conſtet mulierem iſtam adulterium commiſiſſe.

Probat. 2. Secundo, probatur Concluſio: Propterea fatentur omnes in tractatu de Euchariſtia, materiam conſecrandam debere eſſe præſentem ſacerdoti facienti conſecrationem, quod forma conſecrationis panis, & vini contineat pronomina demonſtrandi *(hoc, & hic)* atqui forma ſimiliter abſolutionis ſacramentalis continet pronomẽ demõſtrãdi *(te)* idque eſſentialiter: neque enim poteſt eſſe forma valida huius ſacramenti abſque verbis iſtis, *Abſoluo te*, vt docuimus aliàs: ergo tam vere debet eſſe is qui abſoluitur præſens ſacerdoti, quando ſacerdos profert verba iſta, *Abſoluo te*, ac panis, & vinum debent eſſe præſentia ſacerdoti conſecranti.

Effugium aliquorum. Poſſet aliquis reſpondere, formam abſolutionis poſſe eſſe validam illis omnibus modis pronunciatam, quibus ſententia iudicis cenſetur eſſe legitima, iudex autem inter iudicandum nedum dicit: damno te hoc vel illo ſupplicio, ſed amputetur caput verbi gratia Socrati: ergo idem poterit fieri in ordine ad ſententiam abſolutionis.

Præiudicatur. Verum reſponſio hæc nihil plane dicit. Primo, quia licet particula *(te)* materialiter ſpectata, non

Digitized by Google

ſit de neceſſitate ſacramenti penitentiæ: eſt tamen A ſimpliciter neceſſaria ad eſſentiam iſtius ſacramenti, conſiderata ſecundum ſuam ſignificationem.

Deinde, non eſt par ratio inter iudicium, quod fit à ſacerdote in foro penitentiæ, & inter illud quod exercet iudex in foro contentioſo: nam forma iſtius iudicij non eſt determinata iure diuino, quemadmodum forma retinenda in foro conſcientiæ eſt ab ipſomet Chriſto definita: & quidem ita vt ſecundum ſuam ſignificationem nequeat immutari, quin ſtatim ſequatur diſpendium, & irritatio ſacramenti penitentiæ.

Probat. 3. Probatur tertio Concluſio. Materia remota ſacramenti penitentiæ ſunt peccata mortalia B commiſſa; proxima vero actus penitentis, contritio, ſcilicet, & confeſſio; peccator vero teſtis, accuſator, & reus, qui eget conſilio: forma vero, *Abſoluo te*, quæ nequit à ſacerdote debite pronuntiari, niſi ſtatum penitentis habuerit notum, & perſpectum; at hæc omnia non poſſunt dici, vel habere locum inter abſentes: ergo neque abſolutio, valida erit ad abſentem miſſa.

4. Clem. 8. Tandem, propoſitio hæc noſtra, definita eſt à Clemente VIII. vt conſtat ex Bulla quæ refertur in Bullario inter conſtitutiones huius Pontif. dicitur enim illic opinionem eorum, qui putant abſolutionem poſſe dari abſenti, poſita C confeſſione, per epiſtolam, vel per internuncium, vel interpretem eſſe validam, falſam eſſe, ſcandaloſam, & temerariam; ac proinde innodat idem Clemens ſententia excommunicationis, à qua non poterunt abſolui præterquam in articulo mortis, niſi à Pontifice maximo, omnes illos qui dictam opinionem ſuſtinuerint, vel inter concionandum, vel docendum, vel denique qui eam ad praxim quouis modo reuocauerint tenor vero illius decreti hic eſt.

Sanctiſſimus D.N. Clemens VIII. in generali Congregatione S. Rom. & vniuerſalis Inquiſitionis, in Palatio Apoſt. coram ſe habita, die 20. Iunij 1602. propoſitionem illam, D

Licere per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere,

Ad minus vt falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit. Præcepitque ne deinceps iſta propoſitio doceatur, néue vnquam, tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quóuis modo deducatur: qui ſecùs fecerit præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrit, & à qua non poteſt (excepto mortis articulo) niſi à Summo Rom. Pontif. abſolui, aliis pœnis arbitrio infligendis ſubiace at: ità ſentiunt D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. & plures ex antiquis. Ex Recentioribus vero poſt latam ſententiam à Cle- E mente VIII. omnes, qui de hac materia ſermonem inſtituunt.

Obiectio. Obiicies, ſacramentum matrimonij conſurgere inter abſentes: quare ergo illud idem non dicemus de penitentia?

Solutio. Reſpondeo, eſſe maximum diſcrimen inter matrimonium, & penitentiam: nam forma ſacramenti penitentiæ continet pronomen demonſtrandi (*te*) eſſentialiter, ac proinde nequit particula iſta mutari, aut prætermitti reſpectu ſuę ſignificationis, ſine inualiditate ſacramenti, cum arguat eum qui abſoluitur eſſe præſentem ſacerdoti dicenti, *Abſoluo te*, matrimonium autem non ſupponit neceſſario preſentiam contrahentium, vt docuit Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrimonio: quare ſacramentum penitentiæ inter abſentes erit inualidum; licet matrimonium inter eoſdem ſit verum, & legitimum.

DVBITATIO NONA.

An Confeſſio ex defectu doloris, & integritatis ſit inualida: ac proinde reiteranda.

Sententia affirmans. 1. SVNT qui exiſtiment confeſſionem iſtam eſſe validam, nec idcirco iterandam licet ſit informis, ſeu quod idem eſt, non fuerit coniuncta cum ſuo effectu: ità D. Thom. diſt. proxime cit. & multi Thomiſtæ cum eo. Probant: quia alioquin anxios, & ſolicitos nimis redderemus penitentes in confeſſionibus iterandis.

2. Deinde, quia baptiſmus cum fictionis peccato ſuſceptus cenſetur eſſe validus.

3. Tertio, quia ſacramentum penitentiæ conſurgit ex confeſſione & abſolutione ſacerdotis: ergo vbi hæc aderunt, nequaquam erit iteranda confeſſio.

Confeſſio defectu doloris nulla. CONCLVSIO 1. *Confeſſio ex defectu doloris cenſetur eſſe nulla & inualida & conſequenter iteranda.* Probatur primo, quia dolor eſt de intrin- 1. ſeca ratione penitentiæ; penitentia quippe nihil aliud eſt, quàm peccata præterita plangere, & plangendo ea iterum non committere.

2. Deinde, tria ſunt de neceſſitate cuiuslibet ſacramenti, materia, forma, & intentio miniſtri; at materia ſacramenti penitentiæ remota ſunt peccata mortalia, vel venialia: proxima vero actus penitentis, inter quos computatur dolor de peccatis commiſſis conceptus: ergo hic ita eſt neceſſarius, vt eo detracto nequeat conſurgere hoc ſacramentum.

Reſponſio aduerſariorum. Reſpondent authores contrarię ſententiæ, dolorem de peccatis commiſſis eodem modo ſe habere ad ſacramentum penitentiæ, quo ad ſacramentum baptiſmi in adultis: in iſtis autem certum eſt defectum doloris non inualidare baptiſmum: ergo illud idem erit dicendum de confeſſione.

Infirmatur. Ceterum, reſponſio hæc nullo modo defendi poteſt, dolor ſiquidem de peccatis in adultis qui baptizantur, habet rationem tantum diſpoſitionis requiſitæ ad effectum baptiſmi conſequendum: dolor vero in eo qui confitetur, eſt pars eſſentialis ſacramenti penitentiæ, pars autem eſſentialis nulla ratione ſuppleri poteſt.

Replica. Inſtant D. Thom. affirmare dolorem eſſe partem integrantem penitentiæ.

Diſſoluitur. Reſpondeo, D. Thom. ideo dolorem iſtum nuncupaſſe partem integrantem, quod penitentia non ſit totum aliquod phyſicum, & naturale, ſed tantum morale, & quaſi artificiale, vere tamen credidit dolorem eſſe partem eſſentialem: cum autem hoc loco videmur negare dolorem de peccatis eſſe diſpoſitionem ad effectum ſacramenti penitentiæ conſequendum, id non eſt intelligendum ſimpliciter, ſed tantum ad mentem authorum contrariæ ſententiæ, qui putant dolorem iſtum eſſe ſolum diſpoſitionem reſpectu ſacramenti penitentiæ, & nullo modo per ſe eſſentialem eiuſdem: nos ergo fatemur de eodem dolore quod ſit & diſpoſitio, & præterea pars eſſentialis huius ſacramenti, cum vtrumque colligatur ex Tridentino ſeſſione 6. capite 14. & ſeſſione 14. capite 4.

Tertio, probatur Concluſio: dolor de peccatis commiſſis

cõmiſſis ordinatur ad abſolutionem ſacramentalem,& ad iuſtificationem noſtram: at quod ordinatur ad iuſtificationem, & abſolutionem ſacramentalem debet antecedere, non autem conſequi abſolutionem & iuſtificationem:ergo huiuſmodi dolor ſimpliciter eſt neceſſarius.

Obiectio. Obiicies, ſatisfactionem conſequi abſolutionem ſacramentalem & tamen eſſe partem ſacramenti penitentiæ: ergo illud idem poterit etiam dici de dolore concepto de peccatis.

Solutio. Reſpondeo, negando conſecutionem; ſatisfactio enim eſt tantummodo pars integrans, non autem eſſentialis huius ſacramenti.

Deinde, ſatisfactio ordinatur ad ſolutionem pœnæ,quæ remanet poſita abſolutione à peccatis: dolor autem de peccatis etiam eſt pars eſſentialis, & nullo modo ordinatur ad ſatisfaciendum pro pœna quæ manet poſt abſolutionem ſacramentalem,ad iuſtificationem noſtram; ac proinde debet hic neceſſario antecedere abſolutionem ſacramentalem.In hac ſententia ſunt Adrianus in 4.q. 5.de confeſſione,dub.5.Maior,diſt. 17.q.9. Ioan. Medina in Codice de confeſſione,quæſt. de confeſſione ficta iteranda.Gabriel,quæſt.1.art.3.dub. 2.diſt.17.

Obiectio 2. Obiicies, dolorem poſſe ſuppleri in caſu extremæ neceſſitatis & impotentiæ.

Solutio. Reſpondeo, antecedens hoc eſſe falſum: non enim fieri poteſt vt res aliqua conſurgat, vere, & de facto ſecundum ſuam ſubſtantiam,niſi habuerit illud omne quod eſt de natura,& eſſentia eiuſdem,alioquin idem eſſet, & non eſſet:quod manifeſtam implicat contradictionem: dolor autem eſt pars eſſentialis ſacramenti penitentiæ vt oſtendimus:ergo.

Defectu integritatis inualida confeſſio. Conclvsio 2. *Confeſſio ex defectu integritatis culpabilis, eſt omnino inualida, ac proinde iteranda.* ità Ioannes Medina loco proxime cit. & vt videtur Nauarr. in Manuali, cap. 9. num. 17.

1. Petrus à Soto,in tract.de confeſſione.

2. Deinde, integritas confeſſionis eſt de eſſentia ſacramenti penitentiæ,quando hæc haberi poteſt, quodlibet namque peccatum mortale ſecundum numerum ſubiicitur clauibus Eccleſiæ ex æquo: ergo confeſſio ex defectu culpabili integritatis erit inualida.

3. Tertio,non ſufficit vt confeſſio dicatur integra quod hęc ſit talis ſecundum intentionem confitentis, ſed debet eſſe neceſſario integra à parte rei, quando huiuſmodi integritas haberi poteſt, quod eſt diligenter aduertendum propter authores contrariæ ſententię, qui putant integritatem ſecundum intentionem confitentis ſufficere ad validitatem confeſſionis.

Diſſoluũtur rationes allatæ. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. penitentes non debere eſſe ſollicitos de iteranda confeſſione, quandiu neſciunt ſe non adhibuiſſe

1. doſorem debitum, inter confitenda peccata:non eſt autem laborioſum nimis repetere confeſſionem, quotieſcumque nobis conſtat prętermiſiſſe debitum dolorem inter confitendum.

2. Ad 2. non eſſe parem rationem inter baptiſmum, & penitentiam; nam dolor qui deſideratur in adultis,quando baptizari cupiunt,habet tantũ rationem diſpoſitionis neceſſariæ ad effectum baptiſmi conſequendum: quocirca nullo modo eſt pars eſſentialis baptiſmi:dolor autem de peccatis conceptus reſpectu ſacramenti confeſſionis, nedum eſt diſpoſitio,ſed etiam pars eſſentialis conſtitutiua eiuſdem ſacramenti: vnde etiam nequit

A conſurgere abſque commemorato debito dolore.

Ad 3. penitentem non poſſe habere rationem materiæ reſpectu ſacramenti penitentiæ, niſi peniteat debito modo,& debita ratione: tunc autem penitet quempiam debito modo, quotieſcumque hic,& dolet de peccatis commiſſis, & omnia, & ſingula peccata mortalia, de quibus recordatur, poſito examine debito, ſe accuſat apud ſacerdotem. 3.

Rogabis, *An Confeſſio nedum ſit inualida, & nulla ex defectu doloris,& integritatis,ſed etiam ex aliquo alio capite.* *Quæſtio mouetur.*

Reſpondeo,affirmatiue, nam ex parte penitentis cenſetur hæc inualida, quotieſcumque is qui *Reſolnitur.*

B confitetur non intendit conſequi ſacramentum penitentiæ, & itẽ quoties hic eſt excõmunicatus, neque tamen propterea prius abſoluitur ab excõmunicatione iſta,& prætereà quotieſcumque cum delectatione de peccato aliquo mortali confitetur ſua peccata,eſtque delectatio iſta notabilis,& prætereà dum intendit hic non parere iudicio ſacerdotis præcipientis hanc, vel illam ſatisfactionem. *Aliis modis inualida confeſſio.*

Eſt item Confeſſio inualida ex parte confeſſarij quando non intendit adminiſtrare ſacramentum penitentiæ, de qua tamen re non debet eſſe anxius penitens antequam audiat ab ipſomet ſacerdote, vel ab aliquo alio qui acceperit à ſacer-

C dote,de confeſſione iterãda. Secundo quando ſacerdos caret iuriſdictione ordinaria, vel delegata in eum cuius excipit confeſſionem. Tertio, cum ſacerdos non profert verba iſta,*Abſolno te*,aut etiam quando eſt hic nominatim excommunicatus,aut notorius percuſſor Clericorum:ità vt factum illud vlla tergiuerſatione celari nequeat, aut denique dum non eſt approbatus ab Ordinario, ſeu quod idem eſt Epiſcopo, aut locum tenente.

DVBITATIO DECIMA.

An Confeſſio ſit iteranda quotieſcumque fuit facta inualida, & nulla.

D

Conclvsio 1. *Confeſſio eſt neceſſario iteranda,quando fuit inualida,ſi tamen fuerit facta alteri ſacerdoti ab eo qui eam excepit.* Primo, quia ex Trid.ſeſſ.14.cap. 5. penitentia quæ iniungitur debet eſſe condigna peccatis commiſſis:at res hæc fieri nequit niſi ſacerdos habuerit omnia peccata perſpecta quæ commiſit penitens iſte. *Iteranda confeſſio quando nulla extitit.* 1. Trident.

Deinde,ſacramentum hoc,eſt ad inſtar iudicij, & ſacerdotis abſolutio,habet rationem veræ ſententię:at ſententia nequit eſſe iuſta, & legitima niſi fuerit data cũ cognitione perfectiſſima cauſę. 2.

Tertio, penitentia quæ indicitur à ſacerdote E penitenti nedum habet rationem ſatisfactionis pro pœnis debitis culpis commiſſis, ſed etiam rationem medelæ;vt conſtat ex Trid. loco proxime cit. At ſatisfactio nequit habere rationem medelę, niſi deformitates, & ægritudines penitentis fuerint notæ Confeſſario:In hac ſententia ſunt Antoninus 3.p.tit.14.cap.38.§.4. Adrian.dub.4. de confeſsione. Ioannes Medina, in codice de confeſsione.Nauar.in Manuali,cap.9.num.19.& plerique Recentiores. 3.

Conclvsio 2. *Confeſsio inualida,& nulla non eſt iteranda quotieſcumque ſit apud eumdem ſacerdotem numero,& recordatur hic confeſſionis inualidæ,& nullæ,vel etiam meminit ſatisfactionis, indictæ* *Aliquando non iteranda confeſsio.*

Digitized by Google

penitenti, aut etiam recordatur non quidem omnium, A sed grauium delictorum Confessionis inualidæ: ità Nauarr. vbi suprà, & ferè ceteri à nobis citati Conclusione proximè antecedente. Deinde, in hac hypothesi satisfactio quæ imponitur à sacerdote penitenti, potest esse iusta, & condigna, potest etiam consequi rationem medelæ. Item desideratur tantum, vt explicetur peccatum fictionis, seu, quod idem est, culpa illa quæ inualidam reddidit confessionem, & cetera omnia peccata mortalia, quæ fuerunt commissa post inualidam confessionem.

Corollariũ. Ex dictis colliges neminem satisfacere præcepto annuæ confessionis, per confessionem nullam, & inualidam, nam in cap. *Omnis vtriusque sexus*, &c. quilibet nostrûm tenetur semel in anno B confiteri proprio sacerdoti, & sumere sacramentum penitentię ab eodem: atqui confessio inualida & nulla non consequitur rationem sacramenti penitentiæ: ergo media ista confessione non exoneramur à debito confessionis annuæ: ità aliqui Recentiores.

DVBITATIO VLTIMA.

An repetendus sit dolor de peccatis commissis quando contingit confessionem inualidam iterari.

C

Repetendus dolor de peccatis commissis. CONCLVSIO *Affirmatiua.* Diximus enim dolorem de peccatis commissis conceptum, esse de intrinseca substantia sacramenti penitentiæ. Deinde, licet confessio non sit iteranda quando fit eidem sacerdoti, nequit tamen hæc confessio validari sine absolutione de nouo à peccatis, neque item nisi confiteatur peccatum fictionis, & cetera omnia commissa post confessionem nullam: ergo & dolor quoque erit aliquis concipiendus de peccatis commissis in vniuersum, cum dolor hic sit de essentia sacramenti confessionis. Denique dolor de peccatis conceptus ordinatur ad absolutionem, & hominis iustificationem: ergo cum defuerit erit adhibendus. D

QVÆSTIO TERTIA GENERALIS,

De ministro Confessionis.

DVBITATIO PRIMA.

Quis sit minister sacramenti confessionis.

E

Tridentc. CONCLVSIO. *Huiusmodi minister est solus sacerdos:* hæc est definita in Concil. Constantiensi in Bulla Martini V. contra Ioan. Vviclef, & in Trid. sess. 14. c. 6. & can. 10. his verbis: *Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt potestatem ligandi, & soluendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, anathema sit.*

Deinde, idem est minister sacramenti penitentiæ, & confectionis sanctissimi sacramenti; est namque axioma Theologorum omnium potestatem in corpus Christi mysticum, præsupponere potestatem in corpus Christi verum: At certum est solum sacerdotem posse conficere Eucharistiam ex dicto Christi Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis instituti fuerunt sacerdotes ex doctrina Trid. solis item Apostolis dixit Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. ità docet D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 4. & dist. 19. q. 1. art. 3. quæstiuncula 1. Soto dist. 18. q. 4. art. 2. & dist. 20. q. 1. art. 5. & omnes plane Casuistæ, in tractatione de ministro Confessionis. Luc. 22. Ioan. 20.

DVBITATIO SECVNDA.

An omnis sacerdos sit minister Confessionis sacramentalis.

DVÆ sunt de hac re sententiæ extremæ. Prima asserit quemlibet sacerdotem ex vi suæ ordinationis esse ministrum sacramenti penitentiæ, seu confessionis. *1. Sent.*

Fundamentum 1. Probant, quia sunt tria de essentia cuiuslibet sacramenti ex Christi institutione, materia, forma, & minister, vt dicitur in Concil. Florent. in decreto Eugenij: at minister sacramenti penitentiæ censetur esse is omnis, cui dicitur, *Accipe Spiritum sanctum quorum remiseris peccata*, &c. ergo cum omnibus sacerdotibus ex æquo dicatur in eorum consecratione, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. omnes quoque erunt ministri sacramenti penitentiæ.

2. Deinde, si potestas administrandi sacramentum penitentiæ non daretur ex æquo in omnibus sacerdotibus, sequeretur neminem posse absoluere Pontificem Romanum; nam Pontifex hic nulli plane subiicitur inter mortales, neque item hic in seipsum iurisdictionem habet, & consequenter neque potest eam alteri committere: ergo.

3. Denique, quilibet sacerdos in casu extremæ necessitatis absoluit quemlibet nedum à censuris quibusuis, remouentibus hominem ab ingressu vitæ futurę, sed etiam ab omnibus peccatis reseruatis summo Pontifici, & Episcopo: at id non potest quicumque sacerdos potestate ab Ecclesia accepta, alioquin hęc posset impedire, & remouere, potestatem istam à quolibet sacerdote: ergo id habet sacerdos omnis à Christo ex sua ordinatione: ità docet Armacanus, & plerique alij, quos citat Coninck disp. 8. de penitentia. dub. 2. & Vazquez ad quęstionem 93. 3. p. D. Thom. art. 1. dub. 2.

2. Sent. Secunda sententia explicatur hac vnica Conclusione. *Quilibet sacerdos non est minister sacramenti penitentiæ, & confessionis, sed is solus qui iurisdictionem habet ordinariam, vel delegatam, idque ex lege, & constitutione Christi.* Primo, quia id dicitur verbis expressis in decreto Eugenij IV. suprà citato, & in Trid. sess. 14. c. 7. *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionẽ ea esse debere, quã sacerdos in eũ profert, in quẽ ordinariã, aut subdelegata non habet iurisdictionẽ.*

Deinde, sacramentum penitentiæ ex Concil. Tridentin. est ad instar iudicij, & sententia prolata à sacerdote est vera sententia lata à vero iudice: at iudex nullus esse potest, nisi iurisdictionem habuerit in eum quem absoluit, vel damnat: ergo ex Christi institutione desideratur iurisdictio in sacerdote, seu ministro sacramenti penitentiæ. Confirmatur: Iurisdictio tam intrinsece respicit subditos, quàm faciat dominium, & digni- *Solus sacerdos habens iurisdictionem est minister sacramenti huius.*

tas

tas regia: at nullus eſt qui poſſit eſſe Dominus ſine ſubditis: ergo illud idem dicendum erit de miniſtro Confeſſionis.

3. Tertio, ſi ſolo iure humano Eccleſiaſtico iuriſdictio eſſet neceſſaria in miniſtro ſacramenti penitentię, conſuetudine fieri poſſet, vt quis eſſet miniſter verus ſacramenti penitentiæ abſque illa: conſuetudo enim habet rationem legis, præſertim ſi fuerit hæc à quadraginta annis confirmata, & ei non deroget princeps ſua authoritate; atqui nulla conſuetudine introduci poteſt vt quis miniſter ſit ſacramenti penitentiæ, ſine tacita, vel expreſſa facultate eorum qui præſunt rebus Eccleſiaſticis, quales ſunt Pontifex Romanus, Epiſcopus, & Parochus, vt dicitur in cap. *Si Epiſcopus de penitent. & remiſſ. in 6.* ergo.

4. Denique, licet Chriſtus potuerit quemlibet ſacerdotem facere miniſtrum ſacramenti penitentię in ſua ordinatione, certum tamen eſt id non effeciſſe cũ experientia quotidiana, conſtet miniſtros huius ſacramenti alios eſſe ordinarios, alios vero ex commiſſione tantum. Indubitatum eſt etiam parochias eſſe diuerſas, & item Epiſcopatus, authoritate Pontificis Maximi tacita, vel expreſſa, quod tamen non eſſet verum, ſi quicumque ſacerdos ex vi ſuæ ordinationis eſſet miniſter ſacramenti penitentiæ: ità enim quilibet ſacerdos in toto orbe quoſcúque penitentes, inconſultis Epiſcopis, poſſet abſoluere, quod tamen aduerſatur iudicio, & rectæ rationi: ità enim turbaretur ordo Eccleſiaſticus, cum vnus falcem mitteret in meſſem alienam.

Corollariũ. Ex quo colliges authores prioris ſententiæ plurimum aberrare dum docent, quod quemaddum Epiſcopus quilibet iure diuino cenſetur eſſe miniſter ſacramenti Ordinis, & item Confirmationis, ità vt quoſlibet ſecluſa prohibitione Eccleſiaſtica, vbique locorum poſſit & confirmare, & ſacerdotes facere: ſic illud ipſum de abſolutione à peccatis contendunt, ſecluſa nempe prohibitione Eccleſiaſtica, abſolutionem datam à ſacerdote quolibet futuram validam: noſtram ſententiam amplectuntur D. Th. in 4. d. 17. q. 3. quæſtiuncula 4. & diſt. 19. q. 1. art. 3. q. 1. Capreol. Richard Gabriel, Bonavent. & plerique alij Sententiarij ibidem, & Recentiores.

Ex quibus conſurgat poteſtas iuriſdictionis. Vt hæc Concluſio intelligatur. Aduerte, iuriſdictionem plenam & perfectam, qua à nonnullis maxime vero à Nauarro actualis nuncupatur quod prompte, & expedite ſuos attingere poſſit effectus, conſurgere ex poteſtate remittendi peccata, quæ datur in conſecratione ſacerdoti, per iſta verba; *Accipe Spiritum ſanctum quorum remiſeris*, &c. & ex applicatione materiæ facta poteſtati huic; ità vt iuriſdictio tunc temporis cenſeatur eſſe plena, & perfecta quando datur in ſacerdote poteſtas remittendi peccata, & habet materiam ſibi ab Eccleſia deſignatam circa quam effectum poteſtatis remittendi peccata exerceat.

Duobus modis applicatur materia abſoluendæ. Aduerte 2. applicationem materiæ abſoluendæ in foro penitentiæ fieri duobus modis, via ſcilicet, ordinaria, & ex delegatione vt loquuntur; priori modo applicatur materia, quotieſcumque inſtituitur aliquis Epiſcopus huius vel illius diœceſis certę, vel quando inſtituitur parochus huius, aut illius parœciæ: hæc autem applicatio fit à Pontifice Maximo tacite vel expreſſe, idque poteſtate ſibi à Deo tradita, vt colligitur manifeſte ex Matthæi cap. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum & quodcumque ligaueris ſuper terram*, &c. & cap. 22. Ioan. 21. *Paſce oues meas, paſce agnos meos*: ex hoc quippe loco colligunt ſancti Patres, & item ſacra Concilia Pontificem Romanum, nedum eſſe Epiſcopum ciuitatis Romanæ, ſed etiam totius orbis, illique commiſſam eſſe curam quorumcumque Chriſtianorum & Catholicorum, via ordinaria: quod dico propter Apoſtolos, qui habuerunt etiam à Chriſto poteſtatem inſtituendi quoſcumque homines, & adminiſtrandi eiſdem ſacramenta, vt colligunt Theologi, ex verbis Ioan. 20. *Sicut miſit me viuens Pater, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. poteſtas tamen iſta fuit in Apoſtolis extraordinaria; ordinaria quippe poteſtas prædicandi, & adminiſtrandi ſacramenta in Epiſcopis, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, datur in illis dependenter à Pontifice Maximo, non autem immediate à ſolo Chriſto, vt docent communiter in tractatione de poteſtate Eccleſiaſtica, Epiſcoporum, & Pontificis Maximi: ex delegatione vero datur poteſtas remittendi peccata, ſubiiciendo materiam, quotieſcumque Pontifex Maximus, vel Epiſcopus, vel etiam parochus committit ſacerdoti alieno, oues ſibi ſubditas, ad hoc vt iſtis ſacramenta adminiſtret, non quidem conſtituendo ipſum paſtorem, ſed tantum committendo illi vices ſuas: hoc autem intereſt inter iſtas duas applicationes materiæ, ſeu iuriſdictiones, delegatam ſcilicet, & ordinariam, quod hæc impediri nequeat vbi ſemel habita eſt, quia ſuos producat effectus, ſine iuſta, & legitima cauſa: illa vero impeditur, ne vllum plane habeat effectum, per ſolam reuocationem illius, qui eam contulit: dicitur autem iuriſdictio ordinaria, & delegata, non quod poteſtas remittendi peccata detur ſacerdoti interdum ex delegatione, aliàs via ordinaria: cum certum ſit omnibus & ſingulis ſacerdotibus in eorũ ordinatione eodem plane modo, & ex æquo conferri poteſtatẽ abſoluendi à peccatis, quàm nominant habitualẽ aliqui Scholaſtici; ſed quia poteſtas illa remittendi peccata data in ordinatione ſacerdoti, completur ex via ordinaria, & ex delegatione, ob quod iuriſdictio illa quæ dicta fuit à nobis actualis vocatur ordinaria, vel delegata modo expoſito.

Matth. 16. Ioan. 21. Ioan. 20.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. Eccleſiam non poſſe irritare ſacramentum aliquod poſita debita materia, forma, & miniſtro eiuſdem: iſta enim tria ſunt quæ eſſentiam cuiuslibet ſacramenti conſtituũt, ex inſtitutione Chriſti, quam nulla plane poteſtas humana deſtruere poteſt. Indubitatum tamen eſt Eccleſiam habere poteſtatem irritandi materiam ſacramenti matrimonij, & item penitentiæ: poteſt enim hæc conſtituere impedimentum aliquod inter duos, ne vlla ratione capaces ſint ad contrahendum inter ſe matrimonium, & hoc eſt de fide, definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 24. de matrimonio: poteſt etiam Eccleſia facere ne quis ſubiiciatur huic, vel illi ſacerdoti; ac proinde poteſt facere remouendo materiam debitam à poteſtate remittendi peccata, ne ſacramentum penitentiæ conſurgere queat; idque quod applicatio materiæ ad poteſtatem remittendi peccata, quæ datur in omni ſacerdote, pendeat à poteſtate Eccleſiaſtica, ex inſtitutione diuina.

Diſſoluũtur rationes oppoſitæ. 1.

Ad ſecundam, Pontificem Maximum illo eodem iure, quo habet poteſtatem applicandi materiam cuilibet ſacerdoti, applicare quoque materiam debitam poteſtati remittendi peccata, quæ datur in ſacerdote, qui eligitur ab eo, & cui ex hypotheſi ſe ſubmittit Pontifex Maximus: vnde

conſurgit iuriſdictio perfecta, & plena in iſto ſacerdote in Pontificem Maximum, reſpectu ſacramentalis abſolutionis.

Ad id vero quod dicitur, Pontificem Maximum nullam habere iuriſdictionem in ſeiptum.

Reſpondeo, hoc eſſe veriſimum: neque enim ex dictis colligere licet Pontificem Maximum conferre iuriſdictionem plenam, & perfectam ſacerdoti qui eum abſoluit à peccatis, nam poteſtatem huiuſmodi abſoluendi habet ſacerdos à ſolo Epiſcopo: confert ergo Pontifex per illam ſubiectionem qua ſe ſubmittit iſti ſacerdoti applicationem materię abſoluendæ, ex qua, & ex poteſtate abſoluendi completur perfecte, & integre iuriſdictio.

3. Ad tertiam, poſtulare explicationem difficultatis: An quilibet ſacerdos poſſit quemlibet abſoluere à quibuſvis cenſuris, & peccatis in articulo mortis, quando non datur ſacerdos proprius, vel alienus qui iuriſdictionem habeat ex delegatione quare ſit

DVBITATIO TERTIA.

De miniſtro Confeſſionis proximè explicata.

In articulo mortis ab omnibus cẽſuris abſoluere poteſt quilibet ſacerdos.

CONCLVSIO 1. *Conſtitutus in articulo mortis poteſt abſolui à quibuſvis cenſuris, & peccatis à quocumque ſacerdote.* Probatur primo, quia ſi aliter res haberet, non bene proſpexiſſet Chriſtus ſuæ Eccleſiæ, & ſaluti quorumcumque Chriſtianorum.

1. Deinde, in conſecratione datur ſacerdoti conſecrato poteſtas abſoluendi à peccatis: ergo, ne
2. dicamus hanc poteſtatem vanam, & otioſam eſſe in illo, ſtatuendum erit poſſe iſtam producere ſuos effectus in caſu euidenti mortis, & abſente proprio, vel alieno ſacerdote iuriſdictionem habente.

3. Tertio, conſtitutus in peccato mortali, & in manifeſto, vel quàm maximè probabili periculo vitæ cenetur, & ad Euchariſtiam ſumendam, & ad ſua confitenda peccata, omnium conſenſione: ergo, ſi habuerit hic ægrotus ſacerdotem, & nullo modo poſſit recuperare proprium, vel alienum habentem iuriſdictionem, tenebitur confiteri iſti ſacerdoti, quem ex hypotheſi habet, quare poterit etiam hic ſacerdos & excipere confeſſionem iſtius, & prętereà ſacram ſynaxim eidem dare: ità communiter omnes hoc loco, & authores ſuprà citati.

Qua poteſtate abſoluat quilibet ſacerdos in articulo mortis ab omnibus peccatis.

CONCLVSIO 2. *Conſtitutus in articulo mortis poteſt abſolui à quocumque ſacerdote à quibuſvis peccatis & cenſuris, per poteſtatem remittendi peccata ſibi datam in ordinatione, & per applicationem materiæ abſoluendæ, quæ ei ſubminiſtratur in hoc caſu ab Eccleſia Catholica.* Primo, quia extra caſum neceſſitatis ſacerdos abſoluit, ſuppoſita applicatione materiæ facta authoritate Eccleſiæ.

1. Deinde, nulla poteſt aſſignari ratio, cur potius
2. Eccleſia deſignet, & applicet materiam abſoluendam extra neceſſitatem, quàm in caſu neceſſitatis extremæ.

3. Tertio, ex nullo loco ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, aut ſanctorum Patrum deduci poteſt in caſu neceſſitatis materiam applicari à ſolo Chriſto, ſacerdoti.

4. Denique, abſolutio à peccatis, pręſupponit abſolutionem ab excommunicatione; illa ſiquidem fit intrà Eccleſiã à qua prætenditur Chriſtianus mucrone excommunicationis: at omnis poteſtas abſoluendi à cenſuris eſt ab authoritate Eccleſiæ: ergo. Ità tradunt Sotus in quartum, diſtinctione 17. quęſtione 4. art. 4. Ioannes Medina in codice de penitentia, quęſtione, de alieno ſine licentia abſoluendo.

Obiectio 1. Obiicies, ſi ſacerdos in periculo mortis euidenti, vel quàm maxime probabili abſolueret quemcumque penitentem authoritate Eccleſiaſtica, ſequeretur Eccleſiam poſſe prohibere ne quicumque ſacerdos abſolueret quemliber penitentem in articulo mortis: at illatio hęc non videtur defendenda.

Solutio. Reſpondeo, illationem iſtam eſſe concedendam. Addo tamen Eccleſiam numquam prohibituram, quin quilibet ſacerdos abſoluat quemlibet penitentem in articulo mortis; dirigitur quippe hęc in ſuis actionibus à Spiritu ſancto, vnde quemadmodum Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & omnibus concedit media neceſſaria ad ſalutem: ità & Eccleſia confert poteſtatem cuilibet ſacerdoti abſoluendi à peccatis, & à cenſuris eum penitentem, qui verſatur in articulo mortis.

Deinde, Eccleſia cenſetur eſſe mater aliena ab omni crudelitate, & quàm maxime pia erga filios ſuos; quare cum penitentia ſit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem quando datur copia ſacerdotis, hæc facit poteſtatem omni, vt in articulo mortis quoſlibet penitentes abſoluat.

Obiectio 2. Obiicies ſecundo, ſi poteſtas abſoluendi in articulo mortis quoſcumque penitentes eſſet ab Eccleſiæ authoritate, reſpectu applicationis materiæ, poſſet origo iſtius conceſſionis demonſtrari.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe falſum, multa enim ſunt introducta authoritate Eccleſiæ, quorum tamen prima origo, & conſtitutio neſcitur, vt conſtat ex confectione ſymboli Apoſtolorum, ex introductione ſolemnitatis diei Dominicæ, ex communione quę fit à ieiuno ſtomacho in ſumptione ſanctiſſimi ſacramenti, & aliis innummeris.

Deinde Trident. ſeſſione 14. cap. 7. ait vſum iſtius conſuetudinis viguiſſe omni plane tempore in Eccleſia.

Denique, licet originem iſtius poteſtatis nequeamus indicare certo: in corpore tamen iuris Canonici extant Canones aliqui, in quibus fit abſoluendi poteſtas à peccatis reſeruatis in articulo mortis cuilibet ſacerdoti; vt conſtat ex cap. *Si quis ſuadente Diabolo.* 17. quęſtione 4. ex cap. *de cetero*: & ex cap. *Ea noſcitur*, de ſententia excommunicationis.

Quilibet ſacerdos poteſt abſoluere à venialibus & mort. aliis confeſſis.

CONCLVSIO 3. *Quilibet ſacerdos poteſt abſoluere à peccatis venialibus, & item à quibuſvis mortalibus, aliis ritè confeſſis, & abſolutis, per poteſtatem acceptam in ordinatione, & per liberum applicationem materiæ abſoluendæ factam non authoritate Eccleſiæ, ſed ab ipſomet penitente.* Hæc eſt contra plerosque modernos, Suarem, Gregorium de Valentia, Ioan. Med. de penitentia, & alios nonnullos: putant enim iſti materiam abſoluendam applicari in iſto caſu per authoritatem Eccleſiæ, non autem à ſolo Deo, & à penitente. Probatur autem: Liberum eſt vnicuique accuſare ſe de peccatis venialibus apud ſacerdotem in foro conſcientiæ, & item à peccatis mortalibus aliàs rite confeſſis & abſolutis: ergo penitens ipſe eſt is qui applicat materiam abſoluendam à ſacerdote in hoc caſu ex poteſtate ſibi facta a Chriſto.

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, peccata venialia ex veriori ſententia retineri non poſſunt, neque item mortalia ſemel rite deducta & abſoluta in foro conſcientiæ: ergo. ità docent Caietan. in Summa, verbo, *Abſolutio*, capite ſecundo, Paludanus, Capreolus, Vazquez, & alij multi apud hunc.

Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ, iuriſdictionem abſoluendi à peccatis reſpectu applicationis materiæ abſoluendæ, totam eſſe ab authoritate Eccleſiæ: abſolutio autem à peccatis venialibus, & item à mortalibus aliàs rite confeſſis, & abſolutis præſupponit iuriſdictionem: ergo.

Solutio. Reſpondeo, omnem iuriſdictionem neceſſario deducendam ad forum penitentiæ, eſſe ab authoritate Eccleſiæ, reſpectu applicationis materiæ abſoluendæ; ſecùs tamen ſentiendum eſt de ea iuriſdictione, quæ deſideratur in ſacerdote, reſpectu peccatorum venialium, & mortalium aliàs rite cõfeſſorum: hæc namque tota eſt à Chriſto in omni ſacerdote, interueniente libera confeſſione penitentis, qui ſe accuſat de ſolis iſtis peccatis venialibus, & de mortalibus aliàs rite confeſſis, & abſolutis.

Sacerdos etiam excommunicatus & hæreticus poteſt abſoluere in articulo mortis.

CONCLVSIO 4. *Nedum ſacerdos quilibet legitime ordinatus & nulla cenſura notatus poteſt in articulo mortis generaliter quemcumque penitentem abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, ſed etiam ſacerdos hæreticus, excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, & irregularis.* Probatur primo, quia in Tridentin. ſeſſione 14. cap. 7. dicitur indiſtincte, & indeterminate quemlibet ſacerdotem in articulo mortis poſſe abſoluere penitentem: ità enim loquitur: *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat in Eccleſia Dei, cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit præſeruatio in articulo mortis: atque adeo omnes ſacerdotes quoſlibet penitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.*

1. Trident.

2. Deinde, niſi res ità haberet non eſſet ſatis bene conſultum Chriſtianis, & Catholicis hominibus, authoritate diuina, & Eccleſiaſtica: nam ſacramentum penitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medij cuilibet homini lapſo in peccatum mortale poſt baptiſmum, omnium plane conſenſione: ergo quando nullus alius dabitur ſacerdos, nec haberi poterit præter excommunicatum, & aliis cenſuris innodatum, poterit hic ſacerdos abſoluere penitentem iſtum ab omnibus cenſuris, & peccatis ſuis, ſaltem in articulo mortis: ità authores ſuprà citati.

Obiectio. Obiicies, ſacerdotem hæreticum, & excommunicatum non eſſe intrà Eccleſiam, careréque omni iuriſdictione, quę tamen duo ſunt ſimpliciter neceſſaria, vt quis poſſit abſoluere in foro penitentiæ quempiam à ſuis peccatis.

Solutio. Reſpondeo, ſacerdotem hęreticum & excommunicatum, etiam denunciatum, vel notorium percuſſorem Clericorum eſſe in Eccleſia quotieſcumque, ex hypotheſi, adminiſtrat hic ſacramentum penitentiæ homini conſtituto in periculo mortis, & abſente quolibet alio, idque ratione miniſterij ſacramenti quod applicat huic penitenti, illo eodem modo, quo Turca dicitur eſſe in Eccleſia quotieſcumque baptiſmum adminiſtrat paruulo alicui in neceſſitate conſtituto, eſt enim ſacerdos hic inſtrumentum quo vtitur Chriſtus inter abſoluendum iſtum penitentem: neque hoc magis abſurdum videri debet quàm Deum loquutum fuiſſe antiquitus per os Caiphæ explicãtis prophetiam iſtam: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & nõ tota gens pereat*: quã tamen prophetiam mouente Spiritu ſancto protulit, vt docet verbis expreſſis Ioannes in ſuo Euangelio: *Hoc*, inquit, *dixit non à ſeipſo: ſed à Spiritu ſancto: cum eſſet Pontifex anni illius.* Addo iuriſdictionem dari huic ſacerdoti, licet excommunicato, & hęretico, ex tacita, vel expreſſa conſenſione Eccleſiæ, ex doctrina authorum proxime commemoratorum reſpectu iſtius abſolutionis, quam impendit penitenti conſtituto in articulo mortis. Ioann. 11. & 18.

Replica. Dices, non poſſe fieri quin ſacerdos iſte peccet adminiſtrando ſacramentum penitentiæ, cum agat in ſtatu peccati mortalis; ac proinde indebite adminiſtret hoc ſacramentum: at neminem licet inuitare ad peccatum aliquod commictendum: ergo conſtitutus in articulo mortis, non poterit exigere ſacramentum penitentiæ à ſacerdote excommunicato, & hæretico.

Solutio. Reſpondeo primo, penitentem iſtum nulla ratione peccare exigendo ſacramentum penitentię, quod eſt ſibi ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, ex hypotheſi, adminiſtrari ſibi à ſacerdote excommunicato: cum petat rem bonam & ſibi ſimpliciter ad ſalutem neceſſariam, & in caſu quo nequit eamdem ab vllo alio conſequi.

Deinde, poteſt hic ſacerdos hęreticus, & excommunicatus inculpate, ſi velit, ſacramentum hoc adminiſtrare; cum valeat exercere actum contritionis medio quo iuſtificabitur à peccatis commiſſis antequàm ſacramentum penitentiæ adminiſtret conſtituto in extrema neceſſitate.

Denique, ratione eiuſdem neceſſitatis in qua verſatur penitens, poterit ille ſacerdos excuſari ab omni plane peccato: putà, ſi nulla ratione liceat illi ſimul cogitare de eliciendo actu contritionis, & de ſacramento ſimul adminiſtrando penitenti extreme laboranti, ſed tantum de hoc poſtremo, eo quod penitens moriatur de facto: excuſabitur ergo ſacerdos hic à peccato quod alioqui committeret inter adminiſtrandum ſacramentum, ratione huius neceſſitatis extremę.

Non eſt exigendum ſacramentũ ab hæretico aliis ſacerdotibus præſentibus. Aduerte tamen, ſacramentum penitentiæ non eſſe exigendum à ſacerdote hæretico, vel etiam excommunicato in extrema neceſſitate, ſi poſſit haberi alius ſacerdos, qui non innodetur cenſuris iſtis, vel aliis. Neque item quotieſcumque probabile nobis eſt hominem hunc hæreticum non confecturum ſacramentum penitentiæ; in iſtis enim caſibus ſatius eſt diuinæ prouidentiæ ſe committere, eliciendo actum contritionis, quàm petere confiteri ſacerdoti hæretico, & excommunicato: & item quotieſcumque timendum eſt, ne limus conſenſuri opinioni hæreticæ, quam profitetur ſacerdos hic excommunicatus, & hæreticus.

Digitized by Google

DVBITATIO QVARTA.

An ſolus ſacerdos ità ſit miniſter ſacramenti pœnitentiæ, vt nec ratione extremæ neceſſitatis, nec vi diſpenſationis Pontificis Maximi vllus alius poſſet huiuſmodi officium exercere.

1. Ratio dubit. RATIO dubitandi prima, Quia miniſter ſacramenti baptiſmatis ratione neceſſitatis extremę cenſetur eſſe quilibet homo, idque quia ſacramentum baptiſmi eſt neceſſarium neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti: At ſacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medij reſpectu cuiuſlibet hominis lapſi in peccatum mortale poſt baptiſmum: ergo.

2. Deinde, Cyprian. epiſt. 13. ex diſpoſitione Pamelij, fecit poteſtatem Diacono alicui, vt abſolueret libellaticos aliquos à peccatis commiſſis, & illud idem videtur affirmari in cap. *Fures*, extrà, de furtis.

3. Tertio, miniſter ſacramenti Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus, ex delegatione tamen Pontificis maximi, in caſu neceſſitatis extremæ, cenſetur eſſe ſacerdos, omnium fere conſenſione: ergo idem erit dicendum de laico, aut Diacono reſpectu ſacramenti pœnitentiæ.

4. Denique, Magiſter in 4. diſtinctione 17. ait, confeſſionem poſſe fieri laico, & idem ait author ſupplementi huius partis D. Thom. quæſtione 93.

Numquam poteſt qui non eſt ſacerdos eſſe miniſter huius ſacramenti.

CONCLVSIO. *Laicus, aut etiam Clericus inferior ſacerdote nequit eſſe miniſter ſacramenti pœnitentiæ, nec ex diſpenſatione Pontificis Maximi, nec in caſu extremæ neceſſitatis, putà quando nullus datur ſacerdos: nec haberi poteſt qui excipiat confeſſionem pœnitentis.* Probatur primo, quia abſolutio à peccatis auditis in confeſſione præſupponit intrinſecè, & eſſentialiter poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti verum, ex illo axiomate Theologorum omnium: poteſtas in corpus Chriſti myſticum, præſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum Chriſtus enim fecit primo poteſtatem conſecrandi corpus ſuum Apoſtolis, per iſta verba, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* poſtea vero contulit iiſdem poteſtatem remittendi peccata, Ioann. 20. poſt ſuam reſurrectionem, per hæc, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. atqui nulla datur poteſtas in corpus Chriſti verum in laico, nec etiam in Clerico quolibet inferiore ſacerdote, omnium conſenſione: ergo de fide eſt ſolum ſacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ, ex Concilio Florent. & Trid. locis ſuprà citatis.

1. Luc. 22. Ioan. 20.

2. Deinde, abſolutio ſacramentalis eſt ſimpliciter à clauibus Eccleſiæ: at claues iltę ſunt penes ſolos ſacerdotes: ità communiter omnes in quartum, diſtinctione 17. & Recentiores omnes, locis ſupra citatis.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, neminem obligari ad confitenda propria peccata Clerico inferiori ſacerdote, aut etiam laico in vllo plane caſu. Primò, quia obligatio ad confitenda peccata commiſſa, colligitur ex poteſtate abſoluendi, quę datur in eo qui poteſt abſoluere, vt colligunt omnes ex verbis iſtis, Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. at nulla datur poteſtas in Clerico inferiore ſacerdote, neque item in laico, per quam poſſit abſoluere, aut etiam retinere peccata: ergo nullus planè eſt qui teneatur iſtis confiteri propria peccata.

Deinde, nullus eſt qui teneatur ſeipſum diffamare: at ex confeſſione quæ fit laico, & Clericis inferioribus ſacerdote, conſequitur aliqua diffamatio; certum enim eſt iſtos non obligari ad ſigillum confeſſionis ſeruandum, ex vi virtutis religionis.

Licet aliquando laico confiteri, non tamen ab eodem debet abſolui.

Addo tamen liberum eſſe, & licitum aliquando confiteri laico, & item Clericis inferioribus ſacerdote, nempe quotieſcumque is qui peccauit eget conſilio aliquo ad hoc vt vitet in poſterum peccata commiſſa, vel etiam ſatisfaciat parti læſæ; in hoc tamen caſu non poterit hic peccator abſolui, vel à laico, vel etiam à Clerico inferiore ſacerdote. Prima pars iſtius documenti probatur: quia liberum eſt vnicuique petere conſilium à viro bono, & prudente, maxime ſi fuerit hic tenax ſecreti commiſſi. Deinde, ex eo actu quo quis confitetur laico ſuum peccatum, vel etiam Clerico inferiore ſacerdote ſequitur in penitente iſto pudor aliquis, & item humilitas quædam: ex iſtis autem duobus actibus conſurgit maior aliquis dolor de peccatis, ac proinde ratione iſtius vtilitatis liberum erit interdum confiteri laico.

Secunda vero pars documenti huius probatur, laicum videlicet, aut Clericum inferiorem ſacerdote non poſſe abſoluere penitẽtem cuius excepit confeſſionem: quia actus abſolutionis eſt ſimpliciter à poteſtate ordinis, & iuriſdictionis; in laicis autem & in Clericis inferioribus ſacerdote nulla datur poteſtas ordinis ſacerdotalis, nec item iuriſdictio, vnde neque poterunt iſti quempiam abſoluere à peccatis.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. inter ea quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, dari latitudinem aliquam: alia ſunt enim magis neceſſaria ad ſalutem, alia verò minus; fides ſiquidem actualis in quolibet adulto eſt ſimpliciter neceſſaria; vt nequeat vllus plane adultus conſequi vitam æternam, niſi de facto aliquid explicite crediderit, quod ſit ordinis ſupernaturalis: baptiſmus vero in adultis ſatis eſt ad ſalutem in re, vel in voto, omnium plane conſenſione, licèt hic ſit neceſſarius neceſſitate medij: pœnitentia vero non eſt neceſſaria in re in eo caſu in quo non datur copia ſacerdotis, ac proinde licet miniſter baptiſmi poſſit eſſe quilibet laicus in neceſſitate extrema, nõ tamen propterea illud idem erit dicendum de ſacramento pœnitentiæ: nam ſacramentum baptiſmi magis eſt neceſſarium ad ſalutem, quàm ſit pœnitentia: pueri namque nequeunt vllo modo ſaluari ſine baptiſmo; adulti vero qui peccarunt mortaliter poſt baptiſmum poſſunt conſequi ſalutem abſque ſacramento pœnitentiæ in re ſuſcepto. 1.

Ad ſecundam reſpondeo, Cyprianum non fecille poteſtatem Diacono abſoluendi libellaticos à peccatis commiſſis, ſed tantùm reconciliandi peccatores publicos penitentes, iuxta eum modum tales reconciliandi, qui temporibus primitiuæ Eccleſiæ habuit locum inter Chriſtianos, vt admitterentur illi penitentes poſteà ad ſacram cõmunionẽ, vt manifeſtum eſt ex verbis Cypriani illo loco. *Occurrendum*, inquit, *puto fratribus noſtris: vt qui libellos à martyribus acceperunt, & prærogatiua eorũ apud Deũ adiuuari poſſunt, ſi incõmodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint: vt manu eis in pœnitentiam im-* 2.

Digitized by Google

poſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis deſiderauerunt. Ex quibus conſtat agere Cyprianum de abſolutione tantum quæ dabatur penitentibus publicis, media qua reconciliabantur Eccleſiæ, dicebantúrque habere pacem cum ceteris Chriſtianis, ad hoc vt poſteà admitterentur ad communionem ſanctiſſimi Sacramenti, vt recte obſeruauit ibidem Pamelius.

Quod vero dicitur ex cap. *Furet*, non eſt ad rem: nam in eo Capite tantum dicitur, quòd communio detur ei qui furtum commiſit per ſacerdotem, vel per Diaconum, idque quod miniſter ſacramenti Euchariſtiæ ſit, & ſacerdos, & præterea Diaconus, maxime abſente ſacerdote.

3. Ad tertiam reſpondeo: Miniſtrum ſacramenti Confirmationis alium eſſe ordinarium, nempe ſolum Epiſcopum: alium verò ex delegatione, quemlibet, ſcilicet, ſacerdotem, vt fatentur omnes in tract. de Confirmatione, quo loco docent rem hanc eſſe certam, traditione Eccleſiaſtica: miniſter vero ſacramenti penitentiæ eſt ſolus ſacerdos, idque conſtitutione diuina: vnde nec laicus, nec vllus alius Clericus inferior ſacerdote, poteſt eſſe miniſter illius: quæ enim ſunt de eſſentia ſacramenti alicuius, nequeunt variari, & mutari vlla plane poteſtate humana: miniſter autem cuiuslibet ſacramenti eſt de eſſentia eiuſdem ex Concil. Florentino in decreto Eugenij IV.

Vltim. Ad vltimam reſpondeo. Magiſtrum, & authorem ſupplementi D. Thom. velle tantum illis in locis fas eſſe confiteri hòmini laico, quotieſcumque ſperamus ex ea confeſſione vtilitatem aliquam, quod fatemur nos vltro: aut hominem laicum, vel Clericum inferiorem ſacerdote poſſe abſoluere eum cuius excipit confeſſionem, de qua tamè re diſſerimus hoc loco. Quod ſi authores iſti poſtremum hoc voluerint, non ſunt hac in re audiendi, cum conſtet manifeſte de fide eſſe, ſolum ſacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti penitentiæ.

DVBITATIO QVINTA.

An quilibet ſacerdos, iuriſdictionem habens ordinariam vel delegatam, poſſit quemlibet penitentem abſoluere valide.

Solus proprius paſtor vel ab eodem delegatus poteſt valide abſoluere. CONCLVSIO. *Ille ſolus ſacerdos qui vel eſt proprius, vel deputatus à proprio paſtore penitentie, poteſt penitentem abſoluere valide, non autem id præſtare poteſt quilibet ſacerdos habens iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam.* Primo, quia abſolutio ſacramentalis eſt actus iuriſdictionis; atqui iuriſdictio reſpicit inferiorem ſubditum.

1. Deinde, in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, dicitur vt
2. quilibet proprio ſacerdoti confiteatur ſemel in anno, vel certe alieno, de licentia proprij.

3. Tertio, ſententia lata à non ſuo iudice omnium conſenſione eſt nulla, & inualida: ità communiter omnes locis ſuprà citatis.

Vt autem res hæc intelligatur explicanda ſunt duo in præſenti: alterum quid nomine proprij ſacerdotis intelligatur à nobis, quando dicimus penitentem poſſe tantum abſolui valide à proprio ſacerdote, vel ab alio deputato ab iſto.

Quid nomine proprij ſacerdotis intelligatur.

Variant in hac re explicanda Sententiarij: ſunt enim qui putent nomine proprij ſacerdotis intelligendum eſſe Curatum, ſeu parochum, eo quod adminiſtratio ſacramenti penitentiæ iure communi commiſſa ſit ſoli Curato.

1. Sent.

Ceterum doctrina hæc reiicitur communiter à Recentioribus, & quidem merito: ſi quis enim in paſchate confiteretur vel Epiſcopo ordinario, vel etiam Pontifici Maximo hic ſatisfaceret præcepto confeſſionis annuæ, cum Pontifex Maximus, & Epiſcopus ordinarius, ſit ſacerdos proprius iſtius penitentis, non minus quàm ſit eius Curatus: etenim omnis poteſtas quæ datur in iſto Curato, eſt tota ab Epiſcopo ordinario, & à Pontifice maximo: ergo nomine proprij ſacerdotis non ſignificatur ſolus Curatus.

Reiicitur.

Alij vero putant per proprium ſacerdotem intelligi omnem cum presbyterum, qui iuriſdictionem habet ordinariam, vel delegatam in penitentem, qui ex hypotheſi confitetur ſua peccata.

2. Sent.

Verum neque iſti ad veritatem acceſſerunt, in quippe, *Omnis vtriuſque ſexus*, diſtinguitur proprius ſacerdos ab alieno, etſi alienus hic iuriſdictionem habeat: non ergo vera eſt iſtorum opinio.

Non probatur.

Illi ergo videntur meliùs rẽ hãc explicaſſe, qui docẽt nomine proprij ſacerdotis ſignificari & Põtificem Maximum, & ordinarium Epiſcopum, & denique proprium Curatum penitentis; ità vt omnis penitens poſſit abſolui valide ab omnibus ſuis peccatis, & à Pontifice Maximo, & à proprio Epiſcopo, & denique à Curato, vel etiam à quolibet deputato ab iſtis, vel ab altero iſtorum: ità docent Gabriel in quartum, diſtinctione 17. Ioann. Medina, codice de penitentia, quæſtione de confeſſione Fratribus priuilegiatis facta, & fere Recentiores omnes.

Proprius ſacerdos Papa, Epiſcopus, & Curatus, vel deputatus ab iſtis.

Alterum explicandum, eſt, *An quilibet ex propriis ſacerdotibus poſſit committere vices ſuas ſacerdoti alieno: ad hoc vt ſuorum ſubditorum excipiat confeſſiones, idque inconſulto Pontifice Maximo, vel Epiſcopo.*

Poteſt delegari alius ſacerdos à quolibet ex proprijs.

Reſpondeo primo, Curatum non conſulendo Epiſcopum, vel Pontif. Rom. & item Epiſcopum inconſulto Pontifice Romano, & denique Pontificem Maximum, aſcitis, & inauditis Epiſcopo, & Curato, poſſe facere poteſtatem cuilibet ſacerdoti audiendi quoſcumque penitentes.

Prima pars probatur: In cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, ſolum dicitur, vt quilibet ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti, vel certe alieno, de licentia proprij: iure autem communi adminiſtratio ſacramentorum commiſſa eſt non Pontifici Romano, neque item ordinarió Epiſcopo, ſed ſoli Curato: ergo poterit hic delegare vices ſuas alteri ſacerdoti inconſultis Epiſcopo, & Pontifice Romano; cum quilibet ordinarius poſſit delegare quæ ſunt ſuæ iuriſdictionis ordinariæ, imò præcipuus actus iuriſdictionis cenſetur eſſe delegatio propriæ iuriſdictionis.

Denique, nullus eſt qui poſſit cogi ad exercendum ſuum officium ſemper & vbique per ſeipsũ. Adde non ſolum hoc eſſe verum in Curato, ſed etiam in Vicario eiuſdem, modo tamen id non fuerit prohibitum authoritate Epiſcopi, quod probat pluribus Suarez diſp. 26. ſectione prima, ſecus tamen dicendum eſt de illis ſacerdotibus qui aſſumuntur interdum à Curatis, ad hoc vt eos adiuuent in confeſſionibus ſuorum ſubditorum excipiendis.

Delegatus à Curato debet eſſe approbatus ab Ordinario.

Moneo tamen cum ſacerdotem qui aſſumitur à Curato, ad confeſſiones excipiendas debere eſſe approbatum ab ordinario, vt præcipitur in Trid.

ſeſſ.23. cap.15. ſi enim hic ſacerdos alienus non fuerit ab Epiſcopo approbatus, abſolutio data penitentibus, ex commiſſione Curati, erit plane nulla, & inualida. A

Quod autem Epiſcopus vices ſuas committere poſſit inconſulto Curato, & Pontifice Maximo, & etiam Pontifex Maximus, manet comprobatum ſatis ex illis rationibus, quibus docuimus Curatum poſſe committere iuriſdictionem ſuam inſciis Pontifice Romano, & Epiſcopo: imo de Epiſcopo id dicitur in cap. *Quoniam*, & in ca. *inter cætera*. de officio Ordinarij. De Pontifice vero Romano in cap. *Dudum*, de ſepulturis, in Clementinis, & in Extrauaganti, *Super cathedram*, eodem titulo, & in Extrauaganti, *Inter cunctos*. de priuilegiis. B

DVBITATIO SEXTA.

An poſſit ſacerdos carens iuriſdictione, cum ſpe ratihabitionis eſſe miniſter ſacramenti penitentiæ.

Pars affirmans aliquorum.

SVNT qui putent partem affirmatiuam eſſe veram, idque quod ratihabitio retrocedat, & mandato comparetur, id eſt eumdem effectum habeat, atque ſi mandatum ſuperioris præceſſiſſet. C

Pars negans ſequẽda.

Ceterum contraria opinio eſt indubitata, actus enim abſolutionis ſacramentalis eſt actus iuriſdictionis ſimpliciter, atqui abſolutio data cum ſpe ratihabitionis, non eſt actus iuriſdictionis: ergo.

Effugium contrariorum.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, abſolutionem datam cum ſpe ratihabitionis eſſe actum iuriſdictionis in ſpe, non autem actu; ſufficere autem ad validitatem abſolutionis habere iuriſdictionem in ſpe; præſertim ſi ſpes iſta fuerit coniuncta cum certitudine morali de approbatione abſolutionis data authoritate ſuperioris.

Præluditur.

Verum reſponſio hæc merito reiicitur. Primo, quia abſolutio actualis debet eſſe à iuriſdictione actuali: at iuriſdictio in ſpe non eſt actualis, vt eſt D per ſe notum: ergo.

Deinde, abſolutio data cum conditione de futuro, eſt inualida, omnium conſentione. Denique quod eſt inualidum ex ſe, & ſua natura, nequit voluntate humana fieri validum, præſertim ſi ſermo ſit de ſacramentis, cum ſint ſimpliciter ex Chriſti inſtitutione, ac proinde ſuam naturam ex conditionibus à Deo conſtitutis repetant: ergo. ità docent Recentiores communiter.

Diſſoluitur fundamentum oppoſitum.

Ad rationem vero contrariam reſpondeo. Propoſitionem illam veram eſſe in ſolis rebus quotidianis, quæ firmari poſſunt conditione aliqua futura; cuius generis ſunt contractus humani, non autem in illis rebus quæ reſpuunt omnem condi- E tionem futuram, cuius generis eſt abſolutio ſacramentalis.

Mouetur quæſtio & reſolnitur.

ROGABIS, *An detur aliqui penitentes quibus liberum ſit eligere Confeſſarium, quem velint.*

Sunt qui exiſtiment penitentem cuius paſtor eſt omnino ignarus, poſſe iure ipſo ſibi eligere confeſſarium, à quo abſoluatur à peccatis; quod probant ex cap. *Placuit*, de penit. diſt. 6. ità Nauarr. ad hoc cap. num. 146. D. Thom. in quartum, diſtinctione 17. quæſt. 2. art. 3. & alij cum Magiſtro, diſtinctione 21. lib. 4. circa finem. Quæ opinio videtur probabilis; modo tamen nullus adiit coadiutor Curati ignorantis, qui vices illius ſuſtinere queat & petita fuerit venia à proprio Curato, idque quod in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, dicatur ſemel in anno confitendum eſſe proprio ſacerdoti, vel alieno, de proprij licentia; vel etiam quod Epiſcopus conueniri nequeat ab iſto penitente, & denique quod confiteatur hic vni ex ſacerdotibus expoſitis ab Epiſcopo ordinario ad audiendas confeſſiones.

Authoris ſententia.

Contrarium tamen videtur verius, & in praxi retinendum, vt docent communiter Recentiores. Quoniam non eſt credibile Pontificem Maximum, in illo cap. *Placuit*, voluiſſe dare occaſionem calumniandi Curatos; ac proinde neque eligendi ſibi Confeſſarios, præſertim cum penitentes iſti poſſint eſſe ignorantes, vt docet praxis quotidiana. Deinde, iure cautum eſt ne illiterati promoueantur ad curam animarum. Denique ad actum abſolutionis validæ, ſatis eſt quod quis intelligat peccatum hoc eſſe mortale, & illud veniale, quódque ſciat verba iſta, *Abſoluo te*, eſſe ſimpliciter neceſſaria ad effectum ſacramenti penitentiæ producendum, & præterea qui ſint caſus Pontifici Maximo reſeruati, & qui Epiſcopo: hæc autem omnia facile inueſtigari poſſunt ab homine etiam mediocriter literato. Non eſt ergo veriſimile Pontificem Maximum feciſſe poteſtatem cuilibet laico eligendi ſibi Confeſſarium propter ignorantiam Curati, vel parochi: in hoc ergo caſu C hæc opinio videtur retinenda.

Pontifex Maximus poteſt eligere pro libito confeſſarium.

Reſpondeo ſecundo, Pontificem Maximum poſſe ſibi eligere quem volet in Confeſſarium idque iure diuino; diximus namque in antecedentibus iure diuino Pontificem Maximum applicare materiam abſolutionis quibuſuis Epiſcopis, & Curatis, ac denique ſacerdotibus aliis prout vult.

Quo priuilegio gaudent Epiſcopi & prælati.

Reſpondeo tertio, priuilegium hoc etiam eſſe conceſſum omnibus Epiſcopis, & prælatis in cap. vltimo de penitentiis, & remiſſionibus: nomine autem prælati intelliguntur illi Abbates, & item Generales quorumcumque Ordinum, niſi tamen aliter conſtitutionibus eorumdem fuerit ordinatum; minime vero Abbatiſſa, vt communiter fatentur Doctores.

Curati etiã.

Reſpondeo quarto, hoc etiam liberum eſſe quibuſuis Curatis, & item ſacerdotibus ſimplicibus, non quidem iure, ſed ex conſuetudine: ità Recentiores.

Deinde, Curatis nulli hactenus conſtituti fuerunt confeſſarij ab Epiſcopo, qui tamen eſt legitimus iſtorum ſuperior, quemadmodum neque Epiſcopis deſignauit Pontifex Maximus ſacerdotes aliquos, qui iſtorum exciperent confeſſiones: ergo liberum erit Curatis confiteri ſacerdotibus, quibus volunt, quemadmodum & hoc licet Epiſcopis.

Tertio, ſi non poſſint ſimplices ſacerdotes confiteri cuilibet ſacerdoti, ſequitur ſacerdotes iſtos vel debere abſtinere à ſacro faciendo, quando ad id tenentur, vel ad faciendum ſacrum ſine confeſſione, ob defectum confeſſarij legitimi: at hęc videntur eſſe abſurda.

Notabile.

Aduerte tamen nec Curatum, nec vllum ſimplicem ſacerdotem poſſe eligere quempiam qui eius confeſſionem excipiat, niſi fuerit hic ſacerdos approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones audiendas, vt dicitur manifeſte in cap. 15. ſeſſ. 23. Trid. quo loco tollitur conſuetudo antiqua, qua liberum erat cuilibet ſacerdoti alteri ſacerdoti confiteri, etiamſi non fuiſſet hic approbatus ab Epiſcopo. Sunt etiam qui dicunt Imperatori, & Regi- *Trident.*

bus,

Digitized by Google

bus quibúſvis licere confiteri ſua peccata cuilibet ſacerdoti, approbato tamen ab Epiſcopo, quod veriſſimum eſt, ſi Imperator, & Reges habeant priuilegium de hac re à Pontifice Maximo, vel etiam ab Epiſcopo proprio, ſecus tamen ſi careant priuilegio ſtatuendum eſt; tunc enim coguntur confiteri propriis ſacerdotibus, vel certe alieno de licentia proprij: hoc idem puto eſſe dicendum de Scholaſticis vagis, ſeu vagabundis, & de peregrinis. Iſti enim ex veriori ſententia, quando volunt confiteri, & ſacram ſynaxim ſumere, debent adire Curatum, vel deputatum ab iſto, in cuius parochia commorantur, ad hoc vt ſacramentum penitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conſequantur: ità plerique Recentiores.

Ratio probabilis.

Accedit ratio. Si contingat quempiam ex prædictis ęgrotare, non poteſt hic conſequi ſacramentum Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis ab vllo alio, prętęrquàm à Curato, in cuius Parochia habet domicilium conſtitutum: ſi moriatur prætereà ab inteſtato, nequit ab vllo alio ſepeliri, quàm ab illo Curato in cuius parochia egit, illo tempore quo ęgrotauit: ergo illud idem erit dicendum de quolibet ex iſtis, quando bene habent, & tenentur præcepto Eccleſiæ ad confeſſionem faciendam, & ad Euchariſtiam ſumendam.

DVBITATIO SEPTIMA.

An Mendicantes Religioſi, & alij à ſummo Pontifice priuilegiati, ſint miniſtri ſacramenti Confeſſionis, ità vt qui confitentur iſtis in Paſchate ſatisfaciant præcepto annuæ Confeſſionis, ac proinde non ſit iteranda Confeſſio iſta apud Curatum vel deputatum à Curato.

Quorumdam opinio.

FVERVNT de hac re antiquitus duæ opiniones: altera quorumdam Canoniſtarum, & Theologorum, qui putarunt Confeſſionem factam Religioſis Mendicantibus in Paſchate, eſſe plane nullam, & inualidam, & conſequenter iterandam omnino apud Curatum, vel à Curato deputatum: ità Oſtienſis, Ioannes Monachus, Archidiaconus ad cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, cum Gloſſa, Henric. Gandauenſis, quodlibeto 7. quęſt. 24. & alij nonnulli.

Fundamentum 1.

Probant primo, quia Martinus V. in Conſtitutione quæ incipit; *Ad vberes fructus*, ait, *Volumus, quod ij qui confitentur Mendicantibus confiteantur in Paſchate ſemel in anno ſacerdotibus parochialibus*, & Sixtus IV. in Extrauaganti: *Vices illius*, prępcipit ne Mendicantes deinceps doceant, aut concionentur Parochianos non obligari, & ad audiendum ſacrum in eorum Parochiis, & ad confitenda ſua peccata in Paſchate proprio ſacerdoti.

2. Deinde, in cap. *Placuit*, de penitentia, diſtinctione 6. Vrbanus II. prohibet ne vnus ſacerdos, alterius ſacerdotis ſubditi penitentiam excipiat, inconſulto ſacerdote ſuperiore, & in Gloſſa eiuſdem capitis dicitur: *Væ ſcholaribus qui adeunt ad incluſos pro penitentia, & non vbi per annum audiunt diuina*, id eſt, ad Eccleſiam Parochialem.

3. Tertio, Alexander Alenſis quarta parte quæſtione 19. & Bonauent. diſtinctione 17. lib. 4. aiunt, quod quando conceditur generaliter facultas audiendi quorumcumque confeſſiones, id eſt intelligendum ſaluo iure Curati.

4. Quarto, priuilegium quod emanauit à principe, licet ſit late interpretandum, quando tamen manauit ab eodem contra commune ius, ſtricte accipiendum eſt; ac proinde remanente intacta, & illæſa iuris communis authoritate, vt fatentur communiter omnes. At priuilegia conceſſa à Pontifice Maximo Religioſis Mendicantibus, & aliis priuilegiatis emanarunt à principio contrà ius commune, vt colligitur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, illic enim dicitur ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. vt quilibet ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti, id eſt, Curato, vel alieno de huius licentia: ergo.

5. Quinto, confirmauit Academia Pariſienſis, vt refert Gandauenſis loco ſupra citato, & definiuit priuilegia Mendicantibus conceſſa, eſſe intelligenda ſine prędiudicio Curatorum.

6. Denique, Prouerb. 27. dicitur: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera:* Prou. 27. Cum ergo Curati aliter conſcientias ſuorum ſubditorum aſsequi nequeant, quàm media Confeſſione ſacramentali, quilibet tenetur confiteri proprio Curato, ſaltem in Paſchate, ac proinde Mendicantes non erunt miniſtri legitimi ſacramenti Confeſſionis in Paſchate.

Religioſi priuilegiati ſunt miniſtri ſacramenti penitentiæ.

CONCLVSIO 1. *Religioſi Mendicantes, & ceteri ſacerdotes, ſimiliter à Summo Pontifice priuilegiati, cenſentur eſſe miniſtri ſacramenti penitentiæ toto tempore anni, modo tamen fuerint iſtis ab Ordinario approbati.* Probatur primo, quia Nicolaus IV. & Sixtus IV. fecerunt poteſtatem Minoritis abſoluendi quoſcumque penitentes in foro conſcientiæ, vt refert Rodriguez tomo primo, quęſtion. regularium, quæſtione 6. art. 6. ſimile priuilegium conceſſit Vrbanus IV. Carmelitis. Nicol. 4. Sixt. 4. Vrban. 4.

Deinde, Bonifacius VIII. vt refertur in Clementina, *Dudum, de ſepulturis*, conceſſit omnibus Mendicantibus, approbatis tamen ab Ordinariis locorum, vt poſſint excipere quorumcumque fidelium confeſſiones, & hoc priuilegio gaudent noſtris temporibus Mendicantes omnes, & alij exempti. Leo item X. in Concilio Lateranenſi ſub eo celebrato, ſeſſione 11. in Conſtitutione quę incipit: *Dum meptis arcana*, concedit facultatem Mendicantibus, abſoluendi quoſcumque penitentes, modo tamen Mendicantes iſti fuerint ſacerdotes approbati ab Epiſcopis diœceſanis. Bonif. 8.

Solutio aduerſariorum.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, priuilegia iſta non fuiſſe vbique locorum recepta: imo conſuetudinem obtinuiſſe in pleriſque locis, vt parochiani confiteantur in Paſchate ſolis Curatis, & iſtorum Vicariis. Addunt extare Conſtitutiones ſynodales quibus præcipitur, vt quilibet parochianus in Paſchate proprio Curato confiteatur, vel certe de iſtius licentia alieno.

Reiicitur.

Ceterum reſponſiones iſtę nullo modo ſunt admittendę. Primo, quia priuilegia Pontificis Maximi in illis locis omnibus poſsunt, & debent habere locum, in quibus viget authoritas Pontificis Maximi ſine vlla reſtrictione ad hoc vel ad illud territorium, reſpectu item quorumcumque Chriſtianorum penitentium, vt conſtat ex illa Clementina, *Dudum*, ſupra citata: at authoritas Pontificis Maximi vbique locorum viget, & reſpectu quorumcumque Chriſtianorum, vt fatentur omnes, & colligunt ex illo Ioann. 21. *Petre paſce oues meas, paſce agnos meos*: ergo cum Pontifex Maximus ſit paſtor proprius cuiuslibet Chriſtiani, poterit hic quemlibet Chriſtianum committere Ioan. 21.

Digitized by Google

paſcendum, reſpectu adminiſtrationis ſacramenti penitentiæ, quibus volet ſacerdotibus.

Deinde, conſuetudo de qua loquuntur authores iſti, & item Conſtitutiones ſynodales ab Epiſcopis factæ, in certis quibuſdam diœceſibus, de peccatis confitendis proprio Curato, in Paſchate, nihil aliud ſunt quàm iuris communis confirmationes aliquæ: at ius commune obſeruatur in omnibus locis, niſi illi fuerit derogatum per priuilegia Pontificis Maximi: ergo.

Denique, Conſtitutiones iſtæ, & item conſuetudo nequeunt militare contra priuilegia Pontificis Maximi, præſertim quando declarat, & contendit priuilegia ſua debere ſortiri ſuos effectus: nam inferior legem ſui ſuperioris, reclamante præſertim ſuperiore, nulla ratione irritare poteſt: ergo non obſtantibus ſynodalibus iſtis Conſtitutionibus, aut etiam conſuetudine contraria, Religioſi Mendicantes, & ceteri priuilegiati erunt miniſtri legitimi ſacramenti penitentiæ.

Dixi autem (*ſi fuerint iſti ab Ordinariis approbati*) quoniam approbatio Epiſcopi eſt conditio ſine qua abſolutio data ab huiuſmodi Mendicantibus Religioſis erit nulla, & inualida.

Religioſi debent approbari ab ordinario.

Confeſsio facta religioſis non eſt iteranda.

Ioan. 22.
Sixt. 4.
Eug. 4.
Nicol. 5.

CONCLVSIO 2. *Confeſſio facta Religioſis Mendicantibus, etiam in Paſchate, non eſt iteranda propriis Curatis vel deputatis ab ipſis.* hęc eſt definita à Ioanne XXII. in Extrauagante, *Vas electionis*, de hęreticis, quam definitionem innouarunt plures alij ſummi Pontifices, inter alios Sixtus IV. in bulla, quæ Mare magnũ priuilegiorũ Auguſtinenſium appellatur, in qua poſt multa ſic loquitur prefatus ſummus Pontifex. *Rurſus, quia intelleximus, quòd etſi bona memoriæ Ioannes Papa XXII. prædeceſſor noſter, illorum opinionem qui aſſerebãt quòd confeſſi Fratribus prædictis, & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confeſſiones, iuxta iuris diſpoſitionem deputatorum pro tempore, tenebantur eorum peccata, Rectori eorum parochialis Eccleſiæ iterum confiteri, reprobauerit: & deinde Eugenius prædictus reprobationem huiuſmodi approbando contra tales aſſerentes, tamquam de hæreſi ſuſpectos per locorum Ordinarios, inquiri, & procedi mandauerit, ac ſucceſſiuè Nicolaus prædeceſſor prædictus geſta in præmiſſis ab eiſdem Ioanne, & Eugenio prædeceſſoribus, robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit, nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes proteruè, opinionem prædictam, & deſuper facios, damnatos, & male ſonantes, ac reprobatos articulos veros eſſe affirmare non verentur, vt talium præſumptuoſa temeritas tanto minus inualeſcat, quanto plurib. erit ſuperiorũ correctioni ſubiecta, conceſſam contra tales per Eugenij prædeceſſoris literas locorum Ordinariis facultatem, ad Inquiſitores hæreticæ pranitatis extendimus, ac volamus quod Inquiſitores ipſi, quicumque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales authoritate fungantur.* Eamdem Concluſionem nouiſſime Clemens VIII. peculiari Bulla ad Octauium Epiſcopum Tricarienſem Germaniæ inferioris Nuncium definiuit, eo quo ſequitur tenore.

VENERABILIS frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Significatum fuit nobis non ſinè graui animi noſtri moleſtia, nuper in oppido Duacenſi Atrebatenſis Diœceſis nonnullos Parochos maximo cum fidelium ſcandalo, tum docendo & concionando, tum omnes reprehenſionibus & cenſurarum Eccleſiaſticarum comminationibus perterrendo Chriſti fideles auertere, ne Feſtis diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinum Mendicantium, atque Collegij Societatis Ieſu pro Miſſis audiendis accedere, & ne etiam Quadrageſimali & Paſchali tempore Fratribus dictorum Ordinum, ac Presbyt. Soc. Ieſu peccata ſua confiteri poſſent, auſos fuiſſe, affirmantes ipſis Chriſti fidelibus, tam de iure, quàm de conſuetudine prohibitum eſſe in aliis, quàm Parochialibus Eccleſiis Miſſas Feſtis diebus audire, nec licere illis Quadrageſimali & Paſchali tempore aliis præterquàm propriis Parochis peccata ſua confiteri: vnde maximam in fideli populo exortam fuiſſe animorum perturbationem accepimus. Contrà enim Fratres Ordinum Prædicatorum & Conuentualium, ac Presbyteri dictæ Societatis Priuilegiis Apoſtolicis ſuffulti, tum priuatim, tum publicè, ac in concionibus contrarium vſum in Eccleſia Dei receptum & permiſſum, ac à Sãctis Patribus & Oecumenicis Conciliis approbatum defendere conati fuerint. Rem autem eò pertractam eſſe intelleximus, vt graues inde diſſenſiones inter dictos Parochos & Presbyteros Societatis Ieſu ſuborte fuerint. Quod autem nos grauius affecit illud imprimis fuit, quòd Venerabiles fratres Archiepiſcopus Cameracenſis & Epiſcopus Atrebatenſis inconſulta Sede Apoſtolica negotium hoc in diſceptationem, tum etiam in iudicium fortaſſis apud ſecularem Curiam deduxerunt. At nos ne grauiora exinde ſcandala ſuboriantur, paternè conſulere, & celeri remedio proſpicere volentes, cauſámque & cauſas huiuſmodi, ſi quæ coram quocumque iudice introductæ, ac etiam inſtructæ reperiantur, ad nos harum ſerie euocantes, illáſque penitus extinguentes ac perpetuum deſuper tum Parochis, tum aliis prædictis ſilentium imponentes, præſenti noſtro decreto ſancimus, licere ſæcularibus Chriſti fidelibus vniuerſis liberè Miſſas diebus Dominicis & aliis Feſtis audire in Eccleſiis

Digitized by Google

Eccleſijs tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegij Societatis Ieſu iuxta illorum Priuilegia & antiquas conſuetudines, dummodo id in contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant: & tam dictis Fratribus Prędicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis priuilegiatis prædictis quibus id Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata ſua etiam Quadrageſimali & Paſchali & quouis alio tempore confiteri licite poſſe: Dummodò tamen ijdem ſeculares Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ, die feſto Paſchatis, & Reſurrectionis, in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant. Proinde tibi per præſentes committimus & mandamus, vt præſens noſtrum decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi, & Epiſcopo Atrebatenſi notum facias, ijſdémque authoritate noſtra Apoſtolica mandes, vt illud in prædicto oppido Duacenſi, & vbicumque opus fuerit publicari & obſeruari faciant, vtque Parochos in eorum officio contineant, illóſque ab auocatione populi ab Eccleſijs priuilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata etiam in Paſchate, ipſis priuilegiatis abſtinere faciant. Ipſis verò priuilegiatis eadem authoritate præcipias, vt in concionibus & catechiſmis populum ipſum tum ad reuerentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas præſertim Dominicis & aliis ſolemnibus Feſtis diebus audiendas, tum ad decimas iſſque alias Eccleſijs debitas ſoluendas frequenter moneant & adhortentur: ac denique omnem huiuſmodi controuerſiæ occaſionem præcidere & tollere, & Chriſti fidelium animos ad vnionem & quietem traducere cures, omniáque præmiſſa publicar & exequi, adiectis etiam cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis tibi viſis pœnis, opportuniſque omnibus iuris & facti remediis adhibitis, mandes & facias, in contrarium facientibus nonobſtantibus quibuſcumque. Volumus autem vt præ ſentium tranſumptis etiam impreſſis tuo ſigillo ac Secretarij, ſeu Notarij tui manu obſignatis indubia vbique fides haberi debeat. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 22. Decembris 1592. Pontificatus noſtri anno primo.

Deinde, abſolutio quæ datur penitenti per iuriſdictionem abſolutam, cenſetur eſſe abſoluta, & ſine vlla obligatione, & onere ad iterandam huiuſmodi confeſſionem: at abſolutio quę datur à ſacerdotibus priuilegiatis, penitentibus ſibi confitentibus, datur eis per iuriſdictionem abſolutam, ſibi à Pontifice Maximo datam, vt conſtat ex Clementina, *Dudum*, proxime citata: ergo non tenentur iterare confeſſionem. 2.

Tertio, Approbatio Ordinarij, ſeu Epiſcopi non confert priuilegiatis iuriſdictionem, ſed eſt tantum conditio neceſſaria ad validitatem abſolutionis, vt pluribus demonſtrant Suarez: ergo. 3.

Quarto, qui confitetur de licentia ſui Epiſcopi inſcio proprio Curato, ſacerdoti alieno, etiam in Paſchate, hic non tenetur iterare confeſſionem ſuam proprio Parocho; etiamſi velit in propria Parochia ſacrā ſynaxim ſumere, ſed tenetur rātū hic penitens oſtendere ſuo Curato ſe authoritate Epiſcopi confeſſum fuiſſe apud alium ſacerdotem: ergo illud idem erit dicendum de iis, qui confitentur priuilegiatis à Pontifice Maximo. 4.

Quinto, qui confitentur Mendicantibus non confitentur iſtis contra diſpoſitionem iuris communis; ius enim commune, de confeſſione facienda ſemel in anno, habetur in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, &c. In hoc autem dicitur vt quilibet ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti, vel certe alieno de licentia proprij: at Mendicantes audiunt Confeſſiones quorumcumque fidelium de licentia ſummi Pontificis, qui eſt proprius ſacerdos cuiuſlibet hominis Chriſtiani in vniuerſum: qua enim ratione Curatus eſt proprius ſacerdos reſpectu omnium fidelium in Parochia, eadem ratione Epiſcopus cenſetur proprius in ſolidum, in ordine ad omnes exiſtentes in diœceſi ſibi commiſſa: & denique (licet excellentiori iuriſdictione) ſummus Pontifex eſt conſtitutus proprius paſtor reſpectu cuiuſcumque fidelis vbique locorum degentis, iuxta illud: *Paſce oues meas*: ergo abſolutus à delegato à ſummo Pontifice, quicumque ille ſit, erit vere abſolutus, vnde nec vlli alteri tenebitur peccata ſua confiteri: ergo. Denique, ſi confeſſio facta priuilegiatis à ſummo Pontifice ſit iteranda, ſequitur priuilegia eſſe plane inania, vana, & tantum onerosa: ità docent omnes communiter in quartum, diſtinctione 17. alij 18. & Recentiores. 5.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. nec Martinum V. nec Sixtum IV. in illis locis voluiſſe confeſſos Mendicantibus, intrà annum computandum à prima die Ianuarij, ad vltimam Decembris, non ſatisfeciſſe præcepto annuæ confeſſionis: nam præceptum annuæ confeſſionis non obligat præciſe in Paſchate, ſed in qualibet parte totius anni, vt docuimus in ſuperioribus; ac proinde volunt Pontifices iſti ſolum eos penitentes qui in Paſchate communicare contendunt, & qui ſunt ſibi conſcij peccati mortalis debere confiteri Curatis propriis, vel certe deputatis à *Diſſoluūtur rationes oppoſitæ.* 1.

Digitized by Google

Curato; ſi tamen ſpectetur ſolum ius commune, & ſeclusis priuilegijs ſummi Pontificis.

Addo tamen Pontifices hos noluisse negare, quin possint Parochiani alicuius Curati confiteri sacerdotibus priuilegiatis, vel Curatis propriis, sed reliquisse liberum hoc Parochianis, vt colligitur manifeste ex verbis Pontificis Maximi in eo priuilegio: *Per hoc*, inquit, *dictos Religiosos non impediri quominus secundum sua priuilegia confessiones audiant*: Noluit tamen Pontifex Maximus, veritatem istam euulgari in publicis concionibus à Mendicantibus studio solius pacis retinendæ inter Curatos, & Mendicantes, & priuilegiatos.

2. Ad secundam respondeo. Mendicantes non excipere confessiones Parochianorum sine licētia proprij sacerdotis; diximus enim nomine proprij sacerdotis in cap. *Omnis vtriusque sexus*, significari, & Curatum, & Episcopum ordinarium, & præsertim Pontificem Maximum: Mendicantes autem audiunt confessiones fidelium quorumcumque de licentia Pontificis maximi, vt constat priuilegijs suprà citatis.

Ad glossam vero respondeo, non esse audiendam, cum loquitur verbis expressis contra priuilegia Papæ Mendicantibus concessa, qui non minus potest delegare vices tuas iure communi iis quibus placuerit quàm faciat Episcopus & Curatus.

3. Ad tertiam respondeo, priuilegia Mendicantibus elargita à summo Pontifice non redundare in præiudicium, & damnum Curatorum: sed potius in commodum, & vtilitatem ipsorum: ità enim liberantur ab onere audiendi confessiones suorum Parochianorum.

4. Ad quartam, docuisse nos in antecedentibus priuilegia Mendicantibus facta à summo Pontifice, non esse contra dispositionem iuris communis, & consequenter non stricte, sed ample esse intelligenda.

Ad decretum autem Academiæ Parisiensis respondeo, nullius esse momenti: non enim assistentia infallibilis Spiritus sancti huic est promissa, sed tantum soli Pontifici Romano, & Ecclesiæ Catholicæ.

Deinde, decretum hoc potuit habere ortum eo tempore, quo extabat constitutio Innocentij IV. per quam prohibitum fuerat authoritate Pontificis Maximi, ne Mendicantes exciperent confessiones Parochianorum, néve eos ad diuina admitterent eo tempore quo sacrificia Parochialia in Ecclesijs Parochorum perficiebantur: hęc autem constitutio fuit abrogata per priuilegia à successoribus Innocentij IV. data Mendicantibus.

Vltima rationis oppositæ solutio. Ad vltimam respondeo. Quemlibet pastorem debere agnoscere vultum pecoris sui, vel per seipsum, vel certe per alium, vt constat manifeste ex Episcopis, qui iure diuino tenentur ad euulgandum diuinum verbum proprijs subditis, & tamen Concil. Tridentin. explicat istos satisfacere pro hac obligatione, si vel per seipsos, vel per alios, diuinum verbum proprijs subditis explicauerint.

Addo Curatos posse agnoscere vultum suorum subditorum, nedum audiendo confessiones ipsorum, sed etiam administrando eisdem sacramenta baptismatis, Eucharistiæ, extremæ Vnctionis, & Matrimonij, & denique docendo eosdem ea omnia quæ pertinent ad institutionem hominis Christiani.

DVBITATIO VLTIMA.

Quis sit idoneus minister sacramenti penitentiæ: sine de conditionibus requisitis ad illud.

RESPONDEO, *Conuenire de hac re inter Sententiarios, & Casuistas*: existimant ergo isti sanctitatem vitæ, scientiam aliquam, & denique approbationem esse conditiones necessarias in quolibet ministro idoneo sacramenti penitentiæ. *Probitas scientia, & approbatio necessaria in ministro quomodo.*

Vt autem res hæc intelligatur plenius. Aduertenda sunt aliqua: Primum est bonitatem, & probitatem vitę desiderari in ministro idoneo sacramenti penitentiæ, non quidem simpliciter, ad hoc vt sequatur effectus penitentiæ, sed tantum vt sine culpa sacramentum hoc administretur. Primo, quia sacramenta sunt in se sanctissima. *Notabile 1.*

Deinde, sacerdos ministrans sacramentum penitentię est instrumentum Christi separatum, vnde debet imitari quoad fieri potest sanctitatem, quæ datur in Christo, ex illo Matth. 5. *Estote sancti, sicut & ego sanctus sum, estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5.

Tertio, in ordinatione quilibet sacerdos consequitur gratiam iustificantem, idque ad hoc vt debite sacramenta imposterum administret: ergo quotiescumque in statu peccati mortalis sacramentum aliquod confert, peccat; facit namque contra gratiam sibi in ordinatione datam.

Quod autem sanctitas ista non sit simpliciter necessaria in ministro ad effectum sacramenti producendum, manifeste colligitur ex dictis: docuimus siquidem in casu extremæ necessitatis, & hęreticum sacerdotem, & excommunicatum posse valide conferre sacramentum penitentię: in tractatione item de baptismo docent omnes, nedum hæreticum, sed etiam ethnicum & infidelem valide posse baptizare, & illud idem tradunt de sacerdote hæretico respectu consecrationis sanctissimi sacramenti. *Sanctitas non simpliciter necessaria.*

Aduerte secundo, scientiam aliquam desiderari ab omnibus in ministro sacramenti penitentiæ: etenim tenetur hic discernere, & diiudicare, inter lepram, & lepram. *Notabile 2.*

Deinde, minister sacramenti penitentiæ, debet imponere condignam penitentiam culpis commissis, & auditis in confessione, ex Concil. Trid. sessione 14. cap. 5. At id præstare nequit sine cognitione aliqua.

Tertio, Absolutio data à sacerdote habet rationem sententiæ ex Tridentin. loco proxime citato: At sententia nequit esse iusta, nisi fuerit data cum cognitione causæ: ergo. ità docet Suarez, disp. 28. sectione secunda, Vazquez ad quæstionem 93. tertię partis D. Tho. & Petrus Sotus lect. 6. de confeſſ. & communiter Sententiarij, dist. 17. lib. 4.

Dubitatur autem à nonnullis, *Quanta debeat esse scientia in ministro sacramenti penitentiæ.* Sunt qui putent sacerdotem qui vult confessiones excipere debere scire quodnam detur discrimen inter peccatum mortale, & veniale, & qua ratione peccata mortalia à se inuicem distinguantur specie, & item numero. Quod tamen non est ita intelligendum quasi quilibet sacerdos teneatur certo, & indubitanter scire, qua ratione quodlibet peccatum mortale constituatur intrà propriam speciem: *Quanta debeat esse scientia confessarij.*

Digitized by Google

ſpeciem : nam ſi res hęc deſideraretur in miniſtro ſacramenti penitentiæ; vix eſſet aliquis qui poſſet eſſe miniſter idoneus illius, cum viri doctiſſimi in re iſta aſſequenda plurimum laborent; neque de hac re conuenit inter Doctores : ſatis ergo erit ad hoc vt aliquis ſit miniſter idoneus ſacramenti penitentiæ, quod intelligat qua ratione peccatum mortale, & veniale diſtinguantur, & item qua ratione peccata mortalia ſpecie diſtincta ab inuicem ſeparentur, idque in communi, & iuxta communem modum loquendi.

Idem dicendum eſt de circumſtantiis cuiuslibet peccati immutantibus, aut aggrauantibus intrà eamdem ſpeciem: ſimile quid dicendum eſt de integritate confeſſionis, & de cognitione neceſſaria, ad hoc vt imponatur penitentia condigna.

Confeſſor debet ſcire caſus reſeruatos Epiſcopo, & Papæ.

Deſideratur, prætereà vt ſacerdos aſſequatur qui caſus Epiſcopo, qui vero Pontifici Romano ſint reſeruati, ne mittat falcem in meſſem alienam, ac proinde peccet abſoluendo : Imo abſolutio in hoc caſu data penitenti, quando ſacerdos non habet poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis eſt plane nulla, & inualida.

Denique, deſideratur in ſacerdote excipiente confeſſiones, vt intelligat quæ peccata trahant ſecum rationem ſatisfaciendi; debet enim ſacerdos admonere penitentem vt ablata & iniuſte detenta reſtituat : non eſt tamen neceſſe quod ſacerdos ſtatim audito quolibet peccato in confeſſione, certo definire queat peccatum hoc eſſe mortale, aut veniale, aut huius vel illius ſpeciei, aut quod obliget ad reſtitutionem : ſed ſatis eſt ſi de hac re prudenter queat dubitare, & aliquid probabiliter definire : poterit enim poſtea vel librorum lectione, vel opera viri alicuius eruditi, vel etiam auxilio ipſiuſmet penitentis, certo definire de rebus iſtis quid ſit ſentiendum.

Non requiritur æqualis ſcientia in omnibus Cõfeſſariis.

Non deſideratur etiam in omnibus ſacerdotibus adminiſtrantibus ſacramentum penitentiæ, æqualis ſcientia; ſed habenda eſt ratio locorum, & perſonarum, quarum ſacerdos excipit confeſſiones : in locis quippe celebrioribus, vbi dignitates abundant, & præfecturæ, virique diuerſæ conditionis, & officiorum, illic miniſtri ſacramenti penitentiæ debent eſſe peritiores. In pagis vero, & oppidis, non eſt neceſſaria tanta cognitio in miniſtris huius ſacramenti : cognitio autem explicata deſideratur in miniſtro huiuſmodi, ne peccet inter ſacramentum hoc adminiſtrandum, poteſt enim effectus ſacramenti penitentiæ de facto produci, etiamſi ſcientia dicta non polleat ſacerdos Confeſſor.

Dubitatur autem, An ſcientia aliqua ſit ſimpliciter neceſſaria in miniſtro penitentiæ ad hoc vt valide conſurgat ſacramentum iſtud.

Scientia aliqua neceſſaria.

Reſpondetur fieri non poſſe vt ſequatur effectus iſtius ſacramenti, niſi miniſter ſciat & formam abſolutionis ſacramentalis, & prætereà extare peccata aliqua mortalia, & venialia in communi : primò, quia forma abſolutionis ſacramentalis eſt de intrinſeca ratione ſacramenti penitentiæ, ex Concil. Florentino, in decreto Eugenij IV. at nullum ſacramentum poteſt conſurgere ſine partibus eſſentialibus.

Deinde, ſunt duo ſimpliciter neceſſaria ad validitatem confeſſionis ſacramentalis : alterum explicatio cauſæ penitentis; alterum notitia eiuſdem cauſæ ex parte Confeſſarij excipientis confeſſionem : atqui ſi ſacerdos neſciat extare aliqua peccata mortalia, & venialia, hic non poterit aſſequi cauſam penitentis, vt eſt per ſe notum, & manifeſte colligitur ex eo, quod materia remota ſacramenti penitentiæ neceſſaria, ſint peccata mortalia, ſufficiens vero venialia : ergo ſacerdos debet abſoluere à peccatis, & quidem vel mortalibus, vel venialibus: ergo debet ad minus ſcire dari peccata mortalia, & venialia ad hoc vt ſacramentum penitentiæ conficere poſſit : In hac ſententia ſunt Richard. in 4. diſt. 17. Gabriel, & plerique alij Sententiarij ibidem, & Recentiores.

Eſt autem hęc res intelligenda de miniſtro, nedum habente iuriſdictionem delegatam, ſed etiam de eo qui habet ordinariam, idque tam extra caſum neceſſitatis vltimæ, quàm in extrema neceſſitate, contra Sylueſtrum, & alios nonnullos : nam ſacramentum penitentiæ illa eadem poſtulat neceſſario in neceſſitate vltima, quę extra neceſſitatem; fatetur autem Syluester extra caſum neceſſitatis extremæ, confeſſionem factam ſacerdoti ignoranti formam abſolutionis, & diſtinctionem peccati mortalis, & venialis eſſe plane nullam, ac proinde iterandam : igitur idem dicendum erit reſpectu neceſſitatis extremę.

Approbatio neceſſaria. Trident.

Aduertendum eſt tertio, approbationem eſſe ſimpliciter neceſſariam in miniſtro huius ſacramenti : ità enim dicitur in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. *Quamuis presbyteri in ſua ordinatione, à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant : decreuit tamen ſancta ſynodus, nullum etiam regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, & ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut per Epiſcopi examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat : priuilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili non obſtantibus.* Illud idem fatentur omnes illi, qui ſcripſerunt poſt Concilium Tridentinum de caſibus conſcientię, vel etiam de rebus Scholaſticis in quartum, diſtinctione 17. hæc autem approbatio debet fieri ab Epiſcopo ordinario, vt conſtat ex loco proxime citato Concil. Tridentini.

Approbatus ab vno Epiſcopo debet approbari in altera diœceſi.

Addo, approbatum ab vno Epiſcopo non poſſe ex vi iſtius approbationis audire confeſſiones in epiſcopatu alterius, ſeu alio & diuerſo ab eo, à quo fuit approbatus, ſed debet approbari ab Epiſcopo alterius diœceſis: nam Concilium loco proxime citato, ait, approbationem fieri debere, *ab Epiſcopis*, non autem *ab Epiſcopo*, quod eſt diligenter aduertendum.

Deinde, Epiſcopus vnus habet tantum poteſtatem approbandi intrà terminos ſuæ diœceſis; non enim temere, & inconſultò Epiſcopatus fuerunt hactenus diuiſi : ità plures Recentiores.

ROGARIS, *Vtrum poſſint Epiſcopi & Ordinarij, ſacerdotes regulares ad confeſſiones fidelium excipiendas approbatos, ad libitum ſuſpendere ab huiuſmodi officio.*

Reſpondeo, Pauli V. Pontificis Maximi tempore ſacram DD. Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationem hac de re conſultam, ſic decreuiſſe.

CVM ſacræ Congregationi Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum innotuerit: Confeſſarios Regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiſcopis, Epiſcopis & locorum Ordinariis ab audiendis confeſſionibus quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur: & propterea ſæpe contingere, vt ab iiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, omnibus ſimul vnius Conuentus Confeſſariis confeſſiones audiendi facultas adimatur: Illuſtriſsimi eiuſdem ſacræ Congregationis Patres, rati vix fieri poſſe, vt hæc ſinè ſcandalo, magnáque animarum pernicie contingant, re maturè perpenſa, ad omnem ſcandali materiam ſubmouendam, & quò magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur, ſtatuunt, ac decernunt, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliſque locorum Ordinariis ad quos Confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares aliàs ab ipſis liberè approbatos, ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſthàc minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum. Statuunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorúmque Ordinarios confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſariis, eadem ſacra Congregatisne inconſulta nullo pacto adimere poſſe. Quod quidem Decretum, vt ijdem Illuſtriſsimi Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obſeruari. Romæ 20. Nouemb. 1615.

A. Mar. Hoſtien. Card. Gallus.
Locus ſigilli.
V. Theatinus Secr.

Sunt qui prolixã hîc inſtituant diſputationem de caſibus reſeruatis Pontifici Maximo, & Epiſcopis, & item de poteſtate reſeruandi caſus iſtos. Ceterum primum illud, quilibet aſſequi poteſt ex Nauarro in Manuali, vel ex quolibet alio Caſuiſta; Secundum vero pluribus proſequitur Suarez diſp. 29. & item tract. de cenſuris quàm accuratiſſime, & copioſiſſime perficit tomo 5. ſuorum operum in 3. p. D. Thom.

QVÆSTIO VLTIMA GENERALIS,

De Confeſsionis ſigillo.

HÆc quæſtio explicabitur ſequentibus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit ſigillum Confeſsionis.

Sigillum confeſsionis quid.

CONCLVSIO. *Sigillum Confeſsionis eſt obligatio, ſeu debitum non reſignandi, ſeu, quod idem eſt, non reuelandi peccata in Confeſsione audita:* ità communiter omnes in 4. diſt. 18. dicitur autem ſigillum confeſſionis, metaphora ſumpta à literis obſignatis; quemadmodum enim iſtæ tamdiu, quamdiu manent obſignatæ nequeunt ab vllo intelligi, vel legi; ità neque peccata in confeſſione manifeſtata ſunt vlli plane aperienda, idque quod ſigillum hoc fuerit à Deo introductum in fauorem penitentis, vt onus confitendi ſit ſuaue, & non ità oneroſum.

DVBITATIO SECVNDA.

Quo iure fuerit introducta obligatio ſigilli Confeſsionis.

Tenetur ſacerdos ad ſigillum.

CONCLVSIO 1. *Iure humano poſitiuo obligatur quilibet ſacerdos excipiens confeſsiones ad ad non reſignandum ſecretum ſibi commiſſum in confeſsione:* ità enim habetur cap. *Sacerdos*, de penitentia, diſt. 6. quo loco indicitur ſacerdoti, qui violauit ſigillum confeſſionis, peregrinatio perpetua, & ex capite, *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi præſcribitur intruſio intrà monaſterium ei qui reſignauit ſecretum Confeſſionis, ad hoc vt toto tempore vitæ in dicto monaſterio penitentiam agat: *caueat ſacerdos omnino ne verbo vel ſigno vel alio, quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit illud abſque vlla expreſsione perſonæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in penitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam penitentiam in arctum monaſterium detrudendum.*

Idque iure naturali.

CONCLVSIO 2. *Iure naturali, poſita inſtitutione ſacramenti penitentiæ authoritate Chriſti, obligatur ſacerdos ad legem ſigilli Confeſsionis.* Primo, quia de iure naturali eſt ſeruare ſecretum ſibi commiſſum omnium conſenſione; atqui confeſſio quæ fit ſacerdoti ſoli, rationem ſecreti conſequitur: nam propterea hæc fit apud ſacerdotem ſine teſte, & ſine comite. Deinde, ſacerdos qui manifeſtat peccata audita in confeſſione ſine penitentis licentia, cum habitudine, vel reſpectu ad perſonam quæ dixit ſacerdoti peccata illa, omnium conſenſu violat ſecretum naturale: ergo conſeruatio ſigilli eſt de iure naturali.

CON-

Digitized by Google

Diuino iure obligantur ſacerdotes ad ſigillum.

CONCLVSIO 3. *Præceptum de ſigillo confeſſionis retinendo obligat quoſcumque ſacerdotes excipientes confeſſiones, nedum iure humano poſitiuo, & naturali, ſed etiam diuino poſitiuo.* Primo, quia obligatio iſtius præcepti colligitur à multis ex illo Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, &c. at locus hic pertinet manifeſtiſsime ad ius diuinum poſitiuum: ergo, &c.

Ioan. 20.

Deinde, voluntate diuina introducta eſt obligatio ſecreti confeſsionis in fauorem quorumcumque penitentium, ad hoc vt iugum confeſsionis ſit minus graue, & oneroſum, cuilibet penitenti in particulari, vt communiter fatentur omnes in quartum, diſtinct. 17. & Thomiſtę ad queſt. 93. tertiæ partis D. Thom. & Recent.

Tertio, ſi iure humano poſitiuo, & tantum naturali obligaret præceptum ſigilli confeſsionis fieri, poſſet vt quis inculpate interdum ſolueret ſigillum confeſsionis; nam quæ obligant tantum præcepto humano poſitiuo, & naturali ex cauſa iuſta, & legitima, deſinunt interdum obligare, vt patet ex ſecreto naturali, hoc ſiquidem inculpate manifeſtari poteſt quotieſcumque is qui commiſit ſecretum, indignus eſt vt illi ſeruetur, puta quia ſecretum hoc redundat, in perniciem reipublicæ, vel communitatis alicuius, & is qui ſecretum hoc commiſit non vult deſiſtere à malo quod cogitauit inferre reipublicæ: at in nullo plane caſu ſigillum confeſsionis violare licet, vt probabitur Dubitatione vltima huius quæſt. ſine licentia penitentis: ergo eſt de iure diuino poſitiuo. ità communiter docent Sententiarij in 4. diſt. 17.

Secundo, quotieſcumque res aliqua tranſit ad aliquem, tranſit ad eum cum ſuo onere & obligatione: atqui confeſsio tranſit, & ad interpretem, & ad eos qui audiunt penitentem confitentem, vel data opera, vel fortuito: ergo ad idem aſtringuntur.

Tertio, ſacerdos in confeſsione nulla, tenetur ſeruare ſigillum, idque quod peccata penitentis audiuerit tantum in confeſsione: at homines iſti ex hypotheſi audiunt peccata iſtius penitentis tantum in confeſsione, vt ſupponimus: ergo tenetur non reſignare iſta peccata ad reatum peccati mortalis, & ſacrilegij contra venerationem debitam ſacramento penitentię.

CONCLVSIO 5. *Obligatur laicus ad ſigillum confeſsionis in eo caſu, in quo fingit ſe eſſe ſacerdotem, & excipit confeſsiones Chriſtianorum.* Primum, quia omnis confeſsio facta ex intentione conſequendi ſacramentum penitentiæ, omnium plane conſenſione, obligat ad ſigillum confeſsionis: at Chriſtiani iſti confitentur laico ex intentione conſequendi ſacramentum penitentiæ; eo quod laicus hic ſe gerat tanquam ſacerdos, & ità toleratur in officio ſacerdotis: ergo hic tenetur ad ſigillum peccatorum, quę illa ratione audiuit.

Dices, ſi ità res haberet ſequeretur eum qui abſente ſacerdote confiteretur laico, obligari laicum iſtum ad ſigillum confeſsionis, præſertim ſi penitens exiſtimaret hunc laicum poſſe ſupplere defectum ſacerdotis. *Obiectio.*

Reſpondeo, negando illationem maioris, confeſsio quippe hęc non fit iſti laico ex intentione conſequendi ſacramentum penitentiæ, iuxtà diſpoſitionem iuris communis, ſed tantum ex errore facti ipſius penitentis: error autem hic non poteſt inducere eamdem obligationem cum ea quam ſecum trahit iuris communis diſpoſitio: peccaret ergo laicus qui confeſsionem alterius excepit contra præceptum iuris naturalis de ſecreto non violando; non vero contra præceptum diuinum, & humanum poſitiuum de ſigillo confeſsionis retinendo. *Solutio.*

DVBITATIO TERTIA.

Qui teneantur ad ſigillum Confeſſionis.

CONCLVSIO 1. *Obligantur quilibet ſacerdotes confeſſiones excipientes, idque nedum quando penitentem abſoluunt: ſed etiam quando ex cauſa iuſta, aut etiam ſine vlla cauſa beneficium abſolutionis negant.* Primo, quia illi tenentur per ſe & directe præcepto ſigilli Confeſsionis, qui confeſsiones excipiunt, & iure diuino vt oſtenſum eſt: at ſoli ſacerdotes directe, & per ſe excipiunt confeſsiones penitentium: ergo illi tenentur ad illud ſeruandum.

CONCLVSIO 2. *Quando quis confitetur medio interprete ſacerdoti, interpres tam vere obligatur ad ſigillum confeſsionis, quàm ſacerdos qui confeſsionem excipit, & idem dicendum eſt de illis, qui vel data opera ſe occultant, vel fortuitò, vt audiant confeſsionem penitentis.* Probatur primo, quia interpres nedum ſuſtinet perſonam penitentis, ſed etiam confeſſarij, ac proinde tam vere tenetur ſeruare ſigillum, quàm ſacerdos, cum non minus communicet in actu confeſsionis interpres iſte, quàm faciat ſacerdos. Confirmatur. Obligatio ſigilli confeſsionis conſequitur confeſsionem ſacramentalem ex inſtitutione Chriſti: at interpres excipit confeſsionem iſtius penitentis, & eam manifeſtat ſacerdoti præſenti: ergo tam vere tenetur ad legem ſigilli, quàm Confeſſor.

Audiens peccatum confeſſum qui ad ſigillum teneatur.

CONCLVSIO 4. *Ille qui audiuit à ſacerdote peccatum penitentis, de licentia eiuſdem, non obligatur ad ſigillum confeſsionis: ſecus verò ſi audiuerit peccatum hoc ſine licentia penitentis.* Prima pars huius reſponſionis nititur hoc vnico argumento: manifeſtatio iſtius peccati non maiorem ſecum trahit obligationem, quàm faceret manifeſtatio eiuſdem culpæ facta ab ipſomet penitente; qui enim per alium facit, per ſeipſum facere videtur: at ſi penitens iſte reuelaret peccatum ſuum, de quo ſe accuſauit apud ſacerdotem in confeſsione, alicui alteri extra confeſsionem, manifeſtatio hęc non induceret obligationem ſigilli confeſsionis: ergo qui peccatum in confeſsione exceptum audiuit à Confeſsore de licentia penitentis, non obligatur ad ſigillum.

Secunda vero pars Concluſionis probatur: Confeſsio ſacramentalis nequit ad aliquem tranſire, niſi cum ſuo onere, & obligatione, ſine licentia penitentis, idque quod obligatio ſigilli confeſsionis introducta fuerit à Chriſto propter reuerentiam ſacramẽti, & propter commodum, & vtilitatem, penitẽtis ne videlicet is aliquid ſiniſtri, &

detrimenti pateretur ex huiuſmodi confeſsione ſacramentali ; atqui ſupponimus ſacerdotem reuelare peccatum penitentis , ſine ipſius licentia : ergo tenetur hic , cui reuelatur peccatum à ſacerdote , præcepto ſigilli confeſſionis: ità docent D. Thom. in 4. diſtinctione 21. quæſtione 3. articulo ſecundo , Bonauent. Richard. Paludan. ibidem, Recentiores , & Caſuiſtę communiter omnes.

Mouetur quæſtio. ROGABIS , *An quando reuelatur ſecretum aliquod cum hac conditione* , dico tibi hęc in confeſſione , *tenetur hic ſeruare huiuſmodi ſecretum ſub ſigillo confeſſionis.*

Reſoluitur. Reſpondetur negatiue : Obligatio quippe ſigilli confeſſionis conſequitur tantum confeſſionem ſacramentalem : at ſupponimus ſecretum hoc non committi alteri in ipſo actu confeſſionis ſacramentalis , ſed extra , cum conditione tamen ſupra poſita.

Deinde , obligatio ſigilli confeſſionis non poteſt habere ortum ex intentione alicuius priuatę perſonæ , vel ex pacto inter duos inito: ità docent Sotus in quartum , diſtinctione 8. concluſione 5. Martin. Ledeſma , Paludanus, & multi alij : tenetur tamen hic ſecretum ſibi commiſſum retinere iure naturali , & ex debito fidelitatis : vnde ſi manifeſtaret huiuſmodi ſecretum peccaret mortaliter ; cum faceret contra fidem datam amico , reuelando ſecretum ſibi commiſſum.

DVBITATIO QVARTA.

Quæ ſit materia , circa quam verſatur ſigillum confeſſionis.

Materia ſigilli peccata mortalia. CONCLVSIO 1. *Sunt peccata mortalia, & venialia in confeſſione manifeſtata* : ità Doctores ſuprà citati.

Peccat qui dicit ſe audiuiſſe peccata in confeſſione. CONCLVSIO 2. *Peccat ille qui audita confeſſione vnius , aut multorum , dicit ſe audiuiſſe peccata mortalia inter confitendum , vel in genere, vel in ſpecie , vel in individuo.* Primo , quia fatetur Nauarra , & alij multi eum qui inter concionandum, aut etiam inter loquendum familiariter dicit peccata aliqua graſſari , & abundare in ciuitate , peccare mortaliter , ſi nouerit tantum ex confeſſione ſacramentali peccata iſta abundare in huiuſmodi ciuitate.

Deinde , quia diximus materiam ſigilli confeſſionis eſſe peccata manifeſtata in confeſſione.

Tertio , quia ex reuelatione iſtorum peccatorum , indirecte quodammodo proditur perſona penitentis , in cuius fauorem ſigillum confeſſionis fuit introductum.

Denique , dicemus in nullo plane caſu liberum eſſe frangere ſigillum confeſſionis, quod tamen contingit quotieſcumque quis reuelat ſe audiuiſſe peccata mortalia in confeſſione. Addo , nedum nefas eſſe reuelare peccata commiſſa audita in confeſſione , ſed etiam committenda , ſi fuerint iſta indicata in confeſſione. Primo , quia peccata iſta futura tam vere ſunt peccata , quàm prętcrita , & tam vere in confeſſione manifeſtata ; quam illa ; ergo tam vere tenetur ſacerdos tilere illa quam peccata prætcrita. Confirmatur. Confeſſio quęlibet ſacramentalis , etiamſi fuerit nulla , & inualida , & non coniuncta cum abſolutione ſacramentali trahit ſecum obligationem ſigilli confeſſionis, ex communi doctrina : ergo & illa peccata quæ fuerunt indicata in confeſſione facta ſacerdoti.

DVBITATIO VLTIMA.

An in aliquo caſu liberum ſit ſigillum confeſſionis reuelare inculpate.

Ratio dubitandi. RATIO dubitandi eſt , Prima. Nihil repugnat quominus aliquis inter audiendum confeſſionem penitentis ſumat occaſionem inducendi penitentem ipſum ad illud idem peccatum committendum , de quo ſe accuſat huiuſmodi penitens : ergo in hoc caſu poterit is qui confeſſionem iſtius penitentis excepit reuelare ſigillum confeſſionis inculpate : nam non poteſt hic iuſtificari à peccato quod commiſit , niſi ſe accuſet de eo apud confeſſarium, & nequit debite confiteri , niſi dicat ſe inter confitendum penitentem iſtum induxiſſe eum ad huiuſmodi culpam committendam , ſaltem in eo caſu in quo non poteſt ſe accuſare de iſto peccato , niſi manifeſtet perſonam complicis. 1.

Deinde , præcepta iuris diuini poſitiui non obligant cum tanto diſpendio , quantum eſt vitæ , famę , & bonorum omnium : ergo in eo caſu in quo non poterit ſacerdos conſeruare vitam , famam , & bona temporalia, niſi manifeſtando ſigillum confeſſionis , poterit hic inculpate violare ſigillum confeſſionis. 2.

Denique , in nullo plane caſu mentiri licet ; eſt enim mendacium per ſe , & ſua natura malum : ergo ſi iudex , præſertim Eccleſiaſticus , roget ſacerdotem aliquem exacto iuramento de veritate dicenda , non poterit hic ſacerdos negare , ſe non audiuiſſe peccatum hoc, vel illud , huius penitentis. 3.

CONCLVSIO 1. *In nullo planè caſu liberum eſt ſacerdoti ſigillum confeſſionis manifeſtare licitum eſt ſine licentia penitentis :* ità docent communiter omnes in quartum, præcipue D. Thom. diſtinct. 21. quæſt. 3. articulo ſecundo , alij diſtinctione 18. & Recentiores. *Nunquam licitum eſt detegere ſigillum confeſſionis abſque licentia penitentis.*

Deinde , maius bonum eſt conſeruatio ſigilli confeſſionis , quàm ſit bonum illud quod poteſt conſurgere ex violatione eiuſdem : ergo erit hoc ſemper retinendum.

CONCLVSIO 2. *De licentia penitentis poteſt ſacerdos aperire ſigillum confeſſionis inculpate.* Primo , quia ſigillum confeſſionis fuit introductum à Chriſto in fauorem cuiuslibet penitentis , ne videlicet ex confeſsione ſacramentali malum aliquod accidere poſsit penitenti: At volenti non fit iniuria omnium conſenſione , præſertim quando voluntas manifeſtandi culpam auditam in confeſsione , ordinatur de licentia penitentis in commodum eiuſdem. *Poteſt conſentiente penitente manifeſtari ſigillum. Probat.* 1.

Deinde , iuramentum promiſſorium tamdiu obligat , quamdiu promiſsio acceptata , & ſtipulata inter duos non tollitur , communibus iſtorum votis. 2.

Tertio , nihil repugnat quominus penitens egeat conſilio ad quod dandum non ſufficit capacitas ſacerdotis : ergo non repugnabit de licentia 3.

Digitized by Google

licentia penitentis manifeſtare culpam auditam in confeſsione ad hoc vt ſalutare conſilium detur iſti penitenti.

Quarto, nulla lex prohibet ne penitens ſuam culpam aperiat cui volet, præſertim ſi moueatur ad id ex honeſto aliquo fine.

Quinto, temporibus primitiuę Eccleſiæ peccata publica alicuius penitentis manifeſtabantur per ſacerdotem penitentialium in ſæneo conuentu Chriſtianorum: imo hoc ipſum fiebat, de licentia tamen penitentis reſpectu peccatorum occultorum.

4. Denique, ratio ſecreti tam vere reperitur in ſigillo confeſſionis; quàm in aliis ſecretis ſolius iuris naturalis: atqui ſecreta iuris naturalis tamdiu obligant, quamdiu non tollitur eorum obligatio, authoritate eorum in quorum hæc fuerunt introducta: ergo ſi facultatem conceſſerit penitens reuelandi peccata in confeſſione excepta, poterit confeſſor ea alteri reuelare abſque culpa.

Obiectio. Dices, obligationem ſigilli confeſſionis eſſe de iure diuino: ius autem diuinum à ſolo Deo auferri poſſe.

Solutio. Reſpondeo, quando ſacerdos de licentia penitentis confeſſionem manifeſtat, non abrogari ius diuinum, ſed tantum penitentem relaxare obligationem ſigilli confeſſionis, quod fuit authoritate diuina introductum in fauorem illius & aliorum.

Replica. Inſtabis, affirmare Theologos communiter omnes, Clericum non poſſe renunciare priuilegio Clericis dato, & conſequenter non poſſe reſpondere ludici laico quotieſcumque interrogatur ab eo de aliquo crimine.

Enodatur. Reſpondeo, ex iſtis nihil plane colligi: nam propterea Clericus nequit renunciare priuilegiis Clericis conceſſis, quia priuilegium hoc datum fuit non Petro, aut Paulo Clericis, ſed toti Clero in communi ſumpto: ſigillum autem confeſſionis fuit introductum authoritate diuina, in fauorem cuiuſlibet penitentis ſpectati in particulari, & in venerationem ſacramenti confeſſionis, ne videlicet, aliquid detrimenti pateretur penitēs ex huiuſmodi confeſſione ſacramentali, ac proinde vt ſacramentalis etiam confeſſio minus onerosa eſſet penitentibus. Cum ergo priuilegium hoc fuerit introductum in fauorem cuiuſlibet penitentis, poterit hic facere poteſtatem ſacerdoti, qui eius confeſſionem excepit, manifeſtandi proprium peccatum, ex motiuo tamen ſeu fine honeſto.

Replica 2. Vrgebis, ſacerdotem eodem plane modo obligari ad ſigillum confeſſionis quo Deus; ſuſtinet enim hic vices Dei in confeſſione excipienda: at certum eſt Deum nulla ratione manifeſtare peccata audita, & condonata in confeſſione, ex illo Ezech. 18. Ezech. *Omnium iniquitatum quas operatus eſt, non recordabor amplius*, poſita videlicet vera penitentia de iiſdem.

Diſſoluitur. Reſpondeo, ſacerdotem vere ſuſtinere vices Dei in confeſſione; & conſequenter non poſſe ſine penitentis licentia peccata audita manifeſtare idque conſtitutione diuina; de licentia tamen penitentis ex fine aliquo honeſto poterit ſacerdos culpā penitentis alteri notificare, idq; inculpate, cū allequatur tunc cognitionē peccati penitentis, nedum vt ſuſtinet vices Chriſti, ſed etiam vt eſt homo deſtinatus ab ipſomet penitente, vt culpam ſuam alteri ſignificet, quatenus ab eo ſalutare conſilium conſequatur, vel ex aliquo alio honeſto motiuo id præſtare poteſt, vt pluribus demonſtrat Suarez diſputatione 33. ſectione 5. Vazquez vero reſpondet; ſacerdotem ideo non peccare manifeſtando ſigillum confeſſionis, quando id facit de licentia penitentis, licet vicem Dei ſuſtineat in audienda confeſſione, & Deus non recordetur peccati confeſſi, & condonati in confeſſione, quia ſigilli priuilegium introductum eſt in fauorem penitentis, vnde in eius poteſtate eſt tollere quoque obligationem ſigilli.

Tenetur ad ſigillum reſpectu complicis.

CONCLVSIO 3. *Sacerdos nedum tenetur ad legem ſigilli confeſſionis reſpectu penitentis, ſed etiam reſpectu complicis:* ità docent Sotus diſtinctione 21. quæſtione 2. art. 5. concluſione ſecunda, & in opuſculo de tegendo ſecreto, quæſtione ſecunda, Paludan. Syluester, Ledeſma, & alij nonnulli.

Deinde, peccatum complicis tam vere pertinet ad confeſſionem iſtius penitentis, qui ex hypotheſi confitetur, quàm peccata ipſiuſmet penitentis, vt ſupponimus, etenim loquimur tantum de illis peccatis, quæ à penitente fuerunt commiſſa vnà cum complice.

Notabile 1. Aduerte, quod cum diximus ſigillum confeſſionis in nullo plane caſu poſſe ſolui, id ità intelligendum eſt, vt numquam liceat, vel verbo, vel ſigno, aut nutu aliquo indicare manifeſtata in confeſſione, ſine tamen licentia penitentis: ità authores ſuprà citati. Cum autem de licentia penitentis manifeſtatur alteri peccatum auditum in confeſſione, cauendum eſt ne manifeſtatio iſtius peccati coniuncta ſit cum ſcandalo puſillorum.

Notabile 2. Aduerte ſecundo, ſigillum confeſſionis non ſolui, quotieſcumque ſine licentia penitentis ſacerdos extra confeſſionem agit cum penitente ſolo de peccatis auditis in confeſſione, modo tamen id faciat ſtudio promouendi penitentis ſalutem: ſecus vero ſi confeſſor dixerit, audiui confeſſionem iſtius, neque tamen propterea cum abſolui; nam in hoc caſu violatur ſigillum confeſſionis, cum exprimat manifeſte diſpoſitionem iſtius penitentis reſpectu abſolutionis ſacramentalis, quod pertinet ad naturam ſigilli cōfeſſionis; diximus ſiquidem confeſſionem, etiā inualidam, obligare ad legem ſigilli: ſi tamen adiecerit ſacerdos ſe non abſoluiſſe penitentem prædictum, quoniam non prębuit materiam neceſſariam ad abſolutionem propter ſingularem eius ſanctitatem, vel propter aliquam aliam conditionem, ex qua ſequitur commendatio penitentis, ſigillum confeſſionis tunc temporis minimè ſoluitur: ità Sotus in quartum, diſtinctione 18. Maior, & alij nonnulli.

Diſſoluūtur rationes oppoſita. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. eum qui non poteſt ſe accuſare de aliquo peccato apud ſacerdotem, niſi violando ſigillum confeſsionis, non obligari ad huiuſmodi peccatum confitendum: eſt enim ſtrictior obligatio ſigilli, quàm præcepti de confeſsione integre facienda; præceptum ſiquidem integritatis deſinit obligare, quotieſcumque adeſt impotentia moralis, vel phyſica confitendi omnia, & ſingula peccata: præceptum vero de ſecreto commiſſo in confeſsione retinendo, obligat in omni plane caſu, quiſquis ille fuerit, ità vt numquam liceat huiuſmodi præceptum violare.

Digitized by Google

Replica. Dices, vnumquemque magis obligari ad propriam ſalutem procurandam, quàm ad famam alterius conſeruandã: at non poteſt penitens hic, de quo quæritur hoc loco, aliter conſequi ſalutem ſuam, niſi manifeſtando ſigillum confeſſionis ſacerdoti, qui eius confeſſionem excipit: ergo tenebitur manifeſtare ſigillum confeſſionis.

Soluitur. Reſpondetur, conceſſa maiore, negando minorem; diximus enim penitentem iſtum non obligari ad confitendum illud peccatum, quod nequit explicare, niſi violando ſigillum confeſſionis.

Deinde, poteſt elicere actũ contritionis, imo, & ſolius attritionis, medio quo iuſtificabitur ab omnibus peccatis commiſſis, interueniente abſolutione ſacerdotis, & poſita confeſſione ceterorum peccatorum mortalium.

2. Ad ſecundam reſpondeo, poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur, An propter mortem vitandam, vel quodlibet aliud malum quodcumque illud ſit, liceat ſacerdoti violare ſigillum confeſſionis inculpate: de qua re ſit hæc

Seruandum ſigillum etiam cum diſpendio vitæ. CONCLVSIO. *Nec propter mortem vitandam, nec propter quodlibet aliud malum, quantumuis maximum, licet ſacerdoti reſerare ſigillum confeſſionis.* Primo, quia videtur hæc res definita in cap. *Sacerdos*, de penitentia, diſt. 6.

Deinde, numquam facienda ſunt mala, vt inde veniant bona; eſt autem malum in omni plane caſu ſoluere ſigillum confeſſionis.

Tertio, præcepta negatiua obligant ad ſemper, & pro ſemper, id eſt, in nullo plane caſu licet admittere id quod prohibetur præcepto negatiuo: certum autem eſt præceptum de non ſoluendo ſigillo confeſſionis eſſe negatiuum

Non ſatis firma ratio aliquorum. Moneo tamen rationem iſtam, quæ à multis authoribus adducitur in confirmationem noſtræ Concluſionis, non eſſe admodum firmam, nam indubitatum eſt præceptum hoc, *Non occides*, & Matth. 5. itẽ, *hæc non mœchaberis, non furtum facies*, eſſe vere negatiua; & tamen in aliquo caſu licet inculpate occidere, rem alienam rapere, & vxorem non ſuam cognoſcere, vt conſtat ex cap. 1. Oſeę. Filij item Iſraël itarum vaſa Ægyptiorum mutuo ab iſtis acceperunt, & ſibi, ità ordinante Deo, aſſeruauerunt. Conuenit etiam inter omnes, inuaſorem poſſe occidi inculpate, quotieſcumque aliter non poſſumus propriam vitam conſeruare.

Probatio authoris. Probatur ergo quarto loco Concluſio. Ea actio numquam poteſt licite fieri quæ ſemper, & in omni plane euentu coniuncta eſt cum circumſtantia aliqua vitioſa, & deordinata: at manifeſtatio ſigilli confeſſionis eſt in omni plane euentu coniuncta cum circumſtantia deordinata: neque enim fieri poteſt, quin irrogetur iniuria, & ſacramento penitentiæ, & præterea penitenti, in cuius fauorem lex ſigilli confeſſionis fuit authoritate diuina introducta.

Alia probatio. Denique, præcepta nedum iuris diuini poſitiui, ſed etiam humani magis obligant ſaltem interdum, quàm faciant præcepta iuris diuini & naturalis ſimul; nempe quotieſcumque maius bonum eſt obſeruare præceptum poſitiuum diuinum, vel humanum quàm obſeruare præceptum naturale, & diuinum; (propter hanc enim cauſam excuſantur Carthuſiani à peccato quotieſcumque non veſcuntur carnibus, etiamſi iudicio medicorum conſtet illos non poſſe aliter curari, quàm veſcendo carnibus) at maius bonum eſt conſeruare A ſigillum confeſſionis, quàm propriam vitam, aut declinare aliud malum quodcumque illud fuerit. ergo. Accedit, quod ſi ſemel detur facultas relaxandi ſigillum confeſſionis, vix erit aliquis qui libere, & vt oportet frequentet ſacramentum Confeſſionis: ergo in nullo caſu ex commemoratis licebit reuelare peccatum.

Iam reſpondeo, ad argumentum, ſacerdotem non poſſe prodere ſigillum confeſſionis, vel propter vitandam mortem, vel propter quodlibet aliud nocumentum fugiendum, idque quod licet præceptum de ſigillo confeſſionis retinendo ſit iuris diuini poſitiui, & conſeruatio vitę ſit de iure naturali, & diuino; maius tamen bonum eſt B conſeruatio ſigilli confeſſionis reſpectu religionis Chriſtianæ, & Catholicę, quàm ſit conſeruatio vitæ iſtius ſacerdotis: vnde cum maius bonum ſit retinendum, minime vero priuatum, quando bona hęc ſimul conſeruari non poſſunt, obligabitur ſacerdos in data hypotheſi ad mortem potius ſubeundam, quàm ad peccatum auditum in Confeſſione, manifeſtandum. *Satisfit 2. rationi oppoſitæ.*

Ad vltimam reſpondeo, ſacerdotem interrogatum à Iudice de peccato audito in confeſſione, non poſſe vlla ratione mentiri; bene tamen voluntatem manifeſtatam in confeſſione cælare, & ad id obligari. Ratio prioris eſt, quia mendacium per ſe, & ſua natura eſt deordinatum, etiam ex C Ariſtotelis doctrina: vnde in nullo plane caſu inculpate quis poteſt mentiri. Ratio vero poſterioris hæc aſſignatur, quia non licet vbique locorum veritatem omnem propalare, vt fatentur communiter omnes, ſed tantum tempore, & loco debito. 3. *Quî ſe gerere debeat ſacerdos interrogatus à Iudice de peccato audito in confeſſione.*

Denique, numquam licet veritatem auditam in confeſſione ſacramentali manifeſtare alteri à penitente, niſi de licentia penitentis, vt conſtat ex dictis. Addo tamen ſacerdotem interrogatum à Iudice, nedum obligari ad tacendam veritatem auditam in confeſſione, ſed etiam debere negare ſe veritatem huiuſmodi accepiſſe in confeſsione: nam ſi tantum filuerit dum interrogatur de D peccato penitentis, ſuſpectam reddet confeſsionem, quod tamen vitare debet.

Deinde, tenetur ſacerdos reſpondere iudici iuridice interroganti ad mentem eiuſdem: iudex autem nequit interrogare ſacerdotem, niſi de his quæ pertinent ad forum contentioſum, cuius generis tamen non eſt peccatum auditum in confeſsione: propter hanc eamdem rationem excuſatur à peccato periurij ſacerdos, ſi eum iuramento dixerit iudici ſe numquam audiuiſſe culpam illam ab huiuſmodi penitente, loquitur enim in iſto caſu de auditione facta extra ſacramentum penitentiæ, non autem de ea quę in eodem ſacramento ſolet fieri. E

Digitized by Google

PARS TERTIA,

De Satisfactione

Satisfactio ſignificat ſolutionem debiti.

ANTEQVAM aliquid de ſatisfactione ſacramentali diſputetur. Aduertendum eſt nomine ſatisfactionis ſignificari ſolutionem debiti, ſeu, quod idem eſt, actionem illam, qua quis ſuo creditori perſoluit tantum quantum debet: diſtinguitur autem hęc à reſtitutione, quia reſtitutio verſatur circa res iſtas ſenſiles, putà pecuniam, aurum, agros, & ſimilia, & item circa res alienas; imo fieri poteſt vt quis perfectiſsime reſtituat, etiamſi ad id nulla ratione volens & lubens feratur: eſt namque reſtitutio proprie rei alienæ redditio, poteſt autem inuitus aliquis cogi ad alienum reſtituendum authoritate Magiſtratus, vt eſt per ſe notum: ſatisfactio vero verſatur circa res poſitas in noſtra poteſtate, nempe circa actiones honeſtas & liberas; iſtis enim tantum proprie ſatisfacimus. Porro definitur ſatisfactio, Actio qua quis offenſam alicui illatam reparat, idque ex dignitate, aut, vt alij loquuntur ad æqualitatem, quæ duplex eſt, altera reſpondet culpæ, altera vero pœnę: de illa nihil hoc loco dicetur, quia fusè explicatæ fuerunt difficultates circa illam occurrentes ad quæſt. 1. huius partis, dum ageretur de ſatisfactione Chriſti. De 2. vero hoc loco eſt inſtituendus ſermo, & quidem, nedum prout ſatisfactio eſt pars ſacramenti penitentię, ſed etiam prout eſt actio quædam à nobis facta extra ſacramentum, & dependenter à ſacramento penitentię.

Aduerte ſecundo, licet ſatisfactio ſacramentalis, & item ea quæ non pendet à ſacramento, poſſet eſſe condigna pœnis peccatis noſtris debitis, non propterea à exiſtimandum eſt illam eſſe ex æquitate iuſtitiæ commutatiuæ, aut diſtributiuæ: docuimus enim inter Deum, & creaturam non interuenire rationem iuſtitiæ.

Satisfactio non eſt iuſtitia commutatiua.

Concedendum tamen eſt de ſatisfactione iſta, quod habeat aliquem modum iuſtitiæ commutatiuę: nam quemadmodum iuſtitia commutatiua exigit vt tantum detur, quantum debemus creditori: ità ſatisfactio ſacramentalis tanta debet eſſe, quanta eſt pœna quæ debetur peccatis remiſsis.

Remiſſa culpa remanet pœna temporalis. Trident. Num. 14.

Aduerte tertio, Remiſſa culpa mortali, vel veniali, manere pœnam aliquam temporalem exſoluendam in hac, vel altera vita, vt definitum fuit in Concil. Florent. & Tridentin. ſeſſ. 14. c. 8. & cap. 12. & 14. & manifeſte colligitur ex cap. 14. Numerorum; remittitur quippe peccatum populo Iudaïco, ad preces Moyſis, & tamen nullus iſtorum admittitur ad ingreſſum terrę promiſſionis, propter huiuſmodi culpam commiſſam: ità ſentiunt communiter Patres, qui citantur in prima Dubitatione de Confeſsione.

Ex natura rei manet pœna temporalis.

Aduerte vltimo, temporalem pœnam exſoluendam in hac vel altera vita, manere poſita iuſtificatione à peccato mortali, non quidem ſola voluntate diuina, vt putant Scotus, Nauarrus, & alij nonnulli, ſed ex natura iuſtificationis;

A quę fit medio ſacramento penitentię; nam licet per iuſtificationem hanc tota pœna ęterna remittatur, quia repugnat aliquem habere ius ad gloriam, & obligari ad pœnam æternam; quę proinde tollitur omnino, ſuppoſita remiſsione peccati vi iuſtificationis. Nihilominus minime ex vi illius ſanctificationis tollitur ſemper pœna tota temporalis, quæ debetur peccatis commiſsis, & remiſsis virtute ſacramenti penitentiæ: cum pœna temporalis huiuſmodi remittatur tantum iuxta dignitatem contritionis, cum qua contingit hominem reſurgere à peccato, & ex dignitate iſtius ſacramenti. Certum autem eſt contritionem, cum qua quis reſurgit à peccato: non reſpondere ſemper B dignitati pœnę, quæ debetur culpis commiſsis: ergo condonata pœna æterna & culpa, ſupereſt aliquid interdum pœnę temporalis perſoluendum in hac vel in altera vita.

Mouetur dubium.

Sunt autem qui quærant, Quæ ſit ratio propter quam dicamus condonata culpa mortali, & item pœna ęterna per penitentiam, manere dignitatem ſeu reatum pœnæ alicuius temporalis ſuſtinendæ vel in hac, vel in altera vita?

Aliquorum ratio.

Quidam exiſtimant cauſam hanc explicatam fuiſſe à Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 8. vbi dicitur in baptiſmate ideo omnem culpam, & pœnam debitam peccatis auferri, quia is qui ante baptiſmum peccauit, videtur per ignorantiam peccaſſe: in penitentia vero non deleri omnem omnino pœnam, C quia is qui poſt baptiſmum peccauit, videtur contempſiſſe beneficium gratię ſibi aliàs datæ.

Reiicitur.

Ceterùm Concilium Tridentinum hoc loco difficultatem propoſitam non explicauit; nam certum eſt ab eo, qui iuſtificaretur media contritione ante baptiſmatis ſuſceptionem, non propterea auferri omnem omnino pœnam temporalem debitam, ſed tantum eā quæ reſpondet dignitati contritionis: ergo. Deinde, voluit Tridentinum eo in loco conſtituere tantùm diſcrimen inter iuſtificationem quæ fit in baptiſmo, & in ſacramento penitentiæ; quare de ea quæ fit in baptiſmo docet deleri in nobis omnem omnino D culpam, & item pœnam, eo quod ex Chriſti inſtitutione merita illius applicentur nobis gratuito, & liberaliter in baptiſmo: de iuſtificatione vero, quæ fit in ſacramento penitentiæ, tradit quod fiat non ità gratuito, & liberaliter quemadmodum in baptiſmo, ſed dependenter à dignitate contritioniſis, cum qua contingit penitentem accedere ad illud ſacramentum.

Secunda aliorum.

Alij vero putant, propterea Deum obligare penitentem iuſtificatum per penitentiam ad pœnam aliquam temporalem, quia conſonum eſt rationi, vt cum Deus media leui aliqua contritione culpam mortalem, & omnem pœnam æternam, imo & aliquam temporalem remittat, conſonum inquam eſt rectæ rationi, vt E exigat pœnam aliquam temporalem remiſsis culpis mortalibus.

Ineffica eſt.

Ceterum authores iſti refundunt effectum hunc in ſolum Dei beneplacitum, cuius tamen oppoſitum docuimus in antecedentibus.

Deinde, contritio illa non eſt dicenda leuis, quæ ſatis eſt ad omnem culpam mortalem tollendam, & quę deſtruit omnem omnino pœnam æternam & præterea aliquid pœnæ temporalis.

Tertia aliorum ratio.

Alij tertio propterea putant dignitatem pœnæ temporalis remanere in iuſtificatione, quæ fit media penitentia, quia in omni peccato mortali

Digitized by Google

datur auerſio à Deo, tamquam ab vltimo fine, & A conuerſio ad creaturam, tamquam ad vltimum finem; auerſioni autem à Deo tamquam ab vltimo fine reſpondet pœna damni, quæ eſt æterna, conuerſioni vero ad creaturam reſpondet pœna ſenſus; at in iuſtificatione facta per penitentiam conuertitur quidem creatura in Deum tanquam in vltimum finem, vnde etiam deſtruitur tota pœna æterna; non tamen auertitur à creatura, quare manet pœna temporalis.

Non probatur illa 3. ratio.

Ceterum ratio hæc non videtur efficax. Primo, quia falſum eſt pœnam æternam reſpondere ſoli auerſioni à Deo; hæc enim debetur peccato mortali, hoc ipſo quod mortale eſt, peccatum autem mortale dicit auerſionem à Deo, & conuerſio- B nem ad creaturam tamquam in vltimum finem.

Deinde, in omni iuſtificatione quæ fit à peccato mortali penitens auertitur à creatura, & conuertitur in Deum tamquam in vltimum finem ex illo: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Confirmatur. Conuerſio in Deum debet eſſe in toto corde, & in toto animo, & in totis viribus: ergo.

Zach. 1.

Authoris ratio.

Dico igitur, propterea pœnam temporalem manere interdum in iuſtificatione facta per penitentiam, quia natura, & eſſentia huius iuſtificationis poſtulat, vt pœna peccatis debita tollatur, iuxta dignitatem diſpoſitionis cum qua accidit C hominem reſurgere à peccato: hæc autem diſpoſitio non reſpondet ſemper adæquate, & totaliter dignitati pœnæ temporalis debitæ peccatis; vnde manet obligatio ad pœnam temporalem ſuſtinendam in hac, vel in altera vita. His ità conſtitutis.

Duæ ſunt hoc loco quæſtiones generales explicandæ. Prima, de ſacramentali ſatisfactione quæ habet vim producendi ſuos effectus, ex dignitate ſacramenti penitentiæ, ſeu, quod idem eſt, ex clauium poteſtate; ſiue ex opere operato.

Secunda, de ſatisfactione prout hęc vim habet producendi ſuos effectus ex dignitate perſonę D ſatisfacientis tantum: Prima autem explicabitur ſequentibus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

An ſit in poteſtate ſacerdotis obligare penitentem, ad reatum peccati mortalis, vt acceptet ſatisfactionem ſibi ab eodem indictam.

1. Sent.

DE hac re, Scotus, Nauarrus, & nonnulli Canoniſtæ putant liberas eſſe ſatisfactiones ſacramentales tam ex parte ſacerdotis, quàm penitentis: Addunt tamen penitentem acceptata E ſatisfactione indicta ſibi à ſacerdote, obligari ad eamdem exequendam ad reatum peccati.

Fundamentum 1.

Probant: Sacerdos inter abſoluendum, & culpas remittit, & pœnas æternas, itemque aliquid ex pœna temporali: ergo poterit penitens libere reſpuere, vel acceptare penitentiam ſibi impoſitam a ſacerdote: nam tenetur penitens pœnam temporalem debitã peccatis ſuſtinere vel in hac, vel in altera vita; ergo in eius poteſtate eſt dicere ſacerdoti, volo pœnam iſtam tolerare in purgatorio.

2.

Deinde, ſi teneretur penitens parere iudicio ſacerdotis, reſpectu ſatisfactionis impoſitæ, obligaretur etiam ad condignam pœnam acceptandam, at non poteſt dici quę ſit hæc pœna. 3.

Rurſus, nihil repugnat, quominus penitẽs infinita peccata cõmiſerit, cáq; grauiſsima, quomodo ergo fieri poterit, vt acceptet hic penitentiã condignam ſuorum peccatorum? Quod vero ad reatum peccati, acceptatam penitentiam teneatur penitens adimplere, probant. Omnis, inquiunt, promiſsio, & fides data obligat ad reatum peccati: at penitens ex hypotheſi promiſit ſe facturum penitentiam ſibi impoſitam: ergo tenetur ad illam executioni demandandam. An autem peccatum ſit mortale, an vero veniale, non conuenit inter iſtos authores.

Sunt igitur qui putent non adimplere penitentiam acceptatam, minime habere rationem peccati mortalis. Primo, quia peccatum hoc nequit eſſe contra virtutem obedientiæ, niſi fuerit coniunctum cum contemptu iuriſdictionis, & authoritatis ſuperioris.

Deinde, non eſt contra charitatem, aut iuſtitiam, quia adimpletio ſatisfactionis indictæ à ſacerdote, non ordinat penitentem vel in Deum, vel in proximum.

Tertio, non pugnat etiam peccatum hoc contra integritatem ſacramenti penitentiæ: diximus enim illud eſſe ſecundum ſuam eſſentiam completum ſine ſatisfactione.

Denique, ſolus conſenſus de re aliqua perficienda non inducit rationem culpæ mortalis, ſed deſideratur contractus aliquis ad id vel voto, vel iuramento, ex communi doctrina Caſuiſtarum: ergo omiſsio penitentiæ acceptatæ non inducit reatum peccati mortalis.

CONCLVSIO 1. *Poteſt ſacerdos obligare penitentem ad ſatisfactionem aliquam perficiendam, quotieſcumque eum abſoluit, ac proinde tenetur hic penitens adimplere ſatisfactionem ſibi præſcriptam à ſacerdote.* Primo, quia in Concilio Florentino, in decreto Eugenij verbis expreſsis dicitur: tertia pars ſacramenti penitentiæ eſt ſatisfactio iniungenda ſecundum arbitrium ſacerdotis.

Poteſt ſacerdos obligare penitentem ad ſatisfactionem perficiendam, quotieſcumque eum abſoluit, ac proinde tenetur hic penitens adimplere ſatisfactionem ſibi præſcriptam à ſacerdote.

Penitentem ad ſatisfactionem faciendam.

Effugium aduerſariorum.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, ſacerdotis eſſe iniungere penitentiam reſpectu taxationis eiuſdem tantum; non autem hoc ſenſu, quaſi poſsit ſacerdos cogere penitentem ad acceptandam ſatisfactionem iſtam.

Præcluditur.

Ceterum hęc reſponſio eſt manifeſte contra mentem Eugenij: nam ſi in poteſtate penitentis ſit libere acceptare, vel non acceptare penitentiam ſibi impoſitam; non ſacerdos, ſed penitens taxabit ſibi penitentiam: hoc autem eſt manifeſte contra verba Eugenij proxime commemorata.

2. Ratio concluſionis.

Deinde, in Concilio Tridentino ſeſsione 14. cap. 8. dicitur ſacerdotem debere imponere penitentiam condignam peccatis penitentis, alioquin futurum reum peccatorum commiſſorum à penitente: & paucis interiectis addit, in poteſtate ſacerdotis eſſe abſoluere, & item ligare penitentem.

Ex iſtis ità ratiocinamur: habet ſacerdos poteſtatem nedum remittendi peccata, ſed etiam obligandi penitentem ad aliquid agendum, ſine quo non poterit conſequi peccatorum ſuorum remiſsionem: ergo poteſt ſacerdos obligare penitentem ad hanc in particulari ſatisfactionem perficiendam; nam fruſtra ponitur poteſtas in ſuperiore, niſi teneatur quoque inferior parere iudicio ſuperioris.

Tertio, res hęc videtur expreſsè definita in 3. Concilio

Concil. Salegunſtad. Concilio Salegunſtadienſi, cap. 18. quod extat tomo 3. Conciliorum: *Quia multi*, inquit, *tanta mentis ſue falluntur ſtultitia, vt in aliquo capitali crimine culpati penitentiam à ſacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maxime confiſi, vt Romam euntibus, Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata: ſancto viſum Concilio, vt talis indulgentia illis non proſit, ſed priùs iuxta modum delicti penitentiam ſibi datam adimpleant.*

4. Quarto, in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, dicitur, vt quilibet penitens penitentiam ſibi impoſitam à

5. ſacerdote perficiat.

Quinto, ſi non poſſet ſacerdos obligare penitentem ad penitentiam impoſitam ſubeundam, mancat eſſet poteſtas ſacerdotis: fruſtra enim eſt illa authoritas, quæ non poteſt inferiorem cogere, ex doctrina communi, in tractatu de legibus: ergo. ità ſentiunt D. Thom. in quartum, diſtinctione 18. quæſtione 1. art. 3. quæſtiuncula 3. Richardus ibidem, Paludanus, diſtinctione 2. quæſtione 2. Maior diſtinctione 17. quæſt. 2. Alenſis 4. p. quæſtione 24. memb. 4. art. 5. & Recentiores.

Penitens obligatur ad penitentiam acceptandam.

Conclvsio 2. *Tenetur penitens ad reatum peccati mortalis acceptare penitentiam, & adimplere, ſi fuerit hæc notabilis, ſeu, quod idem eſt, ſi fuerit in re grani: tenetur item ad eamdem, ad reatum peccati venialis, ſi fuerit leuis, putà, ſi tres aut quatuor recitationes orationis Dominicæ imponantur.*

1. Primo, ità docet Magiſter, diſtinctione 18. lib. 4. D. Tho. Sotus, & Durand. diſt. 15. quæſt. 3. ad 2.

2. Secundo, præceptum ſuperioris iuſtum & ſanctum in re graui obligat ad reatum peccati mortalis, in re vero leui ad reatum peccati venialis, vt manifeſtè colligitur ex doctrina communi aſſerente peccatum mortale in eo diſtingui à veniali, quod peccatum mortale recipiat materiam grauem, veniale vero leuem: at præceptum ſacerdotis de ſatisfactione facienda à penitente, eſt ſanctum, & iuſtum: eſt enim congruum diuinæ voluntati, & legi à Chriſto inſtitutæ, & denique ordinatur ad ſalutem penitentis, vt eſt per ſe notum.

Opera impoſita à ſacerdote ſunt ſatisfactoria ex opere operato.

Conclvsio 3. *Illa opera ſunt tantùm ſatisfactoria ex opere operato, quæ fuerunt indicta penitenti à ſacerdote, minimè vero ea quæ libere aſſumuntur ab ipſomet penitente.*

1. Primo, quia in ſacerdote datur poteſtas abſoluendi, & ligandi, ac proinde adſtringendi penitentem ad aliquid operandum, ſine quo non poterit conſequi remiſſionem peccatorum, ex communi doctrina: atqui per opera conſilij nullus dicitur ligatus, & obſtrictus ad aliquid agendum, ſed tantum per opera præcepti: ergo illæ actiones ſunt tantum ſatisfactoriæ ex opere operato quæ iniunguntur à Confeſſore.

2. Trident. Deinde, ſacerdos tenetur vindicare peccata penitentis ex cap. 8. ſeſſ. 14. Tridentin. at per opera, conſilij non vindicantur peccata penitentis à ſacerdote, ſed tantum ab ipſomet penitente qui ſponte, & libere opera iſta perficit: igitur, &c.

3. Tertio, ſatisfactio eſt pars ſacramenti penitentiæ, & ſignificat remiſſionem peccatorum: at opera imperata à ſacerdote penitenti, ſunt tãtummodo pars ſacramenti penitentiæ, & ſignificant peccatorum remiſſionem. Confirmatur. Opera iſta indicta à ſacerdote ſuum effectum conſequuntur virtute clauium. Operavero aſſumpta ab ipſomet penitente libere ſuum effectum conſequuntur ex dignitate penitentis, omnium conſenſione: ergo &c.

Mouetur quæſtio. Quæruntaliqui hoc loco: *An ſacerdos inter iniungendam ſatisfactionem penitenti, teneatur imponere tantum opera externa, ad hoc vt ſatisfaciat, an etiam poſſit indicere, & præcipere actiones internas?*

Dirimitur. Ceterum de hac re conuenit inter omnes, opera ſenſilia indicenda eſſe plebeijs, & ſimplicibus, prudentibus tamen & literatis poſſe ſacerdotem libere imponere & opera externa, & interna tantum ſiue fuerint hæc in conſilio, ſiue in præcepto ex aliquo alio capite penitenti. Primo, quia omne opus bonum libere, & ex gratia factum ab homine conſtituto in hac vita cenſetur eſſe meritorium, & ſatisfactorium ex communi doctrina: ergo poterit ſacerdos quodlibet ex iſtis bonis operibus aſſumere ad ſatisfactionem penitentis, & obligare eumdem ad huiuſmodi bonum opus exequendum.

Obiectio. Obiicies, ſatisfactionem ſacramentalem debere eſſe ſenſibilem; eſt enim de ratione ſacramenti cuiuslibet, quod ſit ſignum ſenſile; opera autem bona ſimpliciter interna non ſunt ſenſilia: ergo non poterunt hæc aſſumi à ſacerdote.

Reſpondeo, actus internos bonos, & honeſtos, ex ſuo obiecto eſſe ſenſiles, non quidem per ſe, ſed per accidens: illa eadem ratione, qua attritio, & contritio, aut etiam corpus Chriſti conſtitutum ſub ſpeciebus conſecratis rationem ſacramenti conſequuntur: ità & illud idem erit dicendum de bonis operibus internis, indictis à ſacerdote penitenti.

Rationes oppoſita diſſoluuntur. Ad rationes vero contrarias reſpondeo. Ad 1. penitentem ex æquo obligari ad ſubeundum iudicium ſacerdotis, reſpectu remiſſionis peccatorum, & impoſitionis ſatisfactionis; poteſtas quippe & indicendi penitentiam, & abſoluendi à peccatis ex æquo, eſt in ſacerdote dependenter ab authoritate Chriſti. 1.

Ad id vero quod dicitur liberum eſſe penitenti ſatisfacere pro pœna temporali in hac, vel in altera vita. Reſpond. hoc eſſe verum abſolute, & ſimpliciter loquendo, ſi tamen ſemel penitens ſe ſubmiſerit ſacerdoti, tenetur ſtare eius ſententiæ, & iudicio ad reatum peccati, nedum ad hoc vt ſoluatur à peccatis, ſed etiam vt acceptet ſatisfactionem ſibi indictam à ſacerdote.

2. Ad 2. Difficile eſſe determinare quanta pœna debeatur peccatis commiſſis, vt bene argumentum probat, moraliter tamen, & exiſtimatione viri prudentis ea penitentia cenſetur eſſe condigna peccatis commiſſis, quæ impoſita eſt à ſacerdote inter abſoluendum penitentem: nam ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. penitentia eſt imponenda penitenti, iuxta commoditatem, & vtilitatem penitentis; debet enim hæc habere rationem cuſtodiæ nouæ vitæ, & vindictæ delictorum commiſſorum iuxta arbitrium ſacerdotis, qui debet eſſe vir prudens, & idoneus ad hoc vt ſacramentum penitentiæ ſine vlla culpa adminiſtret. Trident.

DVBITATIO SECVNDA.

An poſſit ſacerdos in foro conſcientiæ imponere ſatisfactionem publicam.

Quorundã ſententia. Navarra, & alij nonnulli partem negantem tuentur: credunt enim confeſſionem futuram ſuſpectam ex huiuſmodi penitentia publica: diximus autem in nullo plane caſu fas

Digitized by Google

esse manifestare sigillum confessionis.

Deinde, non potest sacerdos tuta conscientia dicere se audiuisse in confessione peccatum hoc, vel illud publicum, & notorium: ergo non licebit etiam imponere penitentiam publicam pro peccatis etiam publicis, auditis in confessione sacramentali.

Non potest imponi penitentia pro peccatis occultis publica.

CONCLVSIO 1. *Pro peccatis occultis non potest sacerdos obligare penitentem ad satisfactionem solemnem, & publicam.* Primo, quia satisfactio ita publica adimpleri nequit à penitente sine dispendio aliquo famæ, & existimationis propriæ, & sine scandalo pusillorum.

Deinde, temporibus primitiuæ Ecclesiæ indicta fuit tantum penitentia publica pro peccatis notoriis, & publicis.

Pro peccatis publicis potest.

CONCLVSIO 2. *Pro peccatis publicis potest sacerdos imponere satisfactionem publicam penitenti.* Primo, quia ità videtur definitum in ca. 1. de penitentiis & remissionibus ab Alexandro Papa his verbis: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.*

Trident. Deinde, cap. 8. sess. 14. Tridentin. verbis expressis dicitur pro peccatis publicis indicendas esse publicas penitentias.

Solutio aduersariorũ. Respondent authores prioris sententiæ, locum Concilij intelligendum esse de satisfactionibus publicis, quæ consueuerunt præscribi, & imperari à Iudice Ecclesiastico publico, non autem de illis quæ definiuntur in sacramento penitentiæ: probant quia Concilium Tridentin. loco proxime citat. ait, Episcopos posse commutare penitentias istas publicas.

Impugnatur præcedẽs responsio. Cæterum responsio hæc nullius plane momenti est: Primo, quia totum illud cap. 8. Concil. Trident. manifeste loquitur de sola satisfactione sacramentali.

2. Deinde, quia licet Concilium asserat Episcopum posse commutare penitentias publicas, & solemnes, non loquitur tamen de pœnis indictis in foro exteriori, sed de illis tantum quæ imponuntur in foro conscientiæ: has enim potest Episcopus, tollere applicando indulgentias, omnium plane consensione.

3. Tertio, vsus satisfactionis publicæ fuit quàm maxime familiaris temporibus primitiuæ Ecclesiæ, vt constat ex D. Augustin. de vera, & falsa penitentia, & de peccatorum meritis, cap. 34. & lib. 24 contra Faustum 67. & tract. 124. in Ioannem, & in Enchiridio ad Laurentium, cap. 67. & 65. & ex Concil. Carthaginensi III. cap. 31. & Carthaginensi IV. & ex Eusebio, lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ. Imo penitentia ista publica indicebatur, vel à solo Episcopo, vel à Penitentiario, vt constat ex locis proxime citatis. D. August.

4. Denique, qui aliter non potest tollere scandalum, quod potuit, nisi agendo penitentiam publicam, is tenetur acceptare penitentiam publicam: at supponimus peccatum penitentis esse publicum, & item scandalotum: ergo quando sacerdos indicabit scandalum datum ab isto penitente non aliter posse reparari, quàm per penitentiam publicam, poterit sacerdos in foro penitentiæ imperare publicam penitentiam, seu satisfactionem illi penitenti; vnde tenebitur etiam penitens ad implendam illam satisfactionem publicam: ità sentiunt D. Thom. in quartum, distinct. 14. quæst. 1. art. 5. quęstiuncula 1. Paludan. quæst. 6. Durandus, q. 4. Thomas Argentinensis art. 3. & Sotus dist. 19. q. 2. art. 1.

Ad rationes vero contrarias Respondeo, ex eo quod penitens agat penitentiam solemnem propter peccatum publicum, non manifestari sigillum confessionis, licet confessio aliquo modo reddatur suspecta; nam supponimus peccatum penitentis esse publicum, neque aliter posse reparari scandalum datum, quàm per penitentiam publicam, & consequenter penitentem obligari ad huiusmodi solemnem penitentiam, iure naturali: cum ergo penitentia ista publica sit pœna iusta debita peccatis istius penitentis, non reuelatur sigillum confessionis directe, saltem nisi cum assensu voluntatis penitentis. *Dissoluũtur rationes oppositæ.* 1.

Deinde, nihil vetat quominus quilibet existimet penitentem istum libere assumpsisse pœnam istam solemnem ad hoc vt scandalum toleret.

Ad 2. Respondeo, nihil plane probare, vt facile colligitur ex responsione ad præcedens argumentum. 2.

DVBITATIO TERTIA.

An penitentia ab vno sacerdote indicta, possit ab alio immutari, aut etiam irritari.

Non potest vnus sacerdos mutare penitentiã ab alio impositum.

CONCLVSIO 1. *Probabile est sacerdotem non posse mutare penitentiam indictam ab alio, nisi audita prius confessione sacramentali eiusdem penitentis.* Primo, quia potestas sacerdotis in foro pœnitentiæ pendet intrinsecè à clauibus Ecclesiæ: at sacerdos in foro penitentiæ non potest vti clauibus Ecclesiæ, nisi administrando sacramenta Ecclesiæ: ergo cum sacramentum hoc consurgat ex contritione, seu attritione, confessione, absolutione sacerdotis, & satisfactione, non poterit sacerdos mutare penitentiam indictam huic penitenti ab alio sacerdote ex hypothesi, nisi iterata confessione ab hoc eodem penitente. 1.

Deinde, non potest absoluere sacerdos penitentem à peccatis quando potest penitens confiteri, nisi auditis peccatis: ergo neque poterit etiam iniungere penitentiam, nisi prius audiuerit confessionem istius penitentis. 2.

Tertio, satisfactio indicta à sacerdote debet esse ad cautelam, & ad vindictam delictorum commissorum ex Concil. Tridentin. citato in superioribus: at hæc dici non possunt de satisfactione indicta, non auditis peccatis commissis à penitente: ergo non poterit penitentia ab alio imposita immutari, non audita confessione à secundo Confessore. 3.

Obiectio. Dices, inter sacerdotes absoluentes penitentes, alios aliis esse superiores. Pontifex enim maximus est superior ad omnes Episcopos & alios omnes presbyteros: ergo.

Solutio. Respondeo, concesso antecedente negando consecutionem: ex eo namque quod pontifex sit superior respectu quorumcumque sacerdotum solum colligere licet, cum posse reseruare sibi quadam peccata à quibus absoluere non possunt Episcopi, & alij inferiores presbyteri: & idem dicendum est de Episcopis in ordine ad alios inferiores: non tamen propterea poterunt non audita confessione penitentis relaxare, aut etiam immutare penitentiam iniunctam ab inferiore sacerdote, non audita confessione penitentis, quia sententia prolata ab isto sacerdote est ab vltimo Iudice, cum potestate à Christo sibi facta obligandi penitentem ad implendam penitentiam sibi indictam.

CON-

Digitized by Google

Non poteſt mutari penitentia etiã audita confeſſione 2.

CONCLVSIO 2. *Probabile eſt penitentiam indictam à ſacerdote non poſſe commutari ab alio, etiam audita confeſſione, ſed tantum ab eo ſacerdote, qui iſtam ſatisfactionem impoſuit:* Primo, quia ſententia ab vltimo iudice lata & ſupremo, nequit immutari, niſi ab eodem; atqui ſacerdos in foro penitentiæ eſt ſupremus, & vltimus iudex, ex ordinatione Chriſti: ergo penitentia ab illo impoſita non poterit ab alio immutari.

1.

2. Deinde, par in parem non habet imperium; ſacerdotis autem poteſtas in ordine ad remiſſionem peccatorum eſt in omnibus ſacerdotibus æqualis, ſaltem ſi ſpectetur poteſtas hęc actiue, & reſpectu characteris, quod dico propter applicationem materiæ, quæ non eſt in omnibus æqualis, ſed ſuprema in Pontifice Maximo, minor vero in Epiſcopo; inferior adhuc in Curato: ergo.

2.

3. Tertio, poteſt ſacerdos qui abſoluit obligare penitentem ad aliquid agendum ſine quo non conſequetur remiſſionem culpę: ergo cum ſupponamus ſacerdotem abſoluiſſe iſtum penitentem & indixiſſe huiuſmodi penitentiam, non poterit alius ſacerdos remittere penitentiam iſtam: quin fiat iniuria ſacerdoti primo.

3.

Verum eſt poſſe confeſſione audita mutari penitentiam.

CONCLVSIO 3. *Probabilius eſt audita confeſſione penitentis poſſe ſacerdotem alium commutare penitentiam indictam ab alio ſacerdote.* Aduerte confeſſionem de qua hîc loquimur debere eſſe de peccatis, propter quæ indicta fuit ſatisfactio à primo ſacerdote. Primo, quia hæc eſt communis opinio; traditur enim à Soto, in quartum, diſtinct. 20. quæſt. 2. art. 3. Syluestro, verbo *Confeſſio*, & multis Recentioribus.

1.

2. Deinde, commutatio penitentiæ nequit fieri niſi per actum iudicialem in foro penitentiali; at ſatisfactio eſt pars ſacramenti penitentiæ: ergo ſi ſacerdos voluerit commutare penitentiam indictam ab alio ſacerdote, neceſſe eſt vt hic confeſſionem iſtius penitentis audiat, quemadmodum audiuit prior ſacerdos. Concluſionem vero probant argumenta allata in prima, cui non multum obſunt quæ in 2. nam non 1. quia maior propoſitio concludit tantum vbi non adhibetur materia noua, qualis tamé eſſet in confeſſione iterata à penitente, circa quam æquale ius habet cum præcedenti; vnde ruit ſecundum argumentum, & ſimiliter tertium: nulla enim iniuria infertur præcedenti, cum iterum libere ſe ſubmittat clauibus Eccleſię.

DVBITATIO QVARTA.

An ſatisfactio ſuos conſequatur effectus ſtatim atque fit ab ipſo penitente, etiamſi penitens ſit in peccato mortali.

Notabile 1.

ADVERTE, Dubitationem iſtam intelligendam eſſe de ſola ſatisfactione ſacramentali, quæ ſuos effectus conſequitur, non ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ſed virtute clauium: & conſequenter ex opere operato.

2.

Satisfactio facta in mortali peccato ex opere operato enet.

Aduerte 2. etiam procedere de ſatisfactione ſacramentali indicta propter culpas vere remiſſas: conuenit enim inter omnes neminem poſſe ſatisfacere pro peccato quamdiu peccatum non eſt condonatum: his ità poſitis ſit

CONCLVSIO. *Satisfactio facta in peccato mortali ſuum conſequitur effectum ex opere operato.*

1. Probatur primo, quia in Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. verbis expreſſis dicitur ſatisfactionem conducere ad perfectam peccatorum remiſſionem, & item eſſe partem ſacramenti penitentię: at ſacramenta nouæ legis faciunt id quod ſignificant ex opere operato: ergo cum ſatisfactio ſignificet peccatorum remiſſionem (non quidem ſub ea ratione, qua culpa remittitur, vt culpa eſt, quia hæc tollitur per contritionem, ſeu attritionem, confeſſionem, & abſolutionem ſacerdotis: ſed prout reſpicit condonationem pœnæ) illa ſuum ſortietur effectum ex opere operato in peccato mortali facta.

2. Deinde, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus ſatisfactionem ſacramentalem factam ab homine conſtituto in peccato mortali non conſequi ſuum effectum, ſtatim atque fit ab ipſo penitente, hæc maxime eſſet, quia deſideratur gratia gratum faciens, vel abſentia peccati mortalis; at neutrum ex iſtis dici poteſt: non quidem primum nam gratia gratum faciens eſt tantum neceſſaria in aliquo vt ſatisfaciat ex opere operantis: at ſatisfactio ſacramentalis non eſt ex opere operantis, ſed omnem ſuam vim, & efficaciam mutuatur à clauibus Eccleſiæ, vt colligi videtur ex loco ſupra citato Tridentin. neque item ſecundum, quia licet peccatum mortale in quo quis agit, impediat receptionem gratię, non tamen poteſt hoc impedire effectum ſatisfactionis ſacramentalis, quoniam effectus hic pendet ſimpliciter ab inſtitutione Chriſti, ſeu, quod idem eſt, à virtute ſacramenti penitentiæ.

3. Tertio, ſatisfactio ſacramentalis facta à penitente in ſtatu peccati mortalis, non eſt opus mortuum, neque item mortificatum: eſt enim hæc opus Chriſti qui ſemper viuit, & perfectiſſime nobilita ſuas actiones: ergo licet ſupponamus culpam mortalem dari in penitente qui adimplet ſatisfactionem ſacramentalem, hæc ſatisfactio conſequetur ſuum effectum ſtatim vbi fuerit executioni demandata.

Obiectio.

Obiiciunt authores contrarię ſententiæ, condonationem pœnæ debitę peccatis eſſe ſecundarium effectum ſacramenti, penitentiæ & conſequenter ſupponere gratiam productam à ſacramento, exiſtentem in eo qui ſatisfactionem huiuſmodi ſacramentalem adimplet.

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem: ſatis enim eſt ad hoc vt pœna debita tollatur, quod gratia ſacramentalis penitentię ſit, vel certe fuerit: tantum enim neceſſe eſt, vt peccata pro quibus adimpletur ſatisfactio ſacramẽtalis, fuerint vere remiſſa, vel per contritionem ſolam, vel per attritionem cum ſacramento penitentiæ.

Replica.

Dices, ex iſtis poſſe colligi ſatisfactionem ſacramentalem ordinatam à penitente in malum aliquem finem, futuram validam, illo eodem modo, quo fatentur aliqui confeſſionem ordinatam in leuem & vanam gloriam, non impedire ſacramenti penitentię effectum, reſpectu abſolutionis culpæ.

Diſſoluitur.

Reſpondeo, negando illationem antecedentis: ſatisfactio quippe etiam ſacramentalis indicitur homini penitenti ſub ea ratione, qua hæc eſt aliquis actus humanus bonus, & honeſtus ex ſuo obiecto; ità vt debeat eſſe neceſſario meritoria, vel de congruo, vel de condigno; fieri autem nequit vt ſatisfactio ordinata in malum aliquem finem ſit meritoria, vel de condigno, vel de congruo alicuius præmij, ſed potius cum habeat rationem

alicuius culpæ, quam conſequitur ex prauo, & deordinato aliquo fine, vendicat ſibi pœnam aliquam, cum omni peccato pœna aliqua conſtituta ſit, vt conuenit inter omnes: quare ſatisfactio iſta ſacramentalis relata à penitente in malum aliquem finem, carebit ſuo effectu, id eſt, ea condonatione pœnæ quæ ei debebatur ex dignitate operis operati, ſeu, quod idem eſt, ex opere operato. In hac ſententia ſunt Marſil. in quartum, quæſt. 11. art. 3. Ioan. Medina, codice de Confeſſione, quæſtione, de penitentia iniuncta extra gratiam adimpleta, Scotus, in quartum, diſtinct. 15. quæſt. 1. Nauarrus, ad caput primum de penitentia, diſt. 6. & aliqui Recentiores.

Mouetur quæſtio. ROGABIS, *An ſatisfactio ſacramentalis indicta à ſacerdote tollat omnem omnino pœnam temporalem peccatis penitentis debitam.*

Diſſoluitur. RESPONDEO *affirmatiue, ſi tamen hæc ſatisfactio fuerit perfectiſſime à parte rei pœnis debitis peccatis æqualis.* Probatur primo, quia qui de facto in ſeipſo experitur omnem pœnam peccatis commiſſis debitam, hic perfectiſſime pro pœnis peccatis debitis ſatisfacit: at ſupponimus ſacerdotem indixiſſe ſatisfactionem perfectiſſime æqualem, & penitentem eamdem adimpleuiſſe: ergo pro illis plene ſatisfecit media illa penitentia.

Nullus certo ſit quanta debeatur pœna peccatis. Moneo tamen, neminem certo ſcire poſſe quanta debeatur pœna peccatis commiſſis: hæc namque & iure humano indicta eſt, & præterea ſola voluntate diuina, de qua citra ſpecialem reuelationem nullus eſt qui poſſit eſſe certus: indubitatum autem eſt Deum non reuelaſſe hactenus quanta conſtituta ſit ab ipſo pœna peccatis huius vel illius penitentis.

Dices, ex iſtis manifeſte colligi, ſacerdotem non eſſe iudicem æquum, aut iuſtum, reſpectu cauſæ penitentis, cum non poſſit ſatisfactionem iuſtam, ſimpliciter, & adæquate præſcribere penitenti.

Solutio. Reſpondeo, ſatisfactionem ſacramentalem reſpicere, & emendationem penitentis, & vindictam culparum eiuſdem, & remotionem ſcandali quod induxit peccando penitens, & denique condonationem pœnæ debitæ in altera vita: reſpectu huius vltimi nequit ſacerdos eſſe arbiter iuſtus, & æquus ſimpliciter, cum ignoret quæ, & quanta ſit pœna quæ debetur huic penitenti, quare nequit, de eadem iuſte arbitrari: reſpectu vero ceterorum cenſetur eſſe iudex æquiſſimus; poteſt namque ſcire quanta ſit pœna indicta à iure peccatis penitentis, & item quanta eiſdem debeatur iudicio, & exiſtimatione viri prudentis, ad hoc vt & vindicentur facinora in ipſomet penitente, & vt ſcandalum quod poſuit offendendo ſufficienter emendet.

QVÆSTIO SECVNDA GENERALIS.

De Satisfactione ex opere operantis.

HÆc quæſtio ſequentibus Dubitationibus explicabitur.

DVBITATIO PRIMA.

An poſſit aliquis de condigno ſatisfacere pro pœnis peccatis propriis debitis.

Notabile. ADVERTE, Dubitationem iſtam intelligi de peccatis remiſſis; repugnat enim pœnam peccato debitam remitti, quamdiu culpa non eſt condonata: quemadmodum enim laus eſt proprietas conſequens naturam, & eſſentiam boni operis, ità pœna conſequitur culpam; adeo vt quemadmodum opus bonum trahit neceſſario ſecum laudem, ità & culpa pœnam, vt communiter docetur in tractatione de ſatisfactione, vel in materia de merito.

Nouatorum hæreſis. Hæretici noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant neminem poſſe ſatisfacere pro pœnis peccatis debitis, idque quod Chriſtus cumulatiſſime pro iſtis omnibus Deo obtulerit ſatisfactionem.

Damnata. Ceterum impietas iſta damnatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. & nos de hac eadem re egimus vbi de ſatisfactione pro peccato veniali ad quæſtionem 87. huius partis D. Thom. diſputatum eſt.

Aliquorum ſententia. Catholici vero diſtracti ſunt in varias ſententias; alij enim putarunt hominem in hac vita conſtitutum poſſe ſatisfacere pro pœnis peccatis propriis debitis per actiones ex gratia factas, idque de condigno, ea tamen lege, quod Deus acceptet actiones iſtas honeſtas in ſatisfactionem pro pœnis debitis peccatis.

Refellitur. Ceterum opinio iſta ſi velit rationem ſatisfactionis refundendam eſſe in ſolam acceptationem diuinam, nullo modo poteſt defendi, cum deſtruat rationem condignæ ſatisfactionis: hæc enim condignitas ab ipſiſmet operibus ſatisfactoriis eſt deſumenda neque enim pretium aliquod ideo cenſetur eſſe iuſtum, & condignum mercibus venditis quod acceptetur à venditore, ſed multo magis, quod huiuſmodi pretium in ſe æquiualeat mercibus venditis à mercatore: ergo illud idem erit dicendum de operibus ſatisfactoriis.

Non eſt tamen negandum quin acceptatio diuina ſit neceſſaria ad rationem operis ſatisfactorij; nam ſecluſa huiuſmodi acceptatione nulla operatio, etiam ex gratia facta, ab homine conſtituto in hac vita, poſſet neceſſitare Deum, ad acceptandam ſatisfactionem pro pœnis debitis peccatis, cum ſit quàm maxime liber in ſuis omnibus actionibus ad extra.

Alij

Digitized by Google

2. Aliorum sententia. Alij vero putarunt hominem iuſtum conſtitutum in hac vita poſſe ſatisfacere de condigno, pro pœnis debitis proprijs peccatis; ſi tamen pœnæ iſtius vitę fuerint eiuſdem ordinis, & rationis cum pœnis temporalibus, quę debentur nobis in altera vita, ſecùs vero minime.

Improbatur Sed neque iſti videntur acceſſiſſe ad veritatem, cõdignitas ſiquidẽ operis ſatisfactorij non eſt metienda ex eo quod pœnę temporales debitę nobis in altera vita, ſint eiuſdem rationis cum pœnis quas experimur in hac vita mortali; nam conuenit inter omnes condignam pœnam culpis mortalibus eſſe pœnam inferni, & tamen hęc pœna eſt diuerſę rationis à quibuſuis peccatis mortalibus commiſſis. Deinde, vita æterna eſt præmium condignum opetum meritoriorum, nihilominus vita æterna eſt diuerſę rationis, & altioris ordinis, quam ſint opera meritoria à nobis in hac vita facta, vt eſt per ſe notum: ergo. Tertio, condignitas operis ſatisfactorij per modum meriti, ſumitur per comparationem ſeminis ad fructum; ità vt quemadmodum ſemen virtute continet non autem formaliter fructum: ità opus ſatisfactorium virtute continet remiſſionem pœnę peccatis debitę, non tamen ſine promiſſione, vel acceptatione diuina, ità vt ex dignitate quæ datur à parte rei in opere ſatisfactorio, & ex promiſſione diuina, & acceptatione, conſurgat tota ratio condignitatis operis ſatisfactorij.

Iuſtus poteſt ſatisfacere pro pœnis temporalibus. Trident. Dan. 4. Tob. 12. 2. Paralip. 33. 1. Cor. 11.

CONCLVSIO 1. *Iuſtus poteſt ſatisfacere pro pœnis temporalibus debitis proprijs peccatis:* hæc eſt eſt de fide, definita expreſſe in Trident. can. 13. ſeſſ. 14. Deinde, Daniel 4. dicitur Regi à Daniele, *Redime peccata tua eleemoſynis:* & Tobię 12. *Eleemoſyna liberat à morte & facit inuenire miſericordiã & vitam æternam;* & Manaſſes 2. Paralip. cap. 33. ob pœnitentiam præſtitam, captiuitatem, & mala quę in ea patiebatur declinat: & Achab. 3. Reg. cap. 21. ſimiliter ſupplicium vitat, ſaltem ad tempus propter opera penitentię executioni mandata: & 1. Corinth. 11. *Si nos dijudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur:* dijudicare, hoc loco idem eſt, ac de peccatis dolere, & flere, vt explicat Chryſoſt. homilia 42. in iſtam Epiſtolam Pauli.

Origenes. Denique, ità docent Patres, Origines homil. 6. in Exodũ. *Si quis fortè eiuſmodi pecuniam à Diabolo deceptus accepit, non vſquequaque deſperet; miſericors enim eſt, & miſerator Dominus & creaturæ ſuæ non vult mortem, ſed vt conuertatur, & viuat, penitendo, flendo, ſatisfaciendo, doleat quod admiſſum eſt.*

D. Auguſt. & D. Aug. in Pſal. 44. *Differt manum à peccatis tuis, tu noli differre conuertere ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe non poſſunt: puniendum ergo erit, aut à te, aut ab ipſo; tu agnoſce, vt ille ignoſcat:* Ambr. Hieronymus, & alij innumeri apud Coccium lib. 7. tomo 2. art. 4.

Operibus in gratia factis condigne ſatisfit pœnis debitis. 1. Trident.

CONCLVSIO 2. *Opera facta ab homine conſtituto in gratia liberè, & in hac vita, ſunt de condigno ſatisfactoria pro pœnis temporalibus peccatis proprijs peccatis debitis:* quia in Trident. can. proxime citato, abſolute, & ſimpliciter dicitur, hominem poſſe ſatisfacere pro peccatis commiſſis, at loquitur Concilium de condignitate operis ſatisfactorij: nam quod de congruo poſſit iuſtus ſatisfacere pro pœnis temporalibus debitis peccatis nullus eſt qui dubitet.

2. Deinde, datur perfecta condignitas inter beatitudinem & actiones factas ab homine conſtituto in hac vita ex gratia: ergo dabitur etiam condignitas inter ſatisfactionem noſtram, & pœnam temporalem debitam peccatis noſtris.

3. Tertiò, gratia gratum faciens, libertas, ſtatus vię, opus honeſtum, & promiſſio diuina de acceptandis operibus honeſtis pro pœnis temporalibus, ſunt res ſimpliciter neceſſarię ad condignam ſatisfactionem: at hæc omnia dari poſſunt in homine iuſto pro eo tempore quo agit in hac vita mortali.

DVBITATIO SECVNDA.

An poſſit aliquis ſatisfacere pro pœnis temporalibus debitis peccatis proprijs tolerando omnem omnino pœnam temporalem peccatis debitam.

Quæ ſunda ſententia. SVNT qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam, etiamſi careat hic gratia gratum faciente, qui ex hypotheſi ſuſtinet iſtas pœnas. Primo, quia animę exiſtentes in purgatorio non aliter ſatisfaciunt, quam quia illic de facto experiuntur omnem pœnam temporalem debitam peccatis commiſſis in hac vita.

Deinde, reus cenſetur plene ſatisfacere pro culpa, quotieſcumque ſuſtinet in proprio corpore omnem omnino pœnam debitam indictam à lege & ſibi à judice conſtitutam; ergo idem dici debet de pœna debita peccatis.

Satis patiẽdo, non ſatisfacit pœnis. CONCLVSIO. *Fieri nequit, vt aliquis ſatisfaciat pro pœnis temporalibus debitis peccatis ſuis, ſuſtinendo in ſe huiuſmodi pœnas; ſeu, quod idem eſt, fit pœnis ſatis patiendo.* Primò, quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ait; *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, confortes efficimur, certiſſimam inde arrham habentes, quòd ſi compatimur & conglorificabimur.* & rurſus. *Neque verò ità noſtra eſt ſatisfactio, vt non ſit per Chriſtum Ieſum, ſed eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, facientes fructus dignos pœnitentiæ:* At hæc dici non poſſunt de ſatispaſſione: nam ſatispaſſio non dicit neceſſario actum liberum, neque item elicitum, aut imperatum à charitate, quod tamen conuenit ſatisfactioni, qua quis ſatisfacit pro pœnis debitis peccatis proprijs.

2. Deinde, ſi media ſatispaſſione poſſet aliquis ſatisfacere pro pœnis temporalibus debitis peccatis, ſequeretur ſtultum, & amentem tempore amentię poſſe ſatisfacere pro peccatis: nihil enim repugnat quominùs Deus exigat ab iſto amente totam pœnam temporalem debitam peccatis illius; imo concedendum eſſet de damnatis quod de facto ſatisfacerent apud inferos, ſaltem reſpectu iſtarum pœnarum quas merentur peccata ipſorum remiſſa in hac vita, hoc autem dici nullo modo poteſt: non enim datur ſatisfactio reſpectu Dei, quæ non pendeat à meritis Chriſti applicatis ſatisfacienti: merita autem Chriſti non communicantur damnatis ex veriori ſententia.

3. Tertiò, ſi iſta ſatispaſſio eſſet ſatisfactoria pro peccatis, id eſſet vel de condigno, vel de congruo: primum dici non poteſt, nam ad meritum de condigno præſupponitur gratia gratum faciens, quæ minime datur in eo qui ſatis patitur vt ſupponimus.

4. Deinde, ex doctrina multorum conſtitutus in peccato mortali meretur de condigno priuari

Digitized by Google

quolibet bono temporali, maximè verò propria vita, ratione peccati mortalis quod commisit, & in quo ex suppositione agit: ergo non meretur de condigno remissionem pœnæ temporalis, quia meritum de congruo nihil aliud est, quàm id quod impetrat à Deo præmium aliquod non debitum ex condignitate, sed ex sola gratuita liberalitate remunerantis: at ex nullo plane loco Scripturæ sacræ, Conciliorum, vel Patrum colligere possumus Deum promisisse se condonaturum pœnam temporalem debitam peccatis, posita mera satisfactione pœnę debitę in eo qui peccauit: ergo. In hac sententia sunt Palud. dist. 15. lib. 4. q. 1. art. 3. Conclusione 4. Ioannes Medina de Confessione q. 2. Ledesma 2. p. q. 13. art. 3. ad 2.

Satisfit rationibus oppositis.

Ad rationes verò contrarias respondeo. Ad 1. animam in purgatorio constitutam non satisfacere propriè, sed tantùm satis pati. Respond. 1. ex aliorum opinione, animam constitutam in purgatorio sustinendo totam pœnam temporalem debitam peccatis, verè satisfacere, quia liberè acceptat huiusmodi pœnam, & præterea est in gratia & charitate, & denique censetur esse quodammodo in via, respectu satisfactionis; nondum enim est in patria, vt est per se notum; conditiones autem istę sufficiunt ad satisfactionem propriè dictam, suppositâ diuina promissione.

Respondeo 3. ideò animas satisfacere in purgatorio, quia pro eo tempore quo fuerunt vnitæ corpori in hac vita constituto, meruerunt vt post separationem à corpore vere satisfacerent pro pœnis peccatis debitis, illo eodem modo, quo fatentur communiter Theologi apertionem lateris Christi fuisse meritoriam respectu institutionum sacramentorum nouæ legis; hæc autem non est præcisè meritoria pro eo tempore in quo fuit facta à Iudæis, cùm apertum fuerit latus post mortem: dicitur ergo meritoria in ordine ad illud instans temporis, in quo Christus in hac vita constitutus liberè acceptauit apertionem sui lateris faciendam post obitum.

Ad 2.

Ad 2. Respond. non esse parem rationem inter eum qui satisfacit reipublicæ propter delictum aliquod commissum, & eum qui satisfacit Deo pro pœnis peccatis debitis; hic enim debet esse amicus Dei, quod non contingit sine gratia gratum faciente, & quidem medio actu libero, ac honesto: qui verò satisfacit reipublicæ satis est si malum quod intulit reipublicæ resarciat adæquate. Moneo tamen rationem istam probare tantùm reum satis pati, quando sustinet omnem pœnã peccato debitam, non autem proprie satisfacere.

Quæstio monetur.

Rogabis, quid sentiendum sit de actionibus honestis factis in statu peccati mortalis, quæ relinquunt in nobis mortificationem aliquam, vel etiam habitudines, quibus inclinamur ad bonum, an actiones istæ sint satisfactorię pro pœnis, saltem quando posteà contingit hominem, qui eas accepit, agere in gratia, & charitate.

Et resolvitur.

Respondeo, *Actiones has nulla ratione esse satisfactorias, etiam post acceptam gratiam iustificantem.* Primò, quia mortificatio, & habitudines relictæ ex operationibus istis non sunt, nec esse possunt actus humani: at nihil est quod possit habere rationem satisfactionis nisi fuerit actus humanus, & honestus. Deinde, opera mortua nequeunt viuificari, sed tantum mortificata. Tertiò, gratia est simpliciter necessaria ad satisfaciendum Deo: ità authores suprà citati.

DVBITATIO TERTIA.

An iustus satisfacere queat, nedum actibus pœnalibus in hac vita factis, & honestis, sed etiam medio quolibet bono opere.

Conclvsio 1. *Actiones pœnales factæ ab homine constituto in gratia, & in hac vita liberè, sunt satisfactoria pro pœnis debitis peccatis.* Primò, quia ità definitum fuit in Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. & canone 31. dicitur enim illic hominem satisfacere per flagella à Deo sibi transmissa. *Actiones pœnales factæ in gratia satisfaciunt.*

Dices, hæc pugnare cum his quæ diximus Dubitatione proxime antecedente, vbi docuimus satispassionem non consequi rationem satisfactionis. Respond. flagella à Deo immissa spectari duobus modis; vel vt sunt nuda flagella, vel vt patienter sustinentur à nobis, ex affectu alicuius virtutis: priori modo nullus est qui satisfaciat per ista flagella, bene tamen posteriori; atque ità explicandus est locus Concilij. *Obiectio.* *Solutio.*

Deinde, est axioma communissimum ieiunium, orationem, & eleemosynam esse opera satisfactoria.

Tertiò, satisfactio postulat vindictam peccati in eo qui peccauit, ex Concil. Trident. sæpius allegato; at opera pœnalia vltiscuntur peccata in nobis.

Denique, Christus sua morte satisfecit pro culpis; & peccatis quorumcumque mortalium; at inter opera pœnalia computatur mors, maxime violenta: igitur per illam poterit quis pro pœnis debitis satisfacere.

Conclvsio 2. *Nedum actiones pœnales, sed etiam omnes aliæ honestæ, ab homine iusto factæ in hac vita liberè, sunt satisfactoria pro pœnis debitis propriis peccatis.* Primò, quia quodlibet bonum opus factum ab homine iusto in hac vita libere, est meritorium de condigno vitæ æternæ, ex cap. 10. & 16. & can. 32. sess. 6. Trident. ergo sunt etiam satisfactorię pro pœnis temporalibus: nam quo magis aliquis meretur vitam æternam; eò quoque magis removet impedimenta quibus arcetur aliquis à consecutione vitæ æternę: at inter hæc impedimenta sunt pœnę temporales peccatis debitę. *Actiones honestæ hominis iusti satisfactoriæ.*

Deinde, est axioma apud multos Theologos vulgare, omne opus honestum hominis iusti esse & meritorium, & satisfactorium, & quidem ità, vt ratio meriti non minuat rationem satisfactionis, neque contrà satisfactio aliquid detrahat de ratione meriti: ergo. Moneo tamen hoc interesse inter meritum & satisfactionem, quod ratio meriti repetenda sit maxime ex gratia, non tamen sola satisfactio, vt sic, est etiam meritoria: ratio vero satisfactionis repetenda est à pœnalitate, non quidem totaliter, & adæquate; sed inadęquate: petitur siquidem hæc etiam à gratia gratum faciente. 2.

Ex istis colliges, per opera bona aliàs debita hominem iustum satisfacere pro pœnis temporalibus debitis suis peccatis, idque de condigno: nam diximus omne opus bonum hominis iusti esse, & meritorium, & satisfactorium: ergo. *Corollariũ.*

Deinde, qui tenetur ad ieiunium omni plane die Veneris ex voto, satisfacit suę obligationi, etiamsi teneatur præcepto Ecclesiæ illis

iisdem

iisdem diebus ieiunare: ergo per opera aliàs debita satisfaciet iustus pro pœnis temporalibus, quas ob peccata facta promerebatur.

Obiectio.

Dices, vnica solutione non posse fieri satis duobus debitis.

Solutio.

Respondeo, hoc esse verum, si sermo sit de debitis pecuniariis, & aliis similibus realibus; secus tamen contingit in debitis legalibus: huius generis est debitum satisfaciendi pro pœnis temporalibus debitis peccatis.

DVBITATIO VLTIMA.

An possit homo iustus pro alio satisfacere de condigno, respectu pœnæ temporalis debitæ peccatis illius.

Non potest quis pro alio satisfacere de condigno.

CONCLVSIO *Negatiua*, etenim mereri de condigno alteri, videtur pertinere ad dignitatem capitis, quæ soli Christo competit.

A Deinde, qui de facto peccauit, licet surrexit ab huiusmodi peccato, est tamen à parte rei dignus aliqua pœna temporali; vnde dignitas ista nequit ab eodem remoueri, nisi intercedente aliqua propria actione: ergo nullus poterit satisfacere de condigno pro pœnis peccatis aliorum debitis.

CONCLVSIO 2. *Iustus pro alio satisfacere potest de congruo tantum*, id est impetrando condonationem pœnarum proximo siue viuenti, siue mortuo: nam dicitur cap. 12. Machab. 2. *Sancta, & salubris est cogitatio exorare pro defunctis, vt a peccatis soluantur*, & Tob. 4. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam mortui constitue*: quod idem est ac si diceret; eleemosynas in gratiam mortuorum facias, ad hoc vt liberentur isti à pœnis debitis suis peccatis: igitur poterit quisque iustus satisfacere pro aliorum peccatis. Ità communiter Doctores. Hactenus de sacramento pœnitentiæ.

Potest de congruo iustus satisfacere per alio. 2. Mat. 12. Tob. 4.

Digitized by Google

annum Domini 1517. ab hoc enim errore ſuam A
hæreſim diſſeminare cæpit, vt teſtatur idem Prateolus in verbo, *Luther*. Coclæus in actis Lutheri, Roffenſis loco ſupra citato.

Oxomenſ. Peccauit in hac eadem re Petrus Oxomenſis tempore Sixti IV. Pontif. Max. vt conſtat ex Concilio quodam Complutenſi in quo iſtius errores damnantur. Antequàm autem vlterius aliquid de hac re dicatur

Indulgentiæ nomẽ bifariam ſumitur.

Aduertendum Indulgentiæ vocabulum, vti & verbum, indulgeo, interdum in malam partem apud bonos & probatos authores vſurpari: ſignificat enim nimiam quamdam licẽtiam & facilem

In malam partem.

permiſſionem impune agẽdi contra ius: ità ſumitur apud M. Tullium li. 1. de legibus. *Epicurei*, in- B quit, *ſibi indulgentes & corpori deſeruientes, atque omnia quæ ſequantur in vita, quæque fugiant voluptatibus, & doloribus ponderantes*, &c. *iſtos vt ab omni ſocietate Reip. paulliſper faceſſant rogemus.* & de Amicitia. *Sed obſequium multo moleſtius quod peccatis indulgens*, hoc eſt conſentiens, *præcipitem amicum ferri ſinit*. ibidem. *Spernere veteres amicitias, & indulgere nouis*, & Quintilianus lib. 1. Oratoriarum Inſtitutionum, cap. 3. *Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus, infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis, & corporis frangit.*

Horatius. Et Horatius lib. 1. carm. Ode 2. C

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Vnde & vulgari prouerbio dicitur, *indulgere genio, indulgere Baccho, indulgere gulæ, indulgere ventri*, &c. imopropter hanc cauſam illos parentes dicimus erga liberos indulgentes, qui nimis blande, nimiſque facile agunt cum ſuis filiis, maxime cum in illis turpes & inhoneſtas aliquas actiones emendare & corripere deberent: atque hæc nominis indulgentiæ ſignificatio fecit, vt minus bene audiant apud Laurentium Vallam libro 4. Elegantiarum Scholaſtici Doctores, quod no- D
men, *Indulgentia*, retinuerint ad denotandas remiſſiones pœnarum authoritate Pontificia factas.

Indulgentia In bonam partem.

In bonam vero partem vſum huius nominis *Indulgentia*, & verbi *Indulgere*, cernere licet apud M. Tullium in Oratore: *Conſuetudini auribus indulgenti, libenter obſequor*, & lib. 1. de Officiis: *Magnus vir*, inquit, *imprimis, & qui perindulgens in*

Virgilius. *patrem, idem ſeuerus in filium*. & Virgilius libro 2. Georgicorum.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Eurus: E
Cum primùm lucem pecudes hauſere, virúmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis:
Immiſſæque feræ ſyluis, & ſydera cælo.
Nec res hunc tenera poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret, frigúſque, calorémque
Inter, & exciperet cœlis indulgentia terras.

Quid apud ſacros authores ſignificet nomen indulgẽtia.

Denotat enim hoc loco ſympathiam, & concordiam quæ reperitur inter res iſtas ſublunares, & cæleſtes.

Apud vero ſcriptores Scholaſticos nomen *Indulgentiæ*, ſignificat remiſſionem debitam & honeſtam cuiuſlibet debiti vel pœnæ, factam ex liberalitate & miſericordia, vt videre eſt apud

Hieronym. in Danielem ad cap. 4. Auguſtinum in Pſalm. 101. Tertullianum in lib. de pudicitia, ac proinde iuxta ſignificationem iſtam Indulgentia generatim ſumpta dici ſolet quælibet gratia, ſeu liberalis conceſſio, vel debiti remiſſio, aut etiam iuſta legis diſpenſatio, imo aliquando ius quod benignam aliquam conceſſionem, ſeu moderationem continet, indulgentia appellatur.

Hieron. Auguſtin. Tertul. *Indulgentia liberalis cõceſſio vel remiſſio debiti.*

Ex hac ergo generali nominis indulgentiæ ſignificatione, factum eſt, vt hoc nomen vſurpatũ ſit à Theologis, & itẽ ſummis Pontificibus, ad ſignificandas condonationes vel relaxationes, & abſolutiones pœnarum debitarum peccatis noſtris, factas authoritate Pontificis, vel Epiſcopi, de licentia Pontificis Romani, extra ſacra & ſacrificia, diſpenſando theſaurum Eccleſiæ, quem dicemus conſtare ex meritis Chriſti, & ſanctorum ſuperabundantibus ſatisfactionibus.

Aduerte ſecundo, in quolibet peccato eſſe duo, quod attinet ad noſtrum inſtitutum, culpam & pœnam, quę ità inter ſe coniuncta ſunt, vt poſſit deleri culpa, remanente tamen pœna temporali exſoluenda in hac vel altera vita, vt oſtenſum eſt, ad q. 86. art. 4.

Duo in quolibet peccato culpa & pœna.

Conclvsio. *Poteſtas concedendi indulgentias eſt in Eccleſia*: hæc eſt de fide; definita enim eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 21. cuius decretum ità habet: *Cum poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate, diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit, ſacroſancta Synodus Indulgentiarum vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eóſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate, Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus vero, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, prauos quæſtus omnes pro his conſequendis, vnde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Ceteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, reuerentia, aut aliunde quomodocumque prouenerunt, cum ob multiplices locorum, & prouinciarum, apud quas ij committuntur corruptelas commodè nequeant ſpecialiter prohiberi, mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eóſque in prima Synodo Prouinciali referat: vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad ſummum Romanum Pontificem deferantur: cuius authoritate, & prudentia, quod vniuerſali Eccleſiæ expediet ſtatuatur, vt ita ſanctarum indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.* & ſeſs. 29. cap. 9. Indulgentiæ appellantur, *cæleſtes theſauri.*

Probatur 2. ex Concilio Viennenſi, & refertur in Clementina vnica, de reliquijs & veneratione Sanctorum: ex Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. Lateranenſi ſub Innocentio III. Conſtantienſi ſeſſ. 8. 15. & 19. in his enim locis conceduntur indulgentiæ.

Poteſtas concedendi indulgẽtias eſt in Eccleſia. Trident. Viennẽſe. Lugdunẽſ. Lateran.

Probatur 3. ex 16. Matthæi: *Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*, &c. & 20. Ioan. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis retẽta ſũt*: in iſtis ſiquidẽ locis datur poteſtas remittẽdi

Matth. 16. Ioan. 20.

Digitized by Google

diuinæ interpres vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi, ne triſtitia penitentiæ tædio longè dilationis abſorbeat. Ideo ergo donauit A poſtolus, nec ſolum donauit, ſed etiam confirmari in eum charitatem voluit. Qui carus eſt, non habet duritiam, ſed manſuetudinem. Nec ſolum donauit ipſe, ſed voluit etiã omnes donare, & ſe propter alios donaſſe dixit, ne multi propter vnum diutius contriſtarentur. Si cui, inquit, quid donaſtis, & ego. nam & ego propter vos in perſona Chriſti; vt non circumueniamur à Satana. Nec enim verſutias eius ignoramus. Recte poteſt ſerpentem cauere, qui eius poteſt verſutias non ignorare, quæ multę ad nocendum ſunt. Vult enim ſemper nocere, ſemper circumuenire, vt mortem inferat. Sed B debemus cauere ne remedium noſtrum fiat eius triumphus. Circumuenimur enim ab eo, ſi per nimiam triſtitiam pereat, qui poteſt liberari per indulgentiam hactenus D. Ambroſius.

Reſpondent Paulum remiſiſſe pœnas debitas Corinthio, non quidem hoc nomine, quod peccaſſet contra Deum, ſed quod iniuriam intuliſſet Eccleſię, ac proinde pœnas iſtas fuiſſe tantum indictas propter exemplum, & cauſa diſciplinæ, nam eodem modo remiſerunt ceteri Chriſtiani pœnas huiuſmodi, quo Paulus, vt conſtat ex loco proxime citato: ceteri autem Chriſtiani non poterant concedere indulgentias: ergo neque Paulus eo loco contulit. C

Refellitur tuaſio Nouatorum. Verum iſta reſponſio non poteſt defendi; quia negari nequit quin Paulus remiſerit partem pœnæ illius; quam indixerat antea. Secundo, quia non patiebatur Corinthius hic pœnas iſtas vt ſatisfaceret præciſè Eccleſiæ, ſed multo magis vt iniuriam Deo illatam per peccatum aliqua ratione compenſaret, vt manifeſte colligitur ex cap. 5. prioris 1. Cor. 5. ad Corinthios, vbi de hoc Corinthio loquitur Paulus: *Tradidi*, inquit, *hominem iſtum Satanæ, vt ſpiritus eius ſaluus fiat.* Tertio, pœnam iſtam indixit Paulus per poteſtatem ſine dubio conceſſam à Chriſto, Matthæi 16. 18. & Ioan. 20. At poteſtas hæc ſatis eſt ad quaſlibet pœnas peccatis noſtris D debitas delendas, atque remittendas: ergo huiuſdi remiſit vere.

Ad id vero quod aiunt hæretici, pœnas iſtas fuiſſe ſimiliter condonatas liberalitate ceterorum Chriſtianorum: Reſpondeo, id quidem eſſe verum, nihil tamen poſſe ex eo colligi contra noſtram ſententiam: nam quemadmodum temporibus primitiuæ Eccleſię pœnæ iſtæ publicæ multorum iudicio & authoritate indicebantur, ità quoque potuerunt remitti ex iſtorum omnium ſententia. Secundo, fuerat iniuria illata nedum Deo, ſed etiam Eccleſiæ, ac proinde cum illius ſit remittere iniuriam, qui affectus eſt eadem, potuerunt iſti Catholici pœnas iſtas vnà cum Paulo remittere Corinthio. Tertio, quia longe aliter remi- E ſerunt pœnas has alij Catholici, quàm Paulus: nam hic remiſit, vt vicarius Chriſti, & vt perſona publica Eccleſiæ: ceteri tantum vt perſonę priuatæ, vel vt membra quædam Eccleſiæ, & quidem quatenus Eccleſia fuerat tantum offenſa.

Probatio 2. concluſionis. Probatur præterea Concluſio ex Tertulliano & Cypriano, quorũ ille anno 203. hic 249. floruit ità ergo loquitur Tertullianus paulo poſt initium libri ad Martyres: *Tertull. Cyprian.* *Quam pacem*, inquit, *quidam in Eccleſia non habentes, eam à martyribus in carcere conſtitutis exorare conſueuerunt: & ideo hanc etiam in vobis & fouere & retinere debetis, vt ſi fortè & aliis præſtare poſſitis*, & in lib. de Pudicitia, paulo poſt initium, *Audio*, inquit, *edictum & quidem peremptorium eſſe propoſitum: Pontifex Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis funes dimitto: edictum cui aſcribi non poterit bonum factum: & vbi proponetur liberalitas iſta? ibidem opinor in ipſis libidinum iamuis, ſub ipſis libidinum titulis*, quo loco deridet vſum Indulgentiarum, eo quod declinaſſet ad hæreſim Montani, qui penitentiam omnem de medio, lapſis ſuſtulerat, vt conſtat ex Prateolo lib. 11. cap. 38. verbo, *Montaniſta*, vt colligitur ex verbis conſequentibus Tertulliani. *Illic*, inquit, *huiuſmodi indulgentia promulganda eſt, vbi delinquentia ipſa verſabatur. Illic legenda eſt venia, quo cum ſpe eius intrabitur. Sed hoc in Eccleſia legitur, in Eccleſia pronuntiatur, & virgo eſt? Abſit, abſit, à ſponſa Chriſti tale præconium, illa quæ vera eſt & pudica & ſancta, ac proinde carebit & aurium macula*, id eſt, nullam habitura eſt maculam: hæc autem manifeſte pugnant cum illis quæ paulo ante docuerat in libro ad martyres, conducunt tamen ad propoſitum noſtrum: improbat ſiquidem vſum indulgentiarum. Cyprianus vero epiſtola 11. ex ordina- Cyprian. tione Pameliana ità, de hac re loquitur: *Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopo ſeruent, & ad pacem vobis dandam pacatum & tranquillum tempus expectent; prior miſericorditer à Domino pacem ſumat & tunc ſecundum deſideria veſtra de filiorum pace tractetur*; & paucis interiectis; *Oro vos quibus poſſum precibus, vt & memores Euãgelij & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri martyres conceſſerint.* Recte autem obſeruauit Pamelius ad hæc loca Tertulliani & Cypriani, illic nomine pacis nihil aliud intellexiſſe, quàm admiſſionem per ſacræ Euchariſtiæ communionem ad publicos & ſolemnes Eccleſiæ conuentus ante peractam penitentiam à ſacerdote indictam, ac proinde penitentes iſtos conſecutos fuiſſe indulgentias, humanitate eorum qui præerant rebus ſacris, idque poſitis precibus martyrũ. Epiſtola item 2. lib. 4. quæ eſt ad Anthonianum commendat multis encomiorum titulis Cornelium Pontificem Maximum, quod in acceptandis publicis penitentibus ante peractam penitentiam ſuæ benevolentiæ argumenta non leuia præbuerit: maxime vero erga Trophimum, quem ait ſine penitentia ſupplice à ſacerdote accepta, non tamen ſine aliqua ſatisfactione ad communionem fuiſſe acceptatum: habet & aliqua iſtis non abſimilia epiſtola 14. & 54.

Deridet Tertullian. vſum indulgentiarum quia Montaniſta.

Ex quibus omnibus ità argumentamur: Concedere indulgentias nihil aliud eſt, quàm pœnas peccatis debitas authoritate Pontificis Romani, vel Epiſcopi, de licentia Pontificis tacita vel expreſſa, condonare; at pœnæ peccatis debitæ fuerunt condonatæ temporibus Pauli, Tertulliani, & Cypriani: ergo indulgentiæ fuerunt eo tempore in vſu.

Ex dictis conficitur efficax argumentum.

Quod autem tertio, quarto, & quinto primis ſeculis à Chriſti natiuitate vſus indulgentiarum fuerit obſeruatus, colligitur euidenter ex prima Nicæna ſynodo, canone 8. Ancyrana paulo ante Nicænam celebrata, canone 5. Laodicæna, canone 2. Baſil. cap. 84. & 88. Gregorio Nyſſeno cap. 62. & 63. in iſtis ſiquidem locis fit plena poteſtas Epiſcopis relaxandi rigorem ſacrorum canonum penitentialium, idque ad arbitrium Epiſcopi penitentiam iniungentis, ex Epitome ſacrorum diuinorumque canonum Harmenopuli, refert enim Ioannem Neſteutem, vulgo ieiunatorem nuncu-

3. 4. 5. ſeculis extitit indulgentiarũ vſus. Nicæn. Ancyran. Laodicæn. Harmenopulus. Ioannes Neſteutes ieiunator.

Digitized by Google

patum, quod ieiunium ciborúmque parcimoniam mirum in modum coleret, & quartum in Eccleſia Conſtantinopolitana Patriarcham ſanctiſſimum, arbitrio Epiſcopi penitentiam iniungentis, remiſiſſe ſoluendum & laxandum rigorem canonum penitentialium. Fauet & iſtis quod de Nectario Conſtantinopolitano Archiepiſcopo referunt Sozom. lib. 9. hiſt. Tripartitæ, c. 35. Socr. lib. 5. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticę, c. 19. & Niceph. lib. 12. c. 38. aſſerunt enim Archiepiſcopum iſtum ſuſtuliſſe penitentiã publicã & ſolemnẽ, minimo verò priuatã, qualis eſt ea quæ fit in aure ſacerdotis, imo neque ſolemnẽ omnino abrogauit, ſed eã cuique liberam reliquit, vt conſtat ex authoribus proxime citatis, qua in re magna vſus eſt indulgentia erga penitentes publicos. Cogebantur enim iſti varia & diuerſa, eaque ſatis anxia & difficilia per aliquot annos tolerare, vt conſtat ex can. 11. epiſtolæ canonicæ Gregorij Thaumaturgi: *Fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorij, vbi peccatorem ſtantem, oportet fideles ingredientes orare, vt pro ſe precentur. Auditio eſt intra portã, in loco quem νάρθηκα vocant, in ferula: vbi oportet eum qui peccauit, ſtare poſt Cathecumenos, vſq; ad Cathecumenos & illinc egredi. Audiens enim,* inquit, *ſcripturas & doctrinam, excitatur; & precatione ne dignus cenſeatur. Subiectio autẽ ſeu ſubſtractio eſt, vt intrà templi portã, ſtãs cũ Cathecumenis egrediatur. Congregatio ſeu conſiſtentia eſt, vt cum fidelibus, conſiſtat, & cum Cathecumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio ſacramentorum.* Seueritas item iſtius penitentiæ colligitur ex Nicephoro ex loco proxime citato, & ex innumeris propemodum Canonibus penitentialibus, quos referunt Gratianus ad finem ſui Decreti, Iſidorus, Iuo Carnotenſis & Burchardus in ſuis Decretis, & denique Cõpilator canonum penitentialium quibus adiunctæ ſunt notæ Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis.

Socrates. Sozom. Nicephor. *Nectarius vetitur indulgentia in penitentes.* Thaumaturg.

Reſponſio hæreticorũ.

Reſpondent hæretici, & nonnulli etiam ex Catholicis, ex omnibus illis locis ſolum colligi rigorem Canonum penitentialium fuiſſe relaxatum authoritate eorum, qui præerant rebus ſacris, temporibus primitiuæ Eccleſiæ; non tamen propterea vſum indulgentiarum fuiſſe obſeruatum: nam in iſtis locis nulla fit mentio diſpenſationis theſauri Eccleſiaſtici, nulla memoria Pontificiæ dignitatis, nullus certus vel annorum vel menſium, vel dierum de penitentijs iniunctis exprimitur numerus, nulli calculi, nullę preces, nulla altaria, nullæ baſilicæ, nullæ denique perſonę deſignantur, quæ tamen omnia obſeruantur in conceſſione indulgentiarum.

Quorumdã ſolutio.

Sunt qui aſſerant indulgentias viguiſſe temporibus primitiuæ Eccleſiæ ſub nomine tantum abſolutionis pœnarum, minime vero ſub nomine ſolutionis; & conſequenter non eſſe mirum ſi apud veteres nulla fiat commemoratio diſpenſationis theſauri Eccleſiaſtici: hæc enim ſolum conducit ad indulgentias, quatenus pœnas peccatis noſtris debitas per merita Chriſti, & Sanctorum redimimus, ſeu ex meritis Chriſti ſoluimus id ad quod tenebamur propter peccata commiſſa.

Improbatur illa ſolutio.

Verum reſponſio iſta non poteſt defendi: primum, quia indulgentia, vt ſic, dicit condonationem pœnarum coniunctam cum diſpenſatione theſauri Eccleſiaſtici, vt probabitur inferius. Secundo, quia non eſt neceſſe omnia quæ pertinent ad vſum indulgentiarum reperiri vbique locorum; expreſſio iquidem vno, facile eſt cetera omnia colligere, vt probatur ex iis, quæ habentur in Actis Apoſtolicis, cap. 8. & 19. licet enim illic dicatur tantum, quòd Apoſtoli imponerent manus ſuper baptizatos, colligimus tamen Apoſtolos confirmaſſe: item ex eo quod Lucę 24. dicatur Chriſtum accepiſſe panem & fregiſſe, colligimus eum conſecraſſe & ſacram Euchariſtiam Cleophę & alteri diſcipulo dediſſe, quod nedum faciunt Catholici, ſed etiã ipſe Caluinus, vt cõſtat ex eius Harmonia: ità etiã ex eo quod legamus temporibus primitiuæ Eccleſię pœnas peccatis debitas eſſe remiſſas authoritate Epiſcoporũ, inferimus recte vſum indulgentiarum viguiſſe illis temporibus.

Satisfit hæreticis.

Ad id vero quod dicunt hæretici nullam fieri mentionem diſpenſationis theſauri Eccleſiaſtici, & aliorum quæ nunc ſtrictiſſime obſeruantur in conceſſionibus indulgentiarum. Reſpondeo, non poſſe reperiri illis in locis hæc omnia, ſed aliqua tantum. Deinde argumẽtum ab authoritate negatiue ſumptum eſt plane nullum. Tertio, licet daremus vſum indulgentiarum minime fuiſſe apud veteres, quod negamus, non tamen propterea ſequeretur poteſtatem concedendi indulgentias non eſſe in Eccleſia, nam inficiari nequit, quin facultas diſpenſandi cum bigamo, ad hoc vt promoueatur ad ſacros Ordines, fuerit in Eccleſia Catholica ab initio, & à temporibus Apoſtolorum; & tamen ante Panormitanum nullus plane bigamus cõſecutus fuerat diſpenſationẽ vt initiaretur ſacris. Poteſtas itẽ diſpẽſandi in matrimonio rato, nõ tamẽ cõſũmato, fuit plane omni tẽpore in Eccl. Cath. ante tamẽ 300. an. incognitus fuit vſus.

6. 7. 8. & 9. ſeculis fuit indulgentiarũ vſus.

Quod etiam ſexto, ſeptimo, octauo, nono, & ſequentibus ſeculis à Chriſti natiuitate vſus indulgentiarum, fuerit in Eccleſia obſeruatus, patet ex ſtationibus quarumdam Eccleſiarũ ciuitatis Romanæ; dicitur enim quod in illis plenariæ habeantur indulgentiæ, quarũ primã inſtitutionẽ, nullus hactenus certo aſſequi potuit, imo viri & probitate vitæ inſignes, & præſtanti rerum humanarũ, diuinarumque cognitione illuſtres, docuerunt perpetuo eas à primis Eccl. Rom. Pontific. emanaſſe, vt obſeruauit Bonif. VIII. in Extrau. *Antiquorum*, de penitentiis & remiſſionib. *Antiquorum*, inquit, *habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilẽ Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe, conceſſæ ſint plenariæ indulgentiæ*, &c. Greg. Mag. an. 590. cõceſſiſſe ſeptenam, & plenariam indulgentiam, aſſerunt Altiſſiod. l. 4. de remiſſionibus, & D. Tho. in 4. d. 20. §. ad 2. q. licet forte hiſtoria ex qua id collegerunt iſti authores non extet. Neque enim veriſimile eſt, id aſſeruiſſe ſine probato aliquo authore. Onufrius item Panuuinus in li. 6. de ſtation. Eccl. ciuitatis Romanæ, qui habetur in fine vitarũ Platinæ, contendit indulgentias illas ſtationum Eccl. ciuitatis Rom. à primis Pont. Romanis emanaſſe, & à Greg. Mag. tantũ ordinatas fuiſſe & cõceſſiſſe plenariam indulgentiam in gratiam animarũ detentarũ in purgatorio: imo non deſunt qui putent hanc eamdem extare tabulis publicis obſignatã in Eccleſia S. Praxedis ciuit. Ro. Belar. l. 1. de Indulgẽtiis, c. 3. Poſt Gabr. in can. miſſæ, lect. 57. Vrb. II. cũ Cõcil. Claromontano anno 1184. indulgẽtias plenarias conceſſit in gratiam eorum qui ad bellũ ſacrum, pectore cruce Chriſti obſignato proficiſcebantur, idq; vt eam terram ex qua ſalus noſtra prodiit è manibus Turcarũ eriperent, vt conſtat ex Concil. proxime cit. Idem fecerunt Clem. III. Innoc. III. cum Concil. Lateran. Honorius III. erga ſacellum B. Virginis de Angelis, vulgo nũcupatũ, rogatu S. Franc. Mart. V. vt cõſtat ex Conc. Cõſt.

Bonif. Greg. Mag. *conceſſit indulgentias.* Onufrius. Greg. Mag. *ordinauit indulgẽtias conceſſas antea.* Vrban. 2.

Sixtus

Sixtus IV. qui creditur in hac re nimius, vt pater ex Extrauaganti, *Antiquorum*, de penitentiis & remiſſionibus canone, *Etſi Dominici gregis*, denique poſteriores omnes Pontifices, quos conceſſiſſe indulgentias fatentur Nouatores noſtri.

Eludunt hæretici pradicta.

Verum ad hęc reſpondent vſum indulgentiarum hactenus in Eccleſia Catholica obſeruatum, non eſſe vſum alicuius poteſtatis à Chriſto vere conceſſæ, ſed eſſe abuſum ex ambitione aut auaritiæ ſtudio Pontificum introductum.

Reuincuntur Nouatores.

Sed reſponſio iſta ridicula plane eſt. Primum, quia de re in Eccleſia omni tempore vſurpata nullus eſt qui citra dementiam dubitare poſſit, authore Auguſtino, epiſtola 118. ad Ianuarium: *Quæ*, inquit, *venerabilis obſeruat Eccleſia, hæc vel ab Apoſtolis ipſis vel à plenariis Conciliis, quorum ſaluberrima eſt authoritas conſtat eſſe inſtituta.* & paucis interiectis concludit, *hæc in dubium reuocare inſolentiſſima eſt inſania.*

D. Auguſt.

Deinde, idem Auguſtinus cap. 24. lib. 4. contra Donatiſtas aſſerit neminem poſſe dubitare de re omni tempore obſeruata, in Eccleſia: hoc enim eſſet præcludere viam Traditionibus, quarum authoritas non eſt minor authoritate Scripturarum. Tertio, certum eſt Eccleſiam in rebus fidei proponendis, & in bonis moribus præſcribendis errare non poſſe, cum regatur à Spiritu ſancto, omnis erroris experte, Ioannis 14. & 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* & Matthæi vltimo; *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi:* At Eccleſia hactenus oppugnatores indulgentiarum tanquam hæreticos damnauit ex Viennenſi Concilio, vt refertur in Clementina vnica, de reliquiis & veneratione ſanctorum, ex Concilio Conſtantienſi, ſeſſione 8. 15. & 19. & denique Tridentino, ſeſſione 21. capite 9. & 25. cap. de Indulgentiis, quo loco feriuntur anathemate, qui aiunt aut indulgentias eſſe inutiles, aut poteſtatem eaſdem concedendi non extare in Eccleſia Catholica. Demum veritatem indulgentiarum comprobauit Deus, ſententia quorumdam, actione quadam miraculoſa: retulerunt enim victoriam illam illuſtrem & nuſquam hactenus viſam ſimilem vel auditam illis in partibus, quam Chriſtiani de Turcis non longe à Corinthiaco ſinu, anno 1571. & die ſeptima Octobris reportarunt, aſcribendam eſſe non tam fortitudini, aut conſtantiæ militum exercitus Chriſtiani, quàm diuinæ bonitati, & dignitati indulgentiæ eo tempore à Pio V. Pontifice Maximo conceſſę.

Ioan. 14. & 15.

Matth. 28.

Diſſoluũtur argumenta in principio facta ab hæreticis.

Ad rationes autem contrarias reſpondeo. Ad primam, primo peccare contra regulas Logicorum, qui aiunt argumentum ab authoritate negatiue ſumptum eſſe nullum. Secundo, negari non poſſe quin Patres veteres meminerint indulgentiarum, ſi non ità expreſſe quemadmodum Recentiores authores, in communi ſaltem, & in genere, ſub nomine ſcilicet abſolutionis, condonationis, & remiſſionis pœnarum debitarum peccatis.

Deinde, meminerunt eorumdem quandocumque docuerunt poteſtatem abſolutam remittendi peccata eſſe penes Eccleſiam Catholicam, neque enim peccata tantummodo remittuntur in ordine ad culpam, ſed etiam in ordine ad pœnam, & quidem extra vſum ſacramentorum & ſacrificiorum, cum poſita remiſſione culpæ per ſacramenta, remaneat aliqua pœna temporalis exoluenda in hac vel in altera vita: hæc vero recte tolli poteſt per indulgentias: Ratio autę cur Patres veteres non ità expreſſam fecerint mentionem indulgentiarum, hæc redditur ab omnibus, quod nulli extarent oppugnatores indulgentiarum: quod Chriſtiani mirum in modum eſſent addicti penitentiis ſuſtinendis. Refert enim Euſeb. lib. 6. hiſtorię Eccleſ. cap. 32. Serapionem frequenter, & importune nimis conuenille Epiſcopum, quatenus admitteretur ad penitentiam publicam ſuſtinendam, quod vix ab eo obtinere potuit: remiſſo ergo feruore iſto penitentiæ cœpit frequentior vſus indulgentiarum in gratiam penitentium.

Cur patres expreſſe non meminerint vocabul. indulgent.

Euſeb.

Ad ſecundam, reſpondeo primum, conceſſas eſſe innumeras propemodum indulgentias, in quibus nullæ percipiuntur largitiones eleemoſynarum. Secundo reſpondeo, largitiones eleemoſynarum non improbari à Pontificibus Romanis, ad hoc vt earum ope pœnæ peccatis debitę redimantur, ſed tantum, vt detur aliqua cauſa iuſta, qua moueatur Pontifex ad concedendas indulgentias.

2.

Scripturæ teſtimonia non vrgent.

Teſtimonia vero Scripturę ſacræ, quæ ab aduerſariis obiiciuntur, minime contra noſtram ſententiam militant: nam primum prohibet venditionem & emptionem donorum Spiritus ſancti, diſſeritur ſiquidem eo in loco de emptione Spiritus ſancti, quam voluit Simon magus facere proſpecto deſcenſu Spiritus ſancti in quoſcumque Confirmatos. Reſpondet autem Diuus Petrus illi: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri:* quando autem indulgentiæ conceduntur, nullus contractus venditionis, aut emptionis donorum Spiritus ſancti exercetur, ſed liberaliſſime Pontifex Maximus theſaurum Eccleſiæ quibuſuis Catholicis diſpenſat. Teſtimonium item ſecundum agit de falſis Prophetis, quos ait Diuus Petrus euulgaturos dogmata quædam contra fidem Chriſtianam, idque propter cupiditatem auri & argenti.

Actor. 8.

Solutio 3. fundamẽti.

Ad tertiam, & vltimam reſpondeo: in peccato eſſe duo, maculam & pœnam, de illa eſt intelligendus Auguſt. & item ceteri Patres, quandocumque aiunt peccatum in inſtanti deleri, minime vero loquuntur de pœna temporali, vt conſtat ex dictis; nam pœna temporalis non ſemper tollitur in inſtanti, ſed cum tempore, vt in tractatione de ſatisfactione dicitur.

DVBITATIO TERTIA.

An conceſſio Indulgentiarum ſit actus iuriſdictionis, an Ordinis.

Duplex poteſtas, ord. & iuriſd.

VT hæc Dubitatio intelligatur, Aduerte aliam eſſe poteſtatem ordinis, & aliam iuriſdictionis: illa datur in conſecratione ſacerdotis; hęc vero quandocumque quis deſignatur paſtor alicuius Eccleſiæ: illa reſpicit corpus Chriſti verum; hæc vero corpus eiuſdem myſticum: illa eſt in omnibus ſacerdotibus æqualis; hæc vero inæqualis: imo dantur plerique ſacerdotes, qui carent omni iuriſdictione: eſt autem hæc pleniſſima in Pontifice Romano, minus vero plena in Epiſcopis, & quaſi minima in Curatis, vt conſtat ex canone, *Cum ex eo*, de penitentiis & remiſſionibus apud Gregorium. Tres ſunt hac de re ſententiæ. Prima, eorum qui putant conceſſionem indulgentiarum eſſe actum poteſtatis Ordinis.

Digitized by Google

Quorundã opinio & fundamenta.

Probant primum, quia cuiuſlibet ſacerdotis eſt concedere indulgentias, & quidem ità vt nullus alius à ſacerdote concedere poſſit; poteſtas quippe concedendi indulgentias colligitur ex cap. 16. Matthæi; *Quodcumque ligaueris ſuper terram*, &c. & 18 *Quæcumque ligaueritis*, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. at poteſtas quæ continetur iſtis in locis datur omnibus & ſolis ſacerdotibus in eorum ordinatione.

Matth. 16. & 18. Ioan. 20.

Deinde, pœna indicta à ſacerdote in foro conſcientiæ poteſt tantum remoueri per ſacerdotem; ſententia ſiquidem prolata ſemel à iudice, poteſt tantum irritari, vel per ſuperiorem, vel per æqualem iudicem: ergo cum nullus ſit ſuperior ſacerdote, in ordine ad ſententiam quam protulit in foro conſcientiæ, neceſſario ſolius ſacerdotis erit tollere iſtas pœnas.

Confirmatur: in foro conſcientiæ culpa poteſt tantùm tolli per ſolos ſacerdotes, ergo & pœna; præſupponit namque remiſſio pœnæ remiſſionem culpæ: in hac ſententia videtur eſſe Oſtienſis ad caput, *accedentibus*, de exceſſibus prælatorum: meminit autem huius Durandus in 4. diſtinct. 20. quæſt. 3. & 5. Corduba, quæſtione 1. de indulgentiis, pagina 21. ex editione VVolfangi.

Oſtienſis. Durand. Corduba.

2. Aliorum opinio.

Secunda ſententia eſt, eorum qui putant conceſſionem indulgentiarum nec eſſe actum poteſtatis ordinis, nec iuriſdictionis, ſed ſpecialis alicuius ſolicitudinis, & prouidentiæ paſtoralis. In hac ſententia videtur eſſe aperte Durandus loco proxime citato: ait enim propterea Pontifices in concedendo indulgentias apponere particulas iſtas in bullis indulgentiarum, *Plenariam concedimus indulgentiam confiſi de miſericordia Dei.*

Durand.

Probat autem quod ſit actus prouidentiæ paſtoralis: Eiuſdem, inquit, poteſtatis eſt diſpenſare bona communia alicuius reipublicæ, & curare ægrotos; at curatio ægrotorum eſt actus prouidentiæ paſtoralis.

Quod vero conceſſio indulgentiarum non ſit actus iuriſdictionis, probatur primo, quia ſi ità res haberet ſequeretur poſſe cogi aliquem ad acceptandas indulgentias: at impoſſibile eſt aliquem cogi ad eas acceptandas, cum nullus ſit, qui poſſit fructum earum experiri, niſi libere exerceat actum à Pontifice imperatum, vt probabitur inferius.

Deinde, nullus eſſet qui poſſet conſequi indulgentias, ſi eaſdem promulgaſſet: nemo enim in ſeipſum iuriſdictionem habet. Tertio, indulgentiæ conceduntur animabus defunctorum; at iſtæ non ſubiiciuntur clauibus Eccleſiæ.

3. Aliorum opinio.

Poſtrema ſententia eſt eorum, qui putant conceſſionem indulgentiarum eſſe actum iuriſdictionis: ità D. Thomas in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 2. Sotus, diſtinct. 24. quæſt. 1. art. 4. Panormitanus, Sylueſter verbo, *Indulgentia*, numero 13. Suar. diſp. 69. tomo 4. ad tertiam partem & alij multi.

Conceſſio indulgentiarum non eſt actus ordinis.

Conclvsio 1. *Largitio indulgentiarum non eſt actus poteſtatis ordinis.* Primum, quia poteſtas Ordinis reſpicit corpus Chriſti verum; at conceſſio indulgentiarum reſpicit corpus Chriſti myſticum. Secundo Epiſcopi & Cardinales nondum in ſacris conſtituti concedunt vt plurimum indulgentias, maxime in dedicationibus Eccleſiarum eorumdem. Tertio, poteſtas Ordinis eſt æqualis in omnibus ſacerdotibus, poteſtas vero concedendi indulgentias minime, ex capite, *Cum ex eo*, de penitentiis & remiſſionibus, apud Gregorium. Quarto, ex vi poteſtatis Ordinis præciſe ſpectatę nullus eſt qui habeat ſubditos; at ſubditi abſolute ſunt neceſſarij ad hoc vt aliquis concedere poſſit indulgentias, ex cap. *Quod autem*, de penitentiis & remiſſionibus: ergo conceſſio indulgentiarum non eſt actus poteſtatis ordinis.

Largitio indulgentiarum nullum ordinem præſupponit.

Conclvsio 2. *Concluſio indulgentiarum nedum non eſt actus poteſtatis Ordinis, ſed neque vllum prorſus Ordinem præſupponit:* Probatur primo: Poteſtas ordinis eſt tantum neceſſaria vel ad conficiendum Chriſti corpus, vel ad abſoluendum in foro conſcientię, vel ad cetera ſacramenta ex officio adminiſtranda: at inter hæc non computatur conceſſio indulgentiarum. Secundo, tria tantum ſunt abſolute neceſſaria, ad largitionem indulgentiarum, 1. ſubditi. 2. cauſa iuſta & legitima, quæ moueat concedentem. 3. poteſtas diſpenſandi bona communia Eccleſiæ: at hæc concurrere poſſunt ſecluſo omni prorſus ordine: igitur conceſſio indulgentiarum non præſupponit Ordinem.

Indulgentias concedere non eſt actus prouidentiæ paſtoralis.

Conclvsio 3. *Conceſſio indulgentiarum non eſt actus miſericordiæ præciſe, & prouidentiæ ſpecialis paſtoralis, vt vult Durandus.* Primo, quia conceſſio indulgentiarum eſt actus poteſtatis cuiuſdam Eccleſiaſticæ ſpiritualis, vt fatetur ipſemet Durandus: at poteſtas omnis Eccleſiaſtica ſpiritualis, vel eſt ordinis, vel iuriſdictionis.

Deinde, actus virtutis miſericordiæ eſt in poteſtate cuiuſlibet noſtrum, ità vt penes vnumquemque ſit quando & vbi velit exercere actum miſericordiæ; at conceſſio indulgentiarum non eſt in poteſtate libera Pontificis Romani; cogitur enim ille ſpectare cauſam legitimam antequàm poſſit indulgentias concedere: igitur id non eſt actus miſericordiæ.

Poteſt dici actus miſericordiæ.

Dixi autem, præciſe, quia non eſt negandum quin conceſſio indulgentiarum dici poſſit actus miſericordiæ; nam poteſt moueri Pontifex ad concedendas indulgentias ſtudio & affectu exonerandi miſeriam horum, vel illorum hominum; ac proinde poterit conceſſio indulgentiarum eſſe actus miſericordiæ.

Largitio indulgentiarum eſt actus iuriſdictionis.

Conclvsio vltima. *Conceſſio indulgentiarum eſt actus poteſtatis iuriſdictionis.* Primum, poteſtas concedendi indulgentias promiſſa fuit Diuo Petro, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & eidem exhibita Ioan. 21. poſt Chriſti reſurrectionem, per iſta verba, *Petre paſce oues meas, paſce agnos meos*, at in iſtis locis nulla poteſtas ordinis, ſed iuriſdictionis eſt conceſſa, vt colligunt Patres ex verbis ſcripturæ citatis.

Matth. 16. *Probat.* 1. Ioan. 21. *Probat.* 2.

Deinde priuilegia, gratiæ, diſpenſationes, commutationes votorum, & ſimilia, omnium iudicio cenſentur eſſe actus iuriſdictionis; non enim poſſunt iſti emanare niſi à ſuperiore: & largitio indulgentiarum computatur inter priuilegia, & gratias Eccleſiaſticas.

Tertio, Alexander III. interrogatus an indulgentię conceſsæ ab Epiſcopis in dedicationibus Eccleſiarum eorumdem, conducerent exteris, & nõ ſubditis eorumdem, reſpondet negatiue; quia, inquit, quemadmodum nullus eſt, qui poſſit ligari niſi à ſuo ſuperiore; ità neque poteſt abſolui niſi à proprio iudice. Ex quo manifeſte colligitur conceſſionem indulgentiarum eſse abſolute actum iuriſdictionis. Reſponſum autem hoc habetur expreſse in capite. *Quod autem, de penitentiis, & remiſſionibus.*

Argumenta ſecundæ ſententiæ ſoluũtur.

Quarto, non eſt actus ordinis, vt probatum eſt Concluſione prima, ergo eſt actus iuriſdictionis,

Digitized by Google

dictionis; dantur enim tantum iſtæ duæ poteſtates Eccleſiaſticæ.

Ad rationes primæ ſententiæ; Ad primam reſpondeo, poteſtatem concedendi indulgentias colligi quidem ex illis locis, non tamen ex eo quod illic detur poteſtas remittendi peccata in ordine ad culpam, vt culpa eſt, ſed pœnas peccatis debitas, idque extra omnem vſum ſacramentorum, & ſacrificiorum: hæc tamen poteſtas non conuenit omnibus & ſingulis ſacerdotibus, ſed Pontifici Maximo & Epiſcopis, vt probabitur quæſtione ſeptima, quod nulli mirum videri debet; nam in illis locis datur poteſtas remittendi culpas, vt culpæ ſunt, non tamen propterea colligere licet poteſtatem remittendi culpas eſſe penes vnumquemque ſacerdotem: docuimus enim in diſputatione de Confeſſione, iuriſdictionem abſolute eſſe neceſſariam ad hoc vt ſacerdos abſoluat à peccatis, nec ſatis eſſe poteſtatem ordinis, licet in ea quiſque audiat verba iſta, *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata*, &c.

Secunda reſponſio.

Reſpondeo ſecundo, ex iſtis locis non ita euidenter colligi poteſtatem concedendi indulgentias, quemadmodum ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claues*, &c. & Ioann. 21. *Petre paſce oues meas, paſce agnos meos*, docebimus enim quæſtione 7. huius tractatus, poteſtatem concedendi indulgentias eſſe in ſolo Pontifice Romano immediate à Chriſto, ac proinde Epiſcopos non poſſe concedere indulgentias, niſi iuxta ordinationem Pontificis Romani; in iſtis autem locis nulla conceditur poteſtas ordinis.

Satisfit ſecundo argumento.

Ad ſecundam reſpondeo, pœnam indictam ab aliquo iudice poſſe ab aliquo alio irritari, etſi eam non indixerit, quotidie enim experimur & diſcimus, ſacerdotem ſacramentum aliquod adminiſtrantem remittere pœnam inferni; & tamen non eſt in poteſtate ſacerdotis, imo neque totius Eccleſiæ, indicere pœnas inferni. Deinde, Pontifex Romanus liberat interdum ab obligatione voti, & tamen obligationem iſtam ipſe non induxit. Ad id vero quod in eodem argumento ſubiungitur, pœnam ab vltimo iudice conſtituram non poſſe irritari, niſi per ſuperiorem, vel iudicem æqualem. Reſpondeo, in eodem foro eſſe verum, in diuerſo tamen nõ repugnare, quominus ab aliquo alio iudice pœna iſta irritetur: forum autem indulgentiarum longe varium eſt à foro conſcientiæ.

Poteſt aliquis iudex auferre aliquando pœnam quam non indixit.

Non irritatur ſententia à ſacerdote lata in foro conſcientiæ per largitionem indulgentiarum.

Addo per indulgentias non irritari ſententiam latam à ſacerdote in foro conſcientiæ decreto ſacerdotis; nam licet penitens non ſuſtineat pœnam iſtam in ſe ipſo; datur tamen aliquis alius qui illam vere ſuſtinuit, nempe Chriſtus; non quidem eamdẽ numero, vel ſpecie, ſed merito & dignitate; tantumdem enim aſſumit Pontifex de meritis & ſatisfactionibus Chriſti concedendo indulgentias, quantum ſatis eſt ad condignam ſatisfactionem pœnæ debitæ peccatis eorum, quibus concedit indulgentias, ſiue pœnæ iſtæ fuerint conſtitutæ à Deo, ſiue à ſacerdote, ſiue à iure communi.

Vltimi argumenti ſolutio.

Ad vltimam, culpas in foro conſcientiæ poſſe tantum tolli per ſacerdotes habentes iuriſdictionem; & idem prorſus eſſe iudicium de pœnis conſtitutis in eodem foro, extra tamen forum hoc pœna indicta à ſacerdote poteſt tolli ab eo qui non eſt ſacerdos, idque concedendo indulgentias, quæ res ex alio capite probari non poteſt, quàm ex Chriſti ordinatione, de qua conſtat ex illis locis, in quibus diximus datam eſſe poteſtatem concedendi indulgentias.

Satisfit rationibus ſecundæ ſententiæ.

Ad rationes ſecundæ ſententiæ reſpondeo. Ad primam conceſſionem indulgentiarum ità eſſe actum miſericordiæ, vt tamen ſimul ſit actus iuriſdictionis, vt pluribus fuit explicatum Concluſione tertia. Secundo, quia non repugnat vnum & eumdem numero actum pertinere ad varias & diuerſas virtutes, poteſt enim elici ab vna, & imperari ab alia. Tertio, quia non magis repugnat conceſſionem indulgentiarum eſſe actum iuſtitiæ & iuriſdictionis ſimul, quàm eſſe actum miſericordiæ & iuriſdictionis: certum autem eſt largitionem indulgentiarum eſſe actum iuſtitiæ, cum tantum quis reddat Deo per indulgentias, quantum tenetur eidem, propter peccata commiſſa.

Vnus & idem numero actus pertinere poteſt ad varias virtutes.

Ad id vero quod ſubiungitur eiuſdem planè virtutis eſſe concedere indulgentias & curare ægrotos. Reſpondeo id eſſe verum: neque enim curare ægrotos pertinet ad ſpecialem aliquam curam, & ſolicitudinem paſtoralem, ſed ad iuriſdictionem, illo eodem modo quo diximus pertinere ad eamdem, conceſſionem indulgentiarum; omnis enim poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt vel ordinis, vel iuriſdictionis.

1.

Ad rationes autem quibus authores ſecundæ ſententiæ contendunt probare vſum indulgentiarum non eſſe actum iuriſdictionis reſpondeo, Ad primam negando illationem maioris: Ad probationem autem dico, non omnem actum iuriſdictionis inducere coactionem, vel obligationem; ad gratię enim, priuilegia, diſpenſationes, & ſimilia, omnium iudicio cenſentur eſſe actus iuriſdictionis, & tamen nullus eſt plane qui poſſit cogi, vſum priuilegiorum, & gratiarum, vel denique diſpenſationum, niſi priuilegia iſta fuerint alicui communitati conceſſa. Conuenit namque inter omnes Clericum non poſſe cedere ſuo priuilegio quod habet vt non iudicetur à iudice ſæculari: Cuius rei hæc redditur cauſa ab omnibus, quod priuilegium hoc non ſit perſonale, ſed in fauorem totius Cleri conſtitutum, ſi tamen priuilegia ſint perſonalia, nullus eſt qui poſſit cogi ad vſum priuilegij.

Clericus non poteſt cedere iure ſuo & priuilegio.

2.

Ad ſecundam, nego illationem maioris. Ad id autem quod ſubiungitur neminem habere iuriſdictionem in ſe ipſum. Reſpondeo id eſſe verum de iuriſdictione coërcitiua aut coactiua; neque enim eſt aliquis qui poſſit ſeipſum vltimo ſupplicio afficere, aut qui poſſit ſeipſum excommunicare: ceterum ſi ſermo ſit de iuriſdictione benefactiua & fauorabili, fieri poteſt vt quis in ſe ipſum iuriſdictionem habeat; propter hanc enim cauſam diximus in diſp. de penitentia, Pontificem Romanum, qui omni plane ſuperiore caret in hac vita, poſſe abſolui à quocumque ſacerdote, poterit etiam ſimiliter Pontifex Romanus lucrari indulgentias à ſe conceſsas, licet conceſſio indulgentiarum ſit actus iuriſdictionis, quemadmodum & actus abſolutionis ſacramentalis eſt actus iuriſdictionis. Ceterum venit hic Pontifex Romanus duobus modis conſiderandus, nam indulgentiæ emanant ab eo vt à Vicario Chriſti; lucratur autem vt perſona aliqua priuata, ſeu, vt eſt pars quædam illius communitatis, cui indulgentias conceſſit; ità Cordubenſis quæſt. 1. de indulgentia pagina 21. ex editione Ingolſtadij VVolfangi.

Nullus habet in ſeipſũ iuriſdictionem coactiuam ſecus benefactiuam.

Vltima ratio.

Ad vltimam reſpondeo, Pontificem concedere

Diſſoluitur. indulgentias mortuis, non quidem abſolute, ſed per modum ſuffragij: conceſſio tamen hæc eſt actus iuriſdictionis; nam licet Pontifex directam ſaltem non habeat iuriſdictionem in animas conſtitutas in purgatorio; habet tamen in homines viuentes, quos neceſſe eſt honeſtas & Deo gratas actiones operari, quatenus fructus indulgentiarum peruenire poſſit ad animas in purgatorio conſtitutas.

Duæ quæſtiones reſoluuntur. Ex iſtis colliges explicationem duarum difficultatum, quæ hoc loco à quibuſdam proponi conſueuerunt. *An ſcilicet indulgentiæ repugnẽt iuſtitiæ, & item perfectioni quam communiter profitentur Monachi, aut Religioſi*, nam certum eſt indulgentias minime poſſe aduerſari iuſtitiæ, cum illic tantum violetur ius & æquitas, vbi non reſtituitur quantum debetur; per indulgentias autem tantum reſtituitur, quantum ablatum fuerat per peccatum, aut ſaltem quantum debetur pœnæ huius vel illius conſtitutæ. Non pugnat item conceſſio indulgentiarum, cum perfectione monaſtica; abſolute ſiquidem loquendo præſtantius eſt vnumquemque ſolutum eſſe ab omni debito, quàm teneri ad aliquid, per indulgentias autem liberatur religioſus ab onere ſatisfaciendi pœnis peccatis ſuis debitis.

QVÆSTIO II.

De eſſentiâ Indulgentiarum.

HÆc Quæſtio duas habet Dubitationes 1. An indulgentiæ ſint abſolutiones, an vero ſolutiones 2. Quarum rerum ſint abſolutiones, ſeu ſolutiones.

DVBITATIO PRIMA.

An indulgentiæ ſint abſolutiones, an verò ſolutiones.

Quorundã placitum & fundamẽta. 1.

DVÆ ſunt hac de re extremæ ſententiæ. Prima, eorum qui putant indulgentias in vniuerſum eſſe ſolutiones, & nulla ratione abſolutiones, non quidem factas authoritate ſuperioris, ſaltem ex ſe, & ſua natura, ſed quæ retineant æqualitatem cum debito.

Probant primo, quia Pontifex concedendo indulgentias, tantumdem aſſumit de ſatisfactionibus Chriſti, & ſanctorum repoſitis in communi theſauro Eccleſiæ, quantum debetur pœnis eorum, quibus concedit indulgentias, vt colligitur euidenter ex Extrauaganti, *Vnigenitus*, & ex Bulla Leonis X. ad Caietanum: ergo indulgentiæ erunt ſolutiones.

2. Deinde, Pontifex nedum viuentibus, ſed etiam conſtitutis in Purgatorio elargitur indulgentias: at indulgentiæ conceſſæ animabus Purgatorij non poſſunt eſſe abſolutiones; abſolutio enim reſpicit ſolos ſubditos, quod dici non poteſt de animabus Purgatorij, reſpectu Pontificis Maximi; ergo indulgentiæ erunt ſolutiones, & non abſolutiones; cum tantum offerat Deo Pontifex Maximus ex theſauro Eccleſiæ, quantum ſatis eſt ad redimendas animas in Purgatorio conſtitutas.

Occurrit 1. ſent. obiectioni validæ. Quod ſi quis obiiciat authoribus iſtis, nihil vetare, quominus vnus & idem actus ſit abſolutio, & ſolutio, vt patet ex actu abſolutionis ſacramentalis, hic enim & eſt vera ſolutio, cum tantum applicetur de meritis Chriſti per abſolutionem ſacramentalem, quantum ſatis eſt ad condignam deletionem culpæ: eſt item abſolutio, quia fit à ſacerdote poteſtatem habente, & quidem cauſa perfectiſſime cognita, ac proinde conceſſionem indulgentiarum poſſe dici ſimul abſolutionem & ſolutionem. Reſpondent antecedens illud eſſe verum, quandocumque hic actus exercetur ab homine per modum ſententiæ veræ, & ſecundum veram formam iudicij, quod accidit in abſolutione ſacramentali; non eſſe autem verum in eo actu qui caret vera forma iudicij, qualis eſt actus conceſſionis indulgentiarum. In hac ſententia eſſe creditur D. Thomas in 4. diſt. 20. quæſt. 1. ar. 4. quæſtiuncula 1. quo loco ait indulgentiam eſſe diſtributionem ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, repoſitarum in theſauro Eccleſiæ, & articulo 2. eiuſdem quæſtionis ait, eum qui conſequitur indulgentias non abſolui à pœna, ſed dari ei vnde debitum ſoluat: Durandus in 4. diſt. 20. q. 3. Paludanus, quæſt. 4. Sylueſter verbo, *Indulgentia*, num. 3. & 4. Antoninus 1. parte, titulo 10. capite 3. D. Thom.

Aliorum contraria opinio. Sententia ſecunda, eſt eorum qui putant omnes omnino indulgentias eſſe abſolutiones: ità Corduba, quæſt. 3. de indulgentiis. Sotus in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. Gregorius de Valentia in controuerſia de Indulgentiis, cap. 2. Angelus, Roſella, Armilla, & nonnulli alij.

Media ſententia. Datur & media quædam ſententia, eorum ſcilicet qui putant indulgentias viuis conceſſas, eſſe abſolutiones, non quidem quaſlibet, ſed factas à ſuperiore per modum ſententiæ, & beneficio cuius debitores liberantur à pœnis peccatis debitis. Indulgentias autem animabus Purgatorij conceſſas volunt eſſe tantum applicationes meritorum, & ſatisfactionum Chriſti: ità Belarmin. lib. 2. de Purgatorio, cap. 16. & lib. 1. de indulgentiis, ca. 5. Suarez diſp. 69. tom. 4.

Antequàm quid de hac re ſit ſentiendum ſtatuamus. Aduerte dubitationem iſtam ideo explicari hoc loco, vt intelligamus quodnam ſit genus indulgentiarum, ac proinde vt earum pars aliqua eſſentialis cognoſcatur.

Idem genus indulgent. reſpectu viuorum & mortuorum. CONCLVSIO 1. *Nihil prohibet quominus idem ſit genus remotum indulgentiarum quæ conceduntur viuis & mortuis.* Probatur primo, quia indulgentiæ viuis & mortuis conceſſæ dicuntur remiſſiones, condonationes, & relaxationes pœnarum debitarum peccatis, factæ authoritate Pontificis, vel Epiſcopi. Deinde, iſtæ indulgentiæ viuis & mortuis conceſſæ ſupponunt applicationem, & diſpenſationem theſauri Eccleſiaſtici, pendent enim neceſſario ab authoritate Pontificis Romani, ſuppoſita Chriſti inſtitutione. Tertio, non magis repugnat indulgentias viuis & mortuis conceſſas habere idem genus remotum, quàm ſacramenta veteris legis Moſaïcę & gratiæ: at hæc ſunt ſub ſigno tamquam ſub genere remoto; vt conuenit inter plerosque Doctores: ergo idem dicendum erit de Indulgentiis.

Indulgentiarũ viuis cõceſſarum genus proximum abſolutio. CONCLVSIO 2. *Indulgentiæ viuis conceſſæ ſubiiciuntur abſolutioni, remiſſioni, condonatio-*

ni,

Digitized by Google

Probationes variæ Concluſionis.

ni & relaxationi, tanquam generi proximo, ac proinde indulgentiæ iſtæ ſunt abſolutè relaxationes. Probatur 1. ex cap. *Quod autem, de penitentiis & remiſſionibus.* Indulgentiæ ſiquidem eo in loco dicũtur remiſſiones. Deinde, in illo eodem loco dicuntur iſtę conducere tantum ſubditis. 3. ex Dub. 3. q. 1. huius tractatus, indulgentiæ ſunt actus iuriſdictionis, quod maxime locum habet in indulgentiis conceſſis viuis: ergo cùm non ſint actus contritionis, erunt actus abſolutionis, vt colligi videtur ex cap. 16. & 18. Matth. *Quodcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata*, &c. *Et quæcumque ſolueritis*, &c. Quarto, remiſſio pœnarum quæ fit per indulgẽtias, debet diſtingui ab ea, quæ fit per ſuffragia vniuſcuiuſque priuati hominis; idque nomine alterius: at videntur tantum poſſe diſtingui remiſſiones iſtæ, in eo quod indulgentiæ ſint actus remiſſionis ex poteſtate clauium factæ; aliæ vero minime. Quinto, ſolutio nequit eſſe genus indulgentiarum, ſaltem proximum: ad indulgentias quippe concedendas, abſolute requiritur iuriſdictio: ſolutio autem fieri poteſt ſine vlla prorſus iuriſdictione. Sexto, diſpenſatio theſauri Eccleſiaſtici, nequit eſſe genus indulgentiarum: nam ad hoc vt aliquis theſaurum diſpenſet Eccleſiaſticũ, ſatis eſt quod habeat poteſtatem diſpenſandi illũ, etſi careat omni iuriſdictione in eos, in quos vtitur diſpenſatione theſauri: at indulgẽtiæ præſupponunt abſolute iuriſdictionem. Septimo, Pontifex quando cõcedit indulgẽtias per ſeipsũ, liberat eos quibus cõcedit has indulgẽtias à reatu pœnę: recte ergo dicentur eſſe abſolutiones. Ità Sotus in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1. Corduba q. 3. de indulgentiis, Angelus, Roſella, Armilla, & communiter Recẽt.

Indulgentiæ mortuis conceſſæ non ſubiiciuntur abſolutioni vt generi proximo.

CONCLVSIO VLTIMA. *Indulgentiæ mortuis conceſſæ non ſubiiciuntur abſolutioni, tanquam generi proximo.* Primum, quia Patres, Põtifices, Doctores Scholaſtici nuſquã appellant indulgẽtias mortuis cõceſſas abſolute abſolutiones, ſed tãtũ indulgentias per modũ ſuffragij. Secũdo, indulgẽtiæ abſolute arguunt iuriſdictionẽ: at Eccleſia nullã habet iuriſdictionẽ in animas defũctorũ ſaltẽ directam.

Diſſoluũtur rationes 1. ſententiæ.

Ad rationes autem prioris ſententiæ reſp. ad primam, probare tantum in omni conceſſione indulgentiarum dari ſolutiones pœnarum, idque authoritate Pontificis; non autem quod ſolutio ſit genus proximum indulgentiarum; diximus enim fieri poſſe, vt aliquis debita aliena ſoluat; qui tamẽ careat iuriſdictione in eos quorũ nomine ſoluit. Secundo, reſp. debitores pœnarum non redimere ſe ipſos, quandocumque Pontifex eiſdem cõcedit indulgentias, ſed Pontifex Maximus authoritate qua poteſt liberat debitores pœnarum, offerendo Deo illud omne ad quod tenentur iſti, idque accipiendo ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum repoſitas in theſauro Eccleſiæ.

Aduerte autem, quod quando dicimus indulgentias eſſe abſolutiones pœnarum, nomine abſolutionis, non intelligimus ſententiam aliquã prolatam à Pontifice Romano ad modum ſententiæ, quæ conſueuit proferri in foro cõtẽtioſo, aut cõſcientiæ, ſed intelligimus efficacem remiſſionẽ factam authoritate Pontificis, idque diſpenſando theſaurum Eccleſiæ, licet nihil prohibeat quominus nomine abſolutionis intelligatur ſentẽtia aliqua quaſi interlocutoria, ſeu abſolutoria facta à Pontifice Romano ſine vlla prorſus forma veri iudicij, idque ex cauſa iuſta, & legitima.

Satisfit 2. argument.

Ad 2. reſp. probare concluſionẽ 3. licet non ſit negandum quin indulgentiæ animabus mortuorũ cõceſſæ, ſint actus iuriſdictionis, nã quamuis Põtifex nõ habeat iuriſdictionẽ in mortuos, habet tamẽ in viuos, quos neceſſe eſt operationes aliquas exercere ad hoc vt fructus indulgentiarum perueniat ad animas in Purgatorio conſtitutas.

DVBITATIO SECVNDA.

Cuius rei indulgentiæ ſint abſolutiones.

Indulgentiarum definitio.

HÆc Dubitatio ideo à nobis proponitur, vt intelligamus quænam ſit differentia per quã indulgẽtiæ ſeparantur à quibuſuis remiſſionibus, ſeu abſolutionibus: conuenit autem inter omnes, vt probabitur quæſtione ſequenti, indulgentias remittere quaſlibet pœnas peccatis debitas, idque in foro Dei; ac proinde recte à nobis definientur hac ratione: *Indulgẽtiæ ſunt remiſſiones, relaxationes, condonationes, & abſolutiones virtute clauiũ factæ, quibus mediantibus peccator in foro Dei liberatur ex opere operato à reatu pœnæ extra ſacramenta.* In hac definitione, *abſolutio, condonatio, relaxatio, & remiſſio*, locũ generis ſortiuntur; conueniunt enim indulgẽtiæ, cum quibuſvis aliis remiſſionibus; & diſtinguuntur ab iis quæ non ſunt remiſſiones: particulæ autem iſtæ, *virtute clauium factæ*, locum differẽtiæ obtinent per hanc enim particulam ſeiunguntur indulgentiæ à remiſſionibus pœnarum, quæ fiunt per ſacramenta, ſacrificia, & priuata ſuffragia: nam remiſſiones iſtæ fieri poſſunt ſine vlla prorſus iuriſdictione, excepta tamen ea, quæ fit in ſacramento penitentiæ: remiſſio autem indulgentiarum abſolute præſupponit iuriſdictionem.

Obiectio. Reſponſio.

Dices, adminiſtrationem ſacramentorum eſſe actum iuriſdictionis. Reſp. abſolute eſſe falſum: in neceſſitate ſiquidẽ Turca baptizare poteſt, & tamen nequit dicit de iſto, quod habeat iuriſdictionem in eos quos baptizat; ad hoc ergo vt adminiſtratio ſacramentorum ſit actus iuriſdictionis, requiritur ordinatio, ſeu, quod idem eſt, vt rite, decenter, & ordinate ſacramenta adminiſtrentur, ſeu ex officio; tunc enim adminiſtratio ſacerdotum eſt actus iuriſdictionis: ex natura autem rei, ſeu ex ſe, adminiſtratio ſacramentorum nõ eſt actus iuriſdictionis, excepta tamen adminiſtratione ſacramenti penitentiæ: Conceſſio autem indulgentiarum ex ſe & ſua natura, eſt actus iuriſdictionis. Additur in hac eadem definitione, *in foro Dei*, ad hoc vt indulgentiæ ſeparentur ab illis remiſſionibus pœnarum quæ interdũ extraordinarie à Deo immittuntur, quamquam ex alio cap. cõdonentur interdum. *Ex opere operato*, per iſtã particulam ſeparantur indulgentiæ ab illis condonationibus pœnarum, quæ fiunt mediis ſuffragiis & precibus alicuius priuatæ perſonæ; nam preces iſtæ ea intentione factæ remittunt pœnas peccatis debitas, per modum meriti & impetrationis; indulgentiæ autem ex ſe, & quatenus ſunt alia opera, non auté iuxta dignitatẽ concedentis indulgentias. *A reatu pœnæ temporalis*, ad hoc vt indulgentiæ ſeparẽtur à ſacramentis, quæ pœnas æternas remittũt, & item à quibuſdã aliis cõdonationibus, quarũ ope pœnæ aliquæ remittũtur; cuius generis ſunt illæ quæ indicũtur à iudice in foro cõtentioſo, has enim indulgentiæ minime tollere poſſunt, vt dicetur q. ſeq. Dubit. 2. ſed indulgentia tollit tantum pœnas tẽporales relictas poſt culpã dimiſſam, pro quibus quis cõdigne in foro penitẽtiæ ſatisfacere poteſt. Tandem additur, *extra ſacramenta*, vt indulgentiæ ſeiũgãtur à remiſſione pœnarum, quæ fit in ſacramẽto penitẽtiæ: hæc enim eſt actus iuriſdictionis, & eſt altioris ordinis ab ea quæ fit per indulgẽtias.

Explicantur reliquæ partes definitionis.

Obiectio. Dices, per ſacramentalia remitti interdum pœnas peccatis debitas; ergo adiiciendum fuit in definitione indulgentiarum, extra ſacramenta & ſacramentalia.

Solutio. Reſpond. minime addendam fuiſſe particulam iſtam, *extra ſacramentalia*, quoniam hæc remittunt tantum pœnas peccatis debitas, quandocumque vſus ſacramentalis habet adiunctam indulgentiam, ac proinde non ſacramentale, ſed indulgengentia eſt, quæ pœnas peccatis debitas remittit.

Innumeræ propemodum traduntur de indulgentiis definitiones, quas qui videre volet, legat Sotum in 4. diſt. 23. q. 1. art. 1. Medinam diſp. 4. de indulgentiis, c. 11. Cordubam q. 3. de indulgentiis & alios multos.

QVÆSTIO III.

De effectis Indulgentiarum.

HÆc Quæſtio tres habitura eſt Dubitationes, 1. An remiſſio culpę ſit effectus indulgentiarum. 2. An remiſſio pœnæ & cuius. 3. An conueniat omni indulgętię remittere pœnas tęporales.

DVBITATIO PRIMA.

An remiſſio culpæ ſit effectus indulgentiarum.

1. Ratio dubitandi. RATIO dubitandi eſt. 1. Quia in conceſſionibus indulgentiarum leguntur interdum particulæ iſtæ. *Abſoluimus hac & illa facientes à pœna & à culpa.* Deinde poteſtas concedendi indulgentias cenſetur data Matth. 16. 18. & Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. at iſtis in locis manifeſte datur poteſtas remittendi culpas. Hanc opinionem defendit Palud. in 4. diſt. 20. q. 4.

2. *Indulgentiæ nullum peccatum remittunt.* CONCLVSIO. *Indulgentiæ nec culpas veniales, nec mortales vlla ratione remittere poſſunt.* Probatur primo, de peccatis mortalibus: lethalis culpa condonari non poteſt ſine infuſione gratiæ ſaltem de communi lege: at indulgentiæ nec concedunt, nec concedere poſſunt gratiam: gratia enim producitur tantum per ſacramenta.

Probatio. *1.* *2. Trident.* Secundo, in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. feriuntur anathemate omnes illi, qui aiunt poſſe aliquem conſequi ſalutem ſine ſacramentis in re, vel in voto ſuſceptis; at indulgentiæ non ſunt ſacramenta: ergo non poterunt tollere peccatum mortale, poſita enim remiſſione peccati mortalis, quilibet habet ius ad vitam æternam.

3. Tertio, in eodem Trid. ſeſſ. 13. canon. 2. dicitur ſacramentum penitentiæ homini lapſo poſt baptiſmum in peccatum mortale, eſſe abſolute neceſſariũ, ad hoc vt cum Deo recõciliari poſſit hic.

4. Quarto, Indulgentiæ ex Dubitat. 2. quæſtionis proximè antecedentis ſunt remiſſiones pœnarum factæ ex poteſtate clauium in foro Dei, &c. at in tota hac definitione ne verbum quidem habetur de remiſſione culpæ.

5. Peccatum veniale non poteſt remitti per indulgentias. Quinto, indulgentiæ reſpondent ſatisfactioni iniunctæ in foro penitentiæ: at ſatisfactio iſta nulla ratione poteſt extendi ad remittendas culpas mortales: igitur neque indulgentiæ.

Quod autem culpa venialis nequeat remitti per indulgentias, probatur: Peccatum veniale deſtrui non poteſt, niſi per aliquid quod ſit eidem contrarium; vt in diſputatione de penitentia dictũ eſt: at indulgentiæ nulla ratione opponuntur peccato veniali; imo fieri poteſt, vt quis lucretur plenariã cum actuali complacentia peccati venialis: ergo hoc non remittitur per illas. In hac Concluſione cõueniũt D. Th. in 4. d. 2. q. 1. a. 3. Rich. Sotus, Bonau. Th. Argẽtinẽſis, & cõmuniter alij Sẽt. D. Thom.

Ad rationes dubitandi reſpondeo, Ad 1. non deeſſe qui putent particulam iſtam, *Abſoluentur à tuenibus dupœna & à culpa*, nuiquam emanaſſe à Pontificibus Romanis, ſed adiectã eſſe à quæſtoribus & collectoribus eleemoſynarum. Ceterum iſtorum opinio non videtur probabilis, primum, quia in Extrauaganti, *Antiquorum, de penitentiis & remiſſionibus*, legitur, concedimus omnium peccatorũ ſuorũ pleniſſimã remiſſionẽ, ex quo loco videtur manifeſte colligi per indulgentias remitti culpas, vt culpæ ſunt. Secundo, quia extant in archiuis Eccleſiarum Cathedralium indulgentiæ, in quibus particula proxime citata repetitur. *Satisfit rationibus dubitandi.*

Reſpondeo ergo, ex iſta particula (*Abſoluẽtur à pœna & à culpa*) non poſſe colligi per indulgentias remitti culpas, vt culpæ ſunt, ſed tantum particulam ideo eſt adiecta, quod cõceſſio indulgentiarum vt plurimum habeat adiunctam adminiſtrationem ſacramenti penitentiæ, cuius eſt remittere culpas & mortales & veniales, aut quia per indulgentias interdum quilibet habet poteſtatem deligẽdi ſibi Confeſſorem ab Ordinario tamen approbatum, idque quatenus ab eo abſoluatur à peccatis ſuperiori ſuo reſeruatis: vt ergo facultas iſta denotetur, adiicitur hæc particula in indulgentiis, *liberabitur & à culpa & à pœna.* Ad ſecundam, reſponſum fuit quæſtione præcedenti. *Vera reſpõſio.* *Explicatur particula abſoluatur à pœna & culpa.*

DVBITATIO SECVNDA.

An remiſſio pœnæ ſit effectus indulgentiarum.

ANTEQVAM hæc Dubitatio explicetur aduerte, pœnas peccatis debitas alias eſſe æternas, alias vero temporales: rurſus temporales aliæ cenſentur eſſe ordinariæ, aliæ vero extraordinariæ: ordinariæ denique imponi conſueuerunt vel in foro contentioſo, vel in foro cõſcientiæ: de iſtis ergo omnibus intelligenda eſt hæc Dub. ſunt autem hac de re quędam certa, quędã vero incerta: certa explicantur ſequentibus Concluſionib. *Varia genera pœnarũ.*

Indulgentia non aufert pœnas æternas. CONCLVSIO 1. *Pœnas æternas peccatis debitas nulla ratione tollit Indulgentia.* Primo, quia pœna æterna debita peccato tollitur tantum per ſacramenta, indulgentiæ autem non pertinent ad ſacramenta. Deinde, pœna æterna nuſquam remittitur niſi condonata culpa: at indulgentiæ non conducunt ad remittendas culpas, ex dictis. Tertio, per indulgentias tollitur tantum pœna exoluenda in hac vita, aut in purgatorio: at pœna æterna, nec in hac vita, nec in purgatorio locum habet. Quarto, ità tradunt omnes in 4. diſt. 20.

Pœna lata in foro contentioſo non auferitur per indulgent. *Probat.* CONCLVSIO 2. *Pœna indicta à iudice ſeculari, vel Eccleſiaſtico in foro contentioſo, non relaxantur per indulgentias.* Probatur primo, quia pœnæ iſtæ indicuntur tantum propter bonum reipublicæ, quatenus ſcilicet ſceleratí emendentur, & boni pace ac tranquillitate fruantur: at indulgentiæ conceduntur vt Deo quis faciat ſatis pro pœnis peccatis ſuis debitis. Secundo, pœnæ iſtæ præſcribuntur contumacibus obſtinatis: indulgentiæ autem conceduntur ſolis penitentibus. Tertio, indulgentiæ reſpondent penitentiæ ſacramentali: at pœnæ in foro contentioſo indictæ minimè pertinent ad forum ſacramentale.

CON-

Digitized by Google

Non relaxatur pœna extraordinaria beneficio indulgent.

CONCLVSIO 3. *Indulgentia non remittunt pœnas extraordinariè à Deo immiſſas propter hac vel illa peccata.* Probatur primo, quia de iſtis nulla lex certa extat. Secundo, quia pœnæ iſtæ ità pendent à ſola voluntate diuina interdum, vt nec precibus, nec ſacramẽtis, nec vllis plane remediis vitari poſſint, vt conſtat ex c. 12. lib. 2. Regum: non enim potuit Dauid ieiuniis, orationibus & aliis actionibus penitentiæ conſeruare vitam ſui filij. Tertio, ità docet Medina, c. 11. de indulgentiis. Dubium autem eſt inter Scholaſticos Theologos, *an indulgentia remittant omnes pœnas peccatis debitas in foro Dei.*

Mouetur dubium.

Quorumdã ſentent.

Sunt ergo qui ſentiant, indulgentias conducere tantum ad eas pœnas remittendas, quæ peccatis noſtris debẽtur, decreto ſacerdotis in foro penitentiæ, penitentiam iniungentis, & item ordinatione iuris Canonici; minime vero ad eas quæ debentur culpis noſtris ordinatione diuina. Ità ſentiunt omnes illi qui tempore Lutheri vixerunt, quando diſceptabatur de indulgentiis inter Catholicos & hæreticos; ità Caietanus opuſculo de indulgentiis, Ioannes Maldonatus in tractatu de indulgentiis, q. 1. & 3. & ex antiquis Alenſis 4. p. q. 83. Nituntur autem hoc vnico fundamento, quod indulgentiæ vt plurimum concedantur ſub hac forma, remittimus tot annos, tot dies, tot menſes de penitentiis iniunctis; at penitentiæ indicuntur tantum hac ratione vel à ſacerdote, vel à communi iure, aut certe de hac re tantum conſtat apud mortales, reſpectu penitentiæ iniunctę, vel ab homine in foro penitentiæ, vel à iure canonico: igitur indulgentię remittunt pœnas, iuxta decretum ſacerdotum.

Fundamentum.

Aliorum opinio.

Alij vero contra docent indulgentias remittere omnes omnino pœnas lege ordinaria peccatis debitas in foro Dei, ſiue pœnę iſtæ indictæ fuerint à Deo, vel à ſacerdote, aut à iure communi, quorum ſententia quoniam videtur vera nobis, ideo ſubiicimus duas Concluſiones.

Pœna debita peccatis noſtris ordinatione ſacerdotis tolluntur per indulg.

CONCLVSIO 1. *Pœna debita peccatis noſtris ordinatione ſacerdotis in foro penitentiæ tolluntur per indulgentias.* Probatur à quibuſdam: Pontifex Romanus poteſt amouere quodcumque vinculũ humano iure introductum, idque propter plenitudinem poteſtatis, quam habet in his omnibus, quæ ſunt iuris humani poſitiui; at vinculum introductum à ſacerdote in foro penitentiæ non eſt maius, quàm ſit humanum: ergo poteſt auferre pœnas debitas, &c.

Probatio quorumdã refellitur.

Verum, ratio iſta eſt plane ridicula 1. quia vinculum à ſacerdote in foro penitentiæ introductũ, non eſt iuris humani, ſed diuini; eſt enim effectus illius poteſtatis quam Chriſtus dedit Apoſtolis Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata.* Secundo ſacerdos non induxit ſolus huiuſmodi vinculum, ſed Deus, imo vinculũ hoc, eſt magis à Deo, quàm à ſacerdote: docent enim patres Deum, ſacerdote quaſi inſtrumento aliquo remittere, & retinere peccata, vt Amb. ad c. 10. epiſt. ad Ro. ad hæc verba; *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Athan. ad c. 2. Matth Chryſ. ad cap. 10. Luc. Tertio, iudicium factum à ſacerdote in foro conſcientiæ, cẽſetur eſſe vltimũ, ſeu definitiuum: ergo irritari nequit authoritate Pontificia. Quarto, conuenit fere inter omnes Theologos Scholaſticos per conceſſionem indulgentiarum minime irritari iudicium ſacerdotis in foro conſcientiæ datum, ſed tantum liberari penitentem ab obligatione ſatisfaciendi pro peccatis.

Ambroſ. Athanaſ. Chryſoſt. Rom. 10.

Vera probatio concl. 1.

Probatur ergo Concluſio ab aliis: Poſita condigna ſatisfactione, nullus eſt qui teneatur vlterius ſatisfacere, at per indulgentias ponitur condigne ſatisfactio pro quibuſuis pœnis peccatis noſtris debitis, idque in quocumque foro, nam offeruntur Deo ſatisfactiones Chriſti quæ ſunt infinitæ dignitatis & infinitæ perfectionis. Secundo, poſito effectu indulgentiarum, ceſſat omnis ratio, & omnis obligatio ſatisfaciendi; repugnat enim aliquem ſatisfeciſſe adæquate pro pœnis peccatis debitis, & eſſe adhuc debitorem pœnarum; at indulgentia, vt ſic, ſeu formaliter tollit omnem obligationem ſatisfaciendi. Tertio, ſublato fine alicuius legis, cenſetur quoque lex illa ſublata, vt conſtat exemplo legis de non comedẽdis carnibus ſuffocatis, quæ extat in Actis, c. 15. hæc enim propterea noſtris temporibus non obſeruatur, quia tota ratio cur lex iſta fuerit lata, eſt propter ſcandalum quod patiebantur Iudęi ad Chriſtianam religionẽ conuerſi ex eſu carnium iſtarum facto ab ethnicis cõuerſis ſimiliter ad Chriſtianam religionẽ, temporibus primitiuæ Eccleſię: at ratio præcepti ſacerdotis in foro penitẽtię præſcripti, tollitur omnino per indulgentias; nam præceptum hoc indicitur à ſacerdote, vt quis redimat ſe à pœnis peccatis debitis: liberatur autem ſufficientiſſime per conceſſionem indulgentiarum. In hac cõcluſione eſt aperte D. Th. in 4. diſt. 20. Bonau. Palud. Sylu. verbo, *Indulgentia*, Auguſtin. Ancon. de poteſtate Eccl. qu. de indulgentiis: & communiter Canoniſtæ, ad cap. *Quod autem, de penitentiis & remiſſionibus*: idque colligunt ex eo quod in eo cap. dicatur. conceſsam eſſe plenam poteſtatem remittendi peccata Apoſtolis.

Vera probatio concl. 2.

Vera probatio concl. 3.

D. Thom.

Obiectio.

Dices, ſi iſta ſint vera, ſequetur eum qui confiteatur ſacerdoti, & poſteà lucratur indulgẽtias, nõ teneri ad ſatisfactionẽ ſibi à ſacerdote indictam.

Reſponſio.

Reſp. negando illationem maioris; nam licet indulgentię remittant quaſlibet pœnas peccatis debitas, etiam à ſacerdote in foro penitẽtiæ præſcriptas, tenentur tamen penitentes adimplere penitentiam à ſacerdote ſibi conſtituram. Primo, quia pœnæ à ſacerdote conſtitutæ nedum ſunt ſatisfactorię, & vindicatiuæ peccati, ſed etiam medicinę quædam, quibus in poſterũ talia peccata vitemus. Secundo, quia præſtantius eſt per ſe ipſum, quàm per alium ſatisfacere. Tertio, quia penitentiæ iſtæ indictæ à ſacerdote, nedũ ſunt ſatisfactiones, ſed etiam actus quidam meritorij vitæ æternæ. Quarto, quia nullus eſt qui certo ſciat ſe de facto conſecutum eſſe indulgentias. Quinto, quia nulli licet lucrari indulgentias cum intentione iſta non adimplendi præceptum ſibi conſtitutum à ſacerdote in foro penitẽtię; ſi tamẽ penitẽs aliquo iuſto impedimento teneretur, nec poſſet obſequi ſacerdoti præcipienti, lucrando indulgentias vere ſatisfaceret penitentiis ſibi à ſacerdote conſtitutis, nec teneretur ad penitẽtiam adimplendam; nam præter ea quæ diximus, fauet iſtis quod refert Palud. in 4. diſt. 21. q. 4. ait enim Bon. VIII. præcepiſſe omnibus penitentiariis ne vllam iniungerent penitentiam eis, quos audirent à ſecretis anno Iubilæi.

Relaxantur pœnæ ex decreto iuris Pontificij.

CONCLVSIO VLTIMA. *Indulgentiæ remittunt pœnas peccatis debitas ordinatione, & decreto iuris Pontificy relictas poſt culpam remiſſam.* Probatur primo, quia penes Eccleſiam eſt, abſolute loquendo, remittere peccata, ac proinde illis omnibus modis poteſt Eccleſia remittere peccata, quibus ea remitti poſſunt, vt colligitur ex c. 16. & 18. Mat. & Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:*

Probat. 1.

Matth. 16. & 18.

In 3. partem D. Thom.

Digitized by Google

at vnus ex modis remittendi peccata, eſt quando pœna eiſdem debita relaxatur, idque extra vſum ſacramenti, vel ſacrificij.

2. Secundo, negari non poteſt quin Paulus remiſerit Corinthio inceſtuoſo partem illius pœnæ, quam indixerat; ità enim habet c. 2. poſterioris ad Corinthios: *Cui autem aliquid donaſtis*, id eſt remiſiſtis, *& ego*: at pœna iſta fuerat conſtituta authoritate Chriſti, vt conſtat ex verbis ſeq. Pauli. *Nam ſi quid donaui propter vos, in perſona Chriſti donaui.* 2. Cor. 2.

3. Tertio, nulla poteſt reddi ratio cur dicatur potius pœna indicta à ſacerdote in foro penitentiæ remitti per indulgentias, quàm pœnas peccatis noſtris debitas ordinatione diuina.

4. Quarto, pœnæ à ſacerdote ſeu à iure communi indictæ, non ideo ſunt penitentibus ſuſtinendæ, quod oporteat penitentem tantum ſatisfacere Eccleſiæ, quantum peccando offendit; ſed multo magis vt ſatisfaciat Deo, & eius ſibi amicitiã conciliet: ergo impoſſibile eſt quod indulgentiæ remittant pœnas à ſacerdote indictas, & non remittant eas quas Deus à nobis exigere conſueuit.

5. Quinto, conuenit inter omnes quodlibet bonũ opus factum ab homine conſtituto in hac vita ſponte, libere, & ex gratia Dei, eſſe meritorium vitæ æternæ & ſatisfactorium pro peccatis; at indulgentiæ proſunt tantum illis qui honeſtas & Deo grãtas operationes exercent: ergo indulgentiæ erunt ſatisfactorię pro quibuſuis pœnis peccatis debitis: neque enim poteſt reddi ratio cur ſint ſatisfactoriæ comparatione pœnarum iniunctarum, & non iniunctarum.

6. Sexto, ſi indulgẽtiæ remitterent tantum pœnas à ſacerdote indictas, indulgentiæ non poſſent concedi defunctis, non enim ſubiiciuntur iſti legibus ſacerdotis, vel Eccleſiæ.

Obiectio. Dices, ſi indulgentiæ remittant omnes omnino pœnas peccatis debitas, remitterent quoque mortem, morbos, & alia ſimilia: ſunt enim iſta omnia pœnæ peccatis debitæ.

Reſponſio. Reſp. morbos, mortem, & ſimilia ita eſſe pœnas peccati, vt tamen ſint quædam debita naturæ; hęc autẽ debita minime tolli poſſunt per indulgẽtias.

DVBITATIO TERTIA.

An remiſſio pœnæ conueniat omnibus indulgentiis.

Indulgentiæ aliæ totales aliæ vero partiales.

VT hæc Dubitatio plene intelligatur quædam ſunt aduertenda. Primum, indulgẽtias diuidi in totales & partiales; hæ cenſentur eſſe quæ partem pœnæ peccatis debitæ remittunt; illę vero quæ omnem omnino pœnam peccatis debitam condonant: hæ dicuntur eſſe quaſi indiuiſibiles, sũt enim maximæ, ità vt amplius extẽdi nequeãt, vnde videntur habere formam quaſi maximè vnã, licet in ordine ad eos quibus applicantur poſſint dici minores, & maiores: partiales vero tot formis conſtant, quot placet ſummo Pontifici: huiuſmodi ſunt quæ dicuntur quarenæ, ſeptenæ, quarentenæ, vel quadragenæ, &c.

Totales indulgentiæ plenariæ dicuntur. Aduerte 2. Totales appellari plenarias, idque quod quemadmodum totalis totam pœnã remittit; ità etiam plenaria omnem omnino pœnã peccatis debitam relaxat: comparatur enim remiſſio plenariæ indulgentiæ, ei quæ fit in baptiſmo, in quo omnis pœna peccatis debita remittitur: dicitur & hæc eadem indulgentia plena & pleniſſima, tribus enim iſtis nominibus, *plena, plenior, pleniſſima*, vnum, & idem omnino ſignificatur: vt colligitur ex Extrauaganti *Vnigenitus*, & ex Extrauaganti. *Quemadmodum*: Sixtus enim IV. eo in loco volens reuocare indulgentias totales, ſeu plenarias, æquiualentes illis quæ Romæ conceduntur in anno Iubilæi, ait ſe reuocare indulgentias plenarias, & quidem conceſſas ad modum Iubilæi. Idipſum docent Sotus in 4. diſt. 21. q. 2. art. 1. Cordubenſis q. 11. *Plena, & pleniſſima.* Sixtus 4.

Sunt tamen aliqui qui putent nomine pleniſſimæ indulgentiæ ſignificari indulgentiam, quæ nedum remittit omnem culpam debitam peccatis, ſed & culpas veniales: ità Palud. in 4. diſt. 20. Ceterum hæc opinio fuit reprobata Dub. 1. huius q.

Obiicies, in vna & eadem totali indulgentia legi aliquando particulas has. *Concedimus plenam, pleniorem, & pleniſſimam indulgentiam*: ergo. Reſp. ex iſtis non poſſe colligi voces iſtas ſignificare res diuerſas: apponuntur enim interdum in indulgentiis, vel ad tollendum ſcrupulos, qui ſuborici poterant, propter diuerſitatem opinionum, vel ad ſignificandũ effectum vnius, & eiuſdẽ indulgentiæ, circa eos quibus applicatur; effectus enim iſte poteſt eſſe in vno maior, in alio minor, prout ſcilicet vnus paucioribus, alius vero pluribus conſtringitur debitis, quæ tolluntur per indulgentias, vel denique ad ſignificandam diuerſitatem cauſarum, quibus mouetur Pontifex ad concedendas indulgentias: hæ ſiquidem non ſemper ſunt vna tantum, ſed variæ, & diuerſæ. *Obiectio.* *Reſponſio.*

Alia explicatio totalis & partialis indulgent. Aduerte vltimo, eas indulgentias dici totales, quæ nullo prorſus determinantur ſigno, ad certam aliquam pœnam remittendam: illæ vero dicuntur partiales, quæ certis quibuſdam vocabulis determinantur ad certam aliquam partem pœnæ ſignificandam, cuiuſmodi ſunt illæ, quæ habentur in capite. *Cum ex eo, de penitentiis & remiſſionibus*: præcipitur enim illic quod Epiſcopi concedant indulgentiam quadraginta dierum.

Indulgentiæ totales & partiales remittunt pœnas ſermata proportione. CONCLVSIO 1. *Indulgentiæ totales & partiales remittunt pœnas debitas in foro Dei, in foro conſcientiæ, & demque à iure communi conſtitutas, ſeruata tamen iſta proportione, quod totales omnem omnino pœnam remittunt, partiales vero eas tantum quæ deſignantur per formam conceſſionis indulgentiæ.* Probatur: Indulgentiæ ſortiuntur ſuos effectus ſecundum formam conceſſionis, vt conuenit inter omnes: at forma indulgentiæ totalis extenditur ad omnes omnino pœnas peccatis debitas; forma vero partialis, ad certam aliquam partem. Idem probatur illis omnibus rationibus quibus confirmatæ ſunt Concluſiones præcedentis articuli. *Probat.*

Totalis indulgentia. CONCLVSIO 2. *Indulgentia quæ emanarunt à Pontifice cum iſta forma, concedimus plenariam indulgentiam de penitentiis iniunctis, ſunt totales, & non partiales.* Hæc eſt contra Nauarrum, & alios. *Probat. 1.* Probatur autem primo, quia particula, *de iniunctis penitentiis*, nõ eſt reſtrictiua, ſed amplificatiua.

* 2. Secundo, qui conceſſit maius, videtur quoque concedere minus, maxime, ſi conceſſa ſint eiuſdem ordinis, & nulli fiat iniuria concedendo res iſtas: at maius eſt remittere pœnas iniunctas quàm iniungendas: longe enim facilius eſt iudici remittere pœnas non indictas reo, quàm eas quæ iam fuerunt ab aliquo iudice conſtitutæ.

* 3. Tertio, Pontifex quandocumque fecit alicui poteſtatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, cenſetur quoque dediſſe poteſtatem à non reſeruatis: licet iſtorum nulla prorſus fiat mentio in conceſſione.

4. Quarto, gratiæ, priuilegia, & fauores sũt, quoad fieri

Digitized by Google

fieri poteſt amplianda: at indulgentiæ computantur inter priuilegia.

5. Quinto, nulla eſt ratio cur dicamus indulgentias ſub hac forma conceſſas remittere tantum pœnas iniunctas, & non iniungendas: ergo vtraſque aufert.

Effugium. Dices, id repetendum eſſe ex diſpoſitione, quæ reperitur in eo cui penitentiæ iſtæ fuerunt iniunctæ, propoſuit ſiquidem iſte apud ſe pœnas huiuſmodi executioni demandare, de qua tamen re non cogitauit ille cui penitentię non fuerunt iniunctæ.

Eneruatur. Verum ratio iſta nullo modo ſatisfacit: primum quia indubitatum eſt, indulgentias dari interdum contritis cum propoſito tamen confitendi. 2. Indulgentię numquam conceduntur propter priuatam dignitatem huius vel illius perſonæ, ſed tantum propter cauſam aliquam publicam quæque cedat in vſum publicum. 3. ſequeretur minus dignum lucrari indulgentias: priuari vero eiſdem magis dignum: putà ſi daretur aliquis, qui pœnis iniunctis à ſacerdote, vel etiam à iure communi per ſeipſum ſatisfeciſſet, nam cum indulgentiæ ex hypotheſi concedantur ſub hac forma, *Concedimus plenariam indulgentiam de pœnis iniunctis*, ſi indulgentiæ iſtæ eſſent partiales nulla ratione poſſent extendi ad eum qui pœnis ſibi conſtitutis ſatisfeciſſet.

Obiectio. Dices, pugnare hæc contra ea, quæ docuimus in confirmatione 1. Concluſionis huius Dubitat. diximus enim indulgentias ſortiri ſuos effectus iuxta formam conceſſionis: conceſſio autem hæc reſpicit pœnas iniunctas.

Reſponſio. Reſpondeo, negando minorem, diximus namque particulam iſtam, *de iniunctis*, eſſe ampliatiuam, ità vt ſenſus ſit, nedum remitti pœnas iniungendas, ſed etiam iniunctas.

Inſtantia. Inſtabis, fieri non poſſe vt particula illa ſit ampliatiua; diximus enim plenariam indulgentiam remittere omnem pœnam debitam peccatis.

Diſſoluitur. Reſpon. primo, me numquam vidiſſe plenarias indulgentias, cum hoc additamento conceſſas, vt colligitur ex illis omnibus indulgentiis, quæ leguntur in Extrauaganti *Vnigenitus, de penitentiis & remiſſionibus*, in Concil. Conſt. ſub Martino V. Lateran. ſub Innoc. III. & ex multis aliis.

Solutio 2. Reſp. 2. data hypotheſi quod extent indulgentiæ ſub iſta forma conceſſæ, particulam, *de iniunctis*, ideo adiici 1. vt conſtet indulgentias non remittere culpas, ſed pœnas tantum peccatis debitas. 2. vt innoteſcat per plenariam indulgentiam, nedum remitti pœnas iniungendas, ſed etiam iniunctas, de qua tamen re nonnulli dubitarunt antiquitus; exiſtimarunt enim indulgentias conducere tantum ad eas pœnas remittendas, quæ debentur peccato alicui ex ordinatione diuina & conſtitutione iuris poſitiui, non autem ad eas, quæ debentur eidem decreto ſacerdotis.

Replica. Vrgebis, in c. *Cum ex eo, de penitentiis & remiſſionibus*, prohiberi ne Epiſcopi concedant indulgentias, niſi tantum *de penitentiis iniunctis*, ergo particula iſta non poteſt eſſe ampliatiua.

Solutio. Reſp. in illo capite vetari tantum ne Epiſcopi concedant indulgentias in dedicationibus Eccleſiarum eorumdem vltra quadraginta dies; & præterea ne protrahant eaſdem vltra annum, vt colligitur manifeſte ex littera capitis, & ex vſu quotidiano: deprehendimus ſiquidem Epiſcopos quotidie concedere indulgentias, in quibus tamen non apponuntur particulæ iſtæ, *de penitentiis iniunctis*, aut aliæ æquiualentes; particula ergo, *de iniunctis penitentiis*, quę legitur in eo capite, ſignificat plenã facultatem concedendi indulgentias: ità vt ſenſus illius loci ſit, Epiſcopos nedum poſſe concedere indulgentias remittentes pœnas debitas peccatis, non indictas, ſed etiam decretas, & iam conſtitutas, de qua re poterat eſſe dubitatio: ità docẽt Gabriel in 4. diſt. 45. q. 3. ſeu eius ſupplementum. Palud. diſt. 20. q. 4. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. §. 5.

Alia quæſtio mouetur. *Rationes dubitandi.* 1. Quæres, *Cum indulgentiæ partiales cenſeantur illa quæ pollicentur remiſſionem multorum annorum, menſium & dierum, qua ratione anni iſti ſint intelligendi.* Ratio dubitandi 1. eſt, quod indulgentiæ concedantur animabus exiſtentibus in purgatorio, vt probabitur inferius: incredibile autem ſit aliquem tot annis permanere ibidem, quot remittunt aliquæ indulgentiæ, dantur enim indulgentiæ quæ remittunt quindecim mille annos, imo viginti, aut triginta millia, ex ſententia quorumdam.

2. Deinde, ſi admittamus indulgentias remittentes tot annos de penitẽtiis iniunctis, nullũ futurũ eſt diſcrimen inter indulgẽtias totales & partiales, non enim fieri poteſt, vt quis ſit pluriũ pœnarũ reus, quàm ei remittãt partiales illę indulgẽtiæ.

Antiquitus graues pœnæ imponebantur pro qualibet peccato mort. Vt dubitationi huic ſatisfiat, quædam ſunt præmittenda. Aduerte igitur primo, temporibus primitiuæ Eccleſiæ iniunctas fuiſſe grauiſſimas pœnas cuilibet peccato mortali, vt cõſtat ex Niceph. lib. 12. hiſt. Eccl. c. 38. Sozomeno lib. 9. hiſtor. tripartitæ, c. 35. Socrate lib. 5. c. 19. & ex can. 58. Baſilij, referente Harmenopulo in epitome diuinorũ & ſacrorum canonum: homini ſiquidem adultero iniungebatur pœna quindecim annorum: *Qui*, inquit, *adulterauerit, annos quindecim peniteat, quatuor deflens, quinque audiens, quatuor ſubſtratus, & vno tantum conſiſtens, poſtea communio detur.* Periuris item indicitur pœna vndecim annorum can. 63. eiuſdem Baſilij. *Periurus*, inquit, *annis vndecim careat communione*, &c. idem colligitur ex innumeris propemodum canonibus relatis à Burchardo, lib. 6. ſui Decreti, & lib. 19. ab Iſidoro & Iuone Carnotenſi, & denique à Gratiano in calce Decreti eiuſdem: Imo non deſunt qui aſtruant cuilibet peccato mortali iniunctos fuiſſe ſeptem annos penitentiæ.

Nicephor. Sozomen. Socrat. Baſil. Burchard. Iſidor. Iuo.

Quid ſeptenę quarenę quarentenę quadragenę indulgentia nomine ſignificetur. Aduerte, quando diximus indulgentias partiales alias vocari interdum, *Quadragenas*, alias *ſeptenas*, aliàs denique *Quarenas*, ſiue *Quarentenas*; nomine *Quadragenę* indulgentiæ, ſignificatur numerus quadraginta dierum, & ſeptem annorum remiſſionis pœnarum debitarum peccatis: nomine vero ſeptenę denotatur remiſſio ſeptem dierum, quarena vero ſiue quarentena complectitur quadragenam & ſeptenam; indulgentiæ autem iſtæ propterea fuerunt hac ratione conceſſę, quod temporibus primitiuæ Eccleſiæ iniungerentur pœnitentię quadraginta dierum in quibus totis quadraginta diebus penitens cogebatur ieiunare, diebus vero ſeptem à ſocietate cuiuſlibet Chriſtiani abſtinere: ſeptem vero annis proxime ſubſequentibus: abſtinebat à vino idem penitens, ab eſu carnium, à balneis, & à quibuſdam aliis rebus, quibus vt plurimum vtuntur ceteri mortales. Imo non deſunt qui affirment non licuiſſe penitentibus iſtis dormire intrà lectum, ſed tantum ſuper nudam terram, aut lapidem: toto item tempore ſeptenæ penitens ieiunabat; tempore autem quarentenæ cogebatur illa eadem pati, quæ præcipiebantur obſeruari tempore quadragenæ: quadragena ſic dicitur à Clemente

Digitized by Google

I. septena ab Innocentio I. vt refert Laurentius Vadanensis cap. 2. de Indulgentiis: Quis autem instituerit quarenam, siue quarentenam, non constat ex auctoribus, legendus est de hac re Osualdus lib 4. Rosarij Theologiæ, Suarez disp. 50. tomo 4. ad 3. partem D. Thomę.

His ità prænotatis, duæ sunt de hac re opiniones.

1. Sententia circa annos & mẽses indulgent.

Prima eorum qui putant annos, menses, & dies consignatos in indulgentiis intelligendos esse de annis, mensibus, & diebus, quibus debuit aliquis in purgatorio manere, ità vt tot ex istis remittantur, quot exprimuntur in indulgentiis.

Alia aliorum explicatio annorũ & mensium, &c.

Alij vero contra sentiunt annos istos esse intelligendos de annis huius vitæ, ità vt, sensus sit, tot remitti annos de pœnis debitis in purgatorio, quot fuissent remissi, si quis in hac vita constitutus egisset penitentiam illis omnibus annis, qui in indulgentiis exprimuntur: idem est iudicium de diebus, & mensibus. Ita Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 1. Corduba quæst. 11. Gregorius de Valentia, cap. 6. controuersiarum de Indulgentiis. Suarez disp. 50. sect. 5.

Probatio quorumdã.

Sunt autem, qui probent sententiam istam, ex eo quod putent fieri non posse vt quis agat in purgatorio vltra annum decimum, aut ad summum vigesimum: ità Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 1. Maldonatus in tractatu de indulgentiis, & alij multi.

Refellitur.

Verum ratio ista defendi non potest primo, quia temerarium videtur esse affirmare quanto tempore, quis certo permansurus sit in purgatorio: constat enim ex Scripturis sacris pœnas respondere indignitati culparum. Apocalyp. 18. *Quantum glorificauit se, tantum date illi tormentum & luctum.* Deuteron. 25. *Secundum delictum, erit & plagarum modus*: at nullus est qui sciat quanta sit indignitas alicuius peccati. Psalm. 18. *Delicta quis intelligit?*

Apoc. 18.

Deut. 25.

Psal. 18.

Beda.

Secundo, Beda in hist. Anglicana, cap. 13. lib. 5. putat, per multas centurias annorum permultos fore in purgatorio cruciandos.

Tertio, vni soli peccato mortali iunctæ fuerunt pœnæ acerbissimę, & quidem per multos annos, vt constat ex Gregorio Magno, lib. 4. Dialogorum, cap. 40. refert enim Paschalem Ecclesiæ Romanæ Cardinalem ob vnicum peccatum mortale diras sustinuisse pœnas post mortem, & quidem plurium annorum curriculo, idipsum refert Petrus Diaconus de Seuerino Episcopo Colonienſi, & Gregorius Turonensis lib. 6. de gloria Confessorum, cap. 5. de alia quadam virgine.

Gregor. Mag.

Petrus Diaco.

Gregor. Turo.

Quarto, de his quæ pendent à sola Dei voluntate, nullus est, qui citra specialem Dei reuelationem aliquid certo statuere possit; at pœnæ purgatorij pendent à sola Dei voluntate: ergo.

Aliorum probat.

Alij vero propterea probant annos in concessione indulgentiarum expressos, intelligendos esse de annis huius vitæ: quia, inquiunt, tanta est actiuitas ignis purgatorij, vt breuissimo temporis interuallo remittat illud omne quod debetur peccato, quódque per multos annos in hac vita consumptos, fuisset remissum per actum vere penitentiæ, aut per varios alios & diuersos labores.

Præcedens probatio ostenditur inefficax. 1.

Cęterum, ratio hęc non tollit difficultatem, nam licet pœnæ istæ sint acerbissimæ, non tamen propterea potest colligi, quod anni in indulgentiis contenti intelligendi sint de annis huius vitæ, non autem de annis purgatorij. primo, quia fieri potest, vt quis in hac vita constitutus, eliciat actum, qui sit remissionis pœnarum omnium meritorius, quæ debentur peccatis; etiam in purgatorio; nam conuenit inter omnes martyrium ex opere operato delere omnem culpam & pœnam peccato debitam.

Secundo, potest dari actio facta ab homine constituto in hac vita præstantior martyrio; at hæc tollit omnem pœnam peccatis debitam: ergo & illa. 2.

Obiectio.

Dices, aduersari hæc iis quæ habentur Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15.

Responsio. Potest dari actio multis partibus excellentior martyrio.

Respondeo, hæc intelligenda esse ex parte operis, non autem absolute, ità vt sensus sit non dari ex parte hominis aliquid aut præstantius, aut magis sibi charum propria vita, quod det nomine alterius; potest tamen dari actio aliqua infinitis partibus præstãtior ea, qua quis vitam nomine alieno profundit: huiusmodi censetur esse compassio Diuę Virginis iuxta crucem Christi, actus beatitudinis latro item vnico actu contritionis meruit remissionem omnium pœnarum suis peccatis debitarum, vt constat ex Chrysostomo homilia de bono latrone. Deinde pœnæ purgatorij non sunt absolute voluntarię, licet sint aliqua ex parte: pœnæ autem quas quis sustinet in hac vita sunt voluntariæ, maxime si consequantur actum pœnitentiæ, vnde possunt esse meritoriæ, quod tamen dici non potest de pœnis purgatorij.

Germana probatio communis sententiæ.

Probatur hæc sententia à nobis. Anni in concessione indulgentiarum eadem ratione sunt intelligendi, qua in iniunctione penitentiæ: indulgentiæ enim concessæ sunt semper iuxta modum iniungendi penitentias: at in iniunctione penitentiæ anni sunt intelligendi de annis huius vitæ, non enim potest Ecclesia alios iniungere, quia animæ in purgatorio sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ. Secundo, non potest Ecclesia cogere aliquem, vt pœnas alterius vitę sustineat: ergo neque potest iniungere in ordine ad statum illius vitę.

Satisfit fundamentis 1. sententiæ.

Ad rationes respondent aliqui, Indulgentias promittentes multa millia annorum non emanasse à pontificibus, sed à quæstoribus: ità Sotus in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. Gersonius, tractatu de absolutione sacramentali, & qui disputarunt coram Rege Bohemorum in aliquos sectatores Vviclef & Ioannis Hus anno 1465. in ciuitate Pragensi, sed licet sententia ista probabilitate non careat, non tamen potest esse omnino vera, quia extant indulgentię authenticæ in priuilegiis Ordinum Mendicantium quæ promittunt sex mille annos de penitentiis iniunctis.

Vera explicatio multorum millium annorum indulgentiarum.

Resp. posse dari indulgentias quæ concedant multorũ annorum millia, quia sunt aliqui qui ità turpiter viuunt, vt nedum semel in die peccatum aliquod mortale committant, sed & innumera propemodum, aquam quasi iniquitatem bibentes, vt loquitur Iob. c. 15. vnde debentur tot anni penitentiarum his hominibus, quot consignantur in sacris canonibus, quique creſcunt iuxta numerum peccatorum, ac proinde quasi in infinitum: poterunt ergo indulgentiæ concedi, quæ promittant multorum millium annorum remissionem. Iob. 15.

Dissoluitur vltim. argumentum.

Ad vltimam respondeo, indulgentiam partialem, non propterea futuram totalem, quia hæc non per se remittit omnem pœnam debitam peccato quod tamen facit totalis, sed tantum per accidens, quatenus scilicet contingit eum, cui conceditur indulgentia partialis, non teneri ad plures pœnas exoluendas, quàm sint illæ quæ remittuntur per penitentiam partialem.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA.

De causa materiali Indulgentiarum.

IN hac Quæst. tres sunt Dubitationes. 1. An detur thesaurus in Ecclesia, ex quo fiant solutiones pœnarum debitarum peccatis, authoritate Pontificis. 2. Ex quibus rebus constet hic thesaurus. 3. An thesaurus hic dispensetur tantùm per Indulgentias.

DVBITATIO PRIMA.

An in Ecclesia detur thesaurus, ex quo fiant solutiones pœnarum debitarum peccatis authoritate Pontificia.

Hæretici negant indulgentiarũ thesaurum.

HÆRETICI sicut negant indulgentias, ità quoque negant esse thesaurum Ecclesiasticum, ex quo pœnę penitentibus impositę remitti possint; subscribunt & istis nonnulli ex Catholicis: ità Maironis in 4. dist. 19. quæst. 2. & vt videtur Durandus in 4. dist. 20. quæst. 3.

Illorũ fundamenta. 1.

Probatur primò hæc opinio. Si detur aliquis thesaurus indulgentiarum, hic constare debet, vel ex meritis Christi tantùm, vel Sanctorum, vel denique ex istis omnibus simul. Primum dici non potest, cùm merita Christi fuerint cumulatissimè remunerata in ipsomet Christo, vt colligitur ex cap. 2. ad Philippenses. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen:* merita item Sanctorum plenissime fuerunt remunerata in patria; *Non*, enim, *sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, vt loquitur D. Paulus. Neque potest dici 3. propter causas iam explicatas.

Philip. 2.

Rom. 8.

2. Secundò, merita Christi fuerunt omnia & singula Deo Patri nomine naturę humanę oblata, ac proinde cẽsentur esse satisfactoria pro peccatis omnium mortalium; quod si aliqua ex istis non sint debitum præmium consequuta, illa videntur esse necessaria ad gratias agendas pro beneficijs à Deo Optimo Maximo quotidie acceptis; vnde omnia suum habuerunt præmium: non superest ergo quidquam ex meritis Christi reponendum in thesauro Ecclesię.

3. Tertiò, si quæ esset ratio cur diceremus merita Christi poni in thesauro Ecclesiæ, hæc maximè esset, quod merita illius sint infinita: at hæc ratio est planè ridicula. Primò, quia si essent infinita, non posset Deus ea condigno præmio remunerare: non enim potest Deus producere infinitum actũ seu categorematicè. Secundò, fieret merita Christi non posse pertransiri à Deo. Tertiò, post diem iudicij futurum illum thesaurum, & in eo futuras infinitas Christi satisfactiones sinè vlla prorsus remuneratione, quod pugnat cum illo Pauli ad Hebr. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.*

Hebr. 6.

Datur thesaurus in Ecclesia respectu solutionum.

CONCLVSIO. *Merita Christi pertinent ad thesaurum Ecclesiæ; quare negare non potest esse*

hæresim, quin detur thesaurus in Ecclesia, ex quo fiant solutiones pœnarum peccatis debitarum authoritate Pontificia. Probatur prima pars: Omne opus non remuneratùm pertinet ad thesaurum Ecclesiæ; at merita Christi non fuerunt, adæquatè saltem remunerata, nec in ipso, vtpotè qui nulla egerit satisfactione, cùm nunquam peccauerit. 1. Petr. 2. neque in alio, quia fuerunt infinitæ dignitatis, & quia Christus dicitur mortuus pro omnibus, quorum tamen minor pars saluatur: ergo illa opera satisfactoria debuerunt alicubi reseruari.

Probationes 1.

Secunda pars probatur. Primò, Ecclesia non est deterioris conditionis, quàm sint aliæ respublicæ: at in alijs omnibus rebuspublicis dantur thesauri pertinentes ad subditos earumdem rerumpublicarum.

2.

Secundò, vti neque abundat in superfluis, ità neq; deest in necessarijs: ac hic thesaurus est necessarius ad promouendam mortalium salutem.

3.

Tertiò, Patres docent in domo Dei, quę creditur esse Ecclesia, extare thesauros & diuitias. *Gloria & diuitiæ in domo eius*, ait Psaltes Regius, psal. 111. & lib. 4. Regum, cap. 25. & lib. 1. Paralipomenon cap. 9. & cap. 12. lib. 2. idem prorsus dicitur. In hac Conclusione sunt Sententiarij in 4. dist. 20. mulis autem eamdem confirmant Sotus distinct. 21. quæst. 1. art. 2. lib. 4. Paludanus dist. 20. quæst. 4. Medina disp. 8. de Indulgentijs, cap. 43. Suarez sect. 1. disp. 15. tomo 4. ad 3. partem D. Thom.

Psal. 111. 4. Reg. 24. 1. Paral. 9.

Occurritur obiectioni.

Dices, hinc sequi Durandum, & alios qui dixerunt contrarium huic Conclusioni esse hæreticos. Respondeo, negando id sequi, quia ad hoc vt aliquis censeatur hæreticus, requiritur 1. quod doceat propositionẽm fidei Christianæ contrariam. 2. quod ità ei adhæreat vt nulla ratione velit stare determinationi Ecclesiæ: Durandus autem submisit se & scripta sua iudicio & censuræ Ecclesiæ Catholicæ, vt constat ex procemio Durandi in lib. 1. Sententiarum. Deinde, quia non erat adhuc hæc res definita & determinata ab Ecclesia, Clemens enim VI. primus, de hac re sententiam protulit, qui fuit posterior Durando, & alijs.

Fundamenta opposita dissoluuntur. 1.

Ad rationes contrarias respondeo. Ad 1. concessa maiore, negando minorem: nam nominis exaltatio & corporis glorificatio, non sunt præmium adæquatum meritis Christi: sunt enim merita Christi infinitæ dignitatis; præmium autem hoc apertè est finitum & determinatum. Secundò, præmiũ essentiale concessum meritis Christi censetur esse æterna beatitudo, generis humani reconciliatio, & alia multa, quæ tamen non fuerunt remunerata in ipso Christo, neque item adæquatè in aliquo alio.

2. Ad 2. Respondeo, merita Christi fuisse quidem oblata, nomine naturæ humanæ, & quidem omnia; non tamen propterea licet colligere ea non extare in thesauro Ecclesiæ. Primò, quia dicitur cap. 2. primæ Can. Ioan. Christum nedum satisfecisse pro nostris, sed etiam pro peccatis eorum qui sunt, erunt, & futuri sunt in hoc mundo: certum autem est merita hæc longe paucioribus applicari, quam non applicari: *Multi enim sunt vocati*, id est omnes, *pauci vero electi.* Matth. 20. Secundo, quia in sacris literis dicitur merita Christi superabundare, & superexcedere demerita nostra, vt constat ex Paulo Ephes. 2. *Abundantes diuitias gratiæ suæ quas Deus in bonitate*

1. Ioan. 2.

Matth. 20.

Ephes. 2.

Digitized by Google

super nos ostendit in Christo Iesu, & apud Danidem *Copiosa apud eum redemptio*, & cap. 3. ad Ephes. ait Paulus inuestigabiles esse Christi diuitias, & dispensationem sacramenti à seculis in Deo. Tertiò, in Extrauaganti *Vnigenitus, de penitentijs & remissionibus*, asserit Clemens VI. minimam guttulam sanguinis Christi satis fuisse pro peccatis omnium planè mortalium, qui fuerunt, aut futuri sunt in certa aliqua temporis differentia. Quartò, licèt concederemus merita Christi fuisse remunerata ad æqualitatem, quatenus sunt meritoria, non tamen propterea assequerentur isti quod volunt, quia considerantur ex alio capite, quatenus sunt satisfactoria, & hac ratione ad thesaurum Ecclesiæ possunt pertinere.

Clem. VI.

Vltimum dissoluitur.

Ad vltimam respondeo, Posse Deum remunerare omnia merita Christi de condigno; ad hoc enim satis est, quod dato quocumque præmio, possit Deus maius præmium in infinitum producere: Deum autem posse illud præstare, nullus est qui debeat dubitare.

Secunda sententia.

Respondeo 2. merita Christi non posse quidem pertransiri, neque mirum; nam de ratione infiniti potestate est, in data quacumque parte, semper superesse aliquid accipiendum.

3.

Respondeo 3. post diem iudicij futuras infinitas satisfactiones Christi in thesauro Ecclesiæ, neque propterea sequetur eas futuras inutiles & otiosas; nam conuenit inter omnes potentiam diuinam posse in infinitum producere aliqua, & tamen ista nunquam producet: concedunt etiam omnes posse materiam primam suscipere in se omnes omnino possibiles formas, & tamen potentia ista non reducetur ad actum, & nihilominus nec omnipotentia Dei, nec potentia materiæ primæ censetur esse frustra. Non licet item ex istis colligere violari iustitiam; ad hoc enim vt meritis Christi nulla fiat iniuria, satis est si illis detur id omne, ad quod efficaciter à Christo fuerunt ordinata; hoc autem verè præstitit Deus.

DVBITATIO SECVNDA.

Ex quibus rebus constet thesaurus Ecclesiæ.

Hæretici excludunt à thesauro Ecclesiæ merita Sanctorum.

HÆRETICI putant merita Sanctorum nulla ratione pertinere ad thesaurum Ecclesiæ, licèt thesaurus hic admitteretur: idem docent nonnulli ex Doctoribus Catholicis. Ità Durandus in 4. dist. 20. Maldonatus, tractatu de indulgentiis, quæstione de thesauro Ecclesiæ, Doctores item Louanienses, qui vixerunt tempore Lutheri.

Fundamẽt. 1.

Probant primò: Merita Sanctorum fuerunt in cœlis cumulatissimè remunerata, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*: ergo non superest aliquid ex meritis Sanctorum reponendum in thesauro Ecclesiæ, quódque distribui possit per indulgentias.

Roman. 8.

Si respondeas, quemadmodum authores communis opinionis respondent, merita scilicet Sanctorum fuisse remunerata in cœlis, quatenus sunt meritoria, non tamen quatenus sunt satisfactoria, qua ratione in thesauro Ecclesiæ reponuntur.

Repl. ca 1. Maldonat.

Contrà obijcit Maldonatus, responsionem istam esse quidem subtilem, non tamen esse ad rem: nam, inquit, merita Sanctorum etiam quatenus sunt satisfactoria, alteri prodesse non possunt, nisi ex speciali intentione operantis, vt conuenit inter omnes; at non est credibile Sanctos in hac vita constitutos voluisse sua merita his, & illis applicari; tum quia nescierunt, an egerent ipsi meritis istis, tum quia Scripturæ admonent salutem nostram esse operandam cum timore & tremore, tum denique, quia charitas bene ordinata incipit à seipso: ergo.

2.

Secundò obijcit idem author: Si merita Sanctorum possent prodesse alijs, sequeretur vnum hominem satisfacere posse pro multis alijs, non cogitando de suis meritis his & illis hominibus applicandis; nam indulgentiæ indistincte applicantur his & illis hominibus: at consequens est plane absurdum; diximus enim conuenire inter omnes satisfactiones vnius hominis non conducere alteri, nisi ex speciali intentione operantis.

Quod si respondeas, Sanctos in hac vita constitutos voluisse sua merita reponi in thesauro Ecclesiæ, ea lege, quod ipsi non egerent istis, idque quatenus prouidentiâ vniuersalis pastoris medijs indulgentijs quibusuis penitentibus applicarentur.

Tertia replica.

Contrà Maldonatus obiicit, ità sentire quid est aliud, quàm sine ratione docere? quis enim diceret homines istos sanctos in hac vita constituros voluisse sua merita in thesauro Ecclesiæ reponi, quatenus authoritate Pontificia per indulgentias administrarentur? nullum plane extat de hac re testimonium; at documenta de fide Catholica non sunt ità infirmis fundamentis stabilienda.

2. Fundam.

Secundò probant: si merita Sanctorum pertinerent ad thesaurum Ecclesiæ, sequeretur vnum posse alteri promereri primam gratiam; tota enim ratio cur vnus nomine alterius satisfaciat, hæc creditur esse, quod sit in gratia; at tota ratio cur vnus non possit promereri primam gratiam sibi, vel alteri, est, quod gratia sit absolutè necessaria ad gratiam consequendam: ergo cùm ista gratia præsupponatur ex hypothesi in eo, qui alterius nomine meretur, quemadmodum alterius nomine potest satisfacere, ità quoque poterit promereri primam gratiam eidem: at hæc omnia sunt absurda; solus enim Christus est, qui nobis primam gratiam promereri potuit.

3. Fundam.

Tertiò, Si ità res haberet, sequeretur Sanctos in cœlis constitutos applicare suas satisfactiones constitutis in purgatorio, & item agentibus in hac vita mortali: nam tota ratio, aut saltem præcipua, qua mouetur Pontifex ad concedendas indulgentias, est amor, quo fertur in Christianos & Catholicos. At sancti in cœlis constituti longe maiori studio & charitate feruntur erga quoslibet Christianos, quàm faciat Pontifex Max. ergo si Sancti scirent eorum satisfactiones esse repositas in thesauro Ecclesiæ, profectò applicarent illas, quod tamen negant omnes.

4. Fundam.

Quartò probant: sequeretur ex communi sententia nedum merita Sanctorum in cœlis agentium, sed etiam eorum, qui adhuc versantur in istis terris, pertinere ad thesaurum Ecclesiæ; sunt enim aliqui ex viuentibus qui longe plura passi sunt in hac vita mortali, quàm eorum peccata mereantur: at consequens est plane absurdum, quamdiu enim quis agit hic, potest excidere à suis meritis, & præterea potest eisdem rursùs coniungi, si contigerit eum resurgere à peccatis: ergo.

1. Sentent. fundam.

Quintò, vel merita Sanctorum pertinent ad thesaurum

theſaurum Eccleſiæ ad hoc vt diſtribuantur per indulgẽtias; aut vt illis mediis aliquid à Deo Opt. Max. impetremus; ità vt habeant hæc tantùm rationem ſuffragij, at ne utrum horum dici poteſt: non quidem 1. Cum enim theſaurus Eccleſiæ conſtet ex meritis Chriſti, & hæc ſint infinita, nulla ratione deſiderabuntur merita Sanctorum, ad hoc vt redimamus pœnas peccatis debitas per indulgentias. Neque item 2. vſus quippe indulgentiarum cenſetur eſſe ex opere operato, non autem ex opere operantis, ſeu, quod idem eſt, indulgentiæ conſequuntur ſuos effectus abſolute, ſeu per modũ abſolutionis, non autẽ per modum impetrationis, qua ratione conducunt tantùm ſuffragia.

Vltimum fundament. Vltimò, Merita Sanctorum ſunt finita: ergo cùm quotidie creſcat numerus indulgentiarum, & decreſcat numerus ſatisfactionum Sanctorum, theſaurus iſte exhaurietur: At de ratione theſauri Eccleſiaſtici eſſe videtur, vt non poſſit exhauriri.

Ad theſaurum pertinent merita Sanctorum. Secunda ſententia eſt communis omnibus planè Scholaſticis, qui putant merita Sanctorum vnà cum meritis Chriſti perficere theſaurum Eccleſiaſticum: ità docent in 4. diſt. 20. Antequàm quid de hac re videatur probabilius explicemus, certa quædam ſunt præmittenda.

Opus factũ ab homine grato viatore eſt meritorium & ſatisfactorium. *Probationes* 1. Aduerte igitur primò, quodlibet opus factum ab homine iuſtificato in hac vita conſtituto, ſponte, libere, & ex gratia Dei, eſſe & meritorium vitæ æternæ, & ſatisfactorium pro peccatis. 1. Neque enim probare poſſum quod aliqui ſentiunt, rationem operis ſatisfactorij repetendam eſſe ex pœnalitate, ità vt illa opera cenſeantur tantùm ſatisfactoria quæ ſunt pœnalia. Primùm, quia rogarem ego, quî fiat vt vni alicui operi, vel ex condignitate operis, vel ex æquitate iuſtitiæ, vt loquuntur, debeatur vita æterna tamquam præmium, & eidem non competat ratio ſatisfactionis pro peccatis, cùm longe dignius, maiúſque ſit vitam æternam promereri, quàm ſatisfacere pro peccatis, quantumuis maximis.

2. Secundò, ratio meriti non deſtruit rationem ſatisfactionis, nec è contrà, vt manifeſte colligere licet ex actionibus Chriſti, quas in hac vita conſtitutus exercuit; fuerunt enim omnes & meritoriæ & ſatisfactoriæ. De primò, conſtat ex Philip. 2. c.2.ad Philippenſ. *Propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*, vbi glorificatio corporis, & nominis exaltatio cenſentur eſſe præmia meritorum Chriſti. De Hebr.10. ſecundo autem dicitur Hebr. cap. 10. *Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* & cap.2. 1. Ioan. 2. primæ Can. D. Ioann. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi.*

3. Tertio, Eleemoſyna cenſetur eſſe & meritoria vitæ æternæ, vt conſtat ex cap. 25. Matthæi. Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum &c. Eſurijui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere*, &c. & alibi dicitur; *ſi quis calicem aquæ frigidæ dederit in nomine meo centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Eſt item hæc eadem eleemoſyna ſatisfactoria pro peccatis, Tob. 4, Tobiæ cap.4. *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato* Daniel. 4. *& à morte liberat.* Daniel 4. *Peccata tua eleemoſynis redime:* & alibi, *Date eleemoſynam, & hæc omnia munda ſunt vobis*: Quæ teſtimonia non poſſunt intelligi de remiſſione culpæ, cùm hæc tollatur tantùm, vel per ſacramenta, vel per actum contritionis: intelliguntur ergo de remiſſione pœnæ peccatis debitę.

4. Quarto, ieiunium communi omnium conſenſu, computatur inter opera ſatisfactoria, & idem docent de oratione: at ſunt hæc duo etiam opera meritoria, vt conſtat de ieiunio, Matth. cap.6. Matth.6. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum & faciem tuã laua, & Paterĕum qui videt te in obſcondito, reddet tibi*, &c. Idem quoque de oratione dicitur c.6. Idem 6. *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum*, &c. & paucis interiectis, *Et Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi*, &c.

5. Quinto. Non magis repugnat vnum, & idem opus eſſe ſimul & meritorium, & ſatisfactorium; quàm meritorium & impetratorium: at ratio meriti & impetrationis reperiuntur in vno & eodem opere, vt conſtat ex oratione Chriſti facta in ara crucis, de hac enim dicitur Hebr. Hebr. 5. cap.5. *Offerens cum clamore valido & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia*: Neque negari poteſt quin hæc eadem oratio fuerit meritoria exaltationis nominis, & glorificationis corporis Chriſti, ex cap. ſupra citato, ad Philip. Ioan. ſimiliter 11. dicitur; *Scio Pater, quia ſemper me audis.* Ioan.17. eadem verba repetuntur. Ioan. 11. & 17.

Non eſt omnino abſurdum rationem operis ſatisfactorij repeti ex pœnalitate. *Probationes* 1. Aduerte 2. opinionem eorum, qui aiunt rationem operis ſatisfactorij repetendam eſſe ex pœnalitate, non ità eſſe abſurdum, quin facili negotio defendi poſſit; idque conſentaneè ijs quę hactenus docuimus de opere facto ab homine conſtituto in hac vita, idque ex gratia Dei ſponte & libere: primùm quia in omni opere laudabili, honeſto, & meritorio reperitur aliquis labor, ſeu pœnalitas aliqua; actus enim iſte debet eſſe neceſſario meritorius actus alicuius virtutis, virtus autem omnis verſatur circa difficilia.

2. Secundo, Omnis actio meritoria debet habere omnes omnino circumſtantias ad actum moraliter bonum neceſſarias: at in cogitatione harum omnium circumſtantiarum reperitur aliquis labor: ergo. Maior eſt apertè D. Dionyſij cap.4. Dionyſ. lib. de diuinis nominibus; *Bonum*, inquit, *conſurgit ex integra cauſa, malum autem ex quouis defectu.*

Opus ſatisfactorium, diſtinguitur à meritorio. Aduerte 3. Opus ſatisfactorium diſtingui à meritorio; quod meritorium ſoli operanti conducat, ſatisfactorium vero alteri ab operante prodeſt. Primùm probatur ex cap. 5. 2. ad Corinth. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal* 2. Cor. 5. *Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſiue malum, ſiue bonum*, & cap.9. eiuſdem epiſtolę: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, & cap.14. Apocal.14. Apocalyp. *Opera enim illorum ſequuntur illos*, id eſt, merces operum ſequitur eos, vt communiter explicant Patres ad hunc locum. Idipſum colligitur ex parabola Mat.20. dicitur enim illic quod aduentante veſpere Paterfamilias reddiderit agricolis denarios ſingulos, nomine autem denarij intelligitur æterna beatitudo, & item ex illo; *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: concors item eſt de hac re omnium Theologorum ſententia, in 4. diſt. 41. docent enim inæqualitatem beatitudinis repetendam eſſe ex inæqualitate meritorum, ità vt vnuſquiſque remuneretur in cœlis, iuxta dignitatem bonorum operum in hac vita factorum.

De ſecundo autem, quod videlicet alteri ab operante proſit opus ſatisfactorium, conſtat ex cap.6. ad Galatas. *Alter alterius onera portate*, & ex cap. 1. ad Coloſſ. *Adimpleo* (ait Paulus) *ea* Coloſſ. 1.

Digitized by Google

quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo propter Eccleſiam. Probatur etiam ab alijs hac ratione, quod Chriſtus ſatisfecerit pro nobis, ac proinde poſſe nos inuicem pro alijs ſatisfacere. Ceterùm hæc ratio planè ridicula eſt. Primò, quia certum eſt Chriſtum promeruiſſe nobis vitam æternam, imò & primam gratiam, & omnia alia omnino dona ſupernaturalia: at dici non poteſt quod vnus nomine alterius poſſit mereri primam gratiam, ſaltem de condigno. Secundò, quia conuenit inter omnes gratiam capitis eſſe neceſſariam ad meritum de condigno, ſaltem in ordine ad meritum alienum; hæc autem reperitur in ſolo Chriſto. Probatur ergo ſic ab alijs: ſatisfactio eſt debiti ſolutio, at fieri poteſt, vt vnus mortalium nomine alterius debitum ſoluat, vt patet experientia quotidiana. Secundò, de ratione partium corporis eſſe videtur, vt quando vna pars affligitur, ceterę aliqua ratione dolorem iſtum experiantur, ità enim ait alicubi Paulus; *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra:* at Catholici ſunt partes vnius corporis myſtici Eccleſię, ex cap. 12. Rom. & 12. poſterioris ad Corinth. imò propter hanc cauſam crediderim Dauidem dixiſſe pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, &c. vt obſeruauit Ambr. ſermone 18. in pſalmum proximè citatum.

1.Cor.12. Pſal. 118. Ambroſ.

Duo genera ſatisfactionum Sanctorum.

Aduerte vltimò, ſatisfactiones Sanctorum eſſe in duplici differentia: aliæ nunquam fuerunt in illis ipſis remuneratę: Aliæ nec in ipſis, nec in alijs: de illis nihil hîc, ſed de ſolis poſterioribus diſceptatur, quæritúrque hoc loco, an pertineant ad theſaurum Eccleſię.

Merita Chriſti pertinent ad theſaurum Eccleſiæ.

CONCLVSIO 1. *Merita Chriſti pertinent ad theſaurum Eccleſiæ*; ità docent omnes in 4. diſt. 20. & 21. Deinde, illud omne opus pertinet ad theſaurum Eccleſię, quod non fuit remuneratum: At merita Chriſti non fuerunt ſaltem adæquatè remunerata, nec in ipſomet Chriſto, nec in aliquo alio: non quidem in Chriſto, quia hic nulla prorſus eguit ſatisfactione, cùm nullum prorſus peccatum commiſerit, 1. Petr. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus*, &c. & cap. 5. 2. ad Corinth. *Qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, ſacrificium pro peccato fecit; imò conuenit inter omnes Chriſtum etiam præciſè, vt erat hic homo conſideratum, non potuiſſe vllum prorſus peccatum committere; ſunt enim actiones ſuppoſitorum, ſuppoſitum autem iſtius erat ſecunda perſona Trinitatis: at quemadmodum Deus peccare non poteſt, ità neque hic homo peccare potuit. Neque item fuerunt hæc merita remunerata adæquatè in alijs, quoniam hæc fuerunt infinitæ dignitatis propter dignitatem perſonæ operantis. Deinde, Chriſtus dicitur pro omnibus hominibus mortuus; & item dicitur propitiatio pro peccatis nedum noſtris, ſed & totius mundi, cap. 2. 1. Can. D. Ioann. At numerus eorum quibus merita Chriſti applicantur, eſt multo minor eo, quibus non applicantur; nam numerus damnatorum multis partibus ſuperat numerum ſaluatorum.

Satisfactiones ſuperabundantes Sanctorum pertinent ad theſaurũ Eccleſiæ.

CONCLVSIO 2. *Satisfactiones ſuperabundantes Sanctorum pertinent ad theſaurum Eccleſiæ:* hæc videtur eſſe de fide; idque propter definitionem Clementis VI. quæ extat in Extrauaganti, *Vnigenitus, de penitentijs & remiſſionibus*, ità enim loquitur hic, *Ad cuius quidem theſauri cumulum beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iuſto, vſque ad vltimum, adminiculum præſtare nituntur.* Obijcit Maldonatus, ex hac Extrauaganti, vel nihil, vel certè colligi omnia omnino Sanctorum merita, qui hactenus fuerunt, pertinere ad theſaurum Eccleſię, quod tamen nos negamus. Quod verò id ſequatur, manifeſtè colligitur ex verbis Extrauagantis, ità enim legitur: *Ad cuius quidem theſauri cumulum beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iuſto, vſque ad vltimum, adminiculum præſtare nituntur.*

Debilis cauſatus Maldonati.

Verùm, obiectio hæc parum admodum dicit, nam particula proximè citata venit ſolum intelligenda de ſatisfactionibus ſuperabundantibus Sanctorum, neque enim fieri poteſt, vt vnum & idem omnino meritũ, ad æqualitatem in duobus & diuerſis hominibus compenſetur. Conſonum autem eſt rectæ rationi, vt quandò meritum aliquod non fuit in ipſomet operante remuneratum, in aliqu alio præmietur.

Probat. 2. Concluſ.

Probatur 2. ex decreto Leonis contra Lutherum; Pontifex enim illic vtitur verbis iſtis. *Remittimus pœnas peccatis mortalium debitas ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & Sanctorum.* Eumdem modum loquendi retinent alij Pontifices in concedendis indulgentijs, vt conſtat ex praxi quotidiana.

3.

Tertio, Merita vnius poſſunt alteri applicari, & item bonitas Dei tanta eſt, vt non patiatur aliquod bonum irremuneratum abire: At merita ſuperabundantia Sanctorum non fuerunt in ipſiſmet Sanctis remunerata: ergo neceſſario pertinent ad theſaurum Eccleſiæ, quatenus in alijs debitum præmium conſequuntur.

4.

Quarto, tenentur parentes filijs theſaurizare, ex cap. 12. 2. ad Corinth. at Apoſtoli, Martyres, & alij huiuſmodi Sancti, cenſentur eſſe quaſi parentes Chriſtianorum, vt conſtat ex innumeris locis Scripturæ.

5. Coloſſ. 1.

Quintò, D. Paulus cap. 1. ad Coloſſ. diſertis verbis fatetur, ſe ſatisfeciſſe nomine ceterorum Chriſtianorum: ità enim illic loquitur: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo, propter Eccleſiam.*

Euaſio hæreticorum.

Reſpondent hæretici, D. Paulum minimè ſatisfeciſſe pro alijs Chriſtianis, ſed tantùm ſuo exemplo eos inuitaſſe, & animaſſe ad multa propter gloriam Dei ſuſtinenda: item ad perſeuerantiam in fide Catholica.

Præcluditur.

Ceterùm, Reſponſio hæc planè ridicula eſt. Primò, quia licet fateamur Paulum ſuſtinuiſſe ærumnas innumeras, quatenus hac ratione confirmaret alios in fide Chriſtiana: non tamen dici poteſt, quod propter iſtum ſolum finem labores hos ſuſtinuerit. Secundo, quia contrarium omnino colligi videtur ex verbis citatis Pauli. Tertiò, quia D. Auguſt. in pſalmum 61. diſertis verbis docet D. Paulum ſatisfeciſſe nomine aliorum Chriſtianorum.

D. Auguſt.

Vindicantur ab hæreſi Doctores Catholici.

Dices, ſi Concluſio hæc ſit de fide Catholica, ſequitur Doctores iſtos Scholaſticos, qui contrarium aſſeuerant, vel docuiſſe hæreſim, vel certè eſſe hæreticos. Reſpondeo neutrum horum colligi: fatentur enim illi ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum, pertinere ad theſaurum Eccleſię; non quidem hoc ſenſu quaſi ſint iſtæ authoritate Pontificia illo eodem modo concedendæ, quo merita Chriſti per modum ſcilicet ſolutionis, & abſolutionis: ſed quia ſunt in theſauro Eccleſiæ, quaſi ſuffragia quædam, quæ offerantur à nobis Deo, quatenus illorum ope aliquid ab ipſo impetremus: An autem iſtorum opinio

Digitized by Google

opinio ſit vera, explicabitur Concluſione ſequenti.

Qua ratione merita Sanctorum ad theſaurum pertineant.

Conclvsio 2. *Merita Sanctorum ſuperabundantia pertinent ad theſaurum Eccleſiæ: non quidem, quatenus ſunt ſuffragia, per quæ aliquid à Deo impetramus; ſed vt eodem modo quo Chriſti merita, authoritate Pontificia, diſtribuantur per vſum indulgentiarum.* Probatur primùm, quia Pontifices inter concedendas indulgentias, vtuntur locutionibus iſtis. *Ex ſuperabundantia meritorũ Chriſti, & Sanctorum, remittimus pœnas peccatis debitas,* quo loco particula, *Ex*, non poteſt ſignificare cauſam impetratoriam, ſed redimentem, & ſoluentem debita contracta per peccatum: nam merita Chriſti in omni opinione, ex opere operato pœnas peccatis debitas remittunt; non autem impetrando.

Probationes

1.

2. Secundò, adijciunt Pontifices; *Diſpenſamus merita Chriſti, & Sanctorum.*

3. Tertio, ſequeretur ex opinione contraria, iuriſdictionem non eſſe neceſſariam ad conceſſionem indulgentiarum: in poteſtate ſiquidem hominis cuiuſlibet priuati eſt, merita Chriſti & Sanctorum Deo Patri repræſentare, quatenus à Deo aliquid obtineat. Extat de hac re exemplum Iacob, in ſacra Geneſi; benedicens quippe filijs ſuis, ità ait: *Inuocetur nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham, & Iſaac.*

4. Quartò, ſequeretur innumeras Sanctorum quorumdam ſatisfactiones futuras ſine vllo prorſus præmio, idque tempore infinito.

Diſſoluuntur fundamenta 1. ſententiæ 1.

Ad rationes Authorum prioris ſententiæ reſpondeo. Ad 1. Nos vltrò fateri merita Sanctorum cumulatiſſimè remunerata fuiſſe in cœlis, ex eo capite, quo fuerunt meritoria, minimè verò quatenus fuerunt ſatisfactoria. Reſpond. 2. Sanctos in hac vita conſtitutos, voluiſſe ſuperabundantes ſatisfactiones reponi in theſauro Eccleſiæ, & diſpenſari authoritate Pontificia, per vſum indulgentiarum, & quia authores contrariæ ſententiæ aſſerunt nos hæc ſine vllo prorſus ſtabili fundamento affirmare, ideò probatur res hæc à nobis. Primum, ex cap. 12. 2. ad Corinth. *Non quæro veſtra, ſed vos, non enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs; ego autem libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* & 2. ad Corinth. cap. 2. *In præſenti tempore veſtra ſuperbundantia inopiam illorum ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.*

2. Cor. 1

2.

Secundo, Sancti in hac vita conſtituti, non potuerunt ignorare quin cuilibet operi meritorio merces aliqua deberetur; ac proinde quin mercedem iſtam ſimiliter exoptarint: at ſatisfactiones Sanctorum ſuperabundantes, non potuerunt remunerari in ipſiſmet Sanctis: ergo. Tertio, quicumque exequitur opus aliquod honeſtum, & Deo gratum, vult quoque eius præmium: idque vel ſecundum legem à Deo conſtitutam, vel vt recta ratio exigit: at Sancti in hac vita degentes innumeras actiones honeſtiſſimas exercuerunt, quarum præmium ipſi non ſunt aſſecuti: ergo. Vltimo, ſatisfactiones iſtæ ſuperabundantes Sanctorum, deuoluuntur ad iuriſdictionem Eccleſiæ; idque eo ipſo quod non fuerint in ipſiſmet Sanctis remuneratæ: ergo cum voluerint theſaurum Eccleſiæ applicari iuxta modum à Deo conſtitutum, videntur ſimiliter voluiſſe ſatisfactiones ſuas applicari, & authoritate Pontificia diſtribui.

Secundum fundamentum ruit.

Ad 2. reſpondeo, negando illationem maioris: ad probationem autem dico ſatisfactiones Sanctorum conducere alteri tantum de congruo. Reſpondeo 2. propterea fieri non poſſe, vt purus homo in gratia conſtitutus primam gratiam alteri promereatur, quod gratia capitalis ſit ad hunc effectum abſolutè neceſſaria, hæc autem datur in ſolo Chriſto: ac proinde de eo dicitur Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam, pro gratia.* Ioan. 1.

Ad 3. reſpondeo primum, non eſſe neceſſe charitatem cuiuſlibet comprehenſoris perfectiorem, & intenſiorem eſſe charitate cuiuſlibet viatoris: imò conuenire inter omnes adultũ quemlibet, in gratia conſtitutum, etiamſi agat in hac vita mortali ſuperare charitatem, cuiuſlibet pueri in cœlis conſtituti: minima quippe gratia inter omnes cenſetur eſſe ea, quæ datur per baptiſmum ex opere operato, qualis eſt ea quæ reperitur in paruulis: ac proinde licet admittamus Sanctos in cœlis conſtitutos ſuperare charitatem viatorum; non tamen propterea colligere licet, eos applicare ſuas ſatisfactiones ſuperabundantes his, & illis, ex ſpeciali intentione: hoc enim præſtare non poſſunt Sancti, quod careant dominio in actiones ſuperabundantes quas in hac vita conſtituti exercuerunt.

Tertiũ fundamentum ſoluitur.

Charitas adulti viatoris excedit charitatem pueri beati in cœlo.

Rogabis, *Quiſnam habeat dominium harum operationum.* Reſpondeo, *Eccleſiam Catholicam:* idque colligitur ex illis omnibus locis, ex quibus ſupra docuimus poteſtatem concedendi indulgentias, eſſe penes Eccleſiam. Non eſt tamen negandum, quin Sancti in cœlis conſtituti, poſſint impetrare per ſatisfactiones factas in hac vita mortali, diſpoſitionem nobis neceſſariam, aut vtilem ad effectum indulgentiarum obtinendum: imò nos ipſi in hac vita poſſumus ſatisfactiones Deo repræſentare, quatenus illarum ope bona aliqua conſequamur.

Eccleſia habet dominiũ operationũ Sanctorum hic elucidatum.

Ad 4. reſpondeo. Non omnium Sanctorum ſatisfactiones, ſed eorum tantum qui agunt in cœlis pertinere ad theſaurum Eccleſiæ, idque quod iſtę non fuerint in ipſiſmet Sanctis remuneratę, nec præterea poſſunt in illiſmet ipſis remunerari: ſatisfactiones autem Sanctorum agentium in hac vita mortali poſſunt ſemper in ipſis remunerari.

Satisfit quarto fundamento.

Rogabis, quid ſentiendum ſit de ſatisfactionibus quorumdam iuſtorum qui poſtea à gratia Dei excidunt, quique moriuntur in ſtatu peccati mortalis, ac proinde ſatisfactiones iſtæ non fuerunt in ipſiſmet authoribus remuneratæ. Reſpondeo has ſatisfactiones pertinere ad theſaurum Eccleſiæ, quia diximus pertinere ad Dei bonitatem, vt nullum prorſus bonum permaneat irremuneratum. Deinde, idipſum colligi videtur ex cap. 19. Lucæ: *Omni habenti dabitur & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur,* idque quatenus applicetur ei, qui huius rei opera iuuari poteſt, vt communiter explicant Patres ad hunc locum. Tertiò, concors eſt omnium ferè ſententia, opera mortificata tamdiu manere in Eccleſiæ theſauro, quamdiu remanet peccatum mortale in anima illius, cuius opera ſunt mortificata.

Opera bona reproborum non remunerata reponuntur in theſauro Eccleſiæ.

Luc. 19.

Ad 5. reſpondeo, Merita Sanctorum non pertinere ad theſaurum Eccleſiæ, quatenus ſunt ſuffragia quædam per quæ aliquid à Deo impetramus; ſed multo magis, vt illa, eadem ratione qua merita Chriſti, authoritate Pontificia diſtribuantur per indulgentias. Neque ex eo aliqua iniuria

Quintum fundament.

Digitized by Google

Chriſto irrogatur. Primùm, quia fatemur merita Chriſti eſſe infinitę dignitatis & infinitę perfectionis. Deinde, quia merita Sanctorum, ità pertinent ad theſaurum Eccleſię, vt tamen ſupponant ſemper hæc merita Chriſti, imò omne robur quod habent, repetendum eſt maximè ex meritis Chriſti. Tertiò, quia hinc extollitur Chriſti majeſtas, & Sanctorum dignitas, nam nedum Chriſtus per ſeipſum nobis promeruit, ſed etiam effecit vt ſancti aliqua noſtro nomine perfecerint.

Inſtantia. Inſtabis, infinitum non eſſe capax additionis, ergo cùm merita Chriſti ſint infinita, & hæc abſoluant & expleant Eccleſię theſaurum: merita Sanctorum non pertinebunt ad theſaurum Eccleſię. *Soluitur.* Reſpondeo, infinitum intenſiuè conſideratum non eſſe capax additionis, extenſiuè tamen poſſe ſuſtinere alicuius alterius rei additionem, vt probatur ex Deo, qui vere infinitus eſt, patitur autem ſecum innumera alia bona: merita autem Sanctorum pertinent ad theſaurum Eccleſię quaſi extenſiue: nam primò & per ſe theſaurus hic conſtat ex ſolis Chriſti meritis.

Alia inſtantia. Rurſus inſtabis: ſi ità res ſe habeat, ſequeretur Sanctos redemiſſe nos; debita quippe noſtra redimimus per indulgentias, quas docuimus conſtare ex meritis Chriſti, & ſatisfactionibus Sanctorum. *Reſpenſio.* Reſpondeo negando illationem antecedentis; ad hoc enim vt aliquis dicatur proprie redemptor ſimpliciter & abſolute requiritur vt is qui redimit debita aliena, ex proprijs, & alias indebitis, debita aliena ſoluat: Sancti autem non poſſunt ità ſatisfacere ex proprijs, vt hæc nulla ratione ſint Dei creditoris, imò ſunt magis Dei merita iſta, quàm ſint ipſorummet Sanctorum. *Sancti nequeunt dici redemptores.* Secundo, requiritur ad hoc, vt aliquis dicatur proprie Redemptor, quod opus per quod redimit, ordinetur tantùm in redemptionem iſtam: Sancti autem ſuas operationes non ordinarunt tantum ad ſatisfaciendum pro alijs, imo conſtituerunt ſibi longe alios & diuerſos fines ab iſto, nempe gloriam Dei, proximi ædificationem, mandatorum Dei obſeruationem, & denique propriam ſalutem.

Solutio vltimi fundamenti. Ad vltimam reſpondeo. Non repugnare theſaurum Eccleſię exhauriri, ſi præciſe ſpectetur ille quatenus conſtat ex meritis Sanctorum: merita enim iſta ſunt finita, finitum autem facile per diuiſionem exhauriri & deſtrui poteſt. Reſpondeo 2. theſaurum Eccleſię quatenus conſtat ex meritis Sanctorum nunquam fore euacuandum, idque quoniam per indulgentias nunquam applicantur merita Sanctorum ſeparata, ſed vnà cum meritis Chriſti; impoſſibile autem eſt merita Chriſti exhauriri cum hæc ſint infinities infinita.

Obiectio. Obijcitur, Scripturas ſacras nihil frequentiùs inculeare quàm vnumquemque fore remunerandum, vel certe plectendum iuxta operationes executioni demandatas in hac vita, 1. Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem.* & cap. 5. 2. ad Corinth. *Vt referat vnuſquiſque prout geſſerit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum.* Apocal. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* 2. Corinth. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*: ergo merita Sanctorum non poſſunt pertinere ad theſaurum Eccleſię.

1. Cor. 3. 2. Cor. 5. Apoca. 14. 2. Cor. 9.

Reſpenſio. Reſpondeo, teſtimonia iſta & ſimilia intelligenda eſſe de retributione finali, vt loquuntur, ità vt ſenſus ſit vnumquemque vel remunerandum in cœlis iuxta dignitatem bonorum operum in hac vita factorum, vel certe cruciandum apud inferos iuxta turpitudinem actionum humanarum, quas quis in hac vita exercuerit; cùm hoc tamen recte cohæret vt vnus poſſit iuuari ſatisfactionibus aliorum, maxime ſi agat in eo loco in quo conceditur tempus ſatisfaciendi pro peccatis: huius autem generis ſunt animę in purgatorio conſtitutę, & item omnes illi qui agunt in hac vita mortali: nam ſi teſtimonia proxime citata eſſent intelligenda, vt volunt hæretici, ſequeretur nos minime iuuari poſſe actionibus Chriſti, nec item actionibus ſanctorum, quę duo citra impietatem affirmari non poſſunt.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum merita Chriſti aliter nobis applicentur, quàm per indulgentias.

TRIA ſunt hoc loco paucis explicanda. 1. *An per ſolas indulgentias merita Chriſti nobis applicentur.* 2. *An quæcumque ſanctorum ſatisfactiones ſuperabundantes pertineant ad theſaurum Eccleſiæ: an verò eorum tantùm qui vixerunt in lege gratiæ.* 3. *An merita Chriſti & ſanctorum pertineant ad theſaurum Eccleſiæ, quatenus ſunt præciſe meritoria, an quatenus ſunt ſatisfactoria, aut denique ratione vtriuſque.*

Innumeris modis applicantur nobis merita Chriſti. Quod igitur attinet ad primum breuiter reſpondemus: Merita Chriſti, & per ſacramenta, & per ſacrificia, & innumeris aliis modis nobis applicari. Primum, de ſacramentis nulla prorſus eſt difficultas: nam cenſentur eſſe hæc ex doctrina D. Thom. 3. parte quæſt. 60. pharmaca & medicamenta quędam, per quę Deus medetur malis noſtris.

Secundo, peccatorum remiſſio de communi lege ſine ſacramentis in re, vel in voto ſuſceptis fieri non poteſt, ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 7. canon. 4.

Tertio, gratia cenſetur eſſe effectus meritorum Chriſti; at hæc datur nobis per ſacramenta: ergo. De ſacrificiis nullus eſt dubitandi locus; conuenit enim inter omnes pœnas temporales peccatis debitas tolli per ſacrificium miſſæ.

Secundo, culpæ veniales ex communi item conceſſione delentur per ſacrificium miſſæ.

Tertio, Sancti Patres aſſerunt communiter ſacrificium Miſſę prodeſſe animabus defunctorum. Quod attinet ad 2. reſpondeo hac vnica Concluſione.

Satisfactiones ſanctorum legis naturæ & Moſaïcæ pertinent ad theſaurum Eccleſiæ. CONCLVSIO. *Satisfactiones ſuperabundantes Sanctorum legis naturæ, & Moſaïcæ pertinent ad theſaurum Eccleſiæ, non minùs quàm ſatisfactiones Sanctorum legis gratiæ.* Primùm, ità dicitur verbis expreſſis in Extrauaganti, *Vnigenitus, de penitentijs & remiſſionibus.*

Deinde, docuimus pertinere ad Dei bonitatem, vt nullum opus bonum ſine debito præmio remaneat. At fuerunt aliquę ſatisfactiones tempore legis Moſaïcæ & naturæ, quæ non potuerunt remunerari in ipſiſmet Sanctis, vt notiſſimum videtur exemplo Ioannis Baptiſtæ Abelis, Hieremiæ, Iſaïæ, Machabæorum & multorum aliorum.

Probationis. Tertio, Nulla eſt ratio, propter quam dicamus merita ſanctorum veteris Teſtamenti non pertinere ad theſaurum Eccleſiæ, ſpectare tamen ad hunc eumdem merita ſanctorum noui Teſtamenti: In

Digitized by Google

ti: In hac concluſione ſunt Gregor. de Valentia, in controuerſia de indulgentiis, Suarez diſp. 51. tom. 4. ad 3. partem D. Thom. & communiter Sententiarij in 4. diſt. 20.

Obiectio. Dices, ſi hæc Concluſio eſſet vera, ſequeretur indulgentiarum vſum fuiſſe in veteri Teſtamento.

Reſponſio. Reſpondeo negando illationem antecedentis. Primùm, quia conceſſio indulgentiarum cenſetur eſſe propria, & particularis legis gratię; colligitur enim poteſtas iſta ex ſolis teſtimoniis Matth. 16. & 18. Ioann. 20. & 21.

Deinde, quia indulgentię præſupponunt abſolutè merita Chriſti: hæc autem non fuerunt in theſauro Eccleſię tempore legis naturæ & B Moſaïcę.

Tertiò, merita Sanctorum ſortiuntur præcipuam vim à meritis Chriſti.

Inſtantia. Inſtabis ex conceſſis, theſaurum Eccleſiæ extitiſſe in lege naturæ, & Moſaïca: pertinet autem ad paſtorem vniuerſalem alicuius legis diſpenſare theſaurum ſpecialem iſtius legis.

Reſponſio. Reſpondeo, pertinere ad paſtorem vniuerſalem alicuius legis diſtribuere theſaurum iuxta neceſſitatem illius reipublicæ, non quidem prout gratum videbitur paſtori, ſed iuxta legem, & ordinationem à Deo conſtitutam: voluit autem Deus theſaurum hunc tempore legis naturæ, & Moſaïcæ applicari authoritate eorum, qui præ- C erant rebus ſacris eo tempore.

Alia inſtantia. Contrà inſtabit aliquis. Tempore legis naturæ & Moſaïcæ non minùs peccata remittebantur, quàm fiat iam: imo Leuitici cap. 25. dicitur, anno quocumque quinquageſimo fuiſſe Iubilæum à Iudæis celebratum: in lege autem gratiæ tempore Iubilæi pleniſſimæ conceduntur indulgentię.

Satisfit. Reſpondeo 1. tempore legis naturæ & Moſaïcę, peccata fuiſſe quidem remiſſa per ſacramenta & ſacrificia, non tamen illo eodem modo, quo in lege gratię: nunc enim ſacramenta ex opere operato peccata remittunt & gratiam conferunt: tunc autem ex opere operantis tan- D tùm.

Deinde, illis temporibus ſacramenta iuſtificabant, ceterùm per merita Chriſti futura, noſtra verò ſacramenta per merita Chriſti actu exhibita & præſentia.

Alia reſponſio. Reſpondeo 2. Iubilæum longe aliter celebrari in lege gratię, quàm antiquitus in lege Moſaica; *Iubilæum in vtraque lege celebratum ſed diuerſimodè.* nam in noua lege celebrari anno quocumque centeſimo conſueuit, ſaltem iuxta primam eius inſtitutionem, quæ facta eſt ab Alexandro III. Pontifice Max. In veteri autem Teſtamento celebrabatur anno quinquageſimo. Deinde, noſtris temporibus celebratur anno quocumque 25.

Tertio. Ratio propter quam in veteri Teſta- E mento Iubilæũ celebraretur, hæc redditur Leuitici 25. vt quilibet priſtinis poſſeſſionibus reſtitueretur, & item vt peccata commiſſa condonarentur, quod tamen non tam intelligendum eſt de condonatione peccati comparatione Dei, quàm de ea quæ fit à Republica in fauorem reorum: in lege autem gratię Iubilæum propterea obſeruatur, vt Deo reddatur debitus cultus, culpę remittantur, & item pœnę peccatis debitæ, idque comparatione Dei, non vero reipublicæ: diximus enim indulgentias non remittere pœnas à Republica indictas.

Mouetur quæſtio. Rogabis, *An tempore legis Moſaïcæ, &* In 3. partem D. Thom.

naturæ merita Chriſti pertinerent ad theſaurum Eccleſiæ.

Respondeo, *propriè loquendo, & in rigore merita Chriſti pro eo tempore non compleuiſſe theſaurum Eccleſiæ*, neque enim fieri poteſt, vt id quod non eſt actu, compleat id quod eſt actu: merita autem Sanctorum fuerunt eo tempore actu. *Merita Chriſti in antiqua lege non pertinebant ad theſaurum.*

Secundo, quod non eſt, non poteſt propriè dici acquiſitum & comparatum: at merita Chriſti nondum erant eo tempore exhibita, ſed futura.

Dices, de Chriſto dicitur apud Sapientem; *Hic eſt agnus qui occiſus eſt ab origine mundi.* *Obiectio.*

Reſpondeo, Scripturam loqui de rebus futuris in tempore præterito, & præſenti, vt conſtat ex illo Dauidis, *'De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, qui locus intelligitur de Chriſto. *Reſponſio.* Pſal. 109.

Reſpond. 2. Agnum fuiſſe occiſum ab origine mundi, ex decreto & determinatione diuina, non autem de facto, ac proinde neque de facto merita Chriſti in ſtatu legis naturę, & Moſaicę pertinuiſſe ad theſaurum Eccleſiæ.

De tertia vero difficultate hoc vnum videtur afferendum; *Merita Chriſti, & quatenus ſunt meritoria, & vt ſatisfactoria, pertinere ad theſaurum Eccleſiæ: merita vero Sanctorum, quatenus ſunt tantùm meritoria*; de meritis Chriſti nulla prorſus eſt difficultas, communicantur hæc quippe nobis per ſacramenta, ſacrificia, & indulgentias. *Qua ratione tam operа Chriſti quàm Sanctorum ad theſaurum pertineant.*

De meritis autem Sanctorum non ſatis conuenit inter Doctores, vnde res hæc probatur à nobis. Primo, Merita Sanctorum de condigno fuerunt in cœlis cumulatiſſimè remunerata; Roman. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:* Rom. 8. ergo non ſupereſt aliquid ex illis meritis, quod reponatur in theſauro.

Deinde, merita de congruo Sanctorum, nullius prorſus ſunt vtilitatis, comparatione indulgentiarum; indulgentię quippe infallibiliter ſuos conſequuntur effectus, merita autem de congruo pendent ſimpliciter à gratuita acceptatione præmiantis.

Tertio. In omni merito de congruo deſideratur petitio aliqua, vel certe aliquid aliud quod reſpondeat petitioni; idque quatenus meritum hoc ordinetur ad alium effectum, ad quem ſua natura non ordinabatur: at in indulgentiis nulla prorſus eſt petitio, neque aliquid quod petitioni reſpondeat.

Quarto. Nullus prorſus ex Sanctis meruit nobis poteſtatem concedendi indulgentias, neque item, vt pœnę peccatis noſtris debitę remitterentur infallibiliter, ſine applicatione alicuius ſatisfactionis proprię, aut alienę; hæc enim duo debentur tantùm meritis Chriſti: ergo.

Vltimo, illud tantum poteſt pertinere ad indulgentias, quod in ſe habet rationem pretij. at merita Sanctorum vt ſic, non habent rationem pretij, ſed tantum ſatisfactiones eorumdem: igitur ſecundum illam rationem non conficiunt theſaurum Eccleſiæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA,

De ſuſcipientibus Indulgentias.

HÆc Quæſtio maioris explicationis gratia ſubdiuiditur in duas partes. 1. aget de viuentibus. 2. de mortuis.

QVÆSTIONIS QVINTÆ,

PARS PRIMA.

De viuentibus conſequentibus Indulgentias.

HÆc pars tres breuiſſimas habitura eſt Dubitationes 1. An indulgentiæ ſolis & quibuſdam hominibus poſſint dari. 2. An qui dat alijs indulgentias, eaſdem ſibi dare poſſit. 3. & vltima, Quæ ſint neceſſaria ad hoc, vt quis indulgentiarum fructus experiri poſſit.

DVBITATIO PRIMA.

An ſolis & hominibus viuentibus proſint indulgentiæ.

Indulgentiæ aliæ reales, aliæ locales, aliæ perſonales.

ANTEQVAM hæc Dubitatio explicetur; præmittendum eſt, Indulgentias alias eſſe reales, alias locales, alias denique perſonales. Reales cenſentur eſſe illæ, quæ rebus quibuſdam mobilibus adſcriptæ ſunt, cuius generis ſunt illæ quæ dantur Rotarijs, Calculis, Agnis cereis, & ſimilibus rebus. Locales, quæ adſcribuntur locis ſolidis, ac firmis, cuiuſmodi ſunt illæ quæ imputantur Baſilicis, Sacellis, Templis, Altaribus, & ſimilibus. Perſonales denique, quæ conſequuntur vnam, aut plures perſonas, vt hunc vel illum Cardinalē, Epiſcopū, Principē, vel aliquem aliū.

Notabile.

Aduerte 2. fructum harum indulgentiarum non poſſe quemquam experiri, niſi cum dependentia ab illis locis & rebus, quibus indulgentiæ ſunt aſſignatæ. De hac re conuenit inter omnes in 4. diſt. 20. & apud Summiſtas verbo, *Indulgentia.*

Soli adulti baptizati conſequuntur indulgentias.

CONCLVSIO. *Solis & omnibus hominibus adultis, baptizatis, in hac vita conſtitutis applicari poſſunt indulgentiæ.* Probatur primò: Conceſſio indulgentiarum cenſetur eſſe actus iuriſdictionis: at Eccleſia iuriſdictionem tantùm habet in viuentes, & baptizatos homines, ſaltem directè.

Probationes
1.
2.

Deinde indulgentiæ, vt ſic, reſpiciunt remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ: at pœna iſta locum habere poteſt tantum in adultis baptizatis: igitur iſti tantum ſunt capaces indulgentiarum.

Obiectio.

Dices, Apoſtatam à fide & Religione Chriſtiana reum eſſe alicuius pœnæ temporalis, putà quia peccata aliqua venialia commiſit, & præterea, quia dum ageret in Religione Chriſtiana, conſequutus eſt remiſſionem aliquarum culparum lethalium, pro quibus non ſatisfecit ad æqualitatem: ergo.

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando illationem. Primùm, quia nullus eſt qui poſſit ſatisfacere pro culpa, quantumuis minima in ordine ad Deum, quamdiu agit in peccato mortali.

Secundo, conuenit inter omnes conſtitutum in peccato mortali iure exſpoliandum eſſe omni plane bono. Tertiò, docuimus quæſt. 3. huius tractatus, gratiam habitualem eſſe abſolute neceſſariam, ad hoc vt quis effectum indulgentiarum conſequi valeat. Vltimò, indulgentiæ habent tantùm locum in Eccleſia Catholica: Apoſtata autem à fide non eſt in Eccleſia: ità docent omnes in 4. diſt. 20. alij 21.

DVBITATIO SECVNDA.

An is qui conceſſit alijs indulgentias eaſdem lucrari poſſit.

Rationes dubitandi.
1.

RATIO dubitandi eſt. Prima Conceſſio indulgentiarū eſt actus iuriſdictionis: at nullus eſt, qui in ſeipſum iuriſdictionem habeat.

2.

Deinde, indulgentiæ cenſentur abſolutiones, & remiſſiones pœnarum peccatis debitarum: at nullus eſt qui ſeipſum abſoluere poſſit.

3.

Denique, indulgentiæ dicunt adminiſtrationem theſauri Eccleſiaſtici: at nullus eſt qui bona alicuius communitatis ſibi ipſi appropriare queat.

Concedens indulgentias aliquibus, ſibi etiā concedit.

CONCLVSIO. *Pontifex Romanus, aut Epiſcopus quandocumque alicui communitati conceſſit indulgentiam, eandem ſibi conceſſiſſe aſſerendum eſt.*

Probat. 1.

Probatur primò, quia Pontifex, vel Epiſcopus non debet eſſe deterioris conditionis, quàm ſint ſubditi, maxime in ijs, quæ nulli prorſus obſunt, prodeſſe autem poſſunt omnibus.

2.

Secundò, non eſt magis difficile Pontificem lucrari indulgentias alicui communitati à ſe conceſſas, quàm abſolui à peccatis in foro conſcientiæ, actus enim iſti præſupponunt iuriſdictionem ex æquo; at dici non poteſt, quin Pontifex Romanus abſoluatur à peccatis in foro conſcientiæ, etiamſi plenitudo iuriſdictionis Eccleſiaſticæ reſideat in Pontifice Romano.

Vlt.

Vltimò, conuenit inter omnes Pontificem poſſe lucrari indulgentias à prædeceſſoribus ſuis conſtitutas: ergo poterit à ſeipſo conceſſas; par enim, in parem non habet imperium. In hac Concluſione conueniunt, D. Thom. Palud. Gabriel. ſupplementum in 4. diſt. 45. art. 2. Richard. diſt. 20. art. 4. Auguſt. Triumphus, de poteſtate Eccleſiaſtica, quæſt. 29. art. 2. Natar. in commentario de Iubileo, notabili 20. num. 11. Corduba, q. 13. de indulgentiis, & fere omnes Recentiores.

D. Thom.

Non tamen conuenit inter iſtos in reddenda ratione propter quam Pontifex lucretur indulgentias, quas alijs conceſſit. Sunt qui putent id propterea fieri, quod concedens indulgentias ſubmittat ſe alicui ſacerdoti, cui tribuit poteſtatem ſuam, ac proinde poterit hic quaſi vnus de plebe obtinere indulgentias, illo eodem modo, quo ex eo actu, quo ſubmittit ſe alicui ſacerdoti, Pontifex Max. abſoluitur ab eo in foro conſcientiæ. Ratio hæc pluribus impugnatur à Nauarro loco cit. primò, quia ſi ità res haberet, ſequeretur pontificem Max. ſeipſum abſoluere à pœnis peccatis ſuis debitis, quod tamē dici non poteſt, cum abſolutio ſit actus iuriſdictionis, nullus autem in ſeipſum iuriſdictionem habet.

Ratio 1. quorundā.

Secundo,

Digitized by Google

Secundo, propterea Pontifex Romanus in A foro conſcientię abſoluitur à peccatis per ſacerdotem cui confiteтur, quia quilibet ſacerdos iure diuino iuriſdictionem habet abſoluendi Pontificem in foro conſcientię, à peccatis tamen tantum, non autem id præſtat ſacerdos per poteſtatem emendicatam ab ipſo Pontifice Romano.

Refelluntur rationes Nauarri.

At rationes iſtæ ſunt plane ridiculę; Prima quidem, quia etſi Pontifex faceret poteſtatem alicui ſacerdoti concedendi indulgentias, idque in ordine ad ſeipſum, non tamen propterea ſequeretur Pontificem ſeipſum abſoluere à pœnis peccatis ſuis debitis, nam Pontifex hic facit poteſtatem ſacerdoti dandi indulgentias, quatenus B Pontifex eſt, qua ratione nullus, qui poſſit conſequi indulgentias: conuenit quippe inter Catholicos, Pontificem, vt ſic, non errare, nec peccare poſſe, ac proinde nec eſſe reum pœnarum aliquarum.

Secundo, Pontifex conſequeretur indulgentias, vt eſt hæc perſona priuata, qua ratione poteſt præſcindi à dignitate Pontificia, vt ſic, ac proinde idem non abſoluetet ſeipſum. Ratio item ſecunda nihil probabilitatis in ſe continet: diximus enim in diſputatione de Confeſſione, omnem omnino poteſtatem abſoluendi à peccatis iure diuino, repetendam à perſona Pontificis Romani, ità vt ſolus Pontifex Romanus habeat po- C teſtatem abſoluendi à peccatis à Deo: ceteri autem omnes mediante Pontifice Romano, & dependenter ab eo.

Vera impugnatio modi loquendi.

Modus ergo hic loquendi impugnatur à nobis. Primò, quia ſupponit neceſſariam eſſe diſtinctionem perſonarum ad hoc, vt aliquis poſſit lucrari indulgentias, quod tamen probabitur inferiùs eſſe falſum. 2. quia experientia quotidiana docet Pontificem Romanum, aut etiam Epiſcopum, quando vult lucrari indulgentias à ſe conceſſas, non propterea ſubmittere ſe alicui ſacerdoti, quatenus ab eo obtineat indulgentias. 3. in conceſſione indulgentiarum non exercetur iuſtitia punitiua: D ergo.

Aliorũ ratiocinatio.

Alij verò vroptereà volunt Pontificem Maximum conſequi eaſdem indulgentias, quas alicui communitati dedit, quod hic ſit pars iſtius communitatis: quando autem aliquid datur communitati, cenſetur illud ipſum datum eſſe omnibus & ſingulis partibus illius communitatis; ac proinde volunt hi authores Pontificem directè dare indulgentias communitati, ſibi autem indirectè, & quaſi ex conſequenti.

Reijcitur.

Ceterùm, licèt hæc ratio loquendi ſit probabilis, non tamen videtur omnem difficultatem adimere, quæ hic ſuboriri poſſet. Primò, quia verba *Abſoluo, Diſpenſo, Remitto,* & ſimilia, qui- E bus vtitur Pontifex Maximus in conceſſione indulgentiarum, ſignificant vnum, & idem, & quidem eadem ratione: non ergo dici poteſt, quod Pontifex directè concedat indulgentias communitati, ſibi autem indirectè.

Euaſio contrariorum.

Reſpondent aduerſarij verbum, *Abſoluo*, & ſimilia, ſignificare remiſſionem pœnarum peccatis debitarum in conceſſione indulgentiarum in ordine ad totam communitatem longe aliter, quàm in ordine ad Pontificem Max. Nam in ordine ad Pontificem Max. ſignificat ex intentione ſuperioris Pontificis Romani, qualis eſt Deus; in ordine autem ad totam communitatem, ſignificat eamdem remiſſionem, ceterùm ex intentione Pontificis Romani.

Præcluditur.

Verùm hæc reſponſio eſt plane diuinatoria; nam vnde conſtat illis de diuerſo iſto modo ſignificandi verbi (*Abſoluo*)?

Deinde, quia ſi eorum reſponſio eſſet vera, ſequeretur nedum Pontificem Romanum, ſed etiam Deum ipſum immediate concedere indulgentias, & Pontificem Romanum, quod tamen eſt contra omnium ſententiam; ſolus enim ille indulgentias concedit, qui eas immediatè proclamare facit; imò hoc ipſum ſignificatur in ipſiſmet indulgentijs: ità enim ibi loquitur Pontifex Max. *Confiſi de diuina miſericordia remittimus tot annos, tot dies de penitentijs iniunctis.*

Tertiò, Epiſcopus quando vult concedere indulgentias, de hac re nec agit cum Pontifice Romano, nec alium vlla ratione de hoc negotio certiorem facit, quod tamen fieri non poſſet, ſi Epiſcopus lucraretur indulgentias ex intentione Pontificis Romani.

Quartò, quando Pontifex Romanus vult dare indulgentias per modum abſolutionis, aut etiam ſolutionis, conſueuit hic diuerſis verbis explicare: ergo ſi verbum, *Abſoluo*, ſignificaret vt volunt aduerſarij, in conceſſione indulgentiarum, explicaret id Pontifex verbis omnino varijs & diuerſis.

Optima ratio Concluſ. præter allatas circa ipſam.

Ratio ergo tota propter quam Pontifex Maximus, aut Epiſcopus lucretur indulgentias à ſe conceſſas alijs, repetenda videtur ex plenitudine poteſtatis, quę ineſt Pontifici Maximo. Neque enim ratio aliqua aſſignari poteſt, propter quam dicamus Pontificem minime lucrari indulgentias à ſe conceſſas alijs: præſertim cum ad id non ſit neceſſaria diſtinctio perſonarum. Primò, quia conceſſio indulgentiarum non eſt actus iuriſdictionis iuſtitiæ vindicatiuæ. 2. Concedunt omnes Pontificem Romanum poſſe ſeipſum diſpenſare in lege aliqua à ſe conſtituta. 3. Conuenit apud pleroſque Principem ciuilem poſſe legitimare ſuos & aliorum filios naturales, ad hoc vt conſequantur hæreditatem Patrum. Vltimò, non decet Pontificem Romanum priuari tanto bono, quantum ſunt indulgentiæ, eo ſolo nomine quod careat ſuperiori in iſtis terris.

Diſſoluũtur rationes dubitandi.

Ad rationes vero dubitandi initio propoſitas reſpondeo. Ad primam, non eſſe abſurdum vnum & eumdem in ſeipſum habere iuriſdictionem, & exercere actus eiuſdem erga ſeipſum, præſertim ſi actus iſti nullam dicant coactionem, aut vindictam: conceſſio autem indulgentiarum dicit ſolam directionem, ſeu diſtributionem bonorum Eccleſię, ac proinde poterit Pontifex Romanus ſibi ipſi concedere indulgentias. 1.

Non pertinet ad forũ contentioſũ.

Ad 2. Reſpondeo, indulgentias eſſe remiſſiones, & abſolutiones pœnarum debitarum peccatis, non tamen in foro conſcientię, aut in foro contentioſo: enim abſolutiones iſtæ perficerentur in iſtis foris, neceſſario ſtatuendum eſſet, Pontificem Romanum non poſſe concedere ſibi indulgentias; tribunalia quippe iſta abſolute requirunt diuerſitatem perſonarum ità vt reus in illis ſemper diſtinguatur à iudice, & contrà: abſolutiones ergo quæ fiunt per indulgentias, pertinent ad aliud forum, & quidé quod non exigit perſonarum diuerſitatem, vnde poterit Pontifex vel Epiſcopus ſibi ipſi dare indulgẽtias. 2.

Digitized by Google

Obiectio. Dices verbum hoc, *Do*, aut *Abſoluo*, connotare ex vi ſuæ ſignificationis, perſonarum diuerſitatem. *Reſponſio.* Reſpondeo, id quidem eſſe verum interdum, non tamen ſemper; dicimus enim communiter ſacerdotem ſibi ipſi dare Euchariſtiam; dicimus præterea ſumere eumdem ſacram communionem, & eamdem aliis diſtribuere, vt conſtat ex proſa D. Thomæ, de ſanctiſſimo ſacramento.

—— Quibus ſic congruit,
Vt ſumant, & dent ceteris.

loquitur enim illic de Sacerdotibus.

Tertio argumento ſatisfit. Ad 3. priuatam perſonam non poſſe ſibi ipſi applicare bona communia alicuius reipublicæ, poſſe tamen id præſtare perſonam publicam; præſertim ſi gubernatio bonorum iſtorum communium ſit penès perſonam iſtam publicam; nam eadem facilitate, qua poteſt alijs diſtribuere, poterit & ſibi ipſi, ſi prematur anguſtia aliqua: hoc autem multo magis locum habet in conceſſione indulgentiarum, quoniam ex diſtributione theſauri Eccleſiaſtici nullus eſt qui afficiatur iniuria, imo diſtributio hæc omnibus prodeſt, & nulli nocet.

Mouetur quæſtio de Religioſis. Rogabis, an quando pontifex Romanus, vel Epiſcopus concedit indulgentias alicui diœceſi, vel vrbi, cenſeatur etiam concedere Religioſis exemptis agentibus in illa diœceſi, vel vrbe, etiamſi nulla fiat mentio horum Religioſorum. *Reſponſio.* Reſpondeo affirmatiuè. Primò, quia indulgentiæ iſtæ conceduntur omnibus Chriſti fidelibus huius, vel illius Diœceſis. 2. quia quod conceditur alicui communitati, cenſetur eſſe conceſſum omnibus & ſingulis partibus illius communitatis: Religioſi autem ſunt partes huius communitatis: ità docent communiter omnes Caſuiſtæ verbo, *Indulgentia.*

Obiectio. Dices, Religioſos iſtos ex hypotheſi eſſe exemptos à iuriſdictione Epiſcopi: ergo cùm conceſſio indulgentiarum ſit actus iuriſdictionis, non poteſt dici, quod hi Religioſi lucrari poſſint indulgentias iſtas. *Reſpondeo, Religioſos eſſe exemptos in ordine tantùm ad odioſa, minimè vero ad fauorabilia; conceſſio autem indulgentiarum annumeranda eſt inter fauores 2. priuilegia nunquam debent militare contra priuilegiatum: at ſi Religioſi iſti non poſſent conſequi has indulgentias, priuilegium militaret contra illos, obeſſet enim eiſdem, cùm priuaret eos tanto bono, quantum eſt indulgentia.*

Solutio. Religioſi ſunt exempti ab Epiſcopo in ordine ad odioſa, non autē ad fauorabilia.

DVBITATIO TERTIA.

Quænam ſint neceſſaria in homine vinente, vt lucrari poſſit indulgentias.

Nullus conſequitur indulgentias qui nō exequitur quod concedens præſcribit. Probationes 1. QVÆCVMQVE de hac re dici poſſunt, explicantur ſequentibus Concluſionibus.

CONCLVSIO 1. *Indulgentia à nullo lucrari poſſunt, qui iniunctum opus à Pontifice & determinatum in ipſis indulgentijs non executioni demandauerit.* Primo, Indulgentiæ ſortiuntur ſuos effectus, cum dependentia à voluntate concedentis: at concedens indulgentias præcipit v. g. largitionem eleemoſynæ, ad hoc vt quis effectum indulgentiarum experiatur: ergo.

Deinde, tota ratio cur nullus ſine baptiſmo ſaluari poſſit, eſt, quod baptiſmus ſit inſtitutus à Chriſto, tamquàm medium abſolute neceſſarium ad ſalutem: at ſimiliter Pontifices exigunt opera, quæ illic definiunt in conceſſione indulgentiarum ad effectum iſtarum remiſſionum obtinendum: igitur vt quis conſequatur illarum fructus oportet vt executioni mandet quod concedens determinauit. ità Sententiarij in 4. diſt. 20. alij 21. Caſuiſtæ, verbo, *Indulgentia.* 2.

Hæc Concluſio ita eſt intelligenda, vt nec impotentia, aut neceſſitate aliqua poſſit quis excuſari ab executione operis iniuncti; ſed abſolute neceſſarium eſt opus iniunctum perficere, alioquin indulgentias nullo modo poterit quis lucrari, niſi ſermo ſit de parte aliqua non notabili operis iniuncti; in hoc quippe caſu, ſi quis partem iſtam prætermiſerit, fructum indulgentiarum poterit experiri; idque quod in moralibus, & Mathematicis, quod parum eſt pro nihilo reputetur. *Nulla impotentia, potentia facultas aut neceſſitas.*

Obijcies, quando quis non poteſt baptizari, excuſatur impotentia à baptiſmi ſuſceptione, & illi ſatis eſt ad ſalutem, ſolum deſiderium baptiſmi; ergo ſimiliter, quando quis non poterit efficere opus iniunctum à pontifice in conceſſione indulgentiarum, poterit ſolo deſiderio adimplendi huiuſmodi præceptum, lucrari indulgentias. *Obiectio.*

Reſpondeo, negando conſequutionem, non enim eſt par ratio inter baptiſmum & indulgentias: nam propterea votum baptiſmi ſatis eſt ad ſalutem, quando quis nequit actu baptizari, quoniam ille cenſetur neceſſarius abſolutè ad ſalutem: conceſſio vero indulgentiarum non eſt medium ad ſalutem neceſſarium. *Reſponſio.* 1.

Reſpondeo 2. quod quemadmodum is, qui vult baptizari & non poteſt, præter gratiam debitam ſacramento baptiſmi, conſequitur aliam reſpondentem dignitati actionis, ſecundum quam vult baptizari: ità etiam qui vult conſequi indulgentias, & non poteſt actum iniunctum à pontifice exequi, conſequitur non quidem gratiam reſpondentem dignitati indulgentiarum, ſed dignitati actionis, qua vult indulgentias conſequi & non poteſt. 2.

CONCLVSIO 2. *Non eſt neceſſe abſolutè loquendo, quod opus iniunctum à Pontifice ſit iunctum poſitiue & externum, ſed ſatis eſt quòd ſit vel internum, vel externum.* Probatur primo, quia tùm tria ſunt neceſſaria ad indulgentiarum effectum obtinendum abſolutè: poteſtas in concedente, capacitas in recipiente, & pietas in cauſa. *Opus iniunctum eſſe vel externum, vel internū. Probatio 1.*

Secundo, opus internum non minùs reſpicit gloriam Dei, & honorem, quàm externum.

Tertio, poteſt pontifex Maximus concedere indulgentias, etiamſi non exigat vllum prorſus opus ab illis, quibus eas concedit.

Quarto, in articulo mortis dantur communiter indulgentiæ, vt quis proferat nomen IESV ſolò corde, ſi id præſtare ore non poſſit; decet tamen opus hoc iniunctū à pontifice eſſe externū. Primo, quia Eccleſia non iudicat de occultis. 2. quia indulgentiæ reſpondent ſatisfactioni ſacramentali: ſatisfactiones autem iſtæ reſpiciunt communiter actus externos. 3. Indulgentiæ

gentię ordinantur ad promouendum Dei honorem: at diuinus cultus maximè promouetur externis actionibus.

Opus iniunctum debet fieri ab illo qui lucratur indulgentias. Probationes 1.

CONCLVSIO 3. *Abſolutè neceſſarium eſt ad lucrandas indulgentias, quod quis in ſeipſo iniunctum opus à Pontifice perficiat.* Probatur primò, quia opus hoc exigitur à Pontifice tanquam quid abſolutè neceſſarium ad effectum indulgentiarum obtinendum. Deinde, indulgentię tantum valent, quantum ſonant, ſeu quod idem eſt, operantur ſuos effectus prout ipſæmet loquuntur; at in conceſſionibus indulgentiarum dicitur euidenter opus iniunctum illis qui indulgentias lucrari volunt: ergo.

2.

Obiectio.

Dices, ſi res ità ſe habeat patrem non conſecuturum indulgentias, quando eius filius dat eleemoſynam iniunctam à Pontifice in conceſſione indulgentiarum.

Solutio. Eleemoſyna data à filio iuſſu patris cenſetur actio patris.

Reſpondeo negando conſecutionem, nam eleemoſyna data à filio, præcipiente patre, cenſetur eſſe actio patris, non filij, cùm detur hæc ex bonis patris, & eius mandato: ſunt qui rem iſtam vnico verbo explicent, actionem ſcilicet eleemoſynæ prædictam eſſe patris *formaliter*, filij autem *materialiter*.

Alia obiect.

Obiicies, poteſt vnus nomine alterius orare, ieiunare, &, vt vno verbo dicã, ſatisfacere: ergo poterit etiam vnus opus iniunctum à Pontifice in indulgentiis nomine alterius præſtare; atque ità non erit neceſſe opus iniunctum à Pontifice in ſeipſo complere.

Reſponſio 1.

Reſpondeo, vnũm nomine alterius ſatisfacere poſſe, non de condigno, ſed de congruo; excepto tamen Chriſto; vt pluribus explicatum fuit diſputatione de ſatisfactione: ex ijs tamen non poteſt colligi quod opus executioni demandatum ab aliquo, ſatis eſſe poſſit ad indulgentias obtinendas in ordine ad alium; nam indulgentię non conſequuntur ſuos effectus ex dignitate perſonę, quę operatur hoc, vel illud opus, ſed ex ſola voluntate concedentis indulgentias, idque ex opere operato: dignitas autem perſonæ deſideratur tantùm vt conditio, ad hoc vt indulgentię ſuos conſequantur effectus.

2.

Reſpondeo 2. actiones eſſe in duplici differentia, alię namque ſunt perſonales, & vnicuique proprię, alię verò communes; aut certè quaſi communes: prioris generis cenſentur eſſe omnes illę quę impetrantur à Pontificibus in conceſſione indulgentiarum: poſterioris verò generis exiſtimantur eſſe, quæ in poteſtate cuiuſlibet noſtrùm ità ſunt poſitę, vt poſſimus eas alijs applicare, idque ex ſpeciali intentione.

Opus iniunctum debet eſſe coniunctum cũ gratia.

CONCLVSIO 4. *Ad indulgentias obtinendas, abſolutè neceſſarium eſt, quod opus iniunctum à Pontifice perficiatur in gratia; ſi tamen opus hoc fuerit coniunctum cum effectu indulgentiarum.* Probatur primò: Indulgentię non poſſunt ſortiri ſuos effectus, niſi poſita gratia; at ex hypotheſi opus iniunctum eſt coniunctum cum effectu indulgentiarum.

Opus iniunctum nõ exigit natura ſua vt perficiatur in gratia. Probationes 1.

CONCLVSIO 5. *Opus iniunctum, ſi antecedat, aut ſequatur effectus indulgentiarum, non exigit gratiam ſua natura, nec item neceſſe ad effectum indulgentiarum obtinendum, quod perficiatur in gratia.* Hæc Concluſio eſt contra Caietanum, Nauarrum, & alios. Probatur primò: poteſt Pontifex Maximus concedere indulgentias, etiamſi nullum prorſus opus exigat à nobis.

2.

Deinde, ſupponimus opus iniunctum à Pontifice antecedere aut ſubſequi effectum indulgentiarum: ergo non eſt neceſſe quod opus hoc perficiatur in ſtatu gratiæ ad indulgentiam obtinendam; nam ſatis eſt vt aliquis effectum indulgentiarum obtinere queat; quod pro illo inſtanti temporis in quo debet effectum indulgentię experiri, ſit in gratia; quod contingere poteſt, etiamſi opus iniunctum fuerit factum in ſtatu peccati mortalis, aut poſteà fiat. Ità docent D. Thomas, quodlibeto 2. art. vltimo. Palud. in 3. diſt. 20. quæſt. 4. art. 3. Anthoninus 1. parte, titulo 10. cap. 3. paragrapho 4. & 5. *D. Thom.*

Obiectio.

Obijcit Caietanus & authores contrarię ſententię: opus iniunctum à Pontifice in conceſſione indulgentiarum, ideo exigitur, vt pietas cauſæ indulgentiis promoueatur, at non poteſt hæc promoueri, niſi hoc opus cum gratia fuerit factum.

Reſponſio.

Reſpondeo negando minorem; opus ſiquidem in peccato mortali factum, cenſetur eſſe meritorium de congruo, ac proinde poterit hoc opus eſſe diſpoſitio ad gratiam habitualem obtinendam, ſaltem remote.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. Satisfactiones Chriſti & Sanctorum fuerunt factæ cum gratia habituali: ergo illis tantum debent applicari, qui agunt in gratia habituali.

Reſpondeo ex illis ſolum poſſe colligi indulgentias prodeſſe illis, qui gratiam Dei ſunt conſecuti, non autem quod oporteat opus iniunctum à Pontifice executioni demandari in ſtatu gratiæ, præſertim ſi opus hoc antecedat, aut ſequatur effectum indulgentiarum.

Abſolutè oportet eſſe in gratia ad conſequendas indulgentias. 1.

CONCLVSIO 6. *Abſolutè neceſſe eſt hominem eſſe conſtitutum in ſtatu gratiæ eo tempore, quo vult effectum indulgentiæ experiri.* Probatur primo, quia conuenit inter omnes, tria eſſe neceſſaria ad effectum indulgentiarum obtinendum: poteſtas in dante, pietas in cauſa, & capacitas in recipiente: nomine autem capacitatis, intelligunt gratiam habitualem quæ inſit ei qui indulgentias vult obtinere, vt conſtat ex ijs quæ communiter docent Sententiarij in 4. diſt. 20.

Tria requiruntur ad effectum indulgentiar. 2.

Secundo, propter hanc cauſam indulgentiæ dantur vere penitentibus, interdum contritis & confeſſis.

3.

Tertio, in Extrauaganti, *Vnigenitus*, dicitur effectum indulgentiarum dari retinentibus veram cum Deo amicitiam.

4.

Quarto, gratię, & fauores non dantur hoſtibus, ſed amicis.

5.

Quinto, conſtitutus in peccato mortali iuſtè priuari poteſt omni plane dono gratuito: ità Sententiarij, & Caſuiſtæ locis ſupra citatis.

Obiectio.

Dices, gratiam præuenientem dari conſtitutis in ſtatu peccati mortalis: ergo & indulgentię dabuntur illis qui agunt extra gratiam.

Reſponſio.

Reſpondeo negando conſecutionẽ: nam propterea gratia præueniens tribuitur homini conſtituto in peccato mortali, quod hęc ordinetur ad gratiam habitualem obtinendam, idque ex ſe & ſua natura, imò de communi lege nulli planè adulto datur gratia iuſtificans, quin eidem priùs fuerit conceſſa gratia præueniens: Indulgentiæ autem non ordinantur ad gratiam habitua-

Digitized by Google

ductione collocati ſunt, ſignificat: ità Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis ab initio.* Interdum ſignificat quemcumque hortum amœnum ad oblectandum hominem: ità Eccleſ. 2. *Feci mihi hortos, & pomaria*, pro quo Septuaginta tranſtulerunt, *Feci mihi paradiſos.* & Ezech. 28. *In paradiſo Dei fuiſti*: & cap. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei*: & denique Cant. 4. *Fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus.* Interdum denique locum illum in quo beatorum animæ, Angelicique ſpiritus Dei conſpectu fruuntur: ità Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo* ſi tamen ſententiam Theophylacti, Bedæ, & Ambroſij defendamus, & 2. Corinth. 12. *Scio hominem raptum in paradiſum*, ſi tamen Damaſceno lib. 2. cap. 6. de fide orthodoxa credatur; & denique Apocalyp. 2. *Dabo ei edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo.*

Hic autem multa conſequitur nomina, interdum enim dicitur ſedes Dei, Iſai. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum*: & Pſal. 103. *Dominus parauit in cœlo ſedem ſuam.* Interdum cœlum, vel cœli cœlorum, Pſal. 113. *Cœlum cœli Domino*, Deuter. 10. *Domini eſt cœlum, & cœli cœlorum.* 2. Corinth. 12. *Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum.* Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es.* Interdum regnum, Matth. 11. *Regnũ cœlorũ vim patitur, & violẽtis rapiunt illud*, & c. 6. *Adueniat regnum tuum.* & 8. *Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* & 19. *Quam difficile eſt diuitem intrare in regnum Dei.* & 25. *Venite poſſidete regnum.* Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum*, & alibi ſæpè. Interdum dicitur terra, Matth. 5. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terrã*, id eſt, paradiſum, vt explicat D. Auguſtinus ad hunc locum. Interdum regio, Pſal. 114. *Placebo Domino in regione viuorum.* Interdum denique terra viuentium, Pſal. 141. *Portio mea in terra viuentium.*

Paradiſus eſt locus cæleſtis.

CONCLVSIO 1. *Paradiſus eſt locus quidam cæleſtis.* Hæc Concluſio videtur eſſe de fide: habetur enim expreſſè in ſacris codicibus,

Probat. 1. Matth. 5. *Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* 2. Corinth. 5. *Scimus quoniã ſi terreſtris domus huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis.* Ioan. 14. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, loquitur autem de cœlo, vt colligitur ex eodem cap.

2. Secundò, ità tradunt Sancti patres: D. Auguſtinus lib. Medit. cap. 23. Felix anima, quæ terreno reſoluto corpore, libera cœlum petit, ſecura eſt & tranquilla, non timet hoſtem neque mortem: habet enim præſentem, cernítque indefinenter pulcherrimum Dominum, cui ſeruiuit, quem dilexit, & ad quem tandem læta & glorioſa peruenit. Gregor. homil. 37. *Si conſideremus quæ, & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt animo quæ habentur in terris.* Chryſ. homil. 4. in Epiſt. ad Philip. Theophyl. ad cap. 16. Luc. Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 4. ait enim Potemianam virginem è terris in cœlum migraſſe: & multi alij.

3. Tertiò ratione. Paradiſus eſt in illo eodem loco in quo Chriſtus eſt ſecundum humanitatem: atqui humanitas Chriſti eſt in cœlis, Epheſ. 4. & Heb. 4. & 7. & Actor. 1. & denique ex Symbolis Concilij Nicæni, Athanaſij, & Apoſtolorum: ergo. Maior probatur ex cap. 12. & 14. Ioan. *Vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.*

Secunda ratio: Paradiſus Angelorum eſt in cœlis, Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt*: ergo & hominum. Probatur conſecutio: Eadem ratione philoſophari debemus de paradiſo hominum & Angelorum, qua ratione philoſophamur de inferno eorumdem: rectè namque aiunt philoſophi, contrariorum contrarias eſſe conſequentias, & de ſimilibus ſimile ferri iudicium: atqui idem eſt planè infernus hominum & Angelorum, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*, ergo.

Fauent huic ſententiæ Ethnici; Anaxagoras enim interrogatus ad quid homo procreatus eſſet, prudenter reſpondit; vt à terrenis oculos auerteret, & eoſdem in cœlum coniiceret: Idem dicit Laërtius, vt refert Lactantius lib. 2. diuinar. inſt. Hinc illa Satyricorum dicteria in homines ventri, rebúſque terrenis nimis addictos.

O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane, Iuuenal.
O curuæ in terris animæ, & cœleſtium inanes. Perſius.

Quibus addit Lactantius hanc cohortationem ad eoſdem: *Cœlum potius intuemini ad cuius ſpectaculum vos excitauit ille artifex verus Deus, ille vobis ſublimem vultum dedit, vos in terram curnamini? vos altas mentes & ad patrem ſuum cum comporibus ſuis erectas ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat, non quadrupedes eſſe natos*, & Ouidius in hunc eumdem ſenſum.

Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri Ouid. Metam.
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Paradiſus eſt in cœlo Empyreo.

CONCLVSIO 2. *Paradiſus nõ eſt in quocũque cœlo, ſed ſolo Empyreo.* Probatur primùm: ità docent Alcuinus, Rabanus, Lira, Toſtatus, Catharinus, & Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad hæc verba, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, Magiſter Sententiarum cum omnibus planè Scholaſticis in 4. diſt. 45. D. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. & ante omnes iſtos, Baſil. hom. 2. & 3. in Geneſ. Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, præceptor D. Chryſoſtomi, referente Lipomano in Catena in ſacram Geneſim, Theodoret. q. 1. & 14. in eamdem. Idem aliquæ rationes ſuadent.

Ratio 1. Prima eſt, cœlum empyreum eſt res præſtantiſſima: ergo in illo eſt paradiſus. Conſecutio probatur: Quò res ſunt præſtantiores, eò debetur illis locus præſtantior, vt author eſt D. Th. 3. p. q. 57. art. 4. at animæ noſtræ, itemque ſpiritus Angelici ſunt res præſtantiſſimæ: ergo illorum locus erit in cœlo Empyreo.

2. Deinde, cœlum Empyreum eſt quietum, & immobile, qui locus valdè eſt accommodatus cõtemplationi, in qua diximus eſſe poſitam ſummam creaturæ rationalis felicitatem. Poſtrema, quoniam cœlum Empyreũ eſt lucidum, ac proinde habet aliquid verè cum ſplendore Dei ſimile.

3. Fauent & huic ſententiæ, Damaſc. lib. 2. fideî orthodoxæ, cap. 6. & Beda in ſuo Hexamero, qui ante paucos annos ſub nomine Iunilij Africani in lucem eſt euulgatus.

Obiectio. Obijcies, anima latronis illo eodem die, quo è corpore exceſſit fuit in paradiſo, vt conſtat ex illo: *Hodie mecum eris in paradiſo*: atqui non fuit in cœlo Empyreo: Chriſtus enim primus omniũ

dorici imperat. Arriani coniectam eſſe poſt mortem in foueam Vulcani.

6 Vltimò, hac ratione: infernus eſt in illis partibus, aut ſaltem circa illas partes in quibus moram traxit anima Chriſti in triduo ſuæ mortis: at anima Chriſti moram traxit in partibus terræ; Epheſ. 4. & Eccleſ. 44. ergo: ità tradunt omnes Scholaſtici Theologi, partim diſt. 45. partim 49. & 50.

In centro terræ infernus. Porrò locus inferni eſt centrum terræ; probatur primùm ex communi doctrina omnium Theologorum Scholaſticorum in 4. diſt. 45. Deinde, Sancti ſunt in loco eminentiſſimo, nempe in cœlo Empyreo: ergo damnati erũt in loco infimo; decet enim quod quemadmodum merita Sanctorum maximè diſtant à demeritis damnatorum, ità etiam eorum loca maximo interuallo ſeiungantur. Denique damnati, vt plurimum amore rerum terrenarum peccant, ergo quemadmodum res terrenæ ſuo pondere feruntur deorſum: ità etiam decet vt animæ eorumdem proprio peccato ferantur deorſum: hæ duæ rationes ſunt D. Auguſtini lib. 12. de Geneſ. ad litteram.

Occurritur obiectioni. Nec obſtat, aliquando legi apud ipſum, aut alios patres ſe ignorare locum damnatorum, an ſit corporeus, an verò incorporeus, quia tantùm volunt ſe neſcire modum quo damnati detinentur in illo loco: ſicut quando eum vocat ſpiritualem reſpectiuè loquitur, & habita ratione dæmonum & animarum quæ ibi cruciantur, licet ſpiritus ſint.

1.

2. Nec etiam obſtat, Epheſ. 6. dici, *Quod non eſt nobis colluctatio, &c. ſed aduerſùs principes & poteſtates tenebrarum harum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*; quia ex his verbis tantùm poteſt colligi dæmones aliquos reſeruari in iſto aëre caliginoſo, vt ſint in loco ad colluctandum nobiſcum idoneo.

Damnati duplici pœna puniuntur. CONCLVSIO 3. *Damnati pœnam damni & ſenſus experiuntur ſimul, quæ perpetua erit.* Prima pars huius Concluſionis probatur, primùm ex cap. 25. Matth. *Diſcedite à me maledicti*; *Diſcedite*, namque pœnam damni includit.

1.

2. Deinde, pœna damni nihil aliud eſt quàm excluſio à viſione diuina: at damnati omnes propter peccatum mortale in quo diſcedunt, viſione diuinæ eſſentiæ priuantur 1. Corinth. 6. *Neſcitis quoniam iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* Epheſ 5. *Fornicator, aut auarus, (quod eſt idolorum ſeruitus) hereditatem non habent in regno Dei, & Chriſti.*

Tertiò: Quicumque ſinè gratia moritur vitam æternam aſſequi non poteſt; diximus enim frequentiſſimè contra Pelagianos, gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad vitam æternam conſequendam: atqui damnati omnes moriuntur ſinè gratia Dei: ergo à gloria æterna excluduntur.

Denique, in omni peccato eſt auerſio à Deo vel actualis, vel habitualis: ergo cùm homo propter peccatum damnetur, meritò à viſione diuina relicitur.

2. p. probatio. Secunda verò pars Concluſionis probatur: Primum ex cap. 25. Matth. cit. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Marc. 9. *Bonum eſt tibi debilem introire in vitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennam.* Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Iudith. 16. *Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum.* Apocal. 14. *Et fumus tormentorum illorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* & 12. *Proiectus eſt draco ille* &c. & denique 16. Luc. *Crucior in hac flamma.*

1. Secundò, pœna ſenſus ex communi ſententia Theologorum nihil aliud eſt quàm quæuis ſenſilis læſio, aut triſtitia voluntatis, nata ex apprehenſione rei nociuæ, ſiue illa res ſit ſenſilis, ſiue intelligibilis tantùm: at agentes in inferno huiuſmodi læſionem ſenſilem experiuntur, vt probatum eſt in materia de Angelis: ergo.

Vltimò ità tradunt omnes Theologi Scholaſtici in 4. diſt. 45. 47. & 50.

3. *Pari.* Tertia pars eſt de fide, habetur enim expreſsè Matth. 25. *Ibunt hi in vitam æternam, illi autem in ignem æternum*, & ibidem: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

2. Deinde, ignis inferni in ſacris Scripturis dicitur inextinguibilis, Marc. 9. Iudith. 16. dicitur præterea locis ſupra citatis, quod ſemper vrat, & definita videtur in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate & fide Catholica: & in 5. Synodo generali, & 6. actione 11. & 13. reiicitur error Origenis exiſtimantis damnatos fore aliquando ſaluandos.

3. Tertiò, ità tradunt ſancti Patres, Chryſoſt. homil. 5. in Mat. ad hæc verba, *Reus erit gehennæ ignis.* & homil. 73. ad popul. Antiochenum, & 6. in 2. epiſt. ad Timoth. Hilarius can. 4. in Matth. Hieronym. in Apologia contra Rufinum & ad cap. 3. Ionæ, vbi multa pro hac Concluſione congerit argumenta. Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. cap. 2. 17. & 20.

Ratio 1. Vltimò probatur rationibus. Prima: Priuatio vitæ æternæ habet rationem pœnæ pro altera tantùm vita; non enim aliquis cenſetur priuatus re aliqua, niſi pro illo tẽpore quo poteſt rẽ huiuſmodi aſſequi; vt conſtat exemplo catuli, qui quãuis ante octauum diem non videat, non tamen idcò dicitur cæcus; vita autem æterna à nullo homine viuente aſſequi poteſt, Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet*; atqui omnes damnati ſunt vita æterna priuati, & quidem ea ratione, vt ad eam nullo modo in poſterum peruenire poſſint; ad hoc enim vt vita æterna conſequatur, ſimpliciter requiritur vt in articulo mortis gratiam moriens habeat.

2. Deinde, qui in æternum peccat, pœnam quoque promeretur æternam; pro menſura enim peccati erit & plagarum modus, Deuter. 25. atqui damnati in æternum peccant, Pſal. 37. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*: ergo.

3. Tertiò & vltimò, præmium beatorum eſt æternum; ergo ſupplicium damnatorum erit etiam æternum: quemadmodum enim ſe habet præmium ad meritum, ità ſe haber ſupplicium ad demeritum.

Origenis error. Origenes tamen homil. 1. in Leuit. & 8. in Ioſue & lib. 1. Periarchon, cap. 6. conſtantiſſimè docuit dæmones omnes, itemque damnatos fore tandem liberãdos à pœnis & beatitudine æterna donandos: error autem hic confirmari poteſt ſequentibus argumentis.

Fundamen. 1. Primum, Pſal. 76. *Aut obliuiſcetur miſereri Deus? aut continebit in ea ſua miſericordias ſuas? tum* quaſi dicat, minimè & Abach. cap. 3. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*; ex his ità argumentatur Origenes; Deus iraſcitur damna-

Digitized by Google

2. Secundò probatur Conclusio, ex cap. 5. Apoc. *Quis est dignus aperire librū? & nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram*, qui locus explicatur quod attinet ad hanc particulam, *subtus terram*, de limbo patrum.

3. Tertiò ex c. 37. Genes. *Descendā lugens ad filium meū in infernum*: neque aliquid valet responsio, nomine interni intelligi sepulchrū Ioseph, nō enim potuit Iacob sepelici in sepulchro Ioseph, cū crederet Iosephum à fera pessima deuoratum.

4. Quartò, ità sentiūt omnes fere Patres, D. Aug. l. 20. de Ciuit. c. 15. Chrys. hom. de Lazaro. Cyril. Alex. l. 1. de fide, & Irenæus l. 4. aduersus hæreses, cap. 45. Scholastici in 4. dist. 45.

1. Denique, hac ratione Christus fuit in terrę visceribus toto tēpore suæ mortis, vt constat ex c. 4. ad Eph. at fuit ex communi sententia in limbis patrū: ergo limbus patrū fuit in terrę visceribus.

MEMBRVM QVARTVM.

De Limbo Paruulorum.

Quæritur vtrùm sit, & in qua parte mundi existat?

Limbus puerorū existit.

CONCLVSIO 1. *Limbus puerorum verè est in rerum natura.* Probatur: paruuli, qui in lege sinè Circúcisione moriebantur, aut sinè susceptione alicuius sacramenti, non poterant euolare in sinū Abrahæ, vt constat ex c. 17. Gen. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo:* qui moriebantur præterea tēpore legis naturæ, sinè alicuius sacramenti susceptione nō poterant collocari in sinu Abrahæ. Diximus enim in disputatione de sacramentis in genere, sacramenta in omni statu fuisse simpliciter necessaria ad emūdationē peccati originalis. Neque denique qui moriuntur tēpore legis gratiæ possūt in cœlū cōscendere, Ioā. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei:* ergo dabitur limbus puerorum.

Limbus puerorū in visceribus terræ.

CONCLVSIO 2. *Limbus puerorum est in visceribus terræ.* Probatur primò, ex D. Aug. lib. 1. de Baptismo paruulorū cōtra Donatistas, & refertur de consecrat. dist. 4. c. *Nulla prater*, & ex l. hypog. c. 5. ex Innoc. III. extra, de baptismo, cap. *Maiores*, ex Conc. Flor. sess. vlt. dicitur namque illic, nedū moriētes in peccato mortali mitti in infernū, verùm etiam qui decedunt in solo originali: at nomine inferni locus subterraneus significatur.

Obiectio. Dices, agentes in limbo patrū afficiuntur tantū pœna damni, & item constituti in limbo puerorū; ergo hæc duo receptacula, minimè distinguūtur.

Solutio. Respondeo negando consequentiam, nam Patres antiqui afficiebantur pœna damni ad tēpus: at paruuli in æternum: ex quo prouenit vt distinguantur illa duo receptacula. Hanc verò pœnam damni tantum pati paruulos istos, non autem sensus, quemadmodum nec tristitia vlla affici tradidimus ad 1. 2. q. 85.

MEMBRVM QVINTVM.

De Purgatorio.

SImiliter de purgatorio examinandum est, an sit, vbi sit, & vtrùm animæ fidelium quæ illic detinentur acerbissimos sustinentes cruciatus pro debitis peccatis propriis cōmissis pœnis proprie satisfaciāt. Aliæ verò difficultates quæ in hac materia occurrūt, vt, quonam modo torqueantur ab igne, quamdiu in illo statu permaneant, & an sint certæ de sua salute, habeántque fidem & spem, tum ex dictis constabit, tum ex dicendis in sequentibus Dubitationibus.

In 3. partem D. Thom.

A Circa difficultatem igitur primam propositā, an sit purgatorium paulò diutiùs propter nostri æui hæreticos erit in ea immorandum: etenim quàm plures omnino e medio purgatorium tustulerunt inter illos primus quidam Aërius, qui cùm presbyter, non potuisset Episcopatum consequi, quem ambiebat, Arianus factus, Arianorum hæresi adiecit & hunc errorem: non esse orandum, nec sacrificandum pro mortuis, & non seruanda ieiunia ab Ecclesia instituta, vt videre est apud D. Augustinum lib. de hæresibus, cap. 53. & Epiphanium hæresi 75. Eumdem errorem posteà sunt amplexi V Valdenses & Apostolici, tempore D. Bernardi, vt patet ex eius serm. 66. in

B Cantic. & alijs apud Bellarm. tom. 1. l. 1. de purgatorio, cap. 2. Nostris verò temporibus Lutherus non sibi constat, dum aliquando admittit purgatorium, ità in disputatione Lipsica, propter locum, Matth. 12. *Non remittetur hoc peccatum, neque in hoc seculo, neque in futuro.* & 2. Machab. cap. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, & in resolutionibus de Indulgentiis idem profitetur. In epistola tamen ad V Valdenses, & de missa priuata, mauult purgatorium negare, quàm Gregorio credere: quia ità missæ damnantur, Vigiliæ, cœnobia, & Monasteria, atque in hoc eum sequuti sunt Lutherani omnes: & Caluinus, qui omnium impudentissimè loquitur,

C lib. 3. Institutionum cap. 5. his verbis: *Exmultis blasphemiis purgatorium constructum est, & nouis quotidie fulcitur sine verbo Dei, cœnosa, audaciaque temeritate excogitatum est, de ipso creditum est, nescio quibusdam reuelationibus Sathana arte confictis. Purgatorium, exitiale, Sathana est commentū quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefactat & euertit.* Hanc eamdem doctrinam profitentur illius discipuli Caluinistæ nostri, contra quos & similes huius farinæ homines

CONCLVSIO prima est, *Dari verè purgatorium, seu locū in quo animæ fidelium ex hac vita*

D *migrantes si quid purgandum habeant, aut satisfaciendum id executioni mandent, antequàm ad cœlum euolent.* Hæc Conclusio imprimis est determinata tamquam de fide Catholica, in Concilio Florentino in lib. sanctæ vnionis, sessione vltima, decreto de purgatorio, qua in re etiam Græci conuenerant: Præsules enim illorum interrogati à summo pontifice super hoc, respondērunt: *Nos Pater sanctissime nullum, &c. & tamen ex nobis ipsis proferimus iustorum animas perfectam lucem in cœlo iam consequutas esse, ac impiorum perpetuas pœnas lutre, medias verò in purgatorio esse, quod quidem sine ignis, sine obscuritas, sine turbo, sine id genus aliud*

E *sit, non referre:* & in Trid. sess. 6. can. 30. vbi anathemate damnat qui dixerit cuilibet peccatori penitenti, ità culpā remitti in iustificatione, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc seculo, vel in purgatorio in futuro. Eandémque doctrinam iuxta antiquam Patrum traditionem in sactis Concilijs præcipit à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, nec non vbique prædicari sess. 25. in principio.

Deinde, probatur efficacibus Scripturæ locis: primus est, quo vtitur D. Bern. suprà allegatus ex c. 12. Mat. vbi Christus ait: *Quod si quis peccauerit in Spiritum sanctum, nō dimittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro:* ergo aliqua peccata remittūtur in

Limbus puerorū existit.

Lutherus.

Caluinus.

Datur purgatorium. Prob. 1.

Florent.

Trident.

Prob. 2. Locus 1. Scripturæ.

Digitized by Google

modum fecere Patres Cõc. Florentini contra Græcos Armenos, qui aliter eũ interpretabantur. Qui pluta volẽt, conſulãt interpretes D. Pauli præſertim D. Th. & eos qui de controuerſiis diſputant.

3. Locus ſcripturæ. Matth. 5.

Tertius locus eſt apud Mat. cap. 5. vbi Chriſtus poſt diuerſas ſeries, & gradus culparum quibus proximum lædere poſſemus, & totidem pœnas correſpondentes, addit: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici; & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Aduerſarius hic, ex ſententia Ambroſij, & aliorum patrum, apud Maldonatum in Matth. eſt ille idem de quo verbis præcedẽtibus dixerat Chriſtus: *Si offers munus tuum, & recordaris quòd frater tuus habet aliquid aduerſũ te, relinque ibi munus, & vade reconciliari fratri tuo.* Via eſt illud ſpacium temporis, nobis hîc exiſtentibus conceſſum. Iudex Chriſtus, quia *Pater, non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Miniſter diabolus, vel etiam bonus Angelus: carcer, infernus ſeu locus ſubterraneus in quo diuerſa receptacula animarum decedentium exiſtere oſtendimus ſupra; minimus quadrans, leuia peccata deſignat, quibus debet fieri ſatis in purgatorio, aliàs nõ exibũt ex illo carcere animę defũctorum. Hoc loco vtitur D. Cyp. ep. 52. ad oſtendendũ diuerſum animarum ſtatum, poſt hanc vitam, dum ait: *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcerẽ non exire inde donec ſoluat nouiſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei, & virtutis accipere mercedẽ, aliud pro peccatis lõgo dolore cruciatuũ emẽdari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe, aliud denique pendere in die iudicij à ſententia Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.*

Probatio ex Patribus. D. Auguſt.

Accedunt in confirmationem Concluſionis teſtimonia Patrũ, qui expreſſam fecerunt mentionẽ purgatorii, aut ignis purgationis: duo D. Auguſtini; quorum alterum extat lib. 21. de ciuit. cap. 16. *Quisquis cupit pœnas euadere ſempiternas, non ſolum baptizetur, ſed etiam iuſtificetur in Chriſto, ac ſic verè tranſeat à diabolo ad Chriſtũ. Purgatorias autẽ pœnas nullas futuras opinetur, niſi ante illud vltimum tremẽdumque iudicium.* Earumdem pœnarũ meminerat, c. 13. *Sed temporarias pœnas aly in hac vita tantùm, aly poſt mortem, aly & nunc & tunc, verumtamẽ ante illud iudicium ſeueriſſimum, nouiſſimumque patiuntur.* Alterum eſt in lib. 2. de Geneſi ad litterã, contra Manich. vbi explicans illa verba: *Maledicta terra in opere tuo*, Geneſ. 2. *Qui fortè, inquit, agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ, & poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Quid clarius ad hanc rem dici poſſet? eiuſdẽ purgatorij verbis expreſſis meminit diſcipulus illius Paulinus Nolanus Epiſcopus, paraphraſi in Pſ. 1. Eiuſdem item Gregor. lib. 4. Dialogorũ c. 39. *De quibuſdam culpis leuibus eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendus eſt*, idque probat ex loco allegato ſupra Matth. 12.

Probatio ex perpetua traditione.

Quartò, purgatorium agnouit omnis venerãda antiquitas à Chriſti & Apoſtolorum tempore, dùm ad animas defunctorũ fidelium à pœnis liberãdas preces fudit, in ſacrificio auguſtiſſimo miſſæ memoriam fecit, ieiunia, aliaſque corporũ afflictiones adhibuit, eleemoſynaſque pauperibus erogauit; ſi nullũ dari locũ in quo aliquid tormẽti animę paterentur exiſtimaſſet, profectò non tã anxie & ſollicitè, nec tam cõſtanter, operibus cõ-

memoratis operam dediſſet: quemadmodum nũquam id egit in gratiam animarum quas credebat frui felicitate ęterna, nec illarum quę degunt in inferno, quia ſicut illæ ſuffragijs noſtris non egent, ità neque dãnatis prodeſſe vllo modo poſſunt. Quod verò ſemper orauerit Eccleſia pro defunctis, conſtat primo ex liturgijs quæ habentur Liturgia Iacobi. tom. 3. Bibliothecæ ſanctorum Patrum. Liturgia Iacobi fratris Domini, col. 13. *Memento Domine Deus noſter, ſpirituum & vniuerſæ carnis quorum memoriam agimus, & quorum non egimus orthodoxorum ac rectè de fide ſentientiũ, fac eos requieſcere in regione viuentium in regno tuo, & deliciis paradiſi*, &c. Liturgia D. Marci, col. 26. *Lectis à Diacono tabulis quibus catalogus defunctorũ continetur inclinatus Sacerdos apprecatur, & horum omnium animabus dona requiẽ Dominator Domine Deus noſter in ſanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiẽs eis promiſſionẽ tuorum bonorum, quæ oculus non vidit*, &c. *Eorum inquã animabus dona requiẽ*, &c. Liturgia D. Baſil. col. 39. *Memento etiam Domine Patrũ, fratrumque noſtrorũ, qui obierũt in vera fide preſbyterorum, Diaconorũ, hypodiaconorũ, lectorum, cœnobitarum, quorum tu numerũ melius noſti, potiſſimum verò qui nominantur:* & paucis interiectis: *Eruc ipſos ex tenebris & caligine, atque ex tribulatione, doloreque eripe*, &c. Et Liturgia Æthiopum col. 70. ità orat. *Memento Domine, Regis noſtri N & omniũ Regum Chriſtianorum, parentũ, famulorũ, famularumque tuarum, fratrum & ſororũ omnium fidelium dormientium, & in ſigno fidei rectæ quieſcentium*, & reliquę omnes. Liturgia D. Marci. D. Baſilij. Et Æthiopum.

Eadem cõſuetudo apparet manifeſtè ex doctrina ſanctorum Patrũ, Clementis Rom. lib. 8. conſt. Apoſt. c. 41. *Oremus pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieuerũt*. & c. 42. Iubet quatenus exequię fiãt tertia die, adhibitis Pſalmis, precibus, & lectionibus. Dionyſ. l. Eccl. Hierarch. c. 7. ex verſione Lãſelij. *Deinde accedens diuinus antiſtes ipſi mortuo ſanctè precatur, atque poſt precationẽ & ipſe eum ſalutat, & ordine omnes qui adſunt, precibus quidem à diuina bonitate contendit, vt & omnia peccata quæ humana fragilitate, ſtrobcillitateque admiſſa ſunt ei qui exceſſit è vita remittat, & eũ in lucẽ ac regionem viuorũ in ſinum Abrahæ, Iſaac, & Iacob deducat, in locum a quo fugit dolor.* Chryſ. hom. 32. in Mat. *Cur poſt mortem ſuorum pauperes conuocas? cur preſbyteros, vt pro eo velint orare obſecras? non ignoro te reſponſurum, vt defũcti requiem adipiſcatur, vt propitiũ iudicem inueniat.* Idẽ docet alibi ſæpe. D. itẽ Auguſtinus variis in locis ſuorum operum orationis & ſuffragiorũ pro animabus defunctorum mentionẽ facit ep. 64. ad Aurelĩũ, ante medium. *Oblationes pro ſpiritibus dormientium vere aliquid adiuuare credendũ eſt.* Idẽ habet ſerm. 34. vel 32. de verbis Apoſt. Idem expreſſiſſime 9. Conf. c. 12. ſic orat iuxta id quod ſanctiſſima mater Monica cõmendauerat morti vicina: *Sit ergo in pace cum viro ante quem nulli, & poſt quem nullo nupta eſt, cui ſeruiuit fructum afferens cum toleratia, vt cũ quoque lucraretur tibi, & inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus & voce & corde & litteris ſeruio, & quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuũ Monica famula tua, cũ Patricio quondam eius coniuge per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitã.* Ante D. Aug. Tertull. de Monogamia, c. 10. & de corona militis c. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis facimus: harum & huiuſmodi diſciplinarũ ſi legẽ expoſtules, ſcripturã nullam inuenies: traditio tibi proẽditur auctrix, cõſuetudo cõfirmatrix, & fides obſeruatrix.* Iſtẽ tradit Cyr. Hieroſ. Cat. 5. myſtag. Atha. Cyril. Tertul.

Digitized by Google

uerint, is autem carcer ab Eccleſia & patribus purgatorium appellatur.

Rurſus, poteſt quis abſque vllo mortali cum pluribus peccatis venialibus, aut cum vno, vel etiam cum inordinatis affectibus mori, quid fiet de iſta anima? quò properabit, aut deducetur? non in infernum, quia pœnæ illæ infliguntur ob peccata mortalia præcisè; non etiam in cœlum, quia nihil coinquinatum intrabit in regnũ cœlorum, vt ſæpius diximus, ex Apocalyps. non item in locum puerorum, quia cùm habeat gratiam habitualem, ex hypotheſi, non debet plecti pœna damni, ſiue priuari viſione Dei ſemper, ſed ad tempus tantùm, relinquitur igitur quartus locus, in quo ab huiuſmodi culpa veniali & vitioſis affectibus purgetur, & emundetur; ergo & purgatorium dabitur. Perpende, quàm eleganter hac de re loquatur D. Auguſtinus homil. 16. ex 50. tomo. 10. Vbi poſtquàm de damnatorum ſupplicio egit, de alijs qui cum gratia obi-
1. Corin. 3. erunt, hæc habet. *Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit, ſi cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem, per fluuium igneum, de quo propheticus ſermo commemorat; & fluuius igneus currebat ante eum: per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſiendi mora: quantum exegerit culpa, tantùm ſibi ex homine vindicabit quædam flamma rationabilis diſciplina. Et quantùm ſtulta iniquitas ſubiecerit, tantùm ſapiens pœna deſaeuiet; Et quia ſermo diuinus quodam loco anteà olla animam peccatricem comparat dicens, Pone illam ſuper prunas vacuam, donec concaleſcat*
Ezech. 24. *æs eius, & omne ſtagnum eius deſtruat: illic ſermones otioſi, & cogitationes iniquæ, vel ſordidæ, illic multitudo lenium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant exundabunt: illic ſtagnum, vel plumbum diuerſorum ſubrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obſcurauerunt, conſumentur: qua omnia hîc ab anima ſeparari per eleemoſynas & lacrymas compendioſa tranſactione potuiſſent. Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſeipſum pro homine dedit, & confixus clauis, legi mortis ſe iunxit.*

Hæreticorũ conatus in purgatorĩ debiles.

Quædam ſolent obiici ab hæreticis, tum ex Scripturis ſacris, tum etiam ex Patribus ſanctis contra purgatorium, ſed quæ facilè ab vnoquoque vel mediocriter erudito diſſolui poſſunt, illa enim ferè concludunt tantum duo aſſignanda loca; alterum pro animabus decedẽtibus in gratia, alterum pro damnatis, quod verum eſt, & ità: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. 11. Hoc eſt vel in paradiſo, vel in inferno, quia etiã animæ purgandæ paradiſum petunt poſt ſolutionem pœnarum. Reliquæ obiectiones videri poſſunt apud Bellarm. lib. de purgatorio à cap. 8. & Eſtium in 4. diſt. 21. §. 4. vel alios modernos.

Rogabis, *quanta ſit pœnarum purgatorij grauitas.* Reſpondere poſſumus verbis Diui Auguſtini, ſerm. 41. de Sanctis, & 4. de animabus defunctorũ fidelium, vbi poſt multa de igne Pur-

Grauitas pœnarum purgatorij.

gatorij, ſic loquitur; *Sed dicet aliquis, non pertimes ad me quandiu moras habeam, ſi tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres cariſſimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut ſentiri. Et cum de die iudicij ſcriptum ſit, quod erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus, vnde ſcit vnuſquiſque vtrùm diebus ac menſibus, an fortè etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus? & qui modò nec vnum digitum ſuum in ignem vult mittere, timeat neceſſe eſt vel ſumo parum tempore cum anima, & toto corpore cruciari: & ideò totis viribus vnuſquiſque laboret, vt capitalia crimina poſſit euadere, & minuta peccata ità operibus bonis redimere, vt de ipſis nihil videatur remanere, quod ille ignis poſſit abſumere.*

Purgatorium eſt in viſceribus terræ.

CONCLVSIO 2. *Purgatorium eſt in viſceribus terræ.* Probatur primo: Ratio orãdi ſequitur rationem credendi: atqui Eccleſia orat pro animabus exiſtentibus in inferno, in offertorio pro defunctis; *Domine Ieſu Chriſte libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni.* ergo Eccleſia credit purgatorium eſſe in viſceribus terræ.

Secunda ratio; ignis inferni eſt in viſceribus terræ: ergo & purgatorium. Cõſequutio probatur; agentes in purgatorio puniuntur illo eodem igne, quo agentes in inferno, vt author eſt D. Tho. in 4. diſt. 45. ergo.

Vltima, in die iudicij ex loco purgatorij, & inferni fiet vnus & idem planè locus, vt communiter concedunt omnes in 4. diſt. proximè citata: ergo quemadmodum infernus eſt in terræ viſceribus, ità & purgatorium.

Obiectio.

Obiicies ex Gregor. lib. 4. dialogorum, animę Paſchalis & D. Seuerini quibus pœna purgatorij debebatur, cruciabantur poſt mortem in flumine, ergo.

Solutio.

Reſpondeo, ex priuilegio huiuſmodi animas dejectas eſſe in illo flumine; de communi namque lege coniiciendæ erant in purgatorium, quod in viſceribus terræ eſſe diximus.

In Purgatorio ſatisfaciunt animæ.

CONCLVSIO 3. *Agentes in purgatorio verè ſatisfaciunt pro pœnis peccatis debitis.* Probatur primùm: in Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 9. apertè dicitur tribus modis Domino ſatisfieri; primo, pœnas & flagella à Deo immiſſa patienter ſuſtinendo, opera laborioſa ſponte aſſumẽdo, qualia ſunt ieiunij, peregrinatio, & ſimilia; & denique Sacerdotum arbitrio mulctam conſtitutam ſubeundo. at cõſtituti in purgatorio, ſibi à Deo conſtitutas pœnas patienter ſuſtinent, ergo, quod argumentum maximè contra hæreticos vrget, fatentur enim pœnis in hac vita à Deo immiſſis, ſi tamen patienter tolerentur, ſatisfieri quodammodo Deo: In eodem Trid. ſeſſ. 25. in decreto de purgatorio ſtatim initio dicitur: *Curent Epiſcopi, vt fidelium viuorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſyna, aliáque pietatis opera quæ à fidelibus pro defunctis fieri conſueuerunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta pie & deuotè fiant.* & ſeſſ. 22. cap. 2. dicitur miſſæ ſacrificio mortuos iuuari; ergo ſi poſſunt iuuari ſacrificio miſſæ, eleemoſynis & aliis pijs operibus verè ſatisfaciunt.

Probat. 1.

2.

Secundò probatur. Ille verè ſatisfacit qui tantum reddit, quantum debet, aut certè qui tantum reddit, quantum is qui læſus eſt ab eo iuſtè exigit: at in purgatorio agentes tantum reddunt, quantum debent, vt colligitur ex cap. 5. Matth. *Non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem: igitur.*

Obiectio.

Dices, agentes in purgatorio non poſſe reddere quantum debent Deo; quæcumque enim habent, à Dei benignitate & liberalitate pendẽt, etiam actus ille quo patienter pœnas purgatorij ſuſtinent; qui autem ſatisfacit, id debet ex proprijs, & non ex illis quæ ſunt creditoris.

Digitized by Google

Solutio. Respondeo, existentes in purgatorio nihil A prorsus habere quod non sint diuina liberalitate assequuti; non tamen propterea desinere propriè satisfacere, non quidem de rigore iustitiæ, sed ex acceptatione. Deus siquidè vult acceptare solutionem illarũ animarum posito illo actu patienter sustinendi pœnas ab eo illis constitutas.

3. Tertiò, agentes in hac vita verè satisfacere possunt pro pœnis peccatis debitis, vt constat ex Niniuitis, Ionæ vltimo, Daniel. 4. *Redime peccata tua eleemosynis, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*; ergo & degentes in purgatorio. Consequutio probatur; ad satisfactionem satis est quòd homo sit in gratia, & quòd pœna aut à se, aut ab alio indicta patienter sustineatur, B quæ duo facilè præstare possunt in purgatorio commorantes; sunt enim in gratia Dei: Deinde in omnibus gerunt morẽ diuinæ voluntati.

Obiectio. Dices, actus quo quis satisfacit debet esse voluntarius & spontaneus, cùm actus vtilis esse nõ possit, nisi adsit consensus voluntatis: at pœna animarum in purgatorio non est libera, & spontanea; tum quia illas summopere torquet. volũtas autem malum refugit naturaliter, tum etiam quia in purgatorio retardantur à sua felicitate, si ergo quælibet creatura naturaliter etiam suam appetit felicitatem, à fortiori animæ in purgatorio exoptabunt suam beatitatem.

Solutio. Respondeo, ad satisfactionem simpliciter & C absolutè loquendo non requiri assensum voluntatis, vt patet in illo qui à iudice cogitur ad solutionem summæ centum nummorum aureorũ, ad quam tenebatur alicui alteri; hac enim persoluta, verè de rigore iustitiæ satisfecit. Dicimus ergo longè varium esse discrimen inter meritum & satisfactionem; ad meritum namque simpliciter requiritur gratia Dei habitualis 2. status huius vitæ 3. concursus voluntatis, seu liberum arbitriũ: ad satisfactionen verò exigitur simpliciter & absolutè quod sit opus pœnale à charitate imperatum: charitate enim propriè loquendo non satisfacimus, sed dolore imperato à charitate, cùm D ergo constituti in purgatorio veros aliquos dolores experiantur, & illi sint à charitate imperati verè satisfaciunt.

2. *Solutio.* Secundò respondeo ad minorem, duobus modis pœnas purgatorij spectari posse: primò vt mala sunt contraria naturæ. 2. vt sunt instrumenta quædam, per quæ salus animarum operatur & acquiritur: primo modo consideratæ refugiunt illas existentes in purgatorio, secundo verò modo easdem liberè & sponte amplectuntur, ac proinde satisfaciunt.

Obiectio. Obiicies, Ps. 105. Limbus patrũ dicitur infernus inferior. & 17. Iob dicitur *infernus profundissimus*. Respondeo, Limbum patrum dici infernũ inferiorem, aut infernum profundissimum nõ in ordine ad purgatorium, limbũ puerorum, aut infernum, sed in ordine ad spatia illa quæ interiiciuntur à limbo patrum vsque ad terram nostrã, & à terra nostra ad cœlum vsque: ità Gregorius locis proximè citatis. De his ergo duobus receptaculis conuenit inter omnes.

Solutio.

Sententia 1. De situ autem purgatorij, & limbo puerorũ duplex est sentẽtia. Prima B. Th. in 3. sent. dist. 22. q. 2. ar. 1. Rich. in 4. dist. 45. q. 2. ar. 1. qui putãt purgatorium esse superiorẽ limbo puerorum, quorũ sententia hac vnica ratione probatur: Agentes in purgatorio sunt digniores illis qui sunt in limbo puerorum, constat enim illos esse in gratia, & in proxima dispositione ad vitam æternam consequendã, quod de paruulis nulla ratione suspicari licet; ergo locus purgatorij superior erit loco puerorũ. Probatur consequutio: inter locũ & locatũ debet esse aliqua proportio, sed locati in purgatorio sũt digniores ijs qui sunt in limbo puerorũ: ergo & locus eminentior erit, vel dignior.

Sentent. 2. probabilior. Secunda sententia est eiusdem D. Th. in 4. dist. 21. q. 1. ar. 1. & dist. 45. q. 1. ar. 2. Soti eadem dist. q. 1. ar. 1. qui putant limbum puerorum esse superiorem purgatorio quorũ sentẽtia, quoniã nobis magis placet, quibusdam probatur rationibus.

Ratio 1. Prima. In inferno, & in purgatorio agẽtes, maiorẽ experiuntur pœnã, qui quàm in limbo puerorum vel patrum existentes namque in huiusmodi locis torquentur pœna damni, & sensus simul, quod non accidit ijs qui sunt in limbo puerorum, aut qui fuerunt antiquitus in limbo patrum; ergo purgatorium est locus inferior limbo puerorum: illa enim loca decet esse contigua, & magis infima in quibus animæ maiorem patiuntur pœnam.

2. Secunda. Ex communi sententia omnium Scholasticorum aduentante die iudicij ex loco inferni & purgatorij consurget vnus & idem numero locus: ergo debent esse huiusmodi loca nunc contigua; limbus enim puerorũ in æternum permanebit.

Solutio argument. Sent. 1. Ad argumentum verò primæ sententiæ respõdeo, situm & ordinem receptaculorum non esse repetendum ex dignitate, vel indignitate agentiũ in illis, sed potius ex maiori vel minori pœna quę infligitur eisdem: cũ ergo maiori pœna torqueantur animæ in purgatorio, quàm qui detinentur in limbo puerorum, purgatorium erit inferius limbo huiusmodi puerorum.

MEMBRVM VLTIMVM.

Quem situm obtineant supradicta receptacula. E

Infimus infernus. Respondeo, exploratum esse apud omnes infernum vindicare sibi infimum locũ; diximus namque in antecedentibus esse in centro terræ.

Respondeo 2. *Limbũ patrum esse superiorem limbo puerorum, purgatorio & inferno*, hæc responsio videtur certa ex c. 16. Luc. *Magnũ Chaos inter nos & vos firmatum est*, aiebat Abraham ad diuitem epulonem. Deinde ità tradunt Chrysost. homil. de diuite epulone in Lucam; Tertullian. lib 4. contra Marcionem, Greg. lib. 12. magnorum Moralium, cap. 6. & lib. 13. cap. 17.

DVBITATIO SECVNDA.

An Indulgentia possint dari Defunctis.

Lutheran. & Caluinist. hæretis. Lvtherani, & Caluinistæ, quemadmodum locum Purgatorij negant, ità quoque tradunt omnes omnino pœnas, peccatis nostris debitas, sublatas esse per Christum: ac proinde inutiles esse prorsus indulgentias, nedum viuentibus, sed etiam mortuis. Subscribunt & huic errori nonnulli ex Catholicis, in ordine saltem ad id quod indulgentiæ sint inutiles mortuis: ità docet Gabriel, lectione 57. in Canonem Missæ. Gerson tomo 4. suorum operum, sermone 5. de defunctis. Ostiensis & quidam alij.

Digitized by Google

Fundamēt. Probatur autem iſtorum error. Primo, Conceſſio indulgentiarum eſt actus iuriſdictionis, ex can. *Quod autem, de pœnitentijs, & remiſſionibus:* at Pontifex Maximus nullam habet iuriſdictionem in mortuos: ergo non illis poterit indulgentias concedere.

1. Secundo, Indulgentię cenſentur eſſe ſolutiones pœnarum debitarum peccatis, factæ ex poteſtate clauium; at claues Eccleſiæ extenduntur tantùm ad viuentes: Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo.*

2. Tertio, ſi datur aliquis modus concedendi indulgentias defunctis, is debet eſſe per modum ſuffragij; at modus hic non reperitur in ſacris litteris, nec in Conciliis Oecumenicis, nec denique apud ſanctos Patres: ergo nullo modo illis concedi poſſunt indulgentiæ.

Indulgentiæ concedi poſſunt defunctis. Conclvsio 1. *Indulgentiæ dari poſſunt defunctis.* Probatur primo, Gregorius I. conceſſit plenariam indulgentiam defunctis, vt refert ſupplementum Gabrielis, diſt. 45. lib. 4.

Paſchalis. Item Paſchalis huius nominis Pontifex Romanus primus, anno 817. plenariam conceſſit indulgentiam, in fauorem animarum detentarum in purgatorio: vt refert Cornelius Sculting ius, tomo 2. de diuinis officiis, & Surius tomo 2. vitarum, paulo poſt vitam ſancti Suniberti. Idem præſtitit Sixtus IV. & omnes Pontifices Recentiores.

Deinde ratione. Prima; Illis omnibus poſſunt dari indulgentiæ, quibus applicari poſſunt alienæ ſatisfactiones, & ſuffragia: indulgentiæ ſiquidem nihil aliud ſunt, quàm condonationes pœnarum debitarum peccatis, diſpenſando merita Chriſti, & Sanctorum: at ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum ſuffragia, item noſtra, poſſunt applicari animabus defunctorum: vt refert Tertullianus de Monogamia, Cyprianus epiſtola 9. lib. 1. Ambr. lib. 2. epiſtolarum, epiſtola 8. Auguſt. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1. & 4. & ſermone de verbis Apoſtoli 14. & in Enchiridio, ad Laurentium cap. 110. Chryſoſtomus homilia 69. ad populum Antiochenum, Cyrillus Hieroſolymitan. Catecheſi 5. myſtagogica & cõmuniter Patres: ergo. Confirmatur. Ratio cur ſuffragia noſtra poſſint alijs applicari, eſt vinculum charitatis; at hoc idem permanet in animabus defunctorum, & item in ijs qui agunt in hac vita mortali: ergo illis poterunt concedi indulgentiæ.

Tertul. Cyprian. Ambroſ. Chryſoſt. Cyrillus.

Rurſus, datur in Eccleſia poteſtas abſolutè remittendi peccata, idque omni planè modo vtili ad ſalutem animarum; vt conſtat ex dictis quæſtione 2. igitur & pœnæ poſſunt condonari animabus defunctorum.

Animæ tantũ purgatorij ſunt capaces indulgentiarum. Conclvsio 2. *Solis animabus exiſtentibus in purgatorio poſſunt dari indulgentiæ.* Probatur primo: Indulgentiæ nequeunt prodeſſe animabus exiſtentibus in cœlo; ſcribitur enim Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum:* Neque item animabus exiſtentibus in inferno: *In inferno quippe, nulla eſt redemptio*; nec denique animabus puerorum in limbo conſtitutis: non enim fieri poteſt, vt aliquis experiatur fructum indulgentiarum, niſi quoque hic fuerit gratiam Dei aſſecutus; at gratia non eſt in animabus conſtitutis in limbo: ſupereſt ergo, vt dentur tantùm indulgentię animabus degentibus in purgatorio, neque enim ſunt pluria animarum receptacula, poſt mortem. In hac Concluſione conueniunt omnes Catholici.

Conclvsio 3. *Non eſt euidenter de fide Catholica, indulgentias poſſe dari animabus conſtitutis in purgatorio: accedit tamen hoc ad eamdem.* Prima pars Concluſionis probatur; Temporibus primitiuæ Eccleſiæ, indulgentiæ tantùm dabantur viuentibus. Deinde, illud cenſetur eſſe tantùm de fide Catholica, quod habetur expreſſe in ſacris litteris, vel in aliquo Concilio definitum eſt, tanquam de fide: vel colligitur in euidenti, & neceſſaria conſecutione, ex aliquo loco Scripturę ſacrę, aut ex definitione alicuius Concilij; at indulgentias dari mortuis, non habetur in ſacris litteris, nec in Concilijs, nec colligitur in euidenti, & neceſſaria conſecutione, ex aliquo loco Scripturæ, aut ex propoſitione aliqua definita in aliquo Concilio: ergo non eſt euidenter de fide poſſe dari illis omnibus indulgentias. *Indulgentias poſſe dari animabus in purgatorio ad fidē accedit.*

Secunda verò pars probatur. Primò, quia diximus Pontifices Maximos, vere circa ſecula proxima, & tempore primitiuæ Eccleſiæ, conceſſiſſe indulgentias mortuis. Secundò, poteſtas concedendi indulgentias colligitur ex his locis, Mat. 16. & 18. Ioan. 20. & 21. ergo fere ad fidem accedit.

Ad rationes autem hæreticorum reſpondeo. Ad 1. conceſſionem indulgentiarum per modum abſolutionis, eſſe actum iuriſdictionis; non autem per modum ſuffragij: Indulgentię autem dantur hoc poſteriori modo defunctis, vt dicetur articulo ſequenti. Reſpondeo 2. Eccleſiam habere iuriſdictionem in mortuos, non directam, ſed indirectam; ac proinde poſſe iſtis ſaltem indirectè concedere indulgentias. *Satisfit fundamētis contrarijs.* *Eccleſia habet ius in mortuos indirectum.*

Ad 2. reſpondeo. Indulgentias eſſe ſolutiones pœnarum debitarum peccatis factas ex poteſtate clauium. Ad id autem quod ſubiungitur, in eodem argumento, claues Eccleſiæ extendi tantùm ad viuentes, idque propter illum locum, Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram*, &c. Reſpondeo ex iſtis nihil colligi contra noſtram ſententiam. Primò, quia non deſunt qui dicant particulam (ſuper terram) referendam eſſe, non ad eos quibus dantur indulgentię, ſed ad eum qui concedit indulgentias: nã vt tenſus ſit: quæcumque ligaueritis, conſtituti in his terris, erunt ligata & in cœlis. *2. Soluitur.* Matth. 16.

Deinde, quia non deſunt qui putent animos conſtitutas in purgatorio, aut etiam in inferis, ſubijci iuriſdictioni Eccleſiæ, ſaltem indirectè, quod ex eo videtur probabile, quod interdum mortui ab excommunicatione ſoluuntur, & actus iſti cenſentur eſſe validi, in ordine ad viuentes, etiamſi anima illius, qui abſoluitur, ſit vel in cœlo, vel in inferno, vel in purgatorio.

Ad vltimam. Reſpondeo poteſtatem concedendi indulgentias defunctis, non haberi quidem, verbis expreſſis in ſacris litteris, Concilijs, aut etiam apud Patres; colligi tamen ſufficienter traditione, & perpetuo vſu Eccleſiæ ex Scripturis ſacris, & item ex Concilijs. *Solutio vlt.*

DVBITATIO TERTIA.

An Indulgentiæ dentur defunctis, per modum ſuffragij: an per modum abſolutionis.

DE hac re ſunt qui putent indulgentias eodem modo dari defunctis quo viuis; hæc

Digitized by Google

ſacrum perficeretur, viſas eſſe poſteà egredi è ſepulchris, & agere extra Eccleſiam.

Satisfit. Reſpondeo 1. Moniales illas non fuiſſe excommunicatas: ſed tantum D. Benedictum, comminatum fuiſſe ſententiam excommunicationis in eaſdem: non enim dicitur illic fuiſſe abſolutas ab excommunicatione, ſed donatas libertate, ſola oblatione earum nomine facta à D. Benedicto. Reſpondeo 2. hæc inter miracula eſſe computanda. Tertio, de lege communi animas defunctorum non ſubijci iuriſdictioni Eccleſiæ, ex ſpeciali autem priuilegio fieri poſſe, vt animæ aliquę ſubijciantur poteſtati huius, vel alterius Sancti.

Solutio vlt. Ad vltimã. Reſpondeo, Animas in purgatorio cõſtitutas eſſe viatrices, in ordine tantũ ad ſatisfaciendum; non autem in ordine ad merendum, ac proinde poſſe illis applicari ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, per indulgentias non quidem per modũ abſolutionis, ſed per modum ſuffragij.

DVBITATIO QVARTA.

Quid ſit neceſſarium, ad hoc vt mortui conſequantur Indulgentias.

QVÆ de hac re dici poterant, maiori ex parte explicata fuerunt Dubitatione 3. quæſtionis proxime antecedentis; quemadmodum ergo eõ loco docuimus gratiam, & fidem abſolute eſſe neceſſarias ad effectum indulgentiarum obtinendum, in ordine ad viuos: ità quoque ſtatuendum eſt, hæc eadem neceſſaria eſſe in animabus mortuorũ, ad hoc vt in ſe ipſis fructum indulgentiarum poſſint experiri.

Vlterius tamen hoc loco inueſtigandum eſt: *An character Baptiſmi abſolutè ſit neceſſarius, ad hoc vt anima aliqua in purgatorio conſtituta, poſſit obtinere indulgentias*, de qua re pauci, aut fere nulli Theologi aliquid dixerũt: ſolis Corduba, & Suare exceptis.

Character neceſſarius ad conſequendas indulgentias. De hac ergo re: *Probabile videtur, fieri non poſſe, vt indulgentiæ dentur animabus defunctorum, niſi quoque iſta fuerint characterem baptiſmi conſequutæ.* Primò, quia, Pontifices inter dandũ indulgentias, vtuntur his verbis (*concedimus indulgentias fidelibus viuis, & defunctis*) at nomine fidelium intelliguntur ſoli baptizati in re. Deinde, myſteria religionis Chriſtianæ ijs ſolis poſſunt applicari, qui ſunt baptizati. Tertio, ſoli filij legitimi cenſentur habere ius ad hereditatem paternam: at theſaurus Eccleſiæ eſt quaſi quædam hereditas filiorum Chriſti. Quarto, Conceſſio indulgentiarum cenſetur eſſe actus iuriſdictionis, at Eccleſia iuriſdictionem habet tantum in baptizatos, iuxta illud: *Quid enim mihi de ijs qui foris ſunt iudicare?* 1. Cor. 5.

Obiectio. Dices, ex dictis Pontificem non habere iuriſdictionem, ſaltem directam in animas defunctorum, & tamen concedere eiſdem indulgentias, idque quod poſſit obligare viuentes, ad exercendum aliquem actum nomine mortuorum, quo poſito fructus indulgentiarum deuoluitur ad illos: at poteſt hoc idem opus Pontifex Maximus exigere à viuentibus, in gratiam earum animarum, quæ ſunt in purgatorio, etiamſi non fuerint actu baptizatæ.

Reſponſio. Reſpond. Pontificem Maximum iſtis non poſſe dare indulgentias, licet poſſit animabus baptiſmi charactere notatis, eo quod abſolute neceſſarium ſit, ad conceſſionem indulgentiarum fuiſſe aliquando, aut eſſe ſub iuriſdictione directa Pontificis Maximi: anima autem quæ de facto fuit baptizata, pertinuit aliquando ad directam Eccleſiæ iuriſdictionem, quod tamen dici non poteſt de anima, quæ nunquam fuit baptizata.

Replica. Dices, priuatum quemlibet nomine cuiuſlibet animæ in purgatorio conſtitutę, orare poſſe, & pro ea ſatisfacere: ergo à fortiori poterit Pontifex Maximus eiſdem dare indulgentias.

Enervatur. Reſpondeo negando conſequutionem: ad hoc enim vt aliquis ſatisfaciat, vel oret pro anima in purgatorio conſtituta, ſatis eſt vinculum charitatis: vt verò dentur indulgentię, abſolutè neceſſarium eſt, vel eſſe, vel fuiſſe ſub iuriſdictione directa Pontificis Maximi.

Inſtantia. Inſtabis, Indulgentię quæ dantur mortuis, cenſentur eſſe per modum ſuffragij: ergo ſi poſſimus orare pro mortuis in particulari, poterunt & dari iiſdem indulgentię.

Infirmatur. Reſpondeo, negando conſecutionem: diximus enim Dubitatione præcedenti, indulgentias quæ dantur mortuis, per modum ſuffragij non imitari naturam ſuffragiorum, ſed infallibiliter ſuos conſequi effectus: diximus præterea has indulgentias ideo appellari per modum ſuffragij, quod non ſint actus poteſtatis iudiciariæ directę, quod tamen conuenit conceſſioni indulgentiarum per modum abſolutionis.

QVÆSTIO SEXTA.

De fine Indulgentiarum.

Quorumdã opinio circa primã difficultatem. TRIA ſunt hoc loco breuiter explicanda. 1. *An requiratur propria aliqua cauſa ad concedendas indulgentias.*
2. *An cauſa iſta debeat eſſe adæquata ſuo effectui, & è contrà.*
3. *An cauſa debeat eſſe publica, vel priuata.*

Quod igitur attinet ad primum, ſunt qui putent ſolam voluntatem Pontificis Maximi ſatis eſſe ad conceſſionem indulgentiarum, etiamſi nulla detur cauſa propria, qua moueatur ad id præſtandum: Addunt tamen aliqui peccare Pontificem, quandocumque ſine ratione indulgentias concedit, licet ità conceſſæ ſint futuræ validæ, tam ex parte Pontificis, quàm eorum qui eas recipiunt: hanc opinionem refert Paludanus in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 1.

Ad concedendas indulgentias eſt neceſſaria cauſa pia. CONCLVSIO. *Ad concedendas indulgentias, abſolutè neceſſaria eſt cauſa aliqua pia.* Probatur primo: Tenetur Pontifex Maximus, in concedendis indulgentiis, imitari Chriſtum quoad fieri poteſt: at Chriſtus nunquam conſueuit pœnas peccatis debitas remittere, niſi poſita aliqua iuſta cauſa.

Probationes 1. Secundo, Pontifex non eſt Dominus theſauri Eccleſiæ, ſed tantum diſpenſator, 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*: at diſpenſatores non poſſunt ad libitum bona Dominorum diſtribuere: ſed iuxta leges ſibi conſtituras. 2. 1. Cor. 4.

Tertio, miniſtri rerum Eccleſiaſticarum, in ſacris literis appellantur prudentes, & fideles diſpenſatores. Lucæ 12. Matth. 24. *Quis putas* 3. Luc. 12. Matth. 24.

Digitized by Google

est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam?

4. Quartò, in Concilio Trident. cap. 21. sess. 25. præcipitur moderatio in concedendis indulgentiis ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur. At illæ indulgentiæ censentur esse indiscretæ, quæ sinè vlla prorsus causa pia dantur. Ità docent Sententiarij in 4. dist. 20. Dt D. Thom. Thomas in quæst. 25. additionum ad 3. partem Innoc. III. art. 2. Innocentius III. in cap. *Cum ex eo*, de Clem. VI. penitentiis, & remissionibus. Clemens VI. in Martin. V. Extrauaganti, *Vnigenitus*. Martinus V. in fine Leo X. Concilij Constantiensis, Leo X. in Bulla contra Lutherum.

Causa debet esse adæquata effectui. Quod verò attinet ad secundum, concors est B omnium ferè Theologorum sententia, *Causam indulgentiarum debere esse adæquatam effectui.* Primò, quia Pontifices Maximi, nedum exigunt causam piam, sed etiam iustam, & rationalem, ad hoc vt possint validas concedere indulgentias; ità Leo X. Martinus V. & Clemens VI. locis proximè citatis: at ea causa censetur esse iusta, & rationalis, quæ debite proportionatur suo effectui.

Probatio 1.

2. Deinde, Pontifex non potest remittere pœnas debitas peccatis per indulgentias, nisi tot ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones assumat, quot sunt necessariæ ad debitam, & condignam satisfactionem pro pœnis peccatis debitis: ergo quemadmodum in his seruatur proportio, & æqualitas; ità quoque inter causam, & effectum indulgentiarum retinenda est æqualitas.

3. Tertiò, prohibet Innocentius III. in capite, *Cum ex eo, de pœnitentijs, & remissionibus*: ne concedantur superfluæ indulgentiæ; & Concilium Trident. loco supra citato, ne dentur indiscretæ indulgentiæ: at illæ videntur superfluæ, & indiscretæ, quæ non retinent æqualitatem inter causam, & effectum: ità authores supra citati, euidentissimè autem Albertus Magnus dist. 20. art. 17. lib. 4. Bonauentura quæst. vltima. Richardus, quæst. 1. art. 3. Adrianus in materia de indulgentia, Conclusione 2. Augustt. Triumphus D libro de potestate Ecclesiastica, quæst. 30. art. 5. Caietan. in opusculo de indulgentiis. Corduba quæst. 20. Suarez disp. 53. tomo 4. sectione 3. ad 3. partem D. Thomæ.

Vnde æqualitas sumenda sit. Aduertes autem hanc æqualitatem non esse repetendam ab ipsismet rebus, neque item ex arbitrio vniuscuiusque priuatæ personæ; sed ex iudicio prudenti Pontificis, concedentis indulgentias. Primò, quia difficile est, imò ferè impossibile assequi gradum huius æqualitatis, in ipsismet rebus. Deinde, administratio thesauri Ecclesiastici, non huic, vel illi in particulari commissa est, sed soli Pontifici Maximo: ergo illius quoque erit iudicare, quæ causa censeatur esse E iusta ad concessionem indulgentiarum.

Obiectio. Dices, in sacramentis nunquam effectum eorumdem futurum validum, nisi detur à parte rei dispositio, quæ nullo modo suppleri potest, per prudentem æstimationem administrantis sacramentum: ergo hæc æstimatio facta à Pontifice, de æqualitate causæ cum effectu indulgentiarum, nunquam satis erit, ad validitatem illarum.

Responsio. Discrimina inter validitatem sacramentorũ & indulgent. Respondeo, Non esse parem rationem, inter validitatem sacramenti, & indulgentias. Primo, in sacramenti administratione, necessaria est dispositio ex parte recipientis, & ex parte effectus A sacramenti conferendi: at vero in concessione indulgentiarum & quidem valida, satis est pia, & iusta causa, etiamsi nulla detur dispositio, in ordine ad eos à quibus conceduntur indulgentiæ. Secundo, Concessio indulgentiarum, non est immediatè ab ipsomet Deo, sed à voluntate Pontificis Maximi: sacramenti autem institutio, imo & administratio, est ab ipsomet Deo; ac proinde dispositiones illæ necessariæ ad effectum sacramenti, nullo modo suppleri possunt; bene tamen in concessione indulgentiarum, quoniam, vt diximus, ad validitatem indulgentiarum, tria sunt tantùm necessaria, causa pia, potestas in concedente, & capacitas in recipiente.

Indulgentiæ aliquando inualidæ. Aduerte 2. Indulgentias concessas à Pontifice, futuras inualidas, si effectus non proportionetur suæ causæ, in ordine ad istum effectum; easdem tamen existimandum est esse validas, in ordine ad proportionem, quam seruat effectus cum sua causa. Probatur: Indulgentiæ consequuntur suos effectus, dependenter à voluntate Pontificis: at voluntas Pontificis est, in hoc casu, vt indulgentiæ à se concessæ consequantur suos effectus. Postrema difficultas, explicatur hac Conclusione.

Conclvsio. *Ad indulgentias concedendas, satis est interdum causa publica, interdum priuata; altera tamen istarum semper est necessaria.*

Indulgentiæ aliæ publicæ, aliæ priuatæ. Antequàm hæc Conclusio probetur. Aduerte inter indulgentias, alias esse publicas, alias vero C priuatas; illæ censentur esse, quæ vel toti Ecclesiæ, aut prouinciæ, aut regno alicui conceduntur: hæ vero, quæ vni priuato homini, aut etiam alicui particulari communitati dantur; putà Regi Galliæ, Socrati, aut Paulo, aut societati huius, vel illius Religionis.

Causa indulgentiarũ non est necessariò spiritualis. Aduerte 2. causas istas indulgentiarum, non necessario debere esse spirituales: possunt enim istæ esse temporales, & corporales, ea tamen lege, & conditione, quod aliqua ratione ordinentur in finem aliquèm spiritalem. Veritas ista manifestè colligitur, ex quotidiana praxi: videmus enim interdum Pontificem dare indulgentias propter constructionem huius, vel illius domus publicæ, propter sustentationem alicuius hospitalis: hoc ipsum suadetur ratione; nam quemadmodum pie, ac iustè res istas temporales à Deo petimus suffragiis, & orationibus; ità quoque rationi consonum est, vt suffragiis istis adiungantur indulgentiæ, quatenus hæc maiori cum deuotione compleantur à mortalibus.

Probatio conclusio. Iacto hoc fundamento, probatur prima pars Conclusionis. Inter effectum, & causam indulgentiarum debet dari proportio; at effectus, ex hypothesi, est publicus: ergo & causa debet esse publica. Deinde, ità tradunt authores supra citati. Secunda vero pars probatur ex eodem fundamento, quod scilicet ad indulgentias priuatas satis sit causa particularis: effectus debet proportionari suæ causæ, & è contrà in indulgentiis: At effectus est priuatus, & particularis.

Obiectio. Obiicit Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. existimans, nullas prorsus posse dari indulgentias, nisi ex causa publica: Bonum publicum non potest distribui, nisi ex causa communi, & publica; at per quaslibet indulgentias distribuitur bonum publicum Ecclesiæ; omnis quippe concessio indulgentiarum, assumit aliquid ex meritis Christi, quatenus istorum ope pœnæ peccatis debitæ redimantur.

Responsio. Respondeo, bonum publicum, non posse di-

uidi,

Digitized by Google

uidi, niſi ex cauſa publica quando ex huiuſmodi diuiſione reſpublica conſequitur damnum aliquod; iam vero nullum damnum incurrit Eccleſia, ex diuiſione meritorũ Chriſti, facta in fauorem alicuius priuatæ perſonę, aut particularis communitatis: merita quippe Chriſti ſunt infinitæ dignitatis, & infinities infinitatis: ità vt hæc nulla ratione poſſint exhauriri. Deinde, quando theſaurus Eccleſię applicatur alicui priuato homini, applicatio iſta cedit aliqua ratione in communem vtilitatem Eccleſiæ: pertinet namque ad Eccleſiam, vt vnuſquiſque ſuam ſalutem eius opera conſequatur, & quo plures ſaluantur in particulari, eo quoque magis nobilitatur Eccleſia; imò de hac re magnopere gaudent ſancti, vt
Luc. 15. conſtat ex cap. 15. Luc. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore penitentiam agente.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De cauſa efficiente Indulgentiarum.

Chriſtus cauſa principua indulgentiarum.

IN hac quæſtione, aliqua ſunt certa, alia verò dubia: certum igitur eſt cauſam præcipuam, & principalem indulgentiarum eſſe Chriſtum; nam quemadmodum hîc, ſua morte ſacramenta, & alia dona ſupernaturalia nobis promeruit: ità quoque effecit ſua paſſione, vt daretur in Eccleſia poteſtas concedendi iddulgentias: indubitatum eſt enim, quod quemadmodum ſacramenta licet ſint proximè, & immediatè à Chriſto inſtituta, non tamen hæc immediatè nobis applicantur per Chriſtum, ſed interiecta, & interueniente operatione alicuius hominis: ità etiam licet Chriſtus immediatè poteſtatem concedendi indulgentias meruerit, non tamen vult eas applicare nobis per ſeipſum, immediate, ſed interueniente operatione alicuius hominis. Dubium ergo eſt, penès quem ſit poteſtas iſta concedendi indulgentias: maioris autem explicationis gratia, duæ ſunt hac de re futuræ Dubitationes. 1. An ſoli Pontifici Romano, iure diuino conueniat dare Indulgentias. 2. An Epiſcopis, & Curatis.

DVBITATIO PRIMA.

An ſoli Pontifici Romano conueniat, iure diuino dare Indulgentias.

Quorumdã opinio.

SVNT qui putent Concilium Oecumenicum, ſeu vniuerſale poſſe dare indulgentias, idque per poteſtatem ſibi à Deo immediate conceſſam: ità Corduba quæſt. 12. de Indulgentiis, & vt videtur Sotus in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 4. ſunt qui referant pro hac eadem opinione Panormitanum, & pleroſque alios Canoniſtas.

Probatur 1.

Iſtorum autem opinio, probatur primò: Eiuſdem eſt concedere indulgentias iure diuino, cuius eſt condere leges, in ordine ad totam Eccleſiam, cuius item eſt excommunicare omnes, & ſingulos Chriſtianos (ſunt enim hæc omnia actus ſupremę iuriſdictionis) at Concilia generalia conſtituunt leges, ad quarum obſeruationem tenentur omnes, & ſinguli Chriſtiani; ſe-

runt hæc eadem excommunicationem in omnes, & ſingulos Chriſtianos: imò Concilium Conſtantienſe Petrum de Luna excommunicauit, qui tamen credebatur eſſe Pontifex Maximus; vt conſtat ex actis eiuſdem Concilij.

Deinde, cuiuſlibet communitatis eſt bona ſua his, & illis diuidere; at bonum publicum Eccleſię diuiditur per indulgentias: ergo id conuenit Eccleſię: at ex definitione Martini V. in Concilio Conſtantienſi facta, Concilium generale repræſentat totam Eccleſiam. *2.*

Tertiò, In Concilio generali ſunt Patres, & omnes iudices Eccleſiæ: ergo eorum quoque erit indulgentias his, & illis dare. *3.*

Vltimò, ex Corduba loco proxime citato. In Concilio Baſilienſi, quod creditur fuiſſe acephalum, ſeu ſine capite, conceſſæ fuerunt indulgentię in ordine ad omnes, & ſingulos Chriſtianos vbique locorum conſtitutos: ergo non eſt ſolius Pontificis concedere indulgentias. Antequàm, quid de hac re ſentiendum ſit explicemus, quædam ſunt præmittenda. *Vlt.*

Biſariam ſumitur Concilium.

Aduerte 1. Concilium poſſe duobus modis conſiderari, vel quatenus eſt Pontifici Romano coniunctum, vel ſine eo, & ſuis Legatis.

Nec indulgentias, nec leges poteſt concedere Concilium ſine Pontifice, aut Legato.

Aduerte 2. non quærere nos hoc loco: An Concilium coniunctum Pontifici per perſonam ipſiuſmet Pontificis, poſſit indulgentias concedere, de hac quippe re nullus eſt dubitandi locus, cùm omnium approbatione, in Pontifice Romano detur ſumma poteſtas concedendi indulgentias. Non quærimus item, an Concilium, cui Pontifex Romanus non præeſt, vel per ſeipſum, vel per ſuos legatos, poſſit concedere indulgentias: cùm enim Concilium hoc, non ſit Concilium, ſed conciliabulum extra omnem controuerſiam poſitum eſt, Concilium hoc nec indulgentias dare, nec leges aliquas condere poſſe.

Status dubitationis.

Dubitatio ergo noſtra locũ habet in Concilio legitime cõgregato, cui præſunt Legati Pontificis Romani, & item in eo caſu in quo, vel careret Eccleſia Pontifice Maximo, vel occurreret dubium quiſnam eſſet Pontifex Romanus, ità vt res iſta certò definiri non poſſet. De hoc ergo Concilio quærimus hîc, an poſſit iure diuino concedere indulgentias.

Concilium cui præſunt legati, indulgentias ex ſpeciali delegatione poteſt concedere.

CONCLVSIO. *Concilium cui præſunt Legati Pontificis Romani, nullam habet poteſtatem concedendi indulgentias, niſi accedat ſpecialis delegatio Pontificis Romani.* Probatur primò, quia Concilium legitime congregatum, nullam habet poteſtatem, niſi eam quam à Pontifice Romano accepit.

Probationes 1.

Secundo, poteſtas dandi indulgentias, colligitur ex verbis Chriſti, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. & ex cap. 21. Ioann. *Petre paſce oues meas:* At teſtimonia hæc intelliguntur de ſolo Pontifice Romano. *2.*

Dices, ſimilem promiſſionem factam fuiſſe Eccleſię, Matth. 18. *Dic Eccleſiæ; quæcumque enim ligauerris ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Matth. 16. Ioann. 21. Matth. 18.

Reſpondeo, nomine Eccleſiæ illic non ſignificari Concilium generale, ſed tantùm perſonam Epiſcopi, vt explicat Chryſoſt. hoc loco; & ratio manifeſte conuincit; differitur quippe illic de correptione fraterna, præcipitúrque, vt poſita pertinacia fratris, denuncietur peccator iſte Eccleſiæ: at fieri non poteſt, imò neque decet, vt peccatum alicuius denuncietur omnibus, & ſingulis Eccleſiæ paſtoribus: Ac proinde neque

Digitized by Google

Concilio generali, cùm Concilia generalia non ſemper exiſtant.

3. Tertiò, probatur Concluſio. Poteſt Pontifex Maximus, prohibere ne Concilium det indulgentias, & quidem ità, vt ſi poſtea conceſſerit indulgentias, conceſſio hæc futura ſit omnino irrita, & inualida: ergo non conuenit iure diuino, Concilio concedere indulgentias: nam quod conuenit alicui iure diuino, per nullam prorſus poteſtatem irritari poteſt, vt patet exemplo ſacerdotis; licet enim iſte poſſit interdici ne faciat ſacrum, ſi tamen ſacrum fecerit, eius conſecratio erit valida, & tam bene rem ſacram conficit, quàm quilibet alius ſacerdos non prohibitus. Antecedens videtur indubitatum ex eo quòd iure diuino conſtet, Pontificem prohibere ne Epiſcopi concedant indulgentias, vltra annum, & vltra quadrageſimum diem.

4. Quartò. Duę ſupremæ poteſtates, non ſunt neceſſarię ad eliciendum actum vnius, & eiuſdem ſpeciei: imò, pugnant iſtæ poteſtates cum ordine Monarchico in Eccleſia conſtituto: at conceſſio indulgentiarum, eſt vnius & eiuſdem ſpeciei.

5. Quintò, Concilium non plus poteſt Papa mortuo, quàm eodem viuente: at viuente Pontifice non poteſt Concilium dare indulgentias iure diuino: ergo neque illo mortuo.

Obiectio. Dices, Ratione neceſſitatis extincto Pontifice, videri Concilium dare poſſe indulgentias. Contrà: Neceſſitas (præſertim non extrema & vltima) non tribuit ius ſacramentum aliquod adminiſtrandi, aut aliquid aliud agendi. Deinde, nulla poteſt occurrere neceſſitas dandi indulgentias, ſaltem extrema: diximus enim conceſſionem indulgentiarum non eſſe de neceſſitate ſalutis.

Refellitur.

Tertiò, extincto Pontifice, poſſunt Epiſcopi ex conceſſione ſibi iure communi facta, dare aliquas indulgentias. In hac Concluſione ſunt Suarez, Belar. Durandus, Palud. & Richardus.

Solus Pontifex Max. poteſt iure diuino concedere indulgent. Matth. 16. Ioann. 21.

CONCLVSIO 2. *Solus Pontifex Maximus iure diuino poteſt concedere indulgentias.* Probatur: poteſtas concedendi indulgentias, colligitur ex loco Matthæi 16. *Tibi dabo claues*, &c. *Quodcumque ligaueris*, &c. Ioann. 21. *Paſce oues meas:* at teſtimonia hæc loquuntur de ſolo Pontifice Romano. Deinde, poteſtas ſuprema iuriſdictionis, neceſſaria eſt ad conceſſionem indulgentiarum iure diuino: at hæc poteſtas eſt in ſolo Pontifice Romano. Vltimo, ità docent authores ſupra citati.

Satisfit rationibus dubitandi. Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. Concilium præciſum à Pontifice Romano, nullam prorſus habere poteſtatem condendi leges, aut excommunicandi, aut denique dandi indulgentias: Non eſt tamen negandum, quin extincto Pontifice Romano, occurrente aliqua graui neceſſitate totius Eccleſię, quæ non patiatur dilationem, quin poſſint Epiſcopi congregari & malo huic occurrere, meliori modo quo poſſit: extincto quippe Principe decet Rempublicam gubernari per potentiores, & Principes eiuſdem Reipublicæ; poteſtas tamen iſta non conuenit Epiſcopis, ex aliquo ſpeciali iure diuino: ſed ex natura rei, & per neceſſariam conſecutionem: non tamen poterunt Epiſcopi, etiam in hoc caſu, concedere indulgentias, exceptis tamen iis, quas de communi iure concedere poſſunt ſuis ſubditis, idque quod conceſſio indulgentiarum, non ſit abſolute neceſſaria ad regimen Eccleſiæ.

Ad id tamen quod ſubiungitur ex Concilio Conſtantienſi, Petrum de Luna fuiſſe excommunicatum. Reſpondeo, id eſſe quidem verum: ceterum non eo tempore, quo careret Pontifice Maximo Concilium; ſed poſtquam Martinus V. declaratus fuit Pontifex Maximus: hic enim, & nullus alius, prædictum de Luna excommunicauit; vt conſtat ex actis Concilij, & ex Platina in vita Martini V.

Petrus de Luna excommunicatus à Concilio Conſtantienſi.

Ad 2. reſpondeo, non eſſe parem rationem, inter diſpenſationem theſauri alicuius reipublicæ, & Eccleſiaſtici: nam propterea extincto aliquo principe, gubernatio theſauri incumbit maioribus, & proceribus illius regni, quod reſpublica contulerit omne ius adminiſtrandi theſaurum publicum principi: vnde redit idem ius, extincto principe ad præcipuos illius reipublicæ; theſaurus autem Eccleſię eſt ſolius Chriſti: & conſequenter illius adminiſtratio incumbit illis ſolis, quibus hoc munus à Chriſto conceſſum eſt. Cùm igitur poteſtas iſta data ſit ſoli Pontifici Romano à Chriſto, ſequetur penès hunc tantùm eſſe diſpenſationem theſauri.

Soluit 2.

Ad 3. Reſpondeo, Epiſcopos congregatos in Concilio, cui non præeſt Pontifex Maximus, non eſſe iudices Eccleſiæ: ſolius quippe Pontificis Maximi eſt, congregare Concilium, & quidem cum tanta neceſſitate, vt acta Concilij nullius prorſus roboris futura ſint, niſi acceſſerit aſſenſus, & confirmatio Pontificis Maximi.

Diſſoluit 3.

Ad id autem, quod ait Corduba, in Concilio Baſilienſi conceſſas fuiſſe indulgentias. Reſpondeo id eſſe verum; ceterum pro eo tempore in quo Concilium habuit præſentes legatos Pontificis Romani: ac proinde de licentia Pontificis Maximi, conceſſas fuiſſe has indulgentias.

DVBITATIO SECVNDA.

An Epiſcopi, & Curati, iure diuino poſſint dare Indulgentias.

Quorundã opinio. SVNT qui putent quemlibet Epiſcopum in ſua diœceſi, poſſe illud omne quod poteſt Pontifex Maximus in tota Eccleſia, idque iure diuino: ac conſequenter poſſe concedere quaſlibet indulgentias, niſi prohibeatur à Pontifice Romano: ità Corduba, quæſt. 12. de indulgentiis. Petrus Sotus lect. 3. de indulgentiis. Michael Medina lib. de indulgentiis, diſp. 5. cap. 27. & 30. Nauarrus, in commentariis de indulgentiis, notabili 31. Gregor. de Valentia in controuerſia de indulgentiis, Paludanus & plerique alij.

Fundamẽt. 1. Probant: Iuriſdictio Epiſcopalis tota eſt de iure diuino: ergo cùm conceſſio indulgentiarum ſit actus iuriſdictionis Epiſcopalis, poterit Epiſcopus iure diuino concedere indulgentias.

2. Deinde, dignitas Epiſcopalis eſt de iure diuino, ac proinde perfecta prælatio, licet non ſuprema: ergo Epiſcoporũ erit concedere indulgẽtias.

Aliorum ſentent. & fundament. 1. Sunt etiam qui putent, quemlibet Curatum in ordine ad ſuos ſubditos, poſſe concedere indulgentias. Primo, quia qui poteſt maius, poteſt & minus: at maius eſt remittere culpas, quàm pœnas peccatis debitas: ergo cum Curatus poſſit remittere culpas, poterit etiam remittere pœnas extra ſacramentum; ac proinde dare indulgentias.

2. Deinde, conceſſio indulgentiarum, eſt actus iuriſdictionis,: at Curati habent iuriſdictionem ordinariam, ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus.*

Tertio,

Digitized by Google

3. Tertiò, Indulgentiæ reſpiciunt maximè pœnas in foro conſcientiæ iniunctas: at nullus eſt qui pœnas iſtas magis habeat perſpectas, quàm Curatus, cùm teneatur hic ad excipiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum: hæc ratio eſt Ioan. Maldonati quæſt. penultima de indulgentiis.

Epiſcopi nullas poſſunt iure diuino concedere indulgentias. Probationes

CONCLVSIO 1. *Epiſcopi iure diuino nullas poſſunt dare indulgentias.* Primò, quia docuimus ſoli Pontifici Maximo conuenire iure diuino dare indulgentias.

1. Secundò. Quod conuenit alicui iure diuino, authoritate Pontificis irritari nulla ratione poteſt, licèt poſſit prohiberi: at irritantur indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis, authoritate Pontificia, vt conſtat ex Cap. *Cum ex eo.* & ex Cap. *Noſtro, de penitentiis, & remiſſionibus.*

2. Tertiò. Non poſſunt Epiſcopi concedere indulgentias, per modum ſuffragij, neque hactenus conceſſerunt: argumento igitur eſt, quod non poſſunt iure diuino concedere indulgentias.

3. Quartò. In foro conſcientiæ, non poteſt abſoluere Epiſcopus, à quibuſuis peccatis: ergo cùm in iſtis iuriſdictio Epiſcoporum pendeat ab authoritate Pontificis: idipſum concedendum eſt de indulgentiis.

Obiectio. Dices, Apoſtolos concedere potuiſſe indulgentias, & item abſoluere à quibuſuis peccatis in foro conſcientiæ, iure diuino, & ſine vlla dependentia à poteſtate Petri, vt conſtat ex cap. 20. Ioan. 20. Ioann. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos:* at Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ex doctrina D. Auguſt. in pſal. 44. ad hæc verba: *Pro patribus tuis*, id eſt Apoſtolis, *nati ſunt*, &c.

Reſponſio. Reſpondeo, conceſſa maiori propoſitione, diſtinguendo minorem; Epiſcopi ſiquidem non ſunt in omnibus, & ſingulis ſucceſſores Apoſtolorum, nam Apoſtoli potuerunt vbique locorum prædicare, leges condere, & ſacramenta adminiſtrare, vt conſtat ex cap. vlt. Marc. & Matth. *Ite in vniuerſum mundum*, &c. Epiſcopi autem poſſunt hæc tantùm præſtare in ſuis Epiſcopatibus.

Non eadem præſtare poſſunt Epiſcopi quæ Apoſtoli.

Deinde, poteſtas Apoſtolorum fuit in illis extraordinaria, in Epiſcopis verò ordinaria, quod ex eo manifeſtè colligitur, quod Eccleſia cenſeatur Monarchia quædam; ac proinde quæ vnius Principis ſummi dominio ſubijciatur: vt manifeſtè colligitur ex cap. 21. Ioan. *Petre paſce oues meas.* Conſequuntur ergo Epiſcopi omnem ſuam iuriſdictionem dependenter à Pontifice Maximo, ex Chriſti inſtitutione.

In hac ſententia ſunt Auguſt. Triumphus, de poteſtate Eccleſiaſtica. Turrecremata lib. 3. de poteſtate Eccleſiaſtica. Belar. in lib. de Pontifice Romano.

In Epiſcopis datur poteſtas ordinaria concedendi indulgentias.

CONCLVSIO 2. *Datur in Epiſcopis poteſtas ordinaria concedendi aliquas indulgentias.* Probatur In 3. partem D. Thom. ex Cap. *Cum ex eo, de penitentijs, & remiſſionibus.*

Deinde, vicarius Epiſcopi, poteſt illas eaſdem indulgentias concedere, quas concederet ſi præſens adeſſet: ità docent communiter omnes: Concluſio tamen hæc intelligenda eſt non de Epiſcopo præciſe electo, nec de conſecrato tantùm, ſed de confirmato etiamſi non fuerit conſecratus: conceſſio quippe indulgentiarum non eſt actus ordinis Epiſcopalis, ſed iuriſdictionis.

Epiſcopi habent ordinariam concedendi indulgentias aliquas.

Curati nullas poſſunt concedere indulgent.

CONCLVSIO 3. *Curati nullas poſſunt elargiri indulgentias.* Oſtenditur primò, quia diximus Epiſcopis id non licere iure diuino. Deinde, non permittitur illis res hæc in toto iure diuino; ità communiter Sententiarij, paucis illis exceptis, quos commemorauimus in ſecunda ſententia.

Satisfit argumentis contrarijs 1. ſentent.

Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad primam: totam iuriſdictionem Epiſcoporum eſſe à iure diuino, ceterùm dependenter à Pontifice Maximo.

Ad 2. dignitatem Epiſcopalem habere ortum à Chriſto, non tamen pertinere ad eandem; poteſtatem dandi indulgentias, niſi cum dependentia à Pontifice Romano: imò conceſſio indulgentiarum non eſt neceſſaria, ad tractanda gubernacula alicuius Eccleſiæ priuatę.

2. Sentent. argument. ſoluuntur.

Ad rationes 2. ſententię. Reſp. ad primam, quì poteſt maius, poſſe & minus ſi ſint eiuſdem ordinis: iam verò remiſſio quæ fit per indulgentias eſt alterius ordinis ab ea, quæ fit in ſacramento penitentię, hæc quippe eſt actus ordinis, illa autem iuriſdictionis.

Ad 2. reſpondeo. Conceſſionem indulgentiarum eſſe actum iuriſdictionis, non cuiuſlibet, ſed ſupremæ, iure diuino; ex conceſſione verò, actus iuriſdictionis Epiſcopalis.

Ad 3. Niti falſo fundamento, indulgentias ſcilicet eſſe tantùm condonationes pœnarum iniunctarum in foro conſcientiæ, quod patet eſſe falſum, ex quæſtione ſecunda huius tractatus.

QVÆSTIO VLTIMA.

De duratione Indulgentiarum & forma earumdem.

Tamdiu durant indulgent. quamdiu nõ reuocantur, vel durant res quibus indulgentię conceſſæ ſunt: forma vero vindicat ſibi expreſſionem quarumdam vocum, quæ ſignificent remiſſionem pœnæ, authoritate Pontificia fieri. Vide plura apud Cordubam, quæſtione vltima de indulgentiis & alios authores.

REVITER ſtatuendum eſt, tamdiu durare indulgentias, quamdiu vel non reuocantur, vel durant res, quibus indulgentię conceſſæ ſunt: forma vero vindicat ſibi expreſſionem quarumdam vocum, quæ ſignificent remiſſionem pœnæ, authoritate Pontificia fieri. Vide plura apud Cordubam, quæſtione vltima de indulgentiis & alios authores.

Digitized by Google

QVÆSTIO VNICA.
DE EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTO.

HÆc Quæstio explicabitur Dubitatiunculis sex. 1. An extrema Vnctio sit sacramentum. 2. Quæ sit eius materia. 3. Quæ forma. 4. Quis eius effectus, & quando producatur. 5. Quis minister. Vltima, an teneatur aliquis, ad reatum alicuius peccati, consequi extremam Vnctionem.

DVBITATIO PRIMA.

An extrema Vnctio sit sacramentum.

Nouatorũ hæresis. HÆRETICI nostri temporis in eo sunt errore, vt credant extremam Vnctionem nulla ratione esse sacramentum; sed ritum aliquem à maioribus introductum, ad sanitatem corporis restituendam: ita docuerunt Vvaldenses, & Vviclefitæ. Probant: quia extrema *Et fundamentum.* Vnctio non fuit à Christo introducta, sed ab 1. Apostolis, vt fatentur Magist. dist. 23. lib. 4. Bonauentura, & alij nonnulli ibidem: imò hoc ipsum videtur colligi ex epistola canonica Iacobi.

2. Deinde, omne sacramentum ordinatur ad animæ salutem; sunt namque sacramenta instrumenta quædam, quibus Deus promouet, salutem animarum nostrarum: at Vnctio extrema ordinatur ad corporum salutem, ex cap. Iacob. 5. 5. Iacobi; *Et alleuabit eum*, scilicet ægrotum, *Dominus.* & ibidem; *Infirmatur quis in vobis?* &c.

3. Tertiò, D. Iacobus plures exigit sacerdotes ad hoc vt extremam Vnctionem administrent; sic enim loquitur loco proximè citato: *Infirmatur quis in vobis? inducat* (aut vt alij legunt) *accersat presbyteros*, &c. at quæ fit in Ecclesia Catholica à presbyteris Vnctio circa ægrotum, fit ab vno tantùm sacerdote, vt constat ex praxi quotidiana: ergo non est illa extrema Vnctio, de qua loquitur Iacobus.

4. Denique, vis iustificandi, seu sanctificandi inest sacramentis nouæ legis ex lege, & constitutione Christi; vt manifestè colligitur ex Trident. Trident. sess. 7. de sacramentis in genere: vbi dicitur hæc facere id quod significant, ex opere operato; at vis Vnctionis cuius meminit D. Iacobus non est ab Vnctione, sed tribuitur fidei; vt constat ex illis verbis: *Et oratio fidei saluabit*, scilicet, *infirmum*: ergo non est sacramentum.

Errarum etiam aliqui Catholici. Catholici verò aliqui in hac eadem re peccarunt, hoc maximè fulti argumento: Omne sacramentum nouæ legis est à Christo institutum, & habet formam, & materiam ex ordinatione Christi definita; at Christus non instituit extremam Vnctionem, sed Iacobus: propter hanc enim causam vocatur communiter vnctio D. Iacobi. Non potest præterea assignari locus Scripturæ, in quo dicatur Christum instituisse materiam, vel formam istius sacramenti: igitur extrema Vnctio non est sacramentum à Christo institutum.

Extremã Vnctio est sacramẽtũ. 1. CONCLVSIO 1. *Extrema Vnctio est sacramentum nouæ legis*; hæc est de fide: in Concil. quippe Constantiensi præcipitur, vt hæretici redeuntes ad vnitatem Ecclesiæ, siue suspecti in rebus fidei interogentur; an peccent illi inter Catholicos, qui negligunt sacramentorum susceptionem, Confirmationis, & extremæ Vnctionis.

2. Deinde, in decreto Eugenij IV. quod extat post vltimam sessionem Concilij Florent. computatur inter sacramenta nouæ legis, & in Trident. Trident. sess. 14. de extrema Vnctione, can. 1. ità legitur: *Si quis dixerit extremam Vnctionem, non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino institutum; & à B. Iacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantùm à patribus acceptum, aut figmentum humanum; anathema sit.* & can. 2. *Si quis dixerit sacram Vnctionem infirmorum non conferre gratiam, anathema sit*: & denique can. 1. sess. 7. de sacramentis in genere eiusdem Concilij, refertur hæc inter sacramenta nouæ legis.

3. Tertio. Omne signum sensile, efficax, & practicum à Christo institutum ad animarum nostratum sanctificationem, est sacramentum nouę legis, ex dictis in tract. de sacramentis in genere: at extrema Vnctio est signum sensile, efficax, & practicum, à Christo institutum ad animas nostras sanctificandas, vt constat ex cap. 5. epistolæ D. Iacobi: ità enim loquitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei.* Ex hoc ergo loco colligimus vnctionem illam ab ipsomet Christo fuisse institutam; cum hoc significet particula ista (*In nomine*

Digitized by Google

mine Domini) quemadmodum quando Actuum 10. & 19. dicitur quod Apoſtoli conferrent Spiritum ſanctum in nomine Domini, ſenſus eſt, ritu, & ceremonia à Chriſto inſtituta, id efficere: ergo extrema Vnctio eſt verè & propriè ſacramentum nouæ legis.

4. Rurſus, quis credat Apoſtolos, & eorum ſucceſſores lege certa, & immutabili quoſlibet fideles ægrotantes inunxiſſe oleo, ſecluſo præcepto, & ordinatione Chriſti? Accedit ceremonias alias nudas in praxim reuocaſſe Chriſtum, quas tamen tota antiquitas docet non fuiſſe obſeruatas certa lege ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, ſed interdum & aliquando: vt conſtat ex impoſitione manuum ſuper ægros, ex ab- B
5. lutione pedum, & aliis innumeris. Quod præterea extrema Vnctio habeat vim ſanctificandi animas noſtras, colligitur ex verbis iſtis: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod denique ſit ſignum ſenſile, & efficax, patet ex verbis iſtis: *Vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum.*

6. Denique, probatur ex Patribus, Innocentio I. qui vixit ante 1200. annos, in epiſtola ad Decentium cap. 8. Orig. homilia 2. in Leuiticum, Beda ad cap. 5. Iacobi, & ad cap. 8. Lucæ, Bernardo in vita ſancti Malachiæ, ſub finem, vbi tradit virum hunc ſanctiſſimum, antequàm ex C hac vita diſceſſerit, voluiſſe præmuniri vnctione ſacra, relata à D. Iacobo, & ex D. Auguſtino ſerm. 215. de tempore. *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas ſupernenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat; vt illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: infirmatur aliquis? inducat*, &c. *Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* & aliis innumeris locis. & ex Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio. *Sacerdotes*, inquit, *non ſolum cum nos regenerant habent poteſtatem indulgendi peccata: Infirmatur quis*, inquit, *Apoſtolos ex vobis?* D *accerſat presbyteros*, &c. ſubſcribunt omnes omninò Scholaſtici Recentiores, & veteres, paucis exceptis, in 4. diſt. 17.

Innocent. Chryſoſt. Origenes. Beda. Bernard. D. Auguſt. Chryſoſt.

Extrema Vnctio diſtinctum ſacramentum ab aliis.

Conclvsio 2. *Extrema Vnctio eſt ſacramentum diſtinctum ſpecie, & numero à ceteris aliis omnibus ſacramentis nouæ legis.* Probatur primò, quia id colligitur ex locis Trident. & Florent. citatis.

Deinde, illa ſacramenta cenſentur eſſe ſpecie, & numero diſtincta quæ habent materias, & formas ſpecie, & numero diſtinctas: at materia ſacramenti extremæ Vnctionis eſt ſimplex oleum ab Epiſcopo benedictum: forma verò eſt iſta; *Indulgeat tibi Dominus per* E *ſuam piiſſimam miſericordiam, quidquid per viſum peccaſti.* & ſic de aliis: diſtinguuntur autem iſtæ formæ, à formis ceterorum ſacramentorum, vt eſt per ſe notum, ex dictis de forma cuiuſlibet ſacramenti: ac proinde cum vnitas numerica petatur ex coniunctione formæ cum materia, & ex conditionibus indiuiduantibus, concludendum erit extremam Vnctionem eſſe ſacramentum diſtinctum à ſacramentis reliquis nouæ legis.

Monetur quæſtio.

Rogabis. *An ex cap. 6. Marci, vbi dicitur Apoſtolos inunxiſſe oleo ægrotos, & ſanaſſe, colligatur inſtitutio ſacramenti extremæ Vnctionis:* partem negantem tuentur Recentiores plerique,

maximè verò Coninck in Dub. de hoc ſacramẽto.

Ceterùm contraria opinio videtur verior: eſt enim de fide, ſacramentum hoc eſſe à Chriſto inſtitutum, ex Concluſione 1. at ex nullo alio Scripturæ loco colligere poſſumus Apoſtolos adminiſtraſſe ſacramentum extremæ Vnctionis: ergo. *Reſoluitur ex Mar. 6. colligi inſtitutionẽ huius ſacramenti.*

Deinde, licet Concil. Trident. cap. 1. de extrema Vnctione, doceat ſacramentum hoc fuiſſe inſinuatum per Marcum, & promulgatum per D. Iacobum, quo loco vtuntur authores contrariæ ſententiæ, vt ſuam de hac re ſtabiliant opinionem, nihil tamen ex hoc loco colligi poteſt contra nos: neque enim dicitur in Concil. Trident. fuiſſe tantùm inſinuatum per Marcum, & publicatum per Iacobum, quod tamen debuit Concilium dicere ad hoc vt faueret opinioni contrariæ. 1. 2.

Tertiò, vnctio illa cuius meminit Marcus fuit applicata quibuſuis ægrotis, vt colligitur manifeſtè ex ipſo Marco: ergo, cum indubitatum ſit Apoſtolos non feciſſe miracula omnia media vnctione; certe locus hic nedum inſinuationem extremæ Vnctionis, ſed inſtitutionem eiuſdem indicat: Ità Ioannes Maldon. ad hunc locum Marci, & Hieronym. à Luca, poſt Bedam & alios multos veteres Patres, quos citat idem Maldon. 3.

Ad rationes verò hæreticorum reſpondeo. Ad 1. hæreſim manifeſtam eſſe ſentire Chriſtum non eſſe authorem, & inſtitutorem ſacramenti extremæ Vnctionis, ex ſupra allatis: neque tamen propterea Magiſter, & alij Scholaſtici dicendi ſunt hæretici: res quippe iſta non erat definita temporibus illis. *Diſſoluuntur rationes oppoſitæ.* 1.

Deinde, nunquam opinionem hanc ſuſtinuerunt cum pertinacia, quod tamen eſt abſolute neceſſarium vt aliquis dicatur h reticus; ſecùs vero ſentiendum eſt de Caluino, & ſequacibus eiuſdem, vt conſtat ex definitione Concil. Trident. ſuprà citata: hanc enim ſumma cum pertinacia, & obſtinatione negant Caluiniſtæ omnes.

Ad 2. Reſpondeo. Sacramentum extremæ Vnctionis non ordinari primo, & per ſe ad ſalutem corporis, ſed multo magis ad ſalutem animæ: dicitur enim in Trident. can. 2. de extrema Vnctione, gratiam produci in eo qui conſequitur huiuſmodi ſacramentum: hæc autem cenſetur eſſe talus, & ornamentum animę, ex cap. 7. ſeſſ. 6. eiuſdem Concilij. Deinde, dicitur apud Iacob. loco citato; *Et ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Tertio, ſanitas corporis non aduenit ei omni qui ſacramentum hoc conſequitur. Denique, ſanitas corporis eatenùs effectus eſt huius ſacramenti, quatenùs hæc conducit ad ſalutem animæ, vt communiter docent interpretes Epiſtolæ Iacobi, & Sententiarij diſt. 23. lib. 4. 2. Trident. Iacob. 5.

Ad 3. D. Iacobum poſtulare plures ſacerdotes qui adminiſtrent extremam Vnctionem, ſi ſermo ſit de multis ægrotis ſimul ſumptis: vnus quippe ſacerdos omnes & ſingulos ægrotos in diuerſis locis conſtitutos inungere nequit: ſi tamen ſermo ſit de quolibet priuato ægroto, poterit hic ab vno ſacerdote accipere ſacramentum extremę Vnctionis. Reſpond. 2. Iacobum poſuiſſe numerum pluralem pro ſingulari, quia hoc eſt quàm maximè familiare ſcriptoribus Eccleſiaſticis. 3.

Digitized by Google

4. Ad 4. Vim ſignificandi non tribui fidei præciſè, vt volunt hæretici, ſed toti ſacramento extremæ Vnctionis: quemadmodum enim ſignificare gratiam competit cuilibet ſacramento, & ſacramentum conſurgit ex materia, & forma: ità productio iſtius gratiæ neceſſariò debet eſſe à materia, & forma ſacramenti ſimul.

Ad id verò quod dicitur; *Et oratio fidei ſaluabit infirmum.* Reſpond. nomine orationis fidei illic ſignificari formam ſacramenti extremæ Vnctionis, idque quod ſola fide, & traditione conſtet nobis, huiuſmodi ſcramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum, & item quod eadem fides doceat quodlibet ſacramentum nouæ legis producere gratiam quam ſignificat.

Ad argumentum vero Catholicorum partim fuit reſponſum in reſponſione ad 1. hæreticorum, partim verò reſpondebimus Dubit. 2. & 3. huius quæſtionis.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua ſit materia ſacramenti extremæ Vnctionis.

Materia extrema Vnct. remota eſt oleum oliuarum. Trident 1. 2.

CONCLVSIO 1. *Materia remota ſacramenti extremæ Vnctionis eſt oleum oliuarum.* Primò, ità dicitur verbis expreſſis in Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de extrema Vnctione; ſi tamen exceperis voculam (*Oliuarum*).

Deinde, probatur ex Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. & ex cap. 5. Iacobi; *Vngentes eum oleo in nomine Domini.* Tandem nomine olei ſimpliciter ſignificatur ſolum oleum oliuarum, quemadmodum nomine vini ſignificatur ſolum vinum vitis.

Dubitatur autem an oleum hoc neceſſario debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo vt poſſit eſſe materia huius ſacramenti. Sotus, Caietan. & alij nonnulli putant non eſſe neceſſe, quod oleum fuerit ab Epiſcopo benedictum.

Oleum debet eſſe benedictũ ab Epiſcopo. Ceterùm contraria opinio videtur indubitata, & eſt communis inter Doctores. Probatur primo, quia Concil. Florent. & Trident. verbis expreſſis habent, oleum ab Epiſcopo benedictum eſſe materiam iſtius ſacramenti.

Deinde, materia cuiuſlibet ſacramenti, vel ſanctificatur vſu, vel contactu ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti, vel certe benedictione Epiſcopi: at probabile eſt Chriſtum nunquam vſum fuiſſe oleo, inter ſacramenta adminiſtranda: erit ergo ſanctificandum benedictione Epiſcopi.

Corollarium notandum. Ex hoc colliges, tutiorem eſſe eorum opinionem qui putant ſacramentum extremę Vnctionis adminiſtratum in ſolo oleo, minimè ab Epiſcopo benedicto, etiam de licentia Pontificis Maximi eſſe plane nullum, & inualidum: nam Pontifex Romanus non poteſt immutare materias, vel formas, vel etiam miniſtros ſacramentorum à Chriſto inſtitutos; vt fatentur omnes, & ratio ſuadet; illius namque tantum eſt inſtituere ſigna practica, & efficacia, cuius eſt producere gratiam: ſolius autem Chriſti, ſeu Dei eſt producere gratiam quę datur tamen per quodlibet ſacramentum nouæ legis.

Deinde, Confirmatio eſt plane nulla, & inualida, ſi fuerit adminiſtrata vel in oleo, vel A in chriſmate ab Epiſcopo minime benedicto, vt docuimus, cum de illa ageremus: ergo illud idem eſt dicendum de extrema Vnctione adminiſtrata in oleo ab Epiſcopo non benedicto.

Debet quolibet anno innouari oleum. Aduerte, oleum hoc quolibet anno eſſe innouandum, vetere combuſto, ſi quid ſuperſit; ità vt peccet ſacerdos anno elapſo adminiſtrando ſacramentum extremæ Vnctionis in oleo benedicto ab Epiſcopo, anno proxime antecedenti; valide tamen ſacramentum conſurget in oleo anni proxime antecedentis: ità communiter omnes Caſuiſtæ, quando agunt de extrema Vnctione.

Materia proxima eſt in 5. ſenſib. B CONCLVSIO 2. *Materia proxima ſacramenti extremæ Vnctionis eſt vnctio facta in quinque ſenſibus externis; vel certè in partibus ſenſibus iſtis vnctio facta vicinis.* Primò, quia ſacramentum hoc non in re permanente, quemadmodum Euchariſtia; ſed in actione ſucceſſiua conſiſtit: ergo debet habere materiam poſitam in ſucceſſione. Deinde, ablutio eſt proxima materia ſacramenti baptiſmatis, & vnctio Chriſmatis, ſeu olei, Confirmationis: ergo vnctio erit etiam materia proxima extremę Vnctionis, nam id ex quo proximè cum forma conſurgit ſacramentum extremæ Vnctionis, eſt materia proxima illius: ex vnctione verò, & ex iſtis verbis; *Indulgeat tibi Deus*, &c. conſurgit extremæ Vnctionis ſacramentum: ergo illa eſt materia proxima.

ROGABIS. *Quot vnctiones ſint ſimpliciter neceſſaria ad validitatem extremæ Vnctionis ſacramenti.*

Quinque vnctiones neceſſaria. C CONCLVSIO 1. *Ad hoc vt aliquis adminiſtret ſacramentum extremæ Vnctionis ſinè culpa, debet hic quinque vnctiones perficere, idque in totidem ſenſibus externis.* Primo, quia ità præcipit Rituale Romanum authoritate Pauli V. Pont. Max. editum. Deinde, in re graui nulli liberum eſt recedere inculpatè à praxi communi omnium Eccleſiarum. Tertio, poſita vna aut altera tantum vnctione, non conſurgit valide ſacramentum extremę Vnctionis, ex probabiliori ſententia, vt probabitur inferius: ergo debet adhibere quinque vnctiones diſtinctas.

Probabile eſt vnicam vnctionem ſufficere. CONCLVSIO 2. *Non eſt omninò probabile ſacramentum hoc conſurgere poſſe media vnica tantum vnctione cum ſua forma, ſaltem ſi ſermo ſit de ſacramento partiali extremæ Vnctionis.* Primò, quælibet ordinatio cenſetur eſſe ſacramentum nouę legis, ex multorum opinione, & id indubitatum eſt de Diaconatu, & ſacerdotio: ergo quælibet etiam vnctio cum forma, ſacramentum extremæ Vnctionis partiale perficiet. Nam tota ratio cur quælibet ordinatio cum ſua forma, ſacramentum Ordinis partiale conſtituat; hæc redditur ab E omnibus, quia quælibet ex iſtis ordinationibus cum ſua forma perfectam habet ſignificationem, independenter à ceteris ordinationibus, & formis: at ſimiliter quælibet vnctio, cum ſua forma perfectam ſignificationem habet, & quidem independenter à ceteris vnctionibus, & formis earumdem; vt facile quiſque deprehendere poteſt exemplo illius vnctionis, quæ fit circa oculos. Ità enim loquitur ſacerdos inter vngendum oculos ægroti: *Indulgeat tibi Deus per ſuam piiſſimam miſericordiam, per vnctionem iſtam, quidquid per viſum peccaſti; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* & ſic de ceteris.

Deinde,

Digitized by Google

2. Ratio. Deinde, quælibet ex vnctionibus iſtis celebrari poteſt à miniſtro diſtincto à miniſtris cæterarum vnctionum: facta quippe prima vnctione nihil repugnat, quominùs ſacerdos corruat mortuus; ac proinde quin vocetur alius, qui cæteras vnctiones perficiat.

3. Tertiò. Conuenit inter omnes ſacramenta tunc temporis producere ſuos effectus, quando ſunt ſufficienter completa; at poſita vnctione qualibet cum ſua forma cenſetur extrema vnctio completa, ſaltem partialiter loquendo: ergo non eſt improbabile &c.

4. Quartò. Sunt qui putent graſſante peſte, vel immineute extrema neceſſitate, ſufficere ad validitatem iſtius ſacramenti vnctionem vnicam factam in pectore cum iſta forma: *Per iſtam ſanctam vnctionem & piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per ſenſus tuos, in nomine Patris*, &c. imò Eccleſia Mechlinienſis vnam tantummodo præcipit vnctionem neceſſario retinendam inter adminiſtrandum hoc ſacramentum; vt referunt Recentiores aliqui.

5. Quintò. Qui perpetuò caruit vno ſenſu, poteſt in ceteris conſequi validè ſacramentum extremæ vnctionis.

Vlt. Denique, Concil. Florent. poſtulat ſeptem vnctiones, & tamen non definit, quænam partes ſint neceſſariò vngendę: videtur ergo poſitum eſſe in poteſtate Eccleſię definire quot vnctiones ſint perficiendæ.

Obiectio. Obiicies, vnctiones omnes ordinari ad vnum aliquem effectum producendum, qui eſt collatio roboris, ne ægrotus deficiat in vltima lucta, vt probabitur inferius: ergo non poterit vna ſine aliis vnctionibus effectum hunc producere.

Solutio. Reſpond. concello antecedente negando conſequutionem: nam omnes ordinationes recipiunt vnum totale ſacramentum ordinis, & tamen quælibet ex iſtis cenſetur eſſe partiale ſacramentum ordinis. Deinde, conſecratio ſacerdotis reſpectu poteſtatis conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti, eſt diſtincta à poteſtate remittendi peccata, ſaltem aliqua ratione: & tamen hæc conſequitur ſuum effectum ſine dependentia à verbis iſtis; *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. quibus verbis fit poteſtas ſacerdoti remittendi peccata in foro conſcientię.

Replica. Dices, ex dictis ſaltem poſſe colligi ſuperfluas eſſe, & otioſas poſteriores vnctiones. Prima enim producit in ægroto effectum ſacramenti extremæ vnctionis. *Diſſoluitur* Reſpondeo, negando illationem antecedentis, idem quippe dicendum eſt de poſterioribus vnctionibus, quod dicimus de ſpeciebus conſecratis à ſacerdote ſacrificante, ceteris tamen paribus: quemadmodum ergo ſumptio vini conſecrati non cenſetur otioſa & inutilis, licet ſpecies panis, quæ primo loco ſumitur à ſacerdote, effectū ſacramēti Euchariſtię produxerit; eo quod ſumendo ſpeciem vini poſt ſpeciem panis dicatur ſumere perfectum, & completum ſacramentum Euchariſtiæ, cum anteà ſumpſiſſet tantummodo partiale: ità data hac hypotheſi, quod prior vnctio effectum ſacramenti produxerit, poſteriores, vbi omnes ſumptæ erunt, faciunt vnum totale ſacramentum extremæ vnctionis.

Obiectio. Obiicies, formam cuiuſlibet vnctionis ſignificare remiſſionem non omnium peccatorum, ſed eorum tantum quæ quis commiſit medio ſenſu ſolius v. g. viſus: ergo cum peccata non remittantur alia ſine aliis, ſaltem ſi fuerint hæc mortalia, non poterit vna vnctio ſine aliis effectum extremę vnctionis attingere.

Solutio. Reſpondeo negando antecedens: licet enim verba iſta: *Quidquid per oculos peccaſti*, &c. ſignificent tantum vitia oculorum, ex mente tamen Eccleſiæ, & communi doctrina Theologorum includuntur peccata omnia, quæ dantur in ægroto: nam idem dicendum eſt de formis iſtarum vnctionum, quod de eo qui conteritur, vel qui iuſtificatur à peccato aliquo mortali quod commiſit. Sicut igitur fatentur omnes impoſſibile eſſe hominem conteri de vno peccato mortali expreſſe, quin virtute etiam conteratur de ceteris omnibus quæ commiſit, (idem aſſerendum eſt de iuſtificatione à peccato mortali) ità hoc ipſo quod Eccleſia precatur remiſſionem peccatorum commiſſorum per oculos, virtute precatur etiam remiſſionem ceterorum delictorum, quę dantur in huiuſmodi ægroto.

Probabilius 5. vnctiones debere adhiberi. Conclvsio vltima, *Probabilius eſt vnctiones quinque ſenſuum eſſe ſimpliciter neceſſarias ad validitatem extremæ vnctionis ſacramenti.* Primo, quia iſta quinque perficiuntur vbique locorum in omnibus ægrotis. 1.

Deinde, omnes iſtæ ordinantur ad vnam & eamdem plane ſignificationem, & ad vnum, & eumdem effectum numero producendum, qui eſt corroboratio hominis, ne ſuccumbat in poſtrema, & vltima lucta contra demonum inſultus, & contra carnis debilitationem. 2.

Tertio, nulla poteſt aſſignari ratio cur effectus extremæ vnctionis potiùs ab vna quàm altera producatur; diximus enim effectum hunc eſſe robur hominis, & præterea remiſſionem peccatorum, conſequenter ſaltem, quę non potuerunt remitti, vel non poſſunt per alia ſacramenta; ergo. *3. Ratio.*

Denique, hęc eſt communis ſententia Doctorum in 4. diſt. 23. *Vlt.*

Obiectio. Dices, Rituale Romanum poſtulare ſeptem vnctiones. *Solutio.* Reſpond. hoc eſſe verum. Ceterùm addit rubrica, ſextam vnctionem prætermitti in fœminis, & item in maſculis, quotieſcumque ex motione ægroti, ſequitur notabile damnum in eo: quare ſexta iſta vnctio, quæ fit in lumbis, non eſt neceſſaria ad validitatem ſacramenti vnctionis, neque item ſeptima quæ fit in pedibus ex communi doctrina. Moneo tamen iſtas non eſſe prætermittendas quotieſcumque commode applicari poſſunt, præſertim ſi Eccleſia in qua agit ſacerdos retineat Rituale Romanum, aut ità præcipiat Rituale proprium iſtius Epiſcopatus.

Satisfit argumentis pro 2. Concluſione. Ad rationes verò 2. Concluſionis reſpondeo. Ad 1. non eſſe parem rationem inter ordinationes, & vnctiones extremæ vnctionis: nam quælibet ordinatio ſeorſim ſumpta, vere ſacramentum eſt, vt probabitur ſuo loco; quælibet etiam applicatur diuerſo, & diſtincto tempore, & quidem non numero ab vno, & eodem miniſtro: verba item ordinationis nullam arguunt, vel habent dependentiam à verbis alterius ordinationis: habent præterea diſtincta officia. Vnctiones autem quæ fiunt in ſacramento extremæ vnctionis aliæ ab aliis ità dependent, vt vna ſine vltima, & aliis omnibus nunquam ſit effectum habitura, non enim ſignificant perfectè, & integrè id ad quod ſignificandum ſunt inſtitutæ, niſi poſitis omnibus vnctionibus, & ſufficienter completis formis earumdem.

Digitized by Google

2. Ad 2. Omnes vnctiones debere ab vno ministro, & quidem sine vlla discontinuatione applicari vni, & eidem ægroto.

3. Ad 3. Sacramentum extremę Vnctionis nunquam habere significationem completam, nisi prolatis omnibus formis, & præterea peractis singulis vnctionibus quinque sensuum externorum.

4. Ad 4. Sacramentum extremæ vnctionis nullo modo posse consurgere posita vnica vnctione, & forma eiusdem: quare periculosa nimis est praxis Ecclesiæ Mechlinien sis, quæ contendit vnam ad minùs retinendam esse vnctionem. Addit eam sufficere in casu necessitatis ad sacramentum extremę Vnctionis perficiendum.

Resp. 1. Licet theorice, seu speculatiue loquendo opinio hæc non vacet probabilitate, in praxi tamen non est retinenda, idque quod fateantur omnes communiter, vnctiones quinque sensuum esse simpliciter necessarias ad validitatem istius sacramenti. Deinde, vsus quotidianus docet non vnam, sed quinque ad minus applicari vnctiones ægrotis.

Ad testimonium verò Concilij Florent. nulla ratione aduersari nostræ Conclusioni, cùm Concilium hoc exigat septem vnctiones, inter quas computantur vnctiones quinque sensuum externorum.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ sit forma sacramenti extremæ Vnctionis.

Forma extremæ vnctionis quæ.

CONCLVSIO: forma est hæc: *Per vnctionem istam sanctam, & pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum peccasti in nomine Patris*, &c. Primò, quia ità dicit verbis disertis, Trident. sess. 14. cap. 3. de extrema Vnctione: idem quoque habet Rituale Romanum, & ceterarum Ecclesiarum ferè omnium.

Dices, in quibusdam Ritualibus legi (*ignoscat*) non autem (*indulgeat*). Respond. ex istis nihil colligi, cum duo hæc verba eamdem plane retineant significationem, vnde non mutatur forma essentialiter, sed tantum materialiter: mutatio autem materialis formæ sacramentorum non inualidat formas, ex dictis in tractatione de sacramentis in genere.

Obiectio. Obiicies D. Ambrosium administrasse extremam vnctionem cum istis verbis; *Vngo te oleo sanctificante, in nomine Patris*, &c.

Solutio. Respond. hoc esse verum. Ceterùm nunquam omisisse formam à nobis traditam, sed vnà cum verbis proximè commemoratis, & his; *Per vnctionem istam*, &c. sacramentum hoc perfeciisse.

Notabile, quandò verba formæ sint essentialia. Aduerte, particulas, *In nomine Patris*, &c. non esse de necessitate, sed tantum de solemnitate formæ huius sacramenti, quare sine istis verbis validum erit sacramentũ: peccaret tamen sacerdos ea prætermittendo. De istis verò; *Per suam pissimam misericordiam*, sunt qui putent pertinere ad naturam, & essentiam formæ extremæ vnctionis: Mihi tamen indubitatum videtur contineri hæc in particula (*indulgeat*) omnis enim remissio peccati, & item productio cuiuslibet effectus præcipui alicuius sacramenti, maxime verò huius, est à diuina bonitate, & misericordia repetendus.

Notabile. Aduerte 2. Formam istam debere explicari verbis deprecatoriis, vt colligitur manifestè ex cap. 5. Iacobi; *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Iacob. 5.

& rursus, *Et orent super eum.* Deinde, id præcipiunt Ritualia omnia. Tertio, ea est forma cuiuslibet sacramenti, quæ fuit à Christo instituta; traditio autem docet formam istius sacramenti instituram fuisse à Christo, mediis verbis deprecatiuis: ergo illa censenda est vera forma. *Forma huius sacramenti verbis deprecatorijs ex-*

Accedunt rationes congruæ. Prima: Nihil magis est consonum rectæ rationi, quàm precibus nostris iuuare eum, quem videmus in extrema necessitate constitutum, & destitutum esse omni plane robore, & firmitate animi, & corporis; quales sunt moribundi. *primi debet, & quare.*

Deinde, ratio naturalis dictat, suppositis tamen principiis fidei, eum qui constituendus est intrà breuissimum tempus, ante tribunal Christi, commendandum Deo operà sacerdotis; est enim hic sequester, & quasi mediator inter Deum & homines.

Denique, sanitas corporis computatur inter effectus extremę Vnctionis; saltem quando conducit hæc, ad salutem animæ: cum ergo sanitas ista non semper obtineatur, recte exigitur à Deo verbis deprecatoriis; hanc rationem assignat Catechismus authoritate Concil. Trident. editus.

Aduerte vltimò, explicandum esse in forma cuiuslibet vnctionis sensum, qui inungitur; idque necessariò.

DVBITATIO QVARTA.

Quis sit effectus extremæ Vnctionis, & quando producatur hic ab isto sacramento.

Quorumdã opinio. VARIANT in hac re explicanda Sententiarij: alij namque credunt effectum præcipuum, & principalem huius sacramenti esse peccatorum venialium remissionem, eo quod forma cuiuslibet vnctionis retineat particulam istam: *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti*, &c. & quod Iacob. 5. dicatur: *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* at non possunt ista intelligi de peccatis mortalibus; ad horum namque deletionem institutum est sacramentum penitentię.

2. Sentent. Alij verò putant, effectum huius sacramenti esse remotionem, & destructionem reliquiarum peccati: ità D. Thom. in 4. dist. 23. & communiter Thomistæ ibidem. Non conuenit tamen inter istos quid nomine reliquiarum peccatorum significetur: nam sunt qui putent nomine reliquiarum significari omnia peccata quæ sunt in ægroto, & non fuerunt sublata per penitentiam, aut alia sacramenta susceptа ab isto ægroto. Neque item deleri possunt medio sacramento penitentię, eo quod ægrotus nequeat ista deducere ad forum penitentiæ ob imbecillitatem corporis, quæ tanta est, vt nec signo, nec verbo possit peccatum mortale in quo agit, adaperire. Alij denique per reliquias peccatorum intelligunt infirmitates, & debilitates relictas per peccata, vnà cum pœnis temporalibus eorumdem.

Effectus præcipuus extremæ vnctionis remissio p. v. non est. CONCLVSIO 1. *Effectus præcipuus, & principalis extremæ vnctionis non est remissio peccatorum venialium.* Primo, quia sacramentum penitentiæ est institutum à Christo ad delenda omnia peccata post baptismum commissa, saltem primo, & per se: propter hanc enim causam vocatur penitentia secunda tabula post naufragium: vnde etiam docuimus, vbi de penitentia egimus, materiam remotam illius esse peccata mortalia, & venialia, etsi diuersa ratione.

Digitized by Google

2. Deinde, ſi remiſſio peccati venialis eſſet præcipuus effectus ſacramenti extremæ Vnctionis, ſequeretur ſacramentum hoc non minùs ſanis, quàm ægris poſſe applicari; peccata quippe venialia, non minus dantur in homine ſano, quàm in ægro.

3. Tertiò, D. Iacobus non dicit abſolutè, & ſimpliciter peccata remittentur ægroto, ſed tantú ſi in peccatis fuerit remittentur illi: quod idem eſt ac ſi diceret: Sacramentum extremæ Vnctionis non ordinari primò, & per ſe ad culpas remittendas, ſed tantum ex hypotheſi, quod dentur aliquæ culpę in ægroto.

Argument. Quartò, nomine peccati ſignificatur, vt plurimum peccatum mortale, non autem veniale: ergo.

4. Quintò, peccata venialia, nequeunt remitti ſinè attritione, & cum ſacramento: at fieri poteſt vt ægrotus aliquis conſequatur ſacramentum extremæ Vnctionis abſque attritione: ergo effectus præcipuus extremæ Vnctionis non eſt remiſſio peccatorum venialium.

Præcipuus effectus eſt collatio gratiæ gratum facientis, & auxilij, &c.

CONCLVSIO 2. *Præcipuus effectus extremæ Vnctionis, eſt collatio gratiæ gratum facientis, & auxilij neceſſarij ad hoc vt quis roboretur contra damonum inſultus, & corporis, & animi imbecillitates; ne cadat in poſtrema & vltima lucta.* Hæc eſt Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de extrema Vnctione: ait enim inſtitutum fuiſſe hoc ſacramentum, ne cadat homo in vltima lucta, pugnando contra dæmonem: & cap. 2. ità loquitur: *Res huius ſacramenti eſt gratia Spiritus ſancti, cuius vnctio, delicta, ſi qua ſint expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & agroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando; quia infirmus ſubleuatur, & morbi incommoda, ac labores lenius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit.*

1. Trident.

2. Iacob. 5. Deinde, D. Iacobus cap. 5. ità habet: *Infirmatur quis in vobis?* &c. *Et oratio fidei ſalnabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus:* at hæc nequeunt intelligi, niſi de robore homini dato, ad hoc vt in poſtremo agone reſiſtat inſultibus dæmonum, & præterea imbecillitati virium corporearum quæ datur in ægroto, propter aſperitatem mortis.

Argument. 3. Tertiò, ſacramentum hoc extremæ vnctionis ſolis ægris impenditur, imò non omnibus ægris ſed illis ſolis qui ſacerdotem per ſeipſos conuenire nequeunt, vt colligere licet ex verbis D. Iacobi: *infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros Eccleſiæ*, &c. ergo cum illis ſolis ægrotis, qui nequeunt, adire presbyterum, ſit ſacramentum extremę vnctionis adminiſtrandum, effectus iſtius ſacramenti præcipuus, & principalis erit roboratio hominis infirmi, ne ſuccumbat in extrema lucta: ità docent Sententiarij in 4. diſtinct. 23.

Quòd autem extrema vnctio gratiam gratum facientem in ægroto efficiat, indubitatum videtur: eſt enim de fide quodlibet ſacramentum nouæ legis producere gratiam, ex Trident. ſeſſ. 7. Canon. 6. 7. & 8. de ſacramentis in genere.

Deinde, peccata mortalia, imò neque venialia remittuntur in nobis, ſinè infuſione gratiæ: at dicemus ſtatim peccata iſta remitti virtute extremę vnctionis.

Tertiò, quodlibet ſacramentum nouæ legis cenſetur eſſe organum, & inſtrumentum paſſionis Chriſti; eò quòd merita Chriſti nobis applicentur, per hęc ſacramenta: at inter ea quæ nobis Chriſtus promeruit, primas ſibi vindicat partes, gratia gratum faciens: ergo eam producit extrema vnctio.

Rogabis, *Quandònam gratia iſta producatur à ſacramento extremæ vnctionis.*

Reſpondeo, *Produci in illo eodem inſtanti temporis, in quo vnctiones quinque ſenſuum externorum, vnà cum formis earumdem, cenſentur eſſe ſufficienter completa.* Primò, quia tunc temporis eſt ſacramentum extremę vnctionis completum, non quidem totaliter, ſed ſufficienter. Deinde conſtat apud omnes ſacramenta tunc temporis producere gratiam, quando completa ſunt: at ſuponimus, ſacramentum extremę vnctionis, eſſe ſufficienter completum: ergo. Dixi autem (*ſufficienter*) quoniam non eſt neceſſe, ad hoc vt extrema vnctio gratiam producat, quòd fuerit hæc totaliter, & adæquatè completa, quia in hoc inſtanti in quo ſufficienter completa eſt, elevatur à Deo, ad gratiæ productionem; vt conſtat ex dictis de ſacramentis in genere.

Producitur gratia in inſtanti tęmporis quo complentur ſufficienter 5. vnctiones.

Aliquando delet peccata mortalia.

CONCLVSIO 3. *Extrema vnctio delet in nobis peccata mortalia & venialia, ea tamen lege, quòd nequeant deduci ad forum penitentiæ, aut etiam ea lege, vt quis ſe accuſauerit apud ſacerdotem de peccatis illis mortalibus, quæ tamen ex ſuppoſitione non ſúnt remiſſa.* Primo quia dicitur Iac. 5. *Et ſi in peccatis fuerit dimittẽtur ei.* & in forma cuiuslibet vnctionis dicitur: *Quidquid per viſum, per tactum peccaſti, indulgeat tibi Dominus:* certum autem eſt in ſacris litteris nomine peccati, ſignificari communiter peccatum mortale, nedum veniale. Deinde, conuenit omni ſacramento nouæ legis, non quidem per ſe, ſed per accidens, deſtruere peccatum mortale ſuppoſita attritione: eſt enim cõmune axioma attritionem cum ſacramento, eſſe diſpoſitionem, ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans. Tertiò, propter hanc cauſam dicitur de extrema vnctione, quòd ſit penitentiæ conſummatiua.

Probat. 1.

Obiectio. Dices, docuiſſe nos in tractatione de penitentia, peccatum actuale mortale, commiſſum poſt baptiſmum, non poſſe deleri ſinè ſacramento penitentiæ.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe verum directè, & per ſe, ſeu, quod idem eſt, in eo caſu in quo quis poteſt confiteri peccatum mortale, quod commiſit: per accidens tamen deſtrui poteſt ſinè ſacramento penitentiæ, media extrema vnctione; putà quando ægrotus nequit ſuum peccatum mortale aperire ſacerdoti. In hoc ergo caſu, poſita attritione in iſto infirmo, deſtruetur peccatũ hoc mortale, interueniente ſacramento extremę vnctionis: idémque dicendum eſt de venialibus omnibus peccatis; ſi ſuſceptio iſtius ſacramenti fuerit ordinata, ad eorum deletionem.

Extrema Vnctio pœnas temporales remittit.

CONCLVSIO 4. *Extrema vnctio remittit in nobis pœnas temporales peccatis noſtris debitas, nõ quidem omnes, ſaltem ſemper, & vbique; ſed tantum aliquas.* Probatur poſterior pars Concluſionis: peccata nunquam remittuntur, niſi relaxetur pœna debita iiſdem, ſi non omnis, ſaltem aliqua, ex communi doctrina.

Probat. 2. Deinde, qui meretur adeptionem gloriæ, hoc ipſo meretur etiam remiſſionem pœnæ alicuius debitæ peccatis; eſt enim propoſitio indubitata quò magis aliquis meretur vitam æternam, eò quoque magis remouet impedimenta, quibus ar-

Digitized by Google

cemur à conſecutione illius: at certum eſt eum qui ſuſcipit ſacramentum extremæ vnctionis, conſequi ius ad gloriam conſequendam, ergo minuit etiam pœnas peccatis debitas.

Prima verò pars Concluſionis probatur: Si tota pœna peccatis debita remitteretur per extremam vnctionem, nullus ex iis quibus adminiſtratur debitè, & vt oportet deſcéderet ad purgatorium: At illatio hæc non eſt ſatis tuta, ergo ſignum eſt non deleri omnem pœnam.

Deinde, extrema vnctio non eſt ſacramentum potentius, & efficacius penitentia: at hæc non deſtruit ſemper omnem pœnam temporalem debitam peccatis, ſed tantum iuxta dignitatem cõtritionis, cum qua contingit hominem ſurgere à peccatis, ergo neque extrema vnctio.

Sanitas corporis eſt effectus ſacramenti huius.

CONCLVSIO VLTIMA. *Sanitas corporis eſt effectus ſacramenti extremæ vnctionis, non quidem ſemper, ſed quando ex vi diuinæ prouidentiæ ſanitas iſta conducit ad ſalutem animæ.* Primò, quia propter hanc cauſam dicitur Iacobi 5. *Et oratio fidei ſubleuabit infirmũ & alleuiabit eum Dominus.* Deinde, ita habet Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de extrema vnctione.

Notabile nõ produci omnes effectus in ſingulis ægrotis.

Aduerte, extremam vnctionem non producere iſtos omnes effectus in quolibet ægroto, etiamſi, ex hypotheſi, ſupponamus illum debitè, & vt oportet conſequutum fuiſſe hoc ſacramentum: nam ſi nulla dentur in eo peccata mortalia, aut venialia, clarum eſt effectum remiſſionis culpæ mortalis, aut venialis, non poſſe produci ab iſto ſacramento: notum eſt etiam quòd ſi ægrotus ſit phreneticus, ac proinde quòd careat omni vſu rationis, eum non conſequuturum ſpeciale Dei auxilium, quod eſt neceſſarium ad hoc vt ægrotus minimè ſuccumbat tentationibus dæmonum; nam phrenetici nequeunt vlla ratione peccare: experientia item docet non omnes ægrotos ſanari ſumpta extrema vnctione. Tandem gratia tantum gratum faciens, & condonatio peccatorum, vt plurimum, & fere ſemper producuntur à ſacramento extremæ vnctionis.

DVBITATIO QVINTA.

Quis ſit miniſter ſacramenti extremæ Vnctionis.

Solus ſacerdos eſt miniſter Trident.

CONCLVSIO 1. *Solus ſacerdos eſt miniſter ſacramenti extremæ Vnctionis:* hæc eſt de fide, definita in Trident. ſeſſ. 14. can. 4. *Si quis dixerit preſbyteros Eccleſiæ, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate; ob idque proprium extremæ vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem: anathema ſit.* Deinde colligitur ex illo Iacob. 5. *Inducat preſbyteros Eccleſiæ*, ergo ſolus ſacerdos eſt miniſter huius ſacramenti.

Euaſio hæreticorum.

Reſpondent hæretici, nomine presbyteri non ſignificari hominem conſtitutum in ſacris ordinibus, ſed ſeniorem ætate, ità vt velit Iacobus prouectiores ætate inter Chriſtianos eſſe vocandos ad hoc vt inungat ægrotos, quatenus in iſtis per poteſtatem faciendi miracula, ſanitas priſtina producatur. Cæterùm reſponſio hæc citrà hæreſim manifeſtam defendi non poteſt, vt conſtat ex can. 4. allato.

2. Deinde, ſi dicti patres citati ſupra, nomine presbyterorum intelligunt ſacerdotes ſolos ab Epiſcopo verè conſecratos: ità Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio. Origen. homil. 2. in Leuiticum. Beda ad locum proximè citatum D. Iacobi. Conc. Flor. in decret. Eugenij I. V.

3. Tertiò, ſi vera eſſet reſponſio Hæreticorum non poſſent Epiſcopi ætate minores, præſente Epiſcopo ſeniore validè conferre ſacramentum extremæ vnctionis: at illatio hæc falſa eſt; quod enim poteſt vnus Epiſcopus ſub ea ratione, qua eſt Epiſcopus, illud idem poteſt quilibet alius Epiſcopus, cùm ſint ex æquo Epiſcopi dependenter à charactere ſacerdotali, & ab ordinatione Epiſcopali, hæc autem duo ex æquo dantur in omni Epiſcopo.

Refelluntur qui nomine preſbyterorũ Epiſcopos intelligunt.

Alij verò reſpondent nomine presbyterorum ſignificari Epiſcopos. Cæterùm neque iſti aliquid dicunt; vſus quippe quotidianus docet, non Epiſcopum, ſed presbyterum ſimplicem adminiſtrare ſacramentum extremę vnctionis.

Deinde, ſi per presbyteros intelligeret D. Iacobus Epiſcopos, infiniti homines fraudarentur extrema vnctione, cùm in quolibet diœceſi detur vnus tantum Epiſcopus, qui nequit omnibus & ſingulis ægrotis adminiſtrare ſacramentum hoc, ob locorum diſtantiam: ergo.

Tertiò probatur Concluſio: miniſter extremę vnctionis debet eſſe ille idem, qui eſt miniſter baptiſmi, & penitẽtię, ordinatur enim hoc ſacramentum ad ſalutem cuiuslibet hominis in particulari, quemadmodum baptiſmus, & penitentia: Certum autem eſt ſacerdotem ſolum eſſe miniſtrum baptiſmi, & penitentię, ſaltem ex officio: ità communiter omnes in 4. diſtinct. 23.

Ab vno ſolo tantum ſacerdote adminiſtranda.

CONCLVSIO 2. *Extrema Vnctio non à multis, ſed ab vno tantum ſacerdote eſt adminiſtranda:* Hæc definita fuit ab Alexand. III. in cap. *Quæſiuit*, de verborum ſignificatione. *Sacerdos vno præſente clerico, aut etiam ſolus, poteſt infirmum vngere.*

Deinde nulla poteſt aſſignari ratio cur potius requirantur plures ſacerdotes ad extremam vnctionem conferendam, quàm ad baptiſmum, & penitentiam: igitur, &c.

Non ſacerdotes non poſſunt eſſe miniſtri extrem. Vnct.

CONCLVSIO 3. *Diaconus, & alij Clerici inferiores ſacerdote, nequeunt validè etiam ex diſpenſatione Pontificis maximi, ſacramentum extremæ vnctionis conferre.* Primò, quia diximus ſolum ſacerdotem eſſe miniſtrum huius ſacramẽti.

Deinde, adminiſtratio iſtius ſacramenti ſupponit characterem ſacerdotalem, ex illo: poteſtatẽ in corpus Chriſti myſticũ, ſupponere poteſtatem in corpus Chriſti verum, ſeu, quod idẽ eſt, poteſtas remittendi peccata, ſupponit ſimpliciter, & abſolutè poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti: at ſolus ſacerdos poteſt conſecrare corpus Chriſti, ergo. Confirmatur. Extrema vnctio ordinatur nedum ad remiſſionem venialium, ſed etiam mortalium commiſſorum poſt baptiſmum; at ſolus ſacerdos remittit peccata: ergo ſolus, ac proinde minimè Diaconus, poteſt eſſe huius ſacramenti miniſter.

Obiectio 1.

Dices, ex iſtis colligi Epiſcopum non poſſe adminiſtrare extremam vnctionem.

Solutio.

Reſpondeo, negando conſecutionem: quando enim dicimus ſolum ſacerdotem eſſe miniſtrum huius ſacramenti, excludimus tantum Clericos inferiores ſacerdote, non autem ſuperiores: Epiſcopatus autem eſt ordo ſuperior

ſacerdotio

ſacerdotio ſimplici, vt probabitur quæſtione proximè ſequente.

Obiectio 2. Obiicies 2. Innocentium l. c. 8. ep. ad Decentium affirmare, nedùm presbyteros, ſed etiam quoslibet alios Chriſtianos poſſe vti oleo ab Epiſcopo benedicto in ſuum commodum, & vtilitatem: loquitur autem illic expreſsè de extrema vnctione.

Solutio. Reſpondeo, Innocentium velle tantum cuilibet Chriſtiano poſſe applicari oleum ab Epiſcopo benedictum: agit enim de vſu paſſiuo iſtius olei, non autem de actiuo; ex quibus non licet colligere quemlibet Chriſtianum eſſe miniſtrum extremæ vnctionis.

Soli ſacerdotes habẽtes iuriſdictionẽ ſunt miniſtri extrem. Vnct. Aduerte, quod licèt cuilibet presbytero, hoc ipſo quod presbyter eſt, poſſit committi adminiſtratio ſacramenti extremæ vnctionis; de facto tamẽ illis ſolis cõmittitur, qui iuriſdictionẽ habent ordinariã vel delegatam in ægrotos, qui ex ſuppoſitione ſunt inũgendi: ità omnes, locis proximè citatis, & ratio idipſum ſuadet; adminiſtratio quippe cuiuslibet ſacramenti præſupponit iuriſdictionem, cùm ſit actus ſuperioris: at non omnes ſacerdotes iuriſdictionem habent, ſed aliqui tantum. Confirmatur. Ex Conc. Trident. Curatis, & Vicariis perpetuis incumbit neceſſitas adminiſtrandi ſacramenta baptiſmatis, penitentiæ, matrimonij, & extremę Vnctionis, & item inſtitutio Catechiſmi.

DVBITATIO SEXTA.

An teneamur ad reatum alicuius culpæ conſequi ſacramentum extremæ Vnctionis.

RAtio dubitandi eſt, quia D. Iacobus, ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros.*

Deinde, in Concil. Colonienſi parte 4. cap. 50. tempore Pauli Papæ 3. & Caroli 5. Imperatoris, dicitur adminiſtrandam eſſe extremã vnctionem ægrotis ſecundum mandatum Apoſtolicum: & in Concil. Senonenſi ſecundùm præceptum Chriſti applicanda eſt extrema Vnctio.

Nullus obligatur ad reatum peccati mortalis, ad hoc ſacr. ſuſcip. CONCLVSIO 1. *Nullus eſt qui teneatur ad ſuſceptionem ſacramenti extremæ Vnctionis, cum obligatione ad culpam mortalem, vel pœnalem.* Primò, quia Innocentius primus in Epiſtola ad Decentium ità de hac re loquitur: *Fideles ægroti oleo ſanctо perungi poterũt.* & rurſus. *Licebit vti oleo ſanctio*: verba autem iſta potius excludunt rationem præcepti, quàm ſignificent obligationem aliquam.

Probat. 2. Deinde, Si ſuſceptio extremæ Vnctionis obligaret ad culpam aliquam, id maximè eſſet, quia hoc ſacramentum eſſet neceſſarium neceſſitate medij, vel quia eſſet imperatum à Chriſto, vel ab Eccleſia: at nullum horum dici poteſt: nõ quidẽ primum: conuenit enim inter omnes ſola ſacramenta baptiſmatis, & penitentiæ eſſe neceſſaria ad ſalutem cuiuslibet in particulari, neceſſitate medij: neque item ſecundum, quia nec ex patribus, nec ex Conciliis, neque item ex Scripturis ſacris, vllus poteſt colligi locus in quo dicatur Chriſtum, vel Eccleſiam præcepiſſe vſum ſacramenti extremæ Vnctionis.

3. Tertio, extrema Vnctio eſt inſtituta ad conferendum homini robur, ne deficiat in extrema lucta, & præterea ad delenda peccata mortalia & venialia, quę dantur in ægroto, & quæ deduci non poſſunt ad forum penitentiæ: at effectus iſti poſſunt haberi ſinè ſacramento extremæ Vnctionis, cùm indubitatum ſit Deum nulli negare auxilia neceſſaria ad ſalutem: ergo nullus adſtringitur ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum ſub pœna peccati mortalis.

Peccat mortaliter qui cõtemnit hoc ſacram. ſuſcipere. CONCLVSIO 2. *Non eſt tamen negandum quin peccet is qui contemnit ſuſcipere ſacramentum hoc, cùm poſſit: maximè verò ſi inde ſequatur ſcandalum puſillorum.* Primò, in Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. de extrema Vnctione verbis expreſſis dicitur. *Nullus eſt qui poſſit ſacramentum hoc contemnere ſinè peccato.* Et in Concil. Colonienſi: *Quod ſi quis ſacramentum adeò commendatum ab Apoſtolo Iacobo contempſerit, careat ſepultura Eccleſiaſtica*: Hæc autem pœna non indicitur niſi propter grauem aliquam culpam. Concil. Trident. & Colonienſe.

Deinde, contemptus rei ſacræ, vtilis præſertim ad beatitudinem obtinendam, cenſetur eſſe peccatum mortale ex ſuo genere.

Tertiò, ſcandalum datum, omnium exiſtimatione, habet rationem culpæ mortalis: ergo & contemptus de non ſuſcipiendo hoc ſacramento.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo, Ad primã, *Inducere* illic, idem eſt atque accerſere, ſeu vocare: notum eſt autem ex tractatione de legibus, particulas iſtas, inducat, alliciat, moueat, & ſimiles non ſignificare præceptum. *Diſſolutio rationum oppoſitarũ.*

Ad 2. nomen, (*mandatum* & *præceptum*) iſtis in locis non vſurpari in propria, & natiua ſignificatione, ſed denotare tantùm monitionem, exhortationem, ſeu conſilium.

Solis baptizatis adultis eſt danda extrem. Vnct. Rogabis, *Quibus ſit adminiſtranda extrema Vnctio?* Reſp *Dandam eſſe ſolis baptizatis*: eſt enim baptiſmus ianua ceterorum ſacramentorũ. Secundò reſpondeo: *Dandam eſſe non omnibus baptizatis, ſed ſolis adultis*: ordinatur namque extrema Vnctio ad tribuendum homini Chriſtiano robur, ne ſuccumbat in poſtrema lucta tentationibus dæmonis, & item vt liberetur ægrotus à peccatis actualibus in quibus verſatur commiſſis poſt baptiſmum: at hæc dici poſſunt de ſolis adultis, vt eſt per ſe notum. Ex iſtis colligunt aliqui, extremam Vnctionem non eſſe dandam pueris baptizatis, neque item ſtultis, qui numquam habuerunt lucida interualla.

Solis ægrotis. Denique reſpondeo, *Dandam eſſe extremam Vnctionem non quibuſuis baptizatis, & adultis, ſed ſolis ægrotis*: dicitur enim Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis?* &c. Et in decreto Eugenij IV. habetur, vt ſacramentum hoc adminiſtretur illis tantum de quorum morte timemus, & in Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. quod ſit ſacramentum exeuntium; ac proinde dandum eſſe illis, quos morituros veremur. Iacob. 5.

Poteſt iterari in diuerſis morbis, & in eodem nimis prolixo. Rogabis, *An poſſit extrema Vnctio iterari.* Reſpondeo, *Diuerſis in morbis poſſe iterari*: conuenit enim inter omnes ea tantum ſacramenta iterari non poſſe, quæ characterem imprimunt: inter hæc autem non computatur extrema Vnctio.

Dubitatur etiam: *An in vno, & eodem morbo poſſit iterari extrema Vnctio.* Eorum opinio videtur indubitata quæ aſſerit in morbis prolixis nihil impedire quominus iteretur ſacramentum hoc; modò tamen notabile tempus fuerit interiectum inter primam & ſecundam adminiſtrationem illius. Primò, quia temporibus primitiæ Eccleſiæ ſeptem diebus continuis adminiſtraba-

Digitized by Google

tur extrema Vnctio ægrotis, vt refert Ioannes Mald. in tractat. de extrema Vnctione.

Non expectanda vltima periodus vitæ vt adminiſtretur extr. Vnct.

Deinde, durante eodem morbo repetuntur ſacramenta penitentiæ, & Euchariſtiæ: quidni igitur iterabitur extrema Vnctio?

Aduerte, non eſſe expectandum vltimum vitæ ſpiritũ, vt adminiſtretur extrema Vnctio ægrotis; ſed dandam eſſe, dum æger habet ſenſus integros, & retinet vſum rectæ rationis. Primò, quia maiore cum veneratione ſuſcipitur tunc ſacramentum.

Deinde, quia ſi nullus detur vſus rationis in ęgroto, ineptus eſt ad pugnam contra dæmonem, ac proinde incapax etiam effectus præcipui extremæ Vnctionis: ſi tamen ægrotus bene vixerit, vel etiam vigente vſu rationis in eo, ſacramentum hoc poſtulauerit, erit illi adminiſtrandum ſublato vſu rationis; quia poterit infirmus gratiam huius ſacramenti conſequi.

QVÆS-

QVÆSTIO VNICA, DE SACRAMENTO ORDINIS.

DE hoc ſacramento hæc pauca explicanda ſunt: primò, An ordo ſit ſacramentum. 2. Quot ſint Ordines, ſeu ordinationes. 3. An Epiſcopatus ſit ordo. 4. An ordines, maiores videlicet, & minores ſint verè, & propriè ſacramenta. 5. Quæ ſit materia, & forma cuiuſlibet ordinationis. 6. Qui ſint effectus ſacramenti ordinis, ſeu ordinationis. 7. Quis ſit miniſter cuiuſlibet ordinationis. Vltimum. Qui ſint capaces ordinationis.

DVBITATIO PRIMA.

An Ordo ſit ſacramentum.

Inconſtans Hæreticorum iudicium circa Ordinem.

HÆreticorum noſtri temporis, alij admittunt, alij verò negant Ordinem eſſe ſacramentum; idque quòd exiſtiment rationem ſacramenti nouæ legis, conſurgere non poſſe ſinè aliquo elemento, iuxta illud D. Auguſtini tract. 80. in Ioannem; *Accedente verbo ad elementum, fit ſacramentum:* in Ordine verò nullum datur elementum; vt conſtabit ex dicendis.

Auguſt.

Bifariam vſurpatur Ordo.

Aduerte, Ordinem vſurpari duobus modis; interdum enim ſignificat poteſtatem datam in ordinatione ei, qui verbi gratia conſecratus eſt ſacerdos: Hæc autem poteſtas in ſacerdote, eſt facultas conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, & item peccata remittendi, vt conſtat ex his quæ docuimus de Euchariſtia & penitentia. Interdum verò ſignificat ordinationem ipſam, per quam datur poteſtas ordinato exercendi ea quæ ſunt ordinis, & characteris impreſſi: iuxta primam ſignificationem, conuenit apud omnes Ordinem non eſſe ſacramentum nouę legis; nam effectus ſacramenti naturam ſacramenti numquam attingit; poteſtas autem iſta data ordinato per ordinationem eſt effectus ſacramenti ordinis: tota ergo difficultas eſt de ordine prout ſignificat ordinationem ipſam.

Ordo eſt ſacramentum. Trident. Probat. 1.

CONCLVSIO. *Ordo, ſeu, Ordinatio, eſt vnum ex ſacramentis nouæ legis.* Hæc eſt de fide, definita expreſsè in Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacramentis in genere: *Si quis dixerit non omnia & ſingula nouæ legis ſacramenta à Chriſto Domino noſtro fuiſſe inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, Anathema ſit:* inter hæc autem ponitur Ordo. & ſeſſ. 23. cap. 3. & can. 3. *Si quis dixerit Ordinem, ſiue ſacram ordinationem, non eſſe verè, & propriè ſacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit:* & in decreto Eugenij IV. ſimile quid habetur. Idem.

Deinde, ex ſacris litteris aſſequimur Diaconos, & presbyteros cum mannum impoſitione fuiſſe ordinatos, & item media iſta manuum impoſitione gratiam fuiſſe conſequutos: *ità* enim dicitur 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum preſbyterii*, &c. Et cap. 1. poſt. ad Timotheum; *Admoneo te vt reſuſcites gratiam quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum:* Alloquitur autem Timotheum, quem Epiſcopum conſtituerat: & in Actis, cap. 6. habetur de Diaconis, quod media manuum impoſitione fuerunt ordinati; at certum eſt per nullam planè ceremoniam ſemper, & infallibiliter gratiam poſſe dari, niſi huiuſmodi ceremonia fuerit à Chriſto inſtituta, & præterea niſi hæc eadem rationem ſacramenti conſequatur, ſolis enim ſacramentis nouæ legis competit producere gratiam certò, & infallibiliter, ſeu quod idem eſt ex opere operato: ergo Ordo ſeu ordinatio eſt ſacramentum. 2. 1. Tim. 4. 2. ad Timot. c. 1. *Probat. 3.*

Tertiò, ità docent ſancti Patres, maximè verò Dionyſius cap. 5. lib. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: *Admonet*, inquit, *tempus poſt diuina ipſius modi munia ipſos exponere ſacros ordines, ac diſtributiones, virtutéſque ipſorum.* Et D. Auguſtin. lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 1. *Sacramentum baptiſmi eſt quod habet qui baptizatur. Et ſacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit.* D. Dionyſ. D. Auguſt.

Quartò, in Concil. Chalcedon. can. 2. dicitur eum vendere gratiam Spiritus ſancti, qui ſacram ordinationem propter pecuniam confert: at id dici non poſſet ſi ordinatio non eſſet ſacramentum nouæ legis: nam ſola ſacramenta nouæ legis ſunt vaſa, & inſtrumenta gratiæ, ex dictis in tract. de ſacram. in genere, ergo, &c. 4.

Quintò, per ordinationem ſacerdotis datur poteſtas homini conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, & item peccata remittendi: at non eſt credibile, tantam poteſtatem dari alicui independenter ab vllo planè ſacramento nouæ legis; præſertim cum in veteri lege ordinatio ſacerdotis ſanctificaret hominem legaliter, vt conuenit inter omnes. 5.

Digitized by Google

Probat. 6. Denique, omnes conditiones necessariæ ad rationem sacrasmenti nouæ legis reperiuntur in ordinatione, vt probabitur inferius, Dub. 3. ità Magister in 4. d. 24. & interpretes eiusdem omnes, ibidem.

Solutio argumentorũ. Ad rationem verò hæreticorum. Resp. D. Aug. eo in loco instituere tantùm sermonem, de sacramento baptismatis; in quo datur verè elementum: hoc enim sinè aqua consurgere nullo modo potest; non loquitur autem de ceteris sacramentis, & meritò: nam cetera sacramenta nullum habent elementum propriè dictum, quod sit materia, vel forma sacramenti.

DVBITATIO SECVNDA.

Quot sunt Ordines, seu ordinationes?

Ratio dubitandi. RAtio dubitandi, Dionys. cap. 5. lib. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, tres tantùm commemorat Ordines, Episcoporum, presbyterorum, & ministrorum, & can. 42. Apostolorum, aliàs 45. sex tantummodò inducit, Episcopatum, presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, lectores, & cantores: Addit istis Ignatius in epist. ad Antiochenos Κοπιῶντας, id est Laborantes, quorum officium erat sepelire mortuos.

7. Ordines dantur. Probatio 1. CONCLVSIO 1. *Ecclesia Catholica semper habuit, & retinuit septem Ordines, presbyteratum, scilicet, diaconatum, subdiaconatum, Acolytum, exorcistam, lectorem, & ostiarium:* Hæc habetur expressè in decreto Eugenij IV. & in Trid. sess. 14. cap. 2. & in Carthag. IV. & in Romano sub Syluestro, huius nominis Pontifice I. celebrato.

2. Deinde, Ordo sacerdotalis colligitur euidenter ex sacris litteris: dicitur enim de eo, 1. Timoth. 5. *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per prophetiam cum manuum impositione presbyteri.* Confirmatur. Sancti Patres de vno, & eodem planè sacerdote dicunt, quod sit Episcopus, & presbyter, vt constat ex Hieronym. & aliis interpretibus loci proximè citati Pauli, & cap. 1. posterioris ad Timoth. contendũt enim Patres, Episcopos, & sacerdotes semper fuisse ordinatos media manuum impositione, facta per Episcopum: Diaconatus item habetur expressè in Actis cap. 6. & cap. 1. ad Phil. *Paulus*, inquit, *& Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus:* Subdiaconatus verò, & ceterorum ordinum fit expressa mentio in ep. 2. ad fratrem Domini Clementis Romani, & in Epistol. Cornelij ad Fabianum, cuius meminit Eusebius lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 35. dicitur enim illic, eo tempore in Ecclesia Romana quadraginta sex extitisse sacerdotes, diaconos septem, totidem subdiaconos, Acolytos quadraginta duos, ostiarios, lectores, & exorcistas vniuersim quinquaginta duos, hæc eadem legere licet in Epistola Caij Pontif. Maximi ad Felicem: ità docent omnes in 4. dist. 23. alij 24.

1. Tim. 4.

Philipp. 1.

Quinam maiores, quinam minores dicantur ordines. CONCLVSIO 2. *Tres primi ex istis Ordinibus sunt maiores, & sacri; quatuor verò posteriores, minores, & non sacri.* Hæc habetur expressè in Trident. loco proximè cit. & communiter apud Sententiarios in 4. dist. 23. alij 24. propterea autem presbyteratus dicitur maior ordo; quod ceteros omnes alios inferiores ordines virtute, & eminenter contineat: referuntur enim isti omnes ad sacerdotium, veluti in suum finem, vt docet D. Thom in 4. dist. 23. & innuit Concil. Trident. loco allegato; complent enim isti ordines in sacerdotio naturam, & essentiam sacramenti Ordinis. Diaconatus verò, & subdiaconatus ideò nuncupantur maiores ordines, quòd perfectionem aliquam à sacerdotio mutuentur; dum Diaconus & Subdiaconus sacerdoti sacrificanti ad altare deseruiunt: quatuor verò posteriores ideò dicuntur minores, quòd in inferiori gradu, & ordine suos ministros collocent.

Tres primi ordines sacri censentur & quare. Dubitatur autem, *Quare tres primi dicantur sacri; quatuor verò posteriores non sacri.* Illi videntur ad veritatem magis accessisse, qui aiunt propterea presbyteratum, diaconatum, & subdiaconatum esse sacros ordines, quòd Clerici isti voto perpetuæ castitatis sint obstricti, & quòd ità addicti sint ministeriis sacris, vt nulla ratione possint repetere statum laicalem. Probatur ex cap. *nullus in præpositum*, dist. 60. & ex capit. *A multis*, de ætate, & qualitate ordinandorum; dicitur in istis locis antiquitus subdiaconatum nõ fuisse ordinem sacrũ: idque quòd possent subdiaconi inculpatè transire ad statum coniugalem: quatuor verò posteriores ideò censentur esse non sacri, quia licèt suos ministros cultui diuino addicant, non tamen ità consecrant Deo, quin possint repetere statum laicalem: possunt enim liberè nuptias inire, quo casu priuantur statim priuilegiõ Clericali, vt constat ex Tridentino sessione 14.

Tres ordines maiores obligant tãtum ad horas canonicas. ROGABIS, *An quilibet ex istis Ordinibus obliget Clericum ad horas Canonicas recitandas.* RESPONDEO, *Ordines tantummodò maiores, & sacros, obligare ad recitationem horarũ, canonicarũ.* Probãt aliqui ex cap. 1. de celebratione Missarum. *Presbyter*, inquit, *manè, matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperámque persoluat.*

Inefficaces aliquorum probationes. Cæterũ locus hic responsionem nostram satis nõ cõprobat, cum loquatur de solo presbytero, imò non de quouis presbytero, sed de parocho, seu Curato, vt facilè colligitur ex capit. proximè citat.

Alij verò probant, ex cap. *Si quis presbyter*, distinct. 30. at neque hic locus vrget; agit enim de Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, & de officio, solemni ritu recitando. Alij probant ex cap. *dolentes*, de celebratione Missarum, vbi Innocentius III. cum Concil. Generali in meritum salutaris obedientiæ præcipit prælatis, & aliis inferioribus clericis, vt recitent officium diuinum tam nocturnũ, quàm diurnum: verùm neque locus hic doctrinam istam euidenter probat, nam non explicat Innocentius III. hoc loco, qui Clerici teneantur ad recitationem horarum Canonicarum. Deinde, videtur Pontifex Max. loqui de recitatione publica horarum canonicarum, quæ fit à Clericis deputatis huic, vel illi Ecclesiæ.

Ex cõsuetudine ostenditur veritas conclusionis. Probo ergo, ex consuetudine hactenus obseruata in Ecclesia Catholica in omnibus, & singulis locis: consuetudo ergo hæc ità recepta vbique locorum vim legis cõsequitur, ac proinde obligantur Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri ad recitationem horarũ Canonicarum: quatuor verò posteriores

poſteriores Ordines neminē obligāt ad horas canonicas, vel certè ad aliquas alias preces perſoluēdas: ità Nauarr. c. 7. de horis canonicis, Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 10. Arago. ad quæſt. 84. in 2. 2. & interpretes D. Thom. ibidem communiter.

Rogabis, *An quilibet ordo ſacer, & maior obliget Clericum, in eo conſtitutum ad perpetuam continentiam.*

Conſtitutus in maiori ordine ſacro tenetur ad caſtitatem. Trident.

CONCLVSIO 1. *Quilibet ordo ſacer facit ne Clericus in eo conſtitutus valide poſſit matrimoniū cōtrahere*, definita expreſsè in Cōc. Trid. ſeſ. 24. cā. 9. *Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validū eſſe, anathema ſit.* Deinde, conuenit inter omnes ordinem ſacrum, ſeu maiorem eſſe impedimentum quod nedum impedit matrimonium contrahendum, ſed & contractum dirimit.

Dubium mouetur.

Dubitatur autem, *An ab initio Eccleſia ità ſemper fuerit conſtitutum*, & quidem merito; docuimus enim quæſtiuncula proximè antecedente, olim Subdiaconos potuiſſe tranſire ad ſtatum coniugalem inculpate, cum conſtet ex Innocentio III. cœlibatum non fuiſſe olim coniunctum cum ordine ſubdiaconatus, nec conſequenter fuiſſe etiam ordinem ſacrum.

Deinde, in Concil. Ancyran. cap. 10. dicitur de Diaconis, quòd ſi tranſierint ad ſtatum coniugalem, deiiciantur à ſuo ordine, & communicent cum laicis; minimè verò habetur, quòd ſeparentur ab vxore, vnde eo tempore ordo Diaconatus fuit tantum impedimentum contrahendi matrimonium, non autem dirimebat contractum; quidquid tamen ſit de hac re, ſit

Caſtitas in Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis ſemper requiſita. Tit. 1. 2. Tim. 2.

CONCLVSIO 2. *Eccleſia omni planè tēpore perpetuam caſtitatē poſtulauit in Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis.* Primò, quia dicitur ad Tit. c. 1. *Oportet Epiſcopū hoſpitalem eſſe benignum, iuſtum, ſanctū, & continentem*, &c. ex qua poſtrema particula colligunt multi Patres Apoſtolum poſtulaſſe continentiam perpetuam in Presbyteris, & Epiſcopis, & 2. Tim. c. 2. *Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti: nemo militans Deo immiſcet ſe negotijs ſæcularibus*: at matrimoniū cōputatur inter negotia ſæcularia: qui enim vxorem habet, cogitat quomodo vxori placeat, & diuiſus eſt, 1. Cor. 7. & loco proximè cit. poſtulat hic cōtinentiam à cōiugatis ad hoc vt vacent orationibus: ergo cum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi teneantur omni planè die, nomine quorumcumque Catholicorum precari Deum, poſtulat in iſtis Paulus perpetuam continentiam.

Probat. 2. 1. Par. 24. Luc. 1.

Deinde, in veteri teſtamento rem ſacram ſacerdotes tractabant, non quidem ſemper, ſed ſuo ordine, & c. 24. l. 1. Paral. & ex c. 1. Lucę, non tamen poterant rem ſacram facere, niſi prius receſſiſſent & ab vxoribus, & à tota familia, & præterea à propriis ædibus: ergo cum ſacerdotes legis gratiæ omni die teneantur ſacramenta adminiſtrare, & orationes apud Deū fundere, debent iſti immunes eſſe ab omni conſortio fœminarum.

3. 1. Reg. 21.

Tertiò, 1. Regum cap. 21. dicitur Abimelech porrigere noluiſſe panes propoſitionis Dauidi, & militibus eiuſdem, donec ab iſtis reſciuit eos eſſe mundos ab heri, & nudiuſtertius ab vxoribus. Ex quo loco colligunt Hier. Ambroſ. & alij plerique Patres, ſacerdotes noui Teſtamenti vitā cœlibem perpetuò debere ducere, eò quòd panes propoſitionis deſignarent ſacratiſſimam Euchariſtiam, quæ ſumenda eſt omni ferè die à ſacerdotibus, & Epiſcopis.

4. Concil. Carthag.

Quartò, dicitur in Concil. Ancyrano, c. 10, Diaconos, non poſſe poſt ſuam ordinationem ducere ſuam vxorem, & in Concilio Carthaginenſi II. cap. 2. *Omnibus*, inquit, *placet, vt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus abſtineant*; & paucis interiectis, ſubiungit: *Vt*, inquit, *quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* & cap. 8. Conc. Rom. ſub Syluestro I. idem planè dicitur.

5. Hieron.

Quintò, hæc eſt omnium Græcorum, & Latinorum Patrum ſententia: vnus autem Hieronymus erit inſtar omnium, in Apologia ad Pammach, c. 8. *Apoſtoli*, inquit, *vel Virgines: vel poſt nuptias continentes*: Et rurſus, *Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt ſacerdotium in æternum pudici.* Vide de his plura, apud Bar. ad annum Chriſti 525.

Præceptum caſtitatis in ordinatis eſt tantum iuris Eccleſiaſtici.

CONCLVSIO 3. *Præceptum de caſtitate retinenda in conſtitutis in maioribus ordinibus non eſt iuris diuini, ſed Eccleſiaſtici tantum.* Oſtenditur primo, quia nulla extat de hac re lex à Chriſto inſtituta. Deinde, quia quod diximus ex Paulo probat tantùm præceptum hoc eſſe Apoſtolicum: nam illud idem dicendum eſt de hac conſtitutione, quod de nō promouēdo bigamo ad ſacros ordines, aut etiam de non edendis carnibus ſuffocatis; qua de re agitur Actuum c. 15. at leges iſtæ duæ omnium Theologorum conſenſu, ſunt de iure Eccleſiaſtico politiuo. Confirmatur. Apoſtoli condiderunt leges, & præcepta non præciſè, vt Apoſtoli, ſed tantum, vt Epiſcopi, ex communi doctrina Theologorū: at leges, quæ habent ortum ab Epiſcopis non faciūt ius diuinum, ſed tantùm Eccleſiaſticum. Denique hæc videtur eſſe mens Cōc. Trid. loco ſuprà cit. vbi additur, *non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto.*

Probat. 4.

Confirm.

Obiectio I. Hæreticorū. 1. Tim. 4.

Obiiciunt hæretici: Primò, nuptias eſſe honeſtas, & licitas ex Dei inſtitutione, cur ergo prohibentur Clericis, præſertim cum prohibitio hęc videatur damnari ab Apoſtolo 1. ad Tim. c. 4. *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere.*

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente negādo cōſecutionē; multa enim ſunt honeſta & licita, quæ tamen iuſtis de cauſis prohibentur certis quibuſdam hominibus; quis enim neſcit, dicere ius, eſſe rem licitam, & honeſtam? & tamen res hæc prohibetur, ſaltem in cauſis criminalibus, omnibus Clericis. Commendare item ſepulturæ hominem mortuum, inter actiones meritorias refertur, ex hiſtoria Tobiæ; & tamen in veteri teſtamēto quicumque mortuum tetigiſſet pro immundo habebatur. Nuptiæ ergo, licèt ſint honeſtæ, & licitæ inter ſolutos; nō tamen inter Clericos, idq; quòd deceat hominem conſecratū Deo imitari puritatem, & integritatem Chriſti, cuius cenſentur eſſe miniſtri Clerici.

Ad locum verò Pauli. Reſpondeo, agere Apoſtolū eo in loco, contra Manichæos, & alios huius generis homines, qui nuptias dānabant quaſi per ſe, & ſua natura malas: à qua ſententia recedit Eccleſia Catholica, quotieſcúque prohibet ne Clerici matrimonio copulentur; hoc enim facit propter ſolam decentiam, & congruentiam, quam nos paulò antè adduximus.

Obiicies 2. Epiſcopum vnius vxoris eſſe debere virum, 1. Timoth. 3.

In 3. partem D. Thom.

Digitized by Google

Solutio. Reſpondeo, prohiberi hoc in loco ab Apoſtolo aſſumptionem alicuius in Epiſcopum, qui bis matrimonium contraxerit, aut ductâ ab alio ſibi in matrimoniũ copulauerit, ità vt ſenſus ſit, neminem ex iis qui duas vxores habuerint, poſſe ſacerdotem inſtitui. A

Obiectio 3. Obiicies 3. Apoſtoli fuerunt omnes vxorati, vt videtur colligi ex cap. 19. Matth.

Matth. 19.

Soluto 1. Reſpondeo 1. Hoc eſſe falſum, ſi ſermo ſit de omnibus Apoſtolis; nam ex capit. 7. prioris ad Corinth. conſtat D. Paulum celibatum toto tempore vitæ retinuiſſe; cõſulit enim illic omnibus, & ſingulis caſtitatem; *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* &c. & paucis interiectis: *Volo omnes eſſe ſicut & ego.* B

1. Cor. 7.

Deinde, ex actis vitæ ſancti Ioannis Euangeliſtę indubitatum eſt eum toto vitæ tempore permanſiſſe virginem.

2. Reſpondeo 2. Apoſtolos aliquos re vera fuiſſe coniugatos; in Apoſtolatu tamen nullum habuiſſe commercium cum vxoribus: ità enim loquitur Petrus Chriſto, Mat. 19. *Domine ecce reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* dixerat autẽ Chriſtus; *Niſi quis reliquerit domum, patrem, matrem, vxorem, filios, & agros propter me, non eſt me dignus.*

Matth. 19.

Tertul. Deinde, Tertullianus in apologetico, qui vixit ſeculo 2. poſt Chriſtum: *Omnia*, inquit, *cõmunia, & diſcreta ſunt apud nos, præter vxores quibus vtimur, ac ſi ſorores eſſent:* & rurſus: *In Epiſcopatu, ſi quis deprehenſus fuerit cum vxore, non vt vir, ſed vt adulter habetur.* & in Cõc. Turonenſi II. cap. 13. *Epiſcopus coniugem, vt ſororem habeat.* C

Obiectio 4. Obiicies 4. Paphnutium in Concil. 1. Nicæno obtinuiſſe à Patribus, vt liberum eſſet ſacerdotibus proprias vxores retinere, vt refert Socrates lib. 1. capit. 8. & Sozomenus, lib. item 1. cap. 22.

Solutio. Reſpondeo, narrationem iſtam fabuloſam eſſe, & merum commentum; canone quippe 3. Concilij Nicæni, ità dicitur: *Omnibus modis interdixit ſancta Synodus, neque Epiſcopũ, neque preſbytero, neque Diacono, neque vlli Clericorum omninò licere habere ſecũ mulierem ſubinductam*, aut vt habet alia lectio, *extraneam, niſi forte mater aut ſoror, aut amita, aut amita, vel matertera ſit. In his namque perſonis omnis ſuſpicio declinatur:* quomodo ergo verum eſt Conc. hoc feciſſe poteſtatem retinendi vxores ſacerdotibus, vel Epiſcopis, vt volunt Socrates, & Sozomenus? ità docent Baronius ad annũ Chriſti 325. num. 148. Bellar. l. 1. de Cler. c. 22. & Binnius ad canonem proximè cit. Conc. Nicæn. illud idem dicendum eſt de eo quod obiicitur ex vita ſancti Vdalrici. Nicænum. D

Obiectio vltima. Obiicies tandem, apud Græcos, ſacerdotes eſſe vxoratos. Reſpondeo, numquam apud illos ſacerdotes, vel Epiſcopos tranſiſſe ad ſtatum cõiugalem, ſed tantum ex ſtatu coniugali aſſumi plerosq; ad ſacerdotiũ, & in eo retinere ſuas vxores. E

Solutio.

Græci ſacerdotes ſchiſmatici. Ceterum in ea re ſunt ſchiſmatici, vt facilè colligere licet ex iis quæ habet Baronius, loco proximè citato: omni enim tempore, tam Eccleſia Latina, quã Græca prohibuit ne Clerici in maioribus ordinibus conſtituti, excepto tamen ſubdiaconatu, ducerent vxores; vel ſi ex ſtatu coniugali aſſumerentur ad ſtatum ſacerdotij, abſtinerent à propriis vxoribus. Vide Baronium vbi ſupra; & item ad annum Chriſti 58. num. 17. tomo 1. ſuorum Annalium.

Ad rationes verò dubitandi initio propoſitas. Reſpondeo, nulli ex iſtis Patribus veniſſe in mentem explicare quor eſſent ordines ſacri, ſed tantum è re nata quoſdam commemoraſſe. *Diſſoluuntur rationes oppoſita.*

Deinde, nullus ait tres vel ſex, tantum eſſe ordines: quod verò dicitur de Copiontis.

Reſpondeo, iſtos habuiſſe curam ſepeliendi mortuos, vt probat Scholiaſtes ep. Ign. nũcupatus Martialis Męſtræus in ſuis Notis ad hanc epiſtol. Ignatij: imò propter hanc cauſam nuncupantur iſti ab aliis, Follarij quod videlicet ſepulchra mortuorum pararent; ab aliis verò dicuntur Laborantes, ſeu Laboratores propter eamdem cauſam.

DVBITATIO TERTIA.

An Epiſcopatus ſit Ordo.

Quorumdã ſententia & fundament. SVnt qui doceãt naturam, & eſſentiam ordinis non poſſe dici de Epiſcopatu, cò quod ſequitur dari octo ordines, cuius tamen oppoſitum docuimus, Dubit. proximè antecedente.

2. Deinde ſequitur poſſe validè adminiſtrari Epiſcopatum, ei qui non eſſet ſacerdos, aut in aliis ordinibus conſtitutus, illo eodẽ modo quo Diaconatus v. g. confertur valide ei qui non eſt Subdiaconus, & in minoribus ordinibus conſtitutus.

3. Tertiò, non poteſt aſſignari materia, & forma Epiſcopatus.

4. Denique, ex diſpoſitione iuris communis ordines adminiſtrantur tantum in Sabbatho, Epiſcopatus verò confertur die Dominico, ex Rituali, ſeu Pontificali Romano.

Epiſcopatus eſt ordo Eccleſiaſticus. CONCLVSIO. *Epiſcopatus eſt verus ordo Eccleſiaſticus:* Probatur primò, quia appellatur hic in ſacris litteris manuum impoſitio, c. 1. poſterioris ad Tim. *Admoneo te vt reſuſcites gratiã, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum:* loquitur autẽ hic de ordinatione Timothei in Epiſcopum. 1. Tim. 4.

Probat. 2. Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis habent, Epiſcopatum eſſe ordinem; Dionyſius quippe cap. 5. lib. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, tres refert ordines Eccleſiaſticos, Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum: idem præſtat Anacletus epiſtol. 3. Leo epiſtol. 84. cap. 4. dicit enim primum ordinem eſſe Epiſcopalem: & Gratianus diſtinctio. 32. eoſdem refert ordines cum Leone, & Gregorius lib. 1. Regiſtri cap. 4. & Epiphanus hæreſi 75. Epiſcopatum nuncupat ordinem, & D. Auguſtinus lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 12. & in Concilio Carthaginenſi, capit. 4. ſimile quid dicit. Fauet & iſtis quod ſcribit Nicephorus lib. 11. capit. 46. ait enim Moyſem virum ſanctiſſimum non potuiſſe adduci, vt conſecraretur Epiſcopus à Lucio Arriano Epiſcopo, idque quod exiſtimaret Spiritum ſanctum, non deſcenſurum ſuper eũ ad preces, & orationes Lucij, & lib. 22. cap. 14. ait, ex opinione Martyrij cuiuſdam ad Nectariũ ſacrũ lauacrum, & munus Epiſcopale conducere ad peccatorum expiationem, & de hac re conſtare ſacris conſtitutionibus Eccleſiaſticis. Leo. D. Auguſt. Nicephor.

3. Tertiò probatur: per ordinationem Epiſcopalẽ fit poteſtas ordinando adminiſtrandi ſacramenta Cõfirmationis, & Ordinis: at poteſtas hæc tanta, nõ videtur poſſe dari ſinè ordine aliquo Eccleſiaſtico proprie dicto, ſaltem ità vt conueniat alicui ex officio, quod dico, quoniam ex diſpẽſatione Pontificis Maximi ſacerdos ſimplex Confirmationem

tionem conferre poteſt: & Abbates iure antiquo ordinabant quoſlibet remiſſos ab Ordinariis, in minoribus ordinibus; & illud idem præſtare poſſunt iure Conc. Trid. erga ſuos ſubditos, ergo Epiſcopatus eſt ordo.

4. Trident. Quartò, Epiſcopatus confert ordinato gratiam gratum facientem, vt colligitur ex Trid. ſeſſione 23. can. 4. dicitur enim illic: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde Epiſcopum fruſtrà dicere*, Accipe Spiritum ſanctum, &c. *anathema ſit*: nomine autem impoſitionis manuum, & ordinationis ſacræ non intelligit Concil. vel ſolum ſacerdotium, vel ſolum Epiſcopatum, vel Diaconatum, tantùm, ſed quamlibet ordinationem quæ perficitur ab Epiſcopo, cum manuum impoſitione: ergo cùm tres Epiſcopi, qui conſecrant Epiſcopum, manus imponant Epiſcopo conſecrando, & dicant: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. Ordinatio Epiſcopalis conferet gratiam gratum facientem ordinato; quare hæc erit verus ordo, & verum ſacramentum.

Probatio 5. Denique, negari nequit, quin Epiſcopatus imprimat characterem, neque enim poteſt aliquis ità priuari Epiſcopatu, quin ſi de facto quempiam confirmauerit, aut etiam ordinauerit, cenſeatur hic verè confirmatus, & item verè ordinatus: argumento igitur eſt Epiſcopatum imprimere characterem indelebilem; præſertim cùm conſecratio hæc nequeat iterari: ità docent multi tam ex veteribus, quàm ex recentioribus.

Diſſoluũtur oppoſitæ rationes. Ad rationes verò contrarias, reſpondeo, Ad 1. negando illationem antecedentis, Epiſcopatus enim includit intrinſecè & eſſentialiter ſacerdotium illo eodem modo, ceteris tamen paribus, quo virginitas includit caſtitatem; vnde non diſtinguitur Epiſcopatus ſufficienter à presbyterio, ad hoc, vt conſtituat octauum Ordinem diſtinctum, realiter, & formaliter ab aliis ſeptem Ordinibus ſacris.

Replica. Inſtabis, vbi datur materia, forma, & character diſtincta à ceteris aliis formis, & materiis aliorũ ordinum, illic etiã reperitur nouus Ordo diſtinctus à reliquis ſacramentis: at materia, & forma ordinationis Epiſcopalis diſtinguitur à materiis, & formis ceterarum ordinationum: nã materia Epiſcopalis ordinationis eſt manuum impoſitio facta ab Epiſcopis ſuper caput ordinandi Epiſcopi; forma verò verba iſta: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. ergo.

Enodatur. Reſpondeo, probari hoc argumento ordinationem Epiſcopalem diſtingui à ſacerdotali verè, & realiter; non tamen propterea ſequitur Epiſcopatum diſtingui realiter à ſacerdotio, idque quod Epiſcopatus intrinſecè, & eſſentialiter includat characterem ſacerdotalem: imò character Epiſcopalis dilatat tantùm, & extendit ſacerdotalem, illo eodem ferè modo, quo ordinatio ſacerdotalis, per quam ſacerdos conſequitur poteſtatem remittendi peccata, ampliat, & extendit characterem impreſſum per eam ordinationem, per quam anteà accepit poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti, & ſanguinem eiuſdem: quemadmodum ergo, licèt duæ iſtæ ordinationes ſacerdotis diſtinguantur inter ſe realiter, & diuerſis temporibus adminiſtrétur, non tamen ideò conſurgunt duo ordines ſacerdotales, ſed vnus tantummodò numero, & ſpeciè; ità licet ordinatio Epiſcopalis differat realiter ab ordinatione ſacerdotali; non tamen propterea conſtituet diſtinctum ordinem à ſacerdotio, ſed tantum augebit, & ampliabit characterem ſacerdotalem, quare vnus erit tantummodò ordo; etſi iuxta modum explicatum poſſimus fateri eſſe duos ordines, id eſt, duas ordinationes.

2. Argumenti ſolutio. Ad 2. Reſpondeo, Epiſcopatum non poſſe validè cõferri ſinè ſacerdotio, nam ſupponit intrinſecè, & eſſentialiter ſacerdotium.

Ad id verò quod ſubiũgitur in eodẽ argumẽto. Reſpondeo, Epiſcopatum poſſe vſurpari duobus modis: primo, ſecundùm totum illud quod habet à parte rei: Deinde, ſecundum illud quod præcisè addit ſupra ſacerdotium; priori modo certum eſt, & indubitatum Epiſcopatum digniorem eſſe ſacerdotio, cùm habeat omne quod habet ſacerdotium, & præterea poteſtatem confirmandi, & ordinandi, qua caret ſacerdotium præcisè: poſteriori modo non eſt dignior, aut perfectior ſacerdotio, quia vt ſic ſpectatus, ſeu ſecundum id quod addit ſupra ſacerdotium, dicit tantùm poteſtatem confirmandi, & ordinandi; hæc autem minor eſt quàm ſit poteſtas conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, & poteſtas remittendi peccata; quæ tamen duo ſunt de natura, & eſſentia ſacerdotij, ac proinde Epiſcopatus hac ratione conſideratus non poteſt continere virtute, & eminenter ſacerdotium: iuxta primam conſiderationem tamen verè, & realiter Epiſcopatus continet ſacerdotium.

3. Ad 3. Reſpondeo, materiam ordinis, ſeu ordinationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum factam à tribus Epiſcopis, qui conſecrant Epiſcopum, formam verò eſſe verba quibus vtuntur dicti Epiſcopi inter conſecrandum Epiſcopum, vt probabitur inferius.

4. Ad vltimam reſpondeo. Ex eo quòd ordines aliqui adminiſtrentur certo die non poſſe colligi, vel identitatem, vel diuerſitatem ordinum, nam ſola conſtitutione Eccleſiaſtica ordines tres maiores, & minores in Sabbatho tantùm adminiſtrãtur, & tamen diſtinguuntur inter ſe ſpecie: Epiſcopatus verò die tantu Dominico confertur propter legem ab Eccleſia de hac re conſtitutam: cùm ergo eſſentia ſacramentorum non ab Eccleſia, ſed ab inſtitutione Chriſti ſit repetenda, argumentum hoc nihil planè probat.

Mouetur quæſtio. Rogabis, *An Epiſcopatus ſit maior dignitas ſacerdotio ſimplice.* Arrius referente Epiphanio lib. 3. tom. 1. hæreſ. 75. exiſtimauit Epiſcopatum ſola conſtitutione Eccleſiaſtica ſuperiorẽ eſſe ſacerdotio. Primò, quia D. Paulus in ep. ad Titũ, & Tim. eodem modo nominat Epiſcopos quo preſbyteros, & c. 1. ad Phil. *Paulus*, inquit, *& Timotheus omnibus ſanctis qui ſunt in Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus*: quo loco propterea prætermiſit presbyteros, quòd crediderit nullum planè dari diſcrimen inter Epiſcopum, & presbyterum.

Epiph. Error Arrij, & fundamenta. 1. Tim. 1.

2. Deinde, ſancti Patres in hac videntur eſſe opinione, Hier. enim ad c. 1. epiſt. ad Titum: *Idem, inquit, eſt preſbyter, qui & Epiſcopus.* & paucis interiectis. *Sicut ergo preſbyteri ſciunt ſe ex conſuetudine Eccleſiæ, ei qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubiectos; ità nouerint Epiſcopi ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate preſbyteris eſſe maiores.* & Ambroſius ad cap. 4. epiſtolæ Epheſ. & Chryſoſtomus homilia 11. in epiſt. 1. ad

Timoth. in initio, *Inter Epiſcopum, & preſbyterum intereſt ferme nihil; ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt* (ſcilicet Epiſcopi) *atque hoc tantum plus quàm preſbyteri habere videntur:* Et D. Auguſtinus epiſtol. 19. ad Hieronym. cap. 4. *Secundum*, inquit, *honorum vocabula quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit Epiſcopatus preſbyterio ſit maior.* & Ignatius epiſtol. ad Smyrnenſes, ait; *Sacerdotium eſt omnium bonorum apex, qui in hominibus ſunt, qui aduerſus illud furit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum, & Chriſtum Ieſum.*

Ex iſtis locis conantur hæretici noſtri temporis euincere Epiſcopum nihil poſſe iure diuino, quod non poſſit ſimplex ſacerdos, quod docuerunt etiam antiquitus VViclefitæ, & alij nonnulli hæretici poſteriores Arrio.

Epiſcopatus iure diuino digniar ſacerdotio. Trident.

Conclvsio. *Epiſcopatus nedum conſtitutione Eccleſiaſtica, ſed etiam diuina, maior eſt ſacerdotio ſimplici, ac proinde Epiſcopus iure diuino, vendicat ſibi dignitatẽ aliquã maiorẽ ſacerdote ſimplice.* Hęc eſt de fide, definita expreſsè in Tri. ſeſ. 23. cã. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe preſbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem ordinandi, aut confirmandi, vel eam quam habent illis eſſe cum preſbyteris communem, anathema ſit:* Loquitur autem Concilium de ea poteſtate quæ datur in Epiſcopis iure diuino, vt colligitur manifeſtè ex canone 6. eiuſdem ſeſſionis. Confirmatur. Seſſione 7. eiuſdem Concilij, canone 3. de ſacramento Confirmationis verbis expreſſis dicitur: Solus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius ſacramenti Confirmationis.

Probationes concluſionis. 2.

Deinde, ex ſacris litteris conſtat ſolos Apoſtolos, & Epiſcopos adminiſtraſſe ſacramenta Confirmationis, & Ordinis; in Actis quippe Apoſtolicis legimus Apoſtolos ſolos impoſuiſſe manus ſuper baptizatos: in epiſtolis autem ad Tit. & Timot. ſolos Epiſcopos impoſuiſſe item manus ſuper ordinandos: ergo iure diuino aliquid poſſunt Epiſcopi quod nequeunt præſtare ſimplices ſacerdotes.

3. Epheſ. 4.

Tertiò, ex ſacris litteris habemus Epiſcopos eſſe doctores, & paſtores, ità enim loquitur Paulus Eph. 4. de Epiſcopis: *Alios dedit Paſtores, & Doctores,* & ad Tit. 1. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere:* imo D. 1. Pet. 3. Petrus addit de iiſdem; *Parati reddere rationem omni poſcenti vos, de ea quæ in vobis eſt fide:* at ex eodem Paulo manifeſtum eſt non omnes ſimplices 1. Tim. 5. ſacerdotes fuiſſe doctores: 1. quippe Tim. cap. 5. ità de ſacerdotibus loquitur, *Preſbyteri qui bene præſunt duplici honore digni habeantur, maximè verò qui laborant in verbo, & doctrina,* vbi poſtrema particula eſt perpendenda, ex ea quippe manifeſtè colligitur aliquos extitiſſe tunc temporis ſacerdotes qui non laborabant in verbo, & doctrina.

4. Quartò, D. Paulus præfecit presbyteris Asiaticis, Timotheum Epiſcopum, Cretenſibus verò Titum, vt fatentur omnes, & colligitur ex epiſtolis eiuſdem ad Titum, & Timoth.

5. Auguſt. Anacletus. Damaſc. Leo mag. Hieron.

Quintò, ſancti Patres docent Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, & item principibus ſacerdotũ veteris teſtamenti: ſacerdotes verò ſeptuaginta Diſcipulis, & ſacerdotibus ſimplicibus legis Moſaicæ: ità D. Aug. in Pſ. 44. prope finẽ. Anacl. ep. 3. Damaſc. ep. itẽ 3. Leo epiſt. 88. & Cõc. Neocæſarienſe can. 16. Hiſpalenſe II. can. 7. & denique Hier. epiſt. 54. ad Marcellam, 85. ad Euagrium, & alij nonnulli: at potuerunt multa iure diuino Apoſtoli quod non poſſunt ſimplices ſacerdotes, vt colligere licet ex dictis.

6 Sextò, Epiſcopus poteſt illud omne quod poteſt ſacerdos, & præterea confirmare, itémque ordinare, idque iure diuino; quod tamen non poſſunt ſacerdotes ſimplices: ergo eſt ſuperior ſimplici ſacerdote.

Obiectio. Dices, ſacerdotes ſuccedere Apoſtolis, ex Ignatio in epiſtola ad Smyrnenſes: Omnes Epiſcopum ſequimini, vt Chriſtus Patrem, & presbyterorum collegium vt Apoſtolos.

Solutio. Reſpondeo, in Apoſtolis fuiſſe primò poteſtatem condendi ſcripturam ſacram, & leges obligandis ſubditis eorumdem, & præterea facultatem ordinandi, & confirmandi, & denique poteſtatem conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti: quando ergo Ignatius ait ſacerdotes eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, id venit tantùm intelligendum reſpectu poteſtatis conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, non autem reſpectu ceterorum; nam ſacerdotes ſimplices, nec ſcripturam ſacram condere, nec leges obligantes in conſcientia conſtituere poſſunt, nec demum ordinare, vel confirmare, ſed tantum conſecrare corpus, & ſanguinem Chriſti.

Probatio vltima. Hieron. Denique, probatur ex Patribus qui verbis expreſſis docent Epiſcopum, ſuperiorem eſſe presbyteris ordinatione diuina: ità Hier. in ep. ad Pãmachium, quo loco damnat iſtas voces; nihil intereſt inter Epiſcopum & presbyterum: & ad c. 1. ep. ad Tit. verbis expreſſis habet, Epiſcopos maiores eſſe ſacerdotibus, & Clem. Rom. lib. 3. Cõſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 16. vbi ait presbyterum eſſe ſubiectum Epiſcopo, & Ignat. in ep. ad Smyrnenſes, Innoc. in ep. ad Decentium, vbi docet Epiſcopum habere apicem Pontificatus, hoc enim negat de ſacerdote ſimplice, Epiph. hær. 47. & D. Aug. l. de fide & operibus c. 17. vbi presbyteros inferioris ordinis, Eccleſiarum præpoſitos appellat: Epiſcopos verò piſcatores, & Concil. Carthaginenſe IV. can. 36.

Clemens Rom. Ignatius. D. Auguſt.

Diſſoluuntur rationes dubitandi. Ad rationes verò contrarias: primò, D. Paulum illis in locis, vnum, & eumdem modò Epiſcopũ, aliàs presbyterum nominare, quòd temporibus primitiuæ Eccleſiæ ob paucitatem Clericorum, vix erat vllus ſacerdos, ſeu presbyter qui nõ eſſet etiam Epiſcopus, vel cui nõ daretur munus & officium aliquod ex his quę pertinent ad Epiſcopũ, nam vt obſeruauit Hier. ad cap. 1. ep. ad Tit. *Communi preſbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur:* in illis autem locis in quibus nullus erat Epiſcopus, Eccleſiæ adminiſtrabantur opera presbyterorũ.

Ad locum verò epiſt. ad Philippenſes. Reſp. Prætermiſſos fuiſſe illic presbyteros, vel propter cauſam proximè explicatam, vel etiam quia ſacerdos poteſt illud omne quod facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quæ complectitur poteſtatẽ confirmandi, & ordinandi; vel quod puto eſſe veriſimilius, quia poterat Epiſcopus omnia, & ſingula ſua officia exercere ſinè adiumento ſacerdotis, non tamen ſinè opera Diaconi, ac proinde meminiſſe Diaconorum, & Epiſcoporum ſimul.

Ad locum verò Hieronym. Reſpondeo, eum in ea fuiſſe ſententia, vt crediderit poteſtatem iuriſdictionis quam habet Epiſcopus in presbyteros conuenire Epiſcopo, non iure diuino, ſed tantum conſuetudine Eccleſiaſtica; poteſtatem tamen confirmandi & ordinandi exiſtimauit Hieronym. competere Epiſcopis iure diuino.

Reſpõſio hæc videtur colligi ex ipſomet Hier. in epiſt.

in epiſtol. quippe ad Euagrium ait ; *Quid*, inquit, *facit Epiſcopus quod non faciat ſacerdos, excepta ordinatione?* Moneo tamen non eſſe concedendum, Epiſcopum non habere iuriſdictionem in presbyteros iure diuino : nam ordinatione diuina quilibet Epiſcopus eſt miniſter ordinarius ſacramentorum Confirmationis, & ordinis ; ac proinde nequeunt aliqui confirmari, & ordinari niſi ab Epiſcopis iure ordinario diuino. Vrgent hæretici, Hieronym. in epiſt. ad Ruſticũ Narbonenſem Epiſcopum, dicere, ſacerdotẽ ſimplicem poſſe illud omne quod poteſt Epiſcopus, etiamſi Epiſcopo peccata aliqua reſeruentur, imò addit Presbyterum, & Epiſcopum eſſe vnum, & eumdem, & idem docet de Epiſcopatu, & presbyterio.

Replica hæreticorum.

Diſſoluitur. Reſpondeo, epiſtolam iſtam non eſſe legitimum partum, ſed ſuppoſititium Hieronym.

Deinde, licèt daremus eſſe illius, poſſet explicari illo eodem modo, quo locus eiuſdem in epiſtol. ad Titum, ſupra adductus.

Denique, author iſtius epiſtolę circa finem, multa quæ anteà dixerat corrigit, & mitigat, ſubmittitque corrigenda iudicio Ruſtici ad quem ſcribit.

Ambroſius explicatur. Ad Ambroſium, Reſpondeo, non eſſe authorem iſtorum commentariorum, vt obſeruauit Bellarmin. lib. de ordine, cap. 15.

Deinde, licet oppoſitum fateremur, non tamen idcireo faueret locus hic hæreticis: nam verbis expreſſis habet author illius libri Epiſcopum eſſe Principem ſacerdotum.

Tertiò, vult author hic, vſu, & conſuetudine fuiſſe factitatum, vt qui ſenior erat, & ætate proiectior inter presbyteros, cæteris præficeretur veluti Epiſcopus.

Ex iſtis autem non poteſt colligi, Epiſcopum non poſſe aliquid iure diuino, quod non poſſit presbyter ſimplex : nam Epiſcopus iure diuino ordinare, & confirmare poteſt, quod tamen nequit efficere ſimplex ſacerdos, ſaltem vt ordinarius miniſter iſtorum ſacramentorum.

Chryſoſt. Ad Chryſoſtomum verò reſpondeo, eum agnoſcere ſuperioritatem Epiſcoporum in presbyteros ſimplices : verba autem quæ citantur ab hæreticis, ſolum probant regimen, & gubernationem Eccleſiarum, poſſe committi presbyteris ſimplicibus ; quod nos vltrò concedimus, maximè ex diſpenſatione Pontificis Maximi, ſi ſermo ſit de adminiſtrandis illis ſacramentis, quorum Epiſcopus eſt miniſter ordinarius iure diuino ; ſi verò ſermo ſit de aliis officiis, quæ pertinent ad dignitatem Epiſcopalem, poſſunt hæc delegari ab ipſomet Epiſcopo presbyteris ſimplicibus.

D. Auguſt. Ad D. Aug. affirmare tantum vſu factum eſſe vt duæ diuerſæ dignitates, ſacerdotium, ſcilicet, & Epiſcopatus duobus diſtinctis nominibus nũcupẽtur, non ait autẽ conſuetudine vel vſu factũ eſſe, vt Epiſcopatus eſſet ordo diuerſus à ſacerdotio ; diſtinguũtur enim hæc duo ordinatione, & conſtitutione Chriſti, vt conſtat ex dictis.

Satisfit argumento ex D. Ignat. Ad hoc verò vt reſpondeamus Ignatio. Aduerte bona quæ pertinent ad quoslibet Chriſtianos, & Catholicos eſſe in duplici differentia. Alia enim reſpiciunt perſonam priuatam cuiuslibet, alia verò corpus myſticum Eccleſiæ : quando ergo Ignatius ait omnia bona quæ conſiſtunt in hominibus, reperiri in ſacerdotio, loquitur de bonis ſpectantibus ad vnumquemque noſtrũm in particulari, nõ verò de bonis ſpectantibus ad corpus myſticum Eccleſiæ : nam licèt ſacerdos quilibet poſſit ſacramẽta baptiſmatis, penitentię, Euchariſtiæ, extremæ Vnctionis, & Matrimonij adminiſtrare, ex quibus repetenda eſt ſalus cuiuslibet priuatæ perſonæ, non tamen poteſt hic confirmare, aut etiã ordinare, vnde neque procreare Eccleſiæ filios ſpirituales capaces gubernationis ; & regiminis corporis myſtici Eccleſiæ: hoc enim ſolis Epiſcopis, & Pontifici Maximo competit iure, & conſtitutione diuina.

DVBITATIO QVARTA.

An omnes Ordines maiores, videlicet, & minores ſint verè, & propriè ſacramenta?

Aliorum ſententia & fundamenta ſolum ſacerdotium eſſe ſacramentum.

SVnt qui exiſtiment, ſolum ſacerdotium habere rationem ſacramenti propriè dicti : quia quemadmodum per baptiſmum quilibet cenſetur eſſe potens, ad cetera ſacramenta ſuſcipienda ; ità medio ſacerdotio quilibet conſtituitur potens ad cetera omnia ſacramenta adminiſtranda, ex illo axiomate communiſſimo apud Theologos, poteſtas in corpus Chriſti myſticum ſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum : at ille ordo eſt tantum verè & propriè ſacramentũ nouæ legis, qui facit poteſtatẽ ad cetera ſacramenta ex officio adminiſtranda : ergo ſolum ſacerdotium eſt ſacramentum. 1.

Deinde, Ordo ideò characterem imprimit, vt ſit penès ordinatum poteſtas ſpiritualis adminiſtrandi res ſpirituales : at ordines inferiores ſacerdotio nullam tribuunt homini poteſtatem ſpiritualem adminiſtrandi res ſacras, & ordinis ſupernaturalis : Diaconatus enim ex Actis Apoſtolicis capit 6. inſtituitur, ad hoc vt Diaconi præſint menſis, ſeu, quod idem eſt, curam bonorum pauperum habeant : ità enim loquuntur Apoſtoli : *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, & cetera : ergo. Actor. 6.

Magiſter item Sententiarum diſtinct. 24. lib. 4. verbis expreſſis habet, minores Ordines, fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos. Indubitatum eſt etiam laicos officium Subdiaconi, & quatuor minorum Ordinũ exercere quotidie in Eccleſia : Imò diximus nos Dub. 2. huius tractationis, Subdiaconatũ antiquitus nõ fuiſſe ordinẽ ſacrũ : ergo.

Tertiò, Damaſus epiſt. 3. & Anacletus ep. 3. capit. 2. verbis expreſſis habent, duo tantum eſſe à Chriſto ſacerdotum inſtituta ſacramenta, Epiſcopatum, ſcilicet & ſacerdotium. 3.

Denique, ſacramentum Ordinis à ſolo Epiſcopo confertur : at minores ordines adminiſtrantur, & à Cardinalibus, & ab Abbatibus, imò & à presbyteris ſimplicibus, ex commiſſione ſaltem Pontificis Maximi. 4.

Aliorum placitum. Alij verò docent presbyteratum, & Diaconatum vindicare ſibi rationem ſacramenti, idque quòd duo iſti ordines legantur in ſacris ſcripturis adminiſtrati per Apoſtolos. Alij denique, tres maiores Ordines exiſtimant vẽdicare ſibi naturã ſacramenti, quatuor verò minores minimè. 4. ſententia explicatur ſequẽtibus Concluſionib.

Presbyteratus eſt ſacramentũ. CONCLVSIO 1. *Presbyteratus eſt verè, & propriè ſacramentũ nouæ legis.* Hæc conceditur ab omnibus in 4. diſtinct. 24. Deinde, de fide eſt ordinem, eſſe vnum ex nouæ legis ſacramentis, vt conſtat ex can. 1. ſeſſio. 7. Concil. Trid. & ex c. 3. & can. 4. ſeſſione 23. dicti Concil. imò can. 4.

Digitized by Google

dicitur, per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, ac proinde Episcopum non frustra dicere; *Accipe Spiritum sanctum*, inter ordinandum: at testimonia hæc sunt maximè intelligenda de sacerdotio; facit enim sacerdotium, vel potius ordinatio sacerdotij potestatem consecrandi corpus, & sanguinem Christi, & potestatem remittendi peccata medio sacramento pœnitentiæ: ergo cum incredibile sit tantam dari potestatem homini independenter ab aliquo sacramento, si Ordo aliquis censendus, sit sacramentum, certè id sibi vindicabit presbyteriū.

Tertiò, hoc probatur ex Patribus Dubit. 1. huius tractationis citatis.

Diaconatus est sacramentum.

CONCLVSIO 2. Diaconatus est verè sacramentum. Primò, quia cap. 6. Actuum constat administratum fuisse ab Apostolis cum manuum impositione: at nomine manus impositionis intelligunt Patres sacramentum Ordinis: ergo Diaconatus est sacramentum.

Deinde, Tridentinum session. proximè citata, can. 4. ait, Spiritum sanctum dari ab Episcopo quotiescumque inter ordinandum dicit: *Accipe Spiritum sanctum*: atqui inter consecrandum Diaconum Episcopus dicit; *Accipe Spiritum sanctum*; vt constat ex Pontificali.

Denique Diaconus per suam ordinationem assumitur ad munus aliquod cœleste, & diuinum exercendum, tenetur enim hic ex vi suæ ordinationis ministrare sacerdoti sacrificanti, & præterea ex commissione sacerdotis sacram synaxim Christianis administrare, & baptizare, absente sacerdote: ergo signum est sacramenti rationem sibi vindicare.

Subdiaconatus & 4. minores ordines sunt sacramenta.

CONCLVSIO VLTIMA. *Subdiaconatus, & item quatuor Ordines minores, consequuntur naturam, & essentiam sacramenti nouæ legis.* Probatur primò, quia in decreto Eugenij IV. quod extat post vltimam sessionem Concilij Florentin. assignatur materia, & forma cuiuslibet ordinis minoris, & item maioris.

2. Augusti.

Deinde, D. Augustinus de bono coniugali, cap. 24. ait in omnibus ordinatis permanere sacramenta Christi, etiamsi isti non deseruiant plebi congregandę, vel ab officio repellantur ob culpam aliquam commissam, & Hieronym. contra Vigilantium ait, Episcopum ordinantem Diaconos, & alios Clericos sacramenta Christi tribuere.

3.

Tertiò, in Concilio Carthaginensi IV. cui subscripsit Augustinus: Ordines tam maiores, quàm minores nulla facta distinctione nuncupantur. Imò eadem planè ratio loquendi reperitur in Pontificali Damasi Pontificis Maximi; at nomine ordinationis sacræ Patres & Concilia intelligunt sacramentum Ordinis.

Denique, vbi datur signum practicum, & efficax gratiæ à Christo institutum, illic datur etiam verum sacramentum: sed in quatuor minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu datur signum aliquod practicum, & efficax gratiæ à Christo institutum, vt colligitur ex Concilio Florentino allegato: nam dicitur illic quemlibet ex istis minoribus ordinibus, & item ex maioribus vindicare sibi certam materiam, & formam, & præterea huiusmodi materiam, & formam esse de essentia sacramenti cum ministro.

Cõfirmatio.

Confirmatur: Quilibet ex dictis Ordinibus imprimit characterem, & gratiam confert ordinato, propter hanc enim causam nequeunt iterari ordinationes istæ; at Concil. Tridentinum sessione 7. canone 9. de sacramentis in genere verbis expressis habet, tria esse sacramenta quæ characterem imprimunt nempe, *Baptismum, Confirmationem, & Ordinem*; ità D. Thom. in 4. distinct. 24. Trident.

Obiectio.

Obijcies, si septem isti ordines sunt sacramenta verè, & propriè, plura erunt quàm septem sacramenta: at illatio hæc damnatur in Tridentino, sessione 7. canon. 1. de sacramentis in genere. *Si quis dixerit plura, vel pauciora quàm septem esse noua legis sacramenta, anathema sit.*

Solutio.

Respondeo primò cum D. Thom. loco proximè citat. propterea esse tantùm septem sacramenta nouæ legis, licèt septem dentur ordines in quibus reperitur ratio sacramenti propriè dicti, quoniam omnes ordines isti referuntur in sacerdotium veluti in suum finem, vnde continentur in sacerdotio, vel virtute & eminenter, vel certa aliqua ratione: nam conuenit inter omnes, superius quodlibet continere sua inferiora aliqua ratione, quare vnum tantummodò dicitur esse sacramentum Ordinis, licèt dentur septem ordines realiter in se distincti.

Responsio Scoti & Essij.

Scotus verò, Hugo à Sancto Victore, Estius, & alij nonnulli ad distinctionem 24. lib. 4. sententiarum, respondent septem, propterea esse tantùm sacramẽta nouæ legis, licèt 7. dentur ordines, & sex alia sacramenta ab ordine diuersa, quia dantur septem species quæ proximè, & immediatè subiiciuntur sacramento, vt sacramentum rationem generis consequitur: cum istis tamen rectè cohæret, vt vna ex istis speciebus infimis, & proximè subiectis suo generi subdiuidatur in alias species, illo eodem modo quo virtus verbi gratia subdiuiditur in quatuor Cardinales iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudentiam: ita Ordo, qui est species proxima, & immediata sacramenti nouæ legis subdiuiditur in septem ordines, ac proinde iuxtà Concilium Tridentinum, canone 1. de sacramentis in genere, dicendum est esse vnum sacramentum Ordinis, septem verò ordines.

Satisfit rationibus oppositis.

Ad rationes verò authorum prioris sententiæ respondeo 1. negando maiorem: Confirmatio siquidem, & ordo sunt sacramenta, & tamen nullus est ex presbyteris simplicibus qui possit administrare ista sacramenta, veluti minister ordinarius. Ad propositionem verò illam: omnis potestas in corpus Christi mysticum, præsupponit potestatem in corpus Christi verum, dico esse veram respectu potestatis absoluendi à peccatis, & ità intelligi communiter à Theologis Scholasticis, minimè verò respectu potestatis cuiuslibet respicientis corpus mysticum Ecclesiæ; nam constituti in inferioribus ordinibus sacerdotio, possunt exercere sua munera, & officia, & quidem debitè, & vt oportet sine charactere sacerdotali.

Ad 2. Respondeo eum qui consequutus est ordinem aliquem sacrum vel non sacrum, habere potestatem exercendi actionem aliquam ordi-

Digitized by Google

nis supernaturalis: constituitur præterea in certo aliquo gradu & officio aliquo Ecclesiastico immutabili, idque propter characterem quem producit quilibet ex dictis ordinibus. Officium Diaconi antiquitus. Ad id verò quod dicitur Diaconos fuisse ab Apostolis præfectos mensis pauperum, seu, quod idem est, curæ & solicitudini nutriendi pauperes: Dico hoc esse verissimum, cererùm cura illa non fuit tantum commissa Diaconis; sed multo magis officium deseruiendi sacerdoti sacrificanti, idque ex vi ordinationis Diaconatus: imo tenetur Diaconus ex commissione sacerdotis tamen, administrare sacram synaxim Christianis, & item sacramentum baptismi conferre, nec non sacram scripturam interpretari, vt colligitur ex Ambros. lib. 1. de officiis cap. 41. D. August. serm. 37. de diuersis, & Leone in sermone de B. Laurentio: docent enim Diaconis commissam fuisse sanguinis Christi dispensationem, & Cyprian. serm. de lapsis, & Iustino cap. 21. Apologiæ, & ex Concil. Carthag. IV. can. 38. Ad id vero quod subiungitur ibidem, laïcos exercere interdum officia Diaconi, & constitutorum in minoribus ordinibus.

Respondeo hoc esse verum, sed propter paucitatem Clericorum, idque in illis tantùm locis in quibus non dantur Clerici ordinati in minoribus ordinibus, & in subdiaconatu, quod dico, quoniam prohibent Ritualia ne officia ista tractentur à laïcis, quando dantur Clerici qui ea obire possunt.

Non sibi cõstat Lombardus. Ad Magistrum vero Sententiarum. Respondeo non sibi constare, nam dist. 24. ait omnes ordines esse sacramenta, certum autem est Ecclesiam non posse instituere aliquod sacramentum: ac proinde putarem quando dixit Ecclesiam in tempore instituisse minores ordines, voluisse tantùm Ecclesiæ constitutione factum esse, vt vna, & eadem numero persona non administret omnes minores ordines, quemadmodum fiebat temporibus primitiuæ Ecclesiæ; sed quælibet persona distincta realiter ab alia priuatum officium cuiuslibet ordinis minoris exequitur; idque propter multiplicitatem Clericorum, & eorum diuersitatem.

3. Argumento satisfit. 1. Ad 3. Respond. nec Damasum, nec Anacletum affirmare tantum duos ordines fuisse à Christo institutos, sed solũ duos ordines sacerdotũ fuisse à Christo institutos, Episcopatũ, scilicet, & sacerdotiũ, quod nos vltro concedimus, nam sacerdotiũ & Episcopatus, intrinsecè & essentiater præsupponunt characterem sacerdotalem, ac proinde soli presbytero conuenire possunt: cum istis tamen recte stat, vt dentur alij, seu inferiores ordines qui conferantur variis, & diuersis personis.

Respond. 2. Cum Estio & aliis, duos prædictos Pontifices agere de solis ordinibus completis conuenientibus presbytero; isti autem duo sunt sacerdotium, & Episcopatus; primus ille ordo completus respicit confectionem corporis, & sanguinis Christi: posterior verò respicit corpus Christi mysticum, vnde Episcopatus, vt sic, habet hanc potestatem vt possit Ecclesiæ filios spirituales procreare, instituendo eos sacerdotes.

Vlt. Ad vltimum. Respond. ministrum ordinarium cuiuslibet ordinationis esse solum Episcopum, extraordinarium verò presbyterum, modo tamen accesserit dispensatio Pontificis Maximi circa presbyterum, vt dicetur inferiùs.

In 3. partem D. Thom.

Ad argumenta vero authorum 2. sententiæ Respond. probare tantùm diaconatum, & presbyteratum administrari cum manuum impositione, & id manifestè colligi ex sacris litteris, non autem duos istos ordines esse tantùm sacramenta.

DVBITATIO QVINTA.

Qua sit materia, & forma cuiuslibet ordinationis.

Remota materia & proxima cuiuslibet ordinis. ADVERTE, in hoc sacramento dari materiam remotam, & proximam, quemadmodum & in ceteris sacramentis; quocirca ambæ sunt breuiter explicandæ.

Materia proxima Episcopalis ordinis impositio manuum Episcoporum 3. Probationes 1. CONCLVSIO 1. *Materia proxima ordinationis Episcopalis est impositio manuum facta à tribus Episcopis super Episcopum ordinandum: remota verò sunt manus istorum trium Episcoporum: forma verba ista*; Accipe Spiritum sanctum, &c. *qua proferuntur à tribus illis Episcopis.* Probatur. Materia cuiuslibet sacramenti censetur esse ea ex qua consurgit sacramentum cum forma, & ministro, vt sæpius dictum est; at ex impositione manuum facta à tribus Episcopis, & verbis istis: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. consurgit essentia ordinationis Episcopalis: ergo materia huius ordinationis est ea quam assignauimus.

2. Deinde, idem est de materia proxima, & remota ordinationis Episcopalis dicendum, quod de materia proxima, & remota baptismi: at materia remota baptismi est aqua, proxima verò ablutio: ergo &c. Confirmatur. Patres, & Scripturæ, ordinationem Episcopalem nuncupant manuum impositionem, vt constat ex locis allatis Dubit. 3.

3. Denique, probatur verba ista, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. esse formam istius ordinationis, quia per huiusmodi verba separatur ordinatio hæc ab omnibus aliis: ergo ea est forma illius ordinationis.

Materia proxima sacerdotij. CONCLVSIO 2. *Materia proxima prioris ordinationis sacerdotalis est traditio calicis cum vino, patena cum pane superpositis: remota verò res ista: forma denique verba ista*; Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missásque celebrare tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Probatur prima pars ex decreto Eugenij IV. habetur enim illic verbis expressis. Deinde, ex ista traditione calicis cum vino, & pane posito super patena cum verbis proximè commemoratis, consurgit perfectissimè prima ordinatio sacerdotis. Probationes Cõclusionis.

Secunda vero pars ostenditur: Materia remota alicuius sacramenti est res illa quæ applicatur ei qui sacramentum consequitur: at calix cum vino, patena cum pane applicantur sacerdoti quando datur ei potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi: ergo illa sunt materia.

Tertia denique pars probatur: Per ista verba; *Accipe potestatem offerendi*, producitur gratia gratum faciens, imprimitúrque character ei qui efficitur sacerdos, vt deinceps possit consecrare corpus, & sanguinem Christi, debito modo, & debita ratione, separatúrque ordinatio ista ab aliis omnibus ordinationibus: ergo illa est vera forma.

Posterioris ordinationis sacerdotij materia proxima. CONCLVSIO 3. *Materia ordinationis posterioris sacerdotij, est impositio manuum facta ab Epis-*

Digitized by Google

cepo ſuper presbyterum ordinatum, forma verò verba A *hæc*; Accipe Spiritum ſanctum quorum remiſeris peccata remittentur eis, &c. Prima pars probatur, quia propter hanc cauſam ordinatio ſacerdotis nuncupatur apud Patres, & Concilia, manuum impoſitio. Deinde, eodem planè modo ſe habet hæc impoſitio manuum ad ſacerdotium, reſpectu poſterioris ordinationis eiuſdem, quo ad Epiſcopatum; at diximus in Epiſcopatu habere rationem materiæ proximæ: ergo & in presbyteratu.

Obiectio. Dices, Concilium Florent. loco cit. affirmare traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane ſuperpoſito habere rationem materiæ ſacerdotij, nulla facta mentione impoſitionis manuum B Epiſcopi.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe verum: ceterùm id facit Concilium, quia mens illius fuit tantummodo explicare materiam cuiuſlibet ordinationis ſenſilem, & quæ de facto recipitur in eo qui ordinatur; huius autem generis non eſt manuum impoſitio. Deinde, qui dicit traditionem calicis &c. eſſe materiam ſacerdotij, non negat impoſitionem manuum pertinere ad materiam ſacerdotij, vt eſt per ſe notum, præſertim cum argumentum ab authoritate negatiuè ſumptum ſit inefficax.

Vltima particula Concluſionis probatur: Per iſta verba; *Accipe*, &c. poſita impoſitione manuum Epiſcopi conſurgit perfectiſſime ſecunda C ordinatio ſacerdotij, completúrque omnino ſacerdotium, vt omnes fatentur: ergo verba dicta erunt forma.

Sacerdotiũ non eſt duplex ordo. Dices, ex his manifeſtè colligi duos eſſe ordines ſacerdotij. Reſpondeo, id nullo modo eſſe concedendum, quia ex duabus illis ordinationibus realiter inter ſe diſtinctis conſurgit vnus numero ordo ſacerdotalis; quemadmodum ex ordinatione ſacerdotali, & Epiſcopali conflatur vnus numero ordo, aut etiam quemadmodum ex quinque vnctionibus vnum ſacramentum extremæ Vnctionis.

Specialis gratia collatio ſacerdotibus vi duplicis ordinationis. Quò verò res hæc pleniùs intelligatur. Aduerte per quamlibet ex præfatis duabus ordina- D tionibus, dari ei qui conſecratur ſacerdos ſpecialem gratiam: nam de fide eſt quodlibet ſacramentum nouæ legis producere gratiam ex opere operato, & characterem imprimere, ſi fuerit ex tribus allatis, ex can. 9. Concil. Trident. ſeſſ. 7. quæcumque autem ex iſtis duabus ordinationibus eſt ſacramentum, quamuis imperfectum: ergo quælibet ordinatio conferet gratiam in illo qui ordinatur.

Ordinatio 2. ſacerdotis præſupponit primam neceſſario. Aduerte 2. poſteriorem ordinationem ſacerdotij intrinſecè, & eſſentialiter præſupponere priorem; non enim poteſt validè dari poteſtas remittendi peccata in homine, niſi prius habuerit hic poteſtatem conſecrandi corpus, & ſanguinem E Chriſti; ex illo axiomate toties adducto, poteſtas in corpus Chriſti myſticum, ſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum: prior tamen ordinatio ſacerdotij nullo modo pendet à poſteriori; nam Apoſtoli facti fuerunt ſacerdotes in cœna vltima Chriſti, per verba; *Hoc facite in meam* 1. Cor. 11. *commemorationem*. poſt Chriſti verò reſurrectionem conſequuti ſunt poteſtatem remittendi peccata: Imò noſtris temporibus prius datur poteſtas conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, poſteà verò poteſtas remittendi peccata; argumento igitur eſt priorem ordinationem nulla ratione præſupponere poſteriorem.

CONCLVSIO 4. *Materia proxima ordinationis Diaconi eſt manuum impoſitio ab Epiſcopo facta, cum traditione libri Euangeliorum, aut alicuius alterius rei ſignificantis officium Diaconi: forma vero, verba quibus vtitur Epiſcopus inter ordinandum Diaconum.* Prima pars probatur, quia propter hanc cauſam Concilia, Patres, & Doctores Diaconatum appellant manuum impoſitionem, imò ſunt qui illud idem colligant ex cap. 6. Actuum. *Materia proxima Diaconi.* *Probationes Concluſionis.*

Deinde, Dionyſius cap. 5. lib. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ tradit Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum, ordinari per manuum impoſitionem, idem docet Concil. Carthag. IV. cap. 4. & can. 5. dicitur, quod ſicut Subdiaconus traditione calicis vacui, & patenæ ordinatur; ità Diaconus manuum impoſitione: at ex Florent. indubitatum eſt traditionem calicis vacui & patenæ eſſe materiam proximam ſacramenti Subdiaconatus: ergo & manuum impoſitio reſpectu ſubdiaconatus. 1.

Secunda vero pars probatur ex decreto proxime cit. Eugenij IV. dicitur enim illic, materiam ordinis Diaconatus eſſe traditionem libri Euangeliorum: propterea autem dixi; *Vel alicuius alterius rei ſignificantis officium Diaconi*, quia liber Euangeliorum, ſecluſo præcepto Concilij Florentini, non eſt ſimpliciter neceſſarius ad validitatem ordinis Diaconatus; nam in Actis cap. 6. legimus, Apoſtolos conſecraſſe Diaconos cum manuum impoſitione, minimè vero cum libro Euangeliorum; etenim eo tempore nullum plane Euangelium fuerat ſcriptum ab Apoſtolis, cum ex veriori opinione D. Matth. ſeptimo anno poſt Chriſti reſurrectionem primus omnium ſcripſerit ſuum Euangelium, quod docet Belar. in lib. de Ordine, & nonnulli alij Recentiores. *Probatio 2. partis.*

Deinde, Durandus Anicienſis Epiſcopus fidem facit, in ea Eccleſia antiquitus adminiſtratum fuiſſe Diaconatum ſine traditione libri Euangeliorum: non abſque traditione alicuius alterius rei, quæ ſignificaret officium Diaconi; eſt enim traditio iſtius rei ſenſilis ſignificantis officium Diaconi, ſimpliciter neceſſaria ad validitatem Diaconatus, cùm impoſſibile ſit ſacramentum aliquod conſurgere ſine materia, forma, & miniſtro à Chriſto inſtitutis, vt ſæpe repetitum eſt: Chriſtus autem inſtituit pro materia Diaconatus traditionem rei alicuius ſenſilis, per quam ſignificetur officium Diaconi ex communi doctrina: reliquit autem Chriſtus Eccleſiæ definire, & determinare quæ res eſſet vſurpanda ad ſignificandum huiuſmodi officium Diaconi, & conſequenter tradenda ordinando. 2.

Dices, Concil. Florentinum affirmare materiam Diaconatus eſſe librum Euangeliorum. *Obiectio.*

Reſpond. Concilium explicare materiam, rebus conſtitutis vt iam ſunt, neceſſariam ad conſtitutionem ordinis Diaconatus, vel vt alij loquuntur, tradere materiam Diaconatus neceſſariam neceſſitate præcepti, non autem neceſſitate ſacramenti. *Solutio.*

Obiicies 2. in cap. *Presbyter*, de ſacramentis non iterandis, manifeſtè dici manuum impoſitionem ab Apoſtolis fuiſſe introductam in ordinatione Diaconorum. Reſpondeo hoc eſſe verum, ceterum verba iſta; *Ritu ab Apoſtolis introducto*, non ſunt Pontificis Maximi, ſed Epiſcopi Leodienſis, ac proinde nullam habent hæc authoritatem, errabat quippe Epiſcopus hic ità ſentiendo, cum de fide ſit materiam, & formam cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis eſſe à Chriſto inſtituta. *Obiectio 2.* *Solutio.*

Tertia

Digitized by Google

Probatio 3. partis.

Tertia pars denique Concluſionis probatur: Verba quibus vtitur Epiſcopus inter ordinandum Diaconum, ſeparant ordinationem Diaconi à ceteris omnibus aliis ordinationibus, & præterea ſignificant effectum iſtius ordinationis: ergo, habent rationem formæ: Illa porro verba ſunt hæc; *Accipe potestatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

Traditio calicis &c. materia proxima Subdiacon.

CONCLVSIO 5. *Traditio Calicis vacui, cum patena ſuperpoſita, eſt materia Subdiaconatus: forma verò, verba quibus vtitur Epiſcopus in conſecratione illius*; nempe: *videte cuius miniſterium vobis traditur, ideò vos admoneo, vt ità vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis.* Ità Pontificale Romanum, & fere Concilium Carthaginenſe IV. cap. 5. & Florentinum proximè citatum. Probarique poteſt eadem ratione, qua præcedens Concluſio.

Occurritur obiectioni.

Neque obſtat can. 21. Concilij Laodicæni vbi habetur, *Quod non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconico, & dominica vaſa contingere*: quia eſt intelligendus de vaſis habentibus in ſe corpus & ſanguinem Chriſti: hæc enim ne tangantur à Subdiaconis, & aliis clericis inferioribus prohibet: minimè verò cetera quæ deſeruiunt vſibus ſacris, vt conſtat ex Clem. Rom. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum. cap. 27. *Da ei*, inquit, *Spiritum ſanctum vt vaſa tua miniſtraturia dignè tractet.* Tradit etiam Epiſcopus Subdiaconis librum Epiſtolarum dicens: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Patris & Filij*, &c. Ceterùm priora illa verba, in traditione calicis prolata, habent rationem formæ; quo fit vt multi exiſtiment poſt tempora primitiuę Eccleſię incæpiſſe Subdiaconum legere Epiſtolam.

Traditur etiam Subdiacono liber Epiſtolarum.

Materia cuiuſlibet ordinis minoris.

CONCLVSIO VLTIMA, *Materia cuiuſlibet ordinis minoris eſt traditio illius rei per quam ſignificatur officium illius, qui ordinatur, forma verò verba quæ profert Epiſcopus inter ordinandum.* Explicatur hæc Concluſio. Materia Oſtiariorum eſt traditio clauis in Eccleſia, forma vero verba hæc: *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ his clauibus recludantur.* Exorciſtarum materia eſt traditio libri exorciſmorum, vel loco illius traditio Pontificalis, aut Miſſalis: forma autem verba iſta; *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.* Lectorum materia eſt traditio codicis de quo lecturi ſunt: forma; *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri ſi fideliter & vtiliter impleueritis officium veſtrum, partem cum iis qui verbum Dei bene adminiſtrarunt ab initio.* Denique, Acolytorum materia eſt traditio candelabri, cum candela extincta: forma vero; *Accipite ceroferariũ cum certo, vt ſciatis vos ad accẽdenda Eccleſia luminaria mancipari, in nomine Domini.* Traditur etiam eiſdem vrceolus vacuus, dicente Epiſcopo: *Accipite vrceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.* Prior tamen actus eſt præcipuus in quo conſiſtit materia & forma huius ordinis. Ità quantum ad omnia dicta Concil. Carthaginenſe IV. cap. 6. 7. 8. & 9. Pontificale Romanum, & Florentinum Concilium.

ROGABIS 1. *An materia ordinationis cuiuſlibet ſit neceſſariò attingenda ab eo qui ordinatur, ad hoc vt validè ordinem conſequatur.* RESP. 1. *Enm qui ordinatur debere, verè, realiter & phyſicè materiam ordinationis tangere, contactu vt loquuntur phyſico.* Primò, quia ità præcipit Pontificale. Deinde, quia ità habet vſus. Tertiò, in re graui non licet à communi praxi Eccleſię recedere. Quartò, propter hanc cauſam putant plerique Scholaſtici Theologi eum peccare mortaliter, qui contactu phyſico non attingit materiam ordinationis, cuius ordinem conſequitur, vel vult conſequi.

Probabile eſt eum qui non tangit materia non ordinari.

RESPONDEO 2. *Probabile eſſe eum qui contactu phyſico non tangit materiam ordinationis alicuius, non conſequi ſacramentum, ſeu ordinem qui datur per huiuſmodi ordinationem.* Primò, quia hoc idem videtur dicendum de applicatione materiæ cuiuſlibet ordinationis, quod dicitur de Baptiſmo, Confirmatione, & extrema Vnctione: at certum eſt nullum ex iſtis tribus ſacramentis de facto recipi ab aliquo qui phyſicè non attigerit materiam illorum, vt videtur colligi ex illo D. Auguſtini; *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* & manifeſtiùs ex verbis Chriſti. Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto.* Marci, & Matthæi vltimo; *Baptizantes omnes gentes in nomine Patris*, &c. ergo idem tenendum erit de contactu prædictarum rerum in conſequendo aliquem ordinem. Deinde, ſi materia ordinationis non fuerit ab ordinato contacta verè, & realiter, non erit ſufficienter applicata, neque ſuberit cauſa ſufficiens propter quam dicatur ordinatus. Tertiò, Ritualia omnia præcipiunt, vt tangatur materia ordinationis. Ità Doctores in 4. diſt. 24.

D. Auguſt. Ioann. 3. Marci vlt. Matth. vlt.

Probabilius eſt contactũ phyſicum nõ eſſe neceſſarium.

Reſpondeo 3. eſſe magis probabile contactum phyſicum non eſſe ſimpliciter neceſſarium, vt aliquis valide ordinetur, ſed ſufficere virtualem, & mediatum, ſaltem ſi ſermo ſit de omni materia ordinationis cuiuſlibet. Primò, quia ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, materia conſecrationis ſacerdotis cenſetur eſſe traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane ſuperpoſito; at nullus eſt hactenus ex ordinatis ſacerdotibus, qui tetigerit vinum quod eſt intrà calicem contactu phyſico, & reali, ſed tantùm virtuali, & mediato, putà hoc nomine, quod tangit calicem continentem vinum; panis item qui eſt ſupra patenam, tangitur ab illis qui ordinantur. Deinde nullus eſt qui teneatur quaſlibet partes materiæ ordinationis vere tangere, ſed ſatis eſt ſi aliquas attingat: igitur contactus phyſicus mediatus ſufficiet.

Contactus materia nõ neceſſario debet eſſe in eodem inſtanti temporis cum forma.

Aduerte, non eſſe neceſſe contactum materiæ ordinationis eſſe in illo eodem inſtanti temporis in quo forma exprimitur ab Epiſcopo ordinante, ſed ſatis eſt quod hæc duo ſint ſimul moraliter loquendo, ad validitatem ſacramenti: idem quippe dicendum eſt de iſtis quod de materia, & forma ceterorum ſacramentorum: at indubitatum eſt ſacramentum quodlibet conſurgere modo materia, & forma illius vnà cum miniſtro ſint ſimul, ſimultate vt loquuntur morali, non eſt autem neceſſe quod ſint ſimul in eodem inſtanti temporis: ergo ſimilis ſimultas erit ſatis vt quis conſequi valeat hoc ſacramentum Ordinis.

Reſoluitur quæſtio.

ROGABIS 2. *Quæ ætas ſit neceſſaria ad iſtos ordines conſequendos.* Reſpondeo tonſuram quæ eſt diſpoſitio ad ordines tres maiores, & quatuor minores, non poſſe ſuſcipi ab aliquo abſque peccato ante ſeptimum annum completum: Acolytus verò poſtulat annum duodecimum, in eo qui vult ordinari, in cap. *Si in ſingulis.* diſt. 77. Sub-

Digitized by Google

diaconatus vero antiquitus poſtulabat tantùm annum decimum octauum inchoatum, Diaconatus verò vigeſimum, Presbyteratus vigeſimum quintum: Noſtris vero temporibus nullus eſt qui poſſit Subdiaconatum conſequi ante vigeſimum ſecundum annum, Diaconatum ante vigeſimum tertium, Presbyteratum ante vigeſimum quintum, ex cap. 12. ſeſſ. 23. Trident. *Si quis ante huiuſmodi ætatem aliquem ex tribus ordinibus fuerit conſequutus, præter peccatum mortale quod committit ſuſpenditur ab ordinibus ſuſceptis, & ſi miniſtrauerit in ordine ſuſcepto ſit irregularis*, vt probat Iacobus de Graſſijs lib. 4. cap. 34. numero 12.

Trident.

DVBITATIO SEXTA.

Qui ſint effectus ſacramenti Ordinis, ſeu cuiuſlibet ordinationis.

Qualibet ordinatio eſt cauſatiua gratiæ habitualis.

CONVENIT de hac re inter omnes quamlibet ordinationem conferre gratiam gratum facientem: cum ſit de fide omne ſacramentum nouæ legis conferre gratiam, cap. 6. 7. & 8. ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere. Diximus autem quamcumque ordinationem maiorem, & minorem eſſe ſacramentum nouę legis: concedunt etiam omnes gratiam productam à qualibet ordinatione deſtinatam eſſe à Chriſto, ad hoc vt ordinatus debita cum veneratione ſuum exerceat officium.

Dubitatur autem, *An quæuis ordinatio characterem imprimat*; nam de ratione characteris eſt vt ſit indelebilis: at conſtitutus in aliquo ordine nedum ſuſpenditur, ſed etiam degradatur à tali ordine ex culpa aliqua graui; degradari autem idem eſt atque ab ordine deijci.

Deinde, Gloſſa cap. *Accedens*, diſt. 50. aſſerit presbyterum degradatum non conficere corpus, & ſanguinem Chriſti; quòd per degradationem amiſerit poteſtatem conſecrandi; & Magiſter diſt. 24. ait Epiſcopum degradatum carere poteſtate ordinandi, licèt non amiſerit hic poteſtatem baptizandi, Gregor. item lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 13. & homilia 26. in Euangelia docet ob delicta Clericos nedum eſſe priuandos, ſed priuatos eſſe de facto ſuis ordinibus: lege de hac re canones multos apud Gratianum.

Ordo imprimit characterem.

CONCLVSIO 1. *Quæuis ordinatio characterem indelebilem imprimit*: hæc eſt de fide, ſaltem ſi ſumatur ordinatio in communi prout eſt ſacramentum nouæ legis, ità enim dicitur can. 9. ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere, in Concil. Trident. *Si quis dixerit in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima indelebilem, anathema ſit*, & ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, aut per eam non imprimi characterem, anathema ſit*, & in decreto Eugenij cit. ſimile quid dicitur.

Trident.

Probatio.

D. Auguſt.

Deinde, ità tradunt ſancti Patres, D. Auguſt. lib. 2. contra Parmenianum cap. 17. & lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 1. & lib. de bono coniugali, cap. 24. & author ſermonis de ablutione pedum qui tribuitur Cypriano, & Greg. lib. 2. epiſt. 32. & Tertullian. lib. de præſcriptionibus cap. 41. ſic enim loquitur contra hæreticos ſuæ ætatis; *Ordinationes eorum temerariæ, leues, & inconſtantes: Itaque alius hodie Epiſcopus, alius cras, hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui cras laïcus. Nam & Laïcis ſacerdotalia munera iniungunt*: quibus verbis indicat in Eccleſia Catholica, ordinationes eſſe perpetuas, cuius rei nulla poteſt aſſignari ratio, niſi quia quilibet ordo characterem imprimit. Quod autem quælibet ordinatio in particulari ſumpta characterem conferat, indubitatum eſt ex eo quod ſit verus ordo, eſt autem de fide ordinem imprimere characterem. Deinde, quælibet ex iſtis ordinationibus habet materiam, & formam à Chriſto inſtitutam, vt conferat gratiam gratum facientem, vtque tribuat poteſtatem exercendi munus aliquod Eccleſiaſticum; poteſtas autem nihil aliud eſt quàm character: ergo omnis ordo imprimit characterem.

Cyprian. Greg. Mag. Tertul.

Satisfit obiectioni in principio.

Nec obſtant allata paulo ante Concluſionem hanc, nam ex illis tantùm colligi poteſt clericos ob varia crimina & incorrigibilitatē ſuſpendi ab exercitio ordinum, excommunicari & degradari, ſeu priuari Clericorum priuilegiis: vnde & degradatio ſolet ità definiri: *Vt ſit pœna Eccleſiaſtica, qua vir Eccleſiaſticus priuatur omni executione ordinis, & beneficij adminiſtratione, & omni priuilegio clericali, abſque ſpe reſtitutionis, & cum quadam ſolemnitate.* Cum hoc autem ſtat, manere in degradato, ſuſpenſo, aut excommunicato Epiſcopo, ſiue Presbytero, Diacono, & Subdiacono, & aliis ordinatis, characterem ſeu poteſtatem validè exercendi munus proprium, quamuis non licitè, vt ad quæſt. 64. ſupra docuimus.

Degradatio quid.

Quilibet character diſtinguitur ab alio.

CONCLVSIO 2. *Quilibet ex iſtis characteribus diſtinguitur realiter ab alio.* Primò, quia quilibet poteſt valide conferri, & verè exiſtere ſinè alio. Deinde, habet cauſas varias & diuerſas deſtinatúrque in finem diſtinctum ſpecie à fine ceterorum characterum omnium: ergo diſtinguetur ab aliis diſtinctione reali.

Character Epiſcopalis addit ſupra ſacerdotium entitatem veram.

CONCLVSIO 3. *Character Epiſcopalis addit ſupra characterem ſacerdotij entitatem aliquam veram, & realem, diſtinctam tamen à charactere ſacerdotij, ſola diſtinctione reali minori.* Prima pars probatur: character Epiſcopalis nihil aliud eſt quàm poteſtas ordinandi, & confirmandi; at poteſtas iſta eſt verè, & realiter in eo qui conſecratus eſt Epiſcopus, alioquin ſola denominatione extrinſeca haberet Epiſcopus poteſtatem iſtam, quod non videtur conſonum rectæ rationi, cum ordinationes aliæ inferiores conferant verè, & realiter poteſtatem aliquam ſpiritualem: ergo.

Probatio 2. partis.

Secundò, ordinatio poſterior ſacerdotis verè addit aliquid ſupra effectum prioris ordinationis, nam à parte rei confert poteſtatem remittendi peccata ei qui habet tantum poteſtatem conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti: ergo illud idem erit dicendum de ordinatione Epiſcopali, quæ præſupponit intrinſecè characterem ſacerdotalem, vt docuimus in antecedentibus.

Corollariū.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: character Epiſcopalis nec valide conferri poteſt ſine ſacerdotali, neque item exiſtere: ergo non diſtinguitur realiter à charactere ſacerdotali; ea quippe inter ſe diſtinguúntur realiter, quę ab inuicem ſeparata exiſtere poſſunt.

Ex iſtis colliges, falſam eſſe opinionem Vazquezij. & aliorum quorumdam, qui putant characterem Epiſcopalem eſſe entitatem ſolam characteris ſacerdotalis, cum relatione ſolius deſtinationis ad aliquid agendum, quod non poterat præſtare entitas iſta realis ante ordinationem Epiſcopalem: nam ſi ità res haberet, ordinatio Epiſcopalis non produceret aliquid in nobi vere, & realiter, vnde non eſſet vere etiam & propriè ordo;

Digitized by Google

ordo; eſt enim de ratione ordinis quod producat characterem, qui reuocatur à nobis ad tertiam ſpeciem qualitatis: quare debet eſſe neceſſario res aliqua phyſica & realis; ceterùm ſpiritualis, & ſupernaturalis.

DVBITATIO SEPTIMA.

Quis ſit miniſter cuiuſlibet ordinationis.

Miniſter ordinarius ordinationis eſt ſolus Epiſcopus. Trident.

CONCLVSIO 1. *Miniſter ordinarius cuiuſlibet ordinationis eſt ſolus Epiſcopus*: hæc habetur expreſsè in decreto Eugenij loco cit. & in Trident. ſeſſ. 23. can. 7. citat. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, aut non habere* B *poteſtatem confirmandi, & ordinandi, aut eam quam habent cum presbyteris illis eſſe communem, anathema ſit.*

Sacerdos poteſt eſſe extraordinarius miniſter ſacerdotij & aliorum ordinum.

CONCLVSIO 2. *Miniſter extraordinarius ſacerdotij & inferiorum ordinationum, ex delegatione Pontificis Maximi, poteſt eſſe ſacerdos.* Primo, quia ſunt qui fateantur Innocentium VIII. fecille poteſtatem Abbati Ciſtercienſi conferendi Diaconatum, & ceteros inferiores ordines ſuis Religioſis; meminit huius priuilegij Victoria in ſua Summula de ſacramentis, tract. de Ordine, Nauarr. lib. 5. Conſiliorum, Conſilio 15.

Probationes

1. 2. Deinde, iure communi ante Concilium Trident. quilibet Abbas benedictus poterat conferre minores ordines quibuſuis clericis: at idem poſt Concilium licet Abbatibus reſpectu tantùm ſuorum ſubditorum, vt conſtat ex cap. 10. de reformat. ſeſſ. 23. dicti Concilij. C

3. Tertiò, Eugenius IV. in ſuo decreto citato, ait miniſtrum ordinarium ſacramenti Ordinis, & Confirmationis eſſe ſolum Epiſcopum: ergo cum id non dicat de ceteris ſacramentis, manifeſte conſtat extare miniſtrum quemdam extraordinarium horum duorum ſacramentorum.

4. Quartò, vetant ſacri canones, ne Corepiſcopi inconſulto Epiſcopo presbyteratũ, & Diaconatũ adminiſtrent: ex Damaſo autẽ Papa conſtat Corepiſcopos non extitiſſe vere Epiſcopos, ſed delegatam fuiſſe illis aliquam partem ſolicitudinis Epiſcopalis. D

Vt. Denique, facit Pontifex poteſtatem confirmandi ſacerdoti ſimplici: quid ergo impediat quominus conferre poſſit poteſtatem eidem, ordinandi aliquem in presbyterum?

Obiectio. Obiicies, ex iſtis colligi Epiſcopum poſſe ordinari à ſolo ſimplice ſacerdote, ex Pontificis Maximi diſpenſatione. Reſpondeo, negando illationem antecedentis; nam propterea ſacerdos ex commiſſione Pontificis Maximi poteſt conſecrare ſacerdotem, & ceteros inferiores Clericos, quoniam habet characterem ſacerdotalem, & item omnium inferiorum ordinum ſacerdotio: E *Solutio.* ſimplex autem ſacerdos caret Epiſcopali charactere, ſiue eo quod addit Epiſcopatus ad characterem ſacerdotij: nemo autem dare poteſt quod non habet. Deinde, minor benedicitur à maiore, non autem maior à minore ex doctrina Pauli. Epiſcopus autem eſt maior ſimplici Sacerdote.

Tres Epiſcopi miniſtri ordinarij alterius Epiſcopi.

CONCLVSIO 3. *Epiſcopus iure communi à tribus aliis ordinari debet, ac proinde tres iſti Epiſcopi ſunt miniſtri ordinarij Epiſcopatus*: ità docet Anacletus epiſt. 2. Anicetus epiſt. vnica, & Damaſus epiſt. 4. & Concil. Rhegienſe verbis expreſſis habet ordinationẽ Epiſcopi factam à paucioribus, quàm à tribus Epiſcopis eſſe nullam, & inualidam. Denique, ità præcipit Pontificale Romanũ.

Obiectio. Dices, in can. quodam Apoſtolorum, dici Epiſcopum eſſe conſecrandum à duobus, vel à tribus Epiſcopis. *Solutio.* Reſpond. canonem hunc intelligendum eſſe cum Metropolitano, vt rectè obſeruat Vazquez diſp. 243. cap. 6. Reſpond. 2. ex canone hoc ſolum poſſe colligi ex diſpenſatione Pontificis Maximi fieri poſſe vt Epiſcopus conſecretur interdum à duobus, aut etiam ab vno tantùm Epiſcopo; ſunt enim qui referant Gregorium I. feciſſe poteſtatem Auguſtino Anglorum primo Epiſcopo conſecrandi Epiſcopos in ea regione, opera tantùm vnius Epiſcopi, donec poſſent commode tres Epiſcopi recuperari, vt eorũ opera conſecraretur alius Epiſcopus.

Notabile. Aduerte, autem conſecrationem iſtam ex æquo fieri à tribus Epiſcopis, illo eodem modo quo ſpecies aliqua panis à tribus ſacerdotibus conſecraretur, ſi ſimul & ſemel verba conſecrationis panis proferrent.

DVBITATIO VLTIMA.

Qui ſint capaces ordinationis.

Notabile. ADVERTE, incapaces ordinationis eſſe in duplici differentia. Alij namque ſunt qui characterem ordinis nulla ratione conſequi poſſunt. Alij vero characterem poſſunt conſequi, tamen illo ſinè peccato vti non poſſunt: de iſtis ergo quęritur hoc loco, an ſint incapaces ordinis.

Baptiſmus neceſſarius ad ordines. CONCLVSIO 1. *Non baptizati minime poſſunt ordinari, vel in maioribus, vel in minoribus ordinibus*: hæc eſt communis in 4. diſt. 24. Alij 25. Deinde, character ordinis præſupponit characterem baptiſmi, cùm hic ſit ianua ceterorum ſacramentorum; at ſupponimus homines iſtos non eſſe baptizatos: ergo nequeunt ordinari.

Mulieres incapaces ordinum. CONCLVSIO 2. *Sexus femineus eſt ſimpliciter incapax ſuſceptionis cuiuſlibet ordinis*: ità dicitur in cap. *Noua quadam*, extra, de penitentis, & remiſſionibus.

2. Deinde, ſi femina eſſet capax ordinationis alicuius, poſſet hæc diuinum verbum explicare in pleno conuentu Eccleſię, ſaltem ſi poſſet hęc conſecrari in Presbyteram, vel Diaconam: at certũ eſt feminas non poſſe vlla ratione explicare Euangelium præſentibus ceteris Chriſtianis ex Paulo 1. Timoth. 2. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione*, & cap. 14. 1. Corinth. *Mulieres in Eccleſijs taceant: non enim permittitur illis in Eccleſijs loqui ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, turpe enim eſt mulieri in Eccleſia loqui.* 1. Tim. 2. 1. Cor. 14.

3. Tertiò, ità docent Patres: Epiphanius hæreſi 49. damnat enim illic Peputianos hoc nomine quod admitterent feminas ad eorum ſacra celebranda, vocantur enim apud illos prophetiſſæ. Chryſoſt. lib. 2. cap. 2. de ſacerdotio. *Quum*, inquit, *de præfectura Eccleſiæ agitur, vniuerſa quidem muliebris natura functionis iſtius molis, ac magnitudinis cedat oportet*: & caput *Mulieres* diſt. 32. apud Gratianum idem planè habet. Chryſoſt.

4. Quartò, ordo nihil aliud eſt quàm ſacramentum eorum qui præfecturam eccleſiaſticam in certis quibuſdam gradibus regunt, & adminiſtrant; at præfectura iſta non poteſt committi feminis; docet enim Paulus epiſt. 1. ad Corinth. *Feminas ſubditas eſſe viris ſuis*, & item Deus, Geneſ. 3.

Digitized by Google

5. Quintò, in veteri Teſtamento nulla fuit aſſumpta femina ad ſacerdotium, neque item hactenùs in Eccleſia Catholica: ergo non poſſunt ordinari feminę.

Obiectio. Dices, Ioannem VIII. referente Platina lib. de vitis Pontificum Romanorum, extitiſſe feminam.

Solutio. Reſpondeo, narrationem hanc totam de Ioanne VIII. computari inter fabulas, vt pluribus probat Onufrius Panuinius in ſuis annotationibus ad Ioannem VIII.

Obiectio 2. Obiicies, fuiſſe temporibus primitiuę Eccleſię Epiſcopas, Presbyteras, & Diaconiſſas, vt refert Gratianus in cap. *Mulieres.* 27. quæſt. 7. & Nicephorus lib. 12. cap. 28.

Solutio. Cur Epiſcopa, presbytera, & Diaconiſſa dicta mulieres. Reſp. feminas dictis nominibus fuiſſe nuncupatas quod exercerent officia aliqua circa ceteras mulieres, illo eodem fere modo quo noſtris temporibus Abbatiſſæ præficiuntur ceteris monialibus: quemadmodum autem in Abbatiſſis nullus datur ordo Eccleſiaſticus; ità nullus quoque fuit in dictis feminis, licet earum poteſtas, ſeu officium vocetur interdum ordo: ceterum loquutio hæc ſumenda eſt impropriè. Neque ignoro pleroſque aliter reſpondere, aiunt enim propterea feminas aliquas nuncupatas eſſe dictis nominibus, quòd eorum mariti aſſumpti eſſent ad dignitatem Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus; ita vt nomen dignitatis viri, diceretur de vxore: ità Vazquez cap. 3. diſp. 245.

Obiectio. Obiicies in republica ciuili mulieres conſequi ſummas præfecturas. *Solutio.* Reſpond. factum hoc improbari ab Ariſtotele lib. 1. Politicorum. Deinde, licèt id admittamus, non tamen propterea fas eſt admittere, præfecturam Eccleſiaſticam feminis competere poſſe: eſt enim à ratione alienum feminam abſoluere à peccatis, ex pulpito diuinum verbum explicare, & de rebus fidei reſpondere.

Multi inhabiles omnino ad ordines ſuſcipiendos. Conclvsio 3. *Pueri, amentes, furioſi, ſerui, hæretici, apoſtata cum filijs, & nepotibus, infames, curiales, qui curiæ officio tenentur, homicida etiam inuoluntarij, illegitimè nati, deformes inſigniter manci, epileptici, & bigami, ſunt incapaces ordinationis cuiuſlibet:* ità communiter omnes diſt. 25. lib. 4. & Gratianus diſt. 77. qui de hac re eſt legendus. Cum diximus iſtos omnes eſſe incapaces ordinationis, hoc intelligendum eſt non de charactere ordinis, ſed tantùm de vſu eiuſdem legitimo, ſeu quod idem eſt, ſinè peccato.

Baptizati alij capace ordinum. Conclvsio vltima, *Omnes baptizati exceptis tamen illis omnibus, & aliis nonnullis, quos retulimus Concluſione proximè antecedente, & in debita ætate conſtituti, & eruditione ſufficienti cumulati, ſunt capaces ordinis cuiuſlibet:* ità communiter omnes locis proximè citatis.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATIO DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PROOEMIVM.

MATRIMONIVM à præpotente illo rerum omnium opifice Deo, intrà cancellos paradiſi terreſtris ad generis humani propagationem, & fœdę libidinis arcendæ, aut potius leuandæ ſolatium, inſtitutum, ſacramentis Chriſtianæ Religionis, numero pauciſſimis, efficacia & vi operandi potentiſſimis, adnumeratur. Et licèt inter hæc dignitate & gratia poſtremum B locum obtineat; ab Apoſtolo tamen magnum ſacramentũ in Chriſto & in Eccleſia nuncupatur: ſacrilegiúmque graue admittunt illi qui ſinè debita præparatione ad huius & confectionem & ſuſceptionem accedere non verentur. Hinc Synodus ſancta Tridentina hortatur coniuges quoſcumque, vt antequàm contrahant triduò ante Matrimonij conſummationẽ ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, maxima cum veneratione, & facinorum deteſtatione accedant. De hoc ergo ſacramento, quod thorum ſanctum & immaculatum nuncupat Apoſtolus, acturi ſumus, & quidem breuiter, quia premunt C temporis anguſtiæ. Quare tota hæc tractatio de Matrimonio quadripartita erit. In parte quidem prima agetur de Sponſalibus. In ſecunda, de Matrimonio ipſo ſecundum ſe. In tertia, de quibuſdam conſequentibus naturam, & eſſentiam Matrimonij. In quarta denique, & vltima, de impedimentis eiuſdem Matrimonij.

Partitio tractatus.

Sed antequam ad rem accedamus. Aduertendum eſt Matrimonium à nomine matris, quemadmodum Patrimonium à nomine patris eſſe deriuatum, & quidem D

Matrimonium dictum à Matre.

A meritò, nam procreatio prolis propter quã Matrimoniũ eſt inſtitutum, in matre euidentiùs agnoſcitur quàm in patre; ídque & propter generationem, & propter partum, & denique nutritionem prolis. Portio verò hereditaria quæ Patrimonium nominatur, magis tribuitur patri, quàm matri, tum propter induſtriam viri, qui plerumque rem familiarem non ſolùm conſeruat, ſed etiam augere ſolet: tum etiam quia in gubernatione domus, ac diſpenſatione bonorum potiores partes natura viro tribuit. Nuptias autem à nubendo, id eſt, velando dictas eſſe, quòd ſponſæ apud veteres, dum viris tradebantur, nubere, id eſt, velare capita ſolerent: Et coniugium à iugo quod pariter ducunt vir & femina compoſitũ eſſe apud Grammaticos traditur.

Patrimoniũ à Patre.

PARS PRIMA.

De Sponſalibus.

DE Sponſalibus ſequentes Dubitationes communiter mouentur. Prima, Quid ſint Sponſalia? Secunda. An ſponſalia obligent ad celebrationẽ Matrimonij, ídque ad reatum peccati mortalis. Tertia. An ſponſalia per ſubſequentem copulam tranſeant in vim Matrimonij. Quarta, An Matrimonia clandeſtina ab impuberibus contracta habeant vim ſponſaliorũ. Quinta. Qui poſsint contrahere ſponſalia. Vltima, Qua ratione ſoluantur ſponſalia ſiue iurata, ſiue tantùm acceptata.

Sponſalia ſunt futurarum nuptiarũ promiſſio.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſint Sponſalia.

CONCLVSIO EST. *Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio mutua*: ita Nicolaus I.

Digitized by Google

Gratianus. ad consulta Bulgarorum, referente Gratiano 30. q. 5. cap. *Nostrates*, propterea autem dixi, *promissio mutua*, quoniam quemadmodum matrimonium nusquam consurgere potest, nisi positis consensibus mutuis vtriusq; partis contrahentis, ità sponsalia nullo modo contrahi possunt, nisi fuerint ista acceptata & stipulata ab vtraque parte. Adieci, *futurarum nuptiarum*, quia obiectum circa quod versantur intrinsecè & essentialiter sponsalia, sunt nuptiæ futuræ: ità vt quemadmodum visio sinè obiecto visibili consurgere nequit; sic neque sponsalia sine futuris nuptiis,: ità communiter omnes in 4. dist. 26. A

Explicatur definitio sponsaliorũ.

Corollariũ. Ex istis colliges promissionem vnius tantùm de ducenda aliqua in vxorẽ, non consequi rationem sponsaliorum, neque item significationẽ solius consensus de matrimonio celebrando inter duos: Nam sponsalia, vt sic, mutuos consensus postulant de futuris nuptiis, & quidem acceptatos & stipulatos ex æquo ab vtraque parte. B

Obiectio. Obijcies, omnem promissionẽ, maximè iustam & honestam, habere vim obligandi: ergo si altera tantùm pars sponsionem faciat alteri de futuro Matrimonio, promissio ista inducet obligationem, etsi non fuerit reciproca: ergo sponsalia simpliciter loquendo non postulabunt promissionem mutuam.

Solutio. Respond. concesso antecedente, negando consequutionem; nam quælibet promissio nequit dici sponsalia, vt constat ex eo qui apud se firmiter statuit se ducturum Bertam, aut Ioannam; posita namq; huius promissione, potest Berta aut Ioanna acceptare, & recusare; posita autem renitentia Bertæ, nulla suboritur obligatio conarahendi Matrimonium: Ad hoc ergo vt promissio aliqua dicatur sponsalia, debet hæc esse acceptata & stipulata ab vtroque contrahente; imò debet esse reciproca, alioquin vim obligandi non habebit. Ità communiter omnes. Nituntur autem hac vnica ratione, quia promissio de ducenda Berta facta ab vno, si non fuerit ab alio acceptata, sed contempta, nullam inducit obligationem. C D

Obiectio 2. Obiicies 2. Sponsalia de præsenti habent veram rationem sponsaliorum: at hæc sponsalia de præsenti non habent rationem promissionis, nam dicunt corporum veram & realem traditionem.

Solutio. Respondeo negando maiorem, nam particula hæc, *De præsenti*, tollit rationem sponsaliorum, & constituit veram rationem matrimonij.

Obiectio 3. Obiicies 3. Si vir diceret feminæ, ducam te in vxorem, & femina diceret viro, accipiam te in maritum, idque eo tantùm consilio vt quilibet ex illis suam mentem alteri aperiret, darentur in hoc casu sponsalia sinè promissione. E

Solutio. Respondeo, prædicta verba non habere rationem sponsaliorum, si sumantur tantùm pro solo proposito, quo quis intendit vxorem ducere, & virum acceptare: secus tamen dicendum est si verba illa significent obligationem, qua quis se liberè astringit ad contrahendum matrimonium in tempore futuro.

Notabile 1. Aduerte autem primò, quod si vnus promiserit, & ratam habuerit promissionẽ sibi factam ab alio; hic autem promiserit, non tamen ratam habuerit promissionem alterius, hîc non dari sponsalia propriè dicta; nam promissio debet esse acceptata, & stipulata; tenentur tamen isti ad matrimonium conficiendum, non quidem propter sponsalia sed propter nudam promissionẽ quam admiserunt.

Notabile 2. Aduerte 2. sponsalia secum trahere impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, simile impedimento affinitatis: ità vt hoc ipso, quod aliquis contraxit cum aliqua sponsalia, nequeat valide contrahere cum sorore illius, ex hypothesi, cum qua fuit aliquando desponsatus, vt docet Concilium Trident. sess. 24. cap. 3. Trident.

Notabile 3. Aduerte 3. Sponsalia nec esse simpliciter necessaria ad matrimonium, nec ad essentiam istius pertinere; præmittuntur tamen hæc matrimonio iustissimis de causis. Primò, vt cõstet de libertate, cum qua matrimonia sunt celebranda. Deinde, ne temere, inconsulto, & præcipitanter matrimonia celebrentur inter homines. Tertiò, vt gradibus quibusdam perueniant mortales ad statum anxium & onerosum; consummato quippe matrimonio, nusquam dissoluitur status hic, nisi per mortem alterius coniugis: si verò fuerit matrimonium tantummodò ratum, dissoluitur per ingressum religionis, vt probabitur inferius. Quartò, quia conditiones aliquæ sunt ante nuptias adimplendæ. Denique, vt innotescat cessare impedimenta dirimentia, aut etiam impedientia Matrimonij celebrationem.

Notabile vltimum.

Aduerte denique, quod quemadmodum matrimonium nusquam consurgit, nec resultare potest, nisi consensus mutuus contrahentium verbis & aliis signis externis & sensibilibus fuerit expressus: ità sponsalia nuspiam consurgunt inter duos, nisi istorum mutua promissio fuerit verbis aut aliis signis externis manifestata; rationem reddunt Theologi, quia aliter de veritate sponsaliorum nobis constare nequit.

Deinde, cùm hæc tantam inducant obligationem, vt à fide data recedere sine causa iusta non liceat, debet promissio ista esse quàm maximè patens & manifesta, ad hoc vt rationem sponsaliorum consequatur. Quoniam autem signa per quæ contrahi possunt sponsalia, non sunt vna & eadem res, sed varia & diuersa, ideò per istas res diuersas, possunt contrahentes suas promissiones publicare, & notas facere, nempe per verba ex hominum instituto significantia, per scripturam, annulum, per nutus, imò & per silentiũ. Ceterũ de istis consulendi sunt Sũmistę.

DVBITATIO SECVNDA.

An Sponsalia de futuro inducant obligationem ad contrahendum Matrimonium.

Ratio dubitandi. RATIO dubitandi est, quia Lucius III. in cap. *Requisiuit*, de sponsalibus interrogatus, an mulier desponsata quæ non vult contrahere, sit cogenda ad consummandum Matrimonium. Respondit potius esse admonendam, quàm cogendam, & in cap. *Præterea*, eodem titulo definitur, quod sponsus, qui non vult contrahere, non est ad id cogendus, nisi sponsalia fuerint iuramento confirmata.

Secundo, Matrimonia debent esse quàm maximè libera, quoniam alioquin infaustos & infelices solent exitus habere.

Sponsalia obligant ad Matrimon. CONCLVSIO 1. *Sponsalia, etsi non sint iuramento confirmata, obligant ad Matrimonium conficiendum, exceptis tamen casibus in iure expressis.* Proba-

Prima probatio. tur, quia ius commune decernit eos qui sponsalia ce-

Digitized by Google

lia celebrarunt debere contrahere, ita cap. *Atho*, cap. *De coniugali*, 27. q. 2. & cap. *Praterea*, de sponsalibus, & cap. *De illis*, de desponsatione impuberum, in istis enim omnibus definitur quod sponsi tenentur contrahere.

2. Deinde, cap. *Praterea*, de sponsalibus, & cap. *Sicut*, & cap. *Ex litteris Syluani* præcipitur, vt iudex Ecclesiasticus cogat & adigat eos qui sponsalia celebrarunt ad Matrimonij consummationē.

3. Fauet & istis cap. *Commissum*, de sponsalibus: dicitur enim illic, quod si quis iurauerit se Matrimoniū contracturum, & velit ad statum vitæ monasticæ conuolare, satius esse propter religionem iurisiurandi, priùs Matrimonium contrahere, & posteà ad statum vitæ monasticæ accedere.

4. Quartò, licèt simplex promissio non obliget ex æquitate iustitiæ, ex veriori sententia; indubitatum tamen est promissionem mutuam stipulatam & acceptatam ab vtraque parte obligare ex æquitate iustitię, vt docet D. Th. 2.2. q. 88. art. 1. & Thomistæ ibidem: atqui sponsalia sunt acceptata & stipulata ab vtraque parte: ergo obligant desponsatos ad mortale, contrahere Matrimoniū.

Confirmatio huius probat. Confirmatur: promissio simplex, etsi non sit mutua, obligat aliquando ad mortale, nempe, quando ex defectu promissionis adimpletæ, consurgit graue, ac notabile damnum ei, cui promissio hæc facta est, vt docent communiter Theologi, ad quæst. citatā D. Th. ergo sponsalia obligabunt in conscientia, ad reatum peccati; nam ex ista violatione fidei datæ, sequitur graue nocumentum in femina, contingere enim potest vt nequeat contrahere cum alio, ità communiter omnes in 4. dist. 27. Alij verò ad quæst. 43. additionis ad 3. part. D. Thomæ.

Iudex Ecclesiasticus tenetur cōpellere sponsos. CONCLVSIO 2. *Per se loquendo & regulariter iudex Ecclesiasticus tenetur compellere sponsos, vt promissum adimpleant Matrimonium, & si non faciunt peccant contra iustitiam.* Probatur primùm, quia iudex Ecclesiasticus tenetur iudicare secundum legē Ecclesiasticam: at diximus legem Ecclesiasticā

Probationes 1. obligare eos qui sponsalia celebrarunt ad Matrimonij consummationē: ergo tenetur eos cogere.

2. Deinde, iudex Ecclesiasticus tenetur promouere salutem subditorum: atqui salus eorum qui contraxerunt sponsalia pendet ex adimpletione promissionis stipulatæ & acceptatæ: ergo iudex Ecclesiasticus inter ius dicendum respicere debet ad bonum spirituale illorum.

3. Tandem, Matrimonia censentur libera & voluntaria, hoc ipso quod sponsalia fuerint contracta libere: ergo debet iudex cogere istos ad Matrimonij celebrationem.

Obiectio. Dices, si cogantur desponsati ad Matrimonij celebrationem, Matrimonium hoc non erit liberū.

Solutio. Resp. negando illationē antecedentis; hoc enim ipso quod contrahentes isti celebrauerunt sponsalia libere, & voluntarie, voluerunt etiam libere contrahere matrimonium, si non formaliter & expresse, saltem virtute & eminenter, Diximus enim sponsalia nihil aliud esse quàm futurarum nuptiarum promissionem mutuam.

Potest aliquando prohibere iudex Ecclesiasticus ne sponsi consumment matrimon. CONCLVSIO 3. *Licet regulariter loquendo iudex Ecclesiasticus teneatur compellere eos qui sponsalia celebrarunt ad Matrimonij consummationem; interdum tamen poterit hic intercueniente causa iusta prohibere, ne isti compleant, & consumment Matrimoniū, quamuis sponsalia fuerint acceptata, & iurata ab vtraque parte.* Primùm, quia ità loquitur Alex. III. in cap. *Ex litteris Syluani* de sponsalibus: *Iudex Ecclesiasticus debet compellere sponsum ad contrahendum, nisi necessitas vrgens extiterit.*

Deinde, Matrimonium promoueri debet à iudice Ecclesiastico quotiescumque ex eo bonum prolis, fidei, & sacramenti speratur: atqui casus aliqui occurrunt, aut occurrere possunt, in quibus neutrum ex istis bonis speratur, sed contra innumera propemodum incommoda, & mala: ergo sponsalia simpliciter etiam in omni plane casu non sunt seruanda, etsi fuerint iurata, & stipulata ab vtraque parte, si enim post celebrationē sponsaliorum constet alteram partē aut esse leprosam, aut homicidium vel crimen aliud capitale commisisse, non est cogendus innocens ad consummationem Matrimonij ex communi doctrina.

Monco tamen, cogendū esse eum qui non vult *Notabile.* stare promissioni factę de Matrimonio celebrando, per iudicem Ecclesiasticum aut in foro fori, aut in foro penitentię, ad resarciendum damnum illatum alteri parti læsæ; putà quia facit ne femina possit deprehendere virum cui nubat, nam in cap. vltimo de iniuriis, & damno dato. cap. *Si ma culpa*, dicitur expresse vt damnum illatum parti resarciatur.

Obiectio. Obiicies, sponsalia iuramento confirmata transire in naturam Matrimonij, præsertim si hæc fuerint celebrata præsente Parocho, & testibus, maximè in illis locis in quibus Conc. Trid. est publicatum: ergo debent compelli vt matrimonium consumment. *Solutio.* Resp. negando antecedens: Nam iusiurandum, quod adhibetur sponsalibus non immutat naturam & essentiam sponsaliorum, sed tantum ea confirmat & roborat: & consequenter ex eo capite quod ista spōsalia sint iuramento cōfirmata, solū colligitur hęc esse firmiora sponsalibus nō iuratis, sed tantū acceptat. sub vtraq; parte.

Probatio solutionis. Deinde, responsio hæc manifestè probatur ex Alex. III. extra de sponsalibus cap. *De illis*, vult enim Pontifex, quòd sponsalia iurata dissoluantur, per nuptias ab altero coniuge celebratas cum alia, diuersa à priore: idem docet Gregorius IX. in cap. *Si iudex*.

Quare autem non sit cogendus is qui sponsalia iurauerat post nuptias celebratas cum alia, hæc redditur ab omnibus ratio, quia res iurata facta est ei illicita & impossibilis, ac proinde præcipiunt canones isti, periurium hoc esse tantum penitentia expiandum.

Obiectio. Obiicies, Magistrum in 4. dist. 28. & Gratian. 30. q. 5. cap. *Si quis*, referre Imperatorem Christianum legem tulisse, quod si quis iurauerit mulieri se eam habiturum vxorem, esse illi legitimam vxorem hoc ipso, quamuis ei nulla dos, nulla scriptura fuerit interposita.

Solutio. Resp. negando antecedens; ex eo enim quod sponsalia iuramento confirmentur, solum licet colligere sponsalia iuramento confirmata firmiora esse sponsalibus, minimè iuratis, qualia sunt ea quæ sunt tantùm acceptata ab vtraque parte. 1.

Ad cap. Gratian. resp. 2. Ad cap. *Si quis*, respondet Glossa particulam istam, *habiturum*, sumi eo in loco, non in tempore futuro, sed in præsenti, ac proinde facere hunc sensum, *Habeo te in vxorem*: certum autem est verbum præsentis temporis inducere rationem matrimonij, non vero sponsaliorum.

Alia solutio 3. Alij tamen respondent cap. *Si quis*, esse legem ab Imperatore aliquo constitutam, quæ posteà fuit abrogata authoritate Ecclesiæ, idque quod solius Ecclesię sit decernere de validitate aut invaliditate sacramenti Matrimonii.

Digitized by Google

4. Addunt isti legem hanc fuisse latam ab Imperatore Catholico, contra Ethnicos & prophanos homines aliquos, apud quos tantum poterat malitia, vt Matrimonia rata verè & formaliter irritarentur ob defectum dotis constitutæ, & ob præteritionem ceremoniarum quarumdam nullius planè momenti & considerationis. Contra ergo istos præscripsit Imperator, vt Matrimonia iuramento confirmata, aut etiam sponsalia iuramento similiter roborata effectum consequerentur: ità respondent Soto dist.27.lib.4. Estius, dist. 24. & Hugo à sancto Victore tract.7. cap.7.

Instantia. Respond. Instabis, omnem promissionem iuratam debere sortiri suum effectum. Respondeo hoc esse verum, nisi res iurata fuerit facta impossibilis ei, qui iuramento se ad eam obstringit: in data autem hypothesi ei qui post sponsalia transit ad nuptias cum alia, sponsalia prima celebrata facta sunt impossibilia, ac proinde desinunt obligare.

Dissoluuntur argumenta contraria. Ad rationes vero dubitandi, respondeo. Ad

1. primam ex illis duobus capitibus solum posse colligi eos qui sponsalia celebrarunt interueniente causa legitima, non esse cogendos ad Matrimonij celebrationem, secus tamen dicendum est de illis in quibus nulla datur iusta causa.

2. Ad secundam, Matrimonia esse verè libera, licet cogantur desponsati ad Matrimonij celebrationem; hoc enim ipso quod isti libere celebrarunt sponsalia, censentur etiam liberè voluisse contrahere Matrimonium, si non formaliter & expresse, virtute tamen & quasi æquiualenter; diximus enim sacros Canones præcipere, vt cogantur illi qui sponsalia celebrarunt sententia iudicis Ecclesiastici, nulla interueniente causa legitima, ad Matrimonij celebrationem.

DVBITATIO TERTIA.

An Sponsalia per subsequentem copulam transeant in vim Matrimony.

1. MIssis aliorum de hac re variis opinionibus sit

CONCLVSIO 1. *Sponsalia per subsequentem copulam transeunt in naturam Matrimony præscripti, in illis locis in quibus Concilium Tridentinum non est publicatum.* Primò, quia ità dicitur in cap. *Is qui*, de sponsalibus.

2. Deinde, sponsalia post Concilium Tridentinum eamdem plane habent vim quam habuerunt ante Concilium, vt explicauit Congregatio Cardinalium deputata à Summo Pontifice ad tollenda dubia nata ex litera Concilij Tridentini. Ità ergo habet declaratio Cardinalium; *Sponsalia verò per verba de futuro relinquit* (supple Concilium Tridentinum) *in terminis iuris communis*; atqui certum est sponsalia ante Concilium hoc transire in naturam Matrimonij præscripti, interueniente copula, ex communi doctrina.

3. Tertiò, ius commune hactenus præscripsit desponsatos istos ad copulam accedere non tam affectu libidinis, quàm affectu maritali: ergo. Ita docent Nauarrus in Manuali, cap.22. numer. 26. Henricus lib. 11. suæ Summæ moralis, cap. 15. numer.3. Sanchius lib. 1. de Matrimonio, disp.49. numer.1. & plerique alij veteres, itémque Recentiores.

Sponsalia non efficiũt Matrimonium vbi Tridem. est publicatum. Notabile.

CONCLVSIO 2. *Sponsalia non transeant in naturam Matrimonij, etiamsi fuerint hac iuramento confirmata, in illis locis in quibus Concilium Tridentinum est publicatum, per subsequentem copulam.*

Aduerte, quando loquimur in istis duabus Conclusionibus de publicatione Tridentini, nos intelligere respectu eorum quæ declarauit prædictum Concilium, de sacramento Matrimonij, sess. 24. cap. 1. & sequentibus.

Probat. Conclusion.

Probatur Conclusio. Tria sunt de essentia Matrimonij; consensus mutuus vtriusque partis contrahentis, expressus per verba de præsenti, vel per aliquid quod æquiualeat verbis præsentis temporis. Præsentia Parochi, aut deputati à Parocho. Denique, duo ad minus testes: at supponimus non interuenisse tria hæc, quando sponsalia fuerunt celebrata ab illis qui posteà accedunt ad copulam carnalem: ergo sponsalia ista nequeunt rationem matrimonij consequi, licet posteà subsequuta fuerit copula.

1.

Deinde, consensus legitimi, non autem concubitus matrimonium faciunt, vt habet regula iuris.

2.

Tertiò, consensus vtriusque partis contrahentis, non quilibet Matrimonium facit, sed is qui fuit expressus per verba de præsenti, præsente Parocho, & testibus: at consensus sponsaliorum, non fuit expressus per verba de præsenti, sed tantùm per verba de futuro, hoc enim postulat natura & essentia sponsaliorum contractus: ergo.

3.

Quartò, ità docet Congregatio Cardinalium: *Sponsalia*, inquit, *de futuro per carnalem copulam subsequutam, non transeunt in matrimonium.* Debet tamen Episcopus agnoscere, an posset per censuras Ecclesiasticas cogere renuentem ad obseruanda sponsalia iuxta tradita in cap. 2. *Ex literis Syluani*, de sponsalibus.

4.

Obiectio. Dices, declarationem istam Cardinalium destruere Conclusionem primam.

Solutio. Respond. negando antecedens, loquitur enim hæc tantùm de sponsalibus celebratis in illis locis in quibus Concilium Trident. est publicatum, & vsu consuetudineque receptum.

DVBITATIO QVARTA.

An Matrimonia clandestina ab impuberibus contracta habeant vim sponsaliorum.

CONCLVSIO 1. *In illis locis in quibus lex Concilij Tridentini, de irritandis Matrimonijs clandestinis non est publicata, Matrimonia ab impuberibus contracta habent vim sponsaliorum:* hæc est expresse definita in cap. vltimo de desponsatione impuberum, & in cap. vnico eod. titul. §. 2. in 6.

Matrimonia impuberum habent vim sponsaliorũ vbi &c.

1. Deinde, ius hactenus præsumpsit Matrimonia inter impuberes celebrata inducere obligationem sponsaliorum.

2.

3. Tertiò, qui contractum aliquem celebrat lege Ecclesiastica, vel ciuili definitum, vult illud omne ad quod obligat ille contractus, ex intentione, & dispositione iuris ciuilis, & Ecclesiastici: at ius Canonicum decernit Matrimonia ab impuberibus contracta inducere obligationem sponsaliorum, ex communi sententia Doctorum: ergo.

Obiectio. Obiicies, quæ sunt de essentia rei alicuius, suppleri nullo modo possunt: consensum autem de futuris nuptis mutuum, esse de essentia sponsaliorum constat ex Dub.1. huius partis: igitur.

Respondent

Solutio. Respondent aliqui matrimonia celebrata ab impuberibus, non transire in naturam sponsaliorum, nisi respectu eorum quibus nota est præsumptio iuris, supra explicata. Ità Ægidius Coninck, & alij nonnulli recentiores, itémque veteres Scholastici.

Infirmatur. 1. Cetcrùm opinio hæc nulla ratione videtur defendenda. Primò, quia est contra communem Doctorum sententiam.

2. Deinde, falsum est suppleri consensum, necessarium ad constitutiones sponsaliorum; nam consensus hic virtute, & quasi æquivalenter ex præsumptione iuris, continetur in eo consensu, quo voluerunt isti impuberes matrimonium contrahere.

3. Tertiò, iuris ignorantia ex multorum opinione non patrocinatur istis, sed tantum ignorantia facti.

4. Quartò, qui contractum aliquem celebrat, censetur eum admittere ad mentem Ecclesiæ, aut etiam Reipublicæ in qua contractus hic viget: at diximus contractum celebratum ab impuberibus præsumptum esse quasi habentem vim sponsaliorum.

Solutio legitima. Dico igitur, non suppleri consensus necessarios ad sponsalia in data hypothesi, sed interuenire, non quidem formaliter & expressè, sed ex præsumptione iuris; ac proinde matrimonium hoc, licet clandestine celebratum, inducere obligationem sponsaliorum.

Matrimonia impuberum consequuntur vim sponsaliorũ vbi, &c. 1. Conclvsio 2. *Matrimonia ab impuberibus clandestinè contracta, etiam in illis locis in quibus Concilium Tridentinum est publicatum, consequuntur vim sponsaliorum.* Primum, quia consensus necessarij ad sponsalia continentur virtute, & æquivalenter in illis consensibus, quibus impuberes ex hypothesi matrimonium contraxerunt, ex præsumptione iuris.

2. Deinde, Concilium Tridentinum, non irritat simpliciter & absolutè consensus istorum impuberum, sed tantum sub ea ratione, qua poterant isti esse satis ad validitatem matrimonij, non autem sub ea ratione, qua poterant habere vim sponsaliorum ex præsumptione iuris.

Confirmatio 1. Confirmatur. Eodem modo irritantur consensus isti à Concil. Trident. quo personæ istorũ redduntur inhabiles ad contrahendũ: at personę istæ redduntur inhabiles tantùm ad contrahendum matrimonium, vt constat ex cap. 1. sess. 24. dicti Concilij: ergo non ad sponsalia, &c.

Trident. 2. Accedit in huius rei confirmationem, declaratio Congregationis Cardinalium relata ab Henrico loco proximè citando, in qua Conclusio nostra habetur verbis conceptis.

3. Tertiò, si contractus hic celebratus ab impuberibus non induceret rationem sponsaliorũ, id vel esset quia contrahentes isti sunt inepti & inhabiles ad sponsalia celebranda aut quia desideratur in isto contractu forma à iure præscripta, aut denique, quia ei aduersatur ius commune: at neutrum ex istis dici potest; nam constituti in ætate septem annorum, sunt capaces contrahendi sponsalia, vt probabitur inferius, ius item commune nullam præscripsit formam celebrandi sponsalia, sed patitur hæc fieri vel publicè vel priuatim inter ipsosmet contrahentes: ergo.

4. Denique, ius commune præsumit impuberes istos ad minus contrahere cum intentione celebrandi sponsalia: ità docent Sanchius lib. 1. de matrimonio disp. 20. numer. 2. Nauarr. in Manual. cap. 22. numer. 57. in fine, Petrus Ledesma ad quæst. 43. additionis D. Thom. & Henricus lib. 11. suæ Summæ moral. cap. 4.

In 3. partem D. Thom.

DVBITATIO QVINTA.

Qui possint contrahere Sponsalia.

Solũmodo habentes rationem possunt celebrare sponsalia. 1. Conclvsio 1. *Qui sunt compotes rationis: possunt celebrare sponsalia validè, minimè verò qui carent vsu rationis.* Primò, quia sponsalia computantur inter contractus humanos, contractus autẽ omnis humanus præsupponit rationis vsum, itémque libertatem, omnium consensu.

2. Deinde, quemadmodum matrimonia debent esse quàm maximè libera, illud idem est dicendum de sponsalibus.

3. Tertiò, non licet à fide data inter sponsalia celebranda recedere, sublata causa iusta, quin sequatur ex eo peccatum mortale, vt docuimus Dub. 2. huius partis: at peccatum mortale nullus potest committere nisi vigeat in eo vsus rationis, & libertatis. Ità communiter omnes disp. 27. lib. 4.

Habentes impedimentum circa matrimoniũ nequeunt celebrare sponsalia. 1. Conclvsio 2. *Qui constringuntur impedimento perpetuo impediente vel dirimente matrimonium, nequeunt sponsalia celebrare validè:* quia sponsalia absolutè & simpliciter debent celebrari, nulla interueniente conditione respiciente substantiam sponsaliorum.

2. Deinde, fieri nequit vt quis contrahat validè de re minimè posita in sua potestate: at qui detinentur impedimento aliquo perpetuo impediente, vel dirimente contractum matrimonij, nullam habent potestatem in propria corpora, respectu traditionis, & acceptationis necessariæ ad substantiam matrimonij; hoc enim ipso quod datur in istis impedimentum perpetuum sunt omnino incapaces matrimonij: ità authores supra citati.

Obiectio. Obiicies, habentes impedimentum perpetuum, quod per dispensationem tolli potest, possunt sibi promittere matrimonium contrahendum obtenta dispensatione: ergo possunt contrahere sponsalia.

Solutio. Respondeo, nègando consequutionem, quia tantùm possunt sibi promittere matrimonium cum conditione, nempe si fuerit obtenta dispensatio; atque ità promissio non erit absoluta, qualis tamen est ea quæ desideratur ad sponsalia, vnde ante dispensationem nulla fieri possunt sponsalia.

Ætas 7. annorũ necessaria ad sponsalia. Conclvsio 3. *Ætas septem annorum est simpliciter necessaria ad contrahenda sponsalia validè:* hæc definita est in cap. *Litteras*, & in cap. *Accessit*, de desponsatione impuberum, & in Sexto dicto titulo, cap. vnico.

Mouetur quæstio. Dubitatur tamen à Doctoribus, *An sponsalia futura sint valida, etiamsi annus septimus non fuerit completus.*

D. Thom. solutio. D. Thomas in 4. dist. 17. & alij multi putant sponsalia futura valida, etiamsi annus septimus non fuerit expletus, idque quod existiment malitiam posse supplere ætatem, quemadmodum contingit in matrimonio: addunt tamen simpliciter desiderari ad validitatem sponsaliorum quod contrahentes sint intrà annum septimum.

Opinio tuetur. Contraria tamen opinio videtur tutior, vn-

Digitized by Google

1. de in praxi retinenda. Primo, quia capita proxime citata postulant vt annus septimus sit absolute expletus.

2. Deinde, iure ciuili matrimonia ante duodecimum annum completum in feminis, & ante decimum quartum expletum in masculis celebrata, censentur esse omnino nulla & inualida, ex veriori sententia Doctorum, idque quod ius ciuile postulet ætatem proxime explicatam ad validitatem matrimonij: at ius Canonicum postulat septennium, & quidem completum ad celebranda sponsalia locis proxime citatis.

3. Tertiò, professio emissa ante decimum sextum annum expletum censetur esse nulla, ex cap. 25. sess. 25. Trident. iure item ciuili femina quæ intrà annum luctus à morte mariti transit ad secundas nuptias, priuatur augmento dotis, & omni alio legato sibi facto, à marito ex testamento, idque quod annus hic desideretur à iure antequam possit femina ista conuolare ad secundas nuptias: ergo sponsalia ante septimum annum expletum celebrata non erunt etiam valida. Diximus enim ius canonicum exigere septennium completum ad celebrationem sponsaliorum.

Ad id verò quod dicitur, malitiam posse supplere ætatem. Respondeo hoc esse verissimum de matrimonio; at non videtur concedendum de sponsalibus: tum quia difficile est assignare annum aliquem ante septimum in quo sit homo capax perfectissimè vsus rationis & iudicij.

Denique, quia non licet alicui de rebus definitis & determinatis à iure aliter sentire, quàm ius ipsum præscribat. Diximus autem ius Canonicum postulare septennium completum ad validitatem sponsaliorum: ità docent Archidiaconus, Angelus, & alij nonnulli Casuistæ veteres, itémque moderni.

Ex dictis colliges, sponsalia celebrata à parentibus nomine filiorum ante septennij ætatem nullam inducere obligationem, ac proinde non peccare, si, adepta debita ætate, recesserint isti filij à contractu celebrato à parentibus. Ita authores proximè citati: & patet quia sponsalia, nec sunt sacramenta, nec illis irrogatur iniuria, nec denique ex huiusmodi sponsalibus sequitur aliquod damnum alicui tertio.

Corollariũ.

DVBITATIO VLTIMA.

Qua ratione soluantur sponsalia siue iurata, siue tantùm acceptata.

Varijs modis dissoluuntur sponsalia.

RESPONDEO PRIMO, *Irritari sponsalia quotiescumque altera pars transit ad statum vitæ monasticæ, & in eo profitetur vota religionis essentialia:* ità communiter: si enim matrimonium ratum de facto dirimitur per professionem, à fortiori sponsalia quoque soluentur per eamdem professionem.

1. Deinde, quotiescumque vnus ex ijs qui celebrauerunt sponsalia de facto consummat matrimonium cum alio, vel cum alia; licèt enim sponsalia iuramento confirmata inducant obligationem consummandi matrimonium; quia tamen per matrimonij consummationem res iurata facta est impossibilis, ideò liberatur hic à iuramento, genetúrque tantùm periurium penitentia redimere, & parti læsæ satisfacere.

Tertiò, quando qui contraxerunt sponsalia in minori ætate quàm postulat æquitas iuris Ecclesiastici: In hoc ergo casu liberum est istis adepta ætate legitima] dissentire, atque ità per huiusmodi dissensum secluſa omni alia causa, sponsalia censentur esse nulla, & inualida. 3.

Quartò, quando altera pars recusat matrimonium contrahere, liberum est alteri celebrare cum alia, sponsalia; tum quia sponsalia debent esse quàm maximè libera, tum quia non videtur hic cogendus ad seruanda sponsalia, cùm per illum non stet, sed potiùs per partem cum qua contraxit quominus sequantur nuptiæ. Ità colligitur ex cap. *Præterea*, de sponsalibus. 4.

Quintò, soluuntur sponsalia, etiam iurata, per subsequentem alterius fornicationem, quia hæc fornicatio fidei datæ omnino repugnat. Moneo tamen solui ex parte innocentis, huic enim est liberum recedere à fide data, si velit, vt constat ex cap. *Quemadmodum*, extra, de iureiurando. Qui autem fornicationem admisit non liberatur ab obligatione sponsaliorũ, quoniam, nulli culpa propria patrocinari debet. 5.

Sextò, soluuntur per cognationem vel affinitatem superuenientem vel per impedimentum affinitati simile, putà si vnus alterius filium de fonte tenet, si sponsus fornicetur cum sorore sponsæ, aut eius rei fama publica laboret (quo in casu neutram ducere poterit) vel aliud simile iuris impedimentum, aut scandalum interueniat, de qua re videndum est cap. *Si quis*, 27. q. 2. & cap. *Cùm in tua*, extra, de sponsalibus. 6.

Septimò, soluuntur sponsalia propter superuenientem grauem & diuturnum morbum, qualis est lepra, paralysis; aut etiam propter notabilem deformitatem, aut mutilationem, propter ergo alterum ex istis soluuntur sponsalia. Ità docet Vrbanus in cap. *Litteras*, extra, de coniugio leprosorum, & Innocentius III. cap. *Quemadmodum*. extra, de iureiurando: & ratio est, quia iniquum omnino esset cogere partem sanam ad standum fidei datæ in sponsalibus. 7.

Octauò, per longinquam peregrinationem, seu absentiam alterius, alter, seu altera à sponsione liberatur; & licet ius ciuile velit expectandum esse per duos annos, antequàm ad secundas nuptias conuolare possit is qui permansit in suis ædibus; iure tamen pontificio nullum definitur tempus exspectandi eum, qui peregrinationem suscepit, sed potest quamprimum absentiam alterius habet notam, contrahere sponsalia cum alia, vel alio, vt patet ex cap. *De illis*, extra de sponsalibus. *De illis autem*, inquit, *qui præstito iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes: Hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in facto processum) ad alia se vota transferre: recepta tamen de periurio penitentia, si per eas steterit, quominus fuerit matrimonium consummatum.* 8.

Nonò, solui possunt si grauis inimicitia inter sponsos, vel eorum parentes interuenerit:

9. Itẽ si sæuitia, seu morum asperitas sponsi, priùs incognita, postea comperta fuerit, iusta enim est occasio in vtroque casu recedendi ab eo cum quo pactum fuerat firmatum. Ità communiter Doctores, & colligitur ex eo quòd matrimonium debeat esse coniunctum cum maximo amore & beneuolentia; supponimus autem extare odium & inimicitias inter contrahentes, vel parentes eorum.

Decimò soluuntur, ex eo quod non fuerint pactiones adimpletæ; siue id contigerit voluntariè, siue inuoluntariè, putà cum dos promissa
10. non præstatur. Ratio est, quia promissio pendebat à conditione.

Vndecimò, per famam canonici impedimenti inter sponsos, ratio est, vt scandalum vitetur,
11. vt docet Pontifex cap. *Cum in tua*, extra, de sponsalibus.

Duodecimò, per dissensum vtriusque partis contrahentis sponsalia; nam in potestate cuiuslibet est remittere & relaxare promissionem sibi
12. factam, quemadmodum & hæc libero consensu & mutuo fuit contracta. Deinde, quia licèt fuerint sponsalia iurata, iuramentum tamen fuit additum ad confirmandam promissionem. Ità interpretes ad cap. *Præterea*, de spontalibus.

Postremò, soluuntur sponsalia per quodlibet impedimentum superueniens quod impe-
Vltimus. diuisset sponsalia ne fierent, si fuisset ante sponsalia præuisum. Ità D. Thom. in 4. dist. 27.

Monèo, tamen iudicis Ecclesiastici authoritatem esse interdum necessariam ad solutionem
Notabile. sponsaliorum, in eo scilicet casu in quo sponsalia fuerunt publicè celebrata, & ratio solutionis huiusmodi sponsaliorũ non est publicè nota: ad hoc ergo, vt tollatur scandalum desideratur sententia iudicis Ecclesiastici, secus verò minimè.

PARS SECVNDA.

De Matrimonio secundùm se.

HÆc pars absoluetur sequentibus Dubitationibus: prima, Quid sit Matrimonium. 2. An sit sacramentum. 3. Quis sit author Matrimonij, & quando fuerit institutum. 4. Quem ob finem Deus instituerit Matrimonium. 6. Quæ forma eiusdem. 7. Quis minister. 8. An consensus legitimi vtriusque partis contrahentis sint simpliciter necessarij, & quales debeant esse isti consensus. 9. An consensus simpliciter necessarij debeant formaliter & expressè tendere in copulam. 10. An per omnipotentiam Dei fieri possit, vt Matrimonium consurgat inter duos sinè mutuis consensibus. 11. An Matrimonium possit esse validum inter absentes, contractum tamen per procuratorem.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Matrimonium?

ADuerte Matrimonium vsurpari duobus modis: Interdum enim sumitur pro nudo con- *Bifariam vsurpatur matrimonium.*
tractu ciuili inter virum & feminam, qua ratione matrimonium fuit institutum à Deo in paradiso terrestri, & perseuerauit in lege naturali & Mosaïca, vigétque adhuc inter Ethnicos, paganos & infideles. Interdum verò sumitur nedum pro contractu proximè explicato, sed etiam vt in huiusmodi contractu reperitur ratio sacramenti nouæ legis: Iuxta istas duas significationes disputamus hoc loco de essentia Matrimonij ac proinde. Primò quærimus, quid sit Matrimonium, vt consequitur naturam & essentiam contractus ciuilis.

Aduerte in matrimonio hac ratione sumpto reperiri, primò consensum internum vtriusque *Multa reperiuntur in matrimonio.*
partis contrahentis.

Deinde, signa externa quibus manifestantur consensus interni, seu, quod idem est, consensus externi vtriusque partis celebrantis matrimonium.

Tertiò, traditio & acceptatio corporum, quæ debet esse necessario mutua & acceptata ab vtraque parte.

Quartò, vinculi insolubilitas; indubitatum enim est contractum hunc ità celebratum (saltem si fuerit consummatus) non aliter solui quàm per mortem alterius partis, quæ contraxit, ex cap. 7. 1. Corinth.

Denique, copula carnalis: licèt autem hæc omnia reperiantur in matrimonio, non tamen propterea existimandum est pertinere ad essentiam ipsius; nam copula carnalis extra rationem illius censetur esse, omnium iudicio, ex illa regula iuris cõmunissima: Consensus non concubitus matrimonium facit, qua de re dicetur infra.

Dices, in cap. *Cum Societas*, & in cap. *Non est dubium*, 27. 4. 2. affirmari eam non esse ma- *Obiectio.*
trimonio copulatam, quæ non fuit coniuncta & copulata viro.

Respondeo, canones istos esse mendosos, neque candidè transcriptos fuisse à Gratiano; fue- *Solutio.*
runt enim collecti ex epistol. 92. Leonis, aliàs 90. in qua nihil planè simile legitur, vt obseruauit Glossa quæ adiecta est à Gregorio XIII. vel quod idem est, in ea correctione, quæ facta est authoritate dicti Pontificis Maximi.

Deinde, licèt daremus canones prædictos esse authenticos, non tamen propterea sequeretur copulam carnalem pertinere ad essentiam matrimonij. Nam possemus adhuc respondere illos canones, non affirmare simpliciter & absolutè copulam esse de ratione matrimonij, sed tantùm secundum quid, quatenus scilicet copula coniugalis confert matrimonio maiorem aliquã insolubilitatem; facit enim hæc vt matrimoniũ aliter quàm per mortem nequeat dissolui, cùm tamen ante copulam dirimi possit per ingressum religionis, vt dicetur inferiùs.

Vinculum item matrimonij itémque dominiũ quod habent coniugati in propria corpora, non pertinent ad essentiam matrimonij præcisè spectati; sunt enim hæc duo effectus matrimonij, illo eodem ferè modo, quo character ordinationis sacerdotalis censetur esse effectus istius ordi-

nationis: nam quemadmodum ordinatio hæc verè producit characterē in animā illius qui ordinatur sacerdos; ità posito matrimonio in ratione contractus, consurgit dominium mutuum in corpora, & vinculum insolubile idque necessariò, seu, quod idem est, ex vi istius contractus.

Definitur matrimoniū à Magistro sent.

His ità constitutis, Magister distinct. 27. l. 4. & communiter Sententiarij ibidem, definiunt matrimonium: *Coniunctionem legitimam viri & feminæ ad individuam vitæ consuetudinem retinendam à Deo institutam.* Propterea autem dicunt, *Coniunctionem legitimam*, quia non quælibet coniunctio viri & feminæ censetur esse matrimoniū, sed ea tantùm quæ fit inter istos, secluso omni impedimento vetito, vel lege naturali, vel diuina, vel denique humana. Additur, *viri & feminæ*, ad hoc vt damnetur polygamia; matrimonium quippe est vnius cum vna tantùm, non autem cum pluribus. Subsequitur, *ad individuam* &c. ad hoc vt designetur summa animorum concordia inter coniugatos, & voluntatum conformitas.

Denique, *à Deo institutam*, qua particula significatur causa efficiens matrimonij, seu, quod idem est, causa institutiua matrimonij, quæ est nedum natura, sed etiam author naturæ.

Ceterùm definitio hęc potius competit vinculo & dominio quæ consurgunt ex matrimonio; diximus enim dominium & vinculum quod consequitur contractum matrimonij esse effectum contractus matrimonialis.

Deinde, ità docent Sotus in 4. distinct. 27. quæst. 7. artic. 1. Victoria 1. parte relectionis de matrimonio. Rebellus lib. 2. de contractu matrimonij. Estius ad dist. 27. lib. 4.

Definitio vera matrimonij.

Rectiùs ergo definitur matrimonium ab alijs: *Contractus quo legitimæ personæ dominium mutuum in propria corpora sibi tradunt ad vsum matrimonij.* Ità recentiores multi in tractatione de matrimonio.

Deinde, hæc definitio continet ea omnia quæ pertinent ad essentiam matrimonij; est enim hoc essentialiter contractus legitimus inter virum & feminam, dantes & acceptantes dominium in propria corpora, ad vsum propter quem matrimonium est ab authore naturæ, & à natura ipsa introductum.

DVBITATIO SECVNDA.

An Matrimonium sit sacramentum.

Matrimonium antiquitus non fuit sacramentum.

DE hac re conuenit apud omnes, matrimonium quod fuit in lege naturali & Mosaïca, quódque extat hodierno die inter Ethnicos, rationem sacramenti nullo modo obtinere, neque obtinuisse, nam matrimonium censetur esse tantùm sacramentum nouæ legis, vt dicitur can. 1. Concil. Trident. session. 7. certum autem est in lege naturali, & Mosaïca, non extitisse sacramenta nouæ legis.

Deinde, omne sacramentum nouæ legis confert gratiam ex opere operato: at matrimonia apud Ethnicos non habuerunt vim producendi gratiam: ergo illa non obtinent rationem sacramenti.

Obiectio.

Dices, Paulum 5. cap. ad Ephes. affirmare de matrimonio Adæ & Euæ, quod fuerit *sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia*: Patres item plerique docent nuptias à Deo fuisse institutas, vt in istis esset sacramentum Christi & Ecclesię.

Solutio. 1. Ephes. 5.

Respondeo, locum Pauli intelligendum esse non de matrimonio Adæ & Euæ, sed de eo tantùm quod fit inter Christianos, nam subiungitur eo in loco, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; primi autem parentes non poterant relinquere patrem & matrem cùm caruerint istis.

2.

Deinde, dicitur de hoc sacramento, quod sit magnum in Christo & in Ecclesia: matrimonium autem Adæ & Euæ non fuit in Christo neque in Ecclesia eiusdem, cùm Christus eo tempore non esset: Patres verò loquuntur de sacramento impropriè dicto, non autem de eo quod naturam sacramenti verè consequitur.

Vinculum non efficit matrimonium.

Conuenit etiam communiter inter Theologos Scholasticos, matrimonium sumptum pro vinculo non consequi rationem sacramenti; & quidem meritò: Concilium quippe Florentinum in decreto Eugenij, ait de omni sacramento nouæ legis asserendum esse, quod suo vsu & sumptione sanctificet. Est autem indubitatum vinculum matrimonij suo vsu non sanctificare.

2.

Deinde, effectus sacramenti nequit esse sacramentum ipsum; distinguuntur enim realiter causa & effectus, at vinculum, est matrimonij effectus, ex dictis Dub. 1.

3.

Tertiò, omne sacramentum nouæ legis distinctum ab Eucharistia caret re aliqua permanente respectu suæ naturæ & essentię; positum est enim in re aliqua successiua: at vinculum matrimonij est res aliqua permanens, tamdiu enim durat, quamdiu alter coniugum non moritur: ergo sumptum pro vinculo non obtinet rationem sacramenti,

Obiectio.

Obiicies, Leonem in epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, & D. Augustinum lib. de nuptiis & concup. cap. 21. affirmare vinculum matrimonij esse sacramentum, imò hoc idem dicitur in cap. *Gaudemus*, de diuortiis.

Solutio.

Respondeo, Patres istos nomine sacramenti in illis locis intelligere, non sacramentum propriè dictum, quale est illud quod est signum practicum & efficax gratiæ à Deo institutum, sed sacramentum impropriè dictum, cuius generis est illud omne quod significat rem aliquam sacram; quoniam ergo vinculum matrimonij significat vnionem Christi cum Ecclesia, ideò patres citati supra, affirmant de hoc vinculo quod sit sacramentum.

Hæreticorū argumenta.

Dubitatur autem inter hæreticos & Catholicos, *An matrimonium sumptum pro contractu legitimo celebrato inter baptizatos, sit vnum ex septem sacramentis nouæ legis.*

1.

Lutherani ergo & Caluinistæ partem negantem tuentur. Primò, quia matrimonium non sanctificat Christianos coniugatos; experientia namque quotidiana docet extare multos inter Catholicos coniugatos, qui vitam quàm maximè turpem, & inhonestam agunt, durante coniugio.

2.

Deinde, matrimonium cum suis effectis, & obligationibus tam verè reperitur apud Ethnicos, & infideles, quàm apud Christianos.

3.

Tertiò, vnum sacramentum non contrariatur alteri sacramento: at Clerici in sacris ordinibus

Digitized by Google

nibus conſtituti, ſunt incapaces matrimonij.

Denique, nuptiæ nuncupantur à patribus fœtidæ, inhoneſtæ, & immundæ; imo Siricius Pontifex Maximus propterea docet ſacerdotes debere abſtinere à nuptiis, quòd oporteat iſtos eſſe ſanctos, & quod illi qui in carne viuunt Deo placere nequeant: ergo matrimonium non eſt ſacramentum.

Argumenta Duradi. 1. Ex Catholicis verò Durandus in 4. diſtin. 26. aliter matrimonium non ità propriè eſſe ſacramentum, quemadmodum ſunt cetera ſacramenta nouæ legis: Primò, quia omne ſacramentum nouæ legis debet eſſe à Chriſto inſtitutum, & quidem ità vt effectum aliquem ſupernaturalé producat in nobis, & iterum, vt adminiſtretur nobis præſentibus ab alio: at matrimonium fuit inſtitutum à Deo, *Geneſ. 2.* ordinatur autem ad prolis generationem, quæ eſt effectus naturalis. Rurſus adminiſtratur non ab alio, ſed ab ipſismet contrahentibus, etiamſi contigerit iſtos eſſe abſentes: ergo.

2. Deinde, Matrimonium non eſt minùs validum apud Ethnicos, & infideles, quam inter Chriſtianos & Catholicos baptizatos.

3. Tertio, Matrimonia nuſquam celebrantur niſi poſito pacto de pecunia tradenda; ergo ſi Matrimonium eſſet ſacramentum nouæ legis, nuſquam contraheretur ſinè vitio Simoniæ & ſacrilegij.

Vltimum. Denique, materia & forma cuiuſlibet ſacramenti, itémque miniſter debent eſſe certiſſima: at neſcimus certò quis ſit miniſter ſacramenti Matrimonij, multò minùs quæ ſit materia & forma certa, vt conſtabit inferiùs: ergo Matrimonium non eſt ità propriè ſacramentum ac reliqua.

Matrimonium inter fideles eſt verè ſacramentum. Trident. Conclvsio 1. *Matrimonium ſumptum pro contractu legitimo celebrato inter fideles Chriſtianos, eſt verè ſacramentum nouæ legis.* Hæc videtur eſſe de fide; in Concilio namque Tridentin. ſeſſione 7. canone 1. de ſacramentis in genere dicitur: *Si quis dixerit plura vel pauciora eſſe nouæ legis ſacramenta, quàm ſeptem, anathema ſit.* Inter hæc autem computatur Matrimonium; & ſeſ. 24. capit. 1. canone 1. *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſacramentis legis Euangelicæ, à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit*: & in decreto Eugenij quod ſubſequitur ſeſſionem vltimam Concilij Florentini, & in Concilio Cõſtantienſi, ſeſſion 13. & in capit. *Ad abolendam*, de hæreticis, ſimile quid legitur.

2. Deinde, ex Paulo cap. 5. ad Epheſ. *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* Loquitur autem de Matrimonio inter baptizatos contracto.

3. Tertiò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, D. Auguſt. de bono coniugali cap. 18. *In noſtrarum*, inquit, *nuptys plus valet ſanctitas ſacramenti quàm fecunditas veteri*, & cap. 24. & lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 10. *Cuius ſacramenti tanta obſeruantia eſt in ciuitate Dei noſtri, hoc eſt in Eccleſia Chriſti.* loquitur autem de Matrimonio & paucis interiectis: *Manet*, inquit, *ſacramentum coniugij*, &c.

4. Quintò, illud eſt ſacramentum nouæ legis, quod ex opere operato confert gratiam, & eſt ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum; at Matrimonium ſumptum pro contractu legitimo celebrato inter baptizatos eſt ſignum ſenſibile conferens gratiam coniugatis, & à Chriſto inſtitutum, ex Concil. Trident. loco proximè citato, & item ex Patribus, maximè verò Cyrillo, qui præfuit primæ Synodo Epheſinæ lib. 2. in Ioann. cap. 22. & cap. 26. & Ambroſio in epiſt. ad Siricium Papam, Epiphanio hæreſi 51. & 67. & Auguſt. tractatu 9. in Ioann. & ſermon. 41. de temp. & Damaſc. lib. 4. de fide, cap. 21. & Euthymio ad cap. 2. Ioann. Iſti enim omnes affirmant Chriſtum nedum ſua præſentia, ſed etiam benedictione & præterea ſuo primo miraculo honeſtaſſe nuptias & ſanctificaſſe. *Cyril. Ambroſ. Auguſt. Damaſc. Euthym.*

5. Quintò, Matrimonium ſumptum pro contractu celebrato legitimè inter baptizatos trahit ſecum onus quàm maximè durum & difficile; obligatio ſiquidem iſtius ſoluitur tantùm per mortem alterius contrahentis: reſpicit item prolis nedum generationem, ſed etiam eiuſdem rectam inſtitutionem, in his quæ pertinent ad fidem Catholicam, & bonos mores. Inſtitutum eſt præterea Matrimonium à Chriſto nedum in officium naturæ, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ omnium conſenſu: at hæc omnia vix poſſunt ſuſtineri ſinè ſpeciali aliqua gratia à Deo coniugatis data: ergo cùm cuilibet ordinato detur ſpecialis gratia per ſacramentum ordinis à Deo conſtitutum, ità illud enim erit dicendum de coniugatis baptizatis. Ità communiter omnes in 4. diſt. 26. alij 27.

Inter infideles Matrimoniũ nõ eſt ſacramentum. Conclvsio 2. *Matrimonium omne contractum inter baptizatos rationem ſacramenti conſequitur, minimè verò contractum inter infideles, etiãſi poſtea conuertantur iſti ad religionem Catholicam, & in ea verè baptizentur.* Prima pars Concluſionis probatur, quia Concil. Tridentin. & decretum Eugenij IV. citatum, ſimpliciter & abſolutè docent Matrimonium celebratum inter baptizatos eſſe ſacramentum nouæ legis. 1.

Deinde, in Concilio Tridentin. ſeſſion. 24. cap. de reformatione Matrimonij dicitur, Matrimonia clandeſtina celebrata inter Catholicos in illis locis in quibus Concilium, non eſt publicatum, eſſe valida. 2. *Trident.*

Tertiò, Matrimonia iſta clandeſtina, ſi fuerint valida nuſquam iterantur in Eccleſia Catholica. 3.

Pars 2. Concluſio probat. Secunda verò pars probatur: Matrimonium celebratum inter infideles, non eſt ſacramentum nouæ legis, vt docuimus in antecedentibus & manifeſtè colligitur ex eo quòd nullum ſacramentum poſſit habere effectum in nobis, niſi præſuppoſito baptiſmo. 1.

Deinde, baptiſmus qui ſubſequitur celebrationem Matrimonii in infidelibus, non poteſt mutare naturam & eſſentiam Matrimonii præteriti, vt eſt per ſe notum. 2.

Tertiò, nullus poteſt celebrare verè Matrimonium, niſi habuerit verum dominium in proprium corpus; diximus enim Matrimonium in ratione contractus, nihil aliud eſſe, quàm traditionem, & acceptionem corporum ad vſum Matrimonii: at interueniente baptiſmo, qui contraxerãt in ſtatu infidelitatis Matrimonium, non habent vllam poteſtatem in propria corpora, ex Paulo cap 7. 1. Corinth. *Mulier*, inquit, *non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: vir ſimiliter non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*: ergo inter huiuſmodi non poteſt conſurgere ſacramentum Matrimonii. 3. 1. Cor. 7.

Digitized by Google

Obiectio. Dices, nihil repugnare quominus isti infideles A susceptо baptismate repetant consensus mutuos necessarios ad constitutionem Matrimonii: ergo saltem in data hypothesi contractus hic habebit rationem sacramenti Matrimonii: aut concedendum erit aliquod extare Matrimonium inter baptizatos, quod non est sacramentum cuius tamen oppositum videmur docuisse in proximè antecedentibus.

Solutio. Respondeo, posito baptismo inter istos coniugatos infideles, nihil repugnare quo minùs repetant consensus mutuos necessarios ad validitatem Matrimonii. B

Ceterùm constanter affirmo consensus istos nulla ratione posse attingere rationem Matrimonii sub ea ratione, qua Matrimonium est contractus matrimonialis, & ex consequenti, non poterit de istis consensibus dici, quòd sint sacramentum Matrimonii. Nam hoc sacramentum intrinsecè & essentialiter pendet à contractu mutuo, & legitimè celebrato inter virum & feminam, in quo datur potestas & acceptatur in corpora ad vsum Matrimonii, neuter autem ex istis coniugatis infidelibus habet ius in proprium corpus, ac proinde quilibet ex istis ineptus est ad contractum Matrimonii celebrandum.

Corollariũ. Ex istis colliges, dari inter Christianos Matrimonia aliqua quæ non sunt sacramenta, nempe eorum omniũ, qui in statu infidelitatis contraxerunt, & posteà in Ecclesia Catholicâ fuerunt baptizati: Matrimonia ergo istorum omnium non sunt sacramenta. C

Obiectio. Obicies, matrimonia istorum significare vnionem Christi cum Ecclesia, & habere annexa eadem onera, & item vinculum quæ dantur in matrimoniis eorum qui contrahunt post baptismum: ergo quemadmodum Matrimonia contracta à baptizatis sunt sacramenta: ità illud erit dicendum de illis qui contraxerunt ante baptismatis susceptionem, si baptizentur posteà.

Solutio. 1. Respondeo primò, Matrimonia contracta D inter infideles significare vnionem Christi cum Ecclesia, remotè tamen, & quasi per non repugnantiam, vt authores sunt Thomistæ aliqui ad quæst. 69. additionis tertiæ partis D. Thom. Matrimonia autem baptizatorum formaliter & expressè significant vnionem Christi cum Ecclesia: & ità hæc sunt formaliter sacramenta, præsertim cùm gratiam ex opere operato producant in coniugatis.

2. Respondeo 2. Licèt & vinculum & eadem onera reperiantur in Matrimoniis infidelium & baptizatorum, non tamen propterea licet colligere Matrimonia infidelium esse sacramenta, aut habere eamdem gratiam quam habent Matrimonia fidelium, nam onera Matrimonij, & item vinculum quæ dantur apud baptizatos, fuerunt in lege naturali & Mosaica, nec tamen propterea concedunt vlli in statu legis naturę & Mosaicæ Matrimonia fuisse sacramenta, licèt non sit negandum quin coniugatis infidelibus detur specialis aliqua gratia, quando transeunt ad fidem Christianam & Catholicam, & quando baptizantur, ad onera Matrimonij facilиori negotio sustinenda. Ceterùm effectus hic debetur non sacramento Matrimonij, quia nullum de facto datur in istis, sed fidei & charitati, cum quibus contingit homines istos transire ad statum legis Euangelicæ. E

Aduerte, Matrimonium contractum apud infideles esse ex se & sua natura insolubile, vt docet D. Thom. quæst. 59. additionum 3. par. ar. 2. & probant ibi communiter Thomistæ, maximè verò Petrus Ledesma. *Notabile.* D. Thom.

Ad rationes verò hæreticorum respond: Ad primâ, nihil planè probare: nam certum est ex baptizatis multos turpissimè viuere, & tamen nullus est qui propterea dicat baptismum, non esse sacramentum, aut etiam non conferre gratiam baptizatis. *Ad argumenta contraria.* 1.

Ad secundam, Matrimonium tam verè perseuerare apud infideles, quàm apud Catholicos, cum hoc tamen discrimine, quòd apud Catholicos Matrimonium sit & contractus aliquis ciuilis, & præterea verum sacramentum nouæ legis; apud Ethnicos verò Matrimonium habet tantùm rationem contractus ciuilis. 2.

Ad tertiam, sacramentum Matrimonij non pugnare cũ sacramento ordinis ex se, & sua natura; temporibus siquidem primitiuæ Ecclesiæ à statu coniugali transibant multi ad statum sacerdotij, ità tamen vt non liceret in statu sacerdotij accedere ad vxorem, vt docuimus in tractatione de Ordine; per accidens tamen Matrimoniũ pugnat cũ sacramẽto ordinis, ratione nẽpe præcepti Ecclesiastici, quo cautũ est ne in maioribus ordinibus cõstituti transeãt ad statũ matrimonij, & quidem cum tanta obligatione, vt huiusmodi præcepto irritetur omnino Matrimonium contractum inter constitutum in aliquo ex maioribus Ordinibus, & feminam ex omni parte liberam: ratio istorum est, quia sacerdos debet esse castus, & ex omni parte Deo dicatus, *qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodò placeat vxori*, vt dicitur 1. Corinth. 7. Deinde, *militans Deo non debet se negocijs secularibus implicare*, 2. Timoth. 2. 3. 1. Cor. 7. 2. Tim. 2.

Ad vltimam, Patres nusquam pronunciasse absolutè de nuptiis, quòd sint turpes, fœdæ & immundæ; illi enim quos citauimus in confirmationem posterioris Conclusionis verbis expressis docent, Christum in Cana Galileæ consecrasse & sanctificasse nuptias sua præsentia, & primo miraculo quod præstitit. *Vltimum.*

Quod autem obicitur ex Siricio, probat tantum nuptias incestuosas & sacrilegas alicuius presbyteri esse impuras & immũdas: de istis enim tantùm agit Siricius eo in loco, non autem de illis nuptiis, quæ celebrantur ab aliis Christianis & Catholicis legitimè: non est tamen negandum quin detur aliquid turpe & inhonestum in Matrimonio, licèt turpitudo hæc non vindicet sibi rationem alicuius culpæ vel venialis, vel mortalis: hæc autem turpitudo, non respuit absolutè & simpliciter loquendo rationem sacramenti; potest enim spectari duobus modis, vel vt in se est à parte rei, vel vt eleuatur à Deo ad aliquod esse supernaturale: posteriori modo nihil repugnat quominùs dicatur pars, vel aliquid sacramenti Matrimonij, maximè clandestini, respectu eorum locorum in quibus Conc. Trident. non est publicatum.

Ad rationes Durandi. 1. Ad rationes verò Durandi respondeo, Ad primam; continere multa falsa: nam certum est Matrimonium nedum esse institutum ad prolis generationem, sed etiam ad gratiam conferendam: indubitatum est præterea sacerdotem conficientem Eucharistiam eandem sibi ipsi cõmunicare, non ergo verũ est quod ait Durandus sacra-

Digitized by Google

crementum, ità esse à Christo institutum, vt minister debeat esse persona distincta ab eo qui sacramentum consequitur; negari etiam nequit quin inter absentes Matrimonia valide contrahantur, vt probabitur inferiùs.

2. Ad secundam respondeo, apud infideles Matrimonia esset valida in ratione tantùmodò contractus ciuilis; apud Christianos verò & Catholicos, & in ratione contractus, & in ratione sacramenti.

3. Ad tertiam, pecunia quæ datur, vel de qua danda componitur inter celebranda Matrimonia, ad onera illius sustentanda tantùm præscribitur, non autem ad hoc vt sequatur sacramentum.

Ad vltimam. Ad vltimam, non esse necesse ad veritatem alicuius sacramenti, certò, & indubitanter scire quæ sit eius materia, forma, & minister; sed sufficere si certò sciamus quæ sunt necessariò perficienda ad hoc vt sacramentum sequatur, vt communiter fatentur omnes hoc loco. Scimus autem ex Concilio Tridentino, sessione 24. capit. 1. de reformatione Matrimonij, quæ sunt simpliciter necessaria ad hoc vt consurgat sacramentum Matrimonij: hæc autem sunt mutuus consensus vtriusque partis contrahentis legitimè, præsentia parochi vel deputati à parocho, & denique duo aut tres testes, saltem post publicationem Concilij Tridentini, quæ irritat Matrimonia clandestina, & vbi lex ista est publicata. Nam in aliis locis consensus legitimus vtriusque partis contrahentis sufficit ad validitatem Matrimonij, etiam in ratione sacramenti.

Trident.

DVBITATIO TERTIA.

Quis sit author Matrimonij & quando fuerit institutum?

Deus instituit Matrimonium in statu innocentiæ.

CONCLVSIO 1. *Deus instituit Matrimonium in statu innocentiæ*: Primum, quia id colligitur ex verbis istis, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, & ibidem. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

2. Deinde, licèt institutio Matrimonij sit iuri naturali quàm maximè consona, est siquidem Matrimoniũ medium conuenientissimum & accommodatissimum ad generis humani propagationem; certũ tamen est eius institutionem secundum eam naturam & essentiam quam habet, & habuit à prima sua origine, non esse refundendã in solum ius naturale, sed multò magis in Deum: non enim aliter naturæ Matrimonij repugnat.

3. Tertiò, Matth. 19. dicitur verbis expressis; *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos & dixit, propter hoc*, &c. at certum est etiam Deum fecisse primos parentes: hæc est communis apud omnes in 4. distinct. 26. alij 17. fuit autem tunc institutum tantum in officium naturæ, quatenus hac ratione natura humana propagaretur, post peccatum verò in remedium concupiscentiæ.

Incertum quàndo institutum fuerit Matrimonium à Deo.

CONCLVSIO 2. *Non satis constat quibus verbis Matrimonium fuerit institutum*

A Sunt qui putent id factum esse mediis verbis istis ab Adamo prolatis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Alij verò mediis istis: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Alij probabiliùs; dum dicitur Deum immisisse soporem in Adam, & ex latere eiusdem formasse sibi Euam: ità Magister, distinctione 26. lib. 4. Richardus. *Mouetur quæstio.* Genes. 1.

Deinde, hæc videtur esse mens sanctorum Patrum, D. Augustini 14. lib. de Ciuitate Dei, capit. 22. *Nuptias*, inquit, *ante peccatum Deus constituit ab initio, creando masculum & feminam.* 2. Augustin.

B Tertio, immisso sopore in Adam aperuit & significauit illi naturam Matrimonij, & item finem eiusdem; excitatus enim à somno statim in hæc verba prorupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*, &c. 3.

Quartò, Matth. 19. & Ephes. 5. tribuitur institutio Matrimonij verbis proximè explicatis. 4.

Dices verba ista: *Crescite & multiplicamini & replete terram*, habere rationem præcepti. *Obiectio.*

Respondeo, continere potiùs aliquam Matrimonij benedictionem ad fecunditatem naturæ, quàm institutionem, vt colligitur ex iis quæ habentur, Genes. 2. vt docet Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 21. & 22. Creatis siquidem animalibus statim subiungitur, *Crescite & multiplicamini*; significant autem hæc in brutis externam aliquam benedictionem, &c. Et hæc de Matrimonio in ratione contractus. *Solutio.*

C CONCLVSIO 3. *Matrimonium vt est sacramentum fuit tantum institutum à Christo in lege Euangelica.* Primùm, quia de fide est quodlibet sacramentum nouæ legis fuisse à Christo institutum, vt canone 1. sessione 7. Concilij Tridentini de sacramentis in genere definitur. *Si quis dixerit non omnia sacramenta nona legis à Christo Domino nostro instituta fuisse, anathema sit:* Inter hæc autem computatur ibidem Matrimonium, & sessione 24. dicitur de Christo, quod sit sacramentorum institutor. *Matrimonium sacramentum est à Christo institutum.*

Deinde, ità tradunt Patres, D. Augustin. l. 1. de nuptiis & concupiscent. capit. 21. *Iam nunc*, inquit, *si bona illa nuptialia interrogemus. Respondebit pudicitiæ fides, si peccatum non fuisset, quid me in paradiso securius esse potuisset; vbi nec stimularet mea, nec alterius me libido tentaret. Respondebit etiam connubij sacramentum; De me ante peccatum dictum est in Paradiso; Relinquet homo patrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* 2. D. Augustin.

E *Quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris, atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis sacramentum.* Hieronymus ad cap. 19. Matth. ad hæc verba: *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Ambrosius lib. 6. in Lucam, cap. 8. & capit. 5. Ephes. super illa verba; *Mysterium hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia.* Tertullianus contra Valentinianos, cap. 30. vbi sic loquitur: *Nam & honorandorum coniugiorũ supernorum gratia dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est, femina adhærendo*, & de Genes. 2. Ephes. 5.

Digitized

anima cap. 21. *Si quia*, inquit, *prophetauit magnum illud sacramentum in Christum & Ecclesiam: Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, vocabitur mulier: propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur mulieri suæ, & erunt duo in carnem vnam.*

Notabile. Moneo tamen, non constare certò & indubitanter, quando & quo in loco sacramentum hoc instituerit. Alij putant institutum fuisse, Ioann. 2. Quando Christus interfuit nuptiis, & illic primum omnium suorum miraculorum effecit. Alij verò, Matth. 19. quando dixit *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*, &c. quæ sententia satis est probabilis; tum quia ità sentit Victoria in Summula de Sacramentis. Sotus in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 2. ait enim verba ista, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet*, nedum significare obligationem quæ introducta erat instituendo Matrimonium, sed etiam de nouo ordinasse contractum hunc ad esse sacramenti ex merito suæ passionis.

Ioan. 2.

Matth. 19.

Mouetur quæstio. ROGABIS, *An primi parentes & posteri eorumdem fuerint obstricti ad Matrimonij iugum sustinendum.*

Solutio. Respondeo, *iure naturali neminem in particulari spectatum obligari ad Matrimonium contrahendum.* Primùm, quia cœlibatus est multis partibus dignior Matrimonio, 1. Corinth. 7. at quilibet potest cœlibem agere vitam, *Volo*, inquit Paulus, *vos esse sicut & ego*: & rursus, *Qui Matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit.*

1. Cor. 7.

Deinde, ius naturale cum inuariabile & immutabile sit idem apud omnes gentes, si aliqui fuissent obstricti iure naturali ad Matrimonium contrahendum, sequeretur & nunc aliquos etiam ad id esse obstrictos & obligatos; atqui nulli sunt qui teneantur in particulari ad legem Matrimonij.

Confirm. Confirmatur: homo est in hunc finem à Deo ordinatus, vt ei inseruiat, & vt ei se totum consecret; & cultui eiusdem addicet; at id præstare non potest sustinendo legem Matrimonij, *nam qui vxorem habet, studet quomodo placeat vxori, & diuisus est*, 1. Corinth. 7.

Obiectio. Dices, Adamum fuisse obstrictum ad Matrimonium, nam aliter natura humana non potuit propagari.

Solutio. 2. Respondeo, negando antecedens, saltem iure naturali: licèt enim natura inclinet ad Matrimonium, vt videatur hæc in hunc finem contulisse homini potentiam generandi; non tamen propterea potest dici, quod aliquis teneatur contrahere iure naturali; & quidem qui teneatur præcepto iuris naturalis ad ea omnia exercenda quæ potest præstare per potentias sibi à natura concessas; nam si ità res haberet, dicendum esset omnes planè homines iure naturali obligari ad nuptias contrahendas, quod tamen nullus hactenus dixit. Præterea, si nullus esset qui vellet transire ad statum coniugalem, quisnam esset cogendus à Republica ad Matrimonium contrahendum?

Respondeo 2 primos parentes fuisse obligatos iure diuino ad Matrimonium contrahendum, etenim voluit Deus per istos genus humanũ propagari, idque per Matrimonium, tamquam per medium ad id maximè conueniens.

Secundò, quia aliter poterat Adam fraudare & impedire generis humani propagationem, præsertim cùm omnis lapsus carnis & copula extra statum coniugalem sit illicita inter homines.

Corollariũ. Ex istis colliges, in cõmuni homines non obligari iure naturali ad Matrimonium; nam à partibus sufficienter enumeratis ad totum, tenet consequutio: diximus autem neminem obligari in particulari.

DVBITATIO QVARTA.

Quem ob finem Deus instituerit Matrimonium.

Finis matrimonij in statu innocentiæ. CONCLVSIO 1. *Matrimonium in statu innocentiæ primò & per se fuit institutum ad humani generis procreationem honestam, & educationẽ.* Primùm, quia dicitur, Genes. 1. *Masculum*, inquit, *& fœminã creauit eos, benedixitque illis Deus*, & ait, *Crescite & multiplicamini & replete terram*: idem docent Patres, maximè verò D. August. lib. 9. super Genes. cap. 7.

Genes. 1. D. August.

Secundarius finis matrimon. CONCLVSIO 2. *Alius est finis Matrimonij ceterùm secundarius & quasi accessorius, & quidem priori tempore posterior*; Cum enim per peccatum primorum parentũ fœdę libidinis vitium in humanam naturam irrepsit, factũ est vt qui sibi suę infirmitatis conscij carnis pugnam sustinere, vel nolunt vel non possunt, permittantur vti Matrimonio, tamquã suę incontinentię remedio ad vitandam fornicationem, aliáque damnanda libidinis peccata vt manifestè colligitur ex Apostolo, 1. Cor. 7. *Vnusquisque*, inquit, *suam vxorem habeat propter fornicationem, & vnaquæque suum virũ*, & paucis interiectis, *Reuertimini in idipsum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Et rursus: *Qui non se continent, nubant.* Ità communiter omnes in 4. dist. 30.

1. Cor. 7.

Dantur alij fines. Præter autem istos fines Matrimonij; certum est homines moueri ad contrahenda Matrimonia, mediis causis & motiuis omnino diuersis, & distinctis à duobus finibus explicatis, & ideò fines isti non sunt fines Matrimonii, sed eorum qui Matrimonium contrahunt. Inter autem istas causas, aliæ dantur honestæ & licitæ, aliæ turpes & illicitæ: inter primas recensentur desiderium heredis relinquendi, diuitiæ, formæ, gratia, generis splendor, morum similitudo, aliæque similes, quibus tamen omnibus præferuntur religio, pietas, morúmque probitas, sunt enim hæc per se & sua natura bona. Causæ verò inhonestæ, & illicitæ sunt, quæ pietati quodammodo aduersantur, vt hæresis, ambitio, auaritia, libido, & similia.

1. De venustate & pulchritudine corporis sunt qui dubitent, an numerandę sit inter causas honestas & licitas. Ceterùm immerito, nam pulchrum sua natura est amabile.

2. Pulchritudo motiuum honestum Matrim. Secundò, Deuteronom. 21. innuitur pulchritudinem esse causam amoris honesti; *Si*, inquit, *videris in numero captiuorum mulierem pulchram & adamaueris eam, & volueris eam habere vxorem.*

3. Tertiò, potest pulchritudo hæc ordinari in honestum aliquem finem ab altero coniuge, imò ab vtroque, nempe vt proles nascatur nullo deformitatis vitio contracto.

4. Quartò, quia propter hanc causam reprehenditur Faustus Manichæus apud Augustinum, & nostro

noſtro tempore Caluinus quod damnauerint Iacob virum ſanctiſſimum ex eo capite, quòd Rachel formoſam præ Lia ſorore, quæ lippis oculis erat, adamauerit. A

Dos, opes, motiua etiã Matrim. Quod diximus de pulchritudine, illud idem videtur aſſerendum de dote, opibus & commodis: nihil enim verat quominùs ex cauſis iuſtis à nobis deſiderentur, & appetantur, putà vt honeſtam cum coniuge & familia quis habeat ſuſtentationem, vt liberis educandis atque inſtituendis ſit commodè proſpectum, vt honeſtum eis patrimonium relinquat, vt habeat vnde liberaliter tribuat egenis: imò hoc idem eſt iudicium de omnibus cauſis indifferentibus.

Obiectio 1. Dices, pleroſque Sententiarios & Summiſtas affirmare ſemper eſſe peccatum mortale contrahere Matrimonium propter pulchritudinem, aut propter diuitias: ità Angelus verbo *Matrimonium* 2. numero 25. & Couarruuias in 4. Decretal. part. 2. capit. 1. numero 7. B

2. Alij verò putant eſſe peccatum ad minus veniale, ità Petrus Soto, Antoninus, Paludanus, Sylueſter, & alij multi: maximè verò Nauarrus cap. 22. numer. 79.

Solutio. Reſpondeo, iſtos authores, aut certè aliquos ex iſtis, quando dicunt, non licere contrahere Matrimonium propter diuitias, aut pulchritudinem, ſupponere eos qui contrahunt ex motiuo pulchritudinis, aut diuitiarum, contrahere non quolibet modo, ſed ex motiuo præcipuo, & principali, ità vt velint eos peccare mortaliter, qui eo tantùm fine contrahunt, vt habeant venuſtam & formoſam, aut etiam diuitem ſponſam, quod nos vltrò concedimus; nam qui ità Matrimonia ineunt; iniuriam grauem inferunt ſacramento Matrimonij, à Deo inſtituto, in prolis generationem, & honeſtam educationem, & ad gratiam ſacramentalem obtinendam: iſti autem non ob finem commemoratum, ſed propter ſolam pulchritudinem vel diuitias connubia celebrant. C

Cæterùm coniugati ex hypotheſi, licèt contraxerint ex motiuo procreandæ ſobolis; eiuſdemque inſtituendæ debito modo, nec non libidinis vitandæ, præcipuè, & principaliter; ex ſtudio verò pulchritudinis, aut commodorum temporalium minùs præcipuè & ſecundariò nullam planè contrahent iſti ex eo culpam mortalem aut venialem, neque oppoſitum affirmant authores citati: & ſi id vellent, non tamen propterea eſſent audiendi; nam omnis res indifferens ex ſe & ſua natura poteſt ex honeſto aliquo fine licitè & inculpabiliter poſci ex illo: Media quæ ad finẽ aliquem obtinẽdum conducunt, conſequuntur bonitatem finis; poſſunt autem diuitiæ & pulchritudo ad finem procreationis, & debitę inſtitutionis liberorum concurrere, vt patet ex dictis. D

DVBITATIO QVINTA.

Quæ ſit materia ſacramenti Matrimonij.

Quorũdam ſententia refellitur. SVnt qui putent conſenſus internos contrahẽtium eſſe materiam ſacramenti Matrimonij.

Ceterùm opinio hæc vacat omni probabilitate: nam materia cuiuſlibet ſacraméti debet eſſe ſenſilis, quemadmodum & ſactamentum omne eſt ſenſile, omnium conſenſione. E

Deinde, materia ſacramenti Matrimonij pertinet ad ceremonias Eccleſiaſticas, ſunt enim ſacramenta, nedum medicamenta quibus deus medetur malis noſtris: ſed etiam ritus & ceremonię aliquæ, quibus Deus colitur à nobis publico & ſolemni ritu: at ceremonia omnis Eccleſiaſtica debet eſſe ſenſilis & externa: ergo conſenſus interni contrahentium, non poſſunt habere rationem materię huius ſacramenti.

Alij verò autumant verba, aut nutus vtriuſque partis contrahentis eſſe materiam ſacramenti Matrimonij, cum hoc diſcrimine vt conſenſus primus habeat rationem materiæ, poſterior verò rationem formæ: At neque iſti ad veritatem acceſſerunt; nam materia & forma cuiuſlibet ſacramenti debent eſſe certò definitæ & determinatæ ſecundum proprias quidditates, & naturas, quod tamen non faciunt iſti. *2. Sent. non approbatur.*

Deinde, ex Conc. Flor. ſeu potiùs ex decreto Eugenij IV. in omni ſacramento dantur res & verba; hæc autem habent rationem formæ, illa verò rationem materiæ, at verba numquam habent rationem materiæ: ergo. Florent.

Alij verò putant corpora contrahentium Matrimonium eſſe materiam iſtius ſacramenti: ità docent Petrus à Soto de Matrimonio, lectione 3. & 4. Palud. in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 5. ad 2. Couarruuias, & nonnulli alij Recentiores. Sed neque iſti ſatis explicatè loquuntur; nam indubitatum videtur materiam ex qua conſurgit ſacramentum Matrimonii non eſſe corpora contrahentium; Matrimonium ſiquidem eſt verè & intrinſecè contractus aliquis; at contractus nuſquam conſurgit ex re de qua contrahitur. 3. *Reijcitur.* 1.

Deinde, contractus omnis inducit aliquam obligationem: at cõſenſus vtriuſque partis cõtrahẽtis, cũ ſignis & verbis quibus exprimuntur iſti conſenſus, obligant contrahentes, non autem res ex hypotheſi pretio vendita, & comparata pretio. 2.

Tertiò, materia circa quam verſatur ſacramentum Matrimonii ſunt corpora contrahentium. 3.

Denique, ſi Matrimonium haberet pro materia, ex qua conſurgit, corpora contrahentium, eſſet res aliqua permanens; hoc autẽ dici nequit, cum de ſolo ſacramento Euchariſtiæ aſſeratur quod ſit poſitum in re aliqua permanente. *Vltimum.*

CONCLVSIO 1. *Materia circa quam verſatur ſacramentum Matrimonij ſunt corpora contrahentium:* hæc admittitur ab authoribus proximè citatis, & ab Eſtio, & ab aliis pleriſque Recentioribus. *Materia circa quam, ſunt corpora contrahentium.*

Deinde, materia circa quam verſatur penitẽtia, ſunt peccata commiſſa; deſtruuntur enim hæc per penitentiam: at corpora contrahentium habent etiam rationem obiecti, reſpectu ſacramenti Matrimonii; nam hæc corpora dantur & accipiuntur ex vi contractus Matrimonii, & eleuantur ad eſſe ſacramentale.

CONCLVSIO 2. *Materia ex qua conſurgit ſacramentum Matrimonij ſunt conſenſus vtriuſque partis contrahentis, vt ſunt traditio corporum.* Hæc aſſeritur à Suare ad 3. partem, diſputatione 23. ſectione 3. §. ad primam, tom. 4. Lopes 2. parte Inſtructorij, capit. 35. de Matrimonio. Soto diſtin. 11. lib. 4. quæſt. 1. art. 6. Bellarmin. lib. de Matrimonio cap. 6. & aliis multis Recentioribus. *Materia ex qua, conſenſus mutui.*

Digitized by Google

2. Deinde, materia sacramenti Matrimonij cẽsetur esse ea, ex qua sacramentum hoc cum forma & ministro consurgit; at Matrimonium, sub ea ratione qua sacramentum est, consurgit inter baptizatos ex consensibus mutuis legitimis, vt consensus isti dicunt traditionem corporum, & ex forma & præsentia ministri.

3. Denique probatur; Materia actuatur per formam; atqui consensus mutui, vt habent rationem traditionis corporum, actuantur ab iisdem consensibus, vt habent rationem acceptationis ad vsum Matrimonij, vt probabitur Dubitatione proximè sequente: ergo illi sunt materia ex qua, &c.

A Instabis, cap. 1. sess. 24. Conc. Trid. ità legi: *Si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat*; Ego vos coniungo in Matrimonium, in nomine Patris, & filii, &c. *Instantia.*

Solutio. Respondeo, ex istis nihil planè colligi; forma siquidem cuiuslibet sacramenti debet esse definita, & quidem ità, vt nulla alia possit vsurpari: Concilium autem relinquit liberum sacerdoti, vt vtatur verbis proximè explicatis, vel aliis, prout vsus & consuetudo dictauerit, illius scilicet Ecclesiæ in qua Matrimonium celeB bratur.

DVBITATIO SEXTA.

Qua sit forma sacramenti Matrimonij.

Forma sunt mutui consensus acceptati.

CONCLVSIO. *Sunt mutui consensus contrahentium, prout habent rationem acceptationis corporum ad vsum Matrimonij; minimè verò verba quæ proferuntur à sacerdote, aut etiam ab ipsis coniugatis:* Prima pars Conclusionis probatur: forma est quæ dat esse sacramento; at consensus vtriusque partis contrahentis, prout C significant acceptationem corporis ad vsum Matrimonij, dat esse sacramento Matrimonij; nam ante acceptationem istam, traditio corporum est inefficax, & inepta ad gratiam producendam in illis qui contrahunt Matrimonium; imò consensus mutui vt sunt nuda traditio corporum, sinè mutua acceptatione nullam inducunt obligationem, ac proinde neque conferunt dominum mutuum in corpora bene tamen quamprimum accedunt consensus mutui, vt habent rationem acceptationis corporum: ergo hoc pacto sumpti consensus contra hæreticum sunt forma sacramenti Matrimonij.

Secunda partis Concluſ. probat. Secunda verò pars Conclusionis probatur; D Matrimonium contractum inter baptizatos in illis locis in quibus Concilium Tridentinum, non est publicatum absente parocho, & omni alio sacerdote, est verè sacramentum Matrimonij, omnium Catholicorum consensione, & tamen nulla prolata fuerunt verba à sacerdote: ergo.

Pars 3. Tertia, denique pars probatur: Matrimonium verè consurgit inter mutos: ergo.

Deinde, inter absentes, per procuratores, vt probabitur inferiùs: at verba quæ proferuntur à procuratoribus non sunt verba contrahentium.

Denique, verba, nulla ratione sunt simpli- E citer necessaria ad validitatem sacramenti Matrimonij.

Obiectio. Dices, antecedens hoc esse contra decretum Eugenij IV. in quo dicitur in omni sacramento reperiri verba, quæ sunt forma sacramenti.

Solutio. Respondeo, per particulam, *verba*, non intellexisse Pontificem sola verba, sed illud omne quod respondet, aut æquiualet verbis, saltem respectu sacramenti Matrimonii: nutus autem & signa illud idem arguunt & denotant quod facerent verba, ex hominũ instituto significãtia, si interuenirent in celebratione Matrimonii.

DVBITATIO SEPTIMA.

Quis sit minister sacramenti Matrimonij.

Ministri sunt ipsimet contrahentes.

CONVENIT de hac re ferè inter omnes, contrahentes esse ministros sacramenti Matrimonii, & meritò; nam ille censetur esse minister alicuius sacramenti qui materiam & formam illius ponit, vt constat ex baptismo, Confirmatione, Ordine & similibus; atqui coniugati soli ponunt materiam & formam sacramenti Matrimonii. Diximus enim consensus mutuos contrahentium legitimos, vt habent rationem traditionis & acceptationis corporum habere rationem materiæ & formæ Matrimonii.

Deinde, de fide est Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum, & etiam nunc, in illis locis in quibus non est publicatum, esse valida: at fieri potest vt soli contrahentes Matrimonium reperiantur quandocumque contrahitur clandestinè; ergo cum Concilium Florentinum in decreto Eugenii decernat nullum sacramentum posse consurgere sinè materia, forma, & ministro, coniuges erunt ministri sacramenti huius, quando clandestinè contractum est Matrimonium, & nulli alii interfuerunt celebrationi huic, præter contrahentes.

Obiectio. Obiicit Canus, qui contrarę iadhæret sententię: Nullum sacramentum existit, cuius minister non est aliqua persona sacra.

Solutio 1. Respondeo, absolutè & simpliciter loquendo antecedens hoc esse falsum: in casu quippe extremæ necessitatis quilibet potest baptizare, etiamsi non fuerit Clericus.

Deinde, temporibus primitiuę Ecclesiæ sanctissimum sacramentum dabatur cuilibet Christiano intrà manum, ad hoc vt seipsum communicaret tempore & loco.

2. Respondeo, secundò, sacramenta, excepto Matrimonio, quando ritu solemni & publico administrantur, postulare personam aliquam sacram, non autem quotiescumque administrantur sinè solemni ritu, & pompa.

Notabile. Non est tamen concedendum de coniugatis, quòd committant duo peccata mortalia, quotiescumque in statu peccati mortalis Matrimonium contrahunt; nam nõ faciunt cõtra ordinationem alij quam Christi specialẽ, in qua consequuti sint gratiam, ad hoc vt dignè sacramentum Matrimonii administrent; quemadmodum sacerdos in sua ordinatione accepit gratiam specialem, vt deinceps sacramenta alia administrare dignè pollit:

Digitized by Google

possit: vnum ergo tantùm peccatum mortale committunt, idque quòd in hoc statu mortali sacramentum Matrimonij consequantur; ponunt enim obicem gratiæ Matrimonij.

Aliud notabile. Non est item concedendum de Matrimonio contracto inter duos, quod sit duplex in istis sacramentum, sed vnum numero tantùm, propter vnitatem moralem, non autem physicam, quæ consurgit ex mutuis consensibus istorum duorum qui contrahunt; nam fatentur omnes sacramenta esse entia moralia, non autem physica.

Deinde, vnitas petitur ex vna materia numero, forma, intentione, significatione, & ministro: at dantur hîc vna tantùm numero materia, vna item forma & præterea vna & eadem planè significatio; ergo vnum erit tantùm numero sacramentum.

Obiectio. Dices, sacramentum hoc recipi in duobus & cessante impedimento producere in illis gratiam gratum facientem: ergo erit duplex.

Solutio. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ratio namque ista tantùm probat effectum sacramenti Matrimonij verè recipi in duobus, & ex consequenti esse quoque effectum istum duplicem secundum numerum; sacramentum tamen Matrimonij totũ non recipitur in vno aut in altero contrahente, sed in ambobus simul, ità vt in duobus coniugatis verè existat sacramentum Matrimonij secundum entitatem suam moralem quam habet.

Corollariũ. Ex istis etiam colliges Matrimonium interdum producere gratiam in vno, in altero verò minimè, idque quia vnus accessit cum debita dispositione ad gratiam consequendam, alius verò nequaquam: sacramenta autem numquam sortiuntur suum effectum in nobis, nisi positis dispositionibus necessarijs ad effectus huiusmodi obtinendos: in Matrimonio verò desideratur vel perfecta contritio, quando præcessit peccatum mortale, vel existimata saltem; vel certè attritio cum sacramento pœnitentiæ.

A ut isti sunt traditio & acceptatio corporum ad vsum Matrimonij: at materia & forma sunt simpliciter necessaria ad validitatem cuiuslibet sacramenti: ità communiter omnes in 4. dist. 27. alij 26.

B

C

D

DVBITATIO OCTAVA.

An Consensus legitimi vtriusque partis contrahentis sint simpliciter necessarij, & quales debeant esse consensus huiusmodi.

Consensus mutui omnino necessarij.

1. CONCLVSIO 1. *Consensus legitimi vtriusque partis contrahentis sũt simpliciter necessarij ad essentiam sacramenti Matrimonij constituendam:* Primò, quia ità dicitur verbis expressis apud Gratianum 27. quæst. 2. can. Sufficiat: *Sufficiat*, inquit, *solus secundum leges consensus eorum de quorum coniunctionibus agitur, qui si in nuptijs solus forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Simile quid dicitur in cap. *Duas*, de sponsa duorum, & cap. *Cùm apud*, de sponsalibus, & cap. *Cum locum* titulo proximè citato.

2. Deinde, ex illa regula iuris citata à Magistro distinct. 27. lib. 4. & à Gratiano 27. q. 2. *Consensus*, inquit, *non connubium Matrimonium facium.*

3. Tertiò, Matrimonium habet pro materia & forma consensus vtriusque partis mutuos, pro-

E

CONCLVSIO 2. *Consensus necessarius ad validitatem Matrimonij, debet esse quàm maximè liber, respectu vtriusque partis contrahentis.* Primò, quia dicitur 7. prioris ad Corinth. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, & Numerorum vltimò, de filiabus Salphaad. *Nubant quibus volunt.* Et de Rebecca, Genes. 24. *Vocemus puellam, & videamus quæ sit eius voluntas*, quærebatur autem de tradenda Rebecca in Matrimonium. *Consensus debet esse liber.* 1. Cor. 7. Num. 36. Genes. 24.

2. Deinde, est propriè & quàm maximè communis inter professores iuris ciuilis, & Canonici, dum docent Matrimonio debere esse quàm maximè libera alioquin infelices habere euentus.

3. Tertiò, contractus innominati qui communiter explicantur verbis istis, *Do vt des, facio vt facias*, nullam inducunt obligationem nisi fuerint facti liberè ab vnoquoque contrahentium: at contractus Matrimonialis habet aliquid commune cum contractibus innominatis: nam diximus Matrimonium esse traditionem & acceptationem corporum ad vsum coniugij.

4. Quartò, Matrimonium respicit prolis generationem & educationem in fide vera, moribus, &c. at quis credat prolem fore nutriendam à coniugatis, nisi contraxerint isti cum summa libertate? nam 20. quæst. 3. cap. *Præsens*, verbis expressis dicitur: *Quòd quis non eligit, nec optat, profectò non diligit; quod autem non diligit facilè contemnit.*

Obiicies, parentem contrahere interdum nomine filiorum, etiam Matrimonium: ergo. *Obiectio.*

Solutio. Respondeo, contractum hunc nullam inducere obligationem, antequàm fuerit hic acceptatus, & confirmatus per actum elicitum liberè ab ipsis filijs, vt communiter docent omnes & manifestè colligitur ex locis supra citatis iuris Canonici.

Consensus necessario aliqua rahominum, vel nutibus, aut alijs signis sensibilibus, primendi.

CONCLVSIO VLTIMA. *Consensus necessarij ad validitatem Matrimonij, sunt exprimendi necessario, vel verbis significantibus ex instituto* 1. Primò, quia Matrimonium est sacramentum nouæ legis: omne autem sacramentum cùm sit signum sensibile, debet consurgere ex re aliqua sensibili.

2. Deinde, conuenit inter omnes Matrimonium posse esse validum inter mutos; in istis autem verba significantia ex hominum instituto locum habere non possunt: ergo soli nutus & signa sufficiunt.

Corollariũ. Moneo tamẽ consensus vtriusque partis rectiùs explicari per verba, quã per quælibet alia signa sensibilia: Primò, quia ità vsus obtinuit, & Ritualia vsum verborum exigunt.

Deinde, verba magis & certiùs significant, quàm alia signa quæcunque.

Tertiò, facilìori negotio positis verbis significantibus consensus, inter suos liter, & dissidia tolluntur, quæ interdum consequuntur Matrimonia.

Digitized by Goog

DVBITATIO NONA.

An Consensus simpliciter necessarij debeant formaliter & expressè tendere in copulam.

RATIO dubitandi est, quia Augustinus capit. 5. lib. de bono coniugali, & capit. 25. lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia ait, eum non contrahere Matrimonium qui contrahit cum aliqua, cæterum cum ea intentione, vt apud se statuerit non accessurum ad vxorem.

2. Deinde, si Matrimonium stare possit sinè consensu formali in copulam, sequitur dominium futurum vanum, & inutile, quod consequitur ex contractu mutuo.

3. Tertio, impotentes contrahunt inualidè, ex toto titulo de frigidis, & maleficiatis.

4. Quartò, ratio Matrimonij videtur esse posita in petitione & redditione debiti coniugalis.

5. Denique, qui ità contrahit vt nolit vti vxore, hic elicit actum præcipuo & principali fini Matrimonij contrarium; nam finis Matrimonij præcipuus & principalis est prolis generatio, omnium consensu: ergo consensus contrahentium Matrimonium debent tendere in copulam.

Consensus in copulam non est necessarius. Mat. 1. & 2.

CONCLVSIO 1. *Consensus in copulam formalis & explicitus non est vlla ratione de essentia, seu, quod idem est, de necessitate contractus sacramenti Matrimonij.* Primò, quia inter Diuam Virginem & Ioſephum fuit verum Matrimonium, vt constat ex multis Scripturæ locis, Matthæus 1. & 2. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et rursus: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam viro:* Idem docent omnes Patres: at nullus potuit esse consensus formalis & expressus in copulam in Diua Virgine, vt communiter docent omnes, Ambrosius de institutione Virginis, capit. 6. *Nec illud moueat*, inquit, *quod ait: Quia Ioseph accepit coniugem suam, & profectus est in Ægyptum. Desponsata enim viro, coniugis nomen accepit; Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique, cùm iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* D. Augustinus sermon. 63. de diuersis, & lib. 1. de nuptiis, & concupiscent. capit. 11. *Neque enim*, inquiens, *fallaciter ab Angelo dictum est Ioseph:* Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cognituras: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideò & sanctius & mirabilius iocunda suo viro, quia etiam fœcunda sinè viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux maAmbros. D. August.

tris eius, virumque mente, non carne.* Beda in sermone Domini infra octauam Natiuitatis. *Quamuis*, ait, *& eo modo pater illius Ioseph valeat dici, quo & vir Maria rectè intelligitur sinè commixtione carnis, ipsa copulatione coniugij, multo videlicet coniunctius, quam si esset alibunde adoptatus.* Hinc vox illa Gregorij magni, vbi de beata Virgine loquitur: *Virgo*, inquit, *ante partum, in partu, & post partum*; Consensus autem in copulam formalis & expressus destruit virginitatem: ergo talis non est de essentia Matrimonij.

Obiectio.

Dices, Patres affirmare de Diua Virgine, quod non fuerit vxor, quòd sponsum non habuerit, quòd denique innupta permanserit: ità Epiphanius hæresi 28. Gregorius homilia 26. in Euangelia, Hieronymus ad caput 1. Matthæi, Chrysostomus ibidem, & Augustinus sermon. 17. de tempore.

Solutio. 1. Respondeo, sanctos Patres huiusmodi loquutionibus tantùm voluisse Diuam Virginem non habuisse sponsum à quo fuerit cognita, non fuisse vxorem à viro vitiatam, & demum innuptam permansisse ratione consummationis Matrimonij tantùm: Ceterum prælati Patres fatentur Diuam Virginem fuisse sponsam, vxorem, & præterea nuptam, & id respectu Matrimonij rati, vt loquuntur, non autem consummati.

2. Deinde, qui volunt transire ad statum vitæ Monasticæ, possunt prius Matrimonium contrahere, & posteà petere monasterium aliquod, quatenus perpetuam in eo castitatem retineant, modò tamen Matrimonium non consummauerint, vt patet ex capit. *Commissum*, de sponsalibus.

3. Tertiò, ratio Matrimonij tota posita est in traditione & acceptatione corporum ad mutuos vsus: at tota hæc res potest perfectissimè consurgere sinè vllo formali & expresso consensu in copulam, imò si negaretur debitum ab vna parte, non destrueret hæc rationem Matrimonij, sed impediret effectum eiusdem.

4. Quartò, qui de facto Matrimonia consummauerunt possunt liberè profiteri in ordine aliquo probato ab Ecclesia, perpetuam castitatem, modò tamen id fiat de consensu vtriusque coniugati, vt constat ex multis capitibus de conuersione coniugatorum; cap. *Vxoratus.*, & capit. *Ex parte.*

Obiectio. Dices, consensus defectum in copulam non aduersari Matrimonio constituto, bene tamen Matrimonio constituendo. Verùm contrà: eadem est natura Matrimonij constituti & futuri: at non aduersatur de facto consensus copulæ Matrimonio constituto: ergo neque constituendo, & futuro.

Denique, nihil repugnat quominùs aliquis contrahat Matrimonium sub ista conditione, quod neuter exiget; aut reddet debitum coniugale; aut etiam quod vterque perpetuam conseruabit continentiam; aut denique, quod vterque transibit ad statum vitæ monasticæ, vt docet Paludanus in 4. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. Abulensis ad cap. 3. Numer. quæst. 22. sub finem. Soto distinct. 29. quæst. 2. art. 3. lib. 4. & Rebellus lib. 2. qu. 10. numer. 9.

Digitized by Google

numer. 9. & alii multi recentiores. Ratio hoc ipsum suadet: diximus enim naturam & essentiam Matrimonii præcisè positam esset in traditione & acceptatione corporum ad mutuos vsus, hæc autem traditio & acceptatio possunt esse sinè vllo formali, & expresso consensu in copulam: ergo. Ità authores proximè citati, & multi alij tum veteres, tum recentiores. A

Virtualis consensus in copulam sufficit ad, &c.

CONCLVSIO 2. *Licèt formalis & expressus in copulam consensus non sit de essentia Matrimonij, virtualis tamen & remotus est de natura Matrimonij, quotiescumque fuit contractum per verba de præsenti, sine vlla conditione excludente vel formaliter, vel virtute copulam.* Primò, quia ità docent authores proximè citati. B

2. Deinde, Matrimonium est institutum ab authore naturæ, propter bonum prolis, & quidem præcipuè & principaliter: at proles consurgere nequit sinè copula, saltem naturaliter loquendo; propterea autem dixi, *nulla interueniente conditione excludente copulam*: quoniam si conditio excludens copulam fuit adiecta Matrimonio, nullum dicit ordinem ad copulam nec formaliter, nec virtute, vt est per se notum.

Ad argumenta contraria resp. Ad rationes verò contrarias respondeo. Ad primam, Augustinum illis in locis differere de illis, qui cùm Matrimonium contraxerint, viuunt tamen in perpetuo concubinatu, retinendo mulieres extraneas cum legitima; de istis ergo ait D. Augustinus quod non nubant, sed quod peccent, & adulterentur. C

Augusti.

2. Respondeo 2. Differere in posteriori loco non de illis qui volunt sponte & liberè continentiam retinere, pendente Matrimonio, sed de illis qui nuptias contrahunt studio solius libidinis implendæ, & nihilominus cum animo non suscipiendi prolem; de istis ergo ait, quòd non celebrent Matrimonia, sed quod mœchentur, & grauissima peccata committant. D

Ad 2. Ad secundam, respondeo dominium, seu quod idem est, coniugium, non propterea futurum inutile inter eos coniugatos, qui ad copulam nulla ratione accedere volunt, studio retinendæ castitatis, nam conducit huiusmodi coniugium saltem ad hoc vt neuter ex istis transeat ad statum Matrimonii cum alio.

Deinde, vsus dominii, & dominium ab inuicem separantur, vt constat ex Paulo ad Galatas 4. *Quanto tempore*, inquit, *hæres parvulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre.* E

Galat. 4.

Ad 3. Ad tertiam respondeo, impotentem physicè & naturaliter non posse validè contrahere, idque quòd ità iure canonico definitum & constitutum sit: impotens tamen sola voluntate, putà quia manet adstrictus voto perpetuæ castitatis potest validè contrahere, stante hac hypothesi, quòd votum hoc sit tantùm simplex: licèt enim peccet iste contrahendo, contractum tamen Matrimonium non inualidatur propterea, sed tenetur hic reddere debitum quamquam non possit exigere, omnium planè Catholicorum consensu.

In 3. partem D. Thom.

Ad 4. Ad quartam: Rationem Matrimonii nullo modo esse positam in petitione & redditione debiti coniugalis, vt constat ex dictis.

Ad vlt. Ad vltimam, cum qui vouit castitatem cum altera parte, cum qua contraxit, nulla ratione peccare contra bonum prolis, quotiescumque de facto intendit non admittere copulam cum legitima parte; prolis quippe generatio non est præcipuus & principalis Matrimonij finis, quouis modo, sed tantùm legitimè facta: supposito autem voto perpetuæ castitatis inter coniugatos prolis generatio nequit fieri licito modo; non enim possunt isti rem vxoriam tractare inculpatè; facerent enim contra votum perpetuæ castitatis.

Deinde, non tenentur coniugati ad reatum alicuius culpæ, nauare operam copulæ, etiamsi supponamus coniugatos istos nulla ratione teneri ad castitatem seruandam, sed tantùm obligantur vt quotiescumque copula admittatur inter ipsos, ne quid fiat ex quo sequatur prolis deperditio, & ideò possunt communibus tamen votis, vitam castissimam celebrare toto tempore vitæ si velint.

DVBITATIO DECIMA.

An per omnipotentiam Dei fieri possit vt Matrimonium consurgat inter duos sinè mutuis consensibus.

Omnino necessarij consensus mutui ad Matrim.

CONCLVSIO 1. *Matrimonium nequit consurgere sinè consensibus legitimis & mutuis eorum qui contrahunt, etiam de potentia Dei absoluta.* Primò, quia fieri non potest, vt Matrimonium consurgat sinè illis ex quibus conflatur eius essentia: at essentia Matrimonii consurgit ex mutuis consensibus contrahentium, veluti ex partibus essentialibus: ergo non potest per aliquam potentiam esse absque illis.

2. Deinde, implicat contradictionem Matrimonium sine mutuis consensibus contrahentium esse; esset enim & non esset, quia non interueniisset assensus contrahentium.

Vinculum & obligatio Matrim. potest esse absque consensibus.

CONCLVSIO 2. *Vinculum Matrimonij & obligatio eiusdem inter duos consurgere possunt sinè vllis consensibus istorum per omnipotentiam Dei.* Primò, quod potest Deus mediis causis secundis, se solo potest in ratione causæ efficientis: at mediis consensibus vtriusque partis contrahentis potest Deus inducere vinculum & obligationem Matrimonii: ergo se solo idem poterit.

2. Deinde, maiorem habet Deus in corpus cuiuslibet potestatem quàm habeamus nos ipsi, idque ex plenitudine dominii quod Deus habet in res omnes: at quilibet nostrûm medio consensu legitimo tradit potestatem sui corporis alteri, & item accipit alterum ad vsum Matrimonii.

3. Ozeæ 1. Tertiò, fecit Deus plenam potestatem Ozeæ prophetæ vt accederet ad mulierem fornicariam, non expectato eius assensu, vt colligitur ex cap. 1. Ozeæ *Vade*, inquit, *sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*: certum autem est Ozeam non peccasse hac in re; non enim potuit Deus imperare aliquam actionem, quæ verè peccatum esset, fecit ergo eamdem potestatem Ozeæ, quam contulisset consensus legitimus & mulieris istius & ipsius prophetæ.

Digitized by Google

4. Quartò, sunt qui putent Deum ità se gessisse erga primos parentes, idque quod Matth. 19. dicatur: *Quod Deus coniunxit homo non separet.*

Matth. 19.

Ceterùm contraria opinio videtur tutior: incredibile namque est primum omnium Matrimonium aliter fuisse à Deo institutum, quàm postularet eius natura & essentia: Diximus autem essentiam Matrimonij consurgere ex traditione & acceptatione corporum ad vsum Matrimonij. Ità Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. concl. 1. Henricus lib. 11. suæ Summæ moralis, cap. 1. numer. 3. Ledesma ad quæst. 42. additionis D. Thom. ad 3. part. Victoria, in relectione de Matrimonio.

Obiectio. Obiicies, Matrimonium debere esse quàm maximè liberum, nedum in ratione contractus, sed etiam respectu vinculi, & obligationis.

Solutio. Respondeo, vinculum & obligationem natâ ex consensibus legitimis debere esse liberam, vel formaliter, vel virtute ad minus; quæ tamen habent ortum à potestate diuinitus tradita, non eliciuntur à nobis liberè, aut certè non est necesse quod dentur in nobis liberè; potest enim vnus exigere debitum ab alio, etiam ipso renuente: supponimus autem Deum contulisse illam eamdem potestatem quam de facto contulissent mutui consensus istorum duorum.

Instantia. Instabis, obligationem & vinculum Matrimonij esse quasi relationem consequentem naturam & essentiam consensus mutui; at relatio nequit ab aliquo poni, nisi ponatur & fundamentum eiusdem, non enim distinguitur hæc à suo fundamento realiter: ergo impossibile est poni vinculum quin ponatur consensus.

Solutio. Respondeo, vinculum Matrimonij nihil aliud esse quàm dominium seu potestatem in corpora coniugatorum: hæc autem potestas non solùm datur in nobis dependenter à mutuis consensibus eorum qui contrahunt Matrimonium, sed etiam per potestatem Dei absolutam, ex plenitudine dominij quod Deus habet in res omnes, ac proinde sinè consensibus contrahentium verè consurget obligatio & vinculum Matrimonij saltem de potestate absoluta Dei.

Urgent. Vrgebis, neminem posse obligari ad ea quæ sunt vitæ monasticæ, nisi liberè se ipsum ad id obstrinxerit, ergo illud idem erit dicendum de vinculo Matrimonij: hoc enim non est minus onerosum, anxium, & difficile, quàm sit status vitę monasticæ.

Solutio 1. Respondeo primò, negando antecedens; eadem quippe facilitate qua Deus obstrinxit quoslibet ad suorum mandatorum obseruationem, potuit etiam astringere saltem aliquos ad consilia Euangelica obseruanda. Est enim Deus quam maximè liber in actionibus ad extra, & nulla datur impossibilitas obseruandi consilia Euangelica.

2. Respondeo 2. quicquid sit de antecedente, nego consecutionem, nam propterea non potest Deus astringere quempiam ad statum vitæ monasticæ quòd status hic ex dispositione iuris communis postulet libertatem perfectissimam in eo qui vult profiteri vitam monasticam, propter hâc enim cautam vota religionis dicuntur opera consilij. Obligatio verò & vinculum Matrimonij non pendet intrinsecè & essentialiter à libertate creaturæ rationalis, sed subiiciuntur omnipotentiæ diuinæ propter plenitudinem dominij, quod Deus habet in res omnes, vnde dabuntur dependenter à voluntate creata.

Corollariū. Ex istis colliges, Pontificem Romanum aut Ecclesiam Catholicam non posse supplere consensiones ad validitatem Matrimonii necessarias, licèt possit Ecclesia obligare aliquos in particulari ad celebrationem Matrimonii: ex causa tamen publica. Ratio prioris est, quia diximus Deum non posse efficere vt Matrimonium consurgat inter duos sinè mutuis consensibus istorum contrahentium; potestas autem Ecclesiæ non est tanta, quanta illa quæ datur in Deo. Posterior autem pars probatur: Ecclesia licet nullum habeat ius directum in corpora, habet tamen indirectum, vt communiter fatentur omnes in tractatione de potestate Ecclesiæ.

Deinde, quilibet Christianus, hoc ipso quod dedit nomen fidei Catholicæ, eidem tenetur parere, & quidem ad reatum peccati mortalis, maximè in eo casu in quo Ecclesia præcipit aliquid iustum, & nedum vtile, sed etiam necessarium reipublicæ Christianæ: ergo occurrente causa publica poterit Ecclesia obligare aliquos in particulari ad Matrimonii celebrationem.

DVBITATIO VNDECIMA.

An Matrimonium possit esse validum inter absentes, contractum tamen per procuratores.

CONCLVSIO *Affirmatiua: & quidem Inter absentes in illis locis in quibus Concilium Tridentinum est latum est publicatum, ac proinde etiam in illis in quibus non fuerit publicatum.* Ità definitur expressè in capite vltimo de procuratoribus in 6. *Procurator*, inquit, *non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamuis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium; nisi hoc eidem specialiter sit commissum.* *Matrimonium.*

2. Secundò, Pontifex Maximus, imò quilibet Episcopus in sua diœcesi tolerat Matrimonia contracta inter absentes per procuratores.

3. Tertiò, omnia necessaria ad validitatē Matrimonii reperiuntur in illo contracto inter absentes; procuratores quippe contrahentium explicant consensus eorum: adest Parochus vel deputatus à parocho: adsunt etiam duo vel tres testes, vt supponimus, in illis locis in quibus Concilium Tridentinum est publicatum: in aliis verò locis in quibus lex istius Concilii non est denunciata, sufficiunt consensus vtriusque partis contrahentis, explicati per procuratores; ergo Matrimonium celebratum inter absentes per procuratores, tam verè confert gratiam coniugatis, quàm faciat contractum inter præsentes: nam loci distantia nequit impedire quominus Deus vtatur consensibus explicatis per procuratores, veluti instrumentis quibusdam physicis,

Digitized by Google

vt producat gratiam in animabus coniugatorum: nam Deus eſt in omnibus locis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, vnitúrque rebus omnibus immediatione virtutis, & ſuppoſiti, ac proinde producet de facto gratiam dependenter à conſenſibus explicatis per procuratores in ipſis coniugatis. Ità docent communiter veteres & Recentiores Scholaſtici; maximè verò Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. Petrus Ledeſma ad quæſt. 42. additionis D. Th. 3. part. art. 1.

Obiectio. Obiicies, Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij, declarare eos inhabiles ad contrahendum, qui aliter quàm præſente proprio parocho contrahunt: igitur Matrimonium non poterit conſurgere inter abſentes.

Solutio. Reſpondeo, ex iſtis nihil poſſe colligi, nam Concilium verbis expreſſis habet ſufficere vel parochum, vel deputatum ſacerdotem à parocho ad validitatem Matrimonij: potuit autem parochus delegare vices ſuas alteri, vt in eius abſentia intereſſet celebrationi Matrimonij per procuratores factæ. Deinde, Congregatio Cardinalium deputata à Pontifice Maximo ad tollenda dubia nata circa litteram Concilij Tridentini decernit præſentiam parochi vtriuſque partis contrahentis non eſſe neceſſariam ad validitatem Matrimonij, ſed ſufficere præſentiam alterius Curati.

Durandi obiectio. Obiicit Durandus in 4. diſt. 26. ſi Matrimonium contractũ per procuratores inter abſentes eſſet validum, ſequeretur dormientem peccare poſſe mortaliter, nihil enim repugnat quominùs is qui fecit poteſtatem procuratori, vt contraheret cum Berta abſente, agat in ſtatu peccati mortalis, & dormiat pro eo tempore in quo procurator ab eo conſtitutus explicabit ſuum conſenſum Bertæ, præſente parocho, & teſtibus: at certum eſt eum qui conſequitur ſacramentum aliquod in ſtatu peccati mortalis peccare mortaliter, ponit enim obicem gratiæ ſacramenti, quod conſequitur: ergo non poteſt eſſe validũ Matrimoniũ.

Solutio. 1. Reſpondeo primò, eos qui volunt contrahere matrimonium per procuratores debere ſedulo & diligenter animaduertere, vt ſint debitè diſpoſiti ad ſacramenti Matrimonij gratiam conſequendam pro eo tempore in quo procurator explicabit ſuum conſenſum alteri parti.

2. Reſp. 2. non eſſe abſurdum dormientem, imò & deſtitutũ ratione peccare mortaliter: conuenit enim inter omnes cũ qui præcepit ſeruo, vt occidat Socratẽ in alio loco conſtitutum, vere admittere homicidium pro eo tempore in quo ſeruus occidit Socratem, etiamſi herus iſte dormiat, aut careat ratione, eo quod ab eo tempore factus ſit amens; ſuppono enim quod actum hunc non retractauerit, & emendauerit per penitentiam, antequàm occideretur Socrates à ſeruo. Fatentur etiam omnes eum, qui tempore vigiliæ dedit occaſionem pollutioni, interueniente ſomno vere peccare, ſi ſubſequuta fuerit pollutio: ergo illud idem eſt dicendum de iſtis qui contrahunt per procuratores, ſi contrahentes iſti agant in peccato mortali, & vnus ex iſtis dormiat pro eo tempore, quo altera pars cum procuratore contrahit.

Obiectio 2. Obiicit ſecundò Durandus, neminem poſſe conſequi ſacramentum aliquod per procuratores.

Solutio. Reſpondeo procuratores non recipere ſacramentum Matrimonij in ſeipſis, ſed tantummodo coniuges à quibus conſtituti fuerunt iſti procuratores: nam ſacramentum in illis recipitur tantùm in quibus ſuos habet effectus; certum autem eſt gratiam ſacramenti Matrimonij in ſolis coniugatis produci. Deinde, obligatio ſeu vinculum & inſolubilitas Matrimonij conſequuntur ipſos coniuges, non autem procuratores.

Obiectio 3. Denique obiicit Durandus, fieri non poſſe vt quis ſacramentum aliquod conſequatur, niſi contigerit hominem iſtum aliquid operari ad hoc vt ſacramentum conſequatur.

Solutio 1. Reſpondeo 1. propoſitionem illam abſolutè loquendo eſſe falſam: nam moribundis, & omni fere ſenſu deſtitutis applicatur abſolutio ſacramentalis, modò tamen conſtet eos expoſtulaſſe ſacramentũ penitentię, antequàm fuerint priuati vſu rationis, loquelę, & functionis ceterorum ſenſuum externorum, imò datur eiſdem ſacramentum extremæ Vnctionis, etiamſi non fuerit efflagitatum, modò tamen moribundus bene vixerit anteà. Sunt enim qui putant, bene vixiſſe eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad hoc, vt Curatus poſſit inculpatè adminiſtrare ſacramentum extremæ Vnctionis; temporibus item primitiuæ Eccleſiæ ſpecies vini conſecrati data fuit paruulis vagientibus in cunis, ſuſcepto tamen prius baptiſmate, vt conſtat ex Cypriano lib. de lapſis.

2. Reſpondeo 2. contrahentes, licèt abſentes, explicare verè ſuos conceptus, non quidem per ſeipſos, ſed per procuratores, & ideò expreſſionẽ iſtorum conſenſuum magis pertinere ad contrahentes, quàm ad ipſos procuratores, ſufficeréque conſequenter ad validitatem Matrimonij, illo eodem modo, quo eleemoſyna data à ſeruo ex præcepto & bonis domini ſui, nõ cenſetur eſſe ſerui, ſed domini: tota enim laus & meritum eleemoſynæ iſtius redundat in perſonam domini; minimè verò in ſeruum; ità obligatio tota ſe tenet ex parte coniugatorum, non autem procuratorum. Non eſt tamen negandum quin conſenſus explicati à procuratoribus pertineant aliqua ratione ad matrimonium contractum inter coniugatos, nempe materialiter, illo eodem modo, quo voces & ſigna quibus ſignificantur conſenſus contrahentium cenſentur eſſe de ratione contractus.

Conditiones neceſſariæ ad validitatem. Aduerte tres conditiones eſſe ſimpliciter neceſſarias ad validitatem matrimonij celebrati per procuratores. Prima, quod procurator mandatum ſpeciale habeat de contrahendo cum Berta in particulari, determinate. Secunda, quod vices ſuas procurator non delegauerit alteri. Tertia, quod mandatum non fuerit reuocatum ab eo qui procuratorem inſtituit. *1.* *2.* *3.*

Probatur *1.* Ratio prioris eſt, quia non eſt maior defectus, quàm defectus poteſtatis: nullus autem eſt qui poſſit alium obligare ad onera & vinculum Matrimonij. Secundum autem probatur ex eo, quod non liceat mandatario ſeu procuratori excedere fines ſui mandati. *2.* Vltimum denique innoteſcit ex eo quod conſenſus liberrimus vtriuſque partis contrahentis, ſit ſimpliciter neceſſarius ad validitatem Matrimonij: reuocato autem mandato, conſenſus neceſſarius non eſſet liber ad contrahendum, propter reuocationem factam à mandante, neque neceſſe eſt reuocationem iſtam innoteſcere vel procuratori, vel parti, ad hoc vt Matrimonium ſit inualidum, ſed ſatis eſt, quod vere is qui procuratorem inſtituit ad contrahendum, reuocet mandatum mutétque conſilium de contrahendo per conſenſum à procuratore præſtitum. *3.*

Corollariũ. Ex dictis colliges, Matrimonium vt eſt ſacramentum nihil aliud eſſe quàm contractum in

Digitized by Google

quo legitimæ personæ tradunt sibi mutuum dominium in propria corpora, ad vsum Matrimonij, ex institutione Christi, producentem gratiam gratum facientem ex opere operato in istis qui huiusmodi contractum celebrauerunt.

PARS TERTIA TRACTATIONIS,

De quibusdam consequentibus naturam & essentiam Matrimonij.

TRES hîc occurrunt Dubitationes resoluendæ. Prima, An Matrimonium sit insolubile, seu, an duret pro toto illo tempore in quo viuunt contrahentes. Secunda, An Matrimonium sit vnius tantum viri cum vna vxore, ex se & sua natura, an vero possit admittere pluralitatem vxorum. Tertia, An Matrimonia clandestina sint valida.

DVBITATIO PRIMA.

An Matrimonium sit insolubile, seu, an duret pro toto illo tempore in quo viuunt contrahentes.

Rationes dubitandi.

RATIO dubitandi prima est: In lege Mosaïca libellum repudij concessit Moyses coniugatis, Deutero. 24. & Matth. 19. at dato libello repudij liberum fuit coniugatis transire ad secundas nuptias cum alio, vel alia, sine vlla plane culpa, vt docent plerique Theologi Scholastici, Tostatus, & Burgensis, ad loca proximè citata Deuter. & Matth.

1. Deute. 24. Matth. 19.

2. Deinde, Matrimonium ratum, non tamen consummatum soluitur per ingressum religionis ex cap. *Ex publico*, & ex cap. *Ex parte tua*, de conuersione coniugatorum, & definiuit Tridentinum can. 6. sess. 24. de sacramento Matrimonij: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit*: at potest pars quæ manet in seculo, posita professione alterius coniugis, inculpatè transire ad secundas nuptias cum alio, vel alia.

2. Trident.

3. Tertiò, Matth. 19. dicitur nefas esse coniugatos ab inuicem separari, excepta tamen causa fornicationis, seu, quod idem est, excepto crimine adulterij: hoc enim posito separatur maritus ab vxore, & è contrà: ergo.

Vltima. Denique, sunt qui doceant hominem commutari in feminam: ità Plinius lib. 7. naturalis historiæ cap. 4. quo loco ait, se hominem vidisse mutatum posteà in feminam, subiungitque de hac eadem re tria exempla: ergo saltem in hac hypothesi Matrimonium dissoluetur inter istos duos coniuges.

Matrimonium indissolubile. 1. CONCLVSIO 1. *Matrimonium ex se & sua natura est insolubile, seu quod idem est, obligatio Matrimonij tanta est, vt hac non aliter dissoluatur, quàm per mortem alterius partis, qua contraxit.* Primò, quia aliter non esset bene prospectum proli, tenentur enim coniuges ambo ad nutritionem prolis, & ad institutionem eiusdem in fide & bonis moribus, donec peruenerit hęc ad eam ætatem in qua possit carere opera parentum: videtur autem effectus istos non posse consurgere, nisi coniuges sub eodem tecto commorentur, & nisi vterque retineat dominium in corpus partis, cum qua contraxit; & denique nisi mutuis auxiliis sibi adsint, idque omni plane die.

Obiectio. Dices, ex istis colligi fas esse coniugatis transire ad secundas nuptias cum aliis, stante hypothesi quod proles peruenerit ad eam ætatem, in qua poterit carere opera parentum.

Solutio. Respondeo, id non colligi; nam perseuerante educatione prolis istius, habet quilibet coniunx dominium in corpus alterius, & ab istis potest generari noua proles, qua posita consurgit noua obligatio educandi prolem istam, quoad vsque fuerit hęc adepta perfectionem in qua non egebit auxilio parentum, & idem dicendũ est de alia simili prole quæ suscipi potest, ac proinde durabit quoque vinculum Matrimonij inter istos.

Instantia. Instabis, filios illegitimè natos educari interdum cum magna securitate: item nihil repugnat quominùs ambo coniuges sint steriles.

Solutio. Respondeo hæc per accidens contingere, non autem per se; per accidens quippe est, quod qui Matrimonium contraxerunt sint steriles: item per accidens est, quod filius illegitimus debitè, & vt oportet nutriatur: ius autem naturale non respicit ea quæ contingunt per accidens in Matrimonio, sed tantummodo per se: indubitatum vero est prolem rectiùs institui & educari per Matrimonium, quàm quacumque alia ratione.

Probatio Conclusion. 2. Secundò probatur Conclusio; Si Matrimonium non esset insolubile, nullum daretur constans, certum, & definitum discrimen inter Matrimonium & concubinatum illius, qui vnam tantummodò pellicem domi retineret, cum qua tamen non vult toto tempore vitæ permanere, aut si id velit, non tamen ad id voluit se astringere: at certum est concubinatum habere rationem peccati mortalis. *1. Corinth. 6. Galat. 5. & Ephes. 5.* & ex D. Augustino lib. 1. de adulterinis coniugiis, & denique ex D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 2. Matrimonium autem vocatur in sacris litteris sacramentum magnum, idque in Christo & in Ecclesia. Et præterea, thorus immaculatus.

1. Cor. 6. Galat. 5. Ephes. 5. D. August. D. Thom.

3. Tertiò, vir & mulier legitime coniugati, sunt principium alicuius generis, illo eodem modo quo Adam, & Eua; ceteris tamen paribus, fuerunt principium totius generis humani: at hoc dici non posset si liceret coniugatis istis separari ab inuicem, & contrahere cum aliis.

4. Denique, apud Romanos, & alios Ethnicos & infideles non licuit antiquitus diuortium facere, sed quilibet cogebatur domi retinere propriam vxorem, quamdiù hæc viueret, vt authores sunt Valerius Max. Aulus Gellius, & alij nonnulli: imò sunt qui scribant Spurium Caruilium primum omnium inter Romanos anno quingentesimo post ciuitatem Romanam conditam repudiasse vxorem, eo quod sterilis esset, & in locum legitimæ suppositisse aliam.

Inter Christianos indissolubile Matrimonium. CONCLVSIO 2. *Matrimonium inter omnes Christianos consummatum, censetur esse insolubile: Matrimonium ità vt sola morte alterius coniugis soluatur.* Probatur primò, ex cap. 7. 1. Corinth. *Mulier viuente viro alligata est legi, si autem dormierit vir eius, liberata est à*

1. 1. Cor. 7.

Digitized by Google

est à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino, & ibidem: *Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, maneat innupta.*
Rom. 7. & Rom. 7. *Mulier viuente viro vocabitur adultera,*
Marc. 10. *si fuerit cum altero viro,* & Marc. 10. & Luc. 16.
Luc. 16. *Qui dimittit vxorem suam, & aliam ducit, mœchatur.*
Matth. 19. & Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ,* &c. *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* id est, durante vita illorum coniugum.

2. Florent. Secundò probatur, ex Concilio Florentino, in decreto Eugenij. *Tertium,* inquit, *bonum Matrimonij est indissolubilitas, propter hoc quod significat indiuisibilem Christi connexionem & Ecclesiæ.* & in Trident. Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. ib. tam initio. *Matrimonij,* inquit, *perpetuum indissolubilémque nexum primus humani generis parens diuini spiritus instinctu* Genes. 2. *pronunciauit, cum dixit,* Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem,* &c. & paulò post ait, eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam supra, Matth. 19. Chri- Matth. 19. stus his verbis confirmauit. *Quod Deus coniunxit,* Trident. *homo non separet,* & can. 5. eiusdem sess. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse Matrimonij vinculum: anathema sit.* canon autem hic positus fuit à Concilio contra hæreticos nostri temporis, qui propter causas in eo explicatas docent Matrimonia posse dissolui inter Christianos, & Catholicos homines. Ita docent D. August. Patres innumeri, Augustinus de bono coniugali, cap. 15. *Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula, quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicuius eorum morte dissolui; manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manserit sterilitate non subsequente: ita vt iam futuris coniugibus non se filios habituros, separare se tamen velipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat.* Chrysostomus Chryso. homil. 17. in Matth. prope medium. *Ille enim,* inquit, *etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex coniuge, hæc verò accipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulsa quoque vxor esse eius, qui eam expulit perseuerat.* Tertul. Tertul. Basilius. de Monogamia cap. 9. Basilius epistola ad Amphilochium, can. 9. & alij.

Ad argumenta contraria respondet.

Ad rationes vero dubitandi respondeo. Ad primam, libellum repudij fuisse permissum, non autem præceptum in lege Mosaica, vt vitaretur maius malum, & daretur locus minori, vt manifestè docent Patres, D. August. lib. 1. sermone
1. D. August. Domini in monte, cap. 14. *Qui,* inquit, *præcepit dare libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimittatur; sed qui dimisit, inquit, illi det libellum repudij: vt iracundiam temerariam proijcientis vxorem, libelli cogitatio temperaret.* & lib. 19. contra Faustum idem repetit, & Hieronym. ad cap 5. Matth. *Moyses,* inquit, *libellum repudij dari iussit, non dissidium concedens, sed auersem homicidium.*

2. Deinde, hoc colligitur ex responso Christi: rogantibus siquidem Iudæis, an liceret vxorem Marc. 3. dimittere? *Moyses,* inquit, *mandauit dare libellum repudij, & dimittere vxorem: tu verò quid dicis?* Respondit Christus mutato verbo, mandauit, in verbum, permisit. *Moyses,* inquit, *permisit vobis ad duritiam cordis vestri*; argumento igitur est concessionem libelli repudij non fuisse præceptam à Moyse, sed tantummodò permissâ, idque ne vxores occiderentur à maritis maleuolis.

3. Tertiò, hoc idem dicendum est de libello repudij, quod de vsuris, quas Moyses permisit Iudæis, in ordine ad exteros, Deuter. 23. *Non fenerabis fratri tuo, sed alieno*; non potuit autem Deute. 23. Moyses præcipere vsum vsurarum Iudæis, sed tantùm permittere, ad vitandum maius malum; sunt enim vsuræ iure naturali, & diuino prohibitæ, & secus sentire hæresis est manifesta, vt definiunt sacri Canones.

4. Quartò, non potuit dispensare Deus in eis quæ sunt iuris naturalis, nisi ex motiuo aliquo honesto & licito: at duritia cordis Iudæorum nequit esse motiuum honestum & licitum: ergo non potuit Moyses præcipere vsum libelli repudij authoritate diuina, sed tantummodò permittere ad vitandum maius malum, quemadmodũ & iure ciuili vsuræ permittuntur, & item in quibusdam locis lupanaria, itémque hæresis: permissio ergo libelli, non fecit antiquitus potestatem transeundi ad secundas nuptias inculpatè, sed tantùm ne adulteria ab illis admissa post datum libellum repudij vindicarentur authoritate publica: ità communiter Scholastici hoc loco, & interpretes ad cap. 19. vel 5. Matth.

Ad 2. Ad secundam respondeo, postulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur; *An Matrimonium ratum & consummatum destruatur per ingressum religionis alterius partis, qua contraxit; ita vt relictus in seculo possit transire ad aliud Matrimonium sine vlla plane culpa.*

Dirimitur ratum matrimonium & non consummatum per, &c.

CONCLVSIO in ordine TERTIA. *Matrimonium ratũ & non consummatum dirimitur per ingressum religionis, ita vt pars quæ manet in seculo post professionem alterius possit inculpate contrahere cum alio:* ità dicitur verbis expressis locis citatis in argumento, & in cap. *Ad Apostolicam,* de conuersione coniugatorum, & in cap. *Fraternitatis tua,* de frigidis: fuere multa capita quæ extant apud Gratianum 27. quæst. 2. cap. *Si vir,* cap. *Desponsatam.* cap. *Decreta* cap. *Quia Agatho,* & cap. *Sunt qui Proinde,* inquit, *cum boni coniuges, aut meritum augere desiderant, aut amicæ vitæ culpas delere, vt se ad continentiam adiuti inuicem & meliorem partem apprehendant, licet. Et quidem multos Sanctorum nouimus cum suis coniugibus, & prius continentem vitam duxisse, & ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse.*

Accedunt & varia exempla eorum qui ante Matrimonium consummatum de facto castitatem perpetuam retinuerunt post celebrationem Matrimonij, huius generis creditur fuisse D. Ioannes Euangelista, Tecla monente & rogante Paulo, Cæcilia, Alexius, Macharius, Odilia Regina apud Anglos, vt refert Surius in eius vita, & Hildilrida apud Bedam lib. 4. historiæ Anglorum, cap. 19. duo milites apud D. Augustinum, lib. 8. E Confessio. cap. 6. in fine, idque ex lectione vitæ sancti Antonij, subiungit D. Augustinus illud idem fecisse sponsas eorumdem, audito facto maritorum.

Matrimonium consummatum stat. Marc. 10. Luc. 16. 1. Cor. 7. Matth. 19.

CONCLVSIO 4. *Matrimonium consummatum non dirimitur per ingressum alterius partis in religionem approbatam, authoritate Ecclesiæ.* Primò, quia dicitur Marc. 10. *Qui vxorem dimittit & aliam ducit, mœchatur.* & Paulus 7. prioris ad Corinth. *Præcipio non ego, sed Deus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, maneat innupta,* & Mat. 19. *Quod Deus coniunxit* (per copulam scilicet carnalem) *homo non separet.*

Digitized by Google

2. Deinde, res hæc definitur 27. quæst. 2. per multa capita, vt in cap. *Verò*, & in cap. *Ad Apostolicam*, de conuersione coniugatorum.

3. Tertiò, votum castitatis emissum ab eo qui consummauit Matrimonium non liberat à redditione debiti, omniù planè consensu; imò professio facta in ordine aliquo ex approbatis ab Ecclesia iure communi censetur esse nulla & inualida; nisi fuerit hæc celebrata, cum consensu alterius coniugis.

Obiectio. Dices, D. Augustinum affirmare eum, qui post Matrimonium contractum castitatem retinet de consensu alterius partis, strictiùs & firmius ligari, quàm facit is qui contracto Matrimonio vtitur copula cum legitima parte: ergo.

Solutio. Respondeo, in coniugatis dari duplex vinculum, vnum charitatis & dilectionis supernaturalis, aliud carnale: hoc consurgit ex copula, illud verò ex gratia & charitate, qua ordinatur homo in Deum, velut in suum finem supernaturalem: D. Augusti. de hoc ergo vinculo loquitur Augustinus eo in loco, non autem de carnali, quod non aliter quàm per mortem soluitur, illud verò destruitur per quodlibet peccatum mortale: conuenit enim inter omnes gratiam, & charitatem opponi peccato mortali, ac proinde nequeunt hæc duo reperiri de lege communi simul in eodem subiecto: propterea autem appellat vinculum hoc charitatis firmius & fortius quàm sit vinculum carnis, quia charitas eleuat hominem in Deum, quod non ità facilè fieri potest, quemadmodum quilibet inclinatur in effectum naturalem Matrimonij. Deinde, quia promissio de castitate retinenda post celebrationem Matrimonij maiorem inducit obligationem, quàm promissio de Matrimonio consummando.

Ad 3. Ad tertiam rationem dubitandi, in principio positam. Respondeo ex eo loco solum posse colligi posito crimine adulterij, partem innocentem posse separari à sua parte, quo ad societatem thori, non autem quod vinculù Matrimonij soluatur, propter loca in superioribus Scripturę allata, præsertim ex Marc. 10. & Lucæ 16.

Deinde, quia aliter esset in potestate cuiuslibet coniugati Matrimonium soluere; nam quilibet potest facillimo negotio adulterium committere.

Obiectio. Dices, Christum voluisse demonstrare, aliquid inesse adulterio, ratione cuius maior datur occasio coniugatis separandi ab inuicem, quàm posito quolibet alio defectu: ergo cum dentur aliqui casus omnino diuersi ab adulterio in quibus licet facere separationem thori, adulterium nedum soluet societatem thori, sed etiam vinculum Matrimonij.

Solutio. Respondeo, concesso antecedente, negando consecutionem; hoc enim inest adulterio, quod non datur in ceteris casibus; est siquidem positum in potestate innocentis absolutè & simpliciter, vel redire ad partem quæ commisit adulterium, vel certè non redire, ità vt à nullo possit cogi innocens vt reconcilietur ei qui adulterium commisit, ad hoc vt cum eo posteà commoretur. In aliis autem omnibus casibus posita emendatione partis, quæ peccauit, vel sublato impedimento ab eâdem, tenetur alia pars reddere debitum coniugale ad reatum peccati mortalis.

Ad vltimã. Ad vltimum respondeo, subesse scrupulum falsitatis in ea narratione: non enim in eam pollum venire sententiam, vt credam partes solidas quæ longo tempore in corpore humano perseuerauerunt, posse in naturam omnino contrariam & diuersam mutari, quod tamen asserit narratio ista Pliniana. Sed esto, detur hoc Plinio, dico Matrimonium, supposita etiam ista mutatione sexuum, maris in feminam, & feminæ in marem, perseuerare in istis vsque ad mortem alterius coniugum; tum quia eadem est natura & persona istorum contrahentium essentialiter, tum quia mutatur tantummodo sexus qui pertinet solum ad accidentia humanæ naturæ. Denique, quia coniugati isti sunt iidem numero, qui anteà.

Aduerte autem, non aliter constare nobis Matrimonium consummatum dirimi sola morte: ratum vero per professionem factam in ordine aliquo probato, quàm traditione & authoritate Ecclesiæ Catholicæ. *Notabile.*

DVBITATIO SECVNDA.

An Matrimonium sit vnius tantùm viri cum vna vxore, ex se & sua natura; An verò possit admittere pluralitatem vxorum.

Argumenta contraria 1. RATIO dubitandi prima est: omni planè tempore licuit viris etiam sanctissimis plures apud se retinere vxores; notissima quippe sunt exempla de hac re, Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauidis, Salomonis, & Hester mulieris sanctissimæ, quæ in dubium minimè reuocauit copulari matrimonio Assuero principi, etsi haberet hic multas apud se alias vxores, & licèt cultum veræ religionis Iudaïcæ non amplecteretur. Valentinianus Imperator Catholicus Iustinam sibi in matrimonium copulauit etiamsi apud se haberet Seueram, ex qua prolem susceperat, vt refert historia tripart. lib. 8. cap. 11. & Socrates lib. 4. cap. 26. Lotharius item Imperator, probantibus Archiepiscopis Treuirensi & Colonien si, plures, similiter retinuit domi vxores, vt refert Gratianus 11. quæst. 3. cap. *Theugualdum:* imò Valentinianus Imperator proximè memoratus legem tulit, vt quilibet posset liberè contrahere cum duabus vxoribus, vt refert Socrates citatus. Fabiola denique apud Hieronymũ, mirum in modum laudata, viuente marito primo, ad secundas nuptias conuolauit, vt refert idem sanctus Doctor in eius Epitaphio.

2. Secunda ratio dubitandi. Gregorius III. Pontifex Maximus fecit potestatem alicui coniugato contrahendi cum alia femina, hoc solo nomine, quod prima vxor laboraret morbo, quàm maximè chronico, seu quod idem est diuturno, referente Gratiano 32. quæst. 7. cap. *Quod proposuisti, Si mulier*, inquit, *infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat ingalis: bonum esset si sic permaneret vt abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est: ille, qui se non poterit continere nubat magis.*

3. Tertia, sancti Patres, maximè verò Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 4. docent propterea Abrahamum non peccasse, contrahendo cum Agar, licèt anteà contraxisset cum Sara; quia contrahere cum duabus vxoribus, non est contra naturam Matrimonij: & D. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 47. ait non esse contra naturam, contra morem & consuetudinem, neque contra vllum præceptum, quod factitatum fuit à Patribus veteris Testamenti, dum plures habuere apud se vxores.

Quarta,

Digitized by Google

Quarta ratio dubitandi, Polygamia non est contra præcipuum & principalem finem Matrimonij, sed tantùm contra secundarium; at nihil repugnat, quominùs prætermittatur finis secunnarius, modo primarius retineatur, qui est procreatio prolis: hæc autem procreatio stare potest cum pluralitate vxorum; nihil enim obest, quin vnus vir plures fecundet fœminas; imò si quæ irrogatur iniuria per Polygamiam tota se tenet ex parte prioris vxoris: ergo cũ in potestate cuiuslibet sit remittere ius sibi debitum de assensu prioris vxoris, licebit secundam subinducere.

Matrimonium est vnius tantùm cum vna. Genes. 2. Matth. 19.

CONCLVSIO 1. *Matrimonium ex sua prima institutione postulat, vt sit vnius tantùm viri cum vna sola femina.* quia Genes. 2. & Matth. 19. dicitur; *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: quod Deus coniunxit homo non separet*, & Matth. 19. adiicitur. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.*

2. Trident.

Deinde, ità dicitur in cap. *Gaudemus*, de diuortiis, & in Concilio Trident. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum: anathema sit.* & sub initium sess. proximè citatæ relatis verbis supradictis Geneseos addit: *Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & coniungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba, tanquam à Deo prolata, referens dixit: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.*

Hierony. Theophil. Euthym. Chrysost.

Accedunt tertiò sanctorum Patrum placita, maximè verò Hierony. in epistola ad Geruntiam, de monogamia, & lib. 1. contra Iouinian. & ad cap. 19. Matth. Theophylac. Euthymij, & aliorum interpretum ad cap. 19. Matth. Chrysost. ad cap præfatum Matth. *Considerandum*, inquit, *est, quòd non solùm ab opificio, verùm etiam ab ipso præcepto suam sententiam corroborat. Non enim dixit Deus, quia virum & mulierem vnam solummodò fecit, verùm etiam quia iussit vt vnus vni coniungatur. Nam si voluisset alteram etiam conduci vxorem, vni viro creato multas conformasset mulieres, nunc verò & creationis & sanctionis modo vnam vni perpetuò coniungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit.*

Respondent aliqui, monogamiam ideò introductam fuisse à Deo, instituendo Matrimonium, quòd hæc sit maximè commoda, & conueniens Matrimonio, non autem quod sit simpliciter necessaria iure naturali ad essentiam Matrimonij constituendam: Polygamia namque absolutè loquendo potest constituere verum Matrimonium, licèt non ità perfectè & commode, vt facit monogamia, siue vnitas viri cum sola femina, aut è contra vnius fœminæ cum vno viro.

Ceterùm hæc responsio nulla ratione est admittenda. Primò, quia dixit Deus loco proximè citato, Genes. 2. *Erunt duo in carne vna:* non autem tres, vel quatuor, vel etiam plures. Deinde, subiungit: *Adhærebit vxori suæ*, non autem vxoribus. Tertiò, incredibile est aliter Deum instituisse primum Matrimonium, quàm postularet natura & essentia eiusdem; certum autem est Deum instituisse Matrimonium inter Adamum & Euam tantùm, ex cap. citato Genes. 2. ergo Matrimonium sua natura postulat, vt sit coniunctio vnius tantùm viri cum vna sola femina.

Genes. 2.

Pluralitas vxorum iure naturali prohibita.

CONCLVSIO 2. *Pluralitas vxorum iure naturali aduersatur Matrimonio*: hæc videtur definita in cap. *Gaudemus*, de diuortiis, & in Concil. Trident. loco supra citato.

Moneo tamen Concilium non definire esse de iure naturali, non posse plures vxores retinere, sed tantùm esse de iure diuino, vt constat manifestè ex verbis Concilij supra citati: idem videtur præstitisse Nicolaus I. apud Gratianum 24. quæst. 3. cap. *An non.* de polygamia siquidem Lamech ità loquitur, vt non dubitet eam vocare adulterium, & Innocentius III. loco proximè citato, nempe in cap. *Gaudemus*, ait virum infidelem qui conuertitur ad fidem Christianam, non posse retinere plures vxores, quas in paganismo duxit. Siricius Papa epistola prima, & Innocentius I. epist. 3. & 9. idem plane dicunt, legatur Gratianus 32. quæst. 7. cap. *Si quis*, & totit. *De spensa duorum*, in Decretalibus.

D. Augustin. Chrysost. *Rationes Patrum in confirmationem superiorum.*

Subscribunt Patres, maximè verò D. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 9. & lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 8. & 11. Chrysost. homil. 26. in Genesim. Ambrosius in fine libri de Viduis, & Interpretes cap. 19. Matth. fere omnes. Subiungunt in huius veritatis confirmationem aliquas rationes. Prima est primis parentibus in statu innocentiæ nullum fuit impositum præceptum, præter illud quod habetur Genes. 2. *De omni ligno quod est in paradiso comedes. De ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas; in quacumque enim hora comederis morte morieris:* at diximus primos parentes in statu innocentiæ adstrictos fuisse præcepto Matrimonij: ergo præceptum hoc debet esse de lege naturali, ac proinde & vnitas similiter Matrimonij.

1. Genes. 2.

2.

Deinde, si polygamia fuisset aliquando licita iure naturali, maxime id fuisset posito diluuio, tempore Noë: debuit enim genus humanum tunc temporis multiplicari, aut etiam posita creatione Adæ & Euæ: ex historiis tamen Ecclesiasticis certum est polygamiam tunc temporis non fuisse concessam mortalibus.

Obiectio.

Dices, Lamech vixisse ante diluuium, qui tamen plures habuit vxores.

Solutio.

Respondeo primò defeciisse Lamech à cultu debito vero Deo. Deinde, factum illius veluti adulterium damnatur à Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, & præterea in epist. ad Geruntiam.

3.

Tertio, ratio naturalis dictat rem plenissimè & perfectissimè possessam ab aliquo, non posse possideri ab alio: propter hanc enim causam furtum iure naturali censetur esse peccatum: sed qui semel rite cum aliqua contraxit Matrimonium, hic totum illud quod habuit in proprium corpus suæ parti tradidit: ergo non potest secundo de nouo contrahere cum alia.

4.

Quarto, Polygamia aduersatur secundo fini Matrimonij, nempe conuersationi familiari secundum omnes: at secundus hic finis est de iure naturali in Matrimonio.

Vltima.

Denique, recta ratio dictat vnam feminam non debere habere plures maritos: ità enim non possemus scire ad quem ex istis pertineret partus: ergo non licebit etiam vni homini plures habere vxores.

Argumentis cõtrarijs respondet.

Ad rationes verò dubitandi respondeo. Ad primam, Caluinum & alios hæreticos nostri temporis in ea esse opinione, vt credant cum Fausto Manichæo referente D. Augustino, contra eumdem, Patriarchas illos peccasse retinendo pluralitatem vxorum.

At hoc defendi non potest. Primò, quia ex sacris litteris habemus Patres veteris Testamenti esse viros sanctos, & potiri beatitudine æterna, Matth. quippe 8. dicitur. *Multi venient ab Oriente,* Matth. 8.

Digitized by Google

& Occidente & recumbent cum Abraham, Isaac, &
Luc. 16. *Iacob in regno cælorum.* & Luc. 16 *Mortuus est Lazarus & portata est anima eius ab Angelis in sinum*
Matth. 22. *Abrahæ;* & Matth. 22. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viventium.* Deinde, sancti Patres, maxime verò Ambrosius & Augustinus locis supra
D. August. Ambros. citatis, verbis expressis habent, propterea non peccasse Patres veteris Testamenti, retinendo pluralitatem vxorum, quia id non fecerunt affectu libidinis: sed tantùm studio, & amore prolis, & denique propter mysterium aliquod signi-
Galat. 4. ficandum, vt colligitur ex cap. 4. Galat. quo loco disserit Apostolus de matrimonio Abrahæ cum Sara & Agar, quod asserit significasse mysterium fidei & religionis Christianæ. Tertiò, si Patres isti peccassent, certum est Deum non minus vindicaturum huiusmodi peccata, quàm peccatum Dauidis cum Bethsabe commissum: at certum est Deum nullas immisisse pœnas Patribus antiquis propter pluralitatem vxorum; nullas quoque habuit Deus de hac re increpationes, imò
2. Reg. 12. Nathan Propheta cap. 12. 2. Reg. ait Deum posuisse in sinu Regis plures vxores. Denique, fatentur omnes Patres, & item Theologi Scholastici Deum dispensasse cum Patriarchis & aliis veteris Testamenti vt possent inculpate plures retinere vxores.

Obiectio. Dices, pluralitatem vxorum esse contra ius naturale, hoc autem nullam admittit aut admittere potest dispensationem, cum illud omne quod præcipitur iure naturali ex se & sua natura sit bonum, quod autem vetatur hoc iure, ex se & sua natura malum est: ergo.

Solutio. Respondeo, ius naturale spectari duobus modis, secundum sua prima principia qualia sunt ista: *Vnum cole Deum, Parentes honora, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, & alia multa.

Deinde, spectatur ius naturale secundum conclusiones deductas ex principiis iuris naturalis, idque proxime, vel remote: huius generis sunt: Innocens non est occidendus authoritate priuata, neque publica: Frater non potest sororem ducere in vxorem: Matrimonium debet esse vnius cum vna tantùm, & alia innumera: ius ergo naturale nullam admittit dispensationem circa sua prima principia, idque propter causam in explicatione explicatam: Quoad vero conclusiones deductas ex principiis ius naturale admittit dispensationem respectu authoris naturæ, idque quia licet conclusiones istę deductę ex principiis naturalibus absolute, & simpliciter spectatæ, vel sint bonæ, vel malæ; positis tamen quibusdã circumstantiis desinunt esse bonæ, aut etiã malæ: ac proinde poterit Deus, dispensare imò de facto fecit vt Abraham potuerit occidere Isaac, licet innocentem sine vlla plane culpa. Posito item diluuio dispensauit Deus cum filiis Noë, vt contraherent cum propriis sororibus, cum aliter genus humanum multiplicati non posset, illud idem dicendum est de filiis & filiabus Adæ; propter hanc ergo dispensationem diuinam non peccarunt Patres veteris Testamenti retinendo plures vxores.

Instant contra superiora. Instabis, Scripturam sacram nuncupare vxores illas veterum Patrum concubinas, Genes. 16. 25. 30. & 35. Respondeo cum D. Augustino
Solutio. quæst. 90. inter quæstiones veteris Testamenti, nomine, concubinæ, non significari illis in locis
D. August. illud idem quod communiter apud nos significat vox ista, concubina, sed denotatur vxor legitima, quod etiam probatur ex cap. 19. Iudic. vxor enim Leuitæ cuius meminit caput hoc nuncupatur concubina.

Sunt qui addant, concubinæ nomen dictum fuisse de omnibus aliis vxoribus à prima, quod istæ non haberent tantam potestatem in familia, quantam habebat prima vxor, volunt enim gubernationem familiæ fuisse penès primam post maritum, non autem penès ceteras.

Notabile. Aduerte, dispensationem circa pluralitatem vxorum factam fuisse inspiratione diuina, primo loco Abrahæ, Isaac, & Iacob, idque nedum istorum nomine, sed etiam posterorum eorumdem, ità vt potuerint successores dictorum Patriarcharum sine vlla noua dispensatione diuina, retinere plures vxores iuxta fines tamen à nobis supra explicatos.

Factum verò Hester & Regis Assueri excusatur à multis ob ignorantiam inuincibilem eorum quæ sunt iuris naturalis; & quidem merito: diximus enim ad polygamiam pertinere conditiones deductas ex principiis iuris naturalis, non autem pertinere ad prima principia; certum est autem Conclusiones omnes quæ deducuntur ex principiis aliquibus non innotescere statim quibusuis, sed difficili cum ratione. Adde vsu & consuetudine licèt illicita introductam fuisse apud Ethnicos, & prophanos fere omnes polygamiam.

Respondeo tamen 2. Reginam Hester potuisse inculpate nubere Assuero; fuit enim hæc ex filiabus Hebræorum quibus licuit polygamiam retinere, vt constat ex dictis.

Ad id verò quod subiungitur in eodem argumento de Valentiniano Imperatore, & Lothario, Respondeo Valentinianum studio libidinis deordinatæ legem huiusmodi tulisse, vt turpitudinem suam publico tegeret edicto, & item exemplo, vt constat ex historia tripartita, & Socrate locis supra citatis. Lotharij vero vxor secunda innodatur sententia excommunicationis authoritate Nicolai I. Pontificis Max. hoc solo nomine quod transierit ad statum coniugalem cum Lothario, vt refert Gratianus citatus 11. quæst. 3. imò hæc eadem pena inditur omnibus retinentibus duas vxores, 23. quæst. 3. cap. *An non.*

Replica. Instabis, Constantium Imperatorem similiter Christianum, referente Aurelio Victore, duas sibi assumpsisse vxores. *Solutio.* Respondeo hoc esse verum; ceterùm quid mirum? fuit enim labe hæresis Arrianæ commaculatus, & innumera propemodum mala Episcopis Catholicis aliisque piis hominibus intulit, vt narrat historia Ecclesiastica: quemadmodum ergo de istis tribus diximus quod turpissimè peccauerint, retinendo pluralitatem vxorum, ità illud idem est dicendum de quibusuis aliis Christianæ religionis sectatoribus, qui non dubitarunt plures habere domi suæ vxores.

Ad factum verò Fabiolæ, Respondet Beza, & alij nonnulli hæretici Hieronym. affirmare Fabiolam non peccasse transeundo ad secundas nuptias, viuente primo marito: ceterum res hæc falsitate manifesta conuincitur ex verbis Hieronymi: asserit enim culpam tantũ emendasse longa ac diuturna penitentia, aliisque bonis operibus quæ præstitit, vbi intellexit nefas esse transire ad secundas nuptias viuente primo marito: hoc solum asserit Hieronym. Fabiolam minùs

peccasse

peccasse conuolando ad secundas nuptias, quàm A si aliter seipsam quibusuis prostituisset.

Ad 2. Ad secundam respondent aliqui, rescriptum hoc non emanasse à Pontifice Maximo, quatenus Pontifex est, ac proinde neque ex cathedra, vt loquuntur, sed veluti à priuato Doctore; documenta autem quæ habent ortum à Pontifice Maximo veluti à priuato Doctore, nullam inducere obligationem fatetur communis opinio Theologorum. Verùm hæc responsio nulla est; parat enim viam ad illud idem dicendum de quolibet alio rescripto Pontificis Max. Deinde in corpore iuris Canonici apponuntur rescripta Conciliorum, Pontificum, & sanctorum Patrum, ad hoc vt rationem legis consequantur. Glossa vero re- B spondet Pontificem fecisse potestatem homini isti coniugato, vt propter infirmitatem diuturnam vxoris conuolaret ad Matrimonium cum alia, non quidem tanquam rem licitam, sed ad maius malum vitandum. At neque hæc aliquid dicit: Quis enim credat Pontificem Max. permisisse adulterium, quod tamen inducit hæc responsio? Deinde, Canones prohibent strictissimè polygamiam, vt constat ex locis supra citatis, quomodo ergo eam potuit facere licitam Gregorius III?

Dico ergo cum aliis, Pontificem istum ideò fecisse potestatem isti coniugato conuolandi ad secundas nuptias cum alia, quia Matrimonium, non interuenerat cum prima sponsa, hæc enim C inepta fuit ad copulam, vt facilè colligitur ex rescripto Greg. III. Dicemus autem inferiùs impotentiam naturalem impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum.

Ad 3. Ad tertiam, Patres istos in nostra manifestè esse sententia. Ad id verò quod dicunt polygamiam ideo Patribus veteris Testamenti fuisse licitam, quod hæc non esset contra naturam. Respond. nomine naturæ non intellexisse legem naturalem, aut etiam legem Matrimonij, sed generationem prolis. Denique, ad id quod subiungitur ex iisdem Patribus polygamiam non esse crimen. Dico illud non esse intelligendum simpliciter & absolute, sed tantum ea ratione loquendi, qua dixi- D mus illa non esse peccata apud aliquas nationes, quæ authoritate publica nulla ratione emendantur, aut castigantur: hac ratione diximus in Galliis hæresim Caluinianam non habere rationem culpæ, cùm tamen verè hæc culpa sit; quia tamen authoritate Regia cautum est, ne quis animaduertat in hæreticos, ideò diximus apud nos hæresim non habere rationem culpæ: ità apud exteras nationes antiquitus, & nostris etiam temporibus apud Turcas pluralitas vxorum censetur esse licita: licèt de facto verè habeat rationem culpæ mortalis, nempe criminis adulterij.

Ad 4. Ad vltimam respondeo, pluralitatem vxorum aduersari secundo fini Matrimonij, licet non pu- E gnet cum primo; saltem ex se & sua natura: est autem finis secundarius Matrimonij iure naturali retinendus, non minus quàm primus. Ad id autem quod dicitur per polygamiam irrogari iniuriam soli primæ vxori, & in potestate cuiuslibet esse remittere suum ius. Respondeo hoc esse falsum; nam iniuria non tam primæ vxori quàm iuri naturali irrogatur, non est autem in potestate alicuius priuatæ personæ, disponere de his quæ pertinent ad ius naturale, vt est per se notum.

DVBITATIO TERTIA.

An Matrimonia clandestina sint valida.

Rationes dubitandi. 1.

RATIO dubitandi est, quia consensus legitimi vtriusque partis contrahentis Matrimonium faciunt, non autem concubitus, ex regula iuris communissima: quid refert ergo consensus istos exprimi remotis arbitris, vel certè præsentibus Curato & testibus?

2. Deinde, quotiescumque Ecclesia induxit impedimenta prohibentia, & dirimentia Matrimonium, respexit ad qualitatem aliquam quę debuit inesse aut abesse à coniugatis: at clandestinitas Matrimonij respicit non qualitatem quę insit, aut quæ absit à coniugatis, sed modum tantum contrahendi.

3. Tertiò, nõ satis cõstat ex quo capite habeat Ecclesia ius præscribendi impedimenta Matrimonij.

4. Quartò, Ecclesia nequit immutare, materias aut formas, aut etiã subiecta in quibus recipiũtur sacramenta; quod tamen conficit in Matrimonio clandestino irritando; imò per accidens est, quod Matrimonium contrahatur præsente vel absente parocho, itémque testibus.

5. Quintò, ante Concilium Trident. clandestina Matrimonia fuerunt valida.

6. Denique, multo plura mala sequuntur ex irritatione clandestinorum Matrimoniorum, quàm ex toleratione eorumdem: ergo valida censenda.

Notabile 1. Aduerte, clandestinitatem Matrimonij iure ciuili refundi in defectum consensus patris vel tutoris illius qui contrahit, & in defectum proclamationum quæ communiter præmittuntur celebrationi Matrimonij; postulat enim ius ciuile tres proclamationes, vel ad minus vnam peremptoriã, quæ æquiualeat tribus, & consensum patris, vel tutoris; ità vt sine istis nulla ratione consurgere queat Matrimonium valide inter aliquos iure ciuili. Iure verò Canonico clandestinitas Matrimonij tota refundenda est vel in defectum præsentię Curati, vel deputati à Curato, & testium duorum vel trium, vel certe in defectum præsentiæ solius Curati, vel deputati ab illo, vel denique in defectum præsentię duorum, vel trium testium: ità vt Matrimonium clandestinum futurum sit, si adfuerit tantummodò Curatus, vel etiam testes, vt dicitur manifestè in Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij.

Notabile 2. Aduerte 2. penès Ecclesiam esse præscribere impedimenta, quæ vetent Matrimonia contrahenda, & præterea quæ contracta eadem dirimant: ità enim definitum fuit in Concil. Trident. *Trident.* sess. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit,* Simile quid dicitur in Concilio Senonensi cap. 17. post decreta fidei. Deinde, causæ Matrimoniales sunt simpliciter & absolute Ecclesiasticæ, nulla quippe dantur Matrimonia contracta inter Christianos & Catholicos, quæ non sint sacramenta; disceptare autem de sacramentis ad iudicem tantum Ecclesiasticum pertinet.

Matrimonia clandestina vbinã nulla. CONCLVSIO 1. *Matrimonia clandestina in illis locis in quibus Concil. Trident. est publicatum, sunt omnino nulla, seu, quod idem est, nullam inducunt obligationem:* hæc definita fuit in Concilio proximè citato sess. 24. cap. 1. *Qui,* inquit, *aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinary licentia, & duobus vel tribus testi-*

Digitized by Google

bus Matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.

2. Deinde, hæc est eorum omnium qui scripserunt post Concilium Trident. de Matrimonio sententia.

Quoniam autem hæc definitio Concilij quotidie ad praxim est reuocanda, ideò ea sunt animaduertenda quæ ad eius faciunt intelligentiam.

Notabile 1. Aduerte ergo quod si contigerit contrahentes Matrimonium pertinere ad diuersas parochias, præsentiam vtriusque Curati non esse necessariam ad validitatem Matrimonij, sed sufficere præsentiam alterius Curati, vel deputati ab ipso, vt declarauit Congregatio Cardinalium destinata à Summo Pontifice ad tollenda dubia quæ nascuntur circa litteram Concilij Trident. vt refert Nauarrus & alij nonnulli Recentiores.

2. Aduerte 2. præsentiam parochi, vel deputati à parocho, non esse necessariam ad validitatem Matrimonij, hoc nomine, quod parochus sacramentũ Matrimonij administret. Diximus enim contrahentes esse sibi ipsis ministros, respectu istius sacramenti, sed tantum ad hoc vt constet Ecclesiæ, quid ab istis contrahentibus fuerit actum.

3. Aduerte 3. non esse necesse ad validitatem istius sacramenti absolute & simpliciter loquendo, quod parochus sit sacerdos, nihil enim de hac re habet Concilium, sed tantùm meminit parochi: deputatus tamen à parocho debet esse sacerdos, vt constat ex loco citato Concilij. Deinde, quia vsus obtinuit vt soli sacerdotes admittantur ad Matrimonij celebrationem, idque quod benedicant sponsos, & verba ista proferant. *Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

4. Aduerte 4. non esse necesse ad firmitatem Matrimonij, quod celebretur intrà terminos parochiæ Curati coniugatorum; quemadmodum enim absolutio data à Curato extra limites suæ parochiæ proprio subdito censetur esse valida, omnium consensu; ità & illud idem dicendum est de Matrimonio celebrato in territorio alieno, præsente proprio parocho & testibus.

Corollariũ. Ex istis colliges, Matrimonium celebratum in illis locis in quibus Concilium Trident. est publicatum, præsente sacerdote, non tamen de licentia parochi vel Episcopi ordinarij, vel denique Pontificis Maximi, & testibus duobus, aut tribus, esse nullum & inualidum; idque ob defectum istius solius conditionis, quòd sacerdos hic non fuerit deputatus à proprio Curato contrahentium.

2. Colliges etiam Matrimonia celebrata præsentibus Ministris Caluinianæ sectæ, esse omnino nulla, & inualida iure Ecclesiastico, quod dico, quoniam iure Gallico censentur esse valida.

Clandestina Matrimonia valida vbi, &c. Conclvsio 2. *Matrimonia clandestina contracta in illis locis, in quibus Concilium Trident. non est publicatum, sunt valida, ac proinde rata & confirmata:* hæc est de fide, in Trident. sess. 24. cap. 1. sub initium.

2. Deinde, forma contrahendi Matrimonia, vbique locorum inter Christianos obseruata nequit abrogari, nisi posita lege constituta ab Ecclesia, & ordinata ad destructionem prædictæ formæ contrahendi Matrimonij, ità vt debeat lex ista

D. Thom. primò promulgari, antequàm suos possit producere effectus. Docet enim S. Thom. promulgationem ità esse coniunctam cum lege, vt hęc nullum plane possit habere effectum, nisi posita promulgatione; at supponimus legem Concilij Trident. qua inualidantur Matrimonia clandestina non esse promulgatam: ergo. 1.

Tertiò, ità loquitur Concilium Trident. loco Trident. proximè citato. *Decernit insuper sancta Synodus, vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die prima publicationis in eadem parochia facta numerandos.*

Ex ista Conclusione colliges, eos qui transeunt *Corollariũ.* à locis in quibus Concilium Trident. est publicatum, ad ea in quibus non est publicatum, animo ibi permanendi contrahere validè, absente parocho, & testibus, etiamsi ex hypothesi discesserint à primo domicilio animo contrahendi clandestinè. Primò, quia diximus Matrimonia clandestina esse valida in illis locis in quibus hoc Concilium non est publicatum.

Deinde, contrahunt isti Matrimonia iuxta vsum & consuetudinem hactenus receptam in illa Ecclesia, in qua contraxerunt Matrimonia.

Tertiò, ex eo quod discesserint à loco in quo Concilium Trident. est publicatum, ad locum vbi non est publicatum desiderio contrahendi clandestinè, solum colligi potest istos peccasse mortaliter, idque quod contra prohibitionem Ecclesię faciant de non clandestinè contrahendo, vt constat ex toto titulo de desponsatione clandestina; non tamen propterea dicendum est, de Matrimonio ab istis contracto, quod sit nullum & inualidum.

Denique, qui prolem ex concubitu illicito suscepit, potest eam legitimare, contrahendo in facie Ecclesiæ cum pellice, ex qua prolem suscepit, atque ità arcere substiturum ab hæreditate, omnium consensu: ergo illud idem erit dicendum de istis qui transierunt à loco vbi Concilium est publicatum, ad loca vbi non est publicatum.

Dices, Concilium Tridentinum ità decernere *Obiectio.* loco proxime citato: *Si quis aliter quàm præsente parocho,* &c.

Respondeo, hoc pati Epieichiam id est æquam *Solutio.* iuris interpretationem, ac proinde hoc solum venit explicandum de illis qui contrahunt in locis vbi Concilium est publicatum; non autem de illis qui contrahunt in locis in quibus non est publicatum.

Colliges ex dictis, eos qui recedunt à locis in *Corollariũ.* quibus Concilium non est publicatum ad ea loca vbi est publicatum, non posse valide contrahere in istis locis nisi præsente Curato & testibus.

Conclvsio 3. *Matrimonia clandestina non sunt inualida iure naturali, neque item prohibita.* *Iure naturali nõ sunt prohibita clandestina coniugia.* Primò, quæ vetantur iure naturali sunt ex se & sua natura mala: at Matrimonia clandestina non sunt ex se & sua natura mala, aliàs nusquam habuisset Ecclesia hæc valida & rata. 1.

Deinde, tota ratio cur Ecclesia prohibuerit 2. Matrimonia clandestina, hæc redditur ab omnibus, quia coniunguntur ista cum multis scandalis, & infinitis malis; at scandala hæc, & item mala possunt separari ab essentia Matrimonij.

Tertiò, præsentia parochi & testium se habet 3. ad contractum Matrimonij per accidens, non autem per se.

Moneo tamen nunquam concedendum esse, *Notabile.* quod Matrimonium clandestinum, sub ea ratione qua clandestinum est, sit honestum & laudabile; nam Ecclesia omni plane tempore huiusmodi

Matrimo-

Digitized by Google

Matrimonia prohibuit, & detestata est, vt constat ex titulo proxime citato, de desponsatione clandestina. Deinde, secluſa prohibitione Ecclesiæ, non video qua ratione Matrimonium clandestinum, vt tale, sit appetibile & honestum.

D. Thom. Tertiò, D. Thom. in 4. dist. 28. art. 2. & 3. quæst. 1. verbis expressis habet, Matrimonia clandestina trahere secum indecentiam, & aliquam mali speciem.

Obiectio. Obiicies, Matrimonia clandestina nuncupari raptus 30. quæst. 5. cap. 1.

Solutio. Respondeo, hæc esse intelligenda non quidem simpliciter & absolutè, saltem si sermo sit de Matrimonio clandestino in illis locis in quibus Concilium Trident. non est publicatum, sed iuxta præsumptionem Ecclesiæ, quæ quia nescit istos esse coniugatos, ideò tenet illos vt concubinarios, à parte tamen rei sunt verè coniugati.

Obiicies secundo 35. quæst. 6. cap. *Videtur*, affirmari, Matrimonia contracta contra authoritatem Ecclesiæ, & præter leges Ecclesiasticas, esse nulla & inualida.

Respondeo in hoc cap. disputari de eo qui prolem ex legitimo Matrimonio susceperat, & nihilominus viuente vxore cupiebat transire ad secundas nuptias, contra ergo desiderium hoc deordinatum hominis istius coniugati, decernit cap. proximè citatum, Matrimonia ista secunda, non esse vera Matrimonia, sed omnino nulla & inualida, idque quod non liceat contrahere secundas nuptias viuente prima vxore, ex cap. 7. prioris ad Corinth.

Ab Ecclesia semper prohibita clandestina Matrimonia.

CONCLVSIO VLTIMA. *Matrimonia clandestina semper fuerunt ab Ecclesia prohibita & damnata; in Concilio verò Tridentino facta fuerunt primò irrita, & inualida.*

1. Prima pars Conclusionis probatur ex cap. vltimo de clandestina desponsatione, & ex omnibus Theologis Scholasticis, dist. 28.

2. Trident. Secunda verò pars probatur ex Trident. sess. 24. cap. 1. dicitur enim illic Ecclesiam reddere inhabiles ad contrahendum quoslibet, nisi interuenerit præsentia parochi, vel deputati à parocho, & duo vel tres testes.

Ad argumenta contraria, responsio.

1. Ad rationes verò dubitandi respondeo. Ad primam, consensus legitimos Matrimonia perficere, qui autem contrahunt clandestine in illis locis in quibus Concilium Trident. est publicatum non possunt legitimos emittere consensus, vt constat ex loco proximè citato.

2. Ad secundam respondeo, Matrimonia nedum irritari ex defectu conditionis superfluæ, aut necessariæ ad validitatem Matrimonij, sed etiam ex defectu modi, qui authoritate Ecclesiæ desideratur ad hoc vt aliqui valide contrahant; iam verò Tridentinum postulat ad validitatem Matrimonij præsentiam parochi, & testium duorũ aut trium, aliàs Matrimonium celebratum erit omnino nullum & inualidum.

3. Ad tertiam respondeo, constare nobis de potestate Ecclesiæ respectu constitutionis impedimentorum Matrimonij certò & indubitanter: diximus enim Concilium Trident. definiuisse penès Ecclesiam esse constituere impedimenta irritantia Matrimonium, & secus sentire, hæresim esse manifestam.

4. *Quomodo Ecclesia irritet Matrimonia clandestina.* Ad quartam respondeo, Ecclesiam non posse facere materiam aut formã alicuius sacramenti; hoc enim pertinet ad Christum, veluti ad authorem sacramentorum nouæ legis; est tamen in potestate nedum Ecclesiæ, sed etiam cuiuslibet priuati efficere, vt res aliqua in indiuiduo spectata, nequeat esse materia sacramenti alicuius, vt patet ex eo qui apponeret plus aquæ intrà vinum, aut vini intrà aquam, ità vt multis partibus excederet aqua quantitatem vini, & contrà, quantitas vini partes aquæ; in hoc ergo casu aqua desineret esse materia baptismi, & vinum similiter non esset materia consecrationis calicis: idem dicendum est de oleo respectu Confirmationis, & extremæ Vnctionis: si enim non fuerit hoc ab Episcopo benedictum, desinet esse materia istorum sacramentorum. In re ergo proposita Ecclesia non facit contrahentes, & consensus eorum esse materiam & formam sacramenti Matrimonij: hoc enim totum refundendum est in Christi institutionem; sed facit Ecclesia vt contrahentes aliqui nequeant habere rationem materiæ & formæ, hîc & nunc, cum his & illis circumstantiis; neque hoc mirum, quemadmodum enim Respublica reddit aliquos inhabiles ad celebrandos contractus emptionis & venditionis, ità reddit similiter Ecclesia aliquos incapaces ad celebrandum contractum matrimonij; huius ergo generis sunt omnes illi qui cupiunt contrahere clandestinè in illis locis in quibus Concilium Trident. est publicatum, ac per consequens, licèt accidentale sit matrimonio quod celebretur præsente, aut absente parocho, itémque testibus, certum tamen est in illis locis in quibus Trident. est publicatum præsentiam Curati & testium, ità esse necessariam ad validitatem contractus matrimonialis, vt sine istis, aut altero istorum contractus hic sit omnino nullus & inualidus, & ideò nullam inducit obligationem.

5. Ad quintam respondeo, ante Concilium fuisse quidem prohibita matrimonia clandestina, non tamen inualida, & illud idem dicendum est post Trident. respectu eorum locorum in quibus non est publicatum.

Vlt. Ad vltimam respondeo, negando antecedens; multo enim plura & grauiora mala consurgunt ex matrimoniis clandestinis, quàm ex irritatione eorumdem; matrimonia siquidem clandestina hæc faciunt vt plerique toto tempore vitæ in perpetuo concubinatu & adulterio agant, quando clandestine contraxerunt cum vna, & postea in plena facie Ecclesiæ contrahunt cum alia.

Solutio contra hæreticorum celebrationem Matrimonij. Ad id verò quod aliqui obiiciunt de hæreticis, eos celebrare matrimonia absentibus parochis. Respondeo hoc esse verissimum, ac proinde si Concilium in eorum locis fuerit proclamatum, esse omnino nulla, peccaréque proinde quotiescumque accedunt ad copulam: cetera mala hæc, non Ecclesiæ, sed ipsis sunt imputanda; nolunt enim stare sententiæ, & iudicio summorum Conciliorum, aut Pontificis Maximi.

Monetur quæstio. ROGABIS, *An proclamationes quæ præmitti consueuerunt celebrationi Matrimonij, possint inculpatè prætermitti.* *Solutio.* 1. RESP. *iure ciuili non esse omittendas.* Diximus enim clandestinitatem Matrimonij iure ciuili refundendam esse in defectum denunciationum, aut in defectum consensus Patris, vel tutoris. Deinde, ius ciuile postulat tres denuntiationes, vel ad minus vnam peremptoriam pro tribus: iure verò Canonico, licèt regulariter & communiter admittendæ sint tres promulgationes; in potestate tamen

Digitized by Google

Episcopi est promulgationes istas omnino præterire, ex causa iusta, de cuius æquitate solius Episcopi est iudicare: hæc omnia colliguntur euidentissime ex cap. 1. sess. 24. Trident. de reformatione Matrimonij.

2. ROGABIS 2. *Qua mala, seu pœna consequantur Matrimonia clandestina.*

Solutio 1. RESPOND. 1. *Contrahentes clandestinè peccare mortaliter, & incurrere damnum pœnæ æternæ:* ratio prioris est, quia violatio cuiuslibet præcepti in re graui censetur esse peccatum mortale, secundum omnes: at contrahentes clandestine faciunt in re graui contra præceptum legis Ecclesiasticæ, vt constat ex cap. finali, de clandestina desponsatione, & ex loco proximè citato Trident. Postremum autem notissimum est ex eo quod pœna æterna constituta sit cuilibet peccato mortali.

Mala ex clandestinis Matrimon. 1.

2. RESPOND. 2. *Filios natos ex Matrimonio clandestino, nec esse, nec censeri legitimos*; ratio in promptu est, quia fieri nequit, vt proles ex illegitimo congressu nata, sit legitima: concubitus autem omnis qui consequitur ex Matrimonio clandestino censetur esse illegitimus, vt constat ex locis proximè citatis.

Corollariũ. Ex istis colligitur manifestè, prolem natam ex Matrimonio clandestino, nec esse capacem hæreditatis paternæ, nec promotionis ad sacros ordines: iure quippe ciuili spurij, seu illegitimè nati, in odium peccati fornicationis arcentur ab hæreditate paterna; iure verò Ecclesiastico censentur esse irregulares, & ideo debent priùs dispensari, vel per Pontificẽ Max. ad maiores ordines & beneficia cum cura animarum: ad minores verò ordines, & benificia simplicia per Episcopum, ex communi doctrina in tractat. de irregularitate.

3. RESPOND. 3. *Eos qui contraxerunt clandestinè cum impedimento aliquo dirimente Matrimonium, summa cum difficultate obtinere dispensationem ad validitatem matrimonij contracti necessariam*, vt colligitur manifestè ex Trident. sess. 24. cap. 5. *Si quis* inquit, *intrà gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat.* & paucis interiectis: *Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit.*

Trident.

Opinio hæc refellitur. Sunt qui addunt prolem ex Matrimonio clandestino natam per Matrimonium subsequens legitimum & validum, nulla ratione legitimari. Opinio tamen hæc non satis probatur ab authoribus istis, & contraria videtur esse tutior.

4. RESPONDEO TANDEM, *Contrahentes clandestinè posse ab Episcopo ordinario multari pœnis alijs arbitrarijs*, vt dicitur loco proximè citato: consequenter in certis quibusdam diœcesibus innodantur sententia excommunicationis ob contractum Matrimonium clandestinè.

3. ROGABIS 3. *Quæ pœna sequatur sacerdotem, qui interfuit celebrationi Matrimonij clandestini, vel qui non impedivit, cum tamen facilè potuisset.*

Solutio. RESPOND. *Sacerdotem istum per triennium suspensum esse à diuinis*, vt colligitur manifeste ex cap. vltimo, de clandestina desponsatione.

Pœna sacerdotis qui interfuit clandest. Matrim. Moneo tamen pœnam istam non incurri ab huiusmodi sacerdote, ante sententiam iudicis Ecclesiastici, idque quod dicatur in cap. citat. sacerdotem huiusmodi declarandum esse suspensum per triennium, non autem iure ipso, vel de facto esse suspensum.

Addo, non esse in potestate Episcopi eximere sacerdotem istum ab huiusmodi pœna, si res fuerit ad ipsum deducta; vera quippe videtur & indubitata eorum Theologorum sententia, qui asserunt Episcopum non posse dispensare circa constitutiones Conciliorum generalium: cap. autem proximè citatum pertinet ad constitutiones Concilij generalis: ergo. ex Concilio verò Trident. c. 1. sess. 24. de reformatione Matrimonij, liberum est Episcopo sacerdotem qui interest celebrationi Matrimonij clandestini, punire ad suum arbitrium, pœnas tamen nullas expresse taxat Concilium proximè citatum.

QVARTA, ET VLTIMA PARS TOTIVS TRACTATIONIS.

De impedimentis Matrimonij.

Duo genera impedimentorum Matrimonij. QVÆRVNT Theologi an dentur aliqua impedimenta Matrimonij: de qua re conuenit inter omnes, extare duo genera impedimentorum Matrimonij: Primum est eorum

1. est eorum quæ impediunt contrahendum, non tamen dirimunt contractum; hæc autem sunt numero duodecim. Primum est, interdictum Ecclesiæ. Secundum, excommunicatio maior, vel minor. Tertium, tempus feriarum à nuptiis, quod incipit à prima Dominica Aduentus, ad diem vsque Epiphaniæ, & à prima die quadragesimæ, ad diem vsque octauam Paschæ, seu Dominicæ vulgo nuncupatæ, *Quasi modo*, inclusiuè. Quartum, votum simplex castitatis. Quintum, quando quis tenet aliquem in catechismo vt postea baptizetur. Sextum, incestus cum consanguinea coniugis in primo vel secundo gradu, aut fornicatio cum matre vel filia cõiugis. Septimum, raptus alienæ sponsæ. Octauum, homicidium propriæ vxoris. Nonum, leuare in baptismo vel in Confirmatione propriam prolem, ad hoc vt negetur debitum vxori legitimæ. Decimum, occisio iniusta presbyteri. Vndecimum, publica penitentia, dum durat. Duodecimum, contrahere cum sanctimoniali. In istis ergo casibus non licet citra peccatum mortale contrahere Matrimonia: si tamen contigerit quempiam contraxisse, contractum est validum, vt pluribus dinumerat Viualdus in tractatu de impedimentis Matrimonij, Sanchez de Matrimonio, lib. 7. disp. 5. & sequentibus.

Posterius genus. Impedimẽta Matrimonij 15. Postremum vero genus impedimentorum Matrimonij continetur versibus istis.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Hac facienda vetant connubia, facta retractant.

Istis adduntur tria alia impedimenta eiusdem generis. Primum est Matrimonium clandestinè contractum, ceterum in illis locis in quibus Concilium Tridentinum est publicatum, idque ex sess. 24. cap. 1. eiusdem Concilij de reformatione Matrimonij. Secundum, censetur esse illud quod datur inter raptorem & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris, ex eodem Tridentino

Digitized by Google

dentino sess. 24. cap. 6. Tertium & vltimum, votum simplex factum in Societate nominis *Iesu*, ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente*, relata ab Azorio tom. 1. suorum operum paulò ante finem, & à Compilatore priuilegiorum quorumcumque ordinum, & à multis aliis Recentioribus.

Ista ergo impedimenta, quæ quindecim esse censentur, & impediunt Matrimonium contrahendum, & præterea dirimunt contractum; quia tamé voces cõtentæ in versibus supra positis sunt ambiguæ, & quæ carent ambiguitate non tamen difficultatibus, ideo sequentes propono Dubitationes, ex quibus innotesceret quid de huiusmodi impedimentis sit sentiendum.

Prima est. An quilibet error impediat, & dirimat contractum Matrimonium. 2. An conditio impediat Matrimonium contrahendum & dirimat contractum. 3. An votum castitatis impediat, & dirimat Matrimonium. 4. An cognatio impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. 5. An crimen impediat & dirimat Matrimonium. 6. An cultus disparitas inualidet Matrimonium. 7. An vis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. 8. An Ordo sacer impediat, & dirimat Matrimonium. 9. An ligamen impediat, & dirimat. 10. An impedimentum publicæ honestatis impediat & dirimat contractum. 11. An affinitas impediat & inualidet Matrimonium. Vltima: An impotentia ad copulam impediat & dirimat Matrimonium.

DVBITATIO PRIMA.

An quilibet error impediat & dirimat contractum Matrimonium.

Notabile. Duplex error.

ADVERTE errorum alium esse personæ, alium qualitatis, alium conditionis. Primus, interuenit quotiescumque quis intendit contrahere cum Berta, & loco Bertæ supponitur Paula, vt factum fuit in Matrimonio Iacob: hic enim cũ Rachele, supposita tamen fuit suo loco Lia à patre suo Laban, vt constat ex historia Geneseos. Secundus vero accidit quotiescumque quis intendit contrahere cũ Paula v.g. quã tamen putat esse nobilem, non claudam, nec gibbosam, sed virginem; caret tamen omnibus istis conditionibus. Tertius contingit quotiescumque quis Matrimonium contrahere se putat cum libero, & tamen de facto contrahit cum mancipio, seu seruo.

Genes. 29.

Error personæ impedit & dirimit Matrimonium.

CONCLVSIO 1. *Error personæ impedit & dirimit Matrimonium contractum iure naturali.* Primò, quia Matrimonium consurgere nullo modo potest, nisi obiecta consensuum eorũ qui contrahunt, sint eadem, quæ intenduntur à contrahentibus: diximus enim Matrimonium esse traditionem corporum, & acceptationem ad vsum Matrimonij; at error personæ variat consensuũ obiecta eorum qui contrahunt Matrimonium; nam loco personæ intentæ supponitur alia.

1.

2. Deinde, Matrimonium versatur ex se & sua natura circa personas contrahentes, certas & determinatas: ità vt nulla ratione possint mutari.

3. Tertiò, qui ponit causam destruentem intrinsecè Matrimonium, destruit etiam illud: sed error personæ inducit causam destructiuam Matrimonij, ponit enim personam diuersam à contrahente.

4. Quartò, qui errat non consentit, & item consensus errantis est planè nullus ex regula communissima apud Canonistas.

Notabile. Aduerte, errorem personæ ità inualidare Matrimonia, vt non sit in potestate alicuius ea validare, posito hoc errore, & manente: nec est necesse, quod error hic personæ sit inuincibilis, satis enim est quod sit vincibilis vel crassus: nihil autem refert errare circa nomen personæ cum qua contrahit quis, modò absit error à persona; hæc enim debet esse certa & determinata, itémque intenta à contrahente.

Error qualitatis non impedit Matrimon.

CONCLVSIO 2. *Error qualitatis, non impedit Matrimonium contrahendum, nec dirimit contractum, iure diuino naturali, vel Ecclesiastico.* Primò, quia ità docent omnes.

1. Deinde, quia Matrimonium versatur realiter circa personas contrahentium, non autem circa quaslibet earumdem.

2.

3. Tertiò, accidentia non variant naturam & substantiam Matrimonij: ergo qualitatis error non impedit, &c.

Notabile. Addo tamen errorem qualitatis interdum inualidare Matrimonium contractum, & impedire contrahendum, quotiescumque error hic trahit secum errorem personæ contrahentis, vt eo casu in quo quis contrahit cum filia Ducis Sabaudiæ, posita ista conditione, & non aliter: in hoc ergo casu, & aliis similibus, error qualitatis impedit & dirimit Matrimonium contractum, non quidem ex vi erroris qualitatis, sed quia continet etiam errorem personæ.

Mouetur quæstio. ROGABIS, *Quis sit ille error qualitatis personæ qui inualidat Matrimonium.*

Solutio. RESPOND. *Esse illum errorem personæ qua determinat intellectum contrahentis, vt certam ac omnino determinatam personam concipiat, cum qua hîc & nunc intendit contrahere, eámque distinctam ab ea cum qua extremum contractum celebrat.* Nam errorem qualitatis inuoluere errorem personæ, in præsenti casu nihil est aliud, quàm illum esse causam, cur quis credat personam hanc cum qua exterius contrahit esse aliam, quàm reuera sit: ità vt verum sit ipsum non intendere contrahere cum hac, sed cum ea quam hanc esse putat; hoc autem in solo illo casu fit.

Notabile. Vt autem ista responsio sit perspicacior. Aduerte consensum contrahentium debere necessariò ferri in certam personam omnino determinatam, putà in Paulum hunc, & non in alium, aut in communi, siue sermo sit de contractu sponsaliorum, siue Matrimonij; si enim quis contraheret cum filia Petri, qui ex hypothesi habet plures filias, si filia ista non fuerit determinata contractus est omnino nullus & inualidus: vt autem intendas cum aliqua determinatè contrahere, omnino necessarium est, vt tibi in particulari determinatè proponatur: nam sicut voluntas nunquam fertur in incognitum; ità nusquam fertur hæc in aliquod determinatum, nisi fuerit determinatè cognitum, siue ab intellectu apprehensum.

Tandem doceo, spectato iure positiuo, numquam errorem solius qualitatis, quando non inuoluit errorem personæ, irritare Matrimonium, nisi tamen fuerit error conditionis seruilis.

DVBITATIO SECVNDA.

An conditio impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum.

Notabile. Quid nomine conditionis significetur.

ADVERTE, nomine conditionis seruilis significari hoc loco seruitutem, quæ tantam inducit subiectionem, vt non possit seruus recedere pro sua voluntate à domino, sed positus est hic in potestate sui domini tanta, vt ad arbitrium possit vel vendi vel comparari, vel denique applicari quibusuis actionibus seruilibus; de hac ergo conditione seruili, & errore conditionis quærimus, an inualidet matrimonium contractum.

Cõditio seruilis nõ impedit nec dirimit Matrim. iure naturali.

CONCLVSIO 1. *Error conditionis seruilis, siue, quod idem est, conditio seruilis nec impedit matrimonium contrahendum, nec dirimit contractum iure naturali.* Primo, quia matrimonia contracta inter seruos, seruitute explicata, sunt iure Ecclesiastico valida, vt constat ex cap.1.2. & vltimo de coniugio seruorum.

1. Deinde, fauet istis quod adducitur à Gratiano 29. quæst.2. & à Magistro dist.30. lib.4.

3. Tertio, quod est iure naturali alicui concessum, nequit iure humano positiuo destrui: at iure naturali cuilibet, etiam vilissimo mancipio, cessante tamen omni alio impedimento, liberum est contrahere matrimonium; fuit enim hoc institutum in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ ab authore naturæ; seruitus vero est tantùm de iure humano positiuo.

4. Quarto, seruitus non impedit quominùs possit seruus comedere, bibere, dormire, & in infirmitate constitutus remedia sanitatis inuestigare idque quod ista omnia sint de iure naturali: ergo idem dicendum, &c.

Obiectio. Dices, seruum posse venundari exteris & agentibus in remotissimis terræ partibus; non ergo poterit seruus contrahere Matrimonium.

Solutio. Respondeo, hoc argumento tantummodo probari effectum Matrimonij posse impediri nimia seueritate dominorum, non autem Matrimoniũ. Nam ad hoc vt Matrimonium consurgat inter aliquos, satis est quod sit datio & acceptatio corporum ad mutuos vsus; hæc autem possunt interuenire in matrimoniis seruorum, etiamsi fuerit ex hypothesi vnus ex istis seruus venditus ab hero, habitantibus in remotissimo loco ab eo in quo agit vxor.

Non requiritur voluntas dominorum.

CONCLVSIO 2. *Non est necesse, ad hoc vt validum sit Matrimonium inter seruos, quod hoc fuerit contractum cum voluntate dominorum.* Primò, quia serui isti ex hypothesi qui contrahunt non subiiciuntur suis heris quoad potestatem contrahendi Matrimonia; diximus enim potestatem istam esse illis datam à natura, & non posse

2. irritari iure ciuili. Deinde, fatentur plerique Theologi, quod si quæ contraxit cum seruo quem putauit esse liberum, deprehensa seruitute, affectu maritali accesserit ad eum, Matrimonium hoc validari: ergo vt valide contrahatur Matrimonium inter istos nequaquam exigitur consensus dominorum.

Obiectio. Obiicies, in Concil. Cabilonensi citato à Gratiano 29. q.2. & à Magistro dist. 30. lib.4. Matrimonia contracta inter seruos habentes diuersos dominos non irritati, quando fuerunt hæc contracta iuxta voluntatem suorum dominorum, & quando huiusmodi Matrimonium est legale, & in alio can. Basilij Imperatoris Græci numer. 40. dicitur. *Eorum*, inquit, *qui sunt in potestate aliorum pacta conuenta nihil firmi habent.* & paulò ante: *Quæ præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est.*

Solutio. Respondeo, Magistrum sententiarum de hac re nihil certi affirmare: alij tamen dicunt voluntatem dominorum non esse necessariam ad hoc vt serui contrahant verè matrimonia.

Respondet argumentis contrarijs. Ad testimonia vero contraria respondeo, Concilium Cabilonense, ideo desiderasse in seruis legalem id est, legitimam coniunctionem; quoniam sæpe contingebat seruos à contrahendo matrimonio austeritate nimia dominorum suorum prohibitos, illicitos concubitus sectari. Addit autem (per voluntatem dominorum) quia fere non erat legalis, seu legitima seruorum coniunctio, nisi per voluntatem dominorum, quibus inuitis ob metum malæ tractationis verum Matrimonium attentare non audebant.

Ad canonem autem Basilij Imperatoris possemus similiter respondere, in pacto coniugij & Matrimonij propositionem istam (eorum qui sunt in aliena potestate nihil firmitatis habere pacta ab eis cõstituta) esse falsam, idq; quod seruitus non destruat ea quę sunt iuris naturalis. Dico igitur canonẽ hunc Basilij non esse tantę authoritatis vt possit Romanorũ Pontificum decreta irritare, aut eisdem præiudicare. Idem ad legem Imperatoriam dicendum est: Pontifices autem Romani decreuerunt Matrimonia contracta à seruis, inconsultis eorum dominis esse valida, vt constat ex cap.1.de coniugio seruorum.

Respondeo 2. Ecclesiam sustinuisse aliquando dicta Imperatorum, licèt rectæ rationi & pietati verè contraria; idque quod hæc nondum adoleuisset, sed ageret quasi in tenera ætate; vbi tamen adoleuit & gens Christiana satis fuit multiplicata leges huiusmodi abrogauit, conficiendo canones omnino contrarios & aduersos legibus à perfidis Imperatoribus latis.

Error conditionis seruilis dirimit Matrimoniũ aliquando.

CONCLVSIO VLTIMA. *Conditio seruilis, seu error conditionis impedit & dirimit Matrimonium contractum, quando bona fide quis contraxit cum eo quem liberum esse credidit, vel contra:* ità definitur expresè in cap.2. de coniugio seruorum vbi Matrimonium contractum inter seruum & liberam irritatur ob incommoda, & grauem deceptionem illius qui putauit se contrahere cum libero, & contraxit cum seruo.

DVBITATIO TERTIA.

An votum castitatis impediat, & dirimat Matrimonium.

Notabile 1. Voti quid. ANTEQVAM aliquid de hac re dicatur. Aduerte primò, votum definiri communiter, *Promissionem deliberatam boni alicuius melioris Deo factam:* dicitur *Promissio*, quia non sufficit ad rationem voti, quod aliquis apud se firmiter statuat se aliquid facturum in laudem Dei, sed desideratur simpliciter, vt accedat vera & formalis promissio de re aliqua agenda: ex proposito autem aliquid agendi sequitur tantùm veritatis obligatio; ex promissione vero nascitur obligatio fidelitatis: hæc autem scilicet promissio, nusquam est sine proposito & voluntate saltem promittendi; propositum vero sæpissime est sine vlla promissione, vnde nec sancta proposita semper sunt cum voto coniuncta, nec par est obligatio

propositi, & promissionis. Additum est *deliberatam*, quia votum est lex quædam priuata, quam videlicet homo sibi ipsi imponit, & per consequens non obligat, nisi eum qui sponte, ac deliberate votum fecerit, vnde rata non habentur ea vota, quæ vel ante plenum vsum rationis fiunt, vel ob metum, aut ignorantiam, hæc enim omnia merito inuoluntaria iudicantur. Debet præterea votum fieri, *de meliori bono*, non quidem simpliciter, vt sit votum secundum generalem voti rationem, sed vt est actus religionis; vouendum quippe est quod Deo gratum est, quodque melius est facere, quàm omittere: propter hæc ista omnia reiiciuntur à materiâ voti impossibilia, necessaria, seu, quod idem est, quæ non sunt posita in nostra potestate, peccata, opera inutilia, seu vana: qualia sunt, festucam leuare, fricare barbam, abigere muscam & similia. Denique ea omnia, quæ licèt in se sint bona, sunt tamen impedimenta maioris boni. Tandem adiecta est particula ista (*Deo facta*) per quam distinguitur votum ab ea promissione quæ fit homini, licèt sit iuramento confirmata: nam vota fiunt Deo, iuramenta autem hominibus per Deum; si tamen quis votum Deo factum iuramento confirmauerit, votum hoc maiorem inducit obligationem. Non est autem necesse ad hoc vt votum sit verè votum, & verè obliget, quòd hoc fiat verbis, aut signis aliis externis, sed sufficit quod sola animi cogitatione fuerit expressum.

De indebitis fit votũ, Deut. 23.

Aduerte secundò, votum fieri de indebitis rebus, vt colligere licet ex illo, Deuter. 23. *Si nolueris polliceri absque peccato eris*, &c. potest tamen fieri votum de rebus debitis, vt si quis dicat: Voueo me nusquam fornicaturum, prædaturum, aut non dicturum mendacium, atque ità facilè conciliari possunt opiniones contrariæ Doctorum: Quarum vna asserit votum non posse fieri de rebus quæ sunt in præcepto, sed tantùm de liberis: Alij contrà de illis, & de istis quæ nullo modo sunt imperata. Primæ igitur sententiæ authores volunt, quæ sunt in præcepto non pertinere ad materiam voti, nisi ad ea velint se noua obligatione obstringere, alia verò pertinent ad materiam, quoniam non tenemur illa facere, posito tamen voto, eorum executionem prętermittere nullo modo possimus.

Votum castitatis duplex, solẽne & simplex.

Aduerte tertiò, quantùm ad rem præsentem attinet votum castitatis aliud esse simplex, aliud verò solemne; primum censetur illud, quod fit soli Deo, remotis inde arbitris & testibus, itémque solemnitate omni extrinseca; hoc verò censetur esse illud, quod fit præsente superiore in plena facie Ecclesię cum solemnitate omni, iure communi requisita.

Votum simplex impedit contrahẽdũ non dirimit contractum.

Conclvsio 1. *Votum simplex castitatis impedit Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum.* Ac proinde qui emisit votum simplex castitatis nequit vlla ratione contrahere, quin peccet mortaliter, Deuter. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et alibi: *Si quid vouisti Deo, ne moreris illud reddere: displicet enim illi stulta & infidelis promissio*, Eccles. 5.

Eccles. 5. 2.

Deinde, nulli licet contra votum Deo factum inculpatè debitum soluere; at qui contrahit Matrimonium post votum castitatis Deo factum, agit contra votum, nam tenetur reddere debitum vxori petenti: ergo.

3. Tertiò, D. Paulus 5. prioris ad Timotheum, inquit de quibusdam viduis quæ vouerant Deo castitatem. *Cum luxuriatæ fuerint, in Christo volunt nubere, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Has ergo ait grauiter peccare dum volunt nubere: ità patres Latini & Græci locum hunc communiter explicát, Tertullianus lib. de Monogamia cap. 13. Basilius lib. de virginitate, Epiphanius hæresi 48. & 61. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Augustinus de Sancta virginitate, cap. 33. *Iuniores*, inquit, *viduas cuita. Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem: quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est in eo quod primo vouerant non steterunt. Nec tamen ait, nubunt, sed nubere volunt. Multas enim earum reuocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, quia formidatur displicere magis hominibus, quàm Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impune non possunt, in mortuis deputanda sunt.* Et de bono viduitatis, cap. 8. *Cum in deliciis egerint*, inquit, *in Christo nubere volunt, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est voluntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua primo vouerant, quod perseuerantia implere noluerunt.* Et ibidẽ c. 9 *Non ait in Christo nubunt, sed nubere volunt, & si non nubendo, sed tamen volendo, non quia ipsæ nuptiæ, vel talium damnanda iudicantur: sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem posteriùs iuerunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt.* Fulgentius epist. 1. Innocentius I. epistol. 2. cap. 13. Gelasius ep. 1. cap. 23. Concilium Carthaginense IV. canon. 104. Toletanum IV. canon. 55. in quibus explicatur testimonium Pauli de fide violata ratione castitatis promissæ.

1. Tim. 5. Tertul. Basilius. Epiph. Hieron. D. Auguſt. Fulgent. Innocent. Gelasius. Carthag. Toletan.

Quod autem Matrimonium non dirimatur per votum simplex castitatis, sed ratum, firmúmque sit, probatur ex Bonifacio VIII. loco citato, Alexandro III. Cælestino III. cap. *Memini mus*, qui clerici vel vouentes Matrimonium contrahere possunt, & cap. *Si vir.* 27. distinct. apud Gratianum: idem docuit anteà Innocentius I. in epistola ad Victricium, cap. 12. & 13. Gregorius II. in epistol. ad Bonifacium Episcopum, quorum decreta leguntur apud Gratianum 27. quæst. 1. cap. *Viduas*, & cap. *He verò*. & D. Augustinus de bono viduitatis, cap. 9. & 10.

Accedit ratio: Qui rem suam promittit non continuò eius dominio se abdicat; atqui votum simplex tantùm promissionis seu sponsionis rationem habet: ergo. Quemadmodum enim is qui sponsalia celebrauit, si posteà de facto cum alia contrahat Matrimonium est validum; ità & is qui vouit castitatem simplici voto, & contrahit, Matrimonium hoc manet ratum & validum.

Moneo tamen vota simplicia castitatis emissa in Societate nominis Iesu, & impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum ex constitutione Gregorij XIII. vota tamen omnia alia simplicia castitatis non dirimunt Matrimonium contractum, sed tantùm impediunt contrahendum.

Votum solemne castitatis impedit matrim.

CONCLVSIO 2. *Votum solemne castitatis, & impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.* Primò, quia ità docent Cyprianus in epist. ad Pomponium, Basilius lib. de virginitate, & in epist. ad Amphilochium. Siricius Papa epist 1. cap. 6. & Innocent. I. epist. cit. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, & 2. cap. vltimo contra eumdem, Chrysost. hom. 6. ad Theodorum Monachum. Gregor. lib. 1. epistol. 40. ad Anthemium. *Et quia*, inquit, *aliquos Monachorum vsque ad tantum nefas prosiliisse cognouimus, vt vxores publicè sortiantur; sub omni eos vigilantia requiras, & inuentos digna coërcitione in monasteriis, quorum monachi fuerint transmittas.* Concilium Carthaginense IV. canon. vltimo, Toletanum I. canon. 16. Chalcedon. canon. 14. *Si qua virgo*, inquit, *se dedicauerit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptiis iungi, si verò fuerint inuenti hoc fecisse, maneant excommunicati.* & Taraconense II. canon. 16. Viennense sub Clemente V. Tridentin. session. 24. cano. 9. inualidat enim Matrimonium ab iis contractum qui castitatem solemniter professi fuerint. *Si quis*, inquit, *dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Vide de hac re multa apud Gratianum 27. quæst. 1. & Tit. de voto & voti redemptione, & Tit. qui clerici vel vouentes Matrimonium contrahere possint in Decretalibus.

Cyprian. D. Basil. Siricius. Innocent. Hieron. Chrysost. Gregor.

Concilia.

Ratione probatur conclusio.

Accedit ratio: Illi nequeunt vlla ratione contrahere Matrimonium, qui nullam planè habent potestatem in proprium corpus; est enim Matrimonium traditio, & acceptatio corporum facta à contrahentibus ad vsum Matrimonij: at qui publicè & solemniter votum castitatis emisit omnem potestatem quam habet in proprium corpus contulit in eum cui se obstrinxit vinculo perpetuæ continentiæ: ergo non potest, &c.

Mouetur quæstio D. Thom.

Sunt autem qui quærant, *An Pontifex Maximus possit dispensare in voto solemni castitatis.* D. Thomas & Thomistæ negant: Casuistæ verò, & plerique Scholastici Theologi tam veteres, quàm recentiores secus sentiunt, quorum tamen rationes non videntur satis efficaces. Nam quod aiunt vnum ex regibus Aragoniæ dispensatum fuisse, vt post emissum votum solemne castitatis transierit ad statum coniugalem, negat Sotus hoc legi in historiis Aragonicis. Quod verò subiungunt alij de Constantia, quæ post professam castitatem in ordine monastico ex dispensatione Papæ contraxit cum Henrico IV. Imperatore, Baronius negat, & probat multis Constantiam numquam fuisse professam castitatem tom. vltimo suorum Annal. circa annũ Christi 1186. pagina mihi 790. ex editione Romana. Tandem, quando affirmant Pontificem Maximũ dispensasse cum multis qui castitatem solemniter vouerant, ad hoc vt transire possent ad nuptias. Respondeo nihil planè colligi, nam superest respondendum Pontificem ea in re non sequutum fuisse opiniones verissimas, & certissimas, sed eorum Doctorum quorum consiliis vsus est illis temporibus, opiniones autem istæ non sunt certissimæ & indubitatæ.

1.

2. Deinde fatentur omnes Pontificem Maximum in iis quæ sunt facti posse errare; dispensare autem cum hoc vel illo homine pertinet ad facta.

3. Tertiò, assistentia Spiritus sancti infallibilis debetur Pontifici Maximo in definiendis rebus pertinentibus ad fidem Catholicam, vel certè ad mores communes Ecclesiæ.

Solutio 2. Respondeo 2. numquam dispensasse quempiam Pontificem in voto castitatis solemni, aut in aliquo alio, sed tantùm declarasse votum castitatis emissum hîc & nunc, cum his & istis circumstantiis, nullam inducere vel induxisse obligationem.

DVBITATIO QVARTA.

An cognatio impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum.

Notabile 1. Cognatio carnalis, spiritualis legalis.

ANTEQVAM res hæc explicetur à nobis, Aduerte primò, cognationem apud Theologos & Canonistas diuidi in carnalem, spiritualem, & legalem: prima, consurgit ex generatione, seu coniunctione carnali: secunda ex coniunctione per baptismum & Confirmationem: tertia per adoptionem acquiritur. Carnalis subdiuiditur in consanguinitatem, & affinitaté, illa sequitur coniunctionem sanguinis, hæc verò nascitur ex coniugio seu copula carnali: de istis ergo omnibus breuiter Dubitatio proposita est explicanda; ac primùm de consanguinitate. Cetertùm de hac primò inquirendum est quid sit.

Consanguinitas quid.

Consanguinitas, est vinculum duorum qui ab vno aliquo per sanguinis propagationem descendunt, vel quorum alter descendit ab altero, sic vt virtus stipitis in genito, vel genitis perseueret: qui hoc modo coniuncti sunt consanguinei dicuntur. Adieci autem, *sic, vt virtus stipitis*, quia dum longiùs fit interuallum vnius ab altero, & virtus stipitis mouens ad ea quæ sunt indiuidui tandem euanescit, & nomen consanguinitatis simul cum affectione quæ peculiaris inter consanguineos esse solet extinguitur; neque enim omnes homines, quamuis à communi parente Adam, & sequentibus vsque ad Noë descenderint, cognati aut consanguinei inter se dicuntur. Cetertùm ea persona à qua descendunt, vel in qua conueniunt plures illi qui inter se consanguinei dicuntur, modò stipes vt iam indicauimus, modò truncus, modò radix solet vocari, vt pater respectu duorũ filiorum, Auus respectu duorum nepotum siue solus accipiatur, siue simul cum coniuge sua; nam vir & vxor, cum sint vna caro vnum eumdemque stipitem constituunt.

Notabile 2. Qua ratione gradus consanguinitatis computentur.

Aduerte secundò, qua ratione gradus consanguinitatis sint computandi verum antequàm id doceam noto, lineam definiri *ordinatam collationem consanguineorum ab eodem stipite descendentium, diuersos continentem gradus*; Hæc autem triplex est vna ascendentium, alia descendentium, alia transuersa seu collateralis. Linea ascendentium & descendentium sola ratione, & inuerso supputandi modo differt, qui enim primus in linea, vt in scala, gradus est descendenti, vltimus est ascendenti & contrà. Transuersa verò ea dicitur in qua non descendit alter ab altero, sed ab eodem stipite ambo vt frater & soror, & item patrueles inter se & consobrini, & quotquot

quot se mutuò ex latere respiciunt.

Gradus verò, ea cognatorum habitudo dicitur, qua cognoscitur quantum à se mutuò distent, vel quàm sibi mutuò sint propinqui. Gradum ergo vnus quispiam per se constituere non potest, sed plures, quia gradus esse non potest vbi non est progressus ab vno ad alterum: his ità constitutis, Graduũ supputatio non vno & eodem modo ab omnibus traditur. Nam Iisidorus lib. 9. Etymologiarum cap. 5. & 6. primum gradum descendentium facit à filio ad nepotem, secundum à nepote ad pronepotem, & ità deinceps, stipitis loco constituens filium tamquam vnum cum patre. Alexander verò apud Gratianum 35. quæst. 5. cap. *Ad sedem Apostolicam*, quatuor diuersos enumuerat modos supputãdi gradus cognationis, partim in linea rectà, partim in transuersa, ostendens inter cetera quæ sit ratio cur alia secundum leges, alia secundum canones fiat computatio; quia scilicet ad diuersos fines respexerunt. Leges quidem ad successiones hæreditatum, canones verò ad causas Matrimoniales, ac tandem istam ceteris omnibus anteponit: aut ergo Patrem rationem stipitis, trunci, seu radicis habere, à patre autem distat filius vnico gradu, nepos duobus, pronepos tribus; hoc autem pacto gradus sunt accipiendi in linea descendente: in ascendente verò contraria ratione vtendum est, vt si filium primo loco accipias, & ab eo sursum tendas, Pater distabit ab eo vno gradu, Auus duobus, Proauus tribus, & sic consequenter. In linea autem transuersali adhibenda est diligentior consideratio; cùm enim eorum consanguinitas, qui ex latere se mutuò pertingunt non ex eo contracta sit quòd alter ab altero sit ortus, sed quod ab eodem ambo, oportebit in hac linea gradus considerare secundum quod referuntur ad communem originem; quod vt rectè fiat, tenendæ sunt istæ regulæ. Prima, si qui æqualiter distant à communi stipite, quoto gradu ab eo distant, eodem distant inter se; si verò distant inæqualiter quoto gradu remotior distat à stipite, eo distabunt inter se: exempli gratia, frater & soror, inter se distant vno gradu, sic enim distant à communi parente; frater autem & sororis filius secundo inter se gradu distant, quia secundo gradu à communi parente distat sororis filius, qui est à stipite remotior. Hanc supputandi rationem tradit Zacharias Papa 35. quæst. 5. cap. *Paremela*, quã postea retinendam voluit Alexander in Concilio Lateranensi, & Gregorius IX. regulam approbatam vocat, de consanguinitate & affinitate, capitulo finali: his ità constitutis sit

Iisidorus.

Regula consanguinitatis & affinitatis.

CONCLVSIO 1. *Antiquitus nemo potuit contrahere Matrimonium intra septimum gradum consanguinitatis*, vt constat ex multis canonibus quos citat, Gratianus 35. quæst. 3. Innocentius tamen III. postea in Concilio Lateranensi. cap. 50. eas prohibitiones restrinxit ad quartum vsque gradum inclusiuè, & refertur cap. *Non debet*, de consanguinitate & affinitate: probauit & hoc Gregorius IX. vt constat ex cap. proximè sequẽti, eodem titulo.

Antiquitus prohibita Matrim. vsque ad 7. gradum.

2. Deinde, lex hæc seruatur vbique locorum inter Christianos & Catholicos homines; ità vt Matrimonia contracta intrà quartum gradum consanguinitatis censeantur esse nulla & omnino inualida.

CONCLVSIO 2. *Consanguinitas impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum partim lege naturæ, partim positiua diuina, vel Ecclesiastica.* Ità communiter omnes.

Qua lege consanguinitas impediat & dirimat Matrimon.

Deinde, ius naturale irritat Matrimonium filiæ contractum cum patre, aut filij cum matre secundum omnes; abhorret enim natura, & hominum societas ab istis connubiis, item fratris cum sorore germana, aut cum sorore ex altero tantùm parente, priuigni item cum nouerca, hęc enim coniunctio est incognita, ex Paulo 1. Cor. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ità vt vxorem patris sui aliquis habeat*: & denique vitrici cum priuigna (est autẽ priuignus filius vel matris vel patris, Vitricus verò maritus matris meæ; nouerca autẽ Patris mei vxor) & idẽ est iudicium de socero cũ nuru. Confirmatur: Nullum extat exemplum cõiunctionis huiusmodi licitũ aut probatũ ab initio generis humani ad hodiernum vsque diẽ, exceptis coniugiis Adæ, & filiorum, quos extrema necessitas multiplicandi genus humanum coëgit nubere cum fororibus.

1. Cor. 5.

Dubitant autem multi hoc loco, ah iure naturali prohibitum sit, ne quis possit validè contrahere cum sorore vxoris demortuæ, & idem quærimus de filia, &c.

Opinio illorum videtur indubitata, quæ asserit iure naturali id minimè esse prohibitum: primò, quia Genes. cap. 29. legimus Iacob virum sanctissimum contraxisse Matrimonium cũ Lia, & Rachele fororibus.

Genes. 29.

Deinde, Deuter. 25. dicitur quod si contigerit natum maiorem ex fratribus obire sinè liberis teneatur minor natu ducere vxorem fratris sui demortui, & ità suscitare semen fratri suo mortuo: *Quando*, inquit, *habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui.*

Deut. 25. 3.

Tertio, Alexander VI. fecit potestatem Emanueli Regi Lusitaniæ contrahere cum vxore fratris sui mortui, vt referunt historiæ Lusitanicæ, simile quid præstitit Innocentius III. cum Liuonensibus, ex cap. vltimo de diuortiis, & Iulius II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, contraxit enim posita dispensatione Pontificis Maxim. cum Catharina Austriaca quæ antèa nupserat Arturo Regi Angliæ; Arturus autem hic fuit frater Henrici, qui religionem Christianam apud Anglos omnino destruxit.

3.

Obiectio. Obiicies, *turpitudinem fratris tui non reuelabis*, Leuit. 18. & Mat 14. & Marc. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Leuit. 18. Mat. 14. Marc. 6.

Solutio. Respondeo hæc esse intelligenda viuente fratre; eo enim superstite non licet contrahere Matrimonium cum vxore fratris, bene tamen eo extincto, posita Pontificis Maximi dispensatione: Herodes verò accepit vxorem fratris sui Philippi eo viuente, vt docet Iosephus lib. 18. Antiquitatũ cap. 9. Egesippus lib. 2. de excidio, cap. 5. Eusebius lib. 1. Ecclesiast. histor. cap. 13. & Nicephorus lib. 1. cap. 19. imò si daremus mortuum fuisse fratrem Herodis, adhuc iusta esset reprehensio Ioannis Baptistæ; nam in lege Mosaica licuit ducere vxorem fratris demortui, in eo tantùm casu in quo decessisset sinè liberis, vt constat ex cap. citato Deuter. Philippus autem frater Herodis prolem suscepérat superstitem, filiam videlicet saltatricem, vt constat ex cap. 14. Matth. & 6. Marc. citatis.

Iosephus.

Digitized by Google

Notabile. Aduerte, contrahentes Matrimonium intrà quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis, peccare mortaliter, & præterea excommunicari, vt constat ex Clementina, de consanguinitate & affinitate.

Mouetur quæstio. ROGABIS, *quis possit in gradibus affinitatis, & consanguinitatis dispensare.*

Solutio. RESPONDEO, *in primo gradu consanguinitatis descendentium Pontificem Maximum dispensare non posse; secus verò in omnibus aliis gradibus consanguinitatis, & affinitatis.* Prima pars probatur: 1. Matrimonium iure naturali prohibetur inter fratrem & sororem: at docuimus Pontificem Maximum non posse dispensare in his quæ sunt iuris naturalis.

Deinde, Pius V. Pontifex Maximus declarauit in Bulla quæ incipit, *Attendens mentem Ecclesiæ esse*, nusquam dispensandum in primo gradu consanguinitatis.

2. Gregor. Secunda verò pars responsionis probatur, ex Gregorio lib. 12. Epistolarum, epist. 41. ad Augustinum Anglorum Episcopum: in hac enim facit potestatem Anglis quibusdam Gregorius, vt contrahant in gradu secundo & tertio.

Trident. Deinde, in Tridentin. session. 24. cap. 5. ità dicitur: *In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.*

Tertiò, impedimenta ista sunt introducta tantùm iure Ecclesiastico; potest autem Pontifex Romanus dispensare in iis omnibus quę sunt iuris Ecclesiastici.

Replica. Sunt qui hoc idem affirment de Episcopo, modò tamen Matrimonium fuerit in plena facie Ecclesiæ bona fide contractum, & quod impedimentum sit occultum nequeántque separati coniugati isti sinè scandalo.

Contraria opinio infinis partibus tutior. Ceterùm contraria opinio est multis partibus tutior: primò, quia quotidiana praxis docet, recurrere omnes ad summum Pontificem suppositio aliquo ex dictis impedimentis.

Secundò, non possunt Episcopi tollere, vel etiam explicare leges latas à Conciliis generalibus, sed explicatio huiusmodi constitutionum pertinet ad solum Pontificem Maximum, vel ad aliquod aliud generale Concilium ex communi doctrina, & ex praxi quotidiana. Nullus enim est ex Episcopis, nostris seculis qui auderet explicare Concilium Tridentin. sed totum hoc negotium incumbit Congregationi Cardinalium ad id institutæ à Summo Pontifice; impedimenta autem affinitatis & consanguinitatis introducta sunt à Concilio Lateranensi generali: ergo non poterunt Episcopi dispensare in gradibus prohibitis consanguinitatis.

Notabile. Illud idem dicendum est de impedimento cognationis spiritualis de qua statim: in hoc enim nullus alius à Pontifice Maximo, ex veriori opinione, dispensare potest, idque quòd hoc impedimentum fuerit introductum & restrictum à Concilio Tridentino loco supra citato.

Cognatio spiritualis impedit & dirimit Matrimon. CONCLVSIO 3. *Cognatio spiritualis* (quæ nihil aliud est quàm propinquitas quæ datur inter aliquos ex sacramenti baptismatis & Confirmationis collatione, aut ex eo quòd quis alium in sacramẽto baptismi vel Confirmationis teneat & suscipiat) *impedit Matrimonium & dirimit contractum, ceterùm inter baptizantem & suscipientem vel suscipientes ex vna parte, & baptizatum eiusque patrem & matrem ex altera parte: inter ergo dictos irritat tantùm cognatio spiritualis Matrimoniũ.* Ità Concilium Tridentin. session. 24. cap. 2. ex quo colligitur emendari & restringi quæ fuerant iure antiquo de hac cognatione spirituali constituta apud Gratianum 30. quæst. 1. 3. & 4. & in Decretalibus, titulo de cognatione spirituali. Trident.

Aduerte autem, cognationis spiritualis tres veluti gradus constitui. Paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas ad filium spiritualem terminatur, comprehenso etiam matris ac filiæ nomine, & consideratur inter baptizantem, confirmantem, leuantem ex sacro fonte, tenentem in Confirmatione, eorúmque coniuges ex vna parte & confirmatum vel baptizatum ex altera parte. Compaternitas autem inter baptizati seu confirmati parentes spirituales iam dictos ex vna parte, & parentes carnales ex altera parte. Confraternitas denique inter dictos filios spirituales, scilicet baptizatum vel confirmatum ex vna parte, & filios carnales ex eisdem spiritualibus parentibus genitos ex altera parte. *Notabile.*

CONCLVSIO 4. *Cognatio legalis* (quæ definitur adoptio extraneę personę in filium, vel neporem, vel deinceps legitima assumptio) *impedit Matrimonium contrahendum*, vt manifestè dicitur apud Gratianum 30. q. 3. & in Decretalibus, titulo de cognatione legali: impedit ergo hęc cognatio Matrimoniũ inter adoptantem & adoptatum, eiusque filios, ac deinceps vsque ad quartum, idque in linea ascendentium & descendẽtium; in linea item laterali impedit legalis cognatio Matrimonium inter adoptatum, & naturalem filium adoptantis. *Cognatio legalis impedit Matrim.*

Denique inter adoptantem & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis: impedit ergo Matrimonium contrahendum inter proximè explicatos: verùm cum hoc discrimine quòd prima & tertia cognatio legalis perpetuum impedimentum inducant; secunda verò non inducit perpetuum impedimentum; ideò cognatio secunda tamdiu impedit Matrimonij celebrationem, quamdiu durat, nempe pro eo tempore in quo filius adoptantis in potestate patris permanserit: dissoluitur autem vel patre mortuo, vel filio naturali emancipato, quo casu poterit inter filium adoptiuum & filiam naturalem vel contra consurgere Matrimonium, vt docent rescripta Paschalis Sum. Pontif. apud Gratianum cap. *Per adoptionem.*

Corollariũ. Ex quibus colligitur impedimentum hoc nedum impedire Matrimonium contrahendum, sed etiam dirimere contractum, licèt alij secus sentiant: Ratio petitur à reuerentia, quam filius, & filia qui adoptantur, debent adoptanti seu patri, seu matri, & consequenter eorum coniugibus ac naturalibus filiis.

DVBITATIO QVINTA.

An crimen impediat & dirimat Matrimonium.

Quæ crimina impediãt Matrim. DVo sunt crimina, quæ faciunt, ne qui inter se Matrimonium celebrare possint, & si fuerit celebratum inane planè & nullum erit huiusmodi Matrimonium, Primum est machinatio mortis mariti, verbi causa, cum coniuge eiusdem, ad hoc vt marito extincto coniux 1.

occiũ

occisi ducatur ab eo qui maritum occidit, aut illius qui vxorem propriam occidit, vt contrahat cum alia, quæ est etiam conscia mortis prædictæ vxoris. Crimen ergo hoc impedit Matrimonium contrahendum & dirimit contractum, ex cap. *Si quis viuente* 31. quæst. 1. & cap. *Laudabilem*, de conuersione infidelium & Paludano in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 3. Maior. in 4. dist. 35. quæst. 2. Caietano & aliis ibidem.

Conditiones necessariæ ad nullitatẽ matrimonij ratione criminis.

Desiderantur tamen tres conditiones ad hoc vt Matrimonium contractum inter istos duos sit nullum & inualidum. Prima, quòd vterque ad homicidium hoc concurrerit, vel dando venenum, vel lethale vulnus infligendo, seu per seipsos, seu per aliquos, auxilium vel consilium, dando.

2. Secundò, quod vterque habuerit intentionem contrahendi mortua parte, in quam conspirarunt.

3. Tertiò, quod mors fuerit subsequuta ex huiusmodi machinatione, vel etiam ex vulnere, aut veneni potione; nam si mors fuerit subsequuta ex aliqua alia causa, non dirimit machinatio Matrimonium, si posteà fuerit contractum.

Crimen 2. Secundum crimen quòd impedit contrahendum, & dirimit contractum Matrimonium est, *Adulterium*, quod quis commisit verbi gratia, cum vxore alterius ceterùm posita promissione, quòd marito mortuo conuolabunt adultera & machus ad statum Matrimonij; ità dicitur in canon. *relatum* 31. quæst. 1. 2. 3. & 4. capit. *Propositum*, capit. *Significauit*, cap. *Veniens*, de eo qui duxit eam in Matrim. quam polluit per adulterium.

Conditiones aliæ necessariæ. Desiderantur ergo duo ad hoc vt Matrimonium inter adulteros contractum sit nullum & inualidum. Primum, quod adulterium vel præcesserit, vel subsequutum fuerit.

Deinde, promissio reciproca, inter adulteros de Matrimonio celebrando in futurum, posita morte mariti vel coniugis.

Corollariũ. Ex istis colliges, quòd si vir & mulier contraxerint de præsenti Matrimonium, viuente alterius coniuge, & adulterium præcesserit, vel etiam subsequutum fuerit, Matrimonium hoc nedum esse nullum & inualidum, sed etiam reddantur isti omnino inhabiles ad contrahendum post mortem coniugis: ità dicitur expressè in cap. *Ex litterarum*, & cap. *Significasti*, & cap. *Si quis*, de eo qui duxit, &c.

Notabile Monco tamen, Matrimonia ista irritari inter baptizatos & fideles, aut certè inter illos, quorum vnus est fidelis; nam infideles non sunt capaces istorum impedimentorum, & proinde si accederent ad baptismum post prædicta crimina, certè putarem non propterea irritari eorum Matrimonia: Ecclesia siquidem non potuit eos obligare cùm nusquam dederint nomen religioni Christianæ. Si tamen alius coniux esset fidelis, Matrimonium esset omnino inualidum inter istos duos: potuit enim Ecclesia obligare fidelem ad hæc impedimenta, & item consequenter infidelem: ità Rebellus & alij nonnulli.

DVBITATIO SEXTA.

An Cultus disparitas inualidet Matrimonium.

CONCLVSIO 1. *Matrimoniũ nulla ratione consurgere potest inter baptizatũ, & non baptizatum iure Ecclesiastico.* Primò, quia inualidatur hoc Matrimonium in Concilio Toletano III. cap. 14. & VII. cap. 62. Aurelianensi II. cap. 29. Illiberti no cap. 15. & sequentibus, & apud Gratianum 28. quæst. 1. per plura capita. *Iure Ecclesiastico matrimoniũ nõ est nisi inter baptizatos.* Toletan. Aurelian. Illibert.

Dixi, *iure Ecclesiastico*, quoniam iure naturali Matrimonia ista non irritantur; certum namque est viros quàm maximè pios contraxisse cum infidelibus, vt Iacob cum filiabus Laban, qui tamen fuit idolorum cultor, vt constat ex cap. 29. Genes. Salomon filiam Pharaonis sibi in vxorem assumpsit, & tamen Pharao fuit alterius religionis à Iudaïca, vt dicitur 3. Reg. 3. Esther nupsit Assuero, licèt esset omnino alienus à cultu veræ religionis, & ipsa esset religionis Iudaïcæ. Ioseph item contraxit cum alienigena, D. Monica mater D. Augustini, cum Patritio quondam gentili, vt refert ipsemet D. Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 9. & plures aliæ fœminæ in noua lege. Genes. 29. 3. Reg. 3. Esther 2.

Iure tamen diuino prohibetur Matrimonium fidelis cum infideli, ex cap. 6. 2. Corinth. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* & cap. 7. *Mulier viuente viro alligata est legi: si autem dormierit vir eius liberata est à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino*, vt explicant Tertullianus lib. 2. ad vxorem. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: Ambrosius ad locum proximè citatum Pauli, & Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugiis. D. August. Tertul. Hieron. Ambros.

Dices, si hoc verum sit, sequitur eos, de quibus paulò antè, peccasse dum contraxerunt Matrimonium cum infidelibus. *Obiectio.*

Respondeo, eos excusari vel quia peculiari instinctu Spiritus sancti id fecerunt, vel quia cessabat periculum ob quod vetantur huiusmodi conubra: aliquos etiam ratione inconsiderantiæ naturalis, seu defectu scientiæ legis diuinæ; quamuis non teneamur omnes actus sanctorum à macula peccati vindicare. *Solutio.*

CONCLVSIO 2. *Matrimonium contractum inter baptizatum, & apostatam à fide, seu hæreticum, est validum.* Primò, quia supponimus huiusmodi Matrimonium fuisse celebratum in illis locis, in quibus Tridentinum non est publicatum, iuxta formam ab ipsomet Concilio præscriptam. 1.

Deinde, Matrimonia ista habentur tamquam rata apud omnes & singulos. 2.

CONCLVSIO 3. *Peccat tamen Catholicus mortaliter contrahens Matrimonium cum muliere hæretica, aut contrà.* Hanc Conclusionem, quia in prouinciis labe hæreseos infectis sæpè contemnitur, contrahique solent huiusmodi Matrimonia, placet optimis testimoniis comprobare: atque imprimis id ostendo ex cap. 6. 2. ad Corinth. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*: Licèt enim locus hic explicetur ab Oecumenio & Theophylacto, de æquitate, & iustitia retinenda homini Christiano & Catholico in omni opere quod exsequitur, ità vt neutram in partem deflectere ad instar iniustæ libræ minime liceat; Hieronymus tamen locum hunc de con- 1. Cor. 6. Oecumen. Theophyl. Hieron.

Digitized by Google

iugio viri Catholici cum muliere apostata à fide asserit esse intelligendum. Subscribit Hieronymo Primasius; vult enim quamlibet societatem cum perfidis, & infidelibus dissuaderi à Paulo; ità vt cum iis nullo societatis genere copulentur, neque vni atque eidem iugo subdantur, nullàque connubia cum istis celebrentur: imò hoc ipsum satis subindicare videntur verba Apostoli subsequentia: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum Idolis? vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus:* Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:* imò cap. 5. prioris ad Corinth. consulit, aut potiùs præcipit, vt quilibet nostrùm declinet hominis Catholici societatem, si fuerit hic aliquo crimine notatus: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere:* ac tandem: *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Primasius. *Inter Catholicum & hæreticam aut contrà validum Matrim. sed peccant grauiter Catholici.* 1. Cor. 5.

At longè euidentiùs veritatem istam comprobant, quæ à sanctis Patribus in sacris Conciliis fuerunt decreta: Audiamus ergo Concilium Carthaginense III. cap. 12. ità de hac re sermonem instituens: *Placuit, vt filij, vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum, gentibus, vel hæreticis, aut schismaticis Matrimonio non coniungantur.*

Concil. Carthag.

Notabile. Moneo tamen obiter canonem hunc non pugnare cum cœlibatu iustissimis de causis ordinibus sacerdotij & Episcopatus hactenus annexo; loquitur quippe canon hic de illis sacerdotibus, & Episcopis, & clericis qui à statu coniugij transierant ad statum cleri; quique durante coniugio filios ex legitimo Matrimonio susceperant: notissimum namque est antiquitus coniugatos ad sacerdotij & Episcopatus dignitatem fuisse assumptos; ità tamen vt posteà non licuerit ad legitimam alioquin vxorem libidinis arcendæ, aut exercendæ causa sinè nefario & probroso scelere accedere. Istorum ergo Episcoporum, sacerdotum, & Clericorum filios prohibet Concilium Carthaginense cum hæreticis aut Ethnicis Matrimonio coniungi.

Chalced. Consentit Chalcedonense generale Concilium sub Leone I. anno Christi 452. contra Eutychetem & sequaces eiusdem celebratum, actione 15. canon. 14. *Quoniam*, inquit, *in quibusdam prouinciis concessum est lectoribus, & Psaltis vxores ducere, statuit sancta Synodus non licere cuiquam ex iis, accipere sectæ alterius vxorem*: & paucis interiectis: *neque debet copulari nuptura hæretico, aut Iudæo, vel pagano nisi fortè promittat ad orthodoxam fidem se per personæ Catholicæ copulam transire.* Et ante hoc, Concilium Laodicænum, cap. 31. ità de hac eadem re loquitur; Quòd non oporteret cum hæreticis vniuersis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios, vel filias dare, sed magis accipere: si tamen Christianos se fieri promittant: Et denique Eliberitanum temporibus non Constantini magni, vt vult Garcias, sed Constantij, annis ferè viginti quinque ante Nicænam primam Synodum coactum, & celebratum apud Eliberim in Bætica, non in Tarraconensi prouincia, clauum in Ecclesia Catholica tenente Marcello huius nominis primo, anno Christi 305. ex veriori Chronologia: ità ergo de hac re loquitur. *Hæretici si se ad Ecclesiam Catholicam noluerint transferre, nec istis dandas esse Catholicas puellas, sed neque Iudæis, neque hæreticis dari placuit; eò quòd nulla potuerit esse societas fidelis cum infideli: si contra hoc interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet à communione*, scilicet sanctissimi sacramenti.

Laodicæn.

Eliberit.

Subscribût Patres, vnus Cyprianus erit mihi instar omniû; hic ergo libro de lapsis, paulò post initium. *Iungere cum infidelibus vinculum Matrimonij, prostituere Gentilibus membra Christi, non iurare tantùm temerè, sed adhuc etiam peierare, præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odijs pertinacibus inuicem dissidere, nefarium esse simpliciter quis nesciat?* Sed expressiùs multò epistola 76. ad Magnum, de baptizandis hæreticis. *Si autem*, inquit, *qui Ecclesiam contemnunt, ethnici & publicani habentur; multò magis vtique rebelles & hostes, falsa altaria, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, & nomina adulterata fingentes, inter Ethnicos & publicanos necesse est computentur; ac proinde cum illis nulla fœdera, nulla commercia, nulla communio, nulla denique connubia sunt celebranda:* quod etiam multis comprobat lib. de Aleatoribus sub initium, ex capit. 5. prioris ad Corinth. citato; *Cum eiusmodi quidem nec cibum sumere.* & alibi: imò epistola 70. ad Ianuarium, & cæteros Episcopos Numidiæ, de hæreticis baptizandis, 71. ad Quintum fratrem, 72. ad Stephanum Papam 73. ad Iobaianum, 74. ad Pompeium fratrem, 75. & 76. totus in eo est, vt probet baptismum ab hæreticis collatum esse inutilem, & omninò vanum.

Patrum testimonia. Cyprian.

Hoc etiam intellexerunt maiores nostri sanctissimi: extrema quippe pati maluerunt, quàm ab hæreticis, vel cum hæreticis sacramentum aliquod recipere. Extat de hac re illustre exemplum apud Catholicos Constantinopolitanos, qui nullis tormentis, nullis minis, & terroribus adigi potuerunt, vt cum Macedonio hæretico communicarent, vt scribit Sozomen. lib. 4. cap. 19. idem de Essenis Catholicis videre licet apud Theodoretum, lib. 4. cap. 16. & de Samosatenis lib. 4. cap. 14. histor. Ecclesiast. Laudatur hoc eodem nomine Satyrus, Ambrosij frater apud eumdem, in sermone de obitu illius. Moyses, monasticæ vitæ sedulus & diligens indagator, propter hãc eamdem causam plurimùm commendatur apud Theodoretum lib. 4. cap. 21. Ermigildum quoque Hispanum, Regis Arriani filium hoc nomine martyrio fuisse affectum legimus apud Gregorium lib. 3. Dialog. cap. 31. Africanorum infinitam propemodum multitudinem innumeras calamitates ne communi carent cum hæreticis in vllo planè fœdere, tolerasse æquo ac placido vultu notissimum est, ex Victore Vticensi lib. 2. & 3. de persequutione VVandalica.

Sozomen. Theodor.

Premit adhuc & vrget magis locus Ioannis ex sua 2. Canon. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis.*

2. Ioan.

Neque

Neque refert, quod aliqui Casuistæ recentiores sentiant prohibitionem istam pertinere tantùm ad eum qui communicat cum homine hæretico probandæ, iuuandæ, & promouendæ hæreseos causa, aut de eo qui familiariter vixit cum authore alicuius sectæ, & falsæ doctrinæ; non autem de ceteris omnibus aliis, qui vel pacis & tranquillitatis publicæ retinendæ gratia, vel ad euitanda nedum grauia, sed etiam grauissima incommoda temporalia cum hæreticis illis societatem & familiarem conuictum ineunt.

Puto enim consilium hoc, aut potius præceptũ omnem omnino communicationem cum hæreticis homini Christiano & Catholico vetare, præsertim si communicatio ista non possit esse sinè culpa: at quis dicet sinè peccato Catholicum posse ducere in vxorem feminam sordibus hæreticæ prauitatis contaminatam, ac proinde semper in statu damnationis constitutam? certè Antonius ille eremita nostræ adstipulator venit sententiæ; hic enim cùm videret intrà paucas horas sibi esse moriendum præcepta nedum vtilia, sed necessaria suis sequacibus apetuit, vt refert Athanasius in eius vita: inter ista autem huius morientis ad discipulos suos vox erat;

Athanas. *Zelum meum contra hæreticos omnes, & veritatis hostes tenete; scitis quia nihil illis vnquam molliter aut pacifice fuerim loquutus: venenata itaque eorum colloquia prorsus euitate.*

Basilius. Nec dissimilis est Basilij ad suos monachos admonitio, epistola 73. *Congressus illorum*, inquit, (scilicet hæreticorum) *subdolos & ad subuersionem audientium instructos declinetis, vt dilectionem erga nos synceram custodiatis, vt patrum fidem infractam, & sanam seruetis, vt apud Dominum tamquam probati veritatis amici deprehendamini.*

Irenæus. Irenæus de beato Polycarpo martyre scribit, & ex isto Eusebius lib. 3. cap. 13. quod nusquam alloqui voluerit Marcionem hæreticum, móxque subiungit. *Hæc fuit Apostolorum, & discipulorum religio, vt neque verbo tenus communicarent iis qui adulterant veritatem.*

Sed quid in istis exemplis recensendis immoror, certè Ambrosius in commentariis ad caput 9. Luc. quem refert Gratianus 24. quæst. 1. capit. *Qua dignior*, strictissimè vetat ne Catholici fœdera vlla cum desertoribus fidei ineamus. *Fides*, inquit, *igitur in primis Ecclesiæ quærenda mandatur; in qua, si Christus habitator sit, haud dubiè sit tenenda; sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga censetur, excutiendus pedum puluis; ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus tamquam humi arido arenosoque mentis tuæ vestigium polluatur.* Et ibidem: *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolica prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Quod & Apostolus*

Tit. 3. *euidenter asseruit, dicens: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita.*

Corollarij. Ex his omnibus igitur quis facilè colliget quàm sit illicitum Matrimonio coniungi cum homine hæretico, aut hæretica, imò si contigerit Catholicam contrahere Matrimonium cum hæretico, iuxta formam ab hæreticis constitutam, præter peccatum mortale quod committit Catholicus, indubitatum est eumdem excommunicari: fauet enim hæreticis in causa promotionis hæreseos, de qua re legendus est Nauarrus in Consilio de hac re edito.

Sunt autem qui putent Pontificem Romanum dispensare posse cum Catholico seu baptizato ad hoc vt contrahat inculpatè cum Ethnico & infideli: maximè si speretur conuersio istius infidelis potentis, & cessaret periculum peruersionis prolis cuiuslibet nascendæ ex tali Matrimonio. Quæ sententia est satis probabilis; Primùm diximus iure tantùm humano, & Ecclesiastico, Matrimonia cum istis prohiberi: potest autẽ Pontifex Max. dispensare in iis omnibus quæ sunt iuris humani positiui; quia ius diuinum prohibet ista Matrimonia hoc solo nomine, quòd aduersentur isti & quod pariant scandala; ergo cessante qualibet ex istis causis poterit Papa dispensare cum fideli & infideli, vt contrahant. *Mouetur quæstio.*

Conclvsio 4. *Coniugati infideles quamuis conuertantur ad fidem Christianam nequeunt ab inuicem separari, imò non possunt cum vllo alio contrahere validè:* ità definitum est in cap. *Gaudemus*, & in cap. *Quanto*, de diuortiis. *Infideles conuersi non possunt nubere cũ alijs viuente coniuge.*

Deinde, cap. 7. prioris ad Corinth. dicitur: *Si qua mulier* (scilicet Catholica) *habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum ea, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* 1. Cor. 7.

Addo tamen quòd si vnus tantummodò ex coniugatis infidelibus conuersus fuerit ad fidem, & nequeat hic habitare cum sua parte, nisi cum contumelia Saluatoris, poterit hic deserere partem suam, & transire ad statum coniugalem cum alia. Primò, quia hæc est omnium Catholicorum sententia.

Deinde, quia locus proximus Pauli, in quo contrarium videtur assererer, habet rationem consilij, non præcepti, ex doctrina D. Augustini, Hieronymi, Anselmi, & aliorum patrum. D. August. Hieron. Anselm.

Tertiò, quia infidelitas est species aliqua adulterij spiritualis: diximus autem propter adulterium carnale liberum esse separari à parte sua quoad thorum.

Denique, debet quilibet Catholicus vindicare iniuriam Deo illatam quantum potest: ergo.

DVBITATIO SEPTIMA.

An vis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum.

Aduerte primò per particulã, *vim*, significari hoc loco violentiã, qua quis cogitur, vel virgis, vel minis, vel pudore, & veneratione reuerentiali, aut aliqua alia ratione ad aliquid agẽdum, quod nullo modo egisset, nisi ad id vi huiusmodi fuisset impulsus: hoc ergo ità constituto sit *Notabile. Quid vis nomine significetur.*

Conclvsio 1. *Matrimonium contractum vi & violentia, aut metu cadente in constantem virum, est omnino nullum & inualidum.* Probatur ex cap. *Veniens*, & cap. *Cum locum*, de sponsalibus, & cap. *Significauit*, de eo qui duxit in Matrimonium. Idem docent D. Thom. in 4. dist. 29. & in additionibus ad 3. part. quæst. 47. artic. 1. & Nauarrus cap. 22. numer. 50. *Vis impedit Matrim.* D. Thom.

Digitized by Google

Etiamsi cõsummatum.

CONCLVSIO 2. *Matrimonium contractum & consummatum ex metu cadente in constantem virum, est omnino nullum, & inualidum.* Ità D. Thom. art. 2. quæst. citatæ, Soto in 4. dist. 29. art. 2. quæst. 7. & communiter alij.

Raptus dirimit Matrim.

CONCLVSIO 3. *Per raptum, quem multi nomine vis seu violentiæ intelligunt, dirimitur Matrimonium contractum & consummatum:* explicatur. Primo, hic raptus definitur violenta puellæ extractio de domo patris: hic ergo raptus & impedit Matrimonium & dirimit cõtractum; nisi tamen puella hæc fuerit reddita parentibus, aut nisi fuerit separata à raptore, & apud eos depositа vbi liberè, imò cum plenissima libertate suam mentem explicare queat, consentiatque celebrationi Matrimonij. Ità 26. quæst. 2. & in cap. finali, de raptoribus, & in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. decernitur irritum esse huiusmodi Matrimonium, quamdiu rapta in potestate raptoris fuerit; secus tamen si ab eo separata, & in loco tuto, ac libero constituta ei nubere voluerit: incurrere tamen ipso facto sententiam excommunicationis tam raptorem, quàm eidem consilium, auxilium, vel fauorem præstantes, & alias pœnas indubitatum est, ex eodem loco Concilij. Accedit ratio. Matrimonia debent esse liberrima: at femina, siue fuerit hęc virgo, siue corrupta, non censetur libera quando est in potestate raptoris, aut eorum qui pendent à raptore: ergo Matrimonium tunc temporis factum nullum erit, etsi consummatum.

Moneo tamen in istis locis in quibus Concilium Tridentinum non est publicatum, validum futurum Matrimonium, si rapta liberè consentiat in nuptias cum raptore, licèt existat sub eius potestate, vt dicitur in cap. finali, citato proximè: idem est dicendum si ante raptum præcesserit contractus legitimus inter raptorem & raptam; etiam in illis locis in quibus Concilium citatum est publicatum, ex multorum sententia: Rebellus tamen putauit oppositum esse, aut videri tutius.

Ad quid teneatur raptor.

Aduerte tandem, raptorem obligari ad dotandam raptam, siue eam duxerit in vxorem, siue non; ceterùm ante sententiam iudicis dotem non deberi à raptore, sed tantùm tenetur satisfacere raptæ iuxta naturam constitutionis.

Aduerte, quod si fuerit affinis, & obtenta fuerit dispensatio à Pontifice Maximo cum prædicta affine, dispensationem esse omnino nullam & inualidam, nisi expositum fuerit in libello supplice oblato Pontif. Maxim. affinem istam fuisse raptam.

DVBITATIO OCTAVA.

An ordo sacer impediat & dirimat Matrimonium.

Ordo sacer dirimit Matrim.

OMnis ordo sacer, *& impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum:* hæc est de fide, definita in Trident. sess. 24. canon. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, anathema sit.* Idem docent aliqui canones, itemque sacra Concilia vetusta: qui autem de facto contrahunt sunt irregulares ex cap. *Quotquot* 27. quæst. 1. & cap. finali, de bigamia. Innodatur præterea sententia excommunicationis, etsi non fuerit matrimonium consummatum, sed tantùm ratum, vt obseruant Soto in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 3. & alij multi contra Nauarrum, cap. 37. num. 195. qui putat irregularitatem non incurri, nisi matrimonium fuerit consummatum ab isto Clerico.

Ecclesiastico iure tantũ.

CONCLVSIO 2. *Ordo sacer impedit & dirimit Matrimonium, non quidem iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico.* Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 88. articul. 1. 7. & 11. & Sententiarij in 4. distinct. 37. quæst. vnica Caietanus, Sotus in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. Maior, & alij multi. D. Thom.

Deinde, iure tantum Ecclesiastico, non autem diuino, & naturali obligantur Clerici in maioribus ordinibus constituti, ad perpetuam castitatem.

Notabile. 1.

Aduerte autem primò, non omnem ordinem sacrum semper in Ecclesia irritasse aut inualidasse matrimonia, vt multis probat Basilius noster Legionensis, in disputatione de hac re ab eo edita. Ab anno tamen 900. à Christi natiuitate in Concilio Aurelianensi, nuptiæ & matrimonia contracta à Clericis constitutis in sacris ordinibus irritantur; præcipitur quippe illic, vt coniugati ab inuicem separentur: idem definitum fuit in sexta Synodo.

Fauet & istis, quòd licèt temporibus primitiuæ Ecclesiæ assumerentur multi à statu coniugali ad clericalem; nullus tamen initiabatur sacris, nisi de consensu vxoris polliceretur se futurum castum & cœlibem, vt indicat Clemens Roman. epistola 2. ad Iacobum, & satis manifestè colligitur ex consuetudine Ecclesiæ: hæc enim talis est vt omnes Clericos in maioribus ordinibus constitutos obliget ad castitatem retinendam.

2.

Aduerte 2. posito decreto de castitate retinenda Clericis in maioribus ordinibus constitutis, voluit Ecclesia Latina quoslibet Clericos huiusmodi, emittere votum de castitate perpetua seruanda inter consequendũ prædictos ordines. Hoc votum à Græcis non fuit receptum, vt asserit Innocentius III. in cap. *Cùm olim*, de clerico coniugato; nescimus tamen quando primum votum hoc fuerit introductum. Aliqui putant tempore Concilij Arelatensis II. id accidisse, de eo siquidem anteà nihil fuerat auditũ. Meminit posteà Toletanum II. cap. 1. Arausicanum cap. 22. & alia multa. Votum autem hoc emittitur tacitè à Clericis quando ordinantur, & est votum solemne, vt dicitur in cap. vnico, de voto in 6.

Corollariũ.

Ex istis colliges, clericum fornicantem in Ecclesia Latina, & in aliquo ex maioribus ordinibus constitutum, grauiùs peccare quàm faciat clericus Græcus; nam dixi Græcos non emittere votum castitatis, quando ordinantur, bene tamen Latinos. Vide plura apud Rebellum, quæst. 12. lib. 3. de obligatione iustitiæ.

DVBITATIO NONA.

An Ligamen impediat, & dirimat Matrimonium.

Notabile.

ADuerte nomine Ligaminis, hoc loco nihil aliud intelligere doctores quã vinculũ pri-

Digitized by Google

Quid ligamen significet.

mi Matrimonij vlidi, quo quis alteri coniugi A ficem Romanum; non autem ad Episcopum: fuit
est ligatus. Quærimus ergo hoc loco, an vincu- enim hoc impedimentum authoritate Concilij
lum seu ligamen quo quis constringitur (quia generalis introductum; Episcopus autem non po-
Matrimonium aliàs cum vna celebrauit) an hic test legem à Concilio generali latam irritare, aut
possit perseuerante vinculo, seu ligamine hoc, explicare, sed id pertinet ad Pontificem Roma-
contrahere cum alia. num, vt diximus supra.

Ligamen diuinit Matrim. & impedit.

CONCLVSIO 1. *Ligamen hoc impedit ne Matrimonium possit contrahi, & præterea facit vt huiusmodi Matrimonium cum alio ità contractum omnino sit nullum & inualidum.* Primùm probatur, quia diximus sæpe Matrimonium semel rite contractum per verba de præsenti, si fuerit consummatum, non aliter dirimi quàm per mortem alterius partis, quę contraxit: Si vero non fuerit consummatum, sed tantùm ratum, solui B per professionem factam in ordine aliquo ex approbatis ab Ecclesia.

Quando potest quis transire ad 2. nuptias.

CONCLVSIO 2. *Ille qui semel rite contraxit, non potest transire ad secundas nuptias cum alio, nisi moraliter loquendo certus sit de morte prioris mariti, aut sponsæ:* ità dicitur in cap. *Decernimus*, de secundis nuptiis; ac proinde non sufficiet ad id fama, nec absentia per septem, aut plures annos, nisi constet certitudine, aut moralis morali, primum coniugem esse defunctum: certitudo autem ista habetur aut per testes, qui idem faciant illum esse mortuum, aut per epistolam à viro vel viris fide dignissimis conscriptam.

DVBITATIO DECIMA.

An impedimentum publicæ honestatis impediat, & dirimat Matrimonium contractum.

Notabile 1.

ADVERTE, impedimenti publicæ honestatis nomine, nihil intelligere Theologos, quàm impedimentum illud, quod est authoritate Ecclesiæ introductum, ne illi qui contraxerunt sponsalia per verba de futuro cum aliqua, nequeant contrahere cum sorore eiusdem, etiam in ea hypothesi, in qua accidit, sponsam ante Matrimonii celebrationem esse defunctam. Dicitur autem impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, quia propter publicam decentiam morúmque honestatem Matrimonia inter certas personas, non contrahere iustissimum est, hoc ità constituto sit

Impedimẽtum publicæ honestatis. Trident.

CONCLVSIO 1. *Impedimentum publicæ honestatis post Concilium Trident. consequitur tantùm ex sponsalibus legitimis:* ità dicitur expresse sess. 24. cap. 3. Adieci autem (post Concilium Tridentinum) quia antea oriebatur hoc impedimentum ex sponsalibus illegitimis, modo tamen hæc fuissent celebrata ex assensu libero vtriusque partis contrahentis. Deinde, quia hoc impedimentum consequitur ex Matrimonio nedum consummato, sed etiam rato, vt declarauit Pius V. in Extra- E uaganti, *Ad Romanum*, lata anno 1566. referente Viualdo de impedimentis Matrimonij numer. 234.

Dirimit Matrimoniũ & impedit intra 1. gradum.

CONCLVSIO 2. *Impedimentum publicæ honestatis, & impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, idque intrà tantùm primum gradum.* Prima pars huius Conclusionis ab omnibus admittitur. Secunda autem habetur expresse in Trident. sess. 24. cap. 5.

Notabile 2.

Aduerte, impedimentum hoc habere tantùm locum inter Catholicos itaque quod lex ista sit solis baptizatis posita. Item aduerte, dispensare in hoc impedimento pertinere tantùm ad Ponti-

DVBITATIO VNDECIMA.

An affinitas impediat & inualidet Matrimonium.

Notabile 1.

ADVERTE nomine affinitatis, significari hoc loco propinquitatem personarum ex carnali copula prouenientem, siue fuerit fornicaria, siue coniugalis, vt manifestè colligitur ex Concilio Trid. sess. 24. cap. 4. nec refert quod vna copula possit esse coacta, altera verò libera & item an inter dormiendum, aut etiam inter vigilandum, nam quælibet ex illis inducit veram affinitatem: ità communiter omnes, maximè verò D. Thom. in additionibus ad 3. part. quæst. 55. art. 3.

Affinitas quid.

D. Thom.

2.

Aduerte 2. Istud impedimentum nunquam consurgere nisi intrà vas naturale & legitimum semen fuerit transmissum, vt dicitur expresse in cap. *Extraordinaria.* 35. quæst. 3. D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 1. his ità constitutis sit

Affinitas dirimit Matr. vsq; ad 4. gradũ inclusiuè.

CONCLVSIO 1. *Affinitas nata ex legitimo Matrimonio impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum ad quartum vsq; gradum inclusiuè.* Primùm, quia ità dicitur in cap. *Non debet*, de consanguinitate & affinitate. Deinde, hæc est communis opinio omnium. Soti in 4. dist. 41. quæst. vnica, art. 3. Sylvestri, & aliorum communiter.

Affinitas ex illicita copula vsque ad 2. Trident.

CONCLVSIO 2. *Affinitas ex illicita copula nata, impedit & dirimit Matrimonium contractum ad secundum vsque gradum inclusiuè.* Ità Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. de reformat. quod est aduertendum diligenter, quoniam iure antiquo hoc impedimentum extendebatur ad septimum D vsque gradum, quemadmodum & consanguinitas, pœnæ autem quæ à iure inducuntur istis affinibus qui inter se contrahunt, sunt sententiæ excommunicationis, præter peccatũ mortale, quod committunt, vt constat ex Clementina vnica, de affinitate & consanguinitate. Nauarrus hoc idem docet, cap. 22. numer. 43. & alij innumeri.

Notabile.

Aduerte autem, affinitatem contractam ante baptismum impedire & dirimere Matrimonium, inter infideles, resque eius illius affinitatis quæ contrahitur iure naturali: idem dicendum est de subditis iuri Cæsareo; hoc verò est inter illos qui parentum ac liberorum loco sunt, vt inter ascendentes & vxores descendentium, & inter descendentes, & vxores ascendentium, & item inter filium & concubinam patris ex Couarruuia. Vide Rebellum pag. mihi, 350. col. 1. numer. 12. Addo, quod si affinitas resultauit ante baptismum, siue ex fornicatione, siue ex copula coniugali & Matrimonium post baptismum contrahitur, eodem modo impedit, & dirimit, ac si post baptismum resultasset.

Hæc autem pœna indicitur contrahentibus intrà gradus affinitatis & consanguinitatis, quod vterque excommunicetur, vt constat ex Clementina, de consanguinitate, & affinitate; dispensat autem Pontifex Max. in gradibus affinitatis post primum, in linea descendentium.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An impotentia ad copulam impediat & dirimat Matrimonium.

Notabile 1.

ADVERTE impotentiam aliam esse perpetuam, aliam temporalem: vna à natura, alia à sortilegio ortum habere potest; imò nihil repugnat quominùs temporalis sit à causa naturali, & item perpetua: Sortilegium eosdem similiter effectus producere potest.

Impotentia perpetua impedit & dirimit Matrimonium.

CONCLVSIO 1. *Impotentia perpetua impedit, & dirimit Matrimonium contractum; temporalis verò minimè.* Prima pars probatur ex toto titulo, *De frigidis*, & ex his quæ habet Gratianus 37. quæst. 1. & 32. quæst. 7. cap. *Hi qui*, cum Glossis.

Deinde, qui caret omni medio necessario ad finem Matrimonij, incapax est contractus Matrimonij: at impotentia perpetua aufert medium simpliciter necessarium ad finem Matrimonij: ergo hæc irritat Matrimonium contractum, & impedit contrahendum.

Secunda verò pars probatur: sacri Canones præcipiunt vt sublata impotentia, qui Matrimonia contraxerunt ad fidem datam obseruandam cogantur.

Ne autem semper incerti sint coniugati de impotentia perpetua, præcipiunt sacri Canones, vt expectetur triennium, quo posito possunt isti coniugati ab inuicem separari, vt dicitur expresse in cap. *Requisisti*. 33. quæst. 1. & in cap. *Laudabilem*, de frigidis.

Moneo tamen, triennium hoc non inducere rationem regulæ certissimę & indubitatæ, ad impotentiam perpetuam dignoscendam nam: si post triennium contingat impotentiam separati à coniugatis, & conuolarent isti ad secundas nuptias, vxor restituenda esset marito, ex locis supra citatis: qua autem ratione probanda sit ista impotentia, & deducenda ad forum contentiosum explicat Gratianus 33. quæst. 1. & Interpretes iuris Canonici ibidem.

Notabile.

Aduerte, in impedimentis iure naturali introductis Pontificem Maximum non dispensare, sed declarare ius naturale desinere obligare hìc & nunc, cum his & illis circumstantiis; in omni autem impedimento iuris positiui Ecclesiastici dispensat Pontifex propriè, ex iusta tamen causa: pertinet enim de æquitate istius causæ ad Summum Pontificem iudicare.

Episcopi verò, ex multorum sententia, dispensant in impedimentis omnibus iuris Ecclesiastici, quando Matrimonium in plena facie Ecclesiæ fuit bona fide contractum, quando propter summam paupertatem, & distantiam, non patet aditus ad Summum Pontificem, & denique quando coniugati isti, nequeunt ab inuicem separari sinè maximo scandalo.

Moneo tamen hæc esse intelligenda, quando impedimenta huiusmodi non sunt à Concilio aliquo generali introducta.

ATQVE hæc tam de magno Matrimonij sacramento, quàm de reliquis, nec non sacræ Incarnationis mysterio ad laudem Dei Opt. Max. Deiparæ Virginis Mariæ, Doctoris eximij P. Augustini, Nicolai Tolentinatis, aliorúmque sanctorum omnium dicta sufficiant, eadem sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio & censuræ libentissimè submittens.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM VERBORVMQVE
MEMORABILIVM, QVÆ TOTO HOC
COMMENTARIORVM OPERE
CONTINENTVR LOCVPLETISSIMVS,
SERIE ALPHABETICA DIGESTVS.

IN QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM, ALTER Columnam denotat: Maiuſculæ verò litteræ A.B.C.D.E. columnarum intermediæ, quæque eaſdem in quinque partes æquales ſecant, illam intercapedinem, quæ ab vna illarum ad proximè ſequentem intercedit indicant. Notæ autem 3.p. vbicumque legenti occurrerint Tertiam Partem, quæ alterum huius Operis volumen conſtituit, quæque peculiaribus notis arithmeticis à ceteris diſtinguitur oſtendunt.

A.

ABBAS Moyſes pro peccato veniali à dæmone obſeſſus. 273. col. 1. B.

Abbates Benedictini olim quibuſuis Clericis minores ordines conferebant, hodie tantùm ſuis ſubditis. 3.p. 515. col. 1. C.

Abbates vtrùm poſſint ſibi eligere Confeſſarium. 3.p. 428. col. 2. D.

Abbatiſſa non poteſt ſibi eligere Confeſſariũ. ibid.

Ablutio Baptiſmalis.

Ablutio in aqua elementari facta, materia proxima baptiſmi 3.p. 187. col. 1. C. & 193. col. 2. D, quomodo debeat fieri. ibid. 194. col. 1. per tot. in ea facienda quilibet ritum ſuæ Eccleſiæ ſequi debet, niſi vbi aliter indecentia vel neceſſitas dictat. ibid. lit. D. nec eſt neceſſe eam fieri per totum corpus. ibid. lit. E. & col. 2. A. debet tamen tangere carnem, non ſolùm veſtes. ibid. col. 2. B. & ſufficit minimam corporis partem irrigari in neceſſitate. ibid. lit. D. & 195. col. 1. A. vt & minima quælibet aqua modo ſit ſenſilis. ibid. lit. E. vtrùm ſit actio vel paſſio. ibid. col. 2. B. an verò vtrumque, diuerſa ratione. ibid. lit. C. an ſit neceſſe fieri eodem inſtanti quo verba proferuntur. 3.p. 196. col. 1. E. & col. 2. A. B.

Sacerdos an peccet mortaliter prætermittendo ablutionem capitis in baptiſmo extra neceſſitatem. 3.p. 195. col. 1. E. per trinam immerſionem quo ſenſu commendata à Patribus. 3.p. 196. col. 1. D.

Ablutio capillorum in extrema neceſſitate, an ſufficiat ad baptiſmum 3.p. col. 1. C. & D. *V. Baptiſmus.*

Ablutio in Miſſa.

Ablutio manuum & digitorum quare fit à Sacerdote in celebratione Miſſæ. 3.p. 325. col. 1. C. obſeruata, non tamquam ceremoniale veteris legis, ſed tamquam inſtitutum Eccleſiæ. ibid. lit. D. ideóque & ablutio pedum Iudæis familiaris prætermiſſa ibid. lit. E.

Ablutio purificatoria.

Ablutio quare ſumatur à Sacerdote poſt ſuſceptionem ſpecierum conſecratarum, & quando minimè ſumenda. 3.p. 327. col. 1. E. & col. 2. A.

Abraham.

Abraham an fuerit mentitus quando dixit Saram eſſe ſororem ſuam 584. col. 2. in fine. & 587. col. 2. B. C. & cùm diſſimulauit immolationem Iſaac filij. 584. col. 2. in fine. & 585. col. 1. A. & 587. col. 2. C. quo ſenſu dicatur legitimè potuiſſe occidere filium, & de facto contraxiſſe cum propria ſorore. 473. col. 1. B. C. ibid. ei reuelata fuit prædeſtinatio ſua. 103. col. 2. A.

Abrenuntiatio diaboli, &c. ritus erga baptizandos obſeruatus in Eccleſia. 3.p. 223. col. 1. C. *V. Baptiſmus.*

Abrogatio legis. *V. Lex.*

Abſentia alterius ſponſorum quæ & quando ſoluat ſponſalia. 3.p. 522. col. 2. D. *V. Sponſalia.*

Abſolutio Sacramentalis.

Abſolutio penitentis quomodo & à Deo, & ab homine ſimul. 3.p. 342. col. 1. E. non ſola ſenſilis in ſacramento pœnitentiæ contra Scotum. 3.p. 338. col. 1. E. neque ſacramenti Pœnitentiæ effectum indicat. ibid col. 2. A. ſit & à culpa mortali & à reatu pœnæ æternæ, non temporalis. 3.p. 342. col. 1. C. D. & E. data abſenti nulla & inualida. 3.p. 243. col. 2. D. & 419. col. 2. A. B. contrarium docentes excommunicati à Clemente VIII. Pont. 420. col. 1. lit. C. D. data cum conditione, inualida. 3.p. 428. col. 1. D. ſi ſit de futuro, non de præſenti, vel præterito. 347. col. 1. per tot. & col. A. B. conditio, *Si te præſentaueris ſuperiori*, quando inualidet abſolutionem, vel non. 3.p. 347. col. 2. C. non conſurgit validè cum verbis ſequentibus, & quare. 3.p. 344. col. 2. in fi.

Digitized by Google

& 345. col. 1. & 2. per tot. quomodo intelligendi Patres qui contrarium videntur asserere. 346. col. 2. A. B. particula, *Te*, essentialis spectata in sua significatione, in forma absolutionis. 3.p. 420. col. 1. A.E. Scholasticorum antiquorum doctrina de potestate Sacerdotũ in absoluendo, quomodo differat à doctrina hæreticorum in eadem materia. 3.p. 342. col. 2. A. & B. & 343. col. 1. D.
Absolutum cur sit de ratione respectiui in rebus creatis, in Deo verò non. 160. col. 2. D.

Abstinentia.

Abstinentia quæ olim obseruata à recepturis baptismum per modum dispositionis, non satisfactionis. 3.p. 223. col. 2. A.
Abstinentia carnium in vsu apud priores Christianos. 485. col. 2. B. imò & apud omnes homines ante diluuium. 486. col. 1. A.B.C. *V. Cartusiani.*
Abstracta & concreta diuersomodo se habent in rebus creatis quàm in diuinis. 26. col. 2. B.
Abstracta diuinitatis non enuntiantur propriè & formaliter de abstractis humanitatis, neque è conuerso. 3.p. 98. col. 1. D.

Accidens, &, Accidentia.

Accidens potest esse præstantius, & ignobilius substantia diuersimode spectatum. 666. col. 1. C. an potuerit assumi hypostaticè à Verbo. 3.p. 63. col. 1. lit. E. & col. 2. A.
Accidentia nulla creantur. 203. col. 1. C. an omnia vel aliqua possint perfici à Deo quoad proprias quidditates & rationes formales. 143. col. 2. B. & quomodo intelligendus Aristoteles, quando ait naturas rerum similes esse numeris, & per additionem, vel detractionem variari speciem. ibid. lit. C.
Accidentia numero distincta non multiplicari in eodem subiecto, quando & de quibus accidentibus verum sit. 400. col. 2. D. E. quare perseuerent in Eucharistia post consecrationem. 3.p. 267. col. 1. D. & sint sinè subiecto. 3.p. 276. col. 2. lit. E. & 277. col. 1. A. & seqq.
Acetum materia reijcienda à consecratione calicis. 3.p. 248. col. 1. lit. A. & B.

Acolyti.

Acolyti quam ætatem habere debent, & quomodo in Ecclesia ordinentur. 3.p. 513. col. 1. E. & col. 2. in fine.

Actio vnitiua Verbi.

Actio vnitiua diuini Verbi cũ humana natura, vtrùm vera & realis actio. 3.p. 44. col. 1. lit. E. & 2. col. per tot. & an ordinis supernaturalis, an naturalis. 3.p. 49. col. 2. lit. B. C. quare communiter vocata vnio hypostatica. ibid. lit. D. propriè loquendo non est creatio. ibid. lit. E. & 50. col. 1. lit. D. quo sensu à Patribus dicta naturalis. ibid. & 50. col. 1. lit. A. trahit secum tres relationes quænam illæ. ibid. lit. E. quæ sunt reales respectu naturæ humanæ, rationis verò respectu diuini Verbi. ibid. *V. Vnio.*
Actio vnitionis humanæ naturæ cum Verbo, & productionis eiusdem naturæ, vtrùm distinguantur realiter vel formaliter inter se. 3.p. 45. col. 1. D. E. & col. 2. A. B.
Per actionem vnitiuam humanæ naturæ cum Verbo, vtrùm producatur quid diuersum ab ipsa & à Verbo simul. 3.p. 46. col. 1. C. & col. 2. A. B.

Actio in genere.

Actio omnis vtrùm supponat suum subiectum & inferat mutationem. 3.p. 44. col. 2. lit. E. de quibus actionibus hoc propriè dicatur. ibid. in fine. & 45. A.
Actionis nomen philosophicè sumptum, cur non possit dici de diuinis processionibus 147. col. 2. D. E. & quatenus possit eis conuenire. 148. col. 1. B. C.
Actionis præstantia in aliqua re, vnde desumenda 90. col. 1. D.

Actio humana.

Balſamum verum vulgare in Palæſtina, etiam temporibus D. Hieronymi & Gregorij 3. p. 228. col. 1. D. vnde primum illuc tranſlatum. ibid. reperitur in America ibid.

De Baptiſmo in genere.

Baptiſmi in genere Etymologia Græca, Latinè, quid ſignificet. 3. p. 186. col. 1. A. Metaphoricè denotat afflictiones, miſerias, & ærumnas huius vitæ. ibid. lit. B. & ablutionem myſticam quæ fit in ſacramento Baptiſmatis ibid. lit. D.

De

Digitized by Google

De Baptiſmo vt eſt ſacramentum.

Baptiſmi vt eſt ſacramentum definitio duplex, phyſica & metaphyſica. 3.p. 186. col.2. A. & E. per hanc quomodo differat ab aliis ſacramentis. ibid. B C. explicatæ definitiones Tertulliani, & Clementis Alexandrini. ibid. lit. C. D.

Baptiſmi elogia, & epitheta varia in ſacris litteris, apud PP. & Theologos. 3.p. 186. col.1. C. & E. quare vocetur ſacramentum fidei. 3.p. 152. col.2. A. eius definitio communis quatenus legitima. 3.p. 187. col.1. A. B.

De inſtitutione Baptiſmi.

Baptiſmus an fuerit inſtitutus quoad omnes ſuas partes ante Chriſti mortem, vel poſt. 3.p. 188. col.1. lit. A. & vtrùm in Iordane quando Chriſtus fuit baptizatus. ibid. lit. D. & E. & col.2. lit. A. & C. huius inſtitutionis tempus non eſt de fide. ibid. col.2. D. fuit in conſilio non in præcepto ante Chriſti mortem. 189. col. 2. D. & cæpit obligare ſtatim à Chriſti morte. 190. col.2. C D. & E. eius lex quando cæperit obligare. 463. col.2. D. E.

Baptiſmi neceſſitas.

Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem ſimpliciter neceſſitate medij & præcepti, 209. col.1. E. & col. 2. per tot. & 210. col.1. A. abſolutè neceſſarius quibuſuis adultis in re extra neceſſitatem, in voto tamen etiam implicito ſufficit quando re haberi non poteſt. 210. & 211. per tot. prima data occaſione hodie ſuſcipi debet. 211. col.1. D. E. licèt aliàs iuſtis decauſſis differri debuerit. ibid. col.2. B. C. ſimpliciter neceſſarius paruulis natis ex parentibus Chriſtianis contra dogmata hæreticorum noſtri temporis. 213. col.2. in fine. & 214. col.1. A. B. C. & col.2. A. ideóque quàm primùm nati ſunt applicandus. 211. col.1. D. & E. & col.2. A. B. & 214. col.1. A. neque expectandus vſus rationis. ibid. lit. & E.

Votum baptiſmi emiſsù à parentibus inſufficiens pro paruulis qui nequeunt de facto baptizari contra Gerſonem & Caiet. 3.p. 211. col. E. & 212. col. 1. & 2. per tot. & quæ maior ratio cur hoc ſufficiat adultis non verò paruulis 212. col.2. E. & 213. col.1. A. neceſſitate ceteris præſtat ſacramentis. 3.p. 185. col.2. A.

De forma Baptiſmi.

Forma baptiſmi in Eccleſia Latina obſeruata an omnino retinenda à Sacerdote baptiſmum ſolemniter adminiſtrante. 3.p. 197. col.2. C. & ſeqq. per tot. & 198. col.1. A. forma Latinorum in hoc ſacramento accommodatior forma Græcorum. ibid. B. C. an in ea neceſſariò exprimendæ particulæ, *Te, Nomine, In*, ac, *Et*. 198. col.1. E. & col. 2. B. C. D.

Baptiſmi materia.

Baptiſmi materia remota aqua elementaris, ſeu, naturalis. 192. col.2. D. non artificialis. 193. col.1. C. neque ſaliua, ſudores, & vrinæ. ibid. lit. D. illius materia proxima quæ. 193. col.2. D.

De miniſtro Baptiſmi.

Baptiſmi aquæ miniſter quis tam ex officio, quàm ex diſpoſitione iuris communis, vel commiſſione extra neceſſitatem. 205. col. 2. in fine. & 206. col.2. per tot. in extrema neceſſitate quilibet poteſt eſſe idoneus miniſter. 206. col.2. in fine & 207. col. 1. A. B. cur minùs poſſit conſurgere ſine verbis, quàm penitentia, & matrimonium. 208. col.1. A. vtrùm in illo requirantur patrini & fideiuſſores. 208. col.2. E. & 209 col.1. A. an poſſit conferri à duobus tamquam cauſis totalibus in vnum & eumdem numero. 208. col.1. C. & ſeqq. & vtrùm hoc caſu alter miniſtrorum futurus ſit fruſtra, vel habeant confurgere duo baptiſmata. ibid. col.2. A. B. & an valide à muto & manco tamquam cauſis partialibus. 3.p. 207. col.1. D. & E. Caietani opinio hac in re relecta tribus rationibus. 207. col.2. B. C.

De diſpoſitione ad Baptiſmum.

In adultis quæ diſpoſitio neceſſaria ad baptiſmum ſuſcipiendum 3.p. 214. col.2. D. E. & 215. col. 1. A. B. intentio eis neceſſaria. 214. col.2. in fine. & 215. col. 1. lit. A. non tamen fides. ibid. lit. B. nec confeſſio. 214. col.1. E. ſed actus contritionis vel attritionis, ibidem.

De effectibus Baptiſmi.

Baptiſmi effectus qui. 218. 219. 220. per tot. per ſe æquales, inæquales verò per accidens. 218. col.1. D. & 220. col.1. lit. D. & E. & col.2. A. an deleant omnem culpam & pœnam in baptizato. ibid. col.1. in fine. & col.2. per tot. per ipſum confertur gratia gratum faciens, fides, ſpes, charitas, & virtutes omnes morales. 219. col.2. B. C. D. nedum adultis, ſed etiam paruulis. 220. col.1. B. vtrùm hi effectus impediantur per fictionem, & quam. 220. col 2. C. D. & an recedente fictione baptiſmus fiat efficax. ibid. lit. E. & 221. col.1. A. B. eius ritus in triplici differentia, antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes breuiter explicati. 222. 223. 224. per tot.

Baptiſmus quomodo conferat primam gratiam & effectum eiuſdem. 3.p. 158. col.2. D. & 159. col.1. A. B. C.

Baptiſmi ſuſceptio dupliciter conſiderata. 3.p. 221. col.2. C. quomodo hominem viuificet. ibid.

Baptiſmus quid conferat infidelibus coniugatis, tranſeuntibus ad religionem Chriſtianam, quoad ſtatum matrimonij. 3.p. 526. col.1. E.

In eo quot & quæ reperiantur. 3.p. 185. col.1. E. quo ſenſu comparatus cum naui Noë, per D. Petrum. 3.p. 158. col.1. E.

De Ritibus & ceremoniis Baptiſmi.

Ritus & ceremoniæ baptiſmi triplicis generis. 3.p. 222. col.1. & 2. A. B. ab hæreticis partim reiecti. ibid. vtrùm validus per ſolam ablutionem capillorum in caſu neceſſitatis. 195. col.1. C. & D. debet applicari in capite, vel alia præcipua corporis parte. 195. col.1. D. & E. neque neceſſe retinere triplicem aſperſionem, immerſionem aut infuſionem. 195. col.2. per tot. & quomodo in hac materia intelligendus Canon quinquageſimus Apoſtolorum, & Pelagius Pontifex ſcribens ad Gaudentium. 196. col.1. A. B. *V. Ablutio baptiſmalis.*

Emerſio an ſit neceſſaria ad validitatem baptiſmi. 3.p. 196. col.2. D. & E. quid ſignificet. ibidem.

Digitized by Google

Index Rerum

Baptiſmi in genere diuiſio.

Baptiſmi in genere diuiſio in baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis 202. col.2. E. & 203. col. 1. A. probatur ex Scriptura. ibid. fluminis ſiue aquæ, propriè baptiſmus, reliqui duo analogicè. ibid. lit. B. cui ex iſtis tribus conuenit proprie ratio ſacramenti. ibid. col.1. lit. D. & E. & col. 2. A. B & quis ceteris dignitate & præſtantia antecellat. 205. col.1. D.

Baptiſmus flaminis iuſtificat ex opere operantis, non autem ex opere operato, & quare. 3.p. 203. col.2. D. idem præſtat quod actus contritionis. ibidem.

Baptiſmus ſanguinis reliquis dignitate præſtat. 3.p. 205. col.1. D. & col.2. A. B. in quo inferior baptiſmo aquæ. ibid. lit. B. an iuſtificet ex opere operato, vel vt medium operis meritorij. 204. col.1, & 2. per tot.

Baptiſmus fluminis iuſtificat ex opere operato. 3.p. 203. col.2. C.

Baptiſmus ignis Matth. 13. variè explicatus. 3.p. 193. col.2. A. B.

De validitate, vel invaliditate Baptiſmi.

Baptiſmus an futurus validus collatus in nomine Chriſti tantùm. 199 col.2. in fine & 200.col.1. per tot. ſemel rite collatus nullo modo iterandus. 202.col.1.A.B C. ſub pœna irregularitatis incurrendæ, tam per ſuſcipientem, quàm per adminiſtrantem, niſi eos excuſet ignorantia facti. 201. col.2. D. E. & 202. col.1. A B. vtrùm id habeat ex ſe, an ex diuina ordinatione. 202. col.1. lit. E. & col. 2. A. B. & quomodo illa ignorantia ſit accipienda. ibid. & col.2. A.

Baptiſmus à perfidis collatus, an ſit validus. 3.p. 174. col. 2. D. & de quibus perfidis Canones hic de re agentes ſint intelligendi & quomodo. ibidem. 176. col.1. B. & C.

Baptiſmus collatus in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, an futurus validus. 3.p. 199. col.2. B. C.

Baptiſmum ſuſcipiens cum actuali complacentia peccati mortalis, quid conſequatur. 534. col.2. A B.

Fictio an omnis impediat effectum baptiſmi. 3.p. 220. col.2. lit C. & D. & quid nomine fictionis hoc loco veniat intelligendum. ibid. vtrùm recedente fictione baptiſmus ſuos producat effectus. ibid. & lit. E. & 221. col.1. A. B.

Baptiſmus quomodo conualeſcat in baptizato recedente complacentia peccati mortalis. 3.p. 389. col.2 E.

Baptiſmus ab Eunomianis hæreticis collatus, quare inualidus. 3.p. 184. col.1. in fine.

Baptiſmus ab Athanaſio in tenera ætate collatus, quare iudicatus validus. 3.p. 181. col.1. D. & 182. col.2. C.

Baptiſmus collatus filijs infidelium etiam inuitis parentibus, quando & quomodo valeat. 3.p. 215. col.2. per tot. & 216. col.1. A. B. C.

Baptiſmus Caietani cum ſola expreſſione nominis Trinitatis collatus parum tutus. 3.p. 199. col 1. E & col.2. A.

Baptiſmus Ioannis quomodo ſuſcipientes iuſtificaret. 3.p. 221. col.2. E.

Æthiopes malè cum Baptiſmo circumciſionem hodie retinent. 3.p. 192. col.1. C.

Baptizare an ſeipſum quis poſſit. 3.p. 198. col.2. A.

Baptizari pro mortuis apud D. Paulum. 1.Corinth. 15. quid ſit. 3.p. 201. col.2. C.

Baptizati baptiſmo Ioannis, quare rebaptizati. 3.p. 184. col.1. B.

D. Barnabæ Apoſtoli corpus, quando & vbi repertum. 3.p. 136. col.1. A. B. C. dubia hac in re fides hiſtoriæ. ibid. hodie viſitur & veneratur Toloſæ in æde D. Saturnino ſacra. ibid. lit. C.

Beati.

Beati an videant in cœlis omnes naturas genericas & ſpecificas futurasin certa temporis differentia, vna numero viſione cum eſſentia diuina. 89. col. 2. A.B. an etiam indiuidua cuiuſlibet ſpeciei, ſi non omnia ſaltè aliqua, & quid de effectis liberis. ibid. lit.D. & E. & myſteria gratiæ præterita, licèt non futura. 70. col. 1. B. an etiam preces & actiones quæ diriguntur ad eos à viuentibus, & quo modo. ibid, lit. D. & E. & an videant omnia vna numero viſione cum eſſentia diuina. 70. col.2. B. C. & an inceſſanter & ſinè intermiſſione ibid, lit. E. non tamen cognoſcunt ab inſtanti ſuæ beatitudinis quæcumque pertinent ad ſuum ſtatum in cœlis. 70. col.1. A. & 71. col. 1. B. Delectatio eorum an ſit pura operatio vel paſſio. 306. col.1. B. C. & ſeqq. & col.2. per tot, cius proximum & immediatum ſubiectum eſt Deus viſus & amatus. 307. col.2. B. non autem viſio diuinæ eſſentiæ. ibid. col.1. A. B. C. etiamſi attingatur hæc ab eiſdem, medijs actibus viſionis & amoris. ibid. col.2. C. D. E. & 308. col.1. A. B. & hæc delectatio eſt duplex, vna conſequitur amorem amicitiæ, altera amorem concupiſcentiæ. ibid. col.1. D. E. & eſt neceſſaria, & nulla ratione libera. 308. col.2. D.E. & 309. col.1. A. B. licèt diuina virtute poſſit à beatitudine ſeparari in quolibet beato. ibid.col.1.C.D. quomodo pendeat ab actu viſionis. ibid.col.1.lit.D. non differt realiter à ſecuritate de non intermittenda aut amittenda beatitudine. 323.col 2. C. nullam planè culpam admittunt in cœlis. 311. col 1. B. C. D. eorum impeccabilitas vnde deſumenda, an ex ſpeciali Dei prouidentia, an verò ex beatitudine ipſorum. 311. col.2 C. D. E. 312. col.1. & 2. per tot. habebunt functiones ſenſuum externorum & internorum. 318. col.1. per tot. & 319.col.1.& 2. per tot. & 320.col.1.A.B. fruitio in eis non eſt de eſſentia, bene tamen de complemento beatitudinis. 304. col.1. C. vident omnia attributa neceſſaria quæ ſunt in Deo formaliter. 62. col.2. B. C. an etiam omnia libera. 63. col. 2. C. D.E. & 64. col.1. A. probabile non videre. 64 col.1. B. & ſeqq. probabilius videre aliqua, non omnia. ibid. col.2. D. E. & quare. ibid. & 65. col.1. D. & E. ratio diuerſitatis. ibid. col.2. C. an videant diuinam eſſentiam proximè & immediatè ſinè vlla ſpecie impreſſa repræſentante eamdem, necne. 44. col.1. D. E. & col.2. A. B. C. eorum intellectio de diuina eſſentia, vera actio. ibid. col.2. E. & 45. col.1. A. non tamen categorica, ſed grammaticalis. ibid. col.1. A. an cognoſcant omnia poſſibilia vi viſionis diuinæ. 66. col.1 B. & ſeqq & col.2. per tot. & 67. col 1. per tot. & detur in ijs actus fidei. 596. col 2. B. & ſeqq. habitus quidem fidei in eis non perſeuerat. ibid. lit.E. & 597. A.B. an producant verbum mentis ſiue ſpeciem expreſſam ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ. 45. col.1. C. D. & E.

Digitized by Google

Beatitudo.

Beatitudo in communi ſumpta obiectum appetitus omnium hominum; non tamen æterna. 323. col. 2. D.

Beatitudo eſſentialis in quo poſita. 295. col. 2 in fine. quo modo ſit incorruptibilis ex ſua natura, & corruptibilis per omnipotentiam Dei. 323. col. 1. C. D. eius amor bifariam ſpectandus, & quomodo his modis ametur amore charitatis. 669. col. 2. B. idem cum vltimo fine. 293. col. 1. D. cum aliquo tamen diſcrimine inter ſe. ibid.

Beatitudo obiectiuè ſumpta non tantùm formaliter obiectum ſpei noſtræ. 656. col. 1. E. & col. 2. per tot.

Beatitudo ſupernaturalis.

Beatitudo ſupernaturalis hominis non conſiſtit in diuitijs. 295. col 1. D. E. neque in honore, fama, gloria, principatu, ſeu poteſtate, neque in aliquo corporis vel animi bono, non item in voluptate. 293. col. 2. A. & B. Deus enim ſolus eſt beatitudo obiectiua noſtra. 293. col. 2. C. & ſeqq. & 294. col. 1. & 2. per tot. formalis verò beatitudo in quo poſita. 296. col. 1. E. non in vnione eſſentiæ diuinæ cum animabus noſtris. ibid. neque in eo actu quo Deus videt ſeipſum. ibid. col. 2. C. & ſeqq. & 297. col. 1. A. B. ſed in aliquo creato, nempe in viſione producta à nobis de Deo, prout in ſe eſt. 297. col. 2. in fine. & 298. col. 1. A. eius præſtantia vnde repetenda. 303. col 2. D. naturaliter ſciri non poteſt eam eſſe poſitam in manifeſta viſione diuinæ eſſentiæ. 305. col. 1. B. & ſeqq. poteſt tamen expeti naturaliter ſuppoſita reuelatione diuina de beatitudine noſtra poſita in iſta viſione. ibid. col. 1. in fine. & col. 2. A. B. & quo modo appetitus hic poſſit dici naturalis. ibid. col. 2. lit. B. natu. amque & eſſentiam eius conſequitur deleCtatio, quæ tamen non eſt de eſſentia. ibid. col. 2 E. & 306 col 1. A. ad eam eſt neceſſaria comprehenſio. 309. col. 1. C. futura maior extenſiuè poſt reſurrectionem, & iudicium. 316. col. 2. A. non autem intenſiuè. ibid. lit. C. D. E. & 317. col. 1. A B. conſummata & perfecta requirit corporis glorificationem. 318. col. 1. B. C. & ſeqq. neque amitti poteſt ſemel obtenta. 323. col 1. B. & de ratione illius eſt perpetuitas. ibid. lit E.

Beatitudo ſupernaturalis creaturæ rationalis duplex, obiectiua & ſubiectiua, ſiue formalis, & in quo vtraque conſiſtat. 58. col. 1. D.

Beatitudo quo modo poteſt eſſe maior, vel minor diuerſo reſpectu. 59. col. 1. B.

Beatitudo formalis.

Beatitudo formalis, creaturæ rationalis eſt operatio aliqua vera & realis. 298. col 1. B & ſeqq. non tamen ſenſilis. 300. col. 2. D. nec tranſiens, ſed permanens. 298. col 1. in fine. & quidem perfectiſſima ſecundum rationem terminandi, & complendi vltimò ibid. col. 2. A & ſeqq. non verò ſecundùm entitatem. ibid. & quo modo augendus ſtatus ille perfectiſſimus bonorum omnium in beatitudine. ibid. lit. C. & vtrùm operatio illa producatur à Deo ſolo, vel à creatura rationali. 298. col. 2. D. & E. & 299 col 1. per tot. eſt ab vtroque ſicut totali, cum aliquo ratione diſcrimine. ibid. col. 2. B. & col. 2. per tot. neque à ſolo Deo, dato quòd ſit actio vitalis & immanens, per vllam potentiam produci poteſt. 300. col. 1. B. & ſeqq. & eſt actus neceſſarius non liber. 300. col. 2. B. non intellectus modò, ſed & voluntatis. 300. col 2. E. & 301. col. 1. & 2. per tot. magis tamen intellectus 303. col. 1. B C. & ſeqq. non eſt futura in omnibus beatis æqualis. 321. col. 2. D. E. & 322. col. 1. A. B. C. non tamen in omnibus inæqualis, in quibus non. 322. col. 1. C. D & vnde hæc æqualitas, vel inæqualitas pendeat. ibid. lit. D. & E. ſiue remotè, ſiue proximè ibid. col. 1. A.

Beatitudo formalis, ſeu obiectiua, inæqualis in beatis. 58. col. 2. B & ſeqq. & 59 col. 1. A. & quomodo intelligendus locus Matthæi de denario diurno. ibid. lit. B. & C. vnde repetenda illa inæqualitas proximè, vel remotè. 59. col. 1. C. D. & 60. col. 1. A. & vtrùm illa non obſtante ſatietur appetitus cuiuſlibet beati. 60. col. 1. E. & col. 2. A. & ſeqq.

Beatitudo formalis ſanctorum, an ſit poſita in contemplatione intelligentiarum, & quo modo. 304. col 2. E.

Beatitudine æterna, an fruantur animæ iuſtorum ante diem iudicij generalis. 42. col. 2. B. & ſeqq. cum reſponſione ad argumenta quæ obijciunt hæretici, tam ex Scriptura, quàm aliunde petita. ibid. col. 2. E. & 43. col. 1. per tot. quid de hac quæſtione cenſuerit Ioannes XXII. Pontifex Max. 43. col. 1. B C.

Beatus in hac vita nemo eſſe poteſt. 322. col. 2. B. de lege nempe communi, ſecus de potentia Dei abſoluta. ibid.

¶ Begardorum & Beguinarum error de definitis & ſtatis terminis charitatis, ſinè incremento. 677. col. 1. E. & 678. col. 1. A.

¶ Bellum Michaëlis Angeli & Dæmonis de quo Apocal. 12. quale. 3. p. 78. col. 2. lit. E.

¶ Benedictini ſoli ex omnibus religioſis iure Canonico ad confeſſionem menſtruam obligantur. 3. p. 285. col. 2. B. & 399. col. 2. D. nempe ſi habeant peccatum mortale. 408. col. 2. D. & E.

¶ Benedictiones Sacerdotum veteris legis quo ſenſu improbatæ à Deo apud Prophetam. 3. p. 175. col. 2. in fine. & 176. col. 1. A.

D. Benedictus.

D. Benedictus vtrùm habuerit viſionem diuinæ eſſentiæ in hoc mundo. 322. col. 2. D. quo tempore à communione abſtinuerit. 3. p. 285. col. 2. B. eius corpus incertum vbi iaceat, an apud Caſſinenſes, an potius apud Floriacenſes Monachos. 3. p. 137. col. 2. A.

Benedictus Antipapa, aliàs Petrus de Luna Hiſpanus. 3 p. 289 col. 1. D. deponitur in Concilio Conſtantienſi. ibid. col. 2. B.

¶ Beneficia Eccleſiaſtica an prius conferenda digniori, quàm parenti, aut affini minùs digno. 705. col. 2. B. C.

¶ Berengarius Archidiaconus Andegauenſis Patriarcha ſacramentariorum quando, & vbi primùm hæreſim ſuam cœperit euulgare. 3. p. 249. col. 1. B. & vbi, vel quando eamdem abiurauerit. ibid. col. 2. lit. C.

¶ Berengarius Magus illuſtris in Eccleſia Turonenſi & Rom. in vna & eadem nocte natalis Chriſti lectionem nocturni officij decantat. 271. col. 2 C.

¶ Bilis flaua & atra quare computentur ab Ariſtotele inter excrementa corporis. 3. p. 66. col. 1.

Index Rerum

Bonum, &, Bonitas.

Bona quare ea ſola tantùm dicantur à Patribus quæ conducunt ad beatitudinem. 672. col. 1. B.

Bona communia in duplici differentia. 461. col. 1. D. E. vtraque ſubijciuntur legibus, ibidem, col. 2. A.

Bona communia alicuius communitatis poteſt perſona publica illius communitatis ſibi applicare. 3. p. 472. col. 1. B.

Bona externa corporis & fortunæ, vel etiam animi, quo modo ſint effectus prædeſtinationis. 107. col. 2. in fine. & 108. col. 1. per tot. & col. 2. A.

Bona mortificata redeunt, non autem peccata dimiſſa, cum ratione diuerſitatis. 3. p. 382. col. 1. E.

Bona temporalia cadunt ſub meritum de congruo, non tamen de condigno. 563. col. 2. B.

Boni ratio in quo poſita ſit. 31. col. 1. D. & E. eius diuiſio in honeſtum, vtile, & delectabile. ibidem, col. 2. C.

Bonitas diuina dupliciter conſideranda, & quânam ratione ſit obiectum formale charitatis. 669. col. 2. C. & D.

Bonitas diuina nulla ratione intrinſecè poteſt intendi. 32. col. 1. A. B. bene tamen extenſiuè, & quomodo. ibid. lit. B. C. & ſeqq.

Bonitas creaturarum contingens, non neceſſaria, & quare. 33. col. 1. B. C.

Bonitas triplex, eſſentialis, modalis, & accidentalis, & ex quo vnaquæque conſurgat. A. B.

Bonitas actus humani vnde mutuanda. 369. col. 1. C. an tota petatur ab obiecto. ibid. col. 2. C.

Bonitas diuerſimodè conſideratur in actibus humanis, & in actibus bonis moralibus. 368. col. 1. C. D.

Bonitas vel malitia actuum interiorum & exteriorum duplex, eſſentialis, & accidentalis, & quid vtraque. 376. col. 1. D. quando eadem vel diuerſa in huiuſmodi actibus. ibid. col. 1. C. moralis bonitas eadem prorſus in illis. ibid. col. 1. in fine. & col. 2. per tot.

Bonitatis vel malitiæ quantitas in actibus internis voluntatis diuerſimodè metienda. 374. col. 1. C. *V. Actus humani, & morales.*

Bonitas & rectitudo, quomodo diſtinguantur à malitia & obliquitate in actibus humanis. 380. col. 1. B.

Bonitas eſſentialis & totalis actus humani interni, vnde ſumenda. 373. col. 1. D. & 374. col. 2. D. vtrùm plus pendeat à lege æterna, quàm à recta ratione, & quare. ibid. col. 2. lit. E.

Bonorum ratione ſubiecti diuiſio, in bona animi, corporis, & fortunæ. 293. col. 1. C.

Bonum ex ſua ratione formali diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile, & in quo quodque conſiſtat. 293. col. 1. C.

Bonum & verum quo ſenſu diſtinguantur inter ſe, vel non. 568. col. 2. B.

Bonum quomodo & quando ſit prius malo. 3. p. 361. col. 2. E.

Bonum & malum vtrùm opponantur contrariè vel priuatiuè. 371. col. 1. B. C. differentiæ ſpecificæ actuum moralium. 369. col. 2. D.

Bonum ſpirituale an poſſit quis vocare in diſcrimen pro bono temporali proximi. 700. col. 1. E.

Bonum publicum anteponendum bono priuato, etiam cum diſpendio vitæ. 486. col. 1. D. non tamen ſemper ibid. col. 2. E.

Bonum publicum quomodo & quando poteſt cedere in vſum priuatæ perſonæ. 3. p. 490. col. 2. E. & 491. col. 1. A.

Bonum occaſionatum dupliciter conſideratum. 3. p. 35. col. 2. in fine. & 36. col. 1. A.

¶ *Bruta* quo modo dicantur agere propter finem. 288. col. 1. E. & col. 2. per tot. & 327. col. 2. C.

¶ *Bulla* cœnæ Domini nuſquam publicata in Gallijs, nec vſu recepta. 651. col. 2. E. neque publicari debet ab vllo Epiſcopo inconſulto Rege, & ceteris Epiſcopis. 652. col. 1. A. & B.

C.

Cæci illuminatio qua ratione cenſeri debeat opus miraculoſum. 277. col. 1. C. D.

Calix vas ſacrum.

Calix conſecratus ſiue benedictus ad celebrationem Miſſæ neceſſarius. 3. p. 318. col. 2. D. ex qua materia primùm facti huiuſmodi calices. ibid. in fine. & 319. col. 1. A. ex ære & aurichalco quare prohibiti. ibid. item & lignei. ibid. aurei & argentei, interdum & ſtannei magis familiares. ibid. col. 2. per tot. terreis & lapideis etiam vetitis. ibid. col. 2. ad finem.

Calix Euchariſticus.

Calicis conſecratio in myſterio Euchariſtiæ, in quibus verbis conſiſtat. 3. p. 280. col. 1. D. eorum aliqua eſſentialia, alia non item, contra D. Thomam. ibid. col. 2. A. B. non tamen licet inter conſecrandum à forma conſueta Eccleſiæ recedere. ibid. lit. D.

de Calice in quem muſca vel aranea ceciderit ante, vel poſt conſecrationem, aut etiam venenum immiſſum, quid fieri à Sacerdote celebrante debeat. 3. p. 329. col. 2. C. D. V. infra, *Conſecratio.* & ſuprà, *Aqua elementaris.*

Caluinus.

Caluinus hæreſiarcha ſcientiam humanam Chriſti impiè tractat. 3. p. 80. col. 2. C.

Caluinus ſacramentariorum noſtri temporis Coryphæus in Gallia. 3. p. 248. col. 2. E. & 249. col. 1. A. non ſibi conſtat in doctrina Euchariſtiæ. ibid. damnatus in Concil. Trident. ibid. col. 2. E. in ſatisfactionem Chriſti impius. 3. p. 19. col. 2. A.

¶ Candelæ vel lampades quot accendi debent, ſiue in priuatis, ſiue in ſolemnibus ſacrificijs, ceu feſtis diebus, ceu alijs. 3. p. 318. col. 1. in fine. & 2. A. certum numerum in ijs obſeruare ſuperſtitioſum. ibid. col. 1. in fine.

¶ Canis Tobiæ hiſtoria in ſacris litteris, qua ratione pertineat ad articulos fidei Chriſtianæ. 580. col. 1. C.

¶ Canonicatus in Eccleſijs Cathedralibus ex decreto Trident. Concilij conferendi Doctoribus, vel Licentiatis. 5. col. 1. E.

Canonizatio SS.

Canonizatio ſiue apotheoſis SS. à quo tempore Sum. Pontifici reſeruata. 3. p. 134. col. 1. D. E. licèt ea poteſtas quondam penès Epiſcopos Diœceſanos fuerit. ibid. col. 2. A. & an in eo ipſi errare queant. ibid. lit. C.

Caput

Digitized by Google

Caput quomodo ſit maius toto corpore. 602. col 2. B. C.
Carcer de quo Chriſtus apud Matthæum, cap. 5. quomodo intelligendus. 3. p. 483. col 1. A. B.
Carnis peccata omnia, contra naturam rationis humanæ hominis. 384. col 1. B. & quare alia vitia carnis dicantur contra, alia verò ſecundum naturam. ibid. conueniunt in ſpecie eſſentiali, & differunt in accidentali. 394. col. 2. C. D. E.
Carpi viſio, Chriſti erga homines ineffabilem charitatem inſinuans. 3. p. col. 2. lit. B.
Carpocratiani hæretici quando vixerint. 3. p. 41. col. 1. C. eorum error de perſonis Chriſti duabus. ibid.

Cartuſiani.

Cartuſiani quare obligentur ad abſtinentiam carnium, etiam cum diſpendio vitæ. 612. col. 1. E. & 335. col. 1. A. B. in nullo planè caſu veſcuntur carnibus. 485. col. 1. A. idque tuta conſcientia, etiam cum iactura vitæ, ſola lege humana obligati. ibid. & col. 2. per tot. & 486. col. 1. A. eorum votum de non edendis carnibus etiam in extrema neceſſitate, quare non repugnet iuri naturali. 486. col. 2. B. quo caſu teneri poſſent ad earum eſum. ibid. & lit. C.
Caſus reſeruati debent ſciri à miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ. 3. p. 333. col. 1. D.
Cataphrygæ hæretici quo genere ſacrificij vtebantur 3. p. 240. col. 2. lit. E.
Catechiſmus authoritate Concilij Trident. editus, quantæ authoritatis ſit. 665. col. 2. C.

Catechumeni.

Catechumeni quando ſoliti baptizari naſcente Eccleſia. 3. p. 224. col. 1. A. an ſinè baptiſmo pertineant ad vnitatem Eccleſiæ, & poſſint fieri hæretici. 643. col. 1. & 2. A.
Catholici ſimplices quid teneantur ſcire de rebus fidei ex præcepto. 618. col 1. C. & ſeqq.

Cauſa, &, Cauſæ.

Cauſa partialis quid ſit. 54. col 1. A non eſt neceſſe vt habeat omnem perfectionem quæ reperitur in effectu eius, & quare. 54. col. 2. B. C.
Cauſa inſtrumentalis quæ dicatur. 3. p. 26. col 1. D. an habeat in ſe vim attingendi eſſentiam. 3. p. 264. col 2. B. C. & requirat exiſtentiam actualem, vt operetur phyſicè 3 p. 164. col. 2. D. phyſica non requirit actualem exiſtentiam ad producendum effectum, ſed ſatis eſt eam fuiſſe aliquando. 3. p. 221. col. 1. lit. E.
Cauſa determinans quo ſenſu poſterior cauſa determinata. 526. col. 2. A.
Cauſa materialis aut formalis, vtrùm poſſit ſuppleri à Deo. 146. col 2. E.
Cauſa ſupernaturalis cum principio naturali quando & quomodo poſſint producere actum vel habitum ordinis ſupernaturalis. 9. col. 1. D. E.
Cauſæ primæ ratio in quo poſita. 526. col. 2. C.
Cauſæ morales, & cauſæ phyſicæ quomodo differant in productione ſuorum effectuum. 344. col. 1. B. & 3. p. 161. col 1. D.
Cauſæ totales & adæquatæ poſſunt producere ſimul & ſemel vnum numero effectum. 3. p. 221. col. 1. D.
Cauſæ efficientes in duplici genere. 92. col. 2. C. carum differentia in producendis effectibus. ibid.
Cauſæ neceſſariæ & liberæ quomodo differant. 526. col 1. D. & E.

Cephas.

Cephas nomen Petro indituin à Chriſto, quid ſignificet apud Græcos, & Hebræos. 3. p. 301. col. 2. A.

Ceres.

Ceres accenſi ad ſepulchra mortuorum apud Ethnicos, quo fine. 3. p. 143. col. 2. B. hic mos Chriſtianis prohibitus per Concil. Eliberitanum planè ab hæreticis detorum. ibid. col. 1. D. E. & col. 2. A. B. non verò conſuetudo accendendi cereos ad ſepulchra martyrum, ibid.
Geſtatio Ceres accenſi ritus ſubſequens baptiſmum. 3. p. 224. col 1. D. quid ſignificet. ibid. E.
Certitudo triplex, ſubiectiua, obiectiua, & alia ex parte modi cognoſcendi, & quid ad vtramque requiratur. 8. col. 1. B. & 610. col. 2. B.
Certitudo duplex, phyſica & moralis, & in quo vtraque conſiſtat. 534. col. 2. B. C. & de qua intelligendum quod dicitur neminem de lege communi eſſe certum de ſua ſalute. ibid. & 535. col. 1. E.

Character.

Character quid ſit. 3. p. 167. col. 2. lit. A. B. non eſt relatio rationis contra Durandum. 166. col 2. in fine. neque relatio realis contra Scotum. ibid. & 167. col 1. per tot. an diſtinguatur à gratia gratum faciente. 166. col. 2. D. ad quid profit. 166. col. 1. in fine. & col. 2. A. inuiſibilis in terris, non tamen in cœlo, in purgatorio, & in inferno, vbi perſeuerat. ibid. lit. B. C. & eſt indelebilis. 167. col 2. lit. C. & D. non eſt tamen diſpoſitio ad gratiam, neque contrà. ibid. lit. E. Corruptibilis per diuinam potentiam. 168. col. 1. A. & ab anima cui imprimitur diſtinctus. ibid. lit. B. quare vocetur ſignum in ſacris Concilijs. ibid. lit E. collocatur in ſecunda ſpecie qualitatis, non autem in prima, tertia, vel quarta. ibid. col. 2. per tot. & 169. col 1. B. habet pro ſubiecto immediato intellectum. 170. col. 2. per tot. non autem eſſentiam animæ. ibid. col. 1. D. quomodo iuuet intellectum ad intelligendum. ibid. col 1. E & 71. col. 2. A. eſt vnus ex effectibus baptiſmi. 3 p. 218. col 1. E.
Character dans poteſtatem conſecrandi & abſoluendi, an vnus & idem. 3. p. 341. col. 2 E. per quæ verba producatur & ampliatur. ibid. lit. E. Sacerdotalis ampliatur per Epiſcopalem. 3. p. 341. col. 2. E. in ordinationibus diſtinguitur realiter vnus ab alio. 3. p. 514 col. 2. D. Epiſcopalis quid addat ſupra characterem Sacerdotij. ibid lit. C. & D. & an diſtinguatur à charactere Sacerdotij, & quomodo. ibid. col. E.

Charitas.

Charitatis etymologia. 661. col. 1. C. & variæ illius acceptiones. ibid. lit. C D.
Charitas virtus Theologica, quid ſignet 661. col. 1. B. vtrùm ſit amicitia propriè dicta. ibid. lit. E. & 662. col 1 A. per tot. & quod ſit obiectum illius. ibid. col. 1. A. an verum ſit eam eſſe aliquid creatum in anima. 603. col. 1. E vel eſſe ſolum Spiritum ſanctum, aut Deum. ibid. col. 2. per tot ſalem cautaliter tantùm ibid. in fine. & an ſit præſtantior omnibus rebus & quomodo. 654. col 1 A ad eius actus exercendos quare re-

Digitized by Google

quiratur in voluntate auxilium actuale, vel habituale, neque ſufficiant virtutes morales. ibidem, lit. C. & ſeqq. eſt ſupernaturalis qualitas realis, tamdiu manens, quamdiu abeſt peccatum. ibidem, col. 2. C. & ſeqq. & 665. col. 1. A. B. C. licèt non conſtet euidenter eam eſſe habitum. ibidem, lit. D. & ſeq. neque ſit aperte de fide. ibidem, & col. 2. A. B. C. eſt ſaltem virtus communis. ibidem, lit. D. & E. quæ intenditur, non tamen minuitur. 666. col. 1. A. ſed eſſe definit ſimpliciter. ibidem, lit. B. & habet rationem virtutis etiam in gradu maximè remiſſo ſpectata. ibidem, lit. D. & E. & col. 2. A. nec diſtinguitur in plures ſpecies, ſed eſt vna ſpecie infima virtus diſtincta à ceteris. 667. col. 1. B. & ſeqq. neceſſaria ad amandum Deum, proximum, & ſeipſum, vt oportet. ibidem, lit. E. quomodo ſit vna, licèt habeat duo obiecta. ibidem, col. 2. B. C. de ea dicuntur proprietates ceterarum virtutum, & quare. ibidem, lit. D. eius obiectum duplex, materiale & formale: quid vtrumque. 669. col. 1. C. D. & finis duplex, intrinſecus & extrinſecus. 670. col. 1. A. eſt præſtantiſſima omnium virtutum ſaltem in genere moris. 670. col. 2. B. & ſeqq. & quomodo in genere entis ſit imferior fide. ibidem, col. 2. lit. C. quo pacto definiatur à Theologis, cum explicatione definitionis. 672. col. 2. D. E. eſt forma omnium planè virtutum. 673. col. 1. A. B. extrinſeca quidem non intrinſeca, atque adeò in genere entis non in genere moris. ibidem, lit. C. an ſola conferat rationem meriti de condigno actibus ceterarum virtutum. 673. col. 1. E. Charitatis ſubiectum proximum & immediatum, an ſit voluntas rationalis. 673. col. 2. D. E. vtrùm etiam in appetitu ſenſibili ſedem habere poſſit. 674. col. 1. A. B. eius cauſa productiua præcipua & principalis eſt ſolus Deus. 674. col. 1. E. & col. 2. A. humanitas verò Chriſti & ſacramenta cauſa inſtrumentalis phyſica. ibidem, col. 2 B. quomodo aliquando dicatur produci à timore, fide & ſpe. ibid. lit. E. nullo modo producitur à voluntate noſtra. ibid. in fine. & 675. col. 1. A. diuerſomodo intenditur à Deo & ab actibus, per quos nulla virtus aut habitus producitur. 675. col. 2. B. C. & ſeqq neque poteſt eſſe charitas vlli creaturæ connaturalis, ne quidem de potentia Dei abſoluta. 676. col. 1. E. variæ ea de re rationes. ibidem, & col. 2. per tot. non infunditur ſecundum capacitatem naturalem, ſed ſecundum voluntatem Spiritus ſancti. 675. col. 1. A. & 677. col. 1. A. & augetur de facto per additionem in vnoquoque noſtrum. ibidem, lit. C. & ſeqq. & probatur authoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. ibidem, & col. 2. A. & quomodo hoc ſit verum cum ſit qualitas ſpiritualis, & proinde impartibilis, & indiuiſibilis. ibidem, col. 1. D. vtrùm poſſit intendi in infinitum. 678. col. 1. B. & ſeqq. & col. 2. A. B. C. intenditur quidem de lege communi in viatoribus iuſtis. ibidem, col. 2. D. & E. & poteſt eſſe finita & infinita diuerſo reſpectu. 679. col. 1. B. quomodo intendatur, variæ ea de re ſententiæ. ibidem, col. 2. B. C. D. & quæ probabilior. ibidem, lit. E. & 680. col. 1. A. B. & vnde conſurgant gradus ex quibus intenditur, & an diſtinguantur inter ſe realiter. ibidem, C. D. eius actus eliciti & imperati. ibidem, lit. E. quid & quomodo fiant & ſubdiſtdantur. ibid. augetur quolibet actu elicito ſiue intenſo, ſiue remiſſo. ibidem, in fine. & col. 2. A. & quomodo intelligendus D. Thomas, quando videtur negare charitatem intendi per actus remiſſos. ibidem, col. 2. B. C. neque veriſimile eſt eum malè vti charitate, qui actum eius remiſſum elicit. ibid. col. 2. lit. D. augetur etiam per actus imperatos. 681. col. 1. B. C. licèt non ſint ei ſimiles cum hoc non ſit neceſſarium, & quare. ibidem, lit. D. augmentum charitatis à quo, & quando in nobis. 681. col. 2. D. E. à Deo quidem effectiuè, ab eo verò qui exercet actum meritorium moraliter ſeu diſpoſitiuè. 682. col. 1. A. & B licèt etiam is de potentia Dei abſoluta poſſit concurrere phyſicè ad eius augmentum. ibidem, lit. C. D. & augetur charitas per actus meritorios ſecundum totam latitudinem actuum. ibidem, col. 2. lit. E. non autem ſecundum ſpeciem ſuam præcisè ſpectatam, ſed tantùm ſecundum eſſentiam indiuiduam & ſingularem. ibidem, in fine. eſt eadem in beatis numero eum ea quam habuerunt in via, ibidem, col. 2. D. quamuis vna pendeat à lumine gloriæ, & alia à lumine fidei. ibidem, lit. E. & poteſt eſſe intenſior in aliquo viatore, quàm in multis beatis. 683. col. 1. A. B. quod intellige tam de actuali, quàm habituali. ibidem, lit. E. neque neceſſarium vt in viatoribus ſit coniuncta cum delectatione. ibidem, lit. D. abſolutè tamen & ſimpliciter loquendo charitas patriæ eſt perfectior charitate viæ. ibidem, col. 1. in fine. & col. 2. A. B. quo ſenſu dicatur à D. Gregorio non poſſe conſurgere, niſi inter duos 692. col. 1. D. eius dantur tres gradus, & quis cuique conueniet. 683. col. 1. C. illius obiectum quod. 3. p. 29. col. 2. D. eius habitus & actus licèt ſint eiuſdem ſpeciei, non tamen producunt eoſdem formales effectus. ibidem, an poſſit diminui de facto, & quo modo. ibidem, lit. E. & 684. col. 1. & 2. per tot. deſtruitur omnino per quodlibet peccatum mortale. 685. col. 1. D. E. & col. 2. A B. C. contra dogmata quorumdam hæreticorum, quorum obiectionibus reſpondetur. ibidem, col. 2. lit. D. & E. & 686. col. 1. A. B. C. & qua ratione peccatum mortale deſtruat charitatem. ibidem, col. 1. D. E. & col. 2. A. B. C. D. verius eſt id facere moraliter ſeu demeritoriè, non autem phyſicè. ibid. col. 2. E. & 687. col. 1. A. B. C. in ea datur ordo aliquis. 699. col. 2. E. & 700. col. 1. A. & quinam ille. 700. 701. 702. 703 704. per tot. & hic ordo perſeuerabit in cœlis. 704. col. 2. C. D. eius effectus duplices, interni & externi, quinam illi. 705. col 2 B. formalis quis. 515. col. 2. C. D. vitia eidem oppoſita quæ. ibidem, an ſit forma intrinſeca vel extrinſeca, vel etiam moralis fidei. 625. col. 1. E. & col. 2. A. B. C. infunditur baptizatis. 3. p. 219. col. 2. D.

Charitas poſterior actibus penitentiæ, & quo ſenſu. 3. p. 362. col. 2. D. & 364. col. 1. A.

Charitas imperfecta, non autem conſummata in Angelis in inſtanti creationis. 254. col. 2. B.

Charitas ſiue gratia adulti viatoris excedit charitatem & gratiam cuiuſuis pueri beati in cœlo. 3. p. 467. col 2. B.

Charitas Dei & proximi eiuſdem ſpeciei. 668. col. A. B. & 3 p 125. col. 2. D.

Charitas habitualis non ſemper operatur ſed actualis, & de hac intelligendus D. Gregorius, cum ait amorem Dei non eſſe otioſum. 3 p. 388. col. 2. E.

Digitized by Google

Charitas & gratia quo modo inter ſe differant. 513. col. 2. D. & E. & 514. col. 1. & 2. per tot. de lege communi inſeparabiles. 515. col. 2. in fine.
Charitas maior ea quæ fuit in Chriſto, quomodo poſſit à Deo produci. 679. col. 1. D.
Charitatis & gratiæ priuationem, vel perpetuam, vel ad multum tempus, an liceat alicui expetere pro commodo ſpirituali proximi, aut alicuius communitatis. 700. col. 2. A. B. & quid dicendum ad locum D. Pauli in quo cupit anathema eſſe à Chriſto pro fratribus. ibid. lit. C. & de Moyſe cum vult deleri de libro vitæ. ibid. lit. C.
Iouiniani hæreſis de æqualitate Charitatis in omnibus iuſtis. 677. col. 2. E.

Cherubini.

Cherubini conſtituunt ſecundum ordinem Angelorum, & quare ſic dicti. 302. col. 2. in fine. & 304. col. 1. A.

Chriſma.

Chriſma materia Confirmationis, vnde conficiatur. 3. p. 226. col. 2. in fine. & 227. col. 1. A. eſt remota tantùm. ibid. col. 2. D.
Chriſma an debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo, vt fiat materia debita Confirmationis. 3. p. 228. col. 1. in fine. & col. 2. A.
Chriſte eleiſon, quare cantatur in Miſſa. 3. p. 320. col. 2. B.

Chriſtus.

Chriſti nomen latiùs patet, quàm Verbum & filius Dei. 3. p. 123. col. 1. lit. C. miræ virtutis in fugandis, & pellendis dæmonibus. ibid. 265. col. 1. A. B. & 272. col. 1. B.
Chriſti ſanctitas efficax motiuum fidei etiam apud hoſtes religionis Chriſtianæ. 592. col. 1. D. E.

Chriſtiani.

Chriſtianis primitiuæ Eccleſiæ omnia communia. 3. p. 228. col. 1. C. ideóq; ijs ſuppetebant facultates mediocres ad comparanda neceſſaria ad perfectionem cultus diuini, & confectionem ſacramentorum. ibid.
Chriſtiani quilibet, quo ſenſu dicti reges & Sacerdotes in ſacra Scriptura. 3. p. 300. col. 1. F.
Chriſtianorum ordo triplex, Epiſcoporum nempe, Curatorum, & Laïcorum 617. col. 2. C.
CHRISTVS quomodo dicatur imago Patris. 25. col. 2. D.
Chriſtus vt homo filius Dei naturalis non adoptiuus. 3. p. 120. col. 2. per tot. & 121. col. 1. per tot. in hac propoſitione particula, *Vt homo*, quo modo ſumenda. ibid. lit. D. de eius diuinitate variè varij dogmatizantur hæretici. 3. p. col. 1. E. & col. 2. B. duas in eo perſonas ponit Samoſatenus. 41. col. 1. C.
Chriſtum eſſe genitum in ſymbolo Athanaſij, quid ſignificet. 3. p. 123. col. 2. D. & E.

De Chriſto viatore & homine.

Chriſtus fuit viator & gratus Deo, & vt talis meruit. 3. p. 108. col. 1. B. C. etiam verè & propriè, & de toto rigore condignitatis. ibid. col. 2. D. & E.
Chriſtus quo ſenſu potuerit mori quo verò non. 3. p. 111. col. 1. B. an meruerit ſibi gratiam & gloriam. ibid lit. D. & E & col. 2. per totam. quo modo intelligenda Scripturæ, quæ id aſſerere videntur. ibid. lit. C. vtrùm ſaltem potuerit mereri gratiam & gloriam quam habuit in primo inſtanti conceptionis. ibid lit. E. & 112. col. 1. per tot. an ſibi etiam alia meruerit. ibidem, lit. E. & col. 2. A. & B. nobis verò quid. ibidem, col. 2. in fine. & 113. col. 1. A. B. C. D. qua ratione fuit ſubditus patri. ibid lit. E. reſpectu cuius dicatur ſeruus. ibidem, lit. E. & col. 2. A. B. C. quomodo dicatur ſubditus legi. 114. col. 1. B. diuerſo reſpectu filius & ſeruus. ibidem. col. 1. A. abſolutè loquendo nulli legi fuit ſubditus, ne quidem vt homo. ibidem, lit. C. orauit pro ſeipſo & pro nobis in vita aliquando efficaciter, aliquando conditionatè. 114. col. 2. C. D. orat & in cœlis nunc, ſed vtrùm formando voces, vel non. ibidem, lit. E. & 115. col. 1. per totam. verus & proprius Sacerdos in ara crucis. 115. col. 2. E. & 116. col. 1. A. B. ſed ſecundum humanam naturam tantùm. ibidem, lit. C. D. E. & col. 2. A. B. explicatus ea de re locus Cyrilli Hieroſolymitani. ibidem. non fuit Sacerdos legalis, & quare. ibidem. col. 2. E. & 117. col. 1. A. quo ſenſu dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. ibidem, lit. B. qua ratione ſeipſum ſacrificauerit. ibidem, col. 2. D. licèt inde nullum pro ſe retulerit commodum. ibid. lit. E. & 118. col. 1. lit. A. B. quo ſenſu adorandus adoratione latriæ. 127. col. 2. D. & ſeqq.
Chriſtus quo modo dicatur profeciſſe apud Deum & homines. 3. p. 72. col. 2. C. & 83. col. 2. A.
Chriſtus vt homo inſtitutionem Sacramentorum promeruit 3. p. 172. col. 1. C. & eſt cauſa effectiua illorum in ratione cauſæ efficientis inſtrumentariæ, ibid. lit. D. & col. 2. A. B. in eo poteſtas duplex, authoritatis ſcilicet, & excellentiæ. 173. col. 1. & in quo vtraque conſiſtat, & quid ſit. ibid. lit. B. C. poſteriorem communicare potuit, priorem minimè, cum ratione differentiæ. ibid. lit. D & E. & col. 2. A. B. an verè baptizauerit. 188. col. 2. E. qua ratione confortatus ab Angelo in horto. ibid. lit. D. quando habuerit vim faciendi miracula. 90. col. 2. C. & vſum. 91. col. 1. B. an in tenera ætate aliqua fecerit. ibid. lit. C. quos defectus corporales aſſumpſerit. 95. col. 1. & 2. moriturus morte naturali, ſi non violenta. 95. col. 2. C. quare dictus maledictum, & peccatum. ibid. col. 2. lit. E. cuius fomitem habere non potuit, 97. col. 1. A. ſicut nec ignorantiam. ibid. col. 1. B. bene tamen dolorem & triſtitiam. ibid. lit. C.
Chriſtus vtrùm ſubierit mortem ex motiuo obedientiæ 3. p. 110. col. 1. B. C. & quomodo intelligenda verba illa: *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam*. ibid. lit. E.
Chriſtus an habuerit fidem habitualem. 3. p. 73. col. 1. A. B. an etiam ſpem & quo ſenſu. ibid. col. 1. in fine. & 2. in fine & 74. col. 1. in principio, cur in eo potius admittatur ſpes quàm fides. ibid. vtrùm in eo fuerint timor, & donũ linguarũ ibid. C. D. an etiam prophetia. ibid. D. & E. quomodo mediatoris officio functus fuerit. 3. p. 156. col. 2. C. comparatus diuiti & nobili negotiatori, quare. 3. p. 107. col. 2. B. quænam ſibi meruerit. 3. p. 106.

Digitized by Google

col. 1. E. fuit nedum liber à coactione, ſed etiam à neceſſitate. 3. p. 103. col. 2. C. eius libertas non impedita ex vi viſionis beatificæ. 3. p. 109. col. 2. C. vnde ſic meruit, vt potuerit non mereri. ibid. & 110. col. 1. A. ità vt potuerit acceptare mortem, vel non acceptare. 555. col. 1. B. eius voluntas vtrùm fuerit neceſſitata ad eam acceptandam, & ex quo capite. 3. p. 110. col. 2. per tot. & 111. col. 1. lit. A. & B.

Chriſtus incarnatus, & Doctor, & Legiſlator inter homines. 3. p. 11. col. 1. lit. E. & col. 2. lit. A. & B.

Chriſtus, quî dicatur factus in ſimilitudinem hominis ab Apoſtolo, non autem abſolutè ſimilis. 3. p. 39. col. 2. lit. D. & agnus occiſus ab origine mundi. 3. p. 469. col. 1. B.

Chriſtus quo ſenſu dici poſſit veniſſe pro Iudæis tantùm. 3. p. 37. col. 1. B. venit non vt Doctor tantùm, ſed vt Redemptor, & quare. 3. p. 12. col. 1. & 2. lit. E. & A.

In Chriſto naturæ duæ, diuina & humana, impermixtæ, & inconfuſæ. 3. p. 39. col. 1. A. B. C. in eo non ſunt plura eſſe. 3. p. 101. col. 2. D. ideóque non duo, ſed vnus. ibid. C. de eius diuinitate hæreſes Apollinaris, Cerinthi, & Sabellij 3. p. 6. col. 2. B. & col. 1. lit. E.

Chriſtus verè compoſitus. 3. p. 4. col. 1. & 2. lit. A. In qua tamen compoſitione Verbum non habet rationem partis, ſed componibilis. ibid. qua ratione dicatur filius Dauid. 417. col. 2. D.

Chriſtus quare, adhuc in vtero materno exiſtens nuncupetur vir in ſacris litteris. 3. p. 84. col. 1. B.

Sacramentarij Chriſtum legiſlatorem non agnoſcunt. 3. p. 11. col. 1. lit. D.

Chriſtus quomodo ſatisfecit, an vt Deus, vel homo, vel vtroque modo ſimul. 3. p. 24. col. 2. lit. B. & cur nuncupetur maledictus, & peccatum. 3. p. 8. col. 1. C.

Chriſti ſcientia, & cognitio.

Chriſtus quomodo cognouerit beatitudinem formalem cuiuſlibet creaturæ rationalis per ſcientiam infuſam ſinè viſione eſſentiæ diuinæ, prout in ſe eſt. 88. col. 1. D. & E.

Quid cognouerit per ſcientiam acquiſitam. 88. col. 2. C. & vtrùm abſtractiuè, an intuitiuè. ibid. lit. E. quo ætatis ſuæ anno habuerit complementum ſcientiarum acquiſitarum. 89. col. 2. B. vtrùm in eis verè creuerit, & eas ſibi comparauerit. ibid. col. 1. in fine. & 2. A. an didicerit aliquid ab Angelis, vel hominibus. ibid. col. 2. C. habuit cognitionem aliquam creatam actualem, diuerſam à diuina. 79. col. 2. lit. E. & 80. col. 1. A. eáque fuit veriſſima, certiſſima, & euidentiſſima. ibid. col. 2. lit. A. & B. & ſcientiam infuſam. 82. col. 1. D. & E. & 2. per tot. an etiam acquiſitam. 83. col. 1. & 2. per tot. & experimentalem. ibid. col. 2. in fine. & 84. col. 2. in principio. quando cœperit vti ſcientijs. ibid. col. 1. A.

Chriſtus quatenus homo, an agnoſcat omnia poſſibilia etiam nuſquam futura, & quomodo intelligendus D. Paulus cùm ei tribuit omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditos. 67. col. 2. A. & B.

De Chriſto prædeſtinato.

Chriſtus an fuerit prædeſtinatus. 122. col. 1. C. & D. vtrùm prædeſtinatus ante præuiſionem peccati primorum parentum, vel poſt. 3. p. 35. col. 1. lit. C. D. & primus prædeſtinatorum; prædeſtinatione efficaci. 3. p. 35. col. 2. B. quomodo poſſit dici prædeſtinatus ad gratiam & gloriam animæ & corporis, &c. 3. p. 122. col. 2. D.

Chriſtus prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei naturalis. 3. p. 122. col. 1. lit. D. expenſus locus D. Pauli hac in materia, Rom. 1. ibid. lit. D. & E.

Chriſtus cauſa materia noſtræ prædeſtinationis. 122. col. 2. B. C. & item finalis & exemplaris. ibid. lit. D. & 124. col. 1. A.

De Chriſto Capite.

Chriſtus caput Eccleſiæ myſticum 3. p. 75. col. 2. lit. E. & 76. col. 1. A. B. cuius habet inuiſibilem adminiſtrationem. 462. col. 1. C. nedum vt Deus, ſed etiam vt homo. ibid. B. C. D. licèt non poſſit dici caput cuiuſlibet rei naturalis. ibid. lit. E. in quantum homo omnium hominum caput. ibid. col. 2. C. etiam damnatorum & quomodo. ibid lit. E. & 77. col. 1. lit. A. an poſſit dici membrum Eccleſiæ, & quo ſenſu. ibid. lit. C.

Caput Angelorum. 77. col. 2. per tot. & an eadem ratione qua hominum. 78. col. 1. per tot. & col. 2. A. quomodo dicatur pacificaſſe quæ in cœlis & in terris ſunt. ibid. col. 2. lit. D. qualiter dictus à ſanctis Patribus, Redemptor Angelorum. 79. col. 1. lit. A.

De Chriſto mortuo.

Chriſtus non ſatisfecit poſt mortem contra Vegam. 3. p. 165. col. 1. E. & col. 2. A. neque meruit. 3. p. 109. col. 1. D. & col. 2. A.

Chriſtum ad inferos deſcendentem, an ſit verum aliquos ab inferis liberaſſe. 3. p. 478. col. 1. B. & col. 2. C. & quomodo intelligendi D. Auguſtinus & Clemens Alexandrinus ſimile quid dicentes, & D. Petrus dum ait Chriſtum prædicaſſe ijs qui erant in carcere in triduo ſuæ mortis. ibid. col. 1. B. & col. 2. C. vtrùm aliqui fuerint conuerſi ad eius prædicationem, & quid hac de re cenſeant PP. & 612. col. 2. in fine. & 614. col. 2. D. E. & 615. col. 1. A. & qualis fuerit ea prædicatio. 615. col. 1. B.

De Chriſto reſurgente.

Chriſtus in die reſurrectionis ſuæ, an reſumpſerit omnem ſanguinem quem effuderat in ara crucis. 3. p. 65. col. 2. lit. B.

Chriſtus verè comedit poſt reſurrectionem. 226. col. 1. D. & quare idipſum de Angelis dici nequeat. ibid lit. E.

Chriſtus Sacerdos, & Pontifex.

Chriſtus vbi & quando ſolam ſpeciem panis conſecrauerit, & quo iure. 3. p. 241. col. 1. A. & 243. col. 1. B.

Chriſtus quomodo potuerit Thomam licèt abſentem ordinare in Apoſtolum, non item Epiſcopi abſentes ordinare. 3. p. 341. col. 1. lit. D. & E. quomodo Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. 303. col. 1. A. B. & 304. col. 1. in

fine. & col. 2. A. B. ſolus ſibi peculiare Sacerdotium habet. 305. col. 1. B. V. reliq. in *Chriſto viatore*, ſupra, ſtatim ab initio.

Chriſtus in Euchariſtia.

Chriſtus an contineatur totus ſub qualibet ſpecie conſecrata. 3. p. 268. col. 2. per tot. quomodo ibi conſtituatur. ibid. lit. E. quid verò per concomitantiam ſub vtraque ſpecie. 268. col. 2. E. & 269. col. 1. B. & E. & col. 2. A. & vtrùm maneat totus ſub qualibet parte diuiſa. 270. col. 1. D. quod veriſimile ſit exemplo ſpeculi. ibid. lit. licèt aliàs ſit de fide. ibid. lit. C. quamuis tranſubſtantiare potuerit panem in ſuum corpus ſinè verbis quibus vſus eſt, tamen id non fecit. 279. col. 2. C. D. quare vtramque ſpeciem adhibuerit in inſtitutione V. Sacramenti. 291. col. 2. B. & C. de facto moriturus in ſpecie conſecrata, ſi quis eam è cœna vltima aſſeruaſſet. 297. col. 2. C. mediator interceſſionis, & redemptionis ſimul. 305. col. 1. E. vtrùm oculos in cœlum leuauerit in inſtitutione V. Sacramenti. 322. col. 1. C.

Chriſtus an ipſemet apparuerit Paulo, an verò Angelus. 372. col. 1. B. & E. & item D. Petro Romam fugienti. ibid. col. 2. A.

De Chriſto Iudice.

Chriſtus veniens ad iudicium, an inuenturus ſit aliquos viuentes in terris. 435. col. 1. C. & ſeqq. & quare dictus Iudex viuorum & mortuorum. ibid.

¶ *Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura*, propoſitio vera & falſa diuerſo reſpectu. 3. p. 101. col. 1. B. idem dicendum de iſta, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus*. ibid. lit. C & de hac, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona ſeu hypoſtaſis*. ibid. lit. D.

¶ ad Circulum admittendum quid requiratur abſolutè & ſimpliciter. 577. col. 2. D. negatur dari in reſolutione fidei. ibid. & lit. E.

Circumciſio.

Circumciſio ſacramentum veteris legis. 3. p. 149. col. 1. E. olim neceſſaria ad iuſtificationem, & quo modo iuſtificaret. 414. col. 1. D. & 3. p. 221. col. 2. D. E.

Circumciſio obligauit omnes & quoſcumque Iudæos vſque ad mortem Chriſti. 3. p. 189. col. 2. A. & B. poſt mortem verò ipſius fuit inutilis. 190. col. 1. in fine. & 2. A. quomodo dicta fœdus ſempiternum in veteri Teſtamento. ibid. col. 2. C.

Circumſtantia.

Sanctorum dignitates bifariam conſideratæ. 3. p. 126. col. 1. A. quónam ex his modis inter ſe diſtinguantur ſpecie, & adorentur adoratione ſpecie diſtincta. ibid. B.

Sanguis Chriſti.

Sanguis Chriſti quomodo dicatur effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum. 3. p. 283. col. 1. B. eius diſpenſatio olim Diacono commiſſa. 307. col. 1. B. & 297. col. 1. B. C.

Sanguis Chriſti in terris relictus, quare adoretur adoratione latriæ. 3. p. 65. col. 2. E.

Sanguis Chriſti an deſinat eſſe ſub ſpecie conſecrata vini quę admiſceatur v. g. dolio vini non conſecrati. 3. p. 278. col. 1. E. & col. 2. per totam. & quid eo caſu faciendum de dolio vini. ibid. col. 2. C.

Sanguinis Chriſti pars aliqua, an remanſerit in terris poſt Chriſti reſurrectionem. 3. p. 65. col. 2. B. C.

Sanguis Chriſti alius ab eo qui fluxit à corpore ipſius, v. g. ſanguis miraculoſus imaginum ipſius, qua adoratione adorandus. 3. p. 66. col. 1. A. B.

Sanguinis congregatio in vtero Virginis, an facta in tempore. 3. p. 67. col. 2. A.

¶ Sapientia æterna quî vocetur creatura in ſacris litteris. 160. col. 2. E. mobilis in ſuis effectibus, ſecus in ſe. 37. col. 1. D.

Satisfactio.

Satisfactio quid ſignificet. 3. p. 439. col. 1. B. eius definitio ibid. lit. C. & 25. col. 2. D. duplex culpæ & pœnæ. ibid. circa quæ verſetur. 3. p. 14. col. 2. A. quæ circa honorem, propriè ſatisfactio. ibid. lit. B. duobus modis fit. ibidem, lit. D. eius dignitas vnde repetendus. ibidem, lit. E.

Satisfactio in genere, non requirit libertatem in ſatisfaciente. 3. p. 15. col. 1. lit. A. neque quod ſit reconciliatiua. ibid. lit. B.

¶ Satisfactio ſacramentalis non eſt pars iuſtitiæ commutatiuæ, ſed modus aliquis. 3. p. 439. col. 1. D. an ad acceptationem illius poſſit confeſſarius penitentem obligare ſub reatu peccati mortalis. 440. col. 1. lit. E. & col. 2. per tot. & 441. col. 1. A. B. C. opera pro ea impoſita ſatisfactoria ex opere operato, non item alia. ibid. lit. D. pro peccatis occultis non debet imponi publica, bene tamen pro notorijs & publicis. 442 col. 1. A. B. quando poteſt immutari, & quomodo ab alio Sacerdote. 442. col. 2. C. D. & E. & 443. col. 1. lit. A. & ſeqq. facta etiam in peccato mortali, quomodo conſequatur ſuum effectum. ibid. lit. E. & col. 2. per tot. & 444. col. 1. A. quando tollat perfectiſſimè pœnam temporalem peccatis debitam. ibid. lit. B. quadrupliciter conſideranda, & quo ſenſu Sacerdos non poſſit eſſe illius iuſtus & æquus arbiter. ibid. lit. D.

Satisfactio ad integritatem quidem Penitentiæ ſacramenti, non tamen ad eſſentiam ſpectat. 3. p. 337. col. 2. B. C.

Satisfactio de condigno, quid requirat. 3. p. 29. col. 1. D. & col. 2. C. & 18. col. 2. E.

Satisfactio perfectiſſima ad æqualitatem quæ cenſeri debeat. 3. p. 24. col. 2. E. & 25. col. 1. B. à nulla pura creatura præſtari poteſt. ibid. A. B. etiamſi operaretur ex auxilio actuali vel habituali ordinis ſupernaturalis. ibid. lit. E. rationes eius rei variæ. ibid. col. 2. per tot. & 26. col. 1. & 2. per tot. Germana ratio authoris. 27. & 28. col. 1. A. & B.

Satisfactio ex opere operantis negatur ab hæreticis noſtri temporis. 3. p. 444. col. 2. C. diuerſimode admiſſa à Catholicis. ibid. col. 2. lit. D. & E. & 445. col. 1. per tot. conditiones illius ſimpliciter neceſſariæ, quæ. 445. col. 2. A.

Satisfactionis ſecundum formam iuſtitiæ propriè dictæ conditiones, quot & quæ. 3. p. 19. col. 2. lit. C. vtrùm omnes neceſſariæ. ibid. lit. D.

Satisfactio ſolutiua quid. 3. p. 30. col. 2. D.

Satisfactio reconciliatiua, quid. 3. p. 30. col. 2. D. hàc quare nequit pura creatura ſatisfacere de condigno pro peccato mortali alieno, licèt in gratia conſtituta. ibid. lit. E. & 31. col. 1. A. de lege communi nempe, ſecus de poteſtate Dei abſoluta. 31. col. 2. A. B.

Digitized by Google

Satisfactio eiuſdem ad ſeipſum quando dari poſſit, vel non. 3.p. 21. col.1. lit. C.
Satisfactio non potuit eſſe æqualis culpæ commiſſæ, ſublata incarnatione. 3.p. 14. col. 1. A.
Satisfactione ſolutiua poteſt pura creatura ſatisfacere de condigno pro culpa mortali propria vel aliena, modo ſit in gratia. 3.p. 31. col.2. C. & poteſt iuſtus ſatifacere pro alio de congruo, non de condigno. 447. col.1. & 2. A.
Satisfacere de congruo an poſſit pura creatura pro peccato mortali, quod habet. 3.p. 29. col.2. E. & 30. col.1. A. B.
Satisfactio noſtra quare neceſſaria præter Chriſti ſatisfactionem. 3.p. 19. col.1. lit. C. & D. & poteſt fieri per alium. 3.p. 17. col.2. C.
ad Satisfactionis dignitatem, quando operetur perſonę conſideratio. 3.p.23.col.1.C. & 27.col.2.E.

Satisfactio Chriſti.

Satisfactio Chriſti libera, ſolutiua, & reconciliatiua. 3 p. 15. col.1. lit.B. an æqualis demeritis quorumcumque mortalium, variæ ſuper ea re ſententiæ. ibidem, col.1. & 2. & 16. col.1. per totam. eius æqualitas vnde repetenda. 16. col.1. in fine. & col.2. per totam. & 17. col.1. per totam. non eſt actus elicitus à virtute religionis aut penitentiæ. ibidem, col.2. lit. E.
actionum ſatisfactoriarum Chriſti valor infinitus, vnde repetendus. 3.p. 13. col.2. per totam. & 24. A. in ijs valor duplex, eſſentialis & accidentalis, vnde vterque petatur. ibidem, B.C. qui valor non eſt ens rationis. ibidem, D. neque relatio prædicamentalis. ibidem, non magis quàm denominatio nuda extrinſeca. ibid. E. ſed perfectio aliqua abſoluta moralis. ibid.
Satisfactio Chriſti fuit excedens, & ſuperabundans. 3.p. 18. col. 1. lit. A. B. & ſeq. vtrùm potuerit Deus hanc reſpuere, vel non. 18. col. & 2. lit. B. in ea reperitur modus iuſtitiæ, non autem iuſtitia propriè dicta, & in quo conſiſtat ille modus. 3.p. 19. col. 2. B.
Satisfactio Chriſti pro nobis non in ſola impetratione auxiliorum conſiſtit 3.p. 25. col. 2. lit. D. vtrùm ſit ad alterum. 3.p. 20. col.1. D. E. & quomodo. ibidem, col. 2. per totam.
Satisfactio Chriſti pars poteſtatiua iuſtitiæ. 3.p. 17. col.2. D.

Satisfactiones.

Satisfactiones Sanctorum in duplici differentia. 3.p. 466. col. 1. C. ſunt in theſauro Eccleſiæ, tam Sanctorum legis gratiæ, quàm naturalis & Moſaïcæ. ibidem, col. 1. E. & col. 2. per totam. & 468. col.2. non per modum ſuffragiorum, ſed vt applicentur eo modo quo Chriſti merita. 466. col. 2. E. & 467. col. 1. A. B. & col. 2. E. & poſt obitum eorum deuoluuntur ad iuriſdictionem Eccleſiæ. 467. col. 1. lit. E. & col. 2. C.
Satisfactiones Sanctorum quorum, & quæ reponantur in theſauro Eccleſiæ. 3.p. 466. col. 2. A. B. & 67. col. 2. D.
Satisfactiones Sanctorum viuentium, quare poſſint in ipſis remunerari, non autem in beatis. 3.p. 467. col.2. D.

Satiſpaſſio.

Satiſpaſſio non poteſt habere rationem ſatisfactionis pro peccatis, neque de congruo, neque de condigno. 3.p. 445. col.2. B. & E. & 446. lit. A.
Satispaſſio an poſſit habere rationem ſatisfactionis reſpectu pœnarum temporalium. ibid. col.2. C.
¶ Satyrus nauigaturus Euchariſtiam geſtabat in orario collo appenſam. 3.p. 234. col.1. D.
¶ Scandalum maximè vitandum in materia fidei. 3.p. 179. col.2. lit. D. & E. etiam ſub periculo mortis. ibid. confirmatur exemplis. ibid.
¶ Schiſma Græcorum quo tempore cœperit. 179. col.1. B.
¶ Scholaſtici vagi tenentur proprium Sacerdotem agnoſcere, vt ſatisfaciant præcepto de annua confeſſione. 3.p. 429. col.1. A.

Scientia Dei.

Scientia Dei de creaturis, quo pacto non pendeat ab eis. 75. col.1. lit. E. non eſt diſcurſiua. ibid. col.2. A. eſt cauſa rerum non tamen ſola, ſed coniuncta cum voluntate. ibid. col.2. C. D. quod tamen de ſcientia practica eſt intelligendum, non de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis. ibid. col.2. D. E. & 76. col.1. A. & eſt omnino inuariabilis & immutabilis, & quare, & quomodo. 84. col.2. C. & E. eius obiectum primarium eſt ipſemet Deus. ibid. lit. D. neque recipit mutationem ab obiectis ſecundarijs, licèt ipſa mutentur. ibid. & neceſſaria neceſſitate incuitabilitatis. ibid. nec eſt tantùm practica, vel tantùm ſpeculatiua, ſed vtrumque ſimul. 84. col.1. in fine. & 85. col.1. A.
¶ Scientia propriè dicta datur in Deo. 73. col.1. C. & col.2. A. & quid hoc loco nomine ſcientiæ ſit intelligendum. ibid. col.2. B. & non eſt qualitas nec accidens. C.

Scientia infuſa.

Scientia infuſa, quid. 3.p. 82. col. 1. lit. D. quæ fuit in Chriſto à primo inſtanti conceptionis præſtantior omni alia, quæ fuerit vnquam in pura creatura. ibid. col. 2. A. & diſtincta ab ea quæ fuit in Adam. ibid. col.1. E. neque hæc fuit otioſa in Chriſto. ibid. col.2. D. & E.
Scientia infuſa in Chriſto, an fuerit diſcurſiua. 3.p. 86. col.2. C. præſtantior ſcientia cuiuſlibet hominis, vel Angeli. ibid. litt. D. duplex abſtractiua & intuitiua. ibid. lit. E. & 87. lit. D. an ſit vnicus habitus. 87. col. 1. A. eiuſdem ſpecies multiplices. ibid. litt. C. & perfectiores ſpeciebus Angelorum. ibid. E. & col.2. A. obiectum iſtius ſcientiæ, quod. 87. col.1. B.
¶ Scientia media an admitenda in Deo, & ad quid. 53. col.2. B. incognita veteribus Scholaſticis, ab ijs tamen tacitè agnita. ibid.
¶ Scientia viſionis, quid. 3.p. 84. col.1. E. in Deo non requirit obiectum præſens, ſed quod extiterit aut futurum ſit.
¶ Scientiæ ſimplicis intelligentiæ obiectum, quod. 3.p. 84. col.1. E.

Scientia in genere.

Scientia propriè dicta in quo conſiſtat, variæ opiniones ea de re inter Theologos. ibid. col.1. E. & col.2. per tot. eius præſtantia non à ſubiecto, ſed ab obiecto. 3.p. 86. col.2. in fine.
Scientiæ nomen dupliciter accipitur propriè, & latiſſimè. 6. col.1. E. & col.2. A.
Scientiarum naturalium certitudo, vnde repetenda. 8. col.1. D.

Scientijs ſuperioribus & communibus conuenit diſputare contra negantes principia. 15. col 2. C.
Scientia de quibus ſubiectis poſſit aliqua demonſtrare per veras cauſas, de quibus non. 14. col. 1. A.
ratio formalis vt quæ cuiuſlibet Scientiæ, in quo conſiſtat. 14. col. 1. C. ad eam tres conditiones requiſitæ. ibid. lit. D.
ratio formalis ſub qua cuiuſlibet ſcientiæ, quid. 14. col. 2. C.
¶ donum ſcientiæ quid ſit. 635. col. 1. E. eſt theoreticum & practicum. ibidem, col. 2. A. vtrùm diſtinguatur à fide realiter. ibidem, lit. B. & ſeqq.
¶ Scientia & fides quare non ſint contradictoria. 596. col. 1. A.
¶ Scientia quare requiratur in miniſtro ſacramenti Penitentiæ, & quæ. 3. p. 428. col. 2. A. B. & 432. col. 2. D. & E. & 433. col. 1. per tot.

Scientia acquiſita.

Scientia acquiſita an fuerit in Chriſto. 3. p. 83. col. 1. & 2. per tot. quod obiectum habuerit. 3. p. 88. col. 2. lit. C. vtrùm abſtractiua, an intuitiua. ibid. lit. E. & 89. col. 1. A. B. fuit perfectiſſima. ibid. an eam ſibi Chriſtus comparauerit, & in ea creuerit. ibid. in fine. & col. 1. A. quo anno ſuæ ætatis habuerit complementum illius ſcientiæ. ibid. B.
¶ Scientiæ beatæ animæ Chriſti obiectum, quodnam ſit. 3. p. 84. col. 2. per tot. & 85. col. 2. per tot.
¶ Scientia alia in Chriſto præter diuinam, an ſit admittenda contra Apollinarem, & Monothelitas. 3. p. 79. col. 2. E. & 80. col. 1. A.

Scientia experimentalis.

Scientia experimentalis futura in ſtatu innocentiæ. 3. p. 155. col. 2. B.
Scientia experimentalis in duplici ſignificatione. 3. p. 83. col. 1. D. & E. quomodo habuerit locum in Chriſto. 83. col. 2. in fine. & 84. col. 1. in principio.
Scientiarum vſus quando cæperit habere locum in Chriſto. 3. p. 84. col. 1. A.

Scriptura ſacra.

Scripturæ ſacræ nomine libri Canonici intelligendi. 26. col. 2. D. eius antiquitas & miraculoſa conſeruatio, motiuum potens fidei ex Tertulliano. 592. col. 1. D.
Scriptura ſacra an conuenienter vtatur metaphoris, ſiue tropis. 20. col. 1. E. & col. 2. A. B. & quare. C. D. ea de re exempla. ibid. col. 2. lit. D. ei quo ſenſu vetitum ſit quidquam addere, vel detrahere. 18. col. 2. A. & D. & dicatur continere quæcumque ſunt credenda. ibid. col. 2. E. habet varios ſenſus ſub vna littera, & quos. 21. col. 1. per tot. & col. 2. A. B. C. an eodem modo concurrat ad aſſenſum fidei quo Eccleſiæ authoritas. 574. col. 1. C. intelligenda vbique vt ſonat, quando non implicat contradictionem, aut non ſequitur abſurdum. 3. p. 372. col. 1. C.
Scripturæ ſacræ & earum interpretatio nulli in particulari neceſſariæ ſimpliciter, ſecus tamen vniuerſæ Eccleſiæ. 3. col. 2. lit. E. & 4. col. 1. A. B. C. vnde repetenda earum difficultas. ibid. col. 1. D. in ijs non reperiuntur omnia ad ſalutem neceſſaria. 5. col. 1. A. B. quomodo intelligendi Patres cùm aiunt, eas non eſſe more humano tractandas. ibid. col. 2. D. ſemper ad litteram intelligendæ, & ex ſenſu Patrum. 3. p. 209. col. 2. A. B.
¶ Scrutinium baptiſmi ceremonia, ad quid adhiberi ſolita. 3. p. 222. col. 2. B.
Secale quod genus grani ſit. 3. p. 244. col. 2. A. in eo quare non poteſt fieri conſecratio. ibid.
Seminaria in qualibet dioeceſi erigenda ex Trident. ad quid. 5. col. 1. E.
Semipelagianorum error de prædeſtinatione paruulorum. 114. col. 1. D.
ad rationem Senſilis vt poſſit eſſe verè ſacramentum, quid ſufficiat. 3. p. 338. col. 1. E. & col. 2. A.

Senſus.

Senſus ſacræ Script. plures cum eorum diuiſionibus. 21. col. 1. & 2. repudiati à Iudæis & hæreticis. ibid. col. 2. C.
Senſus pertinent ad integritatem naturæ animalis, non tamen eorum operationes. 319. col. 2. E.
Senſuum externorum & internorum operatio, an ſit futura in corporibus glorioſis poſt reſurrectionem. 318. col. 1. per tot. & 319. col. 1. & 2. & 320. col. 1. A.

Sententia.

Sententia quomodo diſtinguatur à lege. 464. col. 2. D.
Sententia in foro penitentiæ lata quando cenſetur eſſe iuſta & legitima. 3. p. 414. col. 2. C.
Sententia lata in foro conſcientiæ, quare non cenſeatur irritari per indulgentias ſubſequentes. 3. p. 455. col. 1. lit. D. & E. & 459. col. 1. E.
¶ Septenæ indulgentiæ, quæ olim. 3. p. 461. col. 2. C. D.
Sepulchrorum ſtudium ſemper honeſtum, & laudabile habitum. 3. p. 113. col. 1. B. quo ſenſu reprehenſum à Chriſto in Euangelio. ibidem, lit. C.
Seuerinus Epiſcopus Colonienſis diras poſt mortem ſuſtinet pœnas pro vnico peccato. 3. p. 462. col. 1. D.
Seraphini primi in ordine Angelorum, quare ſic dicti. 382. col. 2. E. & 303. col. 2. in fine. & 304 col. 1. A.
Serapion ægrotus ſub vna tantùm ſpecie communicat. 3. p. 288. col. 2. B.
Serpens æneus quid figurauerit. 3. p. 147. col. 2. in fine. & 148. col. 1. A. vtrùm habuerit rationem ſacramenti. ibid.
Sexuum mutatio apud Plinium, fabuloſa. 3. p. 536. col. 1. E. & 538. col. 2. A. vtrùm poſito quod detur diſſoluat matrimonium. ibid.

Seruus, &, Seruitus.

Serui nomen quomodo Chriſto conueniat. 3. p. 113. col. 1. E. & col. 2. per tot.
Seruitus duplex, naturalis & ciuilis. 3. p. 113. col. 2. D. quænam Chriſto conuenire poſſit. ibid. in fine.
Seruitus humani generis reſpectu dæmonis, in quo conſiſtat. 3. p. 12. col. 1. C. D.

¶ Seruus caret dominio ciuili & politico, non naturali. 282. col. 2. D.
¶ Seruus quis propriè ex Aristotele. 3. p. 113. col. 2. D.
¶ Sibyllæ diuinitus instructæ de rebus fidei Christianæ, de qua longè plura nouerunt quàm dæmones. 171. col. 1. A. quomodo futura prædixerint. 245. col. 1. A.

Sigillum confessionis.

Sigillum confessionis, quid. 3. p. 434. col. 2. B. quare sic dictum. ibid. lit. C. est de iure humano positiuo. ibid. lit. D. & de iure naturali. ibid. lit. E. imò etiam diuino positiuo & obligat quoscumque Confessarios. 435. col. 1. A. B. C. & quomodo. 621. col. 1. E. non solùm quando penitentem absoluunt, sed etiam quando absolutionem recusant. ibid. lit. D. neque solum illi, sed & quicumque vel casu, vel industria aliquid audiunt de confessione alterius. ibid. lit. E. & col. 2. lit. A. & interpretes confessionis. ibid. col. 1. lit. E. & Laïcus etiam qui excipit confessiones fingendo se Sacerdotem. ibid. col. 2. B. audiens peccatum penitentis à Sacerdote, quando teneatur ad sigillum, vel non. 435. col. 2. D. & E. arcana reuelata extra confessionem sub sigillo confessionis non obligant hac ratione, & quare. 436. col. 1. B. materia sigilli confessionis, quæ. ibid. lit. C. in nullo planè casu licet manifestare sigillum, nisi de licentia penitentis. 436. col. 2. D. & E. & 437. col. 1. per tot. & debet seruari tam respectu penitentis quàm complicis. 437. col. 2. B. casus varij in quibus manifestatur sigillum. ibid. C. D. non debet violari pro manifestatione peccatorum in confessione. ibid. lit. E. & 438. col. 1. A. sed seruari etiam cum vitæ dispendio. ibid. lit. C. & col. 2. A. B. & quomodo se debeat gerere Sacerdos interrogatus à iudice de peccato audito in confessione. ibid. col. 2. C. D.

Signum, Significare, &, Significatio.

Signa cuiuslibet sectæ & religionis duplicia. 621. col. 1. B. nulla ex ijs vtutpare licet homini Catholico. 621. col. 1. D. nequidem minora si subsit scandalum pusillorum, & diminutio fidei. ibid. 623. col. 1. C.
Signa rei sacræ in lege gratiæ non omnia sunt sacramenta. 3. p. 148. col. 1. D. exempla. ibid.
Significare ratio constitutiua sacramenti. 3. p. 338. col. 2. A. quod non solum materiæ, sed & formæ competit. ibid.
Significatio perfectior duobus modis fit, verbis scilicet & factis. 3. p. 324. col. 2. in fine. & 325. col. 1. A.
Signum quid ex D. Augustino. 3. p. 146. col. 1. E. diuiditur in datum & naturale, materia sacramentorum. ibid. quid vtrumque. ibid. dati subdiuisio in diuinum & humanum. ibid. col. 2. A.
Signum & signatum quomodo possint simul existere, comprobatur in Eucharistia, & alijs. 3. p. 233. col. 2. lit. B.
¶ Simon Magus an verè & miraculosè volauerit. 591. col. 1. C. eius errorum de Deo, & item de Angelorum & mundi productione. 199. col. 1. E. & 3. p. 6. col. 2. A.
¶ Simonia quare donetur nomine hæreseos in iure Canonico. 644. col. 1. A.
¶ Simplicissimum non semper secundum se totum videri, verum est, & de quo simplicissimo hoc intelligendum. 59. col. 1. D. E.
¶ Simplicitas an dicat perfectionem in Deo. 28. col. 1. E. & an ex vi suæ significationis sit perfectio simpliciter simplex. ibid. col. 2. B. præsupponit in Deo perfectionem simpliciter simplicem. ibid. & lit. C.
¶ Simulatio species mendacij, ideóque illicita. 623. col. 1. D.
¶ Simultas moralis quid sit. 3. p. 196. col. 2. B.
¶ Sinus Abrahæ idem cum limbo Patrum. 3. p. 480. col. 1. D.
¶ Sizebutus rex Hisp. Gothus Catholicus Iudæos cogit ad fidem. 639. col. 2. C. cuius factum improbatur à Concil. Toletano. ibid.
¶ Socrates Scriptor Ecclesiasticæ historiæ Nouatianus. 3. p. 406. col. 1. C. ideóque suspectus in materia confessionis. ibid.
¶ Socrates Philolosophus vtrùm iustificatus in hac & in altera vita, vt vult Iustinus martyr, & quomodo. 612. col. 2. E. & 614. col. 2. D.
¶ Sodomam & Gomorrham quomodo potuerit vel non potuerit Deus perdere existente in ea Loth. 142. col. 1. B.
¶ Solisequij vis in fugandis dæmonibus. 269. col. 1. A.
¶ *Solus*, dictio exclusiua, quomodo addenda termino essentiali in diuinis. 169. col. 1. D. non autem termino personali. ibid. lit. E. & quomodo accipienda Ioan. 17. ℣. 3. & 6. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum*, &c. 156. col. 2. E.
¶ Sozomenus historiæ Ecclesiasticæ scriptor Nouatianus. 3. p. 404. col. 1. D. quo tempore vixerit. ibid. dubiæ fidei historicus in materia confessionis auricularis. 406. col. 1. C.

Species sacramentales.

Species vna non potest consecrari sinè altera. 3. p. 241. col. 2. B. C. nequidem cum dispensatione Summi Pontificis. ibid. & 242. col. 2. E. & licet hoc fieri possit, non tamen sinè peccato mortali. ibid. col. 2. B. & seq. nisi quando altera specierum consecrari nequit impotentia physica vel morali. 242. col. 1. & seq. nec excusat metus aut necessitas. ibid. col. 1. E. & col. 2. A.
Species vtraque de ratione intrinseca sacrificij Missæ. 3. p. 310. col. 1. D. ità vt ad hoc vt in vna tantùm specie consecretur, Papa dispensare non possit. ibid.
Speciem vnicam aliquando consecrauerit D. Paulus. 3. p. 251. col. 1. A. & 243. col. 1. B.
Speciei vtriusque consecratio stabilitur præcepto, & traditione. 3. p. 242. col. 1. A.
Species quælibet consecrata in Eucharistiæ seorsim sumpta vnùm numero sacramentum incompletum. 3. p. 235. col. 2. E.
Species debent esse necessariò præsentes Sacerdoti consecranti. 243. col. 2. B. idque vt consecratio sit valida. ibid. & lit. C. non solùm quoad aliquam sui partem, sed simpliciter & absolutè, quoad omnes. ibid. lit. E. & 244. col. 1. A. quo numero debeant consecrari à Sacerdote. 3. p. 243. col. 1. A.
Specierum consecrandarum absentia seu distantia, & propinquitas indeterminata à Theologis. 244. col. 1. A. B. quomodo mensuranda. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum

Specierum conſecratarum quantitas & qualitates, quomodo ſe habeant in Euchariſtia. 3. p. 276. col. 2. E. & 277. col. 1. A. B. C.

Specierum conſeruatio in Euchariſtia bifariam ſpectata. 3. p. 264. col. 1. lit. E. quæ ratio vtriuſque in ſacramento. ibid. col. 2. A. B.

Species plures conſecratas recipiens, quare vnum tantùm numero ſacramentum, non plura recipiat. 3. p. 235. col. 2. lit. E. & 236. col. 1. A.

Species ambas an teneatur Sacerdos celebrans ſumere, & quo iure. 3. p. 308. col. 1. B.

Species conſecratæ an ſint adorandæ ſinè conditione ſi fuerint conſecratæ. 584. col. 1. B. & quare conditio hæc non debeat recta exprimi. ibidem, lit. C.

Species conſecratæ an poſſint mutare res extra ſe poſitas. 3. p. 277. col. 1. E. & vtrùm ex ijs quid generari poſſit. ibid. col. 2. A. B. & quomodo. ibid. vel etiam nutriri. ibid. & 278. col. 1. A. B. C.

Species expreſſa, & Impreſſa.

Species duplex, expreſſa & impreſſa, quid vtraque. 43. col. 2. in fine. & 44. col. 1. A. in quo differant. 44. col. 1. A. B. C. impreſſa quomodo concurrat ad actum intellectionis. 44. col. 2. D.

Species impreſſa æqualis Deo in repræſentando non in eſſendo, & quid cognoſceretur per eam intrà Deum ſi daretur. 48. col. 1. B. & C. neminem poſſe beare cum non eſſet infinita in eſſendo. ibid. lit. D.

Species impreſſa, quando neceſſaria. 70. col. 1. A.

Species impreſſa dupliciter ſumitur, reduplicatiuè & ſpecificatiuè, & quid vtroque modo dicat. 47. col. 1. A. & E.

Species impreſſa repræſentans diuinam eſſentiam vt in ſe eſt an dari poſſit, necne. 45. col. 2 C. & ſeqq. & 46. col. 1. & 2. per tot. ſi daretur eſſet ordinis ſupernaturalis. 47. col. 1. B. C. & cognitio quæ daretur de Deo, media hac ſpecie eſſet intuitiua, non abſtractiua. ibid. lit. D.

Species expreſſa an detur in beatis ex eo actu, quo vident Deum. 45. col. 1. C. D. E.

Species intelligibilis.

Species intelligibilis, cur ſuppleatur per diuinam eſſentiam in quolibet beato, 297. col. 1. C.

Species intelligibiles vtrùm iuuent intellectum in intelligendo, necne. 516. col. 1. E. & col. 2. A. an neceſſariò in Angelis, & quare. 238. col. 1. E. & col. 2. A. & ſeqq. & vtrùm eorum ſpecies ſumantur à rebus intellectis ab ipſis, vel concreatæ fuerint cum ipſiſmet Angelis. 239. col. 1. per tot. & qua ratione concurrant ad actum intellectionis Angelorum. ibid. col. 2. C. an poſſint dici proprietates eorumdem, & quomodo. ibid. col. 2. D. & E. & 240. col. 1. A.

Species cognita ab Angelo, poteſt dici vna & multiplex diuerſo reſpectu. 240. col. 1. E.

¶ Spelta vtrùm materia propria ad conſecrationem Euchariſtiæ. 3. p. 244. col. 2. B.

Spes.

Spes in genere quid ſignificet. 653. col. 1. C. diuiditur in rationalem irrationalem, & Theologicam, & quæ ſit vniuſcuiuſque ſedes. ibid. & quomodo inter ſe differant. ibid. lit. D.

Spes Theologica.

Spes virtus Theologica, quomodo differat à timore, gaudio, communi deſiderio, & deſperatione. 653. col. 1. D. vſurpatur interdum pro re ipſa quam ſperamus, pro actu ſperandi, pro habitu ſpei, & pro eo in cuius auxilio & poteſtate ſperamus. ibid. lit. E. & eſt virtus propriè dicta contra Durandum. 653. col. 2. per tot. & 654. col. 1. A. B. eius actus perfectus quamuis non habeat adiunctum proprium obiectum. ibid. col. 1. C. eſt virtus Theologica, & per ſe infuſa. ibid. lit. E. & diſtinguitur à fide & charitate, non ſolùm formaliter, verùm etiam realiter. ibid. col. 2. B. & ſeqq. vtrùm ſeparari poſſit à fide & charitate. ibid. col. 2. D. E. eſt minùs præſtans charitate in genere moris, licèt in eodem genere ſit præſtantior fide. 655. col. 1. B. C.

Spei Theologicæ definitio cum eius explicatione. 655. col. 2. D. E. augetur diuerſimodè à Deo & ab actibus. 656. col. 1. B. eius obiectum præcipuum materiale beatitudo noſtra. 656. col. 1. C. D. idque non tantùm formaliter, ſed etiam obiectiuè ſumpta. ibid. lit. E. & col. 2. per tot. ſecundarium verò materiale, eſt beatitudo accidentalis. 657. col. 1. B. C. D. vtrùm ſperare liceat in proprijs vel alienis operibus. 657. col. 1. E. & col. 2. per tot. ſaltem vt in obiecto ſecundario, non primario. ibid. col. 2. lit. D. & E. & quid dicendum ad argumenta hæreticorum in contrarium. ibid. in fine. & col. 2. A. obiectum verò formale ſpei eſt Deus ſummum bonum noſtrum, & quomodo. 658. col. 1. C. & ſeqq. & col. 2. A. B. & eſt cenſenda certiſſima. 659. col. 1. C. D. & quomodo hæc certitudo ei competat. ibid. lit. E. & in quo ſita ſit. ibid. col. 2. B. quod ſit proximum & immediatum ſubiectum ſpei. 659. col. 2. E. & 660. col. 1. A. B. non datur in beatis, nec quoad actum, nec quoad habitum in ordine ad obiectum primarium. ibid. C. D. & quomodo ſit in eiſdem reſpectu obiecti ſecundarij. ibid. lit. E. nulla prorſus datur in damnatis. ibid. lit. E. & col. 2. A. ſecus omnibus in viatoribus iuſtificatis, & agentibus in purgatorio. ibid. col. 2. B. & ſeqq. & in reprobis quomodo. ibid. lit. D. E.

Spes quo ſenſu admittenda in Chriſto. 3. p. 73. col. 2. in fine. & 74. col. 1. A. variæ rationes partis negantis. 73. col. 2. refutantur per tot. cur potius admittatur in Chriſto quàm fides. 74. col. 1. A.

Spes datur in baptiſmo. 4. p. 219. col. 2. D.

Spes humana ſiue acquiſita admittenda, & vnde conſurgat. 655. col. 2. in fine. & 656. col. 1. A.

¶ Spina alba, eiuſque virtus in Cacodæmones, etiam Ethnicis cognita. 269. col. 1. A.

Spiratio.

Spiratio actiua realiter diſtincta à paſſiua, quare non item à relationibus paternitatis, & filiationis. 164. col. 1. B. & ſeqq. ſed ſola ratione ratiocinata. ibid. col. 2. B. & C. non verò ſolo nomine, vel diſtinctione reali minori, vt quidam volunt. ibid. col. 2. lit. D. vnitas relationis ſpirationis actiuæ vnde repetenda, non quidem ex fundamento eiuſdem, neque ab vnitate diuinæ eſſentiæ. 164. col. 2. E. & 165. col. 1. A. ſed ex termino ſibi oppoſito. ibid. col. 1. B.

zed by Google

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus eſt terminus ſecundæ proceſſionis in diuinis, æquè Deus ac Pater & Filius. 151. col. 1. & 2. in fine. & 152. col. 1. A. B. C de eius proceſſione & diuinitate variæ hæreſes. 151. col. 1. D. quomodo dicatur orare & triſtari in ſacris litteris. ibid. in fine col. 1. A. eius proceſſio quare non poſſit dici generatio. 152. col. 2. B. & ſeqq. & 153. & 154. col. 1. & 2. per tot. non emanat immediatè ab eſſentia diuina. 155. col. 1. C. quomodo intelligendi Patres Græci, quando dicunt Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris & Filij. 153. col. 1. E. & col. 2. A. primitiuè & quaſi formaliter producitur ex amore diuinæ eſſentiæ, & perſonarum Patris & Filij; concomitanter verò identicè & materialiter ex amore Spiritus ſancti, creaturarum poſſibilium & futurarum in certa temporis differentia. 177. col. 2. D. E. & 178. col. 1. A. procedit à Patre & à Filio contra errorem Græcorum. 178. col. 2. D. & E. & 179. col. 1. per tot. & probatur authoritate Scripturæ, Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum Conciliorum, & rationibus. ibid. & col. 2. A. B. C. & quid ad Symbolum Concilij Niceni & Conſtantinopolitani, quibus in hac materia deerat, & poſtea authoritate Eccleſiæ Latinæ addita eſt particula *Filioque*, dicendum. ibid. & 179. col. 2. E. quando autem fuerit facta hæc additio incertum, licèt conſtet eſſe antiquiſſimam. ibid. & 180. col. 1. A. eſt à Patre & Filio tanquam ab vno tantùm principio productiuo. 180. col. 1. E. & col. 2. A. & ſeqq. & vt ab vno tantùm ſpiratore, & duobus ſpirantibus. ibid. col. 2. lit. E. & 181. col 1. A. B. eius principium productiuum, ſiue vt quo, ſiue vt quod, vnum tantùm numero, non varium & multiplex. 181. col. 2. B non poteſt produci à ſolo Patre, vel à ſolo filio, ſed neceſſariò debet eſſe à duobus ſuppoſitis. 181. col. 2. E. & 182. col. 1. A. & dato quòd producatur à ſolo Patre, an eo caſu diſtingueretur realiter à Filio. 182. col 2. D. E. & 183. col. 1. per tot. eius miſſio an fuerit facta in ſpecie veri ignis, columbæ, nubis & flatus. 198. col. 2. D. & E.

actus productionis Spiritus ſancti an ſit liber in Patre & Filio. 194. col. 2. E. & licèt quandanenus poſſit dici liber, non tamen ſimpliciter & abſolutè. ibid. & 195. col. 1. A.

Macedonius hæreticus negat Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, ſed tantùm creaturam. 152. col. 2. D. Valentinus affirmat eſſe vnum ex Angelis. 152. col. 1. D. Abailardus verò dicit eſſe animam mundi. ibid.

Spiritus ſancti motio interior cauſa efficiens aſſenſus fidei præcipua & principalis, non tamen ſola. 576. col. 1. A. & C.

Spiritus ſancti teſtimonium, cur non ſufficiat ad prædeſtinationem. 104. col. 2. C. D.

Spiritus incubi, &, Succubi.

Spiritus ſuccubi & incubi, an darentur à D. Auguſtino primùm dubitatum, demum definitum dari. 225. col. 2. E. cui conſentiunt reliqui Scriptores ſacri. ibid. & 226. col. 1. A. vtrùm verè generare dici poſſint, etiam ſubſequente partu. 226. col. 1. A. B. & quomodo intelligendus locus Geneſeos cap. 6. de filijs Dei accedentibus ad filias hominum. ibid. lit C.

Sponſalia.

Sponſalia quid, cum explicatione definitionis. 3. p. 517. col. 2. in fine. & 518. col. 1. A. trahunt ſecum impedimentum publicæ honeſtatis. ibid. col. 2. A. nec ſunt ſimpliciter neceſſaria ad matrimonium, nec pertinent ad eius eſſentiam, præmittuntur tamen certis de cauſis, & quænam illæ. ibid. col. 2. B. conſurgunt ex mutua promiſſione, quocumque modo manifeſtata. ibid. lit. C. & D. obligant ad matrimonium contrahendum, quamuis iuramento non fuerint confirmata. ibid. col. 2. in fine. & 519. col. 1. A. B. C. iurata tamen diſſolui poſſunt. 519. col. 2. per verba de futuro, vbi & quando tranſeant in naturam matrimonij. 520. col. 1. D. & E. & col. 2. A. B. C. ſoli vtentes ratione, ea validè contrahunt. 521. col. 2. B. & qui nullo impedimento perpetuo impediente, vel dirimente matrimonium præpediuntur. ibid. lit. C. & requiritur ætas ſeptem annorum. ibid. lit. E. ſi non completorum, ſaltem incœptorum. ibid. & 522. col. 1. A. B. celebrata à parentibus nomine filiorum ante ſeptennium nulla, nec ad eorum ratificationem tenentur filij, cùm ad ætatem legitimam peruenerint. ibid. lit. B. ſiue iurata, ſiue acceptata tantùm ſoluuntur tredecim modis, & quinam illi. 522. col. 1. E. & col. 2. per tot. & 523. col. 1. A. B. C. quando ad eorum diſſolutionem requiratur ſententia iudicis Eccleſiaſtici. 523. col. 2. C.

Sponſi.

Sponſi debent cogi per iudicem Eccleſiaſticum ad contrahendum. 3. p. 519. col. 1. C. & D. regulariter, non tamen ſemper. 519. col. 1. in fine. & col. 2. A B. C.

Sponſus recuſans contrahere, tenetur ad damnum erga aliam partem, & debet cogi ad id reſarciendum in vtroque foro 3. p. 519. col. 1. B.

¶ Stationes Eccleſiarum in vrbe Rom. antiquiſſimæ. 3. p. 452. col. 2. D. & E.

¶ Statuta ciuitatum ſiue conſtitutiones, an poſſint dici proprie leges. 461. col. 1. B.

¶ Stoici tollunt libertatem humanam per præſcientiam Dei. 84. col. 1. C. quem faciunt corporeum. 24. col. 2. E. & fatum in rebus humanis admittunt. 95. col. 1. C.

¶ Stridor dentium quare potius futurus in damnatis apud inferos, quam fletus. 3. p. 480. col. 2. A.

¶ Striges aues nocturnæ infantium cunas infeſtantes. 269. col. 1. A. incognitæ Plinio. ibidem, lit. B.

Stuprum virgini illatum, quando cenſeri debeat voluntarium ex parte illius, vel non. 332. col. 1. D. & E. & col. 2. A. B.

Subdiaconus, &, Subdiaconatus.

Subdiaconus ex officio, legit Epiſtolam in Eccleſia. 3. p. 169. col. 1. D. ſolemniter canens Epiſtolam in peccato mortali, ſecluſo ſcandalo non peccat. 3. p. 177. col. 1. A.

Subdiaconatus quam ætatem olim requireret, & quam hodie. 3. p. 514. col. 1. A. olim non fuit ordo Sacer. 3. p. 504. col. 2. B. neque ad perpetuam continentiam obligabat. ibid. & 505. col. 1. B. eſt tamen verè ſacramentum. 510. col. 1. D.

Digitized by Google

ordinationis Subdiaconatus materia & forma, quæ 513. col. 1. B C.
¶ Substitutus validè arcetur ab hæreditate per subsequentem legitimationem prolis ex illicito concubitu susceptæ. 3.p. 543. col. 2. C.

Subsistentia.

Subsistentia siue suppositalitas duplex, creata scilicet & increata. 168. vtraque definitur cum explicatione definitionum. 168. col. 1. B. & seqq. & quomodo inter se differant. ibid. B.
Subsistentia quare non sit causa formalis, sed terminans. 3.p. 4. col. 2. B. potest separari à natura substantiali, non autem existentia. 3.p. 3. col. 2. B. C.
de Subsistentia ante Incarnationem, quid affirmarint Peripatetici. 3.p. 3. col. 1. A.
Subsistentia & suppositum licèt in aliquo disconueniant, hodie tamen apud Theologos pro vno & eodem vsurpantur. 168. col. 2. E.

Subsistentia creata.

Subsistentia creata non potest terminare naturaliter aliam substantiam à propria. 3.p. 55. col. 2. E. nequidem de potentia absoluta. 56. col. 1. lit. A. rationes huius rei variæ. ibid. per tot. & col. 2. lit. C. authoris ratio fundata in doctrina sanctorum Patrum, & D. Thomæ. 57. col. 1. A. potest diuinitus separari à substantia. 3.p. 4. col. 1. C. ea non datur vlla alia perfectior. 3.p. 57. col. 1. E.
Subsistentia increata potest supplere defectum subsistentiæ creatæ. 3.p. 58. col. 1. E.
Subsistentiæ increatæ quo sensu negentur esse relationes à D. Augustino. 3.p. 58. col. 2. lit. B. quare simpliciter infinitæ in sua ratione. 3.p. 58. col. 1. E.
Subsistentia Verbi non est modus. 3.p. 40. col. 2. D.
Subsistentia absoluta in Deo præter tres relatiuas. 3.p. 59. col. 1. C. D. quid significet. 3.p. 59. col. 2. D.
Susistentia absoluta nulla datur in Deo. 187. col. 1. D. E. & quomodo intelligenda Concilia quæ nomen subsistentiæ & hypostasis vsurpant hoc sensu. ibid. col. 2. lit. C. D. neque potest esse perfectio simpliciter simplex in Deo. ibid. col. 2. lit. E. saltem essentialis. & 188. col. 1. B.
Subsistentiæ tres relatiuæ in Deo, & quid nomen Subsistentiæ relatiuæ significet. 166. col. 2. B. C. & quî differat subsistentia in rebus creatis à subsistentia in diuinis. ibid.
Subsisteretriplici subsistentia relatiua, intrinsecè Deo proprium. 3.p. 60. col. 2. lit. D. extrinsecè verò rebus creatis & quomodo. ibid.

Substantia.

nomen Substantiæ & entis quando remouendum à Deo, vel non. 30. col. 2. E.
Substantia spiritalis omnis, siue completa, siue incompleta proximè & immediatè creatur. 202. col. 2. D. E.
in omni Substantia quid reperiatur secundum Philosophos. 3.p. 59. col. 2. lit. E.
Substantia singularis creata an possit simul & semel terminari propria & aliena subsistentia etiam increata. 3.p. 63. col. 2. lit. E. negatiuæ partis rationes diuersæ. ibid. & 64. col. 1. lit. A. B. ratio authoris. ibid. C. licèt affirmatiua non implicet contradictionem in natura 63. col. 2. D. & 64. col. 1. lit. D.
Substantia creata ex se & sua natura supernaturalis, an dari possit. 676. col. 1. in fine. & col. 2. A.
Substantiæ nomen loco subsistentiæ reponendum in decretali Agathonis Papæ. 3.p. 60. col. 2. A.
Substantiæ nomen quid apud Philosophos significet. 167. col. 1. B. vnica in diuinis admittenda. ibid. & lit. C. & quid nomine substantiæ in diuinis intellexerunt Patres aliqui Græci, cum existimarunt tres in Deo dari substantias. ibid. lit. C.
Substantiæ an possint produci à Deo meliores secundùm proprias quidditates, & rationes formales. 143. col. 1. D. & E. an verò possint perfici accidentariò. ibid. col. 2 A.
Substantiui nominis multiplicatio, quid requirat. 3.p. 61. col. 1. E. & col. 2. lit. B.
¶ Subtilitas vna ex dotibus corporum glorificatorum, ad similitudinem corporis Christi. 320. col. 1. A. erit qualitas transiens, non permanens. ibid. B.
¶ Successio duplex, formalis & eminens siue virtualis, quid vtraque, & quæ in Deo reperiatur. 38. col. 2. D. & E.
¶ Succubus. *V. Spiritus incubi & succubi.*
¶ Sudores materia inutilis ad baptismum. 3.p. 193. col. 1. D.
¶ Superbia primum peccatum Angelorum malorum. 257. col. 1. B. & seqq. & radix cuiuslibet peccati, & quomodo. 439. col. 2. D. E.
¶ Supernaturale quomodo definiatur. 9. col. 1. A.
¶ Supernaturalia in duplici differentia, ex se & secundum modum. 492. col. 1. B. C. quænam ex ijs requirant gratiam Dei in homine lapso ad eorum veritates inuestigandas, vel non. ibid. lit. D. & col. 2. per tot.

Suppositalitas.

Suppositalitas seu subsistentia, quid. 3.p. 40. col. 1. D. quomodo differat ab inhærentia vt est modus accidentis, & ab existentia naturæ substantialis & individuæ. 168. col. 1. B. C. est idem quod per se subsistere, non tamen inter se conuertuntur, & quare. ibid. col. 1. in fine. & col. 2. A. habet pro effectu formali incommunicabilitatem. ibid. col. 2. B. eius munera, quæ. ibid. lit. C. & D.

Suppositum.

Suppositum quid sit. 267. col. 1. D. an sit idem in creatis quod ens per se subsistens, & vltimò completum. ibid. & dicat entitatem realiter distinctam ab essentia. 167. col. 1. A.
Suppositum & individuum in quo differant à persona. 166. col. 1. E. & col. 2. A.
Suppositum vtrùm distinctum realiter aut modaliter & formaliter à substantia. 3.p. col. 1. E. & col. 2. A. & C. & vtrùm realis entitas. ibid. non distinguitur realiter à natura. col. 2. lit. B. non est tamen idem omnimodè cum substantia. col. 2. lit. C. eius conditiones, quæ. 3.p. 40. col. 1. D.
Suppositum in diuinis est quid respectiuum, in creatis verò absolutum. 167. col. 1. D. & creatum verè componit cum substantia quam complet, non autem increatum cum essentia diuina. ibid. lit. E. & 168. col. 1. A.

Susceptores.

Digitized by Google

Suſceptores.

Suſceptores, qui alio nomine fideiuſſores, ſiue Patrini, & ſponſores, in baptiſmo quorſum adhibiti. 3.p. 223. col. 2. D. in baptiſmo quidem ſolemniter adminiſtrato, non autem in caſu neceſſitatis. 3.p. 209. col. 1. B. vide plura in verbo *Patrini*.

¶ Syllogiſmus ex particularibus propoſitionibus nihil concludit. 3.p. 61. col 1 C.

¶ Syllogiſmus expoſitorius quid requirat. 3.p. 61. col. 1. lit. B. eius conditiones tres neceſſariæ, quænam illæ. 147. col. 1. A.

Symbola fidei.

Symbola fidei Catholicæ quot & quæ. 605. col. 2. B. & ſeqq. quare ſic dicta. ibid. D. & quid nomine Symboli veniat intelligendũ. 618. col. 2. D.

Symbolum Apoſtolorum quomodo ordinatum. 505. col. 2. D. & E. eius neceſſitas. 606. col. 2. in fine. quare ſcriptis minimè mandatum. 607. col. 1. B.

Symbolum Apoſtolorum quare non computetur inter libros Canonicos. 607 col. 1 A. B. quomodo intelligendus D. Thomas qui quatuordecim in eo admittit articulos. ibid. lit. C.

Symbolum Nicænum, quare ſic dictum. 605. col. 2. E. an vt decantatur hodie in Miſſa, ſit totum à Concilio Nicæno compoſitum. 606. col. 1. A. quid, à quo, & qua authoritate illi ſuperadditum. ibid. col. 2. A. B. articulus deſcenſus Chriſti ad inferos, quare in eo deſideratur. ibid. lit. B. C. quare cantatur in Miſſa, & in quibus feſtis. 3.p. 321. col. 1. A. B.

particula, *In*, in Symbolo Concilij Nicæni, ad hæc verba, *Credo in Eccleſiam ſanctam*, &c. an expungenda, & ſi retineatur quomodo intelligenda. 607. col. 1. in fine. & col. 2. A. & in eodem Symbolo à quo addita particula, *Filioque*. ibid. col. 2. lit. C. ea parte qua de proceſſione Spiritus ſancti agit omiſſa particula *Filio*, quare in Eccleſia Romana ſub Leone III. retentum. 180. col. 1. B.

Symbolum Athanaſij vnde ſic dictum. 606. col 1. C. eſt verè Athanaſij contra nonnullos noſtri temporis hæreticos. ibid. & lit. D. quando ab eo compoſitum. ibid. & lit. E. agnitum à Patribus, tam Græcis quàm Latinis. ibid. & col. 2. A. à quo ſuam mutuetur authoritatem. ibid. & lit. B. & 607. col. 1. E.

¶ Synagogæ apud Iudæos viæ ſtudiorum 5. col. 1. D. & E.

T.

TActus verè futurus in corporibus glorioſis Beatorum, ad exemplum corporis Chriſti glorificati. 319. col. 2. C. non tamen actus generationis naturalis. 320. col. 1. A.

Tarani hæretici ſolam aquam in conſecratione calicis adhibent. 3.p. 246. col. 1. C.

Tarcilius Acolytus occiſus ab Ethnicis, propter Euchariſtiam. 3.p. 234. col. 2. A.

Tentare, &, Tentationes.

Tentare quomodo Deus dicatur in ſacris litteris. 410. col. 1. D.

Tentationes & deordinationes appetitus ſenſilis nullæ in ſtatu innocentiæ, bene tamen in ſtatu naturæ puræ vel corruptæ. 412. col. 2. D. E. non omnes ſunt à dæmone, vel nec omnia peccata. ibid. col. 2. D. E. & quomodo intelligendi Patres cum aiunt, nullam dari in nobis tentationem quæ non ſit à dæmone. ibid. col. 2. in fine. & 413. col. 1. A.

Tentationes quas paſſus ſit Chriſtus. 407. col. 2. B.

Terminus.

Termini numerales in diuinis, quid ſignificent, 169. col. 1. B.

Termini intellectus & volitionis æquè dantur in rebus creatis, ac in diuinis. 151. col. 2. C. D. ſed aliter diſtincti in iſtis, quàm illis. ibid. lit. E.

Terminus duplex in omni actione. 3.p. 46. col. 2. C.

Terminus actionis realis formalis non requirit, vt producatur de nouo. 3 p. 246. col. 1. C.

Terminus formalis productus per actionem vnitiuam diuini Verbi & humanæ naturæ, non eſt relatio categorica. 3.p. 47. col. 1. lit. D. E. & col. 2. A. B. neque dependentia eiuſdem naturæ à Verbo. ibid. neque qualitas abſoluta, ſeu gratia vnionis. col 2. C. ſed modus ſubſtantialis productus in humana natura. ibid. lit. E. & 48. col. 1. lit. E. quis ex mente authoris. 3. p. 46. col. 2. B.

¶ Thaſia herba dæmones fugat. 269. col. 1. A.

¶ Themiſtiani hæretici malè de ſcientia humana Criſti ſentiunt. 3.p. 80. col. 2. C.

¶ Theodorus Byzantius hæreticus duas in Chriſto perſonas ſtatuit. 3.p. 41. col. 1 lit. C.

¶ Theodoſius Imp. expulſus à choro Eccleſiæ iuſſu D. Ambroſij, & quare. 3.p. 296. col. 1. E.

Theologia.

Theologia noſtra in quo differat à Theologia Beatorum. 11. col. 1. D. quomodo agat de Deo, Angelis, & hominibus, vitijs, peccatis, & actibus humanis. 11. col. 2. B. eſt ſimul theoretica & practica formaliter. 12. col. 1. D. & E. & col. 2. per tot. an eius finis ſit charitas, & quomodo intelligenda teſtimonia Scripturæ ea de re. 13. col. 1. D. eſt magis theoretica, quàm practica. ibid. col. 1. lit. E. licèt in ea plures dentur concluſiones practicæ, quàm theoreticæ. ibid. col. 2. A. & eſt quadantenus affectiua. ibid. col. 2. A. B. eſt præſtantior & nobilior reliquis ſcientijs. ibid. col. 2. C. D. & eſt vera ſapientia. ibid. eius ſubiectum præcipuum & principale materiale eſt Deus, & item formale vt Deus eſt, ſiue Deitas. 13. col. 2. in fine. & col. 1. B. C. minus verò principale materiale ſubiectum, illius eſt quælibet res à Deo reuelata. ibid. col. 1. B. quomodo cenſenda ſit demonſtrare multa de Deo. 14. col. 1. A B. & diſtinguatur à metaphyſica in diſp. de Deo. ibid. col. 2. C. ratio formalis ſub qua illius eſt reuelatio diuina obſcura. ibid. col. 2. C. vtrùm Theologia ſit argumentatiua, & qua ratione. 15. col. 1. A. B. & quid ſit Theologiam eſſe argumentatiuam. ibidem, lit. B. non tamen quòd vtatur argumentis ad ſua principia probanda. ibid. col. 1. E. qua ratione diſputet contra negantes ſua principia, & ſoluat argumenta poſita contra fidem. 15. col. 2. C. D. & E. & 16. col. 1. A. & ſeqq. eius principia quæ. ibid. col. 1. E.

Digitized by Google

vnde ſumat argumenta ad probandas ſuas concluſiones, & repellendas alienas. ibid. col. 2. B. C. D. & 17. 18. 19. per tot. & 20. col 1. A. B.
Theologia nulli in particulari neceſſaria abſolutè. 4 col. 1. D. E. illius tamen opera indiget Eccleſia vniuerſalis. ibid. lit. E. quid ſit, & eius diuiſio in poſitiuam & ſcholaſticam, quomodo vtraque de Deo & rebus diuinis tractet. ibid. col. 2. B. quæ conſtituunt vnicam ſpecie facultatem accidentaliter diuerſam. ibid. col. 2. lit. C. Scholaſtica quando primum cœperit. ibid. col. 2. B. & D. eſt maximè vtilis reipublicæ Chriſtianæ. ibid. col. 2. D. & E. & 5. col. 1. A. B. licèt damnetur ab hæreticis vt fruſtranea. ibid. C. quæſtiones inutiles ſi quæ in ea reperiantur ad quid referendæ. ibid. col. 2. lit. C. vtrùm Theologia ſit ſcientia propriè dicta. 6. & 7. col. 1. & 2. per tot. veriſimile eſt non eſſe. 7. col. 1. A. B. reuocatur potius ad ſcientiam, quam ad vllum alium habitum naturalem. ibid. col. 1. lit. C. licèt in eius concluſionibus nulla detur euidentia. 7. col. 2. A. & B. quadam ratione certior ſcientijs naturalibus, quadam verò non. 8. col. 1. lit. D. & E. & col. 2. A. B. in ea habitus duo, topicus & neceſſarius, & in quo ambo conſiſtant. 8. col. 2. C. & 10. col. 1. C. non eſt ſimpliciter ſupernaturalis, & quare. ibid. col. 2. D. & E. & 9. col. 1. A. quamuis habeat obiecta ſupernaturalia. ibid. col. 1. B. C. D. poteſt tamen dici quodammodo ſupernaturalis. ibid. col. 2. B. diuerſo modo perſeuerat in hæreticis quàm in Catholicis. 10. col. 1. B. & D.
Theologia quomodo ſit diſcurſiua ſcientia. 582. col 1. D. & colligat ex vno articulo alium. ibid. lit. E.
vnitas ſpecifica Theologiæ vnde attendenda, an à Deitate tamquam ratione formali quæ; an à reuelatione diuina vt à ratione formali ſub qua. 10. col. 2. C. D. & E. & 11. col. 1. A.
¶ Inter Theſaurum alicuius communitatis, ſiue Reipub. & theſaurum Eccleſiæ in ratione adminiſtrationis, quæ ſit differentia. 3. p. 492. col. 2. B.
¶ D. Thomas Apoſtolus quomodo licet abſens à collegio Apoſtolico, cenſendus ſit accepiſſe Spiritum ſanctum. 3. p. 341. col. 1. lit. C. & D.
¶ D. Thomas defenſus contra Gabrielem Vaſquez. 3. p. 43. col. 2. C. D. & E.
¶ Thurificatio quarę in ſacrificio Miſſæ adhibita. 3. p. 325. col. 1. A. & B.

Timor.

Timor an ſit effectus fidei. 635. col. 1. B. an ſit ab ea tamquam à cauſa phyſica vel morali. ibid. diuiditur in ſeruilem & filialem, quid vterque. ibid.
Timor habuit locum in Chriſto. 3. p. 97. col. 1. C. & qualis. 3. p. 74. col 1. C.
Timor ſeruilis an ſpectet ad penitentiam. 3. p. 361. col. 2. C. D. & E.
¶ Tolerati qui dicantur in materia cenſurarum. 3. p. 178. col. 2. D.
¶ Tonſura diſpoſitio ad ordines. 3. p. 513. col. 2. E. quam ætatem requirat. ibid.
¶ Tractus in quibus officijs dicatur, & quid ſignificet. 3. p. 320. col. 2. E.

Traditio.

